{BnF

gallica
BIBLIOTHÈQUE
NUMÉRIQUE

Roman de La Higuera, Gerónimo (S.J., pseud. Flavius Lucius Dexter, Le P.). F. L. Dextri necnon Pauli Orosii, hispanorum chronologorum Opera omnia, juxta... Bivarii et Havercampi editiones accurate recognita... Accedunt, post Leporii presbyteri libellum, scriptorum quorumdam S. Augustino aequalium.... 1846.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF.Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.
*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer ici pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA,

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

UNIVERSITÉ CATHOLIQUE BIBLIOTHÈQUE LILLE

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS XXXI.

FL. LUCII DEXTRI, PAULI OROSII, LEPORII PRESBYTERI, EVODII, SCRIPTORUM QUORUMDAM S. AUGUSTINO ÆQUALIUM,

TOMUS UNICUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
ou PETIT-MONTROUGE.

1846.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

F. L. DEXTRI

NECNON

PAULI OROSII

HISPANORUM CHRONOLOGORUM

OPERA OMNIA,

JUXTA

MEMORATISSIMAS BIVARII ET HAVERCAMPI EDITIONES

ACCURATE RECOGNITA:

QUORUM PRIOR DEXTRI CHRONICON COMMENTARIIS APODICTICIS CONTINENTER ILLUSTRAVIT; POSTERIOR OROSII LIBROS AD FIDEM MSS. ET PRÆSERTIM COD. LONGOB. ANTIQUISS. BIBLIOTHECÆ FLORENTINÆ MEDICEÆ S. LAURENTII, ADJECTIS INTEGRIS NOTIS FRANC. FABRICII MARCODURANI ET LUD. LAUTII, RECENSUIT, SUISQUE ANIMADVERSIONIBUS NUMMISQUE ANTIQUIS ILLUSTRAVIT.

ACCEDUNT,

POST

LEPORII PRESBYTERI LIBELLUM,

SCRIPTORUM QUORUMDAM S. AUGUSTINO ÆQUALIUM

OPUSCULA VARIA.

CHIGYMNASII ENSIS CATHOL.

TOMUS UNICUS.

PRIX : 8 FR.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1846.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FL. L. DEXTER.

Chronicon omnimodæ historiæ. Col. 9

PAULUS OROSIUS.

Historiarum libri septem. 635

LEPORIUS PRESBYTER.

Libellus emendationis. 1215

EVODIUS.

Liber de Fide, contra Manichæos. 1233

NONNULLI PATRES S. AUGUSTINO ÆQUALES.

Epistolæ inter illos Patres et S. Augustinum amœbææ. *Ibid.*

Imprimerie de Vrayet de Surcy et Cie,
rue de Sèvres, 37, à Paris.

FLAVIUS LUCIUS DEXTER[a].

EPISTOLA DEDICATORIA BIVARII EDITORIS.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino D. Gabrieli de Treio S. R. E. Cardinali amplissimo Fr. Franciscus de Bivar S. Bernardi Procurator S. et F.

Magnis magna donanda esse munera, quos nimirum minora non deceant, apud omnes in comperto est: nam quo major quis est, in eminentiori loco positus de minimis minus curat. Ceu qui in terram ab alta prospicit turre, inferiora despiciat necessum est: utpote quæ discernere pene nequeat. Tibi ergo, Amplissime Princeps, qui ad excelsum cœli cardinem sedes, altera ex motricibus intelligentiis facto, quarum nutu universus orbis Christianus circumquaque regitur, nequaquam munusculum tam exiguum donandum fuerat, quale Chronicon ejusmodi multis videbitur. Cæterum si res non magnitudine, sed pretio æstimandæ sunt, numquam adduci potero ut fatear Chronicon Dextri parvi habendum esse, quod volumine exiguum valde sit, quandoquidem ad justam libratum stateram pondere suo multaque ingentia volumina superat, quæ de re hactenus ecclesiastica scripta sunt. Nescio an margaritum egregium, unio, seu adamas jure vocari queat, plusquam codex; nisi quis libellum aureum nuncupet, peregrina ingenii arte elaboratum. Quæ namque historiarum tam reconditæ divitiæ usquam fuere, quæ a Dextro prætermissæ sint? Romanorum pontificum successiones, imperatorum facinora, exstirpationes hæresum, conciliorum exacta discussio, Doctorum scripta, eversiones regnorum, monarchiarum transmutationes, quæ a nato Domino ad mortem usque auctoris toto orbe fuerunt, tam luculento quam succincto stylo complectitur. Parum hoc: orbis ipsius apostolicam divisionem, peragrationem, prædicationem, conversionem, patriarcharum atque episcopalium sedium miram, variamque fundationem, martyrum victorias, confessorum triumphos, et id genus alia sine numero, una pene pagina penicillo levi depingit. Quod ad patriam suam illustrandam spectat (Hispania hæc fuit), erectis per singulas civitates martyrum, et illustrium virorum tropæis, multo quam cæteri locupletius, reddidit illustriorem. Qua in re soli pene Dextro debet Hispania, quod sibi multos egregios, sanctissimosque fidei suæ parentes vindicavit, quos oblivionis parens tempus ab ipsius corona ciderat, magna cum honoris ejus jactura. Minime igitur parvi pretii credendum est ejusmodi donum: et ea propter Magnitudinis tuæ non indignum. Ego et debitum puto, cum meritorum exigentiam seu consonantiam discutio. Clarum *siquidem* apud sæculum, et Christi fidei deditum *Hieronymus vocavit auctorem hunc, utpote qui sanguine nobilis, claris quoque præfecturæ prætorianæ functionibus, ac propriis facinoribus eluxerit: insuper inclytus fidei Christianæ propugnator, et scripto et opere effectus. Te vero apud sæculum clarum sciunt omnes, sive notissimæ nobilitatis progeniem, sive archiepiscopale apud Salmantinos collegium, cujus alumnus fuisti, sive publicum Vesperariæ cathedræ rectoratum jurisprudentiæ in inclyta illa academia gloriose, me vidente, obtentum, ob oculos feram. Inde deditus Christi fidei, militarium religionum alter e regalibus judex, in albo nobilis Alcantaræ equitum ascriptus es, et fidei supremi tribunalis tota Hispania censor electus: ac tandem ad altissimi cardinis gloriam meritis exigentibus sublevatus; unde et verbo, et scripto totus fidei deditus, Ecclesiam, propugnare dicam, an illustrare? utrumque prorsus efficere non cessas. Debetur tibi proinde Dextri Chronicon utroque titulo; et quod Hispano Hispanus, et docto doctus donandus erat; et thesaurus ei soli, qui valorem pro meritis æstimare valebit. Et jure id sibi Dexter vindicabat, qui jam olim S. R. E. cardinali presbytero opus consecravit suum, id est, Hieronymo. Mihi vero dum ipsum Commentariis novæ luci redditum, tibi S. R. E. pariter cardinali presbytero iterum consecro, illud verecundiam ingerit magnam, quod ab utroque longo intervallo me distare conspiciam: et ideo minus aptum, ut Dextrum virum magnum Magnitudini tuæ conjungam: vereorque ne munus minus gratum sit, quod ab indigno oblatum. Præbuit nihilominus tua benignitas ausum; nec id insolitum, cum natura ipsa magna corpora insectibili quantitate conjungat, id est, indivisibili superficie: qualem ego judico, qualemcumque in elucidando Dextro laborem insumpsi; quem nunc sub Dextri ipsius umbra tibi offero, qui quasi defensorem, et protectorem ei quærens, ad pedes tuos accedere veritus non sum: utpote in quo et turrim defensionis contra fluctus adversariorum, quam in armis gestas, invenio; et lunas circumcirca ordinata acie dimicantes; quasi de eis dictum fuerit:* Stellæ de cœlo in ordine suo, adversus Sisaram dimicabant (*Jud.* v, 20). *Quo loco illud Senecæ pro opportunitate mihi usurpo, ad Lucillum scribentis:* Cæterum quod Commentarios meos tibi mitti permittis, indulgentiæ scio istud esse, non judicii: et si modo judicii est, indulgentia tibi imposuit. Sed qualescumque sunt, tu illos sic legito, tamquam verum quæram adhuc, non sciam, et contumaciter quæram. Non enim me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero, multorum magnorum judicio credo: aliquid et meo vindico. Nam illi quoque non inventa, sed quærenda nobis reliquerunt (*Senec. epist.* 45). *Vale, Princeps Illustrissime. Romæ ex ædibus S. Bernardi,* 21 *Septembris anni* 1624.

[a] Chronicon a Bivario sub Dextri nomine evulgatum, spuritatis una voce arguunt nostræ ætatis bibliographi, Jesuitæ cuidam XVI sæculi illud adscribentes. Edit.

EPISTOLA AD BIVARIUM EDITOREM.

Gabriel S. R. E. tituli S. Bartholomæi in insula Presbyter Cardinalis de Treio, etc. Venerabili viro Fr. Francisco Bivario Congregationis Hispanicæ S. Bernardi Generali Procuratori, Salutem.

Quæ communia nobis antea feceras, manuscripta Commentaria tua in Flavium Dextrum perantiquum Hispanum nostrum, nunc typis excudenda dicas, publicoque honore, perpetuoque beneficio me afficis, quem antea commodati ad modicum tempus muneris gratissimum expertus es. Quid ergo non debeam, qui tunc me debitorem professus sum? At jam partem debiti solvo, dum libenter et alacri animo beneficium recipio, signumque notissimum gratitudinis præsto; nulla enim clarior nota avari ingratique animi est, quam beneficia, quibus gratum se futurum non sperat, respuere vel torvo vultu admittere. Flavium Dextrum Hispanum, veterisque patriæ nostræ historiæ insignem scriptorem, silentii et oblivionis tenebris antea obrutum, nunc in lucem profers; fontemque limpidissimum, occultum antea et invium, omnibus manifestas, gentisque nostræ pervetustam fidem et religionem, sanctorum martyrum, confessorum et virginum gloria illustrem, novo præconio, claraque voce, ex vetusto illius pectore resonante, extollis, antiquis nova adjungis, fidemque vetusti auctoris neotericorum auctoritate comprobas, similis quidem factus homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (Matth. XIII). *Omnem ergo thesaurum effudisti, quid restat tibi? quid muneris exiguitatem excusas? an hyperbolice? an contra mentem loqueris? sed verius putem; evangelico more, cum omnia, quæ potes fecisti, dicis:* Servi inutiles sumus (Luc. XVII). *Exiguus liber Flavii, si ad volumen ipsum attendimus; grandis, si in eo contenta; parvo codice magna continet, nullum in eo otiosum lego verbum, dissimilis quidem est verbosis philosophantium commentariis, aliorumque scriptis, in quibus cum longissimum tempus contriveris, vix quidquam quod mente retinere debeas, invenies. Non ergo illum contemnemus, qui breviori stylo longam continet antiquarum rerum seriem; nec alios magnifaciemus, qui longo verborum apparatu omnia potius confundunt, quam explicant; nisi similes ei esse volûmus, qui ex aureo magno et pulchro cochleari venenum potius sumere, quam ex minimo, et ex vili materia, mel sugere elegit* (Cyril. lib. VII, contra Jul.). *Similem ego considerabam Flavii librum cuidam navi Phœniciæ (cujus meminit Xenophon) fabricæ perangustæ, quæ cum armorum, instrumentorum, mercium ac supellectilis cujuscumque generis, immensa varietate, et multitudine repleta esset, singula tamen in ea tam artificiose collocata, et solerti ordine disposita erant, ut et sine impedimento per navim discurrere, et in tanta rerum multitudine, singula oculis contueri, et ad manum rem quamque paratam habere et invenire quisquis posset. Siquidem in Flaviana historia ita omnia disposita, ut plena mercibus diversis parva navis, omnia quæ habet, in conspectu ostendat, et in quolibet versu, ne dicam verbo, ponderoso compendio contineat, quæ longiorem complere possent historiam. Scribebat quidem non ut sapientiam ostentaret suam, sed ut in remotiori orbe habitantem Hieronymum Hispanicæ religionis certiorem faceret, ideoque librum longiori itineri committendum, breviori perstrinxit calamo. Verum ne forte alicui videretur altior breviorque stylus poeticam notam incurrisse,* Dum brevis esse laboro, obscurus fio (Horat. de Arte poetica), *tu non solum complicata antea longo silentio, et brevitate orationis folia in lucem deduxisti, sed explicasti, ornasti, et declarasti; condecorasti simul patriam nostram: nam cum certissimum sit eam ita prædicatione apostolica insignitam, ut, teste Tertulliano, omnes termini Hispaniæ fidem susceperint* (Tertul. adversus Judæos, cap. 7), *et Cypriano, in ea recte perseveraverint* (Cyprian. epist. 68), *non desunt, qui opinionem famamque nostram calumniari velint, et lædere, sugillare, et commaculare. Nunc autem nisi proterve et pertinaciter se gerere velint, clariori quam phœbæa luce aspicient, quantum ab initio nascentis Ecclesiæ profecerint Hispani, quot sancti ex illius gente Martyres adfuere, quoties non defuere tyranni; quot confessores floruerunt celebres, cum, cessante persecutione, virtutum exercitia libere exercere valuerint; quot virgines, quæ, superato sexu, carnisque et mundi adepta victoria, se castas dilectissimo sponso exhibuere Christo. Flabit itaque jam dextere Flavius Lucius Dexter, quem (velut e cavernis ventos Juno) ex oblivionis carcere eduxisti; quem lucide et dextere explicuisti, cujusque veritatem historiæ comprobasti. Nec minoris utilitatis quisquam putet esse sanctæ catholicæ Ecclesiæ, antiquorum innovare scripta, et exornare, quam novos edere libros; nam si verum amamus, majoris hoc utilitatis est. Veteres enim præstant auctoritate, excellunique fide Recentiores. Nescio enim quid auctoritatis sibi vindicat sancta vetustas. Quo fit, ut qui Christiano nomini adversantur infideles, et qui sanctæ Ecclesiæ plus nocent hæretici, nullo alio argumento magis convincantur quam antiquorum scriptorum auctoritate et doctrina. Unde qui eos in lucem producunt, vere dici possent potentiora Ecclesiæ sanctæ arma, velut clypeos in Davidica turre pendentes in medium proferre. Et quidem in hac Dextri historia elucet maxime firmitas fidei in martyribus, ad confusionem hæreticorum dicentium posse quemquam, ut vitæ periculum evadat, fidem quam profitetur, abnegare. Fulget sanctorum antistitum auctoritas, et in gubernanda Ecclesia solertia, qua confundantur illi, qui episcopalem dignitatem negant, et novum inventum temere dicunt. Legantur, eo jam tempore admissus peregrinationum usus, templorum ædificatio, sacrosancti sacrificii Missæ celebratio, et exercitium omnium sacramentorum, reverentia imaginum, varia miracula, veneratio sanctæ Romanæ sedis, et si quæ sunt alia, quæ novatores negant, quæ ta-*

men cum eo tempore primitivam Ecclesiam observasse videant, confundantur, et nostram catholicam Ecclesiam primitivæ concordare cognoscunt. Tot igitur nominibus tibi gratias referre debeo, quot utilitates ex tuo labore provenire præsentio. Pro Ecclesiæ sanctæ honore, et utilitate, gratias refero, ut indignus ejusdem minister Presbyter cardinalis, pro Hispaniæ decore et gloria, ut illius nationis vir, pro in me collato beneficio, ut amicus non ingratus. Vale, et sanctissimus Dei Spiritus repleat te omnibus suis divinis donis. Datum Tibure octavo kalendas Octobris anno M. DCXXIV.

EPISTOLA ALTERA AD BIVARIUM EDITOREM.

R. Patri Fratri Francisco Bivario Cisterciensi, viro integerrimo, amico spectatissimo.

Rure Tiburtino sub æstivo calore vidi perfunctorie et raptim perpetua tua commentaria in Fl. L. Dextri Chronica ad illustrissimum cardinalem de Treio transmissa. Ad primum conspectum placuit operis argumentum, et laudabilem dixi, modo felicem, illustratoris conatum. Desideravi impense totum opus introspicere, neque tunc potui occupatiunculis distractus, etiam sub paucis diebus illustrissimo cardinale codicem remittente. Nunc a te relictum pro voto legi, neque uno nomine libens legi. Quia argumentum grave erat, quia de optimis nostræ fidei magistris erat, quia a teipso erat, quem jampridem cum veneratione quadam et amore suspicio. Vidi igitur secundo libens, et legi libentius : ita me res, et ipsa scriptio tua, et judicium trahebant. Multa opportune miscuisti ad fidem, ad intelligentiam, ad historiæ commendationem, ad sanctorum venerationem. Optimas Hispaniæ antiquitates vindicasti, res exteras illustrasti, sepultam optimarum rerum memoriam plene resuscitasti. Et si præclaras quasque nationes magno tibi devinxisti beneficio, ultra omnes tua tibi debet Hispania, cujus res utpote sibi notiores majori cura et fide Dexter notavit, et tu demum dextere illustrasti. Genus omne sanctorum vestram protulisse Hesperiam ostendit omnimoda hæc historia, cui tu plene fidem, quantumvis duram, docta commentatione concilias. Felicem certe, et ultro commendabilem tuum evasisse conatum jam plene probavi, dum et Dextrum, hunc ipsum esse fundate confirmas, et sanctorum gesta ab apocryphis rite discernis. Gratam fore omnibus hanc tuam historiam ausim spondere, quæ varios, et omnigenos (*ut cum vetusto et gravi loquar historico*) florum coruscantes, et aureos habet colores, quam aliquis aptissime agri hortum herbarum omnium feracem dixerit. Potissimum vero illis mirifice abundat, qui pullulantes candescunt, et qui purpurea specie florent, quique nitore ad nigredinem magis vergentes, quam maxime relucent. Hierarcharum stola vitæ sanctitate supra solem ipsum coruscans, et martyrum vera, et veneranda purpura, sanguine eorum prolixe tincta atque rigata, insuper lucis conciliatrix nigrescens, et divinitus contexta vestis illis admodum congruens, qui ad vitam angelicam contendunt atque aspirant. Ex quibus Christi Ecclesia aureum prorsus virtutibus circumamicta ornatum, veluti quædam sponsa, rem omnium pulcherrimam universitatis hujus exhibet, atque repræsentat regum omnium imperatori (*Nicephor. in dedicat. ad Andronic imperat.*). *Opus itaque tuum omnibus probatum iri non dubites, atque hinc ego dixerim improbandum postremum tuum et recens consilium. Omnes certe condemnabunt tuum secessus desiderium, et recessum in solitudinem. An non et pacatis viris, tui similibus, in media Urbe secessus, et in fori strepitu solitudo? Itane manum a calamo, animam a studiis media ætate retrahere decuit, et solitariæ placuit studere quieti? Cave, vir optime, ne talentum dicaris abscondere, et durus tibi dicat exactor oportuisse et debuisse te in eodem negotiari* (*Matth.* XXV), *non in umbrosis vallibus feriari. Sed quo pergo? timeo tuam pietatem offendere, et sæculi turbas declinantem in summa tranquillitate turbare. Perge, vir Dei, stude tibi, et, si licet, stude omnibus. Pater, et in Dei honorem, et in bonum nostrum scribe. Vale, e regione Transtiberina ad D. Petri in Monte Aureo,* 16 *kal. Febr.* 1625.

Tui amantissimus, FR. LUCAS WADDINGUS.

AUCTORIS VITA,

Ex suis, et aliorum scriptis collecta,

PER FR. FRANCISCUM BIVARIUM.

Barcino, Hispaniarum urbs illustris, Pœni Hamilcaris, fratris Hannibalis, conditione gloriatur, ut gravissimi quique auctores produnt, et Ausonius ad Paulinum scribens cecinit, *Me Punica*, inquiens, *lædit Barcino* (*Auson.* epist. 24); super Mediterranei maris oram orientalem, ipsi dominatura sedes habet, non minus amœnitate, quam divitiis, et fortitudine florentes:

Et Barcinonum amœnas sedes ditium,
Nam pandit illic tuta portus brachia.
(*Ait Festus Avienus.*)

Multo illustrior magnorum splendore civium redditur: protulit namque tum S. virginem Eulaliam

nobilitate et martyrio conspicuam : Philetum, ac Lædam sacros conjuges, ac sui senatus vertices, cum filiis, et LV sociis martyribus, præsules multos, sanctitate spectabiles martyriique laurea insignes, Etherium S. Jacobi discipulum : Severosque duos, et egregium Christi confessorem Theodosium, Etherii successorem ; ut interim sileam S. Cucuphatem martyrem, quem Africa quidem mundo protulit, sed Barcinon Christo reddidit ; et alios multos quorum nomina sunt in libro vitæ. His sideribus velut in firmamento nobili consistentibus, addita sunt Barcinoni ad decorem duo alia, cæterorum concives, pater ac filius : Pacianus, inquam, et Dexter. Quidni eos sidera dixerim, quos claros doctrina et dignitate testatur Hieronymus, et tamen Danieli dictum fuit : *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates?* De Paciano Hieronymus : *Pacianus Barcilonæ episcopus, castitate*, inquit, *et eloquentia, et tam vita, quam sermone clarus ;* et de Dextro, *Dexter Paciani, de quo supra dixi, filius, clarus apud sæculum, et Christi fidei deditus.* Sane S. Pacianus cum nondum esset episcopus ex legitima uxore suscepisse Dextrum, illud convincit, quod inter cæteras animi ac corporis dotes castitas ejus singulari præconio a Hieronymo commendatur. *Pacianus* (ait) *castitate et eloquentia clarus*, quod de mœcho, quantumcumque pœnitente, dici non posset. Nobilitatem generis illa indicant verba Hieronymi : *Clarus apud sæculum*, præsertim Dextri laudes adhuc juvenis concernentia, eo videlicet dicta tempore, quo vigesimum tertium agebat annum, ut mox videbimus. Erat etiam sanguine conjunctus Paulo Orosio, vel ipso Dextro fatente ad annum Domini 417 : *Paulus*, inquit, *Orosius, Fl. Orosii filius, consanguineusque Paciani patris mei, civisque Tarraconensis*. Orosiorum autem gens nobilitate insignis fuit, utpote quæ Romæ in basilica S. Eusebii propriam sepulturam habuit. Nec solum Tarracone et Romæ, sed etiam tota Lusitania illustris, et toto orbe conspicua reddita est, ut Maximus Cæsaraugustanus episcopus scribit ad annos Domini 471 et 602. Porro Pacianus pater, uxore destitutus, vel forsan (quod illa frequenter ferebant tempora) ab ea separatus, redditusque Ecclesiæ, verbo et exemplo oves sibi commissas mirifice pavit, et a luporum furentum incursu (Novatianos, et Arianos loquor) non solum verbo, sed etiam scriptis defendit, quorum adhuc cum doctrina miramur eloquentiam, nimirum in *Epistolis ad Symphorianum* datis in *parænesi de pœnitentia*, et opusculo *de Baptismo ;* sanctitatemque veneramur cum Romana et universali Ecclesia, quæ nomen ipsius in catalogo sanctorum legit ad diem 9 Martii. Natus est autem Fl. Lucius Dexter anno a natali Domini 368, ut colligere licet ex eo quod ad calcem Chronici scribit, se, anno Christi 440, ætatis egisse suæ LXXII.

Sed quos non profectus Dexter faceret sub tanto parente? In humanioribus litteris juventutem exercuisse, Hieronymus in prologo libri Scriptorum ecclesiasticorum manifestat, dum ad illum verba faciens, speciali titulo Ciceronem vocat suum : *Quod Cicero*, inquit, *tuus, qui in arce stetit eloquentiæ, non est facere dedignatus in Bruto, oratorum Latinæ linguæ texens catalogum*, et onus ipsum quod Hieronymo imposuit adhuc juvenis provocans illum, ut, ad Suetonii exemplum, claros fidei Christianæ oratores, et insignes Ecclesiæ Doctores brevi catalogo astringeret, *et quod ille in enumerandis gentilium litterarum viris illustribus fecerat, ipse in nostris faceret :* et præsens Chronicon eloquentiam hominis cum pietate conjunctam clamat : nam ita humanis vacabat litteris, ut ecclesiasticæ historiæ sedulo incumberet.

Cæterum adolescentiæ metas nondum excedens, sacramentis militaribus implicatur ; quod genus vitæ eo præsertim tempore nobilium virorum filiis toto Roman. imperio charum erat, et præcipue in Hispania, quod magnum illud orbis decus Theodosius senior, vere in cunctis Magnus, inde ad imperii fastigium tunc evectus fuerat, anno Christi CCCLXXIX. Sub tanto igitur principe Dexter militiam secutus, et nobiles in ea faciens progressus militaribus gradatim honoribus sublimari : et ita tandem ad præfecturam prætorii Orientalis Imperii, quod summum erat munium, conscendere meruit. Annos natus non amplius XVIII Theodosio imper. adhæsisse par est credere, quando X imperii simul cum Arcadio filio Cæsare, et Valentiniano Augusto, Maximum tyrannum debellaturus in Italiam descendit : sequentique cum eisdem Romam ingressum ; et inde in Orientem profectum. Verum enimvero ita rebus militaribus addictus erat, ut litteris quandoque pro opportunitate vacaret ; in Orientis autem profectione viros doctissimos, sanctissimosque consuluit, audivitque quo temporis Constantinopoli florebat Joannes Chrysostomus, in Cypro Epiphanius, Neocæsareæ Gregorius, Cyrillus Hierosolymis, Edessæ in Syria Ephrem, Nisæ Gregorius alter, Basilii frater, ut Sophronium et alios prætream : præ cæteris tamen Hieronymo usque ad amicitias usus est ; uti ex secunda ipsius ad Rufinum Apologia liquet, dum inquit : *Cum Dexter amicus meus qui præfecturam administravit prætorii*, etc. Ad hoc vero necessum fuit, non semel aut iterum eum convenire, sed frequenter familiari ipsius in Bethlemitico secessu, frui colloquio, et absentem multoties per litteras ad diversa studia provocare. Habemus ejus rei nobile argumentum, librum de Scriptoribus ecclesiasticis. Cum enim tot, taliumque Doctorum scriptis Christianus orbis sibi eo sæculo vehementer illustrari videretur, in quorum comparatione gentilium philosophorum ac rhetorum subtilitas et eloquentia viluerat, dolebat nimium, Christianis gentiles passim rusticitatem objicere ; nullos Ecclesiam philosophos, aut rhetores, nullos Doctores habuisse, utpote a rusticæ simplicitatis hominibus fundatam, seu a quibusdam piscatoribus præcipue edoctam. Hinc Dexter de Hieronymi sufficentia confidens, qui pene omnes auctores sive ecclesiasticos, sive profanos, Græcos et Latinos legerat, tantum ei opus imponit, operæ pretium

ipsum facturum affirmans, si Doctorum omnium, qui vita et scriptis Ecclesiam Dei illustrassent, nomina, et lucubrationes, more catalogi, ad unum breviusculum volumen encomiastice reduceret : ut cum gentiles rhetorum ac poetarum suorum catalogum nobis objicerent, quem Suetonius Tranquillus, libro de *illustribus Grammaticis* edito confecerat, Catholici suorum catalogum promere possent, et gentiles quos inscia vetustas venerabatur, imperitiæ et ignorantiæ redarguere. O dignam Christiani et docti viri cogitationem ! o animum nobilem ! Quid mirum si non solum clarus *apud sæculum*, sed etiam, quod in sæculari homine rarum est, *Christi fidei deditus*, dicatur? Sane quod Doctorum Ecclesiæ catalogo fruamur, Dextro v. c. debemus : nam ejus hortatu S. Hieronymus provinciam eam suscepit; cujus deficiente lucubratione, innumeros antiquorum Doctorum, quorum modo operæ non exstant, necessum fuisset ignorare. Annuens igitur Dextri desideriis Hieronymus non solum catalogum cupitum confecit, sed et librum ipsum Dextro dicavit, et epistolam libro præposuit, videlicet :

HIERONYMUS DEXTRO.

Hortaris, Dexter, ut Tranquillum sequens, ecclesiasticos Scriptores in ordinem digeram ; et quod ille in enumerandis gentilium litterarum viris fecit illustribus, ego in nostris faciam : id est, ut a passione Christi usque ad decimum quartum Theodosii imper. annum omnes qui de Scripturis sanctis memoriæ aliquid prodiderunt, tibi breviter exponam. Fecerunt quidem hoc idem apud Græcos Hermippus Peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir, et longe omnium doctissimus Aristoxenus Musicus : apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus, et, ad cujus nos exemplum vis provocare, Tranquillus. Sed non mea, et illorum similis est conditio : illi enim veteres historias, annalesque replicantes, potuerunt quasi de ingenti prato parvam opusculi sui coronam texere : ego quid acturus sum, qui nullum prævium sequens, pessimum (ut dicitur) magistrum memetipsum habeo? Quamquam Eusebius Pamphili in decem Ecclesiasticæ historiæ libris, maximo nobis adjumento fuerit : et singulorum de quibus scripturi sumus volumina, ætates auctorum suorum sæpe testantur. Itaque Dominum Jesum Christum precor, ut quod Cicero tuus, qui in arce Romanæ stetit eloquentiæ non est facere dedignatus in Bruto, oratorum Latinæ linguæ texens catalogum, id ego in Ecclesiæ illius scriptoribus enumerandis, digne cohortatione tua impleam. Si qui autem de his qui usque hodie scriptitant, a me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis, quam mihi debent imputare : neque enim celantes scripta sua, de his quæ non legi nosse potui ; et quod aliis forsitan sit notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe cum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendio suspirabunt. Discant ergo Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes, discant eorum sectatores, qui putant Ecclesiam nullos philosophos, et eloquentes, nullos habuisse Doctores; quanti et quales viri eam fundaverint, exstruxerint, et ornaverint, et desinant fidem nostram rusticæ tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnoscant. Hactenus Hieronymus Dextro.

Agebat eo tempore Dexter annum ætatis XXIII et licet adolescentiæ metas non excessisset, animo tamen canus senem studiis præ se ferebat; unde et cœperat Chronicon suum Historiæ omnimodæ in gratiam ejusdem Hieronymi texere; quo nimirum ad catalogum scriptorum ordiendum, ipsum excitaret : tametsi rebus militiæ, et imperatorum servitio longo tempore intentus, ingentique memoratarum rerum varietate detentus, finem ipsi nisi post multos annos non valuerit imponere : quando scilicet senio confectus, quietem domi suæ, exteris rejectis muniis, philosophiæ Christianæ exercendæ gratia quæsivit. Inde factum est, ut Hieronymus ejus libri in suo catalogo meminerit, quem anno Domini 393 confecit, et nihilominus ultimam manum imposuerit suo Dexter anno Domini 430 post Hieronymi mortem, ut ex prologo liquet. Quamquam id quoque probabile admodum sit, non eo anno, quo catalogus a Hieronymo elaboratus fuit, Dextri historiam in eo insertam fuisse, sed post aliquot annos, quando videlicet ad ejus notitiam pervenit Dextri lucubratio, et dedicationis propositum; quemadmodum et alios paulatim inseruisse successu temporis, sibi ante incognitos, suo loco dicturi sumus.

Crebrescente ejus fama, tandem ab Arcadio qui Orientis imperium a Theodosio parente hæreditario jure susceperat, ad præfecturam prætorii Dexter evectus est, cui nulla erat toto imperio dignitas æqualis, utpote unde multos ad coronam imperii vocatos ex historiis scimus. Quo anno præfecturam prætorii Dexter præcise inierit non constat; hoc unum tamen liquet, anno Christi Domini 403, quo videlicet S. Hieronymus secundam ad Rufinum dedit Apologiam, præfecturam jam suam explevisse, cum tamen anno illo 393 quo catalogum scriptorum perfecit, nondum ad eam ascendisset : in catalogo enim illo non eo titulo a Hieronymo honoratur, sed simplici usus est nomine : *Hieronymus Dextro. Hortaris, Dexter.* In Apologia vero, *Ante decennium*, inquit, *cum Dexter amicus meus, qui præfecturam administravit prætorii, me rogasset, ut auctorum nostræ religionis ei indicem texerem.* Trigesimo (reor) ætatis suæ anno prætorii præfectus factus fuit : et 33 jam præfectura perfunctus tantopere Hieronymum familiari colloquio et scriptis convenerat, ut ab ipso *amici* titulum meruerit.

Rebus prætorii feliciter administratis, et multis annis in servitio Augustorum Arcadii, et Honorii, ac junioris Theodosii confectis, tandem de eorum licentia in patriam revertitur; ubi tamen quiete optata non diu potiri datum fuit, nam ad regimen Toletanæ urbis assumptus, nonnihil studia cœpta intermittere coactus est. At nec sic omnino ab illis destitit, sed pro temporis opportunitate, antiqua Toleti Tabularia scrutari (quæ sibi admodum proficua fuisse fatetur)

et biennio toto illud suæ patriæ beneficium conferre conatus est, ut inter Barcinonenses et Toletanos intima ac familiaris necessitudo contraheretur, cujus rei perhibet ipse testimonium in Chronico inquiens : *Maxima Toletanorum cum Barcinonensibus necessitudo contrahitur, ex quo civitatem illam ego Dexter biennio rexi; et in tabulariis ejus urbis multa scitu digna reperisse me fateor.*

Inde domum rediens omnimodæ Historiæ finem imposuit anno Christi 430, ætatis vero suæ 62, eamque D. Hieronymo dicavit ac misit : qui tamen ante paucos annos vitam meliorem sortitus apud Superos fuerat ; tametsi ejus rei in Hispanias fama nondum pervenerat ; nam et Idatius ejus temporis in Hispania scriptor, anno Domini 433 scribit : *Quo tempore S. Hieronymus obierit, referentium sermo non edidit.* Morte igitur ipsius postmodum comperta, cum liber ipse ad ejus, utpote defuncti, manus pervenire non posset, alteram ei Dexter imposuit : multisque locis locupletavit et auxit, nam et Hieronymi mortem in eo annotasse constat ad annum Domini 426, et ita tandem amico et consanguineo suo Paulo Orosio Chronicon auctum dicavit : cum ultimam ei imposuisset manum anno Christi 440, currente æra Cæsaris 478, a Roma vero condita anno 1191, ætatis suæ 72, jam incipiente decrepita, ut ipse in calce Chronici asserit. Quid autem in causa fuerit, ut cum ei suscripserit anno 440, historiam nihilominus terminaverit anno 430, et totum decennium silentio involverit, ipse non explicat : existimo autem etiam in hoc Hieronymum imitari voluisse, qui ab ultima pariter decennali historia in Chronico suo abstinuit : quoniam *eo fine contentus* (ait ille) *reliquum temporis Gratiani et Theodosii latioris historiæ stylo reservavi : non quo de vivis timuerim libere et vere scribere, timor enim Dei hominum timorem expellit, sed quoniam debacchantibus adhuc in nostra Barbaris, incerta sunt omnia.* Sic prorsus de Dextro credendum, qui debacchantes Barbaras nationes, nimirum, Alanos, Wandalos, Suevos et Gothos, suismet oculis in exitium Hispaniæ conspexit ; quorum historia latiori stylo scribenda erat, quam Chronicon pateretur, et debacchantibus adhuc in nostra Barbaris, incerta erant omnia. Nam tametsi ab anno Christi 409 Hispanias intrassent, ipsasque Barbari inter se divisissent, ita quod in Gallæcia Suevorum rex Rechila, Hermenerici successor, dominationem exerceret ; et super Gothos Theodoredus, tertius ab Ataulfo regnaret, multasque Hispaniæ provincias possideret ; nondum tamen inde Romani usquequaque ejecti erant, et spes totas recuperandi necdum amissa : quare ultimus rei exspectabatur eventus, historiæ commendandus. Anno ipso 440 (auctore Idatio), Asturius utriusque militiæ dux, ad Hispanias missus, Tarraconensium cædit multitudinem ; anno sequenti cometa apparere cœpit mense Decembri, subsequentem pestilentiæ, et præsentes bellorum plagas portendens. Asturio successor datus est Merobaudis utriusque militiæ dux, natu nobilis, et eloquentiæ merito, vel maxime in poematis studio veteribus comparandus, utroque titulo, Dextro pernecessarius. Demum anno 444 Sebastianus militiæ dux, Constantinopoli fuga lapsus, et ad Theodoredum Gothorum regem veniens, conquisitam sibi, qua potuit, Barcinonem hostis ingreditur. Interea Dexter, non minus patriæ calamitatibus pertæsus quam senio, et laboribus confectus, ab hac luce ereptus est ; quod ejus continuator M. Maximus testatur inquiens : *Æra Cæs.* 482, *anno vero Christi Domini* 444. *Fl. Lucius Dexter pene decrepitus obiit* 10 *kalendas Julii Barcinone ; vir plane doctus, prudens et pius :* eo certe multis præferendus, quod multa quæ ad Ecclesiæ universalis gloriam spectant, solus ipse scripto Chronico posteris patefecit, et in rebus Hispaniæ patriæ suæ dilucidandis plus cæteris laboravit. Floruit etiam in Poetica, ut indicat epitaphium, quod sepulcro Ataulfi regis apposuit, et marmori incidi curavit, prout hodieque ex parte visitur Barcinone ; unde a Vasæo, Morale, Nonio, Puiades exscriptum est : ut ab ipso Dextro ad calcem Chronici ponitur. Porro Chronicon ipsum quod a multis annis latuerat, ex parte repertum est, videlicet a nato Domino usque ad finem, cum tamen ex prologo Auctoris constet, ab orbe condito initum fuisse usque ad annum Domini 430. Prior pars a capite usque ad Christi natalem adhuc cum tineis in pulverulento alicujus bibliothecæ angulo bellum gerit. Faxit Deus ut quandoque lucem videat, ad majorem sui gloriam.

SELECTA VETERUM TESTIMONIA DE FL. L. DEXTRO.

S. Hieronymus.

In libro de Ecclesiasticis Scriptoribus, pene ad finem : *Dexter Paciani, de quo supra dixi, filius, clarus apud sæculum, et Christi fidei deditus, fertur ad me omnimodam Historiam texuisse, quam necdum legi.* De Paciano autem dixerat : *Pacianus in Pyrenæi jugis Barcilonæ episcopus, castitate et eloquentia, et tam vita quam sermone clarus, scripsit varia opuscula.* Omitto epistolam nuncupatoriam ejusdem libri, quam supra apposui. In Apologia II ad Rufinum cap. 6 : *Ante decennium* (ait) *cum Dexter amicus meus, qui Præfecturam administravit Prætorii, me rogasset, ut auctorum nostræ religionis ei indicem texerem.*

Sophronius Græcus scriptor, synchronos Hieronymi.

Δεξτρος Πακιανοῦ, περὶ οὗ προείρηκα, υἱὸς, λαμπρὸς ἐν τῇ πολιτείᾳ καὶ τῇ τοῦ Χριστοῦ πίστει ἐκδεδομένος, λέγεται παντοδαπὴν πρὸς με συντεταχέναι ἱστορίαν, ἣν τινα οὔπω ἀνέγνων.

M. Maximus, episcopus Cæsaraugustanus, Dextri Continuator, obiit anno Domini 616.

Exstat ejus epistola ad Argebatum episcopum Portucallensem, videlicet:

Sancto et venerabili domino Argebato [Al. *Argiovito*] *episcopo Portucallensi, M. Maximus salutem in Domino.*

Cum essemus in urbe regia ad concilium evocati a domino nostro glorioso rege Fl. Gundemaro, sæpe inter nos convenimus; cumque sermo multus esset de historia regum, quam non multo ante in lucem ederam, tunc ad relatum nostrum deduxit sanctitas tua, se velle habere continuationem omnimodæ Historiæ, quam fecit Flavius L. Dexter, quod satis verecunde ab humilitate nostra flagitasti. Et cum tu, pro tua in me benevolentia, et mea in te observantia mihi jubere potuisses, maluit a me sanctitas tua precibus contendere, quod quasi pro jure suo posset imperare, vel potius exigere quod juberet. Sequemur rationem temporum more nostro per æras Cæsaris, et annos Christi, magis quam annos Urbis, Consulum, aut Augustorum. Utinam tam diligenter fecerim imperata, quam conatus sum exsequi libenter! Produxi namque rerum narrationem ab æra Cæsaris 469, *ad æram* 650, *id est, ab anno Christi* 431 *usque ad annum Christi* 612, *paulo post mortem Fl. Gundemari.*

In Chronico vero ad annum Domini 444 egit de Dextri morte. Dedimus ejus verba in Vita Auctoris.

Heleca, episcopus Cæsaraugustanus, vixit anno Domini 860.

Exstant additiones ipsius ad Chronica Dextri, et Maximi, ubi inter cætera de tempore suo loquens, quo nimirum Hispania sub jugo Sarracenorum gemebat, ait: *Sacræ Scripturæ Arabice translatæ a presbyteris catholicis habentur, et cum scholiis circumferuntur: præcipue Novum Testamentum, Epistolæ Pauli. Apocalypsis S. Joannis, et liber de Vitis Patrum, et historia Latina Fl. Lucii Dextri, M. Maximi, et aliorum, et Chronicon Eusebii, et libri de Civitate Dei S. Augustini, propterea quod jam lingua Latina evanescebat.* Vide quo honore habita fuit omnimoda Dextri Historia illis temporibus in Hispania.

Euthrandus, subdiaconus primum Toletanus, deinde Ticinensis diaconus, vixit an. 960.

Exstat ejus epistola pro continuandis Dextri, et Maximi Chronicis, cujus in Bibliotheca Hispana mentio fit, et admittitur à P. Gabriele Vasquez tom. I, in III p. D. Thomæ, videlicet:

Sancto Patri Regimundo episcopo Iliberritano, Euthrandus inutilis servus salutem.

Gratissimum fuit, beatissime Pater, ac domine multum venerande, quod Antipodosis nostra, in qua nunc carmine, nunc prosa ludo, tandem ad manus tuas pervenerit. Nec minus jucundum est quod mihi jubes, ut in Fuldensis monasterii bibliotheca, ubi nunc exsul commoror, quærerem tibi Dextri Chronicon, quod Maximus Cæsaraugustanus episcopus, rogatu Argenbati [Al. *Argioviti*] *episcopi, continuavit, et si vacarem ad nostra tempora perduccrem: nam dicis laborare vos maxima quorumdam librorum penuria. Inter barbaros enim Sarracenos non suppetit copia rerum necessariarum, nedum ut habeatis bonorum librorum copiam. Dolui quidem vicem tuam, quod ita duriter vitam exigas; sed soletur te in tantis angustiis, quod sicut bonus pastor ovibus tuis es solatio et auxilio. Chronicon quod petis, in hac bibliotheca reperi, in vetusta membrana descriptum; adjecique ut jussus sum annorum seriem ad hæc usque tempora, id est, ad æram* 960. *Et gratulor mihi, quod cum Toleto, ubi sub sanctissimo præsule Toletano Bonito subdiaconus fui, in Italiam proficiscerer, aliquos historiæ libros mecum asportavi, in quibus ordine erat series collecta multorum episcoporum, quos et in hac bibliotheca reperi, jussu, ut credo, Sancti Caroli Magni ex Hispania allatos; quos (ut aiunt) illi obtulerat sanctissimus Elipandus archiepiscopus Toletanus, postquam illum erroris sui de Adoptione Christi pœnituit. Feci quod jussisti, beatissime pater; an voto conatus respondeat, tu videbis qui jussisti. Vale, et servum tuum exsulem exsul Deo commenda.*

Ne quis in hac epistola offendat, animadverterim, Auctorem æram cum anno confundere, seu pro eodem sumere, ut multos sui ævi fecisse probat Morales in Antiquit. Constat ex eo quod Euthrandus protraxit Antipodosim suam ad annum Christi 960, tempore schismatis Leonis et Benedicti. Porro Bonitus Toletanus, cujus fuisse subdiaconus dicitur, fuit ejus nominis in sede Toletana tertius, qui, teste Juliano in Chron., electus fuit anno Domini 946.

Hugo Portugallensis episcopus, alter ex auctoribus historiæ Compostellanæ, vixit ad annum Domini 1100.

In codice pervetusto ms. in membrana, characteribus Gothicis exarato, qui exstat in regali cœnobio Sanctæ Crucis Conimbricensis, ad calcem historiæ Sampiri Asturicensis episcopi, reperitur epistola Hugonis episcopi Portugallensis ad Mauritium Bracarensem archiepiscopum scripta, qua respondet ad interrogationem sibi ab eo factam: fuissentne olim in ea sede aliqui apostolici legati per universam Hispaniam? In ea refert ad verbum sententiam ex Chronico Dextri petitam; quæ reperitur ad annum Domini 91, asseritque Dextrum opus suum Orosio dedicasse, ut codex, quem proferimus, habet. Placet autem totam dare epistolam, quod multis locis nobis profutura sit. Eam vero ex autographo traxit doctissimus vir, amicusque noster Gaspar Albarez de Losada, cujus dono eam Ulysippone missam accepimus.

Epistola Hugonis episcopi Portugallensis: Domino meo Mauritio archiepiscopo Bracarensi salutem.

Invenio S. Petrum Ratistensem fuisse in Hispania vicarium S. Jacobi, dum in Britannias et alias provincias perrexit, qua vero potestate, penitus ignoro. Sunt etiam qui dicunt, eadem functum, dum vixit. Hujus vicariæ auctor, et alterius a B. Petro apostolorum principe commissæ, est Caledonius Bracarensis in Vita ejusdem B. Petri [Scil. *Bracarensis*], *quæ cum aliis sanctorum Hispanorum actis, in pervetusto codice*

membraneo scripto de mandato Argioviti quondam hujus sedis [Scil. *Portugallensis*], *episcopi, apud me est : sic enim habet.*

Sanctus Petrus civis Bracarensis, qui et Samuel dictus, a S. Jacobo Joannis fratre, Zebedæi filio suscitatus, in episcopum Bracarensem consecratus est; et ab eo missus, multis ibi ejus generis e tribubus dispersis, et gentiles convertit. Inde digressus Tydæ, Iriæque prædicat, et per totam maritimam oram, ad promontorium usque Cinthium [Id est *Promont. Lunæ* seu *Ulyssiponensæ*] *sive et Ulysseum : instituitque ex discipulis sui magistri, quos secum adduxerat episcopos, Portucalle, Eminio, Conimbricæ, Olysippone, et ultra Nerium promontorium* [Hodie *Cabo de Finis terræ*] *alios; et ad ejus exemplum non in una tantum civitate commorabatur, sed zelo fidei, mediterranea, citra et ultra Tagum, populosque sibi commissos ambiens, Ægitaniæ, Callensiæ, Emeritæ, Ambratiæ, et in aliis Vettonum, et Lusitanorum urbibus verbum Dei disseminat : et transacto ad Pannonias Durio, in Bracaram Augustam rediit. Quindecim mensibus vix fere elapsis, ejus magister Jacobus ad Cæsaraugustam ædiculam excitarat, in honorem Deiparæ Virginis, creatoque inibi Athanasio discessit, et Bracaram venit; ubi sacrat eidem Dominæ, cum Pio Hispalensi, et Elpidio Toletano episcopis, et aliis ex primis ejus discipulis aliam ædiculam in quadam crypta, prope balnea, juxta templum ab Ægyptiis Isidi quondam dicatum. Et inde Brigantio navim transcendens, in Britannias appulit, relicto Bracaræ S. Petro, ejus vicario, et primario inter alios, quos sacrarat in Hispania episcopos.* Hactenus, ut credo, ex Caledonio. Subinfert vero :

De prima Legatia ad Hispanias a B. Clemente missa, sic Dexter Paciani filius in historia ad Orosium, quam in eodem codice descriptam invenio : Philippus cognomento Philotheus, qui prius corpora sanctorum martyrum Gervasi et Prothasii civium suorum Mediolanensium Mediolani sepelierat, conversusque in campo Laminitaneo a B. Paulo Apostolo, illum secutus adhæsit Clementi, a quo legatus missus in Hispanias, Barchinone, Cæsaraugustæ, Valentiæ, Toleti, Hispali, et in multis aliis urbibus prædicat. Au. Cornel. Palma, V. C. sive Toletano, duumviroque Christiano [deest *M. Marcellus*] *Toletum venit, ibique sedem totius Carpetaniæ* [melius *Hispaniæ*] *primariam constituit. De aliis legationibus multa idem Dexter, et Maximus Cæsaraugustanus episcopus. Unde videat Serenitas vestra.....* Cætera deerant in codice unde hæc extraxit Losada, nam ab aliquo plagiario (proh dolor !) ad cooperiendas vetularum colus, folia circiter centum abscissa erant, ut foliorum radices, quæ manserant, patenter indicant.

JULIANUS PETRI archipresbyter Toletanus, in Chronico ad annum Christi 36, floruit 1100.

Ut traditio constans est ab apostolicis hucusque ducta temporibus, multorum etiam veterum Torquati, Ctesiphontis, Honorati, Melantii, Dextri, M. Maximi, Isidori, Bedæ, aliorumque testimoniis, anno Domini 36, *satis honorifica causa, S. Jacobus apostolus Zebedæi filius Hispanias adiit, urbesque omnes ejus lustrat.* Quæ concordant cum his quæ Dexter scribit eodem anno.

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS in libro de Script. Eccles. sub numero 132, ad annum Domini 390, floruit anno Domini 1120.

Dexter, Paciani filius, clarus ad sæculum, et Christi fidei deditus, texuit omnimodam Historiam.

RAPHAEL VOLATERRANUS lib. XV Anthropologiæ, littera D.

Dexter, Paciani præsulis filius, vir clarissimus, et Christi fidei deditus, fertur omnimodam Historiam edidisse, patria Barcinonensibus, Præfectus Prætorii Theodosii principis; cui Hieronymus, qui hæc testatur, librum de Viris illustribus dicavit.

CONRADUS GESNERUS in Catalogo testium veritatis.

Dexter, Paciani filius, clarus apud sæculum, et Christi fidei deditus, ad me omnimodam Historiam texuit, quam necdum legi. D. Hieronymus in Viris illustribus Script. Eccl. quas Dextro huic (ut opinor) inscribit. Sophronius Hieronymo familiaris, qui hunc librum Græce vertit, indicat hunc Dextrum fuisse præfectum prætorio.

ANTONIUS POSSEVINUS societatis Jesu, in Apparatu sacro, littera D.

Eadem habet verba quæ Gesnerus.

JOANNES RIOCHE ordinis Minorum de Observantia : in Compendio temporum, lib. II, cap. 24, col. 1.

Dexter, filius Paciani, Historiam omnimodam ad Hieronymum scripsit.

CÆSAR BARONIUS S. R. E. Cardinalis, tom. IV Annalium Ecclesiastic.

Agens de S. Paciano Barcinonensi episcopo, ad annum Domini 388, subdit : *Ad cujus filium præfectura prætorii insignitum, idem Hieronymus, ut diximus, scripsit librum de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

Anno vero Domini 392 : *Sed est* (inquit) *ut S. Hieronymi lucubrationes singulas in hunc usque annum* XIV *Theodosii imperatoris editas, perfacile enumeras, si quæ ad finem habet in Commentario de Eccles. Scriptoribus leges. Scripsit illum ad Dextrum v. clar. quem præfectura prætorii decoratum fuisse ipse tradit in Apologia contra Rufinum, dum ait :* Ante annos ferme decem, cum Dexter amicus meus, qui præfecturam administravit prætorii, me rogasset, ut auctorum nostræ religionis ei indicem texerem, inter cæteros tractatores. *Scripserat ante idem Dexter ad ipsum Hieronymum historiam, quam ipse testatur his verbis :* Dexter Paciani, de quo supra dixi filius. *Sed ea dispendio quoque nostro periit.*

Anno item Domini 395, tom. V : *Sed et diximus Dextrum præfectum prætorii tempore Theodosii, ejusdem quoque argumenti lucubrationem elaborasse.*

ABRAHAMUS BZOVIUS ord. Prædicatorum, tom. I Historiæ Ecclesiasticæ.

Ad annum Domini 34 adducit verba Dextri, de prædicatione S. Jacobi apostoli in Hispania, deque ejus discipulis : nam jam ad manus ipsius Chronicon ejusmodi, cum scripsit, advenerat.

Consulto recentiorum numerosam catervam auctorum, qui Dextri Chronicon recognoscunt omitto, ne tædium Lectoribus afferam: eorum tamen nonnullos in sequenti Apologia referam.

CHRONICI DEXTRI APOLOGIA,

AD LECTOREM,

Qua ipso in limine admonitus inoffenso cuncta postmodum percurrat pede.

§ 1. *Quæ et quanta, omnimodam hanc Historiam germanum Dextri fetum esse convincant?*

Quod olim scriptis Magni Areopagitæ Dionysii accidit, quæ cum diu latuissent, tandem inventa et in lucem data magno fuerunt Ecclesiæ catholicæ adjumento, id quoque ejusmodi L. Dextri Barcinonensis Chronicis accidit; quæ quidem ante mille et ducentos annos scripta, post multa sæcula in vulgus emissa sunt, ingenti etiam cum fructu (ut speramus) Ecclesiasticæ historiæ. Cæterum quemadmodum illis olim contradictum fuit a nonnullis, quod præter omnium exspectationem quædam affirmarint; ita pariter et in his, quibusdam scrupuli orti sunt, quos nunc operæ pretium erit sedare; ne forsan lector eis absterritus, fidem quam jure promeretur, auctori tanto deneget. Utinam autem Dextro daretur alter Theodorus, quali Dionysius fruitus est, facilius siquidem apud omnes honore merito donaretur; sed eo nihilominus deficiente, si non auctoritate elucidatoris, ratione tamen (qua sola impræsentiarum periculum facere volumus) vires suppeditante, non dubitamus voti compotes evadere; multa enim et magna sunt, quæ id ipsum convincant, de quibus nunc disserendum a nobis est.

Principio nemo est qui abnuat, magni ponderis esse oportere Chronici hujus auctoritatem, si semel de auctore constet, esse Dextrum illum nimirum qui suam omnimodam Historiam Hieronymo nuncupavit: cum siquidem Doctor sanctissimus sæpius vehementer laudat, et multum ei defert, uti ex ejus Vita liquet superius a nobis exarata. Tota igitur causa nostra in hoc versatur, ut ostendamus, præsens opus legitimum mentis suæ partum fuisse. Qua in re quidquid de aliis sit, ii certe, quorum beneficio ad manus nostra Chronica ista pervenere, tanta pollent auctoritate, tanta veritatis sinceritate, ut de re ipsa nullus relinquatur locus dubitandi. Hi sunt RR. patres Thomas de Torralba, et Hieronymus de la Higuera, Societatis Jesu presbyteri, eruditione conspicui; e quibus Thomas, dum in Germania versaretur, Deo auspice, incidit Wormaciæ in codicem pervetustum membraneum, manuscriptum, in quo charactere Gothico exarata erant Chronica Dextri et M. Maximi, tantopere a viris eruditis desiderata. Erat tunc forsan codex ille in manu docti cujusdam civis Wormaciensis, qui ingenue fassus fuit, se eum e Fuldensi monachorum celeberrima bibliotheca accepisse, et pro veneranda antiquitatis historia in eo contenta, plurimi habere (errant qui existimant in cœnobio Fuldensi exscriptum fuisse codicem, et in ejus adhuc bibliotheca permanere, cum tamen Torralba solum asseruerit, quod codex autographus, Fuldensium fuerat). Cum vero nec dono, nec pretio, pater Thomas originalem codicem ab ipso extorquere nequiret, copiam illius ut minimum extrahere obtinuit; quam illico in Hispaniam misit ad P. Hieronymum de la Higuera, cum litteris datis Wormatiæ anno Domini 1594. Litteræ ipsæ et copia Chronici e Germania missæ, a fide dignissimis viris sæpius visæ et lectæ sunt; et ego super re hac conveni Toleti P. Franciscum Portocarrero ejusdem Societatis presbyterum, a quo audivi, vidisse se ac legisse propriis oculis Chronicon et epistolam P. Thomæ de Torralba, cognovisseque manum et suscriptionem ipsius, et utriusque habere copiam apud se: idemque testatur in prologo libri de Vita S. Ildefonsi quem typis excudit Matriti anno Domini 1616. Tantorum igitur testium auctoritas omnem ambiguitatem tollit, cum procul dubio sint omni exceptione majores, utpote doctrina insignes, religione conspicui, zelo veritatis præstantes, et tales quod rebus majoris momenti, quarum alias nutaret fides, pondus auctoritatis præbere valerent. Huc accedit, quod res ipsa non intra privatos parietes acta est, et inde in lucem data, sed ab anno ipso 1594 quod e Germania in Hispaniam Chronicon P. Hieronymo missum, præstantissimis totius Hispaniæ prælatis, doctoribus, et principibus ab eo communicatum fuit, et pro legitimo habitum; ut mirum sit, id ab aliquo in dubium verti posse. Recognoverunt illud inter alios illustrissimi ac reverendissimi domini, *D. Sancius Davila* Gienensis, Segontinus, et Placentinus successive episcopus, in lib. S. Vitalis archipresbyteri Toletani, et martyris, et in opere suo de veneratione reliquiarum: *D. Bertrandus Ladron de Guevara* archiepiscopus compostellanus, vir tota Hispania, Italiaque ob insignem eruditionem notissimus, in lib. de Adventu S. Jacobi: *D. Prudentius de Sandoval* episcopus Tudensis, et Pampilionensis, ac regius historiographus, in lib. Ecclesiæ Tudensis, et *D. Alexius de Menesses* archiepiscopus Bracarensis; et ante ipsum D. Augustinus de Jesu ejusdem sedis antistes, qui ea quæ in his Chronicis ad metropolim suam spectantibus annotantur, ipse in archivis archiepiscopalibus seorsim asservari fecit, quibus alios innumeros addere possem, quorum judicium magni

procul dubio ponderis esse publici ipsorum actus et scripta testantur.

Subdubitant nihilominus nonnulli, eo quod nihil de his Chronicis auditum hactenus esset in Hispania, et a nemine antiquorum citarentur, cum tamen inibi potius quam in Germania, aliisve externis provinciis, utpote in ea scripta, et elaborata, servari debuissent, et ab eruditis Hispanis legi, et publicari. Sed vellem ego, ut aliis multis Hispanorum antiquorum libris hæc ipsa objicerent, qui extra Hispaniam inventi typis dati sunt in bibliotheca Vet. PP. Sit in exemplum Chronicon Idatii, quod ab Hispania perierat, et tamen ab Henrico Canisio primum in Germania inventum, excusum fuit, deinde in Gallia a Josepho Scaligero, demum Parisiis multo locupletius a P. Jacobo Sirmondo societatis Jesu. Notarim obiter in hoc auctore, quod ut fidem codici suo conciliaret, sufficere credidit, dicere : *Nuper Romæ vulgari cœptum est, ex antiquo videlicet codice nostro, quem qui Romanam editionem curavit, quia Parisiis esse audierat, Parisiensem appellavit; nos Metensem potius dicturi eramus, quod Metis olim exscriptum arbitremur; inde certe ad nos ex monasterio non ignobili, nec obscuro pervenerit.* Quanto majori, quæso, auctoritate Dextri Chronicon evulgatur, quod non solum ex codice, urbe, et cœnobio non obscuro, nec ignobili exscriptum arbitramur, sed de his omnibus certa nomina, et probatos testes præbemus? Verum (ad rem) quod in Hispania Chronica ista modo non reperiantur, parum refert, cum Sarracenicæ cladis tempore compertum sit, Catholicos libros suos in alia transtulisse loca, quo secura a barbarica rabie rederentur, eo sane modo quo de S. Donato legimus apud Ildefonsum lib. de Scriptoribus Eccles. tempore persecutionis Wandalicæ in Hispaniam multam librorum supellectilem navigio impositam adduxisse. Sic et codex noster ad Germaniæ partes cum aliis libris translatus fuit : ejusque rei simul cum ipso inventum est perspicuum testimonium, epistola videlicet Euthrandi ad Regimundum Iliberritanum episcopum, ad cujus calcem hæc scribit : *Gratulor mihi, quod cum Toleto, ubi sub sanctissimo præsule Toletano Bonito subdiaconus fui, in Italiam proficiscerer* (id accidit circa annum Domini 940, quo tempore major Hispaniæ pars sub Agarenorum jugo gemebat), *aliquos historiæ libros mecum asportavi, quos et in hac bibliotheca reperi* (loquitur de Fuldensi) *jussu, ut credo, S. Caroli Magni ex Hispania allatos, quos illi obtulerat sanctissimus Elipandus archiepiscopus Toletanus.* Idem scribit Julianus Petri in epistola ad abbatem Fuldensem : *Allati* (ait) *sunt multi hinc* (Toleto) *ad vos libri, per Gumesindum archidiaconum, et Lupum Figueram Mozarabum, virum primarium, oratores Elipandi archiepiscopi Toletani.* Porro hæc epistola cum Chronico ipsius Juliani erat apud D. Antonium Augustinum archiepiscopum Tarraconensem ; ipse vero Ticini eam acceperat, ut viri magnæ auctoritatis testantur, ejusque et Chronici exemplum egi ego Toleti in bibliotheca domini comitis de Mora. Ut interim sileam Sarracenos non solum in Christianos, sed in eorum etiam libros movisse persecutionem, quod S. Eulogius scribit in Memoriali, quo tempore libros omnes oportuit vel abscondere, vel foras mittere : et dubium non est multos persecutionis rabie periisse.

Longe etiam a vero aberrant, qui existimant, usque ad annum præfatum 1594, quo P. Torralba eum in Hispanias misit, numquam ab aliquo cognitum, aut lectum fuisse Dextrum; quando quidem regum Gothorum temporibus a M. Maximo Cæsaraugustano episcopo Chronicum ipsum continuatum est usque ad annum Domini 612. Quod si S. Isidorus solius Maximi meminit in lib. Script. Eccles. seu Virorum illustrium, et non Dextri, idcirco fuit, quia Dexter erat jam eidem catalogo a D. Hieronymo insertus, Maximus vero non erat. Rursus tempore Sarracenicæ cladis ad annum Domini 960 iterum continuatum est ab Euthrando subdiacono Toletano, cujus et Maximi opuscula simul cum Dextro ex Fuldensi codice exscripta fuere, et missa in Hispaniam : tametsi Euthrandus adhuc excusus non sit, quia ad manus R. P. Joannis Calderon promulgantis Cæsaraugustæ cætera, non pervenerat. At de his æque forsan aliquis adhuc dubitat? habeo viciniora testimonia quæ idem convincant. Conimbricæ in bibliotheca regii conventus S. Crucis ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, in Codice pervetusto characteribus Gothicis exarato in membrana, Chronicon Sampiri Asturicensis episcopi continente, adest epistola Hugonis episcopi de Portu, unius ex auctoribus historiæ Compostellanæ, scripta ad Mauricium Bracarensem episcopum, in qua affirmat, Chronicon Dextri ad Orosium scriptum, cum Maximi continuatione, esse apud se, in codice ms. in membrana pervetusto ; et quædam verba de Dextri Chronico adducit : ait siquidem inter cætera : *De prima legatia ad Hispanias a B. Clemente missa, sic Dexter, Paciani filius, in historia ad Orosium, in eodem Codice (qui apud me est) descriptum invenio. Philippus cognomento Philotheus, qui prius corpora ss. martyrum Gervasii et Prothasii civium suorum Mediolanensium, Mediolani repelierat ; conversusque in campo Laminitaneo a B. Paulo apostolo, illum secutus adhæsit Clementi : a quo Legatus missus in Hispanias, Barchinonæ, Cæsaraugustæ, Valentiæ, Toleti, Hispali, et in multis aliis urbibus prædicat.* Quæ sane verba exstant in codice Dextri ad verbum anno Domini 91. Ejus rei authenticum præbet testimonium in instrumento publicæ fidei Gaspar Albarez de Losada notarius apostolicus, et archivi regalis Portugalliæ, *Torre de Tombo* nuncupati, secretarius, atque regiorum patronatuum in eodem regno reformator, sub Datis quarto die Martii, anni 1622, quod testimonium sæpius vidi et aliquandiu apud me habui, Romam missum in favorem Officii proprii S. Liberatæ, quod a sacrorum rituum congregatione instanter exigit S. Segontina Ecclesia ; nec difficile erit epistolam ipsam Conimbricæ adire, et legere in originali, cujus nos inter auctoris elogia

transumptum protulimus. Floruit vero Hugo Portuensis anno 1100, ut ex historia Compostellana convincitur. Non video quid huic argumento responderi probabiliter queat.

Addam ejusdem sæculi auctorem Julianum archipresbyterum S. Justæ Toletanæ, qui adfuit recuperationi ejusdem urbis ab Alfonso VI, Castellæ rege, obtentæ, anno Domini 1065, cujus Chronicon e codice quodam bibliothecæ illustriss. D. D. Antonii Augustini exscriptum ex Chronicis Dextri et Maximi pro majori parte compactum est, ut in his Commentariis sæpius probabimus : et specialiter propriis eos designat nominibus, cum ad annum 36 scribit adventum S. Jacobi in Hispaniam; ejus verba sunt: *Ut traditio constans est ab apostolicis hucusque ducta temporibus, multorum etiam veterum, Torquati, Ctesifontis, Honorati, Melantii, Dextri, M. Maximi, Isidori, Bedæ, aliorumque testimoniis, anno Domini* 36, *satis honorifica causa, S. Jacobus apostolus Zebedæi filius Hispanias adiit.* Auctores ante Dextrum relatos, ab ipso Dextro procul dubio mutuavit, qui cujusque operum meminit.

Et ut propius accedamus, viri fide dignissimi asseverant, Chronicorum Dextri exemplum ante annos 200 fuisse apud D. Petrum Pecha Gienensem antistitem, cujus dono illud diu possedere R. R. patres Hieronymiani monasterii Cyssæ prope Toletum consistentis, in eoque constitisse, quousque inter alios codices librario cuidam venditum fuit, a quo tandem pretio decem ducatorum emit ipsum Joannes de Vergara Toletanus canonicus, qui ante non multos annos mortuus est: liber vero in ejus morte disperiit. Ita prorsus asseveranter affirmant P. Porto Carrero, et verbotenus mihi facto, et scripto in Vita S. Ildefonsi, Escolanus in histor. Valentiæ lib. II, cap. 1, Dec. 1, Losada in relatione prædicta, Carrillus in Vitæ S. Valerii Cæsaraug. episcopi, et alii.

Et quid moror? Dominus Laurentius de Padilla archidiaconus de Ronda, et Caroli V imp. historiographus, Dextri Chronico in multis locis operis sui de Sanctis Hispaniæ usus est (idemque dicendum existimo de Ferdinando Perezio Guzmano, in Valerio suo historiarum), quando quidem multorum sanctorum meminit, quorum patrium solum a Dextro mutuasse perspicuum est, verbi causa: Sanctos martyres, Honorium, Eutychium, et Stephanum Astæ in Hispania pro fidei testimonio occubuisse, nemo præter Dextrum affirmarat; id tamen Padilla affirmat, a quo Morales, et cæteri moderni acceperunt, quos Baronius refert die 21 Novembris. Similiter dicendum de S. Fide virgine Agenni, in Gallia passa, quam omnes Gallam ante Padillam existimabant; et ignorabant sociam habuisse in agone et corona S. Sabinam, Hispanam pariter virginem; utrumque tamen a Dextro acceptum fuit. Idem de aliis sanctis reperitur.

Sed demus gratis hæc omnia omnimodæ Historiæ Dextri auctoritatem stabilientia deesse nobis argumenta; Historia nihilominus ipsa et quæ in ea continentur abunde satis germanam esse convincunt. Res in ea contentæ sinceritatem et antiquitatem auctoris redolent, gravitate et perspicuitate plenæ sunt, nihil non dignum memoria, nihil vulgare, rarissima multa, et hactenus inaudita; quæ omnia auctoris nondum evulgati argumenta sunt: stylus purissima eloquentia pro captu materiæ plenus, ut decebat ævi eloquentissimi Palatinum hominem, et civem nobilem, Romanorumque imperatorum in præfectura prætorii ministrum, D. Hieronymi familiarem, et præclare ab eo laudatum. Indeque argumentum in favorem M. Maximi, et Euthrandi, ac Juliani desumi potest, quo enim a vetustate plus defecerunt, eo pariter passu puritas ac splendor Latini idiomatis in eis deficit; multo enim ab eloquentia Dextri distat Maximus, et paulo adhuc amplius cæteri, quo tenore certum est sensim eloquentiam Latinam defecisse, ut, collatis inter se auctoribus utriusque sæculi, quivis facile judicabit. Quod si ejusmodi Chronica diversorum auctorum spuria essent et supposita, et ab uno aliquo veratore conficta, fieri nequiret ut, quandoque suimet oblitus, gradus ipsos eloquentiæ divisim prædictis auctoribus debitos, non misceret: et si (quod in Dextri Chronico comprobatur) eloquentia præditus erat, impossibile fuisset, toto Maximi, et Euthrandi Chronico perseveranti tenacitate sensim ab ea deficere. Multa quoque in præsenti Historia Dextri referuntur, quæ aliunde sciri nequiverunt, ut Commentarios nostros intuenti perspicue demonstrabitur; nunc duo aut tria illorum in exemplum adducere satis sit. Anno Domini 57 de nonnullis S. Jacobi apostoli discipulis asseritur Iliberri sub judice Aloto, Neronis ministro, flammis exustos fuisse pro confessione nominis Christi Jesu, loquitur vero de SS. Cæcilio, Ctesiphonte, Iscio et aliis: quorum martyrii forma, videlicet, quod per ignem consummati fuerint, omnibus ignota erat, quinimmo et martyrium ipsum sub lite; nam a vetustissimo tempore uti pontifices confessores credebantur, et celebrabantur. Dices forsan id ex plumbeis laminis Sancti Montis Grannatensis, quæ idem asseverant, accipi potuisse. Sed nihil minus; quin potius, Dei providentia factum est, ut prius Dexter e Germania in Hispaniam descenderet, quam Sancti Montis thesaurus inveniretur, et effoderetur, Dexter siquidem venerat anno Christi Domini 1594, ut manifeste comprobatur ex litteris P. Torralbæ, et ex omnibus quæ nunc exstant Chronici copiis, eoque ipso anno evulgari cœpit: at vero laminæ Grannatenses anno sequenti 1595 repertæ sunt, quæ a tempore Neronis latuerant; altera quidem die 22 Martii hæc continens verba : *Anno* II *Neronis imp. Martii kalendis, passus fuit martyrium in hoc loco Illipulitano, electus ad hunc effectum S. Iscius, apostoli Jacobi discipulus, cum suis discipulis Turillo, Pannuntio, Maronio, Centulio per medium ignem, in quo vivi combusti fuerunt, æternam vitam petentibus transivere; ut lapides in calcem conversi fuerint: quorum pulveres in*

hujus sacri montis cavernis jacent. Eodem mense reperta est alia ænea tabula, hæc continens verba: *Corpus ustum S. Mesitonis martyris. Passus est sub Neronis imp. potentatu.* Decima Aprilis reperti sunt pulveres sacri S. Ctesiphonis, cum plumbea tabella, et die 30 ejusdem, reliquiæ S. Cæcilii, cum sua. Mira igitur Dei providentia accidit, ut Dexter præveniret tabularum illarum ac sacrarum reliquiarum inventionem, quo nimirum invicem sese confirmarent, et Dexter thesauro Illipulitani montis fidem faceret, et nunc ipse mutuo ab eodem acciperet.

Ad hæc anno Domini 71 agit auctor de accessu S. Onesimi ad Ilispanias cum S. Polyxena Hispana, et S. Sara ejus socia, discipulis in Achaia S. Andreæ apostoli; quod tamen a nemine integre scriptum reperitur, ut Dextro tribui posset. Non diffitemur menologium Græcorum ad 25 Septemb. secundum translationem cardinalis Sirleti, agere de S. Polyxena S. Andreæ discipula, quæ cum Rebecca virgine in Hispaniam reversa est, et in textu ipso Græco originali agitur etiam de accessu S. Onesimi cum eis, quod Sirletus tacuit, ut suo loco notamus: cæterum inde deduci non potuit quidquid Dexter hoc loco asseverat; si enim inde deduceretur hujusmodi historia, haud dubium veterator scriberet, Onesimum cum Rebecca, et Polyxena in Ilispanias ivisse, ut ibidem asseritur a Græcis; nunc autem socia Polyxenæ non dicitur Rebecca, sed Sara: quare cogimur affirmare canonem istum historiæ auctoris nostri non esse recens e Græcorum menologio, aut aliunde suffuratum, sed ab eo concinnatum, qui menologium ipsum præcederet, et ex historiis, ac testimoniis vetustioribus acceperit.

Rursus ad annum Domini 255 agitur de Felice illo notissimo, qui in causa Basilidis Asturicensis episcopi, et Martialis Emeritensis scripsit ad S. Cyprianum; ejus vero memoria si a moderno scriberetur auctore, ut antiquo tribuatur, dubium non est, quin cum communi Scriptorum placito, ne in re videlicet manifesta a vero deviaret, vocasset ipsum, episcopum Cæsaraugustanum; Cyprianus etenim de ipso inquit: *Et ut alius Felix de Cæsaraugusta fidei cultor, et defensor veritatis, litteris suis significat.* Nunc vero auctor noster non vocat eum episcopum, sed presbyterum, nec de Cæsaraugusta, sed de Vallata urbicua, quod certe nisi ab antiquissimo scribi non potuit, nam moderni omnes concorditer primum illud asseverant. Ut autem suo loco perspicue ostendemus (ad ann. Domini 255), Felix ille presbyter fuit Vallatæ Urbicuæ in Vaccæis, non longe ab Asturicensi urbe, cujus Ecclesiæ causam in suis litteris apud sanctum Cyprianum egit: et omni fundamento destituitur assertio episcopatus Cæsaraugustani; quod dante Deo persuadebimus.

Idipsum ex erratis, defectibus, et superfluitatibus hujus codicis evidenter convinci potest. Quis enim de novo Chronicon scribens, ut doctissimo auctori supponeret, non curaret, ea quæ communiter recepta sunt non alterare, nihil incredibile illi ascribere, et absque mendis et erratis illud dare in lucem? Quis res notissimas, et patriam auctoris concernentes omitteret? Quis quædam replicaret, quædam detruncata relinqueret? Quis nomina propria virorum a Dextro notorum subdubia nomenclatura donaret? In his tamen omnibus codex noster multis scatet mendis et defectibus. Multa aliter quam a recentioribus existimantur hic scripta sunt, tametsi nihil præter rationem, nihil tanto auctore et antiquitate indignum, quod ex professo commentaria nostra propugnant. Sed demus erratorum exempla, quæ tu, lector, quæso, judices, an ab aliquo neoterico fingi potuerint. Qua in re non minimum deferri debet R. P. Calderoni, dum omnibus suis scatens mendis, Chronicon istud in lucem dedit; nullum siquidem majus testimonium in Dextri favorem adduci poterat, nullum tantam vetustatem probaret, quam codex ipse nullo labore et correctione expolitus. Sumamus nunc inde argumenta. Anno Domini 34 codex sic habebat: *Floret per id tempus in Hispania C. Oppius C. F. C. pater centurio, qui morientem Christum prædicat Hierosolymis esse Filium Dei*, ubi illæ notæ, *C. Oppius C. F. C. pater centurio*, ut jacent, nullum sensum reddere possunt, nam C. Oppius non fuit Caii filius, nec pater centurio; sed fuit centurio filius Cornelii pariter centurionis: et pater centurio non prædicavit Christum morientem, sed ipse C. Oppius. Quare necessario sic verba illa reddenda sunt: *C. Oppius cent. F. Corn. pariter centurio:* ut sit sensus; *Caius Oppius centurio, filius Cornelii pariter centurionis, qui morientem Christum prædicat*, etc. Idque necessario credendum alia Dextri testimonia convincunt. Ergone de industria poterat tam turpiter locus iste depravari? Certe multos exscriptores oportuit concurrere ad tantam deturpationem conflandam, e quibus recentiores ignorantiam præcedentium in pejus commutarent.

Accedat aliud exemplum multo adhuc manifestius. Anno Christi 300 ita legebamus in codice Dextri qui exstat: *Seori in Cantabria S. Centolla civis Toletana, consulis Lucii Ragonis Quintiani filia. C.*

Cataniæ passa est sub hujus patre L. Quintiano fortissima virgo S. Agatha, passa cum Helena vidua, in persecutione Diocletiani. Nihil hoc loco depravatius: sic enim lectus multa absurda complectitur; videlicet, quod sancta Agatha passa sit in persecutione Diocletiani, quæ tamen sub Decio ante 50 annos martyrio coronata fuerat: et quod sancta Helena vidua non in Ilispania, sed Cataniæ passa sit, sociaque in agone fuerit sanctæ Agathæ, quæ tamen, ut omnes scriptores concorditer fatentur, socia fuit S. Centollæ Hispanæ virginis; quod etiam in Romano martyrologio asseritur die 13 Augusti: et quod S. Centolla martyrio coronata non sit: ut demus litteram illam *C.* in fine prioris clausulæ nullum reddere sensum: et tamen ita legi debet, ut ex utraque una solum periodus constituatur, et *C.* non sit littera, sed signum parenthesis, qua totum illud, *Cataniæ passa est sub hujus patre L. Quintiano fortissima virgo S. Agatha,*

claudendum est; et sic Helena cum Centolla jungitur, et utraque martyrio coronata asseritur sub Diocletiano, non vero sancta Agatha, in hunc modum: *Seori in Cantabria S. Centolla, civis Toletana, consulis L. Ragonis Quintiani filia* (*Cataniæ passa est sub hujus patre L. Quintiano fortissima virgo sancta Agatha*), *passa cum Helena vidua, in persecutione Diocletiani.* Cujus sensus facilis est et perspicuus. Certe tantus error committi non potuit nisi ab ignarissimo amanuensi, vel immoderatius de se præsumente; qui dum vicinas sententias ab alicujus urbis nomine incipere observavit, credidit etiam a Catania sententiam incipere, et sicut legebat, *Tarracone coronæ sanctorum martyrum. Carthagine S. Concessa. In civitate Soliensi S. Marcellus. Seori S. Centolla;* et innumera hujusmodi; ita quoque credidit dicendum fuisse, *Cataniæ passa est S. Agatha:* non advertens præcedentem sententiam dimidiatam relinqui.

Insuper ad annum 429 Toletanus antistes vocari dicitur *Martinus*, vel *Majorianus*, et anno 430 pontifex Cæsaraugustanus vocatur *Valerius*, vel *Valerianus;* in quo sane (quod ad alia quoque loca ostendimus in Commentariis) varietas lectionis ex depravatione amanuensium orta, in textum immissa est; quosdam enim lectionem veram ignorantes ad marginem unam, et in textu alteram annotasse, res ipsa convincit, uti in omnibus antiquis scriptoribus fieri conspicimus: alias enim quonam pacto auctor sui sæculi, et patriæ præclarissimos antistites ex nomine saltem non cognosceret? aut quis recentior cui data esset fingendi potestas, id Dextro tribueret? nisi forsan insaniret, et vellet omnium judicia contra se concitare.

Adhæc incredibile est, S. Vincentium martyrem, et S. Eulaliam Barcinonensem omitti potuisse a recentiore, qui vellet Dextro opus recens imponere; nam Vincentio illustrior, et notior ex martyribus nullus erat, et Eulalia ex urbe ipsius Dextri fuit: ut alios ex notioribus Hispanis omittam, qui a codice absunt. Nemo certe sanæ mentis, qui exquisitiores martyres intexuit vulgatiores abnueret. Ex quo manifestum fit hos non esse scriptoris defectus, sed exscriptorum: qui in opere moderno locum habere non possunt, sed in antiquissimo; in quo nimirum dum longo temporum decursu a variis transsumptum est, multi novique in dies defectus, seu oblivione, seu celeritate amanuensium, admissi fuere. Nullus notissimorum martyrum (ut par est credere) a Dextro prætermissus est, sed oscitantia librariorum multi, quemadmodum eorumdem vitio verti debent transpositiones, et replicationes quarumdam sententiarum, de quibus jam diximus; cui enim semel omissæ fuissent et restitui deberent, errore factum est, ut quæ prius in margine restitutæ fuerant, postmodum ab alio exscriptore loco indebito intermixtæ sint.

Redeo ad ipsam præfationem, seu dedicatoriam epistolam, quæ ad Paulum Orosium scripta legitur. Quis tam hebes, ut non videat, cum qui vellet Chronicon Dextri fingere, D. Hieronymo opus omnimodis dicaturum? unde, quæso, aut quare Orosius ei in mentem veniret, et Hieronymum, cui Chronicon dicatum legebat (apud ipsum lib. de Scrip. Eccles.) renueret? et quonam pacto Chronicon ultra annum 14 imperii Theodosii principis produceret, cum legeret apud eumdem Hieronymum librum de Scriptor. scriptum a se 14 Theodosii anno? nunc vero Dextri Chronicon multos inde annos excedit, id est, ab anno Christi 393, qui fuit 14. Theodosii, usque ad 13 Theodosii Junioris consulatum, et Christi Domini 430. Nemo certe a Hieronymi testimonio, vel latum unguem discederet, cum nihil fere aliud apud vulgatos auctores de Dextro scriptum reperiretur, quod sequi quasi cœleste sidus oporteret. Cum ergo valde ab scopo proposito, quem absque dubio quisque recentior sequeretur, longe auctor discedat, consequens est, ut recentioris esse figmentum omnimodis inficiemur, et suo auctori germano restituamus opus.

Mirum est quantum hominum ingenia inter se dissideant; nam ex iisdem floribus quidam mel, quidam vero fel et venenum eliciunt, quemadmodum apibus et vespis accidit: et idipsum nobis objiciunt, quo eos infestamus. Inde igitur improbari existimant Chronici hujus auctoritatem, quod ad Hieronymum scriptum non sit, quod multis scateat mendis, quod quædam præter omnium notitiam et exspectationem contineat: quasi vero non multo magis hæc ipsa antiquitatem et germanitatem auctoris convincant: ut modo expendebamus; nam si in auctore mille et duo centos annos excedente, cujus opus tot sæculis delituerat, nihil non vulgare reperiretur: si codex ejus nullibi mendosus esset, nusquamve difficultatibus implicitus, quis non de ejus vetustate diffideret? ergone tam iners, et ignavus fuisset, ut nihil peculiare assereret; tam purus, ut ab exscriptoribus maculari non posset; quod nec ipsis sacris libris concessum fuit? Alii verisimiliora opponunt, quibus nunc operæ pretium est satisfacere.

§ II. *Nihil esse quod hujus Chronici auctoritatem enervare queat.*

Quæ hactenus adversus germanitatem hujus Chronici ab ejus detractoribus inventa sunt, tametsi varia et multa, juxta ingeniorum diversitatem, possumus nos claritatis gratia, ad tria reducere capita: 1° Objicitur quod non correspondet conditioni, et qualitatibus auctoris. 2° Quod nec titulo a Dextro ipsi apposito; 3° Quod historia ipsa in se congerit multa tanto auctore indigna, et nonnulla eorum sunt multo recentiora ipso auctore: et ex his omnibus spuriam et suppositam volunt convinci. Sed caveant, quæso, ne de ipsis illud Judæ apostoli dici queat: *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant; quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Væ illis.* Nec mirum, cum sint *Nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur,* utpote quæ exterminium minantur, et interitum, sed post tonitrua et fulgura, in ventos resolvuntur, et flatus: *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradi-*

catæ, nimirum quia fructus pomposa frondositate promissos non dederunt : *Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones ;* dum videlicet tempestatem a longe minitantes, in spumam illico, in littoris accessu, deficiunt cum non minima sui confusione : *Sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum*, quia cum ad justitiam et veritatem possent multos, velut stellæ fixæ, in perpetuas æternitates erudire, et suis dominis et auctoribus opuscula quæque tribuere ; perpetuo tempestatem instar errantium siderum concitant ; et tamen ipsis solis procella tenebrarum servata est, cæteris in luce et quiete permanentibus. De iis profecto illud Hieronymi ad calumniatores sui Chronici dicere possem : *Non ignoro multos fore qui, solita libidine detrahendi omnibus (quod vitare non potest, nisi qui omnino nihil scribit), huic volumini geminum dentem infigant : calumniabuntur tempora, convertent ordinem, res arguent, syllabas ventilabunt ; et quod accidere plerisque solet, negligentiam librariorum ad auctores referent. Quos cum possem meo jure reperculere, ut si displicet non legant ; malo tamen breviter placatos dimittere,* eorum objectiones per capita singula dissolvendo.

Primo objicitur, opus non correspondere auctori, nam Dextrum oportuit Chronicon suum absolvisse ante Theodosii annum, seu 393 a nato Domino, utpote cum ipsius meminerit D. Hieronymus in lib. de Scriptor. Eccles. eo anno elaborato, ut ex ipso constat : et tamen codex nunc evulgatus usque ad annum Dom. 450 historiam protrahit ; immo in calce ipsius dicitur scriptus ann. 440, incipiente auctoris ætate decrepita. Insuper incredibile videtur, idcirco Orosio dictatum, quia ad manus Hieronymi pervenire non potuit, quod forsan desumptum fuit ex illo ipsius S. Doctoris, *Fertur ad me omnimodam Historiam texuisse, quam necdum legi :* et tamen ab anno 393 quo Hieronymus id dixit, 27 adhuc supervixit annos (seu etiam plures aliquot), cum obierit anno Domini 420, ut communis fert opinio, vel 426, ut hoc in Dextro asseveratur. Quis vero credat, tot annorum spatio Dextri Historiam ad manus Hieronymi non pervenisse? Accedit quod asseritur Dexter præfectus fuisse prætorio, in quo tamen (aiunt) duo Dextri confunduntur : is enim qui librum scripsit, eo munere functus non fuit, sed cui liber de Script. Eccles. dicatus est; et alter Hispanus fuit, utpote Barcinone natus, alter Romanus, utpote ad quem Hieronymus in proœmio inquit : *Itaque Dominum Jesum Christum precor, ut quod Cicero tuus, qui in arce Romanæ stetit eloquentiæ, non est facere dedignatus in Bruto, oratorum Latinæ linguæ texens catalogum, id ego in Ecclesiæ illius Scriptoribus enumerandis digne cohortatione tua impleam.* Eo siquidem Dextro dicitur Cicero suus, quod ambo Romani essent.

At hæc facilem habent solutionem. Placet nonnullis, quod Hieronymus ait, se 14 Theodosii principis anno librum illum absolvisse, intelligendum esse de Theodosio Juniore, cujus annus imperii 14 incidit in annum Domini 415, a quo usque ad Hieronymi mortem non interfuere tot anni, ut mirabile fuerit, librum in Hispania scriptum, ad Hieronymum in Bethleem commorantem dum adhuc viveret, remitti non potuisse; præsertim illis calamitosis temporibus, quibus totus fere orbis, nedum Hispaniarum regna, incursione Alanorum, Wandalorum, Suevorum et Gothorum in maxima erant confusione. Sed demus de Theodosio Magno et Seniore loqui Hieronymum, et vere librum suum de Script. anno Domini 393, perfecisse; quis tamen non videat, post absolutum semel catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum, alios decursu temporis addidisse, qui ad ejus notitiam nondum venerant? et certe aliquos in dies, reliquo vitæ suæ tempore, ante minime notos, agnovisse, et aliorum qui post annum illum lucubrationes suas evulgaverunt, scripta et nomina sibi succedente tempore nota, negari non potest. Quo semel dato, similiter fateri oportet, auctores recens inventos, seu evulgatos catalogo suo adjunxisse, cum ad illud eadem ratio cogeret, quæ ad scribendum catalogum movit Hieronymum. Quod autem quosdam auctores de novo priori catalogo addiderit, exemplo manifesto convincitur in sancto Gregorio Iliberritano, qui sane eidem insertus reperitur, et tamen post duodecim, ut minimum, annos librum suum de Fide contra Arianos scripsit, utpote quem dicaverit Gallæ Placidiæ Augustæ uxori primum Ataulphi Gothorum regis, et postmodum Constantii Cæsaris, ex quo Valentinianum Juniorem peperit imperio, anno Domini 419. Quis autem monstrare poterit identidem in Dextro non accidisse? semel vero possibilitate monstrata, factum ipsum ex catalogo Hieronymi, et anno scripturæ Dextri convincitur. Præterquam quod Hieronymus non affirmat ex certa scientia Dextrum ad se scripsisse omnimodam Historiam, sed ex aliorum relatione : nam ait : Fertur ad me omnimodam Historiam texuisse, quam necdum legi : facile tamen fuit Chronico nondum perfecto, ex relatione asserentis Dextrum scribere in gratiam ipsius, ejus librum a Hieronymo fuisse annotatum ; et nihilominus non fuisse statim omnimodis perfectum, nec in lucem missum ab auctore, sed post multos annos.

Adhuc si quis reluctatur, non amplius contendam, post semel perfectum catalogum, Dextrum fuisse inser tum. Sed quid si librum suum Dexter inceperit juvenis, cum 22 agebat annum (ejus ætatis erat anno 14 Theodosii Senioris), et paulatim pro temporis commoditate prosecutus fuerit, ac tandem senex anno Christi 430 absolverit? Augustinus certe Trinitatis libros senex absolvit, sed juvenis cœpit : et quidam ex recentioribus in exiguo admodum Aphorismorum morallum volumine 30 consumpsit annos. Id quod in Dextro probabilius facit, militare, quod gerebat, munus, et negotia sæcularia quibus a juventute addictus fuerat. Nec enim Scriptoris officium primas in Dextro partes vindicavit, sed militia et præfectura : quibus præcipue intentus, recreandi animi gratia, rerum ecclesiasticarum studiis ab in-

euute ætate deditus, nonnihil quod supererat temporis, illis concedebat. Unde primum quidem a D. Hieronymo *Clarus apud sæculum* nuncupatur, ac deinde *Christi fidei deditus;* quinimmo et ipse ad Orosium scribit, ut ea studia consummaret, in quibus bonam vitæ suæ partem transegerat, domum rediisse, tædio munium publicorum affectum, ibique omnimodam Historiam perfecisse, usque ad annum Christi 430, et eam Hieronymo dicasse. Cum ergo ante prædictum annum 393, seu 14 Theodosii principis, Chronicon suum in juventute cœpisset, ut Hieronymo dicaret, facile potuit eo ipso anno illius a Hieronymo memoriam fieri, saltem ex relatione. Neque vero quis existimet non multo indiguisse tempore ad ejusmodi opusculum perficiendum, quod exiguum volumine sit; res enim in eo contentæ multam, longamque ætatem in auctore pro sui verificatione poscebant; et rusticorum est, res magnitudine dumtaxat æstimare, et non potius valore, et virtute. Tute, lector, quanti habendus libellus sit, ex lectione cognosces.

Illud tandem quod de multiplicatione Dextrorum asseritur, gratis omnino dictum est, et sine fundamento, cum nec in nomine, nec in tempore, nec in re alia discordia sit : quod enim Hieronymus Dextrum alloquens, Ciceronem vocarit suum, non ad patriam, sed ad professionem eloquentiæ, in qua Dexter excellebat, et quem præ cæteris, ut ex opere apparet, imitabatur, respectum habet; quod satis innuitur, cum subjungit, *Cicero tuus, qui in arce Romanæ stetit eloquentiæ.* Quod vero cum de auctore Chronici egit non voçaverit cum præfectum prætorio, non sufficit, ut asseramus alium ab ipso præfectum fuisse; nam etiam cum ei dicavit opusculum de Script. Eccles., non apposuit officii titulum, sed simpliciter dixit : *Hieronymus Dextro. Hortaris, Dexter, ut Tranquillum sequens;* id a nonnullis fecisse creditur, dum dixit, quod erat *Clarus apud sæculum :* ut ego existimo, quia nondum eo fuerat officio cohonestatus a principe, sed in aliis militiæ officiis exercebatur. Post decennium autem cum secundam adversus Rufinum Apologiam composuit, titulum nominis adjecit, inquiens : *Ante annos ferme decem, cum Dexter amicus meus, qui præfecturam administravit prætorii, me rogasset, ut auctorum nostræ religionis indicem texerem;* videlicet quia jam eo officio functus fuerat : quemadmodum etiam a Sophronio titulus nomini adjunctus est, cum librum de Script. in Græcum verteret, ut Erasmus in notis advertit; unde postmodum iterum e Græco Latinitate donatus est, et cum nomine titulus perseverat, his verbis, *Hieronymi epistola ad Dextrum prætorio præfectum, e Latina lingua in Græcam translata.* Sed ad alia transeamus.

Codex Chronici evulgati (inquiunt) non correspondet titulo illius quod dexter composuit; illud enim erat, *Omnimodæ Historiæ*, ut ex Hieronymo liquet; hoc vero non continet Historiam omnimodam, sed præcipue rerum Hispanicarum : quare alterius cujusvis esse oportet, quam Dextri, cujus Historia, cum omnimoda sit, omnium gentium acta referre debet, unde nec imperatorum, nec Romanorum pontificum successiones more Chronici describit, sed tumultuarie, et conjunctim de eis meminit. Quod si eo etiam dicitur omnimoda, quod res universas, quæ ab orbe condito ad sua usque tempora acciderunt complectatur; ut etiam in prologo hujus asseritur Dexter perfecisse, quonam pacto Chronicon evulgatum incipit a Nativitate Salvatoris? Hic accedit quod non uno, eodemque modo, antequam ederetur, communicabatur ab inventoribus : nam apud episcopum Segorbiensem erat multo contractius, et in quibusdam dissonans ab excuso.

Parum in his Chronicis legit, qui omnimodam Historiam esse negat, cum in iis nihil fere præterniserit auctor, quod in universo orbe ad Ecclesiæ splendorem spectans acciderit, et quotquot eam scriptis vel facinoribus egregiis illustrarunt, suis temporibus intexuerit. Quod si plura de rebus Hispaniæ scripsit, vitio vertendum non est Hispano auctori, quis enim Chronica texens, in rebus patriæ suæ non scripsit uberius, in alienæ vero contractius? Eusebius Cæsariensis Græcus scriptor, primus Ecclesiastici Chronici auctor, de Græcis rebus multa, de Latinis pauca notavit; adeo ut Hieronymus cum ipsum Latinitate donavit, multa Latinorum miscuerit, hæc in prologo scribens : *Sciendum enim est, me et Interpretis, et Scriptoris ex parte officio usum, quia et Græca fidelissime expressi, et nonnulla quæ mihi intermissa videbantur, adjeci, in Romana præsertim historia, quam Eusebius ejusmodi conditor libri, non tam ignorasse, utpote eruditus; quam ut Græce scribens, parum suis necessaria perstrinxisse mihi videtur.* Continuavit quoque Chronicon ipsum Hieronymus a 20 Constantini anno usque ad consulatum Valentis VI et Valentiniani iterum, sed totum pene de Romana historia, velut auctor Romanus scripsit. Hieronymum secuti sunt in continuatione Chronici Prosper Aquitanicus, et Victor Tunnensis, qui de rebus Africæ aut Aquitaniæ, in quibus nati aut educati erant, paginam impleverunt. Idem quoque auctoribus Hispanis contigit; Idatius Lamacensis Chronicon Eusebii continuavit in eo loco in quo D. Hieronymus desiit : et tamen tam multa de rebus Hispaniensibus scripsit, quod de eo S. Isidorus dixerit lib. de Viris illustr., cap. 12 : *Idatius provinciæ Galatiæ episcopus, secutus Chronicam Eusebii Cæsariensis episcopi, seu Hieronymi presbyteri, ab anno* 1 *Theodosii Augusti, usque in annum imperii Leonis VIII subjunctam sequitur historiam : in qua magis barbararum gentium bella crudelia narrat, quæ premebant Hispaniam.* Quid de Joanne Viclarensi dicam, postea Gerundensi episcopo, qui prosperum et Victorem præfatos continuare promittit; et quidquid postmodum scribit, ad Hispaniarum Gothos reges spectat, Liubanem, Leovigildum, et Recaredum; et præcipue ad Leovigildum, cujus pene cuncta gesta brevitate Chronologica perstringit? Sed et Marcellinus comes Chronicon Hieronymi continuaturus, Orientalis Im-

perii historias majori ex parte, ut pote Illyricianus prosequitur; quod fuit in causa ut in proœmio diceret: *Ego vero simplici dumtaxat computatione, Orientale tantum secutus Imperium.* Indigne igitur Dextro objicitur, quod in rebus suæ patriæ annotandis speciali intentione se diffuderit, cum cæteris idem facientibus vitio non vertatur. Quinimmo plurimi faciendum esset, et non leviter illis laudi dandum, quod unusquisque rerum suarum notitiam specialem nobis donarint; et quod in iis se diffuderint, quæ magis comperta habebant, et in quibus minus erat errandi periculum, simulque rem suis magis gratam et necessariam præstabant, ut Hieronymus de Eusebio dixit. Hinc factum est, ut (quod in codice isto videmus) Dexter omnium fere Barcinonensium episcoporum seriem prosecutus sit, utpote quos magis notos habebat, patriæ suæ antistites, et suis eorum propriis annis meminit, id est, S. Eusebii discipuli S. Jacobi apostoli, et sedis illius erectoris, S. Theodosii, Auli Victoris, Lucii, Fultæ, utriusque Severi martyris, Aviti, Mademarii, S. Paciani, Emilæ, et Lampadii, qui suo florebat tempore: cum tamen in aliis sedibus minime id observet: una excepta Toletana, cujus propter primatus prærogativam episcopos omnes enumerat. In serie Romanorum pontificum, et imperatorum signanter (hoc quoque ei objiciebatur) ita se gerit, ut non omnes illis annis ascribat, quibus inire cœperunt dignitates suas, sed multorum simul successiones assignet, inquiens, *Augusto Tiberius, Tiberio Caius, Caio Claudius, Claudio Nero succedit:* seu, *in sede Petri succedit Zepherino Calixtus, Calixto autem Urbanus, Urbano Pontianus*, id tamen ad illud usque tempus fecit, ne actum ageret, quo Eusebii, et Hieronymi Chronicon pertingit, id est, ad annum Domini 380, quod videlicet ab eis, suis locis actum id fuerat; in sequentibus autem sigillatim imperatorum et pontificum Rom. locis debitis meminit, ut in codice videre est.

Quale autem argumentum illud est, Chronicon istud quod exstat incipit a Christo Domino, et non ab orbe condito, ergo non est omnimodæ Historiæ? quasi ex defectu codicis, qui dimidiatum auctoris opus dumtaxat habebat, defectus auctoris argui posset. Sane si suppositum esset, et de rebus ante Christum natum nihil scribere libebat, nequaquam in prologo diceretur Dexter ab orbe condito usque ad sua tempora historiam texuisse, sed potius scripsisse historiam a nato Domino; nam ad illud asserendum, Hieronymi aut alterius scriptoris minime nos cogebat auctoritas; solum siquidem ait ille, *Fertur ad me omnimodam Historiam texuisse.* Cum autem id in prologo asseratur, et in isto codice veteris Testamenti historia deficiat, manifeste innuitur priorem Chronici partem ab orbe condito usque ad Natalem Domini historiam continentem, ab exscriptore illius omissam fuisse, quæ tamen in Originali auctoris erat: aut forsan in alio volumine transcripta fuit, quæ hactenus notitiam nostram effugit. Nec movere quemquam debet, quod apud episcopum Segorbiensem extractum Dextri reperiebatur, magnitudine voluminis, et quarumdam rerum relatione nonnihil discrepans ab eo quod Cæsaraugustæ excusum fuit; quandoquidem priusquam cuderetur, non omnibus totus, et integer codex communicabatur, sed per partes, juxta cujusvis voluntatem et devotionem; et nonnulli pro libito suo Chronicon dimidiabant, quod non omnia in eo contenta ad rem suam facere viderant: et hoc pacto non paucos errores involvebant, qui Dextro ab aliis imputantur. Horum alterum fuit extractum illud a Segorbiensi episcopo exscriptum: in quo vehementer quibusdam displicebat, quod S. Pacianum Dextri parentem successisse diceret S. Severo episcopo Barcinonensi, et martyri, qui tamen anno Domini 285 initio persecutionis Diocletiani coronatus est: Pacianus vero floruit post centum annos, scilicet anno 384; quod si verum esset, aiunt, iste novus Dexter ipsummet genitorem suum non agnosceret. Sed manifesta æquivocatione laborant S. Severi; ejus etenim nominis duo fuere Barcinonenses episcopi, ambo martyres, sed ille a gentilibus, sub Diocletiano anno Domini 285, hic vero ab Arianis passus fuit anno 352, et utriusque meminit ipse Dexter: cujus pater hunc posteriorem secutus est in Sene, et forsan non immediate. Multis nihilominus inconvenientibus subjacebat truncata illa codicis Dextri transumptio, quæ in excusione integri Chronici cessaverunt.

Ad tertium objectorum caput reducuntur ea quæ historiam ipsam concernunt, multa siquidem (aiunt) a veritate aliena in ea sunt, non pauca incredibilia, et ultra omnem humanam fidem. Quibus ego illud imprimis respondere possem, quod detractoribus Eusebiani Chronici Hieronymus, *Dictorum fidem suo auctori assignent*, et præterea non esse auctorem hunc, et opus in Catalogo Canonicarum Scripturarum receptum, et idcirco mirum non esse si aliquando a veritate deficiat; nec modernum; ut ea sola scriberet, quæ modo inter vulgatos auctores recepta sunt: quin potius ex eo antiquitas auctoris manifeste convincitur, quod quædam aliter quam nunc credantur scribat. Ex eo igitur quod in nonnullis forte deficiat, non recte infertur, alium a Dextro Chronici hujus auctorem fuisse, sed dumtaxat, non esse librum Canonicum, ut dixi. Vere tamen nihil incredibile, nihil improbabile auctor asserit, quantumcumque quidam vociferantes reluctentur: multa enim objiciunt, sive de epistolis Jacobi, et Pauli ad Hebræos, quæ ad Hispanos dumtaxat in hoc codice scriptæ dicuntur, et illa a Jacobo Zebedæi, præter communem Doctorum existimationem: sive de Centurionibus Evangelicis, qui in Hispania nati referuntur: sive de prædicatione et discipulis ejusdem S. Jacobi: sive de Judæis Hispanis minime in Christi mortem assensum præbentibus: sive denique de aliis sexcentis rebus, quæ aut falsæ, aut incredibiles reputantur: eis vero ad plenum speciatim satisfacere ad Commentarios nostros pertinet, ubi uniuscujusque asserti fun-

damenta diffuse satis explicantur, et quæ in contrarium faciunt, refundantur.

Instant nihilominus adversarii, quædam in his Chronicis reperiri Dextro recentiora, ut quod de festo immaculatæ Conceptionis mentionem faciat ad annum Domini 308, cum tamen lippis et tonsoribus constet, ante annum 1160 nusquam gentium ejusmodi festivitatem celebratam fuisse : et quod inibi de ordine Augustiniano memoria fiat, cum tamen usque ad dictum fere sæculum nec nomen ordinis, nedum Augustiniani in usu fuerit. Addunt tandem inventoris moderni ingenium in eo non parum elucere, quod cum multorum martyrum nomina his Chronicis ingesserit, de industria illos dumtaxat admisit qui in veteribus Ecclesiæ tabulis sine nomine urbis aut provinciæ referuntur : eosque certis Hispaniæ urbibus accommodavit : et nonnullos quoque qui Carthagine coronas acceperunt, ex Africana ad Hispanam traduxit.

Neutrum tamen argumentum convincit intentum; quod enim nonnulla in his reperiantur fortasse recentiora, quam Dexter sit, non illico totum opus apocryphum esse convincitur; cum enim per multas diversorum sæculorum manus tractum sit, fieri non potest, quin ab aliquo ad marginem additum ei fuerit, majoris explicationis gratia; quod postmodum in textum ipsum ab aliis inductum nonnihil confusionis pariat : quamquam id quoque a multis retro annis additum esse ab Euthrando, vel Juliano, ut minimum, aliquove perdocto Fuldensi monacho, inde suadetur, quod P. Torralba, et P. Higuera testati sunt, autographum ea omnia, ut jacent, habere; qui eo præsertim audiendi sunt in hoc, quod nihil horum quæ addita suspicantur, ordini suo proficuum conspiciatur : non enim ipsi Augustini aut Benedicti disciplinis subditi sunt, sed de re ipsa suis locis fusius agendum nobis est. Quod vero de festo immaculatæ Conceptionis asseritur, longe alium habet sensum, quam vulgo putatur, nimirum S. Jacobum apostolum in Hispaniis festum Incarnationis Dominicæ instituisse, quæ et Conceptionis Deiparæ merito nuncupatur, qua videlicet Deum et hominem Christum castis concepit visceribus : non vero qua virgo ipsa concepta fuit. Movemur autem ad id asserendum, tum ex eo, quod etsi mysterium ipsum præservationis D. Virginis ab originali contagio, ab ipsis ss. apostolis, doctoribusque veteribus forsan agnitum sit, ut speciali opere *de Patribus vindicatis* probavimus, attamen nusquam de eo festum factum fuit usque ad tempora S. Anselmi : hic vero non tam de mysterio Conceptionis, quam de festo agitur. Tum deinde quoniam Conceptionis nomen usque ad Scoti Dunensis tempora solam carnalem generantium copulam, et quæ in ea geruntur significavit (id quod prædicto in opere manifeste probatum a nobis est) : nemo autem antiquorum ejusmodi conceptionem virginis quæ ex parentum commixtione fuit, vocavit immaculatam, sed ipsam virginem in ejus animatione. Tum denique quoniam festum apostolicum, quale est illud, de quo eo loci Dextro sermo est, non fuit de Conceptione passiva ipsius, sed de activa. Multa alia super eadem re dicemus in Commentariis ad eum locum, quæ tu consulas, ad annum Domini 308, comment. 1.

Gratis etiam omnino asseritur, de industria in his Chronicis intermixtos fuisse quotquot ex sanctis Martyribus absque civitatis patriæ nomine in martyrologio Rom. reperiuntur; quandoquidem multo plures in eisdem tabulis exstant, de quibus in hoc opere nulla fit mentio, ut facile quivis deprehendet, si legat catalogum sanctorum qui supponitur indici topographico Rom. martyrologii, sub titulo, *Nomina sanctorum, quorum locus a martyrologio non indicatur* : et eos conferat cum sanctis qui in his Chronicis continentur. Et quis credat, aliquem de appropriandis suæ patriæ sanctis nullius (ut ita dicam) diœcesis, tam anxium et sollicitum fuisse; quem tamen constat in enumerandis vulgatis defecisse? Profecto, si quis hoc ævo Chronicon supponere Dextro quivisset, prius in unum quæsitos Hispaniæ evulgatos sanctos Martyres in his inservisset, quam alienos et ignotos perquireret : quod tamen constat factum non esse. Sed vero (quod in hac re præcipuum est) multi illorum quorum hic fit mentio, ante annum Domini 1584, quo Gregorii XIII jussu Romanum martyrologium recognitum et auctum est, non fuerant in ejus tabulis; eos tamen correctores e Græcorum menologio mutuarunt, ubi etiam absque urbis propriæ nomine reperiuntur. Inde tamen non leve argumentum desumitur in favorem præsentis operis. Etenim si sancti illi qui de Græco menologio in Latinum martyrologium translati sunt, Græci fuissent, et in Orientis urbibus coronati, haud dubium quin nomina civitatis uniuscujusque a Græcis designarentur; quod tamen cum non fiat, credendum est ad eorum notitiam ea non pervenisse, et eos martyres in remotissimis (respectu Græcorum) regionibus coronas suscepisse. Quæ autem a Græcis remotiores, quæso, quam Hispaniæ urbes? Probabilius multo est, Græcos ipsos e converso non aliunde in horum martyrum notitiam devenisse, quam ex Dextri Chronicis : ab eisque illorum nomina mutuasse, et in suis Tabulis Ecclesiasticis reposuisse; urbium vero in quibus a Dextro passi referuntur, nomina neglexisse, sive quod barbara sibi videbantur, quales certe priscis temporibus erant Hispanicarum civitatum nomenclaturæ; sive quod parum ipsis proficiebat illarum urbium scire aut nescire nomina; quas, utpote remotissimas ex solo nomine cognoscere poterant. Videmus autem in martyribus suis diligentissime observasse, ut nomina regionum et urbium quas passionibus suis nobilitarunt, in menologio notarentur.

Sed quamobrem (requires) si in Occidente passi fuere, ipsorum nomina, et urbium sanguine suo rubricatarum, in Latinis martyrologiis non reperiebantur antequam a Græcorum tabulis quæsiti et accepti fuerint? In promptu est causam assignare,

nimirum Dextri latebras, cujus opus non satis in vulgus datum erat, quando Bedæ, Usuardi, et reliquorum martyrologia, quibus nunc fruimur, edebantur : unde nihil ab eo ipso mutuare valuerunt. Quod vero nemo Neotericorum a Græcis vel vulgatis Latinis martyrologiis sanctos de quibus in his Chronicis mentio habetur, acceperit, ex eo satis convincitur, quod in his nonnullos martyrum reperiri conspicimus, quibus longe aliæ urbes designantur, quam in illis. Verbi gratia, sanctus Aza cum sociis martyrio coronatus dicitur a Græcis, et Latinis in Isauria Asiæ provincia, a Dextro autem in Gallæcia : rursus S. Antonina cum Alexandro milite passi referuntur a Græcis et Rom. martyrologio Constantinopoli, a Dextro vero Olcadibus in Carpetania ; Sancti quoque Quiricus et Julita coronati ab aliis leguntur Tarsi in Cilicia, a dextro tamen Hippone in Carpetania : ut interim de aliis taceam, quorum urbes a Græcis quidem silentio involutas, ex actis tamen et vetustissimis monumentis non alias quam assignatas a Dextro multoties in his Commentariis comprobamus. Quis autem tam excors esset, ut urbes martyrum notissimas recenter mutaret ? Sed redeo Carthaginem. Certe Carthago Hispanica non tam ignobilis fuit, ut Romanorum et Gothorum temporibus toti provinciæ Carthaginensi nomen non dederit : et in antiquissimis conciliis, præsertim Toletanis, et Braccarensibus, frequens de Carthaginensi provincia mentio fit, quæ olim Toletanam quoque et Carpetanam sub se complectebatur. Quo uno dato, verisimile est aliquot eorum martyrum qui in ecclesiasticis tabulis Carthagine coronati leguntur, in Hispaniensi martyrio affectos fuisse, et non omnes in Africana. Qui enim fieri potuit, ut cum tota Hispania innumeri Christianorum agonizarint, ita ut omnes ejus urbes et oppida sanguine sacraverint suo, sola Carthago omnium pene nobilissima nullo martyre gloriari possit? Revolve diligenter Romani martyrologii seriem universam, et inter martyres innumeros Carthagine passos, nullum reperies de quo specificatim dicatur quod in Hispania passus sit. Et tamen, ut de reliquis persecutionum in Hispania ministris interim sileam, compertum est, Galbam Carthagine Hispanica acclamatum fuisse ad imperium contra Neronem, cum prius severissime in Christianos animadvertisset, adeo ut in columna Neroni erecta assereret, id factum *ob provinciam latronibus, et iis qui novam generi humano superstitionem inculcabant, purgatam.* Multos proinde eorum qui Carthagine referuntur occisi, in Hispania coronatos credere oportet : uti in Dextro nunc videbimus. Ex his vero quæ fuse admodum a nobis tractata sunt, illud tandem inferri oportet, codicem hunc quem interpretandum suscipimus, germanum Dextri Barcinonensis fetum esse, et nihil eorum quæ in ipsum jactata sunt quidquam momenti habere. Quare ne, quæso, Lector candide, vel leviter hæsites in ejus lectione, sed eam inoffenso pede percurre.

A

B

C

D

§ III. *Quanto studio elaborandum fuit elucidatori, ut his quæ Dexter asseruit, afferret lucem.*

Cum primum L. Dextri Chronicon omnimodæ Historiæ ad manus pervenit meas (candide Lector), inæstimabilium divitiarum thesaurum in eo latere animadvertens, in eam erectus spem fui, ut si vires omnes, ac studia in ipsum effodiendo applicarem, non omnino a laboris mercede frustratus abscederem. Agebam eo temporis Matriti, regis Catholici curiæ et patriæ meæ, ubi mihi magnorum virorum, eruditione insignium, multarumque bibliothecarum copia haud difficile facta fuit, cum quibus, et a quibus conatuum meorum pondus levigari posse confiderem. Sed cum in limine operis adhuc versarer, quæ non difficultates, quæ non chimeræ superandæ sese mihi obtulere? necessum fuit, aut defessum succumbere, aut pro virili eas superaturum dimicare. Vis scire quot et quæ? Varietas rerum in his Chronicis contentarum ingentissima, ad quas enodandas oportebat omnem antiquitatis historiam, sive humanam, sive divinam evolvere, et de auctoribus ipsarum, rebusque ipsis (inter se primum collatis) judicium ferre; quis in quibusve, præ cæteris potius audiendus; quæ verisimiliora, quæ abnuenda. In his vero consulendi erant Livius, Suetonius, uterque Plinius, Plutarchus, Dio, Tacitus, Philostratus, Capitolinus, Lampridius, Eutropius, Trebellius, Vopiscus, Martialis, uterque Seneca, Silius, Lucanus, Juvenalis, et alii humanæ historiæ professores, quos longum esset recensere : quo tandem vitas, acta, successiones, et chronographias Romanorum principum, et Barbararum gentium cum ipsis pugnantium ad Dextri scripta conferremus. Præter hæc e veteri Testamento multa ex professo tractanda erant; sive de libris Regum et Paralipomenon, sive de prædictionibus prophetarum : Testamentum autem novum, pro ejus chronologia elucidanda, totum evolvendum; Evangelia, Acta apostolica, Apostolorumve epistolæ et scripta; nihil etenim non tactum a Dextro fuit. Sed et omnes (præsertim antiquiores) Patres audire oportebat, sive pro sensu vero sacrarum sententiarum hauriendo, sive pro his quæ ad historiam ecclesiasticam spectant : Clementem dico Romanum, Ignatium, Dionysium, Irenæum, Clementem alterum Alexandrinum, Eusebium, Origenem, Tertullianum, Cyprianum, Basilium, Gregorium Nazianzenum et Nyssenum, Chrysostomum, Epiphanium, Pacianum, Juvencum, Ambrosium, Paulinum, Hieronymum, Augustinum, et cæteros, quorum scripta exstant. Quid de conciliis dicam, quæ omnia pro annorum supputatione, et pro veritate enucleanda graviter legere necessitas operis assumpti cogebat? Quid de sanctorum martyrum actis, quorum non omnia necessaria in Lippomanis, Suriis, Mombritiis, Lipelois, Velseris, Haræis, Sanctoris, Villegis, Trugillis, et hujusmodi reperiri videbam? Non omnia adhuc nomina suppeditabant martyrologia, imprimis Romanum (sive antiquum a Rosweido editum, sive modernum a card. Baronio illustratum), deinde Bedæ, Notiche-

ri, Rabbani, Usuardi, Adonis, Molani, Galesini, Maurolici et similium. Græcorum menologia a card. Sirleto contracta erant; ad ipsos Græcos fontes re-. currere : parum hoc, ad vetustissima quæque manuscripta sanctorum martyrum acta; ad breviaria quoque antiqua diversarum Ecclesiarum necessarium erat. Rursus pro chronologia annorum unicuique sententiæ ad marginem assignatorum, multum erat mihi laboris assumendum; eo vel maxime, quod non semel ab aliorum supputatione dissidere videretur.

Quod si hæc forsan monstra superari possent, quatuor antecedebant de novo, quæ Atlantæos humeros ad onus tantum supportandum exigebant: 1° Novitas multarum sententiarum, quæ penitus auditus nostros effugerant : verbi causa, quod centuriones evangelici fuissent Hispani; quod epistola Pauli ad Hebræos, ad Hispanos e Judaismo conversos scripta fuisset; quod Ophirina regio esset in Hispania; et multa id genus, quæ facile in contextu cuivis occurrent. 2° Urbium Hispanicarum geographia, quæ secundum nomenclaturas antiquas, non solum eas cognitas, sed etiam ad nova collatas vocabula sine discrepantia requirit. Nulla autem orbis universi regio toties mutavit urbium suarum nomina quoties Hispania; cum nulla toties Barbarorum incursiones, ac dominia perpessa fuerit : nam primum (quod sciamus) subacta fuit a Phœnicibus, deinde a Pœnis, rursus a Romanis, subinde a Gothis, demum a Mauris, quorum quilibet sui idiomatis urbibus nomina imponebant. 3° Nec minoris erat ponderis exscriptorum errata superare, quibus tertio quoque versu scatebat codex; quorum nonnulla sententiam ipsam interrumpebant, nonnumquam et corrumpebant. Clausularum transmutationes, duplicationes, decurtationes, quis enumeret? in quibus mihi modo quod olim D. Hieronymo Chronicon Eusebii, eo temporis multo recentius, quam nunc sit Dextri evolventi, ut Latinitate donaret, accidisse comperio, ita ut cum eo possim dicere : *Ad communem difficultatem, quam in omni interpretatione* (dicam ego expositione) *causati sumus, hoc nobis proprium accedit : quod historia multiplex est, habens barbara nomina, res incognitas, numeros inexplicabiles, virgulas rebus pariter ac numeris intertextas; ut pene difficilius sit legendi ordinem discere, quam ad lectionis notitiam pervenire.* 4° Accedebant denique diversorum hominum de germanitate hujus operis varie sentientium adversa judicia, cum non omnes germanum fetum crederent Dextri, sed suppositum; sive in gratiam immaculatæ conceptionis Deiparæ, quod aliquando nonnihil de ea dicere credatur; sive pro elevanda ordinis eremitarum S. Augustini, antiquitate compositum, quod nonnumquam monachorum Augustini meminerit; simileque de continuatione M. Maximi fertur judicium, quod nimirum multa de eisdem eremitis, et de Benedictinis monachis in ea legamus. Ita sane apud mortales usu receptum, ut quisque illorum auctoritatem elevet, et exaggeret, qui rebus suis prodesse, eorum vero flocci pendat, qui officere quoquomodo queant. Dextri Chronicon hi soli parvipendunt, qui suis opinionibus nocere existimant, multi e converso eo dumtaxat magnifaciunt, quod nonnihil pro suis facere videatur; neutri pro veritate Chronici certantes, sed trahit sua quemque voluntas. Semel vero ipsius sententias abominantes, multas cogitaverunt contradictiones, quæ sibi non minus in auctorem quam in opus irruere videntur, et ipsorum auctoritatem enervare.

Quis, rogo, tot pertæsus difficultates, non hæreret, non diffideret, non desisteret? me vero non solum non pedem retrahere, aut desperare, sed neque hærere quidem hæc monstra fecerunt; addiderunt potius currenti calcaria; et ad eorum conspectum majores vires animumque pro labore tanto fortiorem indui, otium omne respui, quousque tandem Dextri Chronicon elucidarem; ratus non in Hispaniæ dumtaxat, sed et universæ Christi Ecclesiæ non contemnendam gloriam cedere; cum multa in ecclesiastica historia controversa, Dextri testimonio fulciantur, et non pauca a cæteris prætermissa supplementum per eum accipiant. Atque ea de causa quidquid in Hispania Italiave aut Gallia ad rem meam facere crederem, conquisivi, sive quæ ad humaniores litteras apud profanos, sive quæ ad solidiores et divinas apud sanctos Patres et ecclesiasticos doctores, concilia, martyrologia, sanctoralia, facere existimarim : non labori, non quieti, non sumptui parcens; id præ oculis semper habens, fontes ipsos, si darentur, adire, et vetustiores interrogare codices, et neque odio, neque amore moveri, quo facilius veritatem assequi possem. In Hispania regiam Excurialis bibliothecam adivi, Toletanam deinde Sanctæ Primatis Ecclesiæ; cœnobiorum vero diversorum mei ordinis multas; Nucalensem præcipue, Toletanam, Spineam, Hortensem, Salmantinam, Complutensem, et alias, quæ sanctorum Hispanorum acta in variis manuscriptis ministrarunt. Matriti Breviariorum antiquorum, quæ olim in diversis Ecclesiis erant in usu, pro sua in me benevolentia copiam fecit illustris admod. magister Egidius Gundisalvi Davila regius Castellæ historiographus, præsertim Salmantini, Conchensis, Palentini, Asturicensis, et Toletani secundum Romanam consuetudinem a Silicæo cardinale excusi (nam vetustius secundum ordinem S. Isidori, *Mozarabe* vulgo nuncupatum, cum Toleti, tum Romæ nactus sum). Hæc profecto multam mihi pro opere instruendo, et ornando supellectilem suppeditarunt. Ad Urbem cum accessi, bibliothecam Vaticanam non semel adivi, Collegii Romani sæpissime, illustrissimi ac revérendissimi domini mei cardinalis de Treio, quæ pro eximia, omnigenaque eruditione tanti principis locupletissima est, multam lucem attulit. Aniciana Gregoriani Collegii, pro monachis universi ordinis S. Patris Benedicti, recens erecti, a R. P. et amico charissimo D. Constantino Caietano suis abunde laudato scriptis satis adjuvit : profuitque

nonnumquam invisere Vallicellensem, card. Baronii studiis illustratam. Et ut alias brevitati consulens, omittam, magnopere contulit S. Petri in Monte Aureo bibliotheca, in qua velut in domo propria, benignitate auctoris ipsius, quotidie fere labori meo incumbebam, consilio, et judicio adjutus R. adm. Patris Lucæ Waddingi, Sacræ Theologiæ prælectoris, ac totius seraphici ordinis archichronographi, cujus bibliotheca ipsa est, et multa variaque opera, quæ partim edita, partim quantocius edenda præ manibus habet, ingentem illi parturiunt gloriam et honorem. Et hæc omnia pro varietate, antiquitate, et novitate historiæ Dextri elucidanda, et pro chronologia æquanda, evolvere non dubitavi.

Geographia Hispanica petenda fuit ab Ambrosio Moralio, Floriano de Ocampo, Resendio, Nonio, B Quevedo, Mariana, Zurita, Goes, Blanca, Beuthero et aliis ejus argumenti auctoribus; multoque exactius a Ptolomæo, Antonino, Pomponio, Plinio, Strabone, Appiano Alexandrino, Solino, et eis æqualibus; nec omittendi fuere Ortelius, Mercator, Villanova, Moletius, Millius, Nebrissensis, Taraffa, Clusius, et diversorum regnorum variæ historiæ, uti in hisce commentariis experimento facile comprobabitur. Sane rebus patriæ suæ tantam auctor noster lucem affert, singulorum martyrum urbes proprio notans nomine : Doctorum, et episcoporum, qui priscis illis temporibus tota Hispania floruere illustres ingerens memorias, a quibus denique catholica fides initia, progressus et augmenta ceperit, quæ urbes præcipuorum martyrum sanguine rubricatæ C fuerunt, quæve conciliis magnorum Patrum cohonestatæ; qui errores, et abusus in iis damnati, et eliminati : ut jure optimo Hispani omnes tanto auctori plaudentes assurgere, et (Deo Opt. Max. gratiarum primum actionibus decantatis pro Chronici istiusmodi inventione) in ejus occursum illud Ciceronis sibi assumere queant, lib. I Acad. quæst. de M. Varrone : *Nos in nostris urbibus peregrinantes, errantesque tamquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt : ut possemus aliquando, qui et ubi essemus, agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum; tu sacrorum jura, tu sacerdotum; tu domesticam, tu bellicam disciplinam; tu sedem regionum, tu locorum; tu omnium divinarum, humanarumque rerum nomina, officia, causas aperuisti.* Ita prorsus D nobis Dextri beneficio accidisse compertum est : urbes enim et oppida Hispaniæ quasi hospites et peregrini incolebamus, quid olim insigne in eis acciderit ignorantes; quos præcessores inibi insignes, quos martyres, quos antistites, quos doctores priscis temporibus eæ urbes pepererint, nos latebat : nunc vero tutelares magnos, patronos eximios, concives nobiles, dulces fratres, Dextro duce, deinceps agnoscemus, reverebimur, solemnizabimus, et ipsis A patrocinantibus ingentes misericordiarum Dei thesauros reserare dabitur nobis, multo quam antea locupletius.

In lectionis vero textus Dextri emendatione non minus elaborandum nobis fuit, eo præsertim, quod codex ipse originalis mendis quamplurimis scatebat, et amanuenses qui inde suos extraxerant, servatis illis, admiserant nova, unde difficile potuit pristinæ puritati restitui : multa tamen quæ postmodum admixta sunt, aliis copiis collatis resecui; et alia quæ ex lectione ipsa, evidenti correctione indigere judicata sunt, et errorem non auctoris, sed exscriptoris manifeste arguebant, emendavi. Exempli causa, anno Domini 330 erat bis scripta totidem verbis sententia illa : *Mellaria urbe Hispaniæ in Bætica, S. Firmus martyr*, etc., usque ad sex versus; quare semel dumtaxat scribi debuit. Insuper anno Domini 86, erat intermixta memoria S. Narcissi Bracarensis episcopi, Gerundæ occisi, qui tamen ipso Dextro teste post 200 fere annos necatus fuit; et de ejus martyrio scribit ad ann. 277, unde memoria illa prior expungi debuit. Anno 110 agebatur de Porphyrio philosopho, et scriptoribus eum impugnantibus, cum tamen id anni 310 proprium esset, et ipsi necessario restituendum. Nomina propria urbium et personarum, si quæ alicubi corrupta erant, ex aliis ejusdem auctoris testimoniis, et ex lectione antiquorum qui de iis tractant, corrigi debuere : alia vero ex antecedentibus et consequentibus facile fuit emendare; et nihilominus adhuc suo nitori Dexter restitui non valuit, eo præcipue quod nobis constet nonnulla in eo qui exstat, desiderari, quæ manifesto argumento liquet a Dextro omitti nequivisse. Quis etenim sibi persuadeat, S. Vincentii Levitæ Cæsaraugustani illustrissimum toto orbe martyrium a Dextro silentio involutum? Quis sanctæ virginis, ac Martyris Eulaliæ Barcinonensis, patriæ ipsius Dextri protectricis memoriam ab his scriptis eliminatam? Quis Marcellum legionensem centurionem, et 12 ejus filios tota Hispania notissimos, non habuisse in his Chronicis locum suspicetur? præsertim cum apud Clem. Prudentium legerit ipse hymnum in laudem SS. Emitherii, et Chelidonii martyrum Calagurritanorum, filiorum ejusdem S. Marcelli : ut interim de aliis nonnullis taceam, ut Zoilo cum sociis 19, Gerontio Italicæ episcopo, Evasio Cassalensi, Hermogene, et Donato, Lupo et Aurelia, Cyriaco et Paula, Sandalio Cordubensi, et Dalmatio Gerundensi, quorum nonnulli forsan ad ejus notitiam non pervenere. Et quid ultra progredimur? Certe laborem in his Chronicis illustrandis a nobis præstitum, et eorumdem incredibilem utilitatem, lectione sola lectores mei poterunt deprehendere. Legant, quæso, et magno Ecclesiæ Dei bono, Dextrum in vulgus exire cognoscant.

FLAVII LUCII DEXTRI

BARCINONENSIS,

CHRONICON OMNIMODÆ HISTORIÆ;

UNA CUM COMMENTARIIS FR. FRANCISCI BIVARII,

Quibus universa Ecclesiastica historia, a Christo nato, per annos 430, adamussim expenditur.

EPISTOLA DEXTRI NUNCUPATORIA.

Sancto domino PAULO OROSIO presbytero Tarraconensi, FL. L. DEXTER salutem.

Postquam ex Oriente, ubi, sicut nosti, præfectus prætorio fui, domum redii, cœpit me vehementer tædere munium publicorum ; totumque me converti ad ea studia, in quibus bonam meæ vitæ partem transegi ; si non cum laude, citra pudorem tamen. Porro omnimodam historiam, quam ab Orbe condito ad hæc nostra tempora, id est ad an. Christi 430 et consulatum XIII Theodosii Junioris, et sancto presbytero Hieronymo, non ita locupletatam dicaveram ; quia ad ejus defuncti manus pervenire non potuit, multis locis auctam, locupletatamque tibi homini Hispano, Lalætano, et Historiarum scriptori ornato, et mei amantissimo nuncupo. Vale.

BIVARII COMMENTARIUS.

Chronicon omnimodæ Historiæ Flavii Lucii Dextri, etc. Brevis operis brevis danda fuit nuncupatio. Exiguum valde, si quantitas spectetur, offert nobis Auctor thesaurum ; magnum tamen et pretiosum pro qualitate, quod dum quis perceperit, ingentes et inæstimabiles gazas prorsus dicet. Nec enim pretio res discernuntur, quod magnæ vel parvæ sint, sed virtute et bonitate. Quanta autem Chronicon istud polleat, his commentariis explanare operæ pretium duxi : quos ad tantam molem ascendere necessarium fuit, ut quod latebat virtutis, utcumque in lucem darem. Verum enimvero nec profusum fuisse me credo, nec omnia ad unguem assecutum : sat erit occasionem dare sapienti, ut et Auctori lucem afferat, et a me omissa suppleat, et parum (fortasse) feliciter dicta corrigat. Id Dextro honorificum mihi vehementer gratum, et toti orbi Christiano, Hispano præsertim climati commodum erit. Sed ad rem.

Difficilem scribendi stylum elegit Dexter, dum Chronicum suum scripsit : multo enim difficilius paucis magna perstringere, quam multis multorum gesta temporum declarare. Unde Hieronymus Barbarorum strages, et irruptiones in Romanum imperium quæ suo tempore contigere, stylo Chronici scribere noluit, quia eas latioris historiæ stylo scribendas reservare judicavit : quod in prologo suo profitetur. Hæc siquidem inter Chronica et Historias differentia est, Cassiodoro teste, Divinarum Scripturarum Institutionis cap. 17, quod *Chronica sunt imagines Historiarum, brevissimæque temporum commemorationes* : quasi dicas, ipsarum epitome, illæ tamen latiori stylo contextæ profunduntur. Nam quemadmodum multorum principum acta, et regum diversorum series et gesta, prolixis geruntur temporibus, et nihilominus brevissimis depinguntur tabellis ; sic etiam contractioribus exarantur Chronicis, quæ latissimis historiarum libris enarrantur. Ea propter D. Hieronymus ejusmodi scripturæ genus *Chronicos Canones* vocavit, lib. de Scriptor. Eccl. in Eusebio Cæsariensi, cujus recensens libros, quarto loco enumerat, *Chronicorum Canonum omnimodam historiam*, quam tamen postea solum nuncupat *Chronicum omnimodæ historiæ*, dum fetus proprios cap. ult. recenset. Nimirum eo ipso quod Chronicon omnimodæ historiæ sit, necessum est, ut contractionem sequatur canonum, quales sunt apostolici, et conciliorum, qui paucissimis verbis magnam continent doctrinam ; et eo dicuntur canones, quod Græcis Canon, Regula Latinis sit, de cujus (teste Aristotele) natura est, ut parva, seu minima sit. Eodem fere stylo usi fuere apud veteres quicumque Chronica scripserunt, Eusebius, Hieronymus ; Prosper Senior, et Junior ; Isidorus Hispalensis, et Cordubensis, Victor Tunnensis, Idatius Lamacensis, Joannes Gerundensis ; Marcellinus, Auctor Chronici Alexandrini, Ado, Sigibertus, ut alios innumeros prætermittam. Inter quos post Hieronymum, et Eusebium, primum locum sibi Dexter vendicat, et ordine temporis, et scripturæ dignitate, et cultiore stylo. Nec sibi obviant, quod titulus libri hujus *Chronicon omnimodæ historiæ sit*, et Hieronymus dum ejus meminit, solum vocet Omnimodam historiam : *Fertur*, ait, *ad me omnimodam historiam scripsisse* : nam prisco illo tempore non scribebatur omnigena historia historico et diffuso stylo, sed more Chronici ; historia siquidem unius dumtaxat regni, aut regionis, aut viri conspicui gesta complectebatur : et ex multis, ac diversis historiis ad strictos redacta canones, una *omnimoda* texebatur, quæ *Chronici*, sive *Omnimodæ historiæ* titulo, sive utroque simul gaudebat. Et certe apud Hieronymum lib. de Script. Eccles. nulla reperitur umquam omnimoda scripta historia ab aliquo Antiquorum, quæ Chronici stylo non gaudeat : nec Chronicon aliquod, quod omnimoda historia non vocetur. Quinimmo et apud Dextrum ipsum videmus librum suum, quem titulo *Chronici omnimodæ historiæ* insignivit, in epistola nuncupatoria ad Orosium solum nuncupasse *omnimodam historiam*, cum ait : *Porro omnimodam historiam, quam ab orbe condito, usque ad nostra tempora, id est annum Christi* 430, etc. Dolendum certe Chronici Dextri periisse (aut saltem cum tineis adhuc, et blattis certare) priorem partem, quæ ab Orbe condito usque ad Christum natum historicos canones complectitur ; multa enim per eum scitu digna, rerum præsertim ad Hispaniam spectantium, hactenus incomperta sciremus ; quod in causa fuit, ut in editione Cæsar-

BIVARII COMMENTARIUS.

augustana, *Fragmentum Chronici Dextri* vocaretur; ab eo tamen nos abstinuimus, titulo germano contenti; eo præcipue quod integram a Nato Domino contineat historiam, usque ad Auctoris tempora.

Postquam ex Oriente, etc. Quanta fuerit præfecti prætorio dignitas, qua Dexter insignitus fuit, explicuit Cassiodorus lib. VI Epistol. inquiens: *Potestati præfecti prætorio nulla est dignitas æqualis*: nimirum gerebat secundas partes post Cæsarem, præeratque disciplinæ publicæ emendandæ. Unde multos scimus ex ejusmodi præfectura ad imperii fastigium evectos fuisse, uti Vespasianum, Macrinum, Philippum, et alios. Romuli tempore præfectus prætorio is dictus est, qui prætorio præerat, nimirum cohortibus, et militibus prætorianis palatium principis defensantibus, quod Alciato teste in Comment. de Verb. sign. *Prætorium* dicebatur, eo quod inibi prætoris milites excubabant; *Prætor* vero quilibet militum princeps, Veteribus erat. Nonnumquam priscis illis temporibus ad bella prodibat contra hostes: sed ubi Romanorum opes creverunt, distincta fuere officia; et tunc qui ad tuendam principis salutem agebat excubias, *Præfectus Vigilum*, qui contra hostes imperium tuebatur *præfectus prætorio* dicebatur. Additus postmodum est *magister militum*, qui perpetuo cum hostibus agebat, et a præfecto prætorio eo dissidebat, quod magistrorum equitum potestas legibus populi Rom. invecta erat, præfecti vero prætorio, imperatorum arbitrio. Sunt qui velint, apud veteres Francorum reges præfectos prætorio seu palatio fuisse eos, qui *magistri domus*, seu *majores domus* nuncupabantur, et utrorumque officium in idem recidere. Exstat in Codicis Justiniani lib. I specialis titulus *de officio præfecti prætorio Orientis*, quod Dexter administravit, ubi lege 2 datur ei facultas generalia condendi statuta, quæ legibus Cæsareis non sint contraria, et durent quousque per Cæsarem abrogentur. Sed ut semel ejus potestas, et officii celsitudo palam fiat, placet in Dextri gratiam hic inserere formulam, quæ præfectis prætorio ab imperatoribus dabatur, cum ad hujusmodi dignitatem jubebantur ascendere, prout a Cassiodoro ponitur lib. VI Variarum cap. 3, qui eam scribit, quo tempore erat eadem præfectura insignitus, ut ex prologo ipsarum lectionum Variarum constat, et ex lib. XI et XII, per multas epistolas.

FORMULA PRÆFECTI PRÆTORIO, SEU TITULUS EJUS OFFICII; IN QUO INDUCITUR IMPERATOR AD PRÆFECTUM LOQUENS.

Si honoris alicujus est origo laudabilis, si bonum initium sequentibus rebus potest dare præconium, tali auctore præfectura prætoriana gloriatur, qui et mundo prudentissimus, et Divinitati maxime probatur acceptus. Nam cum Pharao rex Ægyptius de periculo futuræ famis inauditis somniis urgeretur, nec visionem tantam humanum posset revelare consilium, Joseph vir beatus inventus est, qui et futura veraciter prædiceret, et periclitanti populo prudentissime subveniret. Ipse primum hujus dignitatis insulas consecravit; ipse Carpentum reverendus ascendit, ad hoc gloriæ culmen evectus, ut per sapientiam conferret populis, quod præstare non potuerat potentia dominantis. Ab illo namque patriarcha: et nunc Pater *appellatur* Imperii, *ipsum hodieque resonat vox præconis, instruens judicem, ne se patiatur esse dissimilem. Merito ut cui tanta potestas potuit dari, videretur semper similiter admoneri. Quædam enim huic dignitati, nobiscum jura communia sunt: Exhibet enim sine præscriptione longinquos, magna quantitate mulctat errantes, fiscum pro sua deliberatione distribuit, evectiones simili potestate largitur, vacantia bona proscribit, delicta provinciarum judicum punit, verbo sententiam dicit. Quid est quod non habeat commissum, cujus est vel ipse sermo judicium? Pene est, ut leges possit condere, quando ejus reverentia potest negotia sine appellatione finire. Ingressus Palatium nostra consuetudine frequenter adoratur, et tale officium morem videtur solvere, quod alios potuit accusare. Potestate igitur, nulla dignitas est æqualis. Vice sacra ubique judicat. Nullus ei miles de fori sui auctoritate præscribit, excepto officiali magistri militum, credo, ut vel illis aliquid Antiquitas cederet, qui videbantur pro Republ. bella tractare. Curiales etiam verberat, qui appellati sunt legibus,* Minor senatus. *In officio suo jus retinet singulare, et talibus, tantisque noscitur jubere, quos etiam provinciarum non audeant judices in aliqua parte contemnere. Officium plane geniatum, efficax, instructum, et tota animi firmitate prævalidum, qui sic peragent jussa, ut nullis morentur dilationibus imperata. Militia perfunctis, tribunorum, et notariorum honorem tribuit, et milites suos illis exæquat, qui inter proceres mixti nostris conspectibus obsecundant. Gratanter implemus, quæ ille constituit, cujus reverentia et nos ita constringimur, ut sine dubitatione faciamus, quæ illum decrevisse agnoscimus. Non immerito, quando palatium sua provisione sustentat, servientibus nobis procurat annonas, humanitates quoque judicibus ipsis facit. Legatos gentium veraces implet ordinationibus suis. Et licet aliæ dignitates habeant titulos præfinitos, ab ista totum pene geritur, quidquid in imperio nostro æquabili moderatione tractatur.*

Hanc denique curarum omnium pulcherrimam molem (quod prosperum nobis, utile Reipub. sit) ab n. indictione tuis humeris decenter imponimus, quam tu et ingenii virtute sustineas, et summa fide tractare contendas: quæ quantum diversis sollicitudinibus constringitur, tanto magis laudes amplissimas dignitas hæc triumphat. Et ideo tantum lumen gloriæ sit actionibus vestris, ut et in Palatio nostro fulgeat, et in provinciarum longinquitate reluceat. Par tibi sit cum potestate prudentia, conscientiæ tuæ quadrifaria virtus assideat. Tribunal tuum ideo tam excelsum factum esse noveris, ut locatus ibi, nil humile, abjectumque cogitares. Considera quid debeas dicere, quod a tantis excipitur: Monimenta publica talia contineant, quæ se legisse nullus erubescat. Præsul mirabilis partem non habet cum delictis, quia nisi aliquid egregium assidue fecerit, culpam vel otiosus incurrit. Nam si prædictus auctor sanctissimus recolatur, quoddam sacerdotium est, præfecturæ prætorianæ competenter agere dignitatem. Hactenus formula dignitatis.

Præcesserat Dextrum in ea præfectura sub Theodosio Magno Cynegius, de Christiana Repub. optime meritus, vir omni laude dignissimus, ex Hispania quoque oriundus, ut ex sepultura ejus colligi datur. De eo namque hæc habet Idatius in Fastis Consularibus: *Theodosio iterum, et Cynegio coss. defunctus est Cynegius præfectus Orientis in consulatu suo Constantinopoli. Hic universas provincias longi temporis labe deceptas, in statum pristinum revocavit: et usque ad Ægyptum penetravit, et simulacra Gentium evertit. Unde cum magno fletu totius populi Civitatis, deductum est corpus ejus ad apostolos* (duodecim apostolorum Ecclesiam Constantinopolis intellige) *die* XIV *kalend. April. et post annum transtulit eum matrona ejus Achantia ad Hispanias pedestre.* Vide quales in officio prætorio præfectus Orientis, ex sua patria antecessores Dexter habuerit. Sed ad præfationem Dextri redeamus.

Postquam domum redii, etc. Hieronymus non solum *clarum apud sæculum*, Dextrum prædicat, quod ad natales, et præfecturam respicit, sed etiam *Christi fidei deditum*, quod ob scriptionem Chronici dictum existimo, in qua bonam vitæ suæ partem transegisse se scribit, cum laude et admiratione hominum, quamquam verecundia occupatus et modestia, *si non cum laude, citra pudoris notam*, dixerit. Cœperat ipsum scribere a multis annis, cum in Oriente agebat, sed munium publicorum tædio

BIVARII COMMENTARIUS.

affectus domi tandem suæ apud Barcinonem se recepit, ubi finem eidem imposuit senex jam et confectæ ætatis.

Quo loco illud monuerim lectores, triplici ex capite gravitatem hujus Chronici in præsenti epistola commendari; si enim auctorem respiciamus, præfectus prætorio est Orientalis imperii, et secundas partes post Cæsarem habuit; et de tanto viro præsumendum est, nihil sub suo nomine in lucem edere duxisse, quod verum aut valde probabile non sit; nec enim fabulis, aut nugis vacasse credendus est, aut sponte decipere voluisse, quin potius nihil non purum, nihil non undecumque probatum et constans suo operi intexuisse. Si tempus quo contextum est exspectetur, purissimum et defæcatissimum ex suis manibus prodiisse judicandum est, ut pote non uno vel altero anno elaboratum, sed ut minimum totis quadraginta annis; quandoquidem si Hieronymus Dextrum suo Catalogo inseruit anno Christi 393, quo eum hortatu suo ad finem perduxit (de quo in Apologia satis diximus), fit ut per aliquot annos ante 393 esset cœptum, ut illius saltim ex relatione amicorum Hieronymus habuisset notitiam. Cum autem ad annos Domini 430 perductum sit, quod ex ipso liquet, et Dexter in hac epistola fatetur, necessum est, ut post quadragesimum ab exordio finem acceperit. Ut ut sit, id nihilominus auctoris verbis est manifestum, cum dicat: *Totumque me converti ad ea studia, in quibus bonam meæ vitæ partem transegi.* Tanto itaque tempore distulit huic opusculo supremam manum imponere, ut de cunctis tandem certior fieret, et nihil immaturum ex sua officina prodiret. Demum ii quibus Chronicon ipsum nuncupatum est, Hieronymus, et Orosius, magni illud esse momenti, et non vulgaris auctoritatis, convincunt; quippe cum tantis doctoribus dandum non esset quidpiam ea destitutum; quorum præsertim in hoc scribendi genere præcipuum erat judicium et censura; nam Hieronymus itidem Chronicon Omnimodæ historiæ scripserat, et Orosius Hormestam suam Chronologico fere more de hortatu sancti Augustini vulgaverat.

Porro Omnimodam, etc. Jure Omnimodam nuncupat in qua profanam simul et ecclesiasticam historiam miscet; etenim martyrum triumphos, episcopalium sedium fundationes, successiones Romanorum antistitum, et synodales conventus: imperatorum etiam seriem, bella, seditiones, tumultus, translationes dominiorum, viros utriusque status nobiles, seu notabiles, et infinita id generis diligenter simul ac brevissime depinxit, tametsi uberior et profusior sit in rebus Hispanis, præsertim ecclesiasticis enodandis, utpote quas cæteris exactius callebat; quod et alii ejus generis scriptores fecerunt; ut videre est apud Eusebium, qui de Latinis pauca tetigit, cum in Græcis multus fuerit, et Marcellinum qui a rebus Occidentalis imperii fere abstinuit, totus in annotandis progressibus Orientalis, cujus erat alumnus occupatus; Victor Tunensis Africanam fere historiam secutus est, Idatius et Viclarensis Hispanam; et tandem unusquisque amore patriæ nonnihil longius ducitur, quam cæterarum regionum. Qua de re consule quæ § 2 Apologiæ dicta relinquimus.

Ab orbe condito, etc. A viris fide dignissimis Toleti existens accepi, codicem Dextri, qui in monasterio Cyslæ multos annos fuit, quemque canonicus Toletanus Vergara fortuito apud librarium mercatorem inventum emerat, utramque Chronici partem habuisse, nec solum a nato Domino, sed etiam ab orbe condito ad usque Dextri tempora complexum fuisse: et hunc pridem D. Petri Pechæ Giennensis episcopi fuisse, et ad usum D. Laurentii de Padilla, Cæsarei historiographi: sed codex ille dispendio quoque nostro deperiit. Codex Fuldensis, cujus copia fruimur, et ipse quoque a Fuldensi bibliotheca A suffuratus (neque enim Fuldæ, sed Wormatiæ repertus est), priori parte Chronici carebat; cum tamen hanc epistolam nuncupatoriam, quæ necessario toti operi præfigenda erat, haberet; eo videlicet quod amanuensis (ut apparet) contentus fuit historia a nato Domino, et epistolam loco submotam ei affixit. Porro, quod ait Dexter, se deducere Omnimodam historiam ad annum Domini 430 et consulatum XIII Theodosii Junioris, veritati subnixum esse liquet, quandoquidem constat ex Fastis Onuphrii, et Annalibus cardinalis Baronii tom. V prædictum consulatum in ipsum 430 annum Domini incidisse, et quod in eo collegam habuerit Valentinianum, tertium, etiam juniorem; quo nimirum synodus generalis Ephesina adversus Nestorium celebrata est, et magnus Aurelius Augustinus vitam cum morte commutavit. Cujus obitus cum Dexter non meminerit, par est credere, quod Chronicon absolverit ante 28 Augusti ejusdem anni, qua D. Augustinus B mortuus est. Supplevit defectum ejus continuator M. Maximus, Chronicon suum incipiens a transitu Augustini.

Sancto presbytero Hieronymo, etc. Liquet hoc, testimonio ipsius Hieronymi, libro de Script. Eccles. ipsi Dextro, cujus cohortatione factus fuerat, dicato; *Dexter* (ait) *Paciani, de quo supra dixi, filius, clarus apud sæculum, et Christi fidei deditus, fertur* AD ME *Omnimodam historiam texuisse, quam necdum legi.* Id vero ex relatione aliorum asseruit, nam a principio lucubrationem suam Dexter Hieronymo nuncupandam ordiebatur, quo nimirum libro sibi jam ab ipso dicato satisfaceret. Cæterum cum opus absolvit, et Bethleem misit, jam obierat in pace sanctus Doctor.

Tibi homini Hispano Lalætano, etc. Consonat Hugo episcopus Portugallensis, in epistola ad Mauricium Bracarensem, quam inter elogia auctoris dedimus. Bono nostro factum puta quod iterum Dexter librum dicaverit, nam ut id faceret multis C locis auxit, locupletavitque ipsum; et ita aucto, locupletatoque nobis datum est frui. Qua in re decennium aliud Auctor consumpsit, ut ex his quæ ad calcem legimus, aperte colligitur: *Cum hæc scriberem currebat annus Christi* 440, etc.; quibus liquido constat, hæc verba scripta fuisse in revisione operis, cum eam iterum dicavit Paulo Orosio. Quid vero in causa fuerit, ut nihil gestorum addiderit anno 430, ad quem primum historiam protraxerat, et locupletatio non in annis, sed in rebus facta fuerit, explicatum a nobis est in Apologia § 2. Porro Lalætanum vocat Orosium, quod Tarraco ad veterem Lalætaniam spectaret; Orosius vero esset Tarraconensis: quamquam nonnihil inter se differre Lalætaniam et agros Tarraconenses, ex veteribus sciamus, nam Plinius lib. XIV Histor. Natural. cap. 6 de vinis Hispaniæ disserens: *Hispaniarum*, ait, *Lalætana copia nobilitantur, elegantia vero Tarraconensia*; et clarius lib. III cap. 3: *Regio Cossetania, flumen Subi. Colonia Tarraco, Scipionum opus, sicut Carthago Pœnorum. Regio Ilergetum, oppidum Subur, flumen Rubricatum a quo Lalætani.* Et Martialis lib. I epigrammate *de Locis Hispaniæ*, ad Lucianum amicum ad Hispanias revertentem ait,

Aprica repetes Tarraconis littora,
Tuamque Lalætaniam.

Consentit Ptolemæus, qui in tabula secunda Europæ cap. 6 Tarraconem in Cossetanis, Barchinonem vero in Lalætanis ponit; quo auctore, quidquid Rubricatum flumen alluit (vulgo dicitur *Lobregat*) Lalætania dicebatur. Unde et Catalauniam dici nonnulli putant, e quibus Tarapha, Nebrissensis et Carolus Stephanus sunt.

Historiarum scriptori, etc. Teritur omnium manibus summa cum laude Pauli Orosii historia, quam

BIVARII COMMENTARIUS.

D. Augustino dicavit, et de qua inferius suo loco plura cum Dextro dicturi sumus: ubi de amicitia et A consanguinitate utriusque agendum, præter ea quæ in auctoris vita notata sunt.

INCIPIT CHRONICON.

A. C. 1. Lentulo et Messala consulibus, uno anno ante Augusti et Sylvani consulatum, Christus nascitur. A. R. 752.

BIVARH COMMENTARIUS.

A. C. 1. — 1. *Lentulo et Messala*, etc. Scripturus Dexter Christianum chronicon, ab eo quod caput est supputationis Christiani temporis merito exorditur, nimirum a Christi nativitate secundum carnem : eam vero probe notat tum ex consulibus, qui populo Romano præerant, tum etiam ex anno urbis conditæ decurrente. Id quod S. Augustinus necessarium esse monuit lib. II de Doctr. Christ. cap. 28, inquiens : *Per consulum nomina multa sæpe quæruntur; et ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, nonnullos coegit errare.*

Sæpe quidem valideque torsit doctorum ingenia hæc difficultas; quibusdam æstimantibus natum Dominum fuisse Augusto XIII et Sylvano coss. quos ducit Epiphanius in Panari hæresi 51 et amplectuntur ex recentioribus Panuinus in Com. Fast. lib. II et Joannes Mariana lib. IV Histor. Hisp. cap. 1. Aliis autem asserentibus, ortum sub consulatu Sabini et Rufini, quod tuetur Severus lib. II Histor.: nonnullis denique nihil horum probantibus, sed quod nativitas Domini inciderit in consulatum Lentuli et Messalæ, quod primus hactenus credebatur docuisse Cassiodorus in Chronico, quem postea secuti sunt Marianus Scotus insignis chronographus, et Cuspinianus in notis ad Cassiodorum. Et huic sententiæ subscripsit cardinalis Baronius C in Apparatu ad suos Annal. Eccles. tum quod consonantior appareat Evangelio Lucæ, tum quia ad Cassiodorum sequendum illud suadeat, quod homo Romanus esset, omni litterarum genere excultissimus, et in his apprime versatus, ut qui non tantum de Fastis consularibus, sed etiam de computo Paschali libellum conscripserit, magna adhibita consideratione.

Quod Lucæ Evangelio magis hæc sententia coaptetur, inde deducitur, quod ipso auctore cap. III Christus Dominus venerit ad baptisma anno XV imperii Tiberii Cæsaris, existens annorum XXX, qui videlicet Tiberii annus consules habuit duos geminos, Rubellium et Ruffum. Si autem ab his coss. et anno Cæsaris sursum ascendendo XXX consulatus enumeres in Fastis, qui apud Cassiodorum et Onuphrium reperiuntur, pervenies ad consulatum Cornelii Lentuli et Valerii Messalæ; atque in eo accidisse Christi nativitate certum erit: totidem siquidem consulatus, nec plus, nec minus, inter hos et illos D Coss. reperiuntur. Loquimur vero de Ordinariis, qui quolibet ineunte anno eligebantur, non de Suffectis, qui scilicet in locum aliorum infra annum sufficiebantur, in ea dumtaxat anni parte, quæ deerat, gubernaturi.

Hoc etiam ex olympiadum supputatione, quæ potissima inter Græcos erat, deducitur, annus siquidem XV Tiberii, Eusebio teste lib. II de Præpar. Evang. cap. 3, fuit quartus et ultimus olympiadis CCI; ab hoc vero usque ad secundum olympiadis CXCIV quo Lentulus et Messala consulatum inierunt, inclusive intersunt septem integræ olympiades, quæ cum quælibet sit quadriennia, viginti octo annos conficiunt; quibus si addas duos alios olympiadis CXCIV, ascendent ad XXX annos quos inquirimus: et consequenter asseremus Christum Dominum baptizatum initio anni quarti olympiadis CCI, et natum in fine secundi olympiadis CXCIV, nimirum in ultimo mense anni, et in extremis ipsius diebus, id est 25 Decembris, Lentulo et Messala coss. Cæterum omnimoda hujus B veritatis dilucidatio deducenda est ex vero sensu illorum verborum S. Evangelistæ, *Erat Jesus incipiens, quasi annorum* XXX, aut enim sensum reddunt, fere explevisse jam XXX paulo minus, aut incepisse dumtaxat XXX, aut explesse XXX et incepisse XXXI. Nam in primo sensu nativitas incidisse dicenda est in consulatum Augusti XIII et Sylvani, in sequenti in consulatum Sabini et Rufini et in ultimo tandem in consulatum Lentuli et Messalæ; sed quoniam ea verba Lucæ inferius ad annum Christi XXXI examinanda nobis ad unguem sunt, ne actum iterum agamus, illuc lectorem remittimus: interim affirmantes, multo cæteris certiorem esse postremum.

Mira proinde assertio Dextri judicari debet, qui ortum Domini Jesu sub Lentulo et Messala coss. annotavit. Verum ex Dextro potius stabiliri debet Cassiodorus, quem laudat, et amplectitur Baronius, quam ex Cassiodoro Dexter, utpote qui per 60 et amplius annos illum superavit; floruit namque Cassiodorus anno Domini 500. Dexter autem scripsit 430; quo fiet, ut Dexter primus omnium, quorum exstent opera, assertum de natali Domini sub Messala et Lentulo in lucem produxerit: nec minori quam Cassiodorus laude dignus, et auctoritate suffultus; ut ad eum quoque sequendum persuadeat, quod Romanus educatione et officiis fuerit, omni litterarum genere excultissimus, et in his præcipue bonam vitæ suæ partem insumpserit. Quas, quæso, Deo grates acturus esset card. Baronius, si Dextro sibi fas fuisset frui, qui caput suæ Chronologiæ tam luculenter confirmat? Nec causeris cum apud ipsum legis natum Dominum, Lentulo et Messalino coss.; nam utroque vocari nomine cardinalis ipse fatetur in Apparatu sub titulo, *De anno, quo natus est Christus*. Cassiodorus Messalam nuncupat sicut Dexter: et ob corporis pusillitatem forsan ab aliquibus Messalinus dici cœpit. Fuerat ante XXVII annos Messala consul cum Augusto III, anno quo Actiaca memorabilis contigit pugna; sed an unus et D idem fuerit cum collega Lentuli, mihi hactenus incompertum. Et hæc de consulatu sub quo natus est Dominus dicta sufficiant. Ubi quod addit Dexter: *Uno anno ante Augusti et Sylvani consulatum*, non ita accipias, quasi velit, anno integro ante illorum Fastos, id accidisse; sed mens illius est, ortum Domini non accidisse eodem anno, quo Augustus XIII cum Sylvano collega iniit consulatum; sed superiori, Lentuli et Messalæ Fastis insigni: nimirum die 25 Decembris ad calcem consulatus ipsorum.

Anno Romæ 752. Hactenus quibus consulibus Christus natus fuerit egimus, sed quoto anno ab urbe condita id acciderit, nunc exquirendum. Hoc uno a Dextro Baronius dissentit. Cum hic credat consulatum sæpe dictorum Lentuli et Messalæ inci-

A. C. 1. Tribus pastoribus, qui fuerunt sancti, primum ostenditur. A. R. 752.
2. Tres soles apparuerunt in Hispaniis in unum collecti. 753.

BIVARII COMMENTARIUS.

disse in annum urbis 751. Ille vero anno sequenti, A id est, 752; sed ejusmodi annorum supputatio non ita constans est apud omnes, ut inde aliquid certi deducere valeamus; cum inter ipsos Ethnicos magna sit adhuc lis de assignandis annis conditæ Urbis. Ausonius (quod ipse Baronius notat) per viginti ut minimum annos discrepat a Varrone: quare prudenter admonet ipse, haud tuto, et certo posse Christianos a conditæ urbis tempore annos numerare. Miror tamen doctissimum virum hac in re a præscripta Catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ supputatione descivisse: nam cum Romanum martyrologium die 25 Decemb. dilucide promat, natum Christum *ab Urbe condita anno* 752, ipse contendit natum præcedenti 751. Satius multo Dextri placitum sequemur, cui tabulæ Ecclesiasticæ consonant, et cui etiam Orosius subscribit, ejusdem cum Dextro antiquitatis, et gravitatis. Et certe si res ad unguem perpendatur, oppositum asserentes laborare in æquivoco convincentur. Unde hoc? Inde videlicet, B quod anni Romæ conditæ non sunt supputandi ab initio Januarii, sed ab eo mense, et die, quo ipsa condita fuit, videlicet undecimo kalend. Maii, seu 21 die Aprilis (quod idem est) qua festum Pales Pastorum Deæ celebrari solitum fuit, ut ex vetustissimis auctoribus accipimus. Ovidius lib. IV Fastorum, de ea festivitate agens, dixit:

Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro;
Sacra Pales aderat, inde movetur opus.

Sic etiam docuit Dionysius Halicarnasseus: et Messala Corvinus lib. de sua progenie ad Augustum, *Ferunt*, ait, *undecimo kalendas Maias, Romulum Urbis fundamenta jecisse*. Pro eadem sententia auctor Chronologiæ in Historiam Livii in principio, refert Tullium, Plutarchum, et Solinum; et idem asserit Marlianus lib. de Origine urbis Romæ, et Velcurio in Comment. ad lib. II Titi Livii: *Dies*, inquit, *Romæ natalitius, quo condi cœpta est, habetur* C *ad* II *kal Maias*. Denique Propertius lib. IV hæc ait:

Urbi festus erat, dixere Palilia Patres;
Hic primus cœpit Mœnibus esse dies.

Hinc fit, ut consulatus Lentuli et Messalæ partem fuerit complexus anni Urbis conditæ 751, et partem etiam anni 752. Quando enim consulatum illi inierunt die I Januarii, currebat annus Urbis 751; sed a die 21 April. cœpit annus ab Urbe condita 752: quare cum Christus Dominus natus fuerit, non ipsis kalendis Januarii, initio consulatus prædictorum, sed ad finem anni id est, 25 Decembris sub eisdem consulibus, necessum est ut asseramus, id accidisse anno Romæ 752, ut Dexter asseverat. Et tamen per hoc non recedit a supputatione Varronis aientis consulatum Lentuli et Messalæ in annum Urbis 751 incidisse; id enim de exordio ejus intelligendum est, non de fine, cui jam luxerat novus Urbis annus.

Hoc semel monuisse sufficiat, nec oportebit deinceps immorari in supputatione annorum Urbis conditæ: cognito siquidem semel quod natalis Domini inciderit in annum 752, facile cuivis anno Dominico suus ex latere respondens Urbis annus assignabitur, additis nimirum annis Romæ qui natalem Domini præcesserunt, ad annos Dominicos, de quibus fuerit quæstio: verbi gratia, si quæratur, quis annus Romæ respondeat anno Christi 120? dicendum quod 871, qui coalescit ex dicto 120 Domini, et ex 751 Urbis qui præcesserunt ejus natalem. Et idem erit de reliquis.

2. *Tribus pastoribus*, etc. Duo hic Dexter affirmat, videlicet pastores, quibus puer Deus primum omnium ostensus est, fuisse sanctitate conspicuos; deinde quod ad numerum eorum spectat, fuisse tres, nec plures, nec pauciores. Horum prius facile sibi quisque persuadebit, præclarum et singulare beneficium ob oculos versans, quod ipsis contulit Deus, dum participes eos fecit, præ cæteris totius mundi hominibus, gaudiorum suæ nativitatis; cujus nimirum et ipsi non fuerunt ingrati, immo vero reversi glorificaverunt, et laudarunt Deum in omnibus, quæ audierant, et viderant, sicut dictum est ad illos: quando ab angelo claritate Dei refulgente audire meruerunt: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est* VOBIS *hodie Salvator, qui est Christus Dominus*. Nam quod specialiter VOBIS natus dictus est, idem videtur ac si angelus apertius diceret, primum inter omnes mortales vobis natus est, utpote quem priorem estis visuri et adoraturi.

Quod attinet ad numerum illorum, diserte cum B Dextro consentit Beda, qui lib. de Locis Sanctis cap. 8, hæc ait: *Porro ad Orientem in Turre-Ader, id est, gregis, mille passus a civitate Bethleem segregata est Ecclesia trium pastorum Divinæ nativitatis consciorum monumenta continens*, quibus et ternarium et sanctitatem pastorum profitetur, in quorum nimirum honorem Ecclesia erat ædificata. Utrumque vero sine hæsitatione asseverat, utpote de quibus utrumque eo loci et temporis, per majorum manus accepta traditio pronuntiabat. Ejus sine dubio conscius Dexter velut is qui in Oriente prætorio præfectus fuerat, *tres* hoc loco *et sanctos* pastores evangelicos fuisse scribit, videbaturque valde congruum rationi, ut tres dumtaxat pastores Verbum Patris, Spiritus sancti ope caro factum primi hominum adorarent, quo adoratores existerent sanctissimæ Trinitatis mysterii, sicut et in tribus Magis postmodum effectum suo loco videbimus. Porro de pastorum numero videndi sunt card. Baronius anno Domini I et Suarez tom. II in 3 p. D. Th. q. 36, disp. 14, sect. 2.

A. C. 2. — 1. *Tres soles*, etc. Trinos soles sæpius antiqui viderunt; quinquies, ut minimum, de quibus Plinius lib. II Hist. Nat. cap. 31 affirmat incidisse sub consulibus Sp. Posthumio, et Q. Mutio: Q. Martio, et M. Portio; M. Antonio, et P. Dolabella: M. Lepido, et L. Planco: quibus subdit sextam trini solis apparitionem, *Et nostra*, ait, *ætas vidit Divo Claudio principe, consulatu ejus, Cornelio Orfito collega*. Hæc ultima incidit in annum Domini 52, qui Claudium et Orfitum consules habuit. Quæ autem Lepidum et Plancium vidit consules, initium Triumviratus ornavit, quando videlicet Cæsar sibi adjunxit M. Lepidum, et M. Antonium Reipublicæ constituendæ. Contigit vero quadraginta annis ante Christi Domini natalem, et Urbis conditæ 712, ut in Comment. Fastorum probat Onuphrius lib. II. Sed quorsum hæc? scilicet ut discas, Plinium eo loco minime egisse de illa trini solis comparitione, quæ Christo recens nato in Hispaniis facta est; quandoquidem D quædam ex recensitis ab eo longe sunt anteriores, cum ea quæ sub Plancio et Lepido coss. contigit, recentior sit superioribus, et tamen per annos 40 adventum Domini præcesserit; quæ vero suo tempore accidit, Claudio et Orfito Coss., 52 annis posterior sit.

Agit nihilominus de tribus solibus apud Hispanias visis Adventus Domini tempore Julius Obsequens lib. de Prodigiis cap. 128, et Doctor Angelicus 3 par., q. 36, art. 3, ad 3 arg., *Credibile est*, inquit, *etiam in aliis partibus mundi* (et non solum in Oriente, ubi stella apparuit Magis) *aliqua indicia nativitatis Christi apparuisse; sicut Romæ fluxit oleum, et in Hispania apparuerint tres soles paulatim in unum coeun-*

A. C. 2. Augustus Tiberium et Agrippam in filios adoptat. A. R. 753.
Judas Galilæus Judæos ad rebellandum in Romam, cohortatur.
+ 3. Herodes universos in Bethleemitica regione pueros necat. 754.

BIVARII COMMENTARIUS.

tes. Certe inter cætera mundi climata, Romæ præcipue, et in Hispaniis, natalis Domini apparere clara prognostica congruum fuit, quandoquidem utrobique potissime fides natis Dei elucere postmodum debebat. Præcesserat quidem Romæ fons olei, qui in Transtiberina taberna meritoria repente erupit, et unius diei spatio fluxisse dicitur, anno tertio Triumviratus, et ante Christi nativitatem 37, ut Orosius noster testatur lib. VI cap. 19, quem Baronius sequitur; tres autem soles in Hispania visi, Deum in carne recens natum demonstrabant, utpote qui altero ab ejus Nativitate anno, testimonio Dextri apparuerint : cui in hac re fides adhibenda est, eo vel maxime quod rebus Hispanicis annotandis ante omnes incubuit, et illi in hac parte nemo reluctetur.

Obiter monuerim hujusmodi apparitionem meteorologicam, absque speciali miraculo potuisse contingere, quamquam eo temporis non sine magni ratione mysterii factam credamus. Nihil enim aliud sunt duo illi soles collaterales ejus, qui in medio est, quam imagines veri solis inter eas existentis, quæ tamquam in speculo, in nube apparent : quapropter a Græcis paralleli nuncupantur, id est, solis imagines. Oportet autem ut nubes rorida sit subtilis, regularis, uniformis, spissa, tersa, ac fulgens instar speculi ; tunc enim lumen solis in ea fortiter refrangitur, ipsa vero quasi speculum perfectum ac sanum præbet nobis videndum non solum colorem luminis, sed etiam solis ipsius figuram. Qua de re Aristoteles egit lib. III Meteororum, et nos cum ipso in Disceptationibus nostris physiologicis. Addit Plinius, plures simul quam tres numquam visos, nimirum quia duo dumtaxat latera habet verus sol, quæ speculo ipsi serviant. Cæterum quod Dexter adjecit, *in unum collecti*, vel quod D. Thomas dixit, *paulatim in unum coeuntes*, eo tendit, ut doceat, duos e latere veri Solis astantes evanescere, ipso nihilominus perseverante.

2. *Augustus Tiberium*, etc. Existimat card. Baronius adoptionem Tiberii incidisse in annum Christi sextum, moveturque testimonio Valerii Paterculi; Dexter tamen hoc secundo accidisse contendit; habetque in sui favorem Eusebium in Chronico, qui ad annum Domini præsentem hæc scribit : *Anno Domini* 2, *Augustus Tiberium et Agrippam in filios adoptat*; a quo Dexter ea verba mutuatus fuisse videtur. Cum vero Tiberius filius Augusti Cæsaris non esset, sed privignus, nimirum filius Juliæ Augustæ uxoris suæ ex alio marito, et Germanicus Cæsar potissimum jus ad sceptrum haberet, improbis uxoris precibus Tiberium in filium coptavit, ut defectu Germanici in imperio succederet; sed factum est ut Germanicus Cæsar, dum præfecturam Orientis administrat, Pisonis dolo vita orbatus sit, et Tiberius in ejus locum successit. Tiberius igitur et Agrippa in filios adoptati ab Augusto, in palatio educati fuerunt, tamquam filii ; sed Agrippæ varia fuit fortuna ; eum siquidem Tiberius multos annos carceri mancipatum tenuit, quod illi mortem, Caio vero nepoti vitam et regnum publice fuerit increpatus. Cæterum post mortem Tiberii non solum a vinculis liber educitur, verum et ad regnum Judæorum evehitur ab eodem Caio, qui jam in imperio successerat Tiberio. Qua de re multis egit Josephus in lib. Antiq. Judaicarum.

3. *Judas Galilæus*, etc. Hæc quoque Eusebius testatur in Chronico : *Anno*, inquit, *Domini* 2, *Judas Galilæus ad rebellandum Judæos, ne acquiescerent solvere tributa Romanis cohortatur*. Inde alii auctores acceperunt, ut Vincentius Beluacensis in Speculo Hist. lib. VI, cap. 96. In eo Judæorum conventu, in A quo Apostoli causam dicere jussi sunt, eruditissimus pariter ac sanctissimus Gamaliel (apud Lucam Actor. V) hanc Judæ Galilæi rebellionem retulit, postquam de defensione et casu Theodæ dixerat, inquiens; *Post hunc exstitit Judas Galilæus, in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit, et omnes quotquot consenserunt ei, et dispersi sunt.* Occasione census, quem Augustus a Judæis exigebat, commotus Judas, populum ad defectionem commovit, prædicans non licere genti Israelitæ censum cuiquam pendere, sed soli Deo. Rei gestæ seriem describit Josephus lib. XVIII Antiquit. cap. 1 : *Exstitit* (ait ille) *quidam Judas Gaulanites, ortus ex oppido Gamala qui adjuncto sibi Pharisæo Sadoch, sollicitavit ad defectionem populos, censum nihil aliud esse, quam manifestam servitutis professionem dictitans; et universam gentem ad tuendam libertatem adhortans. Accipiuntur hæc pronis vulgi, ita ut accenderentur ad audendum aliquid; atque ita dici vix potest, quantum hi viri totam gentem conturbaverint, dum omnia miscent* B *cædibus et latrociniis; prætextu quidem propugnandæ libertatis publicæ; revera privatorum lucrorum studio.* Hæc ille, qui tamen a vero abfuit, dum post Judæ defectionem, Theodam rebellasse contendit, in quo eum recte notat Baronius anno 1 Domini, cum oppositum constet Gamalielis testimonio Actor. V, nisi quod postea ad annum Domini 34 Josephum sui oblitus defendere conatus est.

Cæterum de anno quo hæc Judæ defectio contigit, non parva lis est, Josephus citato loco, et lib. II de bello Jud. cap. 7, affirmat accidisse, non quidem sub Herodis regno, immo nec sub filii ejus Archelai, sed post utriusque obitum, novem saltem post annos ab Herodis interitu. Fallitur tamen vehementer, cum ex Evangelistæ narratione constet in diebus professionis accidisse : celeberrima autem professio tunc fuit, quando sub Augusto Cæsare, et præside Syriæ Cyrino, ibant omnes ut profiterentur, singuli in suam civitatem, ut unusquisque suum censum C solveret; unde Judas occasionem deficiendi arripuit. Pagninus loco illius verbi *In diebus professionis*, vertit *In diebus descriptionis*, illius sane qua factum est, ut ad unius hominis edictum, describeretur universus orbis. Intulit inde Baronius, tam in apparatu quam in tomo I Annal., defecisse Judam primo Domini anno, eo quod tunc descriptio illa orbis facta est. Sed Dexter et Eusebius ad annum secundum eam defectionem rejiciunt : quod sane credibilius est tum ob eorum auctoritatem, tum quia aliquod tempus necessario Judas insumeret in defectione prædicanda, et in perpetrandis tot cædibus ac latrociniis, quot Josephus supra retulit.

A. C. 3.—1. *Herodes*, etc. Perantiqua sane inter Doctores controversia fuit de anno Bethleemitici Infanticidii; quibusdam aientibus post annum et dimidium a nativitate Joannis, seu quod idem est, anno transacto ab ortu Salvatoris, accidisse; quod sequitur Nicephorus lib. I. hist. cap. 14, nonnullis vero affirmantibus anno ipso primo Dominicæ infantiæ fuisse perpetratum, quod multi ex recentioribus se deducere D autumant ex Augustino, Chrysostomo, et aliis Patribus, et Baronius ac Suarez viriliter propugnant. In quorum favorem illud præcipue facit, quod post adorationem Magorum, quæ die festo ejusdem anni accidit, subsequenter ait Matthæus : *Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros*, etc.; quod si *tunc* id factum fuit, eodem videtur anno accidisse. Ab his omnibus recedit longe Dexter, ad annum Christi tertium cædem Innocentium rejiciens. Audet Baro-

nius huic sententiæ commentitiæ notam imponere; ego vero ostendere gestiam tam longe a commento abesse, ut vel cæteris probabilitate præstet, vel ut minimum æquet probatissimam.

Et quidem tanta auctoritate et antiquitate assertio Dextri fulcitur, ut venerandum mereatur locum apud prudentes et cordatos viros. Nam præter Dextrum, cujus sola auctoritas difficiliora stabilire sufficeret, eidem sententiæ subscripsit Epiphanius in Panari lib. I, hæresi 30, dum docet post duorum annorum tempus a nativitate Salvatoris Magos in Bethleem venisse adorationis causa, et ante ipsum idem docuit Hippolytus Thebanus in Chronico, apud Canisium tom. III antiqu. Lectio. illis verbis : *A Christi nativitate usque ad Magorum præsentiam anni sunt duo;* cumque cædes ipsa infantium truculenta reditum Magorum subsecuta sit, fit ut ex mente Epiphanii et Hippolyti inciderit in annum Domini tertium. Idem habet Eusebius in Chronico, quem absque dubio Dexter secutus est, ut in cæteris; inquit enim ille : *Anno* 3 *Christi, Herodes cum Christi nativitatem Magorum indicio cognovisset, universos in Bethleem parvulos jussit interfici.* His addo Doctorem Angelicum, cujus placitum suo duntaxat pondere, numquam vacillare queat : is vero Dextrum manifeste complectitur 3 p. q. 39, art. 6, ad 3 arg. quo loci monet, quod si cum communi sententia dixerimus Magos suum iter confecisse tredecim dierum spatio, qui inter Natalem et Epiphaniam Domini intercedunt, consequenter affirmare oportebit Herodem non statim a recessu Magorum, sed post biennium pueros trucidasse : *Alii vero dicunt* (verba sunt sancti Thomæ) *stellam apparuisse primo cum Christus natus est, et quod statim Magi visa stella iter arripientes longissimum iter in tredecim diebus peregerunt; et secundum hoc Herodes, non statim recedentibus Magis, sed post biennium pueros interfecit.*

Id quoque non leviter ex verbis Matthæi inferri videtur, dum cap. II refert Herodem pueros omnes bimulos necasse, *secundum tempus quod exquisierat a Magis.* Ut quid enim bimulos potius, quam trimulos, aut alterius ætatis infantulos occidere jussit? Video Matthæum occurrere Herodem id fecisse *secundum tempus quod exquisierat a Magis.* Verum ejus sententia trifariam intelligi potest; aut enim vult duobus annis post Christi natalitium diem, stellam regibus in Oriente existentibus ortam fuisse, ut ita existimari oporteret, totidem jam puerum Jesum explevisse, quando Magi ipso adorato illuserunt Herodi; aut quod ipsi nisi post biennium ab ortu stellæ non pervenerunt Hierosolymam; aut denique quod ab adventu illorum biennii tempus transierat; atqui duo priores intellectus merito ab omnibus explodun-tur, utpote omni ratione et fundamento destituti; ac proinde posterior admittendus est, quem intendimus.

Sed ais cum Jansenio in concordia Evangelica, verbum illud, *secundum tempus*, etc., non esse conjungendum cum particula *a bimatu*, ut denotetur tempus a Magis exquisitum fuisse biennium, sed cum illa, *et infra*, ut sit sensus, tempus exquisitum fuisse longe infra biennium; et ita Herodem pueros illos occidisse, qui non excedebant biennium, non autem omnes qui nondum illud expleverant, sed eos qui nati fuerant cum stella in Oriente regibus orta est. Quo sensu particula *infra secundum tempus, quod exquisierat a Magis*, terminum præfinit minimum (ut cum physicis loquamur), et *bimatum* ponit maximum. Ex quo consequenter fatendum est, eos pueros qui nondum duodecim vel tredecim excesserant dies (hoc enim erat tempus ortus stellæ a Magis assignatum) nequaquam occisos fuisse.

Viderint tamen hujus Commentarii auctores, sitne potius commentum; nam ut minimum tam novus est, ut universos Ecclesiæ Patres, et antiquos scriptores subterfugerit; et sanctus Thomas eorum sententias ad duas duntaxat reduci docuit, quarum neutra Jansenio placuit. Et certe quamvis alia adminicula deessent communi, illud piis sufficeret, quod in ea quam impugnamus multi puerorum Bethleemiticorum qui tempore infanticidii nati erant, asseruntur fraudati corona martyrii, illi videlicet, qui nondum duodecim dies compleverant, quando Magi Hierosolymam accesserunt : hi siquidem extra illum minimum terminum erant. Nemo autem existimavit unquam alicui puerorum illorum pro nimia teneritudine parcitum fuisse. Immo vero id non solum a Doctoribus catholicis, sed etiam ab ethnicis inficiatur; nam Macrobius, lib. II Saturnal. cap. 4, ejusdem cædis memor, omnes occisos infra bimatum manifeste commemorat. En ejus verba : *Cum Augustus audisset, inter eos quos in Syria Herodes rex Judæorum inter bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait : Melius esse Herodis porcum, quam filium.* Obiter notans Judaicam a carne suilla abstinentiam, et sævitiam hominis superstitiose filicidæ. Ubi tamen asserens *inter bimatum occisos*, nullum eorum qui bimatum non expleverant excludit. Rursus quæram ego ab adversariis, cum Christus tempore necis innocentium, duos ut plurimum, in eorum sententia, aut tres confecisset menses, cur Herodes in pueros duorum annorum desæviit? Si occurrant id factum, ne forsan majoris ætatis esset, quam Magi dixerant; tunc tenebuntur rationem reddere, cur non jussit etiam jugulare recens natos, quamquam ad duos illos menses Domini non ascenderent? poterat namque pariter timere, necdum forsan Christum natum cum Magi eum convenerant Dominum adoraturi. Et certe si timore agendus esset, illud tempus potius taxare debuerat, quod propius accedebat a Magis designato; certum est autem minus distare recens natos a duorum mensium ætate, cujus Christus eo temporis fuisse dicitur, quam illi, qui adhuc biennium ascenderant.

Satius proinde erit cum Dextro asseverare, idcirco Herodem bimulos occidisse, quia illud erat tempus, *quod* ab ortu stellæ et Domini, *exquisierat a Magis.* Id quod aliunde non difficulter ostendemus, et primum a die eorumdem innocentium Martyrum festo, nimirum 28 Decembris. Non enim est cur suspicemur, Ecclesiam eorum minime memorias celebrare, quo die pro Christo Domino passi sunt; immo vero ex ipso festo quasi Ecclesiæ traditione accipimus, sanctos pueros tali die martyrio coronatos, uti asseverat auctor thesauri Concionatorum. Quo supposito, fateri imprimis cogimur truculentam illorum jugulationem post annum ut minimum et quatuor dies ab ortu Domini accidisse : non enim eo ipso anno, elapsis quatuor duntaxat diebus contingere potuit, cum adventum Magorum, immo et Purificationem Virginis subsecuta sit. Rursus inde infertur, cum Matthæus inquit, *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde*, etc.; adverbium *tunc* non determinare consecutionem immediatam temporis, quia non statim a secessu Magorum pueros Herodes occidit, ut dies martyrii probat; sed continuationem historiæ, et idem significare atque adverbium *postea.* Semel autem hoc dato, nihil est in toto Evangelio quod nos cogat asserere unum duntaxat intercessisse annum inter Christi nativitatem, et infanticidium, et non potius annos duos, et dies quatuor tertii; neque cur verba Evangelistæ in suo robore non retineamus occisos scilicet pueros a bimatu, quia tantum temporis elapsum erat ab ortu stellæ, quem Herodes exquisierat a Magis.

Sed quamobrem, quæres, Herodes tantum temporis a nece infantulorum abstinuit? Primum quia non illico post recessum Magorum certior factus fuit de eorum reditu, et quod illusus esset ab eis, cum

A. C. 6. Herodes morbo intercuti, et scatens vermibus, periit. A. R. 757.
Asinius Pollio vir consularis, et orator, octoginta major obiit.

BIVARII COMMENTARIUS.

illi non palam sed clanculo reversi sint. Quare menses aliquot transisse necessum est, ut Herodes tædio tandem ac desperatione victus, se illusum judicaret, et mitteret qui quæreret Magos et puerum. Quo loci illa mihi, quæ nunc occurrit, ratio vehementer arridet, nimirum quod cum monuit angelus in somnis Josephum, ut puerum et matrem in Ægyptum portaret, eam intulit secessus causam : *Futurum est enim, ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum.* Prius ergo Puerum quæsivit, si forte eum apprehendere et perdere posset, quam mittens occideret omnes pueros qui erant in Bethleem et in omnibus finibus ejus. Multa siquidem deliberatione opus erat, ut in tantam stragem abduceretur. Non enim credibile est tam crudelem et generalem necem decrevisse, quin prius mittens semel et iterum solum perquireret novi Regis ortum, et perditionem; et ita tandem spe sua frustratus, cum multos esse pueros inibi reperiret, et de omnibus par esset ratio dubitandi, quia de nullo suspicari plus posset quam de cæteris, desperans aliter id fieri posse quod quærebat, bimulos omnes occidere decrevit; non solum in Bethleem, sed etiam in omnibus finibus ejus : et necdum quiescens, suummet filium bimulum occidit. Itaque in variis Pueri inquisitionibus, quæ decretum illius stragis præcesserunt, non mirum si temporis bona pars insumpta fuit : præsertim quia facile existimare posset, toto ejus infantiæ tempore, nullum imminere rebellandi periculum, cum nec vires Puero sufficerent, nec opes, et confœderatorum turba præsto essent; biennio autem exacto, ne longius protelaretur negotium, decreverit Puerum neci dare.

Omitto dicere, *quot et quantis occupationibus regia cura distendi potuerit, et per plurimos alios dies, ab illa intentione vel averti omnino, vel impediri.* Quæ sunt Augustini verba lib. II de Consensu Evang. cap. 11. Addunt alii, Herodem eo temporis spatio Romam petiisse; sed refragare eis Josephum lib. XVI Antiquit. cap. 7, 8 et 9, contendit Baronius, quod bis dumtaxat Romam Herodem concessisse affirmet, semel accusaturum filios coram Cæsare, Olympiade 192, quæ præcessit Christi nativitatem, et iterum multo tempore post. Nihilominus D. Thomas citato loco q. 36 approbat quod multi dicunt, quod Herodes interim accusatus Romam ierit; et certe qui id negant, solum nituntur supputationi annorum regni Herodis, cum qua non posse constare aiunt ejusmodi iter Herodis primo Domini biennio; at vero supputatio ipsa fabulosa esse a Baronio in Apparatu Annalium judicatur, ut a Josepho describitur; unde nec obesse nobis poterit.

Desumere etiam possumus argumentum ab eo quod Ecclesia canit de sancto Joanne teneris sub annis desertum petiisse, in hymno :

> Antra deserti, teneris sub annis,
> Civium turmas fugiens petisti.

Quod Bernardus Serm. de privilegiis ipsius dixit, *Intra teneritudinem annorum, beatus iste puer ad eremum deductus est:* et satis innuitur ab Evangelista Luca cap. 1, dum ait : *Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu, et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ in Israel*, ubi primum asseritur crevisse, et postea ductum fuisse in eremum. Ex quibus omnibus manifeste deduci videtur, non statim atque natus fuit, in desertum abductum fuisse, sed teneris sub annis, seu intra teneritudinem annorum, quod ut minimum tertium ætatis annum sonat. Docet autem S. Petrus Alexandrinus can. 3 suarum regularum, quas sexta synodus recepit, Baptistam in desertum a parentibus fuisse deductum, ut subduceretur a nece Herodiana, quæ illi, si non titulo Bethleemitico, saltem ob suæ conceptionis et nativitatis famam imminebat. Quod si tertium agebat Joannes annum tempore necis Innocentium, reliquum est, ut Christus duos complesset, et tertium inchoasset. Jure ergo Dexter anno Domini tertio infanticidium contigisse notat, quia videlicet secundum exegerat, et tertium per dies quatuor inchoabat.

A. C. 6. — 1. *Herodes*, etc. Quisquis attente perspexerit dolorum acerbitatem, et multitudinem ægritudinum, ac plagarum, quibus Herodes oppressus interiit, inficiari minime poterit, læsæ pietatis pœnas Deo expendisse. Decadem infirmitatum numerat Josephus lib. XVII Antiquit. cap. 8 : *Regi*, ait, *morbus factus est gravior, pœnam impietatis exigente Numine. 1° Lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quam intus popularetur viscera. 2° Aderat et vehemens voracitas, cui necesse esset continuo cibos suggerere. 3° simulque vexabatur intestinorum exulceratione; 4° et colicis passionibus; 5° pedes tumebant phlegmate humido, et pellucido; 6° similiterque inguina; 7° ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis; 8° accidente fœda nec minus molesta tentigine, non sine fetore gravissimo; 9° super hæc omnia nervorum contractione laborabat; 10° et difficultate anhelitus.* Cujus vero impietatis pœnas lueret, Eusebius lib. I Hist. Eccles. cap. 8 exponit inquiens : *Deinceps post necatos infantes, quæ merces crudele Herodis facinus contra Christum et pueros ejus æquales admissum, secuta sit, et quo pacto statim post, nulla vel minima quidem dilatione interposita, Divina ultio illum, dum adhuc in vita manebat, exagitaverit, operæ pretium est intelligere*, etc. Pœnas igitur Herodes luit crudelis infanticidii, sed quoto anno Christi id acciderit non convenit inter auctores. Cardinalis Baronius Josephi supputationem annorum regni Herodis secutus, existimat id accidisse anno Domini 8; nam is fuit 37 regni Herodiani; sed parum secure, cum ea supputatio ipso Baronio testante in Apparatu, fabulosa sit. Et quidem cum Eusebio auctore, quem ipse in hoc complectitur, *statim post* infantulorum internecionem, *nulla vel minima quidem dilatione interposita, Divina ultio illum exagitaverit*, minime Herodis mors in annum Domini octavum differri potuit, præsertim in ejus sententia, qui anno primo Christi necatos fuisse docet infantes. Sequor potius Eusebium quem Dexter procul dubio complexus est : is siquidem in Chronico inquit : *Anno Domini 6 Herodes morbo intercuti, atque scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter et digne moritur.* In quo etiam illud merito prætermisit Dexter, *scatentibus toto corpore vermibus*, eo quod a Josepho, qui omnes Herodis ægritudines, ut vidimus, notat, solum ejus verenda vermiculis corrosa fuisse asseruntur.

2. *Asinius Pollio*, etc. Hic ille orator insignis, cujus laudes Seneca et Quintilianus magnifice prosecuti sunt. *Multa in Asinio Pollione* (ait hic) *invenio summa diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videantur; et consilii, et animi satis.* Fuit in amicitiis Augusto, docuitque Romæ tempore Pompeii Magni, successitque in schola Thimageni. Scripsit bellum Cæsaris et Pompeii, et primus omnium publice scripta sua Romæ recitavit. De eo Plinius lib. XXXV, cap. 2, testatur, *primum omnium Romæ bibliothecam dicando, novo invento, ingenia hominum rempubl. fecisse.* Sed quale novum vocat inventum? *Siquidem* (ait) *non solum ex auro, argentove, aut certe ex ære in Bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iisdem locis ibi loquuntur; quinimmo etiam quæ non sunt finguntur, pariuntque desideria non traditi vultus, sicut in Homero evenit.* Incidit consu-

A. C. 9. Tiberius Cæsar Dalmatas, Salmatasque Romanis subjicit. A. R. 760.
+ 12. Christus puer in medio Doctorum disputat. 763.
14. Augustus cum Tiberio filio censum hoc anno agit. 765.
15. Defectio solis. Et Augustus annis LXXVI moritur. 766.
Tiberius Julius D. Augusti filius, Dominus noster Cæsar Augustus, Germanici frater, III imperator.

BIVARII COMMENTARIUS.

latus Asinii in annum Urbis 747 ut placet Cassiodoro, sexennio ante Christi natalem, sociumque habuit C. Martium. Sed quoniam sua ætate Cicero flumen novum eloquentiæ floruerat, et Asinius ab ejus nitore et jucunditate tantum aberat, ut videri posset sæculo prior; effectum est, ut ejus filius Asinius Gallus, vir etiam consularis, librum scripserit de comparatione patris cum Cicerone, ubi Pollionem Ciceroni prætulit; contra quem in defensionem Ciceronis Cl. Cæsar defensorium edidit, ut Suetonius in Claudio refert, de quo etiam Cælius Rhodiginius in suis lect. antiqu. De Asinio hæc habet Eusebius in chronico: *Anno Domini* 6, *Asinius Pollio orator, et consularis, qui de Dalmatis triumphaverat, octogesimo ætatis suæ anno, in villa Tusculana moritur.* Quod autem, inquit, de Dalmatis triumphasse, non obest Tiberii triumpho, de quo statim agendum est; Asinius siquidem multo ante de eis triumphum egerat, sed rebellantes Tiberius compescuit, et iterum subjugavit.

A. C. 9. *Tiberius*, etc. Eisdem fere verbis utitur Eusebius in Chronico: *Anno Domini* 9, *Tiberius Cæsar Dalmatas, Sarmatasque in Romanam redigit potestatem.* Dalmatæ inter cæteras gentes postremæ fuerunt, quas Octavianus Augustus Romano subjecit imperio. Illi quidem tametsi auspiciis Augusti redacti in provincias sunt, Duce tamen Tiberio Cæsare, successore jam declarato, id effectum est. Qua de re agunt Plutarchus, Suetonius, Dio, Florus, et cæteri Romanarum rerum scriptores. Est vero Dalmatia Illyrici pars, e qua Magnus Hieronymus prodiit, in oppido Strigonio natus. De ea Plinius lib. IV, cap. 25. Subest nunc Venetorum imperio, et olim sub Nerone Cæsare auro abundavit, ita ut unus ejus dumtaxat alveus singulis diebus quinquagenas libras funderet, ut auctor est ipse Plinius lib. XXXIII, cap. 4.

Sarmatarum regio latissime patebat, ab ipsis nimirum Germaniæ finibus, et amne Vistula, in Hircaniam usque protensa: nunc Croatia dicitur. Ab efferatissimis incolebatur hominibus, qui partim in montibus et saltibus degebant, partim palustribus domibus utebantur. Scribit Plinius lib. XXII, cap. 1, eosdem formæ gratia, ritusque perpetui, corpora sua quarumdam herbarum succis pingere solitos (quod ævo quoque nostro Americis in usu fuit), et quod, ut plurimum, alebantur pulte confecto ex cruda milii farina, equino lacte, vel sanguine admisto. Consule de eis Strabonem et Ptolemæum.

A. C. 12. *Christus*, etc. In hoc articulo nullum Christianorum fas est dubitare, cum D. Lucas conceptis verbis id asseveret, cap. II: *Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam*, etc. *Et factum est post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis ejus.* Quocirca manifestus error irrepsit illustrationi Chronici Eusebii, dum in margine apponitur annus undecimus Domini, cum fide constet ejusmodi disputationem anno ejus 12 accidisse.

Illud obiter monuerim, cum Christus Dominus duodennis super cathedram depingitur, id ex pietate vulgari ortum duxisse; alias tunc temporis minime Doctorem se gessit, sed Disputatorem: ut bene notat Dexter, qui non asserit, eum pharisæos docuisse, sed in medio illorum disputasse: et Evangelista dixit, *Audientem illos, et interrogantem eos*; et inter disputandum, responsa dedisse, super quibus illi obstupuere; *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia et responsis ejus.* Itaque accessit primum tentando, et interrogando, quod disputantis munus est; deinde requisitus a Doctoribus de difficilibus Legis et Prophetarum testimoniis, tam mira in medio positus dedit responsa, ut audientes in stuporem verteret. Unde S. Alredus, abbas Riæ Vallis, Sancti P. Bernardi discipulus, in homilia super eadem historia (exstat inter opera Bernardi) dixit: *Merito igitur post triduum invenitur in templo in medio Doctorum, primum audiens, et interrogans, deinde sacratissima mysteria prodens. Data est hæc pueris et adolescentibus humilitatis et reverentiæ forma, ut in medio seniorum taceant, et audiant, interrogent et discant.*

ANNO 14. *Augustus*, etc. Ita Eusebius in Chronico: *Anno Domini* 14 *Augustus cum Tiberio filio censum Romæ agitans, invenit hominum nonagies trecenta, et septuaginta millia.* Mos fuit Romanis quolibet lustro censum agere; immo, ut Varro auctor est, *lustrum a luendo*, id est, solvendo, dictum fuit spatium quinque annorum, quod quinto quoque anno vectigalia per censores locata persolvebantur, et a civibus tributa conferebantur. Plinius lib. II cap. 47 dicit, lustri initium esse Caniculæ ortum cujusvis intercalaris anni, et ita lustrum non explebat quinquennium, sed quinto quoque anno incipiente census agebatur. Quocirca iste de quo nunc Dexter cum Eusebio tractat, non fuit usualis ille, qui quinto quoque anno agi solitus erat, vectigalium repetundorum gratia, sed peculiaris et novus, quippe cum ab anno primo Christi quo census actus constat, ab eodem Augusto sub præside Syriæ Quirino ad hunc 14 elapsa fuerint tria lustra, seu tres anni intercalares cum sensisse, et ita initio 5 et 9 et 13 census agi oportuit. Erit igitur census iste extra numerum cæterorum, ac per hoc dignus peculiari animadversione: eo vel maxime quod specialiter Romæ factus dicitur, et non in universo terrarum orbe: et ibi reperta tot hominum capita quot referuntur ab Eusebio, videlicet 33,300,000, hoc est triginta tres myriades, et trecenta millia hominum, quod omnem fere credulitatem superat. Prudenter abstinuit a numero Dexter.

A. C. 15. — 1. *Defectio*, etc. Utrumque hoc anno accidisse, præter Dextrum, Eusebius in Chronico affirmat: et quod Augustus obierit ætatis suæ anno 76. Obiit autem Attellæ (nunc Nolæ) in Campania, inde in Campum Martium urbis translatus. Sunt qui asserant, quod supremum agens diem, jactaverit se urbem relinquere marmoream, quam lateritiam invenerat. De Augusti gestis consulendi sunt Suetonius, Tacitus, Plutarchus, Dio, et cæteri Romanarum rerum scriptores.

2. *Tiberius*, etc. Codex Dextri excusus Cæsaraugustæ corrupte habebat, *Tiberius Julius Divi Augusti filius. D. N. Cæsar Aug. Germ. et frater* III *Impera.* cum omnino legendum sit *Germanici frater* III *imperator.* Onuphrius in Fastis habet: *Tiberius Julius Divi Augusti filius, Divi N. Cæs. Aug. Germanicus* III, *populi Romani imperator.* Sed explicet ipse quid sibi velit, ille casus secundus, *Divi N. Cæs.* Cæterum an Germanicus, an vero Germanici frater dici oporteat, mihi Dextri lectio arridet, nam unde Germanicus dici potuerit, nisi forsan in memoriam defuncti Cæsaris non video.

A. C. 19.	Titus Livius, egregius historiographus, Patavii obiit.	A. R. 770.
	Eodem anno Ovidius exsul in Ponto moritur.	
23.	Theatrum Pompeii flamma corripiente vastatur.	774.
24.	Drusus Cæsar veneno periit.	775.
28.	Pontius Pilatus, procurator Judææ, a Tiberio mittitur in Judæam.	779.
31.	Christus Dominus Judæorum populis prædicat.	782.

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 19. — *Titus Livius*, etc. Morte duorum bonarum litterarum principum hic annus exstitit memorabilis: e quibus ille Romanam historiam soluta ac lepidissima oratione celebravit; hic autem aureis carminibus, sententiarum gemmis fulgentibus implevit orbem. Utriusque obitum hoc ipso anno annotavit Eusebius ipsissimis fere Dextri verbis, nisi quod locum mortis Ovidii nominat fuisse Tomos in Ponto.

A. C. 23. — *Theatrum*, etc. Hoc quoque Chronicon Eusebii annotavit. Erat Pompeii theatrum insigne in semicirculi forma erectum, multis ornatum gradibus, unde populus omnis ludos ex loco edito conspiceret. Senatores in imis gradibus ante omnes sedebant; et lege Roscia cautum erat, ne quis præter equestris ordinis viros in 14 prioribus gradibus sederet: cætera plebs superiores complebat, inter quam erant et decoctores, id est, qui patrimonium sive culpa, sive fortuito confecerant. Sub amphitheatro erat cavea 40 millia hominum capax. In ornamentum autem ipsius mirabiles Pompeius posuit effigies, magnorum artificum ingeniis diligentissime elaboratas, inter quas Plinio auctore, lib. VII, cap. 3, erat Eutyche a 20 liberis rogo illata Trallibus, enixa 30 partus. Hoc igitur anno Domini 23 magno Romanorum dolore flamma corripiente vastatum est. Aliud ab eo fuit *Theatrum a M. Scauro exædificatum, cui scena triplex in altitudine* 360 *columnarum, cuilibet scenæ ima pars e marmore, media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ: signa ærea inter columnas fuere tria millia numero; Cavea vero capax hominum quadraginta millia: operum quæ umquam fuere maximum humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam æternitatis destinatione:* quæ sunt Plinii verba.

A. C. 24. — *Drusus*, etc. Et hoc quoque ex Chronico Eusebii et Hieronymi ad verbum desumptum est. Cæterum Drusum præcedenti anno Tiberius Pater consortem fecerat regni, cum bis consulatum iniisset, semel quidem cum collega C. Norbano Flacco, anno a Christo nato 16, et iterum post annos C sex, scilicet Domini 22, collegam habens ipsum Tiberium. De eo inscriptiones antiquæ sic habent: DRUSUS. JULIUS. TI. AUG. F. DIVI. AUG. NEPOS. CÆSAR. Genuerat paulo ante Livia Augusta Drusum alterum, cujus obitum celebravit Ovidius misso carmine consolatorio ad Liviam matrem.

A. C. 28. — *Pontius Pilatus*, etc. Ita etiam Eusebius in Chronico, et Onuphrius in Fastis, ex Josepho, qui lib. 18 Antiquit. Judaic. cap. 5, testatum reliquit anno Tiberii Cæsaris duodecimo, missum in Judæam Pontium Pilatum, Procuratoris et Præsidis officio functurum, successorem Valerii Grati, qui in eo magistratu undecim annos exegerat. Annus vero duodecimus Tiberii coexstitit anno Christi 28, quoniam 17 ipsius obierat Augustus, cui Tiberius suffectus fuerat. Notavit Dadræus in margine Eusebii, ipsum sibi ipsi contrarium exstitisse, dum in historia Ecclesiastica anno Tiberii 12 Pilatum in Judæam missum scribit, in Chronico autem id rejicit in annum 13 ejusdem. Verum facili negotio utrumque dictum conciliari potest: quandoquidem obitus Augusti non contigit initio anni Domini 17, a quo usque ad 28 intersunt 12; sed 18 kalend. Septembris anni Domini 16, a quo si numeres, 13 annos invenies. Itaque annus Christi 28, de quo in præsenti agimus, coexstitit partim 12, partim 13 Tiberii; sub qua vero hujus partium Pilatus in Judæam missus fuerit, non D liquet. Dextri placitum non solum olim Eusebius, sed etiam nunc cardinalis Baronius amplectitur. Quo velim (lector) animadvertas, quantum auctoritatis præ se ferant nostri auctoris placita, qui ubique probabilius semper assequitur.

A. C. 31. — *Populis prædicat*. Magna olim inter Patres orta est controversia de anno, quo prædicatio Christi cœperit; et a recentioribus sacræ Scripturæ interpretibus finem nondum accepit. Fons totius dubitationis fuit illud Lucæ tertio, *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*: cujus verba quia triplicem patiuntur sensum, triplicem quoque sentiendi modum genuerunt. Aut enim vult Evangelista, ut eo tempore quo Christus ad baptismum Joannis properavit, vigesimum nonum annum exegerit, et trigesimum inierit: et sit sensus *erat quasi annorum triginta*, non quidem eos jam explens, sed potius *incipiens*; aut vult, quod Christus eo temporis fere trigesimum expleverit; ut sensus verborum sit, erat quasi annorum triginta: id est tot fere habebat, non quidem B exactos, sed quasi exactos, quia jam erat incipiens eos explere: aut denique significat, jam tunc triginta exegisse, et trigesimum primum inchoasse, quo modo particula *quasi* non diminutiva erit, sed affirmativa, eo sensu quo in Joanne iterum accipienda est, cum de gloria Divini Verbi inquit, quod erat *quasi unigeniti a Patre*; hoc est, erat propria, et digna unigenito Patris æterni. Ita et nunc: erat incipiens quasi annorum triginta, idem erit atque, erat tunc vir perfectæ ætatis, utpote quasi ille qui erat annorum triginta, et sic quidem verbum *incipiens* non determinat annum ætatis, sed officium novæ prædicationis: ut sit sensus, erat incipiens exercere munus suum, cum existeret annorum triginta suæ ætatis. Neutrum horum destitutum est doctoribus, iisque celeberrimis: primum quippe sensum amplexi sunt Origenes homil. 1 in Ezech., Divus Hieronymus in eumdem locum et Tertullianus contra Judæos, Eusebius lib. I Hist. cap. 10, Lactantius lib. IV divinarum Institutionum cap. 10; secundum vero secutus est, D. Epiphanius in Panario, hæresi 51, a Cornelio Jansonio complexus. Tertium tandem docuerunt Chrysostomus homil. 10 in Matth. c. 3, Beda de Ratione temporum cap. 45, et communi applausu doctores Græci, quos inter alios ecclesiasticos canones, illum quoque statuisse auctor est S. Martinus Brac. lib. de Canon. Græc. cap. 20, quo cavebatur, ne quis ante expletos triginta annos ad presbyteratum admitteretur, quod ea ætate Christus Dominus baptizatus docere cœpisset.

Vide nunc iterum, candide lector, Dextri nostri dexteritatem, qua in tam ancipiti negotio tutiorem et veriorem viam elegit: *Anno*, inquit, *ætatis suæ trigesimo primo Christus Dominus noster Judæorum populis prædicat*. Tertium proinde placitum edocet, utpote potioribus fundamentis fultum, et stabilitum. Quæres quæ? Potior ratio, major antiquitas, et quod caput omnium est, ecclesiastica traditio. Expono singula. Constans veritas in ecclesiasticis officiis est D baptismo initiatum Christum sexta Januarii, cum ea die canamus, *Hodie cœlesti sponso juncta est Ecclesia, quoniam in Jordane lavit Christus ejus crimina*. Et in hymno:

Seu mystico baptismate
Fluenta Jordanis retro
Conversa quondam tertio,
Præsenti sacraris die.

A. C. 34. Christus Salvator Mundi reus ad Pilatum agitur. A. R. 785.

† Claudia Procula uxor Pilati admonita per somnium in Christum credit, et salutem consequitur.

BIVARII COMMENTARIUS.

Qua in re omnes Patres conveniunt (uno excepto Epiphanio), Nazianzenus, Cyrillus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Maximus, Bernardus, in concionibus Epiphaniæ : quibus adde Eucherium Lugdunensem, Isidorum lib. de off. Eccles. cap. 26, Paulinum, et Eusebium relatos a Baronio ad annum Christi trigesimum primum. Ex hoc autem, ut minimum deducitur falsitas secundi placiti, asserentium cum baptizaretur a Joanne, Christum fere explesse triginta annos, seu quod ait Epiphanius, annos exegisse viginti novem, et fere menses decem. Hoc itaque stare nequit, nam vigesimum nonum explevit die vigesima quinta Decembris qua natus fuit ; ab ea autem usque ad sextam Januarii, qua baptismus ejus postmodum contigit, tredecim dumtaxat dies interjacent ; haberet ergo Dominus cum baptizatus est annos dumtaxat viginti novem, et dies tredecim. Quare non poterit verbum illud, *Erat incipiens quasi annorum triginta*, reddere sensum ; erat incipiens complere triginta : non enim primis anni diebus incipit complementum, sed transactis ut minimum sex mensibus. Non ignoro, quod dixit Epiphanius, non baptizatum hac die, sed ad 6 Idus Novembris : At in hoc solus incedens sequendus non est : sicut nec in eo quod ibidem ait, natum die sexta Januarii : in utroque enim a communi sensu Ecclesiæ dissentit : non ergo potuit Christus baptismi sui tempore trigesimum annum fere expletum agere, sed alterum necessarium e duobus est : videlicet aut iniisse dumtaxat trigesimum a tredecim diebus retro, quod priores sentiunt Patres ; aut quod posteriores cum Dextro, trigesimum complevisse, et trigesimum primum per tredecim dies inchoasse. Contra priores autem antiquitas militat. Quis enim D. Ignatio vetustior, qui Christi Domini adhuc superstitem matrem vidit, ut ad annum quadragesimum tertium ostendemus ? Ipse autem cum ad Trallianos scribit, fatetur conceptis verbis, ante baptismum complevisse Dominum triginta annos. En ejus verba fideliter ex Græco translata : *Expletis tribus annorum decadibus, vere baptizatus est a Joanne.* Expletis, inquit, tribus decadibus : jam ergo annum trigesimum primum inchoabat : eodem modo loquitur B. P. Bernardus serm. 1 de Epiph : *Cum Christus* (ait) *triginta annorum tempus exegisset in carne, inter populares turbas ad baptismum Joannis pervenit.* Demum quod ad traditionem spectat, de Romanæ Ecclesiæ sensu hæc scribit Beda lib. De ratione temporum cap. 45 : *Habet (ni fallor) Ecclesiæ fides Dominum in carne paulo plusquam triginta tres annos usque ad suæ tempora Passionis vixisse. Sancta siquidem Romana et Apostolica Ecclesia hanc fidem tenere, ex ipsis testatur indiculis, quæ suis in cereis Paschalibus annuatim scribi solent.* Cui accedit quod in ejus pervetusto rituali (ubi quæ ab Apostolis accepit, ipsam servare certum est), titulo de Epiphania Domini, sic legimus : *Expletis namque Christus triginta annorum curriculis, venit in Jordanem ut baptizaretur a Joanne. Expletis*, inquit, non inchoatis. Nec causeris, quod verbum illud *quasi* adjecerit : quandoquidem inde apparet, nullatenus numerum diminuere, quod præmiserit, *Expletis.* Quomodo namque necdum triginta habebat, si jam triginta expleverat ? Ergo affirmative illud *quasi* sumendum est, ut docte notavit Baronius in Apparatu suo, quo loci et inferius ad annum Christi trigesimum primum pugnacissime placitum Dextri amplectitur, et ab adversariis tuetur.

A. C. 34. — 1. *Christus Salvator*, etc. Quod Salvatoris sub Pilato Præside causa, et mors in annum trigesimum quartum ætatis suæ inciderit, non autem A trigesimum tertium, ex nuper dictis necessario concluditur : Si enim (ut abunde ibi probatum est) ad baptismum Christus Dominus accessit, cum inchoabat annum trigesimum primum, consequens est, ut mortem crucis pro nobis oppetierit anno trigesimo quarto incepto ; quippe cum inter baptismum et mortem ejus salutiferam quatuor Paschales festivitates intercesserint : id quod ex Evangeliis liquido patet, et in hunc modum deducitur : Statim a Baptismo in desertum jejunii quadragesimalis causa secessisse auctor est Matthæus cap. 4. Cum enim præmisisset, super recens baptizatum Jesum columbam descendisse, et paternam auditam esse vocem, subdit : *Tunc Jesus ductus est in desertum.* Superato vero callido hoste, ac trifariam devicto, accessit Hierosolymam celebraturus Pascha (id Joanne dilecto Apostolo edocente cap. 2), ubi facto quasi flagello de funiculis ejecit ementes, et vendentes de templo : *Et prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam, et invenit in Templo vendentes* B *boves et oves, et columbas, et numularios sedentes ; et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* En Pascha primum anni videlicet trigesimi primi. In secundo vero languidum illum annorum triginta et octo, qui jacebat in Probatica piscina, sanitati restituit, de quo idem Joannes cap. 5 : *Post hæc erat* (ait) *dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis Probatica piscina*, etc. Festum vero diem hunc fuisse Paschatis, non autem Pentecostes, nec Tabernaculorum, satis ex ipso Joannis contextu constat ; et idipsum D. Irenæus docet lib. 2, cap. 10 : *Post hæc* (inquit) *iterum secunda vice ascendit in diem festum Paschæ in Hierusalem, quando paralyticum, qui juxta natatoriam jacebat, triginta et octo annos, curavit.* Atque hoc Pascha est quod incidit in annum Domini 32. Tertio Paschate, anni scilicet Christi trigesimi tertii, appropinquante, pavit illos quinque mille viros quinque dumtaxat hordeaceis panibus, et duo- C bus piscibus. Quo loci Joannes notat, *quod erat proximum Pascha dies festus Judæorum.* Cum igitur præter hæc tria Paschata, constans quoque sit ex divinis Evangeliis Christum Dominum subiisse mortem ipso Paschate alterius anni, fit necessario, mortem ipsam Paschate anni trigesimi quarti contigisse, uti ingeniose Dexter asseverat. Atque in hac parte consentit ejus placito Baronius, qui haud dubium magni haboisset Dextri Omnimodam hanc historiam, si sibi nancisci datum esset, ut ejus auctoritate sententiam suam stabiliret. Vide, quæso, quam egregius annorum Christi supputator Dexter fuerit, qui ubique quod verius, quodque rationi historicæ consonantius est, elegit ; cum ea quæ improbo labore et studio Baronius se assecutum gloriatur, ille tam breviter et dilucide prompserit.

2. *Claudia Procula uxor Pilati*, etc. Pilati uxorem marito pro Tribunali sedenti misisse nuntium, ut a Christi nece abstineret, nihilque in ejus damnum decerneret, quod multa sibi per visum ea nocte D accidissent super eo, habemus ex Matthæi Evangelio c. 27 : *Sedente autem illo pro Tribunali* (ait Matthæus), *misit ad eum uxor dicens : Nihil tibi et Justo illi ; multa enim passa sum hodie per visum propter eum.*

Sane duxisse secum uxorem suam in Syriam Pilatum, cum Præses ejus provinciæ factus fuit, non solum ex Evangelio, sed ex Ethnicorum libris habemus ; nam tametsi ante quinque annos (ut scribit Cornelius Tacitus lib. annal. 3, sub quarto nimirum Tiberii Cæsaris Consulatu, qui incidit in annum Christi vigesimum secundum, ut ex Fastis Onu-

A. C. 34. Christus Dominus noster in crucem actus, VIII kalend. Aprilis, invidia Judæorum A. R 785.
crucifixus pro salute totius generis humani libenter mortem oppetit.
Solis defectio; et tenebræ terras cooperiunt.

BIVARII COMMENTARIUS.

phrii liquet) Severus Cecinna gravissima Oratione censuisset, ne uxores maritos in provinciam proficiscentes comitarentur; verum legis rogatio est elusa, intercedente Valerio Messala, ac per omnia commodius esse ostendente, si illæ maritos assectarentur : quod ita jussum fuit.

Cæterum qui subsistere poterit id quod de uxore Pilati Dexter refert, admonitam scilicet per somnium in Christum credidisse, et salutem consecutam fuisse? Quomodo per somnium admonita est, quæ per visum fatetur, se multa passam fuisse : *Multa* (inquit) *passa sum hodie per visum?* Quod si perterrefacta fuit per visum a Dæmone, unde infert illam in Christum credidisse? Quam vero salutem consecuta est? Animæne, an corporis? Quod ad visionem attinet, non est quod moveamur, per visumne an per somnium dicendum sit eam passam; certum namque est noctu id accidisse, cum super ea re miserit ad maritum mane sedentem pro tribunali, ut Christum judicaret. Unde quod vulgata editio legit in Evangelio, *Hodie per visum*, sanctus Pagninus vertit, *Hodie in somnis :* quare illud *hodie* idem est atque *hac nocte*, cum somnia eo temporis frequentius contingant. Deinde multi (fateor) credidere, perterrefactam fuisse nocte illa salutiferam Domini necem, antecedente a malo dæmone, qui facti pœnitentia ductus, timebat jam ne forte ipsius mors majorum sibi malorum causa foret, quam ipsa vita : quod inter alios Rabanus Maurus his edocuit : *Intelligens Diabolus, se per Christum spolia amissurum, vult per mulierem liberare.* Refert Baronius pro hac sententia divum Ignatium in epistola ad Polycarpum, et tamen neque in ea, neque in alia ex suis quippiam hac de re valui reperire.

Verum enimvero præstantes sanctitate, ac doctrina Patres arbitrati sunt non cacodæmonis imposturam passam ea nocte Pilati uxorem, sed Dei miserantis visionem et consolationem, qua de salute sua admonebatur, et Jesu Christi divinitate : sic Chysostomus : *Non Pilatus somnium videt, sed uxor, quia magis digna; vel quia forte ille non dixisset.* Quasi diceret : Dignior erat uxor ejus divinis illustrationibus, et ideo non eas passus fuit Pilatus, sed conjux. Volebat quidem Deus illo testimonio comprobare suam innocentiam : quod si in somnis Pilatum de ea admoneret, nollet ille visionem propalare; per uxorem vero effectum est, ut in oculis totius populi, sedenteque marito pro tribunali, testimonium de innocentia Domini prolatum sit. Unde Chrysostomus subdit : *Propter hoc dispensatur a Deo, quod mulier vidit, ut manifestum omnibus fieret.* Hilarius quoque can. 33 : *Species* (ait) *in ea gentium plebis est, quæ jam fidelis eum, cum quo conversabatur, incredulum populum ad Christi fidem advocat. Quia ipsa multum sit passa pro Christo in eamdem gloriam futuræ spei illum invitat.* Sic etiam Ambrosius lib. x in Luc. cap. XXIII : *Monebat uxor* (inquit), sed a quo mota? *Lucebat in nocte gratia, Divinitas eminebat, nec sic a sacrilega sententia temperavit.* Nec dissentit Augustinus relatus a D. Thoma in Catena aurea, dum docet, utrumque conjugem, agente Deo, testimonium pulice pro Christo tulisse : ille siquidem clamavit, *Nihil mali fecit;* ipsa vero, *Nihil tibi et justo illi;* quod Hieronymo etiam teste, fidei gentilis populi præsagium fuit.

Mihi horum placitum, quod et Dexter tuetur, multo magis probatur; nempe intelligi nequit, quod diabolus eo ipso temporis momento, quo mortem Christo Domino moliebatur, eamdem tantopere cuperet impedire, terrendo Pilati conjugem; ea siquidem nocte Judam, et Judæos impulit, ut manus in eum injicerent, ac de medio tollerent, qua Pilati uxor multa per visum passa fuit. Quod si jam facti illum pœnitebat, cur Judæorum corda non temperabat ab odio in ipsum concepto? seu (quod facilius videbatur) incitabat turbam Christo devotam ad seditionem, qua innocens a morte eriperetur? Nihil horum fecit, cum tamen nullum non movisset lapidem, ejus rei causa, si facti semel pœnitentia duceretur. Quapropter cum Dextro asserimus, Pilati conjugem per somnium admonitam, Christi Domini innocentiam, et majestatem cognovisse, atque in ipsum credidisse. Quid autem sibi vult, quod non simpliciter vidisse dicitur, sed quod multa in somnis perpessa est? Nihil consonantius occurrit quam quod Dexter refert, iis quæ passa est admonitam fuisse, ut in Christum crederet : cum enim ethnica esset mulier, nec quævis admonitio sufficeret, ut præberet fidem; congruum fuit, ut cruciatus acerbissimos pateretur, quousque data in Christum fide, salutem corporis simul et animæ consecuta sit. Neque mirum videri debet, Pilati conjugem Christo per fidem adhæsisse, cum Luca referente (cap. VIII) inter alias mulieres quæ de suis facultatibus prædicanti Jesu ministrabant, etiam Joanna fuerit uxor Chuzæ procuratoris Herodis.

Denique nomen uxoris Pilati multum, anxieque perquirens, si forsan alius præter Dextrum *Proculam* vocitasset, tandem incidi in Evangelii Nicodemi clausulam, qua his verbis idipsum comprobatur : *Cogitante vero Pilato quid ageret de Jesu, misit ad eum uxor ejus, nomine Procula, dicens : Nihil tibi et Justo illi, multa enim passa sum hodie in somnis propter eum. Respondentes Judæi, dixerunt Pilato : Numquid non diximus, quia maleficus est? Ecce somnium immisit ad uxorem tuam.* Hæc ibi. Non inficiamur inter apocrypha recenseri Evangelium Nicodemi et Josephi; hoc vero non obest, quin in his quæ Divinis dogmatibus non adversantur recipi queat. In hoc autem nihil Matthæo contrarium promit : præsertim in nomine uxoris Pilati quod a Matthæo non exprimitur. Recipitur proinde hac in re non solum a Dextro, sed etiam a Vincentio Belluacensi lib. VII, Speculi hist. cap. 41, qui verba nunc relata, nobis ministravit. Forsan Claudia hæc Procula Pilati uxor, est illa Claudia, cujus meminit Paulus II Tim. IV : *Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia.* Conveniunt siquidem in ea, nomen, et tempus, et religio, et locus : nam in urbe hæc Epistola scripta est, ubi uxorem Pilati, quando ipse in exsilium Lugdunum actus est, verisimile est permansisse : eumque ob disparitatem cultus non fuisse comitatam.

3. *Christus Dominus.* Cum hæc omnia abunde testata suis scriptis sancti Evangelistæ reliquerint, non est cur immoremur in eis. Solum occurrit quod Eusebius in Chronico notavit, ethnicos et auctores istius magnæ eclipsis solis mentionem fecisse. Audi Eusebium loquentem. *In aliis ethnicorum commentariis hæc ad verbum scripta reperi. Solis facta defectio, et tenebræ super universam terram. Bithynia terræmotu concussa, et in urbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt.* Adducit deinde testimonium Phlegontis, Adriani imperatoris liberti et historiographi : *Scripsit vero super his et Phlegon, qui olympiadarum egregius supputator est, in* XIV *libro ita dicens : Quarto autem anno* 201 *olympiadis* (qui sane fuit annus ipse redemptionis humanæ) *magna et excellens inter omnes quæ ante eam acciderant defectio solis est facta; Dies hora sexta* (hac Christus, in crucem ascendit) *ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cælo visæ sint; terræque motus in Bithynia Nicænæ urbis multas ædes*

A. C. 34. C. Oppius centurio Hispanus credit Christo morienti in cruce. A. R. 785.

BIVARII COMMENTARIUS.

subvertit. Porro Apolophanes philosophus, et Dionysius Areopagita, Heliopoli studiorum tunc temporis gratia degentes, in ea eclipsi tria notarunt supra naturæ vires contigisse. Primo quod tempore plenilunii facta; 2° quod ab oriente in occidentem, contra morem cæterarum, et dispositionem naturæ; 3° quod trium interstitio horarum luna densissimis solem caliginibus obduxerit. Cujus rei testimonium protulit idem D. Dionysius cum ad Polycarpum, et cum ad ipsum Apolophanem litteras dedit. His autem commotus, et in stuporem versus: *Aut Deus naturæ* (inquit) *patitur, aut mundi machina dissolvitur*. Et Apolophanes: *Hæ, o bone Dionysi, divinarum vicissitudines sunt rerum*. Carebat certe Dionysio Orosius, dum lib. VII, cap. 4, aliter defectum illum solis accidisse refert, inquiens: *Usque adeo autem lumini solis, neque nubes obstitisse manifestum est, ut 14 eadem die, lunam, tota cœli regione interjecta, longissime a conspectu solis abfuisse referatur*. Sed ex oculatis testibus corrigendus venit. De Phlegontis testimonio plura Josephus Scaliger in Notis ad Chron. Eusebii.

4. *Centurio*. Si qua nova, et admiratione digna in Hispaniæ commendationem Dexter affert, ea sane sunt, quæ de centurionibus Evangelicis narrat; in ea siquidem est sententia, ut omnes fere centuriones, de quibus in novo Testamento sermo fit, ab Hispania ortum duxerint: ii præsertim qui insigne aliquod pietatis religionis specimen de se ediderunt: sive illum cogites, qui sanaturo servum suum Christo in urbe Capharnaum, mira fide, et humilitate tactus dixit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus*: Sive eum qui morienti, magna edita voce Domino fidem præbuit, laudesque cecinit dicens: *Vere filius Dei erat iste*: in quo glorificasse Deum auctor est D. Lucas, *Videns*, inquit, *centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens: Vere hic homo justus erat*: Sive denique illum referas, Cornelium nomine, religiosum virum, ac timentem Dominum, quem Dei angelus sua præsentia dignatus est, et a Petro Apostolorum coryphæo intinctus asseritur, Actor. x. Hos omnes Dexter testatur genere quidem Hispanos esse, tametsi militiæ gratia in Syria eo temporis degerent. Cæterum quantumcumque novum id videatur, non illico falsitatis redarguendum, quippe cum novitas hæc non ex auctoris novitate quæ in re antiqua vitio verti poterat, sed ex injuria temporis scripta hæc vetustissima occulentis ortum ducat. Nam Dextri tempore nova judicari minime possent, quæ nimirum ore tunc omnium pervulgarentur, saltem eruditorum: quod ex eo deducitur, quod ævo suo eorumdem famam in Hispaniis vigere dixerit. Nec mirum, cum centuriones prædicti sub Romanorum principum imperio vixerint, quibus etiam ipse Dexter, et tota Hispania servivit. Cum igitur Hispaniæ sub eodem Romanorum imperio Dextri tempore essent, quo Christi Domini et horum centurionum ævo erant, nondum dominii mutationem expertæ; nihil mirum si præclarorum virorum memoria, qui sub iisdem militaverant principibus, clara, et ab injuriis temporum illæsa perseverabat.

Huc accedit auctoritas Dextri, quæ tanta fuit, ut nil nisi magnis momentis fulcitum auderet asseverare, præsertim verba faciens ad eruditissimos gravissimosque Hieronymum et Orosium, quibus opus hoc omnimodæ historiæ dicavit. Si qua vero in re fides ei præstari debet, haud dubium in militum et centurionum historia præstanda est, qui paulo ante floruerant, in iisdem locis, quorum postmodum ipse summum obtinuit principatum. Constat vero Dextrum in Oriente præsidem fuisse prætorii imperialis; et quod ei tunc ad manum erant archiva, et scrinia rerum militarium, ex quibus facili negotio scire posset nomina, et gesta, ac nationes centurionum, et militum vetustiorum, qui hactenus stipendiis Cæsarum militaverant in Syria: Quinimmo inferius refert ipse multa huic historiæ inseruisse ex Annalibus Hierosolymitanis deprompta. Quare satis verisimile est horum etiam centurionum inde narrationem eduxisse.

Quod ad patriam ejus centurionis spectat, qui passioni Domini interfuit, habemus consonans Dextro, nobile testimonium Juliani quondam archipresbyteri Toletani Ecclesiæ S. Justæ, qui tempore Alphonsi VII imperatoris Hispaniarum floruit, cujus et gesta contexuit. Exstant hæc mss. cum Chronico a nato Domino ad sua usque tempora, Toleti apud illustrissimum D. dominum Franciscum de Sandoval et Rojas nobilissimum comitem de Mora, qui pro sua in me et litteratos omnes humanitate, Chronici Julianæi legendi copiam fecit. Hic vero ad annum Domini 36, ex vetustissimis monumentis archivi S. Justæ scribit, se accepisse: *Quod multi gentiles, qui venerunt Hierosolymam orare ad sanctum templum, erant Hispani: qui voluerunt videre et alloqui Jesum, cupientes, ut gentilibus suæ terræ prædicaret; maxime centurione Hispano, qui interfuit* (postea) *passioni Domini, poscente: qui comitatus est Jacobum*.

Sed age, ostendamus aliunde, eosdem centuriones ab Hispania originem duxisse. Ejus asserti non leve fundamentum præbet D. Lucas, dum agens cap. x Actorum de Cornelio centurione, quem Petrus apostolus baptizavit, monet eum præfuisse cohorti Italicæ: *Vir autem*, ait, *quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, centurio cohortis quæ dicitur Italica: religiosus, ac timens Deum*. Quorsum autem hæc? ut inde inferamus milites ejus cohortis fuisse Italicos; nam cohortes a nationibus militum nomina sumpsisse, nemo est qui abnuat. Ex hoc autem liquido constat, Fuisse Hispanos, quandoquidem Italica fuit urbs Hispaniæ toto orbe celeberrima, utpote quæ orbi dederit Trajanum, et Adrianum; Urbi vero Silium consulem. Italicæ meminerunt Ptolomæus, Pomponius, et Strabo, ejusque ruinæ ad hanc usque diem non longe ab Hispali perseverant, sub nomine *Sevilla la vieja*. Micuisse vero mirum in modum Italicam inter cæteras Romanas legiones multis testatur Dio lib. v Hist. Roman., qui etiam auctor est, ab Augusto Cæsare eam in Judæam deductam, nec inde recessisse usque ad tempora Neronis, quando alio amandata fuit, nempe in Armeniam, iterum inde reddita Syriæ. Caruit præsenti Dextri testimonio (quod libentissime accepisset si daretur sibi copia) cardinalis Baronius; quamobrem vocabuli *Italicæ* conjectura ductus, ex Italiæ regno, suspicatus fuit, Cornelium et milites hujus cohortis, originem traxisse; quasi ab Italia cohors Italica dicta fuisset: *Haud dubium ejus nationis illos milites fuisse*, inquit, *ex qua cohors erat denominata, nempe Italos: centurionem vero e Romano nomine* (Cornelii scilicet) *Romanum genere fuisse, conjectura facile persuadet: Erant enim et cohortium nomina, sicut et legionum, quæ etiam denominatæ reperiuntur sæpe a Provinciis, ex quibus milites delecti essent*. Hactenus Baronius ad annum Christi 41.

Cæterum longe a vero abfuisse, non solum ex auctoritate Dextri habemus, sed ex multis aliis, quæ ad persuasionem, quam intendimus manuducunt: quorum præcipuum est, quod testimonio Dionis (loco citato) habemus, legionem Italicam dictam, quæ in Syria, seu Palæstina degebat, eam fuisse, quæ *Sexta* alio nomine vocabatur, quod eo ordine inter Romanas scripta esset, uti Baronius ipse ex Dione pariter refert. Quod autem legio Italica

BIVARII COMMENTARIUS.

Hispanorum esset sexta, non vero prima vel secunda, inde fit manifestum, quod (vel ipso Baronio annuente) legiones, et cohortes a provinciis, ex quibus electæ essent cognominabantur, Hispana autem provincia in ordine Romanarum erat sexta, ut patet ex divisione provinciarum a Romanis facta, penes quam postmodum prætores ad eas regendas mittebantur: de quibus Titus Livius egregius rerum Romanarum historiographus lib. XXXV dixit: *De Provinciis decretum est, ut prima peregrina urbanaque esset; secunda Brutiorum*, qui scilicet in confinio Italiæ ad Tyrrhenum mare, Ptolomæo teste, degebant; *tertia classis quæ navigaret, quo Senatus censuisset; quarta Siciliæ; quinta Sardiniæ, et sexta Hispaniæ Ulterioris.* Constans igitur esto, cohortem Italicam, quæ in Judæa et Syria militabat, Hispaniensem fuisse; quippe ex Dione sexta erat. Sexta vero (teste Livio) ex Hispania Ulteriori; qua in parte urbs Italica sita fuit. Ulterior enim a Romanis nuncupabatur, quæ respectu Romæ erat ultra Iberum: nemini autem dubium esse potest, Italicam ad Bætim consistentem ultra Iberum exstitisse. Cæterum nemo existimet, nostram cohortem sexto loco positam, quasi cæteris inferiorem viribus, aut æstimatione, sed quia milites ejus cohortis longius a Roma distabant domo et genere, penes cujus propinquitatem suo ordine descriptæ provinciæ fuere; ita quod prima esset urbanorum et peregrinorum habitantium in urbe; secunda Brutiorum, qui intra continentem Italiæ degebant; tertia classis novalis, eorum scilicet qui in oris Italiæ naves ascenderant; quarta Siculorum: quinta Sardorum, quorum illi propinquius urbi habitant: quandoquidem Sicilia minus ab urbe distat quam Sardinia: ac demum sexta Hispanorum, qui nimirum longissime positi sunt. Igitur ordinem distantiæ ab urbe cohortes illæ sicut et provinciæ, servabant inter se; alias robustissimam omnium judicatam Hispanicam fuisse, certum est ex Romanis scriptoribus, e quibus Dio auctor est, non solum vocari solitam *sextam*, sed etiam *ferratam*.

Sane cæterarum nationum militibus robustiores et fortiores fuisse Hispanos, Romanus exercitus satis expertus est: difficilius siquidem, et tardius Hispania ab eo perdomita est, quam reliquæ omnes simul orbis provinciæ, vel ipso Romanæ historiæ scriptore Livio id attestante lib. XXVIII: *Hispania*, inquit, *prima inita provinciarum, sed postrema omnium, ductu auspiciisque Augusti imperatoris perdormita est.* Et quam gloriam Numantini, et Saguntini non meruere? aut quis Cantabrorum robur non miratur? de quibus Silius Italicus lib. III dixit:

> Cantaber antes omnes, hyemisque, æstusque, famisque,
> Invictus, palmamque ex omni ferre labore, etc.

Accedit, Romanos imperatores post devictam Hispaniam, tanti fecisse milites Hispanos, ut pro innata fidelitate et fortitudine, in custodiam præcipuarum provinciarum eos deputaverint. Augustus, anno ante Christum natum 25, ab Hispania sui delegit corporis custodes, Calagurritanos; quod in antiquis historiis notavit Lud. Nonius (in Hispania sua cap. 81) et Galbam postea fecisse legimus; et apud Dionem milites Prætorianos Severi Pertinacis Hispanos fuisse, et Italos; in Ægypto itidem custodiam Imperii, Hispanorum fuisse equitum et Lusitanorum, et in Arabia similiter, refert liber cui Titulus est, *Notitia Provinciarum*, ex quo id notavit Morales lib. X, cap. 33, ut facile idem de Judæa credamus.

Neque nobis obest quod dicta sit *cohors Italica* non vero *Italicensis*, quo pacto nuncupanda videbatur, si ab Italica diceretur; Enimvero cives Urbis *Italicæ* non solum *Italicenses* vocari consueverunt, sed etiam *Italici*. Cujus rei abunde satis argumentum

A offert Silius ille Hispanus poeta Domitiano gratissimus, ejusque favore ad consulatum usque perductus, qui tamen ab Italica urbe Silius *Italicus* dictus est non *Italicensis*. Quinimmo Italiæ homines crebrius *Itali* quam *Italici* dicti reperiuntur, Virgilio VI Æneidos teste:

> Qui maneant Itala de gente nepotes.

Et lib. III:

> Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.

Et Horatio lib. II Carm. ode 7:

> Diis Patriis, Italoque cœlo.

Et Ovidio lib. IV de Fastis:

> Cum Trojam Æneas Italos portaret in agros.

Et lib. V Tristium elegia 6:

> In partes Italas, et loca dextra ferat.

B Idem habet lib. II de Ponto elegia 3 et alii innumeri, quo videas recte cohortem illam *Italicam* vocari quæ ab Italica originem ducebat, quamquam aliquando nomen Italicæ urbis patronymicum Italicense dicatur; quo pacto Cornelium inferius Dexter vocat Italicensem ad annum Christi 40. Quod autem centurio Cæsareæ nomine Romano *Cornelius* nuncupetur, non obest homini Hispaniæ, in qua mores Romanorum, qui ei tunc dominabantur, et nomenclaturæ vigebant.

Sed quod multorum caput est, plana hæc et aperta sententia est D. Hieronymi, tom. I, in epistola *ad Lucinium natione Bæticum*, cujus initium est: *Nec opinanti mihi, subito litteræ tuæ redditæ sunt: quæ quanto insperatæ, tanto gaudiorum plenæ quiescentem animam suscitarunt, ut statim amore complecterer, quem oculis ignorabam.* Hujus siquidem cum admiraretur fidem, utpote hominis in ultimis Hispaniarum, ac mundi partibus existentis, id est, in Bætica, ubi etiam Italica erat; et inde nihilominus Hieronymo in Oriente degenti munera ac litteras C mittentis: subdit, ejus mirandam fidem jam olim Cornelium centurionem cohortis Italicæ præfigurasse, qui scilicet in eadem provincia ortus, ad fidem pariter perductus est: atque in utroque impletum esse sermonem Dominicum: *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham*, etc. Addit hoc ipsum desiderio desiderasse Apostolum, dum ad Romanos scriberet illud: *Cum in Hispaniam proficisci cœpero*, etc., *a vobis deducar illuc*: tantis fluctibus approbans, quid de illa provincia quæreret, fidem scilicet Hispanorum, qualis in Cornelio, et Lucinio Bæticis micabat. En verba Hieronymi: *Vere nunc in te* (o Lucini Bætice) *sermo Dominicus completus est: Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent in sinu Abrahæ. Cornelius centurio cohortis Italicæ, jam tunc Lucinii mei præfigurabat fidem. Apostolus Paulus scribens ad Romanos: Cum, inquit, in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc. Tantis fluctibus* D *approbavit, quid de illa provincia quæreret.* Hæc ille. Utrumque igitur ad eamdem rem facere sensit Hieronymus: et Cornelii fidem, et Pauli desiderium. In quo, quæso, præfigurabat fidem Lucinii Cornelius, nisi quia ex illis oriundus erat, ex quibus postea ortus est Lucinius, et quos Paulus ad fidem perducere cupiebat? alias tempore suæ conversionis Cornelius non erat in ultimis terrarum finibus, ut in eo sermo Dominicus impleretur, sed Cæsareæ, non longe ab Hierosolymis commorabatur. Laudes Lucinii, ejusque conjugis Theodoræ fuse prosequitur Hieronymus in præfata epistola, et sequenti, quas tu consulas.

Satis superque probatum relinquimus, Cornelium centurionem de quo in Actis Apostolorum sermo est, ejusque cohortem ab Italica Hispaniæ urbe originem duxisse. Cæterum unde elicere poterimus,

A. C. 34. Pilatus Christi mortem, et miracula scribere statuit Tiberio. A. R. 785.

BIVARII COMMENTARIUS.

duos alios centuriones, quorum cohortes non nominantur, Hispanienses fuisse? Ex eo sane quod in Judæa una eademque erat cohors militum Romanorum, qui penes diversitatem centurionum per diversas terræ urbes dispersi erant. Sola namque cohors *sexta*, quæ est *Italica*, et *Ferrata*, in Palæstina, Dione teste, degebat : sed tamen quidam illius milites cum suo centurione Cornelio erant apud Cæsaream ; quidam vero apud Capharnaum in Galilæa, cum centurione, cujus servum sanavit Dominus : quidam demum Hierosolymis, ubi centurio ille erat, qui Christum cum clamore valido morientem, Dei Filium confessus fuit. Recte igitur ex patria unius centurionis, et ejus militum, deducimus natales domos cæterorum militum, et centurionum, quando quidem unius ejusdemque cohortis omnes erant, quotquot in Judæa (quo melius quieti totius Provinciæ provideretur) dispersi agebant. Jure proinde de suis centurionibus gloriari poterit Hispania.

Sed, o mira hominum pietas ac devotio! quam libera eorum et aperta confessio! quam intrepidus ac validus clamor in fidei obsequium! quam dignis ab Evangelistis celebrantur encomiis! Indignum se reputat Capharnaunensis centurio Dominica visitatione : *Domine* (inquit), *non sum dignus ut intres sub tectum meum*. Tantum præsumebat de Christo, ut solo verbo crederet cunctas ægritudines deturbare posse : *Tantum dic verbo, et sanabitur puer meus :* Nec minus immo multo plus illi cuncta subjecta quam sibi suus quisque famulus aut miles subditus esset : *Nam et ego* (inquit) *homo sum sub potestate constitutus, et dico huic, Veni, et venit : et servo meo, Fac hoc, et facit.* Cur tu, Domine, qui super omnes es, nequibis solo jussu ægritudinem pueri longe amandare? Nihil mirum, *si audiens Jesus* (quod Matthæus cap. VI notavit) *miratus est, et sequentibus se dixit : Non inveni tantam fidem in Israel.* Sed et liberam vocem Hierosolymitani centurionis quis non miretur? quando omnes Judæi irridenl Dominum, quando discipuli ipsi aufugiunt, quando inter latrones reputatus cruci suffixus est, extollit vocem coram omni populo : *Vere filius Dei erat iste.* Pietatem vero, eleemosynas, atque cætera virtutum opera in gentili homine centurione illo Cæsareæ, sancti quoque angeli venerati sunt, et tanti ponderis sunt apud Deum, ut in eo gentibus publicæ prædicationis ostium reseretur.

Videamus nunc quid de his centurionibus Dexter asseveret. Placet brevi compendio colligere, quæ ille sparsim per multos annos de eisdem refert ; ut ita semel constet lectori, quis fuerit eorum quilibet. Centurio Capharnaunensis nomine Caius Cornelius, patria fuit Malacitanus, cujus filius fuit Caius Oppius centurio, ille scilicet qui Hierosolymis degebat ; et Christum morientem glorificavit confessione solemni. Ita Dexter hoc ipso anno 34 fatetur inquiens : *Cornelius centurio Capharnaunensis, dominus servi quem Dominus sanavit (pater etiam Caii Oppii centurionis), Hispanus, mire floret in Hispania.* Præmiserat vero de Cai. Oppio : *C. Oppius centurio Hispanus credit Christo morienti in cruce.* Hunc baptizavit in Hispania, quo jam appulerat, S. Jacobus apostolus. De eo loquitur Dexter ad annum 53 : *Floret centurio Malacitanus quem S. Jacobus ibi tingit ;* et anno 34 : *Floret per id tempus in Hispania C. Oppius centurio filius Cornelii pariter centurionis ; qui morientem Christum prædicat Hierosolymis esse filium Dei inter fragores saxorum, mutuo sese collidentium, obducto tenebris die ; ex gentilibusque a Christi morte primus hic Hispanus centurio credidit ; qui fuit civis Romanus, baptizatusque a S. Barnaba factus est tertius Mediolanensis episcopus : Vir quidem apostolicus, qui Christi mortem, et eclipsim admirabilem primus omnium Hispanis, genti suæ, cum audientium stupore refert.* Quod vero ad C. Oppium spectat, de quo iterum Dexter anno 66, duos filios habuit, Caium et Demetrium, viros sanctitate clarissimos. Ad Caium hunc dedit tertiam suam Epistolam D. Joannes ab Epheso scribens : Demetrium autem vocat *hospitalem virum*, eo quod C. Oppii patris vestigia secutus, peregrinos domi suæ reciperet, et foveret. Cæterum apud Dextrum anno Domini 70, C. Oppius Corinthi postmodum habitasse asseritur, quamquam Malacitanus esset genere ; et quod D. Paulum ad Hispaniam recedentem, domo tactisque liberaliter exceperit. Deinde D. Joannem in Asia ab exsilio recens revocatum inviserit ; ipsum etiam ad Hispanias venientem, et in eis prædicantem, et iterum ad Asiam redeuntem, comitatus fuerit : inde nihilominus socium se præbuerit D. Ignatio, ab Antiochia Romam usque ubi feris datus est : demum cum per Mediolanum Hispanias iterum petisset, ejus Ecclesiæ pontifex factus, a B. Barnaba tertius fuit ; quo loci clarus meritis, et bonis operibus, ac pro Christo exantlatis laboribus plenus, senio confectus ad Deum migravit. Hæc summatim, ac perfunctorie dicta sunto, ut semel genealogiæ, natalium et factorum horum centurionum qualemcumque notitiam habeamus, quia alias difficile esset cuncta quæ sparsim auctor enarrat, percipere.

Quod ad nomen C. Oppii spectat (ne quis eo moveri contingat) Romanum est, et nobilissimis civibus in usu exstitit, quales fuere Sp. Oppius *Cornicen* cognomine, et M. Oppius, ambo Decemviri, et L. Oppius dictus *Salinator*, quorum meminit Livius lib. III et lib. XXXV, et celeberrimus ille C. Oppius qui, sub Q. Fabio, et Tito Sempronio coss. anno Urbis 541, legem Oppiam de cultu matronarum tulerat, ab ejus nomine dictam, qua cavebatur : *Ne qua mulier plus semiuncia auri haberet, neu vestimento versicolori uteretur, neu juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur.* Quam utinam Hispania nostra tulisset! Sed Romæ quoque postmodum (proh dolor!) abrogata fuit a L. Valerio Tribuno plebis matronarum causam oratione perpolita propugnante, quidquid in legis sanctissimæ defensionem pro Rostris M. Porcius Cato totis viribus contenderit. Quod ipse Livius lib. XXXIV refert.

De Cornelio centurione Cæsareæ commorante agit Dexter ad annum Christi 40 his : *Cornelius Centurio Italicensis, Petro prædicante, repletur Spiritu sancto, Hierosolymisque denuntiata solemni Gentilium ad fidem Christi conversione, Cornelius vero baptizatus floret.* Cætera suis locis.

5. *Pilatus Christi mortem*, etc. Consuevisse præsides Provinciarum res magni momenti, quæ contigissent in provinciis ad imperatores scribere, mille exemplis exploratissimum est. Pilatum vero hæc nuntiasse Tiberio imperatori, plures sunt probatæ fidei auctores qui testentur : præsertim Tertullianus in Apologetico cap. 5 et cap. 21, Eusebius lib. II Hist. c. 2, Orosius lib VII cap. 4, Gregorius Turonensis lib. I Hist. cap. 24. Quinimmo suo exstitisse ævo Romæ in Archivis Reipub. acta in publicis tabulis descripta de Jesu Nazareno Hierosolymis sub Pilato cruci affixo, testis est S. Justinus egregius Christi martyr et insignis philosophus in Apologia, quam pro Christiana religione tuenda, obtulit Antonio imperatori, dum ait : *Hæc ita gesta esse, cognoscere ex Actis quæ sub Pilato sunt scripta potestis.* Sed cum hoc anno (quod Dexter subdit) Pilatus ea de re Tiberio non scripserit, quamobrem, quæso, notat auctor, hoc ipso id statuisse Pilatum? num solus animus ejus rei dignus sibi visus est notatione? Hoc nimirum Dextrum innuisse conjector, videlicet non

A. C. 34. Sancta Petronilla annorum decem floret filia ex matrimonio S. Petri apostoli. A. R. 785.

BIVARII COMMENTARIUS.

solum animo mortem Domini tradendam scriptis Pilatum decrevisse publicis, sed et notariorum publicorum manu, jussione ejus interposita, descripta pleraque fuisse, quæ videlicet odium Judæorum et innocentiam Redemptoris concernerent : cæterum ejusmodi publica acta nequaquam Romam Tiberio imperatori missa, usque ad annum Domini 38. Quæ vero in causa fuerint tantæ dilationis non declarat Dexter : haud difficile tamen quivis queat intelligere, tum Pilatum ipsum conscientia suæ injustitiæ detentum, ne videretur iniquissime Christum morti adjudicasse, quem sæpius palam passus fuerit nihil dignum morte gessisse : tum etiam Judæos Pilato obstitisse, ne acta Christi Romam mitteret, quibus nimirum erat necessum invidiam suam truculentam senatum et imperatores non latere. Decrevit itaque Pilatus Christi mortem et miracula Tiberio mittere, et ea nunc publicis excepit tabulis; cæterum et res per quatuor annos exsecutioni mandata non fuit, ob jam dictas causas. Quas si Cæsar Baronius perpendisset, aut si Dextrum nactus esset, minus ab Eusebio resiliret: *Porro*, ait, *hac Pilati de Christo ad Tiberium facta relatione, Eusebium nescimus qua ratione, post annos quinque recenset, quo anno Tiberius* 16 *Martii mortuus est. Sed statim post Christi resurrectionem palam factam existimamus*. Concordat siquidem Eusebio Dexter, dum ait, anno quidem 38 Domini, relationem ejusmodi Pilati ad Tiberium factam, sed addit, statim post mortem et resurrectionem Domini Pilatum statuisse eam imperatori referre, quandoquidem acta publica, quo tempore res eveniunt, mos est fieri; id tamen seu proprio motu, seu Judæorum negotiatione perficere quatuor annos distulit. Et certe utroque motum impium judicem mihi facile persuadeo; præsertim cum Judæorum ingenia ex Evangelio comperta habeam, qui totis nisibus, etiam ingenti militibus pecunia collata, publicationem resurrectionis Domini impedire contenderunt; et alias minime ignorare poterant, Pilatum (quod de cæteris eventibus in more positum videbant) illico Tiberium certiorem effecturum de miraculis, prædicatione, morte et resurrectione Christi : quandoquidem nihil toto orbe illustrius, ac fama dignius umquam contigerat : quo fieri necessum erat, ut Judæi apud Pilatum nullum non moverent lapidem, quominus cuncta Dei hominis negotia crasso silentio obducerent ; tum ne Christi nomen in Romanum divulgaretur imperium : tum ne eorum impietas, invidia et malevolentia detegerentur. Sed vero qui quatuor annos renuente conscientia relationem differre potuit, celare tandem veritatem non potuit, atque ea demum imperatori retulit, ut suo loco cum Dextro videbimus ad annum 38.

6. *Sancta Petronilla*, etc. D. apostolum Petrum, cum a captura piscium ad piscationem hominum jussu Domini transiit, uxorem habuisse, nemo est qui abnuat ; id quod (ut Hieronymum et Tertullianum missos faciam) perspicue docuit vetustissimus Martyr Ignatius ad Philadelphios scribens : *Non detraho*, ait, *Beatis, qui nuptiis copulati fuerunt. Opto enim Deo dignos ad vestigia eorum in regno ipsius inveniri, sicut Petrus et aliqui Apostoli qui nuptiis fuerunt sociati*. Sed et M. Marcellus Eugenius ejusdem Apostoli discipulus hoc ipsum, loco statim citando, profitetur. Petri autem uxorem martyrio coram ipso coronatam, ex majorum relatione traditum sibi refert Clemens Alexandrinus VII suorum Stromatum libro : *Aiunt certe B. Petrum* (verba sunt Clementis) *cum videret uxorem suam duci ad mortem, lætatum quidem esse propter vocationem, et quod domum reverteretur* (hoc est quod ad patriam pergeret cœlestem, quæ domus nostra est, et a qua peregrinamur). *Valde autem exhortando et consolando proprio nomine eam compellantem dixisse : Heus tu memento* A *Domini : eorum nimirum quæ pro te passus fuit ; ita enim fiet ut eximia animi alacritate tormenta perferas.* Consule Eusebium lib. III, cap. 24 et 30. Nonnulli uxorem vocant *Concordiam*, alii *Mariam :* quod M. Maximus et Heleca notarunt : aliis *Perpetua* nuncupatur, ut Molano 4 Novemb. qua festum ei a quibusdam celebratur. Suscepisse autem Petrum filiam e sua uxore, quæ nomine patris insignita Petronilla vocata fuerit, uno ore fatentur quotquot ejusdem sacræ Virginis meminerunt : præsertim auctores martyrologiorum ad diem ultimum Maii quo loci Romanum hæc habet : *Romæ sanctæ Petronillæ, filiæ B. Petri apostoli, quæ Flacci nobilis viri conjugium spernens, acceptis triduanis ad deliberandum induciis, interim jejuniis et orationibus vacans, tertia die mox ut Christi sacramentum accepit, emisit Spiritum.* Hæc summatim decerpta sunt ex his quæ de vita et obitu sanctæ Petronillæ testata posteritati, suis scriptis reliquit egregius Christi martyr Eugenius archi- B episcopus Toletanus, qui patris sui discipulus, et ipsius virginis familiaris Romæ exstitit : proprio alias nomine *M. Marcellus* nuncupatus, postmodum ob generis sui splendorem (erat enim ex familia, et domo Neronis, ut a Dextro suo loco edocebimur), dictus *Eugenius*, quod Latine sonat *nobilis*. Hic ergo talis tantusque vir, ac Patronus noster, sciscitantibus ab eo sanctis martyribus Nereo et Achilæo, tunc relegatis pro confessione Domini in insula Pontia, inter cætera quæ iisdem scripsit, vitam et obitum sanctæ Petronillæ graphice exaravit, prout in actis eorumdem martyrum exstat hodieque apud Surium. Accipe ipsissima B. Marcelli Eugenii epistolaria verba, quæ ob memoriam et reverentiam ejus, et quoniam a nobis alicubi vindicanda est, ad verbum hoc loco apponitur.

EPISTOLA S. M. MARCELLI EUGENII AD SS. MARTYRES NEREUM ET ACHILÆUM.

Marcellus servus SS. Christi confessoribus Nereo et C *Achilæo. Lectis litteris vestris, gaudio sum repletus, quod intelligerem vos in fide constantes esse, et pro veritate certare viriliter.* Post multa de Petro apostolo, subdit : *De Petronilla vero filia apostoli Petri, Domini mei, quando sollicite perquiritis, quis ejus vitæ finis fuerit, paucis annotabo. Petronillam itaque bene nostis voluntate Petri apostoli clinicam factam. Memini enim interfuisse vos, cum permulti ejus discipuli apud illum ederemus : et Titus diceret ad eum : Quando omnes a te curantur, cur Petronillam pateris paralysi decumbere? Cui tum Petrus respondit : Sic enim ei expedit. Ne quis tamen putet me his verbis indicare voluisse, fieri non posse, ut sanetur, volo ut surgat et ministret nobis. Et mox illa surrexit incolumis. Expleto autem ministerio, jussit eam Apostolus redire ad lectum suum. Postquam autem in Dei timore cœpit esse perfecta, non modo ipsa curata est, sed etiam permultis aliis suis precibus obtinuit sanitatem. Cum autem esset præstanti forma corporis, Flaccus comes venit ad eam* D *cum militibus suis sibi eam conjugem asciturus. Dixit vero illi Petronilla : Itane ad puellam inermem armato milite venis? Si me vis habere conjugem, da operam, ut matronæ, et virgines honestæ post triduum ad me veniant, ut ego cum illis pariter accedam ad ædes tuas. Triduo itaque dierum spatio impetrato, sancta virgo jejuniis et orationibus vacavit, habens apud se sanctam virginem Fæliculam, in Dei timore perfectam. Tertio inde die venit ad eam S. Nicomedes presbyter, Christique mysteria celebravit : cumque virgo sanctissimum Christi sacramentum accepisset, reclinans se in lectulum emisit spiritum. Matronæ autem et Virgines, quas Flaccus ad eam miserat, exsequias funeris ejus celebrarunt.* Hactenus beatissimus Eugenius, postmodum primas noster, de felici obitu S. Petronillæ.

Cæterum in his quæ ab eo referuntur, nonnulla

A. C. 34. Vigesima septima die Martii, sub auroram, Christus devicta morte, et infernis locis mirabiliter spoliatis, redivivus et victor a mortuis resurgit. A. R. 785.

Herodes Antipas cum Herodiade pellice incesta, tota Judæa pulsus, primum ad Gallias, deinde Ilerdæ in Hispania exsulat, ibique infeliciter moritur.

BIVARII COMMENTARIUS.

sunt quæ in dubium vertere videntur id quod apud omnes receptissimum hucusque fuit de B. Petronilla; quod nimirum fuerit principis Apostolorum filia. Nam qua ratione *Petronilla* vocatur, quæ nata est Simoni, quo tempore nondum Petri nomenclaturam adeptus erat? Petronillæ siquidem nomen derivatum videtur a Petro, natam autem antequam in apostolatum cooptatus esset a Christo, eo fit manifestum, quod nusquam deinceps uxore sua usus fuerit, continentiam professus, cum cæteris conjugio copulatis Apostolis. Hinc vero majus accrescit dubium: apparet siquidem multorum virginem annorum futuram, dum Romæ versaretur cum Patre, quæ nimirum non solum Hierosolymis, et Antiochiæ apud ipsum non paucis annis exstitit, sed et postquam Romam concessit, vixit aliquot annos paralytica, ut S. Eugenius fatetur. Qui autem fieri potuit ut virginem plurium annorum Flaccus deperiret, quo eam conjugem acciperet: aut quo pacto credi poterit post tot annos tam elegantis formæ fuisse, ut in epistola describitur? Accedit quod Petronilla, de qua Marcellus Eugenius agit, cujusque festus dies in Ecclesia colitur, nobilissima puella appareat, utpote quam tam insignis vir, officio comes, tot stipatus militibus, in matrimonium cooptare vellet: immo quæ paupertatem fortunæ aut generis humilitatem ei non objecerit: quin potius multas tum matronas, tum virgines exegerit sibi comites, ut in uxorem comitis duceretur: quod si piscatoris pauperis filia fuisset, nihil horum verisimile sit, sibi accidere potuisse, aut ipsam ut minimum paupertatem suam illico obtendere debuisse, quo tanti viri nuptias effugeret.

Hæc fere illustrissimum Baronium ab antiquo tramite deviare coegere: quibus ductus suspicatus est, ipsam non quidem filiam Petri apostoli nuncupatam, quasi ab uxore sua susceptam, sed quod eam in filiam speciali devotione susceperit: Non secus atque Marcum in epistola prima vocat filium suum, cum ait: *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone* (sic vocat Romam), *et Marcus filius meus*: creditque potius filiam Petronii cujusdam nobilis, Romani civis: nam Petronilla a Petronio deducitur, a Petro autem Petrilla, sicut Drusilla a Druso, et a Prisco Priscilla.

Non eo inficias ingeniose id excogitatum; verum non est quare ab antiquis recedamus: quandoquidem si recte ad lydium expendantur lapidem quæ objecta sunt, non cogunt nos novas excogitare sententias. Quod enim ad tempus spectat, nihil mirum si virgo quæ viginti sex annos nondum excesserat, florem adhuc venustatis retineret. Sed unde ætas ista Petronillæ colligitur? Ex eis sane quæ hoc loco Dexter docet, nimirum, anno ipso passionis Dominicæ decem dumtaxat annos exegisse, quibus si undecim superaddas, qui ab anno Christi 34, quo pro hominibus mortem crucis oppetiit, usque ad 45, quo vel ipso Cardinale teste, D. Petrus Romanam fundavit cathedram (vel 44, ut ex Dextro colligitur de quo suo loco dicturi sumus), intercurrerunt, fit ut ejus filia 21 annum agens Romam cum patre ingressa sit: his vero quinque alios superaddimus, quibus tum paralysi vexaretur, tum curata ab Apostolo, sanitatis qua prædita fuit, gratiam exerceret; liquido constat diem obiisse suum annum agens 26, quo satis floridæ venustatis esse potuit, et pulchritudinis. Hoc tantum apud me valet, ut eo tempore florentissimam putarim, etiamsi 30 annos peregisset, cum a Flacco in uxorem peteretur. Nec me movet illum officio suo comitem exstitisse, tum quia ante Constantini tempora (quod docte in notis ad Martyrologium edocuit ipse Baronius) comes non erat dignitatis titulus, sed assessorem judicum denotabat; tum etiam quia nihil mirum si vir nobilissimus conjugium filiæ Apostoli non dedignaretur, quem conspiceret a summis Christianorum proceribus magno honore haberi, ut ipse M. Marcellus Eugenius exemplo erat, qui tametsi de domo et familia imperatoris esset, D. Petrum Dominum suum nihilo secius vocitaret, cum in Epistola dixit: *De Petronilla filia apostoli Petri Domini mei*, etc. Sed et Clemens (ut cæteros Romanorum proceres taceam) et ipse consulari ac senatorio genere ortus, eumdem Apostolum uti Dominum et Magistrum reverebatur. Quidni Flaccus, quantumvis nobilis, quantumvis gentilis, filiam tanti viri in matrimonium sibi copulari expeteret, cum præsertim amore pulchritudinis cæco premeretur? Quod etiam in causa fuisse credimus, ne Petronilla paupertatis, et exilitatis suæ magnam dissimilitudinem obtenderet; quinimmo sapienter ab eo abstinuit responso, quod videret ab amatore cupidissimo admittendum nequaquam fore; et quo illum facilius a se expelleret, triduanas inducias exegisse, quas ille minime negare auderet: Virgines vero et matronas honestate præditas petivisse credenda est, quatenus illius vanitatem eluderet, dum vanitati consona efflagitaret. Quamquam et tenue argumentum sit illam non objecisse comiti paupertatem suam, quia Eugenius id non refert; potuit siquidem fieri, ut cum hæc et id genus multa minime animum ejus inflecterent, ad triduanas demum inducias et strepitum mulierum comitantium se, gradum fecerit. Quod ad nomen Petronillæ attinet, fatemur, non eo puerilibus annis insignitam ab utero, sed vel id in baptismo suscepisse, quando pater suus Petri jam nomenclatura gaudebat, vel non esse hoc nomen proprium virginis, sed honoris cognomentum a discipulis parentis sibi impositum, quo denotarent Petri filiam esse, quemadmodum M. Marcellus Eugenii nomine insignitus fuit, et alii Christianorum aliis. Parum vero interest sive Petrilla, sive Petronilla diceretur, cum alias constet non Petronii, sed Petri filiam exstitisse. Sed nec similis est casus quem objicit Baronius de Marco: hic siquidem semel dumtaxat, filius vocatur, plerumque autem absque filii nuncupatione nominatus reperitur, quod est signum solius dilectionis gratia tunc eo donatum; Petronilla autem semper et ab omnibus filia D. Petri nuncupatur: quod non leve indicium est, vere ipsius prolem exstitisse. Nec defuit inter antiquos scriptores qui filiæ ambigua nuncupatione minime contentus, germen Petri Petronillam vocarit, id quod Wandelbertus in suo Martyrologio metrico fecisse videtur, cum pridie kal. Junii dixit:

Tum pridie Petronilla Petri de germine sancto,
Fulgida Virgo micat Christi trabeata decore.

Repertum est sanctissimæ Virginis sepulcrum sub Paulo I Rom. pontifice circa annum Domini 758, cum hac inscriptione marmori incisa, *Aureæ Petronillæ filiæ dulcissimæ* (ut videtur) ab ipso Apostolo apposita. Vide P. Galesinum ad diem 31 Maii.

7. *Vigesima septima die Martii sub Auroram.* Hoc loco non est cur immoremur, cum certum constansque sit, quidquid de resurrectione Domini a Dextro dicitur: cum enim mors ejus 25 Martii acciderit, consequens est ut resurrectio in 27 incidisse dicatur; idque sub aurora, spoliatis prius infernis locis, quibus antiqui Patres sanctitate licet præstantes, detinebantur, ob communis peccati vinculum. Vide quæ de hora resurrectionis erudite notavit Baronius to. I.

8. *Herodes*, etc. Narrat Joseph XVIII Antiquitatum

A. C. 34. Herodias vero saltans super Sicorim, flumen Ilerdæ, glacie concretum, submersa mi- A. R. 785.
serabiliter periit.

BIVARII COMMENTARIUS.

lib. c. 9, cum Caius Romanorum Imperator Agrippam Herodiadis fratrem, ex privato, regem fecisset, eamdem Herodiadem Herodis Antippæ Galilææ Tetrarchæ pellicem, fraternæ felicitatis invidia agitatam, regium similiter affectasse diadema; ejusque ambitionis gratia amasium movisse suum, quatenus decenti stipatus comitatu, Romam adnavigasset; ut et ipse, beneficio Cæsaris, ad regale fastigium eveheretur. Res vero non ex voto accidere; quin potius in pejus conversæ sunt. Agrippa enim rex Fortunatum libertum suum ad Caium cum muneribus, et litteris misit, Herodem accusans duplicis defectionis a Romano Imperio; primum cum Sejano contra Tiberium Principem, et denuo cum Artabano Partho contra ipsum Caium; cujus rei testes adhibebat ipsius Tetrarchæ apparatus, utpote qui in armamentariis suis haberet tantum armorum, quantum struendis septuaginta millibus virorum armatorum sufficeret. Herodes pene inviserat Caium, cum ecce Fortunatus Romam accessit. Litteris perlectis Imperator excanduit, et quo certior efficeretur, Herodem rogavit verane essent quæ de multitudine armorum suorum audierat? Eo autem annuente, satis probatam defectionem ratus Imperator, Tetrarchia Herodem privavit; privatum exsilio mulctavit, et (quod invidiæ fomitem auxit) ejusdem Tetrarchiam Agrippæ æmulo suo adjudicavit; Denique Herodiadi, quæ præsens aderat, virum comitata suum, pepercit, ob Agrippæ fratris fidelitatem. Cæterum quæ tantorum malorum causa fuerat, et Divini numinis indignationem simul incurrerat, Joannisque Baptistæ sanguinem contra se clamantem habebat, qui fieri posset, ut condignas non lueret pœnas? Sed quo magis mireris Dei altissimam providentiam, absolutionem quam illi Imperator impertierat, ipsamet renuit, exsilium et pœnas lubens amplexa, quas meruerat. Unde ad Caium, qui eam absolverat, dixit: *Tu quidem Imperator, ut tua majestate dignum est, loqueris: sed mihi conjugalis amor impedimento est, quominus fruar hac indulgentia: non enim æquum censeo, ut cui secundæ fortunæ fui socia, eum nunc in adversa deseram. At ille indigne ferens* (ait Josephus) *tam excelsum animum in femina, ipsam quoque cum Herode expulit, et bona ejus Agrippæ largitus est.* Atque ita effectum est, ut ambo extra Judæam ad Occidentem orbis partem concesserint, exsilio perpetuo damnati.

Quo autem contenderint, dubitari merito potest: quandoquidem Nicephorus lib. 1 hist., c. 20. Viennæ asserit exsulem egisse Herodem, at Josephus citato superius loco ait: *Herodes vero perpetuo damnatus est exsilio apud Lugdunum urbem:* quo auctore vulgo creditur, Lugduni mortuum fuisse. Cæterum idem Josephus lib. 2, de bello Judaico cap. 8 (ad calcem ipsius), ad Hispanias fugisse cum Herodiade consorte, auctor est, inquit enim: *His adactus Herodes, venit ad Caium, a quo ob avaritiam vehementer increpitus, ad Hispanias fugit; secutus enim quippe eum fuerat accusator Agrippa; cui etiam Tetrarchiam illius C. Cæsar adjecit, atque ita Herodes quidem in Hispania, peregrinante secum uxore, decessit.* Hinc Baronius existimat pugnantia ea secum utrobique scripsisse Josephum, dum illic Agrippam misisse Fortunatum post Herodem Romam, contendit, hic vero ipsum, inquit, Agrippam Romam petiisse: illic ob seditionis accusationem dignitate privatum, hic avaritiam vehementer objurgatum a Caio: denique ibi apud Lugdunum exsilio mulctatum, hic autem ad Hispanias fugisse, atque in Hispania peregrinantem cum Herodiade, decessisse. Sed quidquid de aliis sit (de quibus nunc non curo) nulla pugna verborum in hoc auctore reperitur, quod ad locum exsilii spectat: quippe cum ad Gallias primum Roma A pulsum accessisse necessum fuerit, ibique potuit Lugduni aliquamdiu immorari; exinde vero Hispanias petiisse numquam Josephus negavit, nullibi enim asseverat, Lugduni diem obiisse, sed exsilio relegatum perpetuo: inde vero non incredibile est, fugam versus Hispanias arripuisse, ibique peregrinantem morti concessisse: id quod ultimo loco fatetur; et aliorum auctorum testimonio manifestissimum redditur. Siquidem Hegesippus vetustissimus scriptor lib. II de Hierosolymitano excidio, cap. 5, venisse Herodem ad Hispanias asseverat; addens ipsum mœrore animi consumptum interiisse. Sed et Josephus (alter a prædicto) Gorionis filius lib. v suarum historiarum, cap. 46, inquit: *Transtulit autem Tiberius Cæsar, rex Romanorum, Herodem in Hispaniam, ubi etiam mortuus est.* Quæ verba affert Ribera ad illud Abdiæ, *Transmigratio Jerusalem quæ in Bosphoro est.* Vide quam docte asserat Dexter Hispanias Herodem penetrasse, ibique infeliciter obiisse. Est tamen quod Dextro soli debeamus, hactenus aliis ignotum; nomen scilicet urbis, in qua obiit, nimirum Ilerdæ, quam modo *Leridam* dicimus.

9. *Herodias vero*, etc. Horribilis, sed justissima feminæ mors, quæ caput justo impie sustulerat. Fusius eam narrat Nicephorus citato loco; nisi quod in quibusdam videtur a Dextro deviare; ille siquidem astruit, filiam saltatricem in flumine glacie concreto demersam: Dexter vero matri Herodiadi id tribuit. Deinde ille decapitatam fuisse docet, hic submersam. Sed Callistum audiamus: *Furibunda et adultera, incestaque, quæ quidem Herodis habebatur, revera autem Philippi erat conjux, vita longius acta, cum prius filiam saltatricem acerbo fato sublatam vidisset, futuri sæculi judicio, et supplicio reservata est, meras, ibi quam citissime divinæ iræ fæces, intolerabilisque indignationis Domni calicem haustura; Filiæ autem ejus* (*dignus enim est qui memoriæ commendetur*) *talis fuit obitus: Eundum ei quopiam brumali tempore erat, et fluvius trajiciendus* (Sicoris Ilerdæ fluvius, vulgo nunc *Segre* dictus), *qui cum glacie constrictus coagmentatusque esset, pedes eum transibat. Glacie autem rupta, idque non sine Dei numine, demergitur illa statim capite tenus, et inferioris corporis partibus lasciviens, molliusque se movens saltat, non in terra, sed in undis; caput vero sceleratum frigore et glacie concretum, deinde etiam convulneratum, et a reliquo corpore, non ferro, sed glaciei crustis resectum, in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet, spectaculoque eo omnibus præbito, in memoriam ea quæ fecerat spectantibus revocat.* Hæc ille. Quo loci ingenue fateor casum saltatricis, ut ab hoc auctore describitur, miram Dei demonstrare providentiam, dum capite plectit eam quæ capite plectere Baptistam petierat. Vehementer autem admiror, ejus capitis truncationem, non ferro, sed crustis duntaxat glacierum actam. Et quidem miraculo fieri potuisse, non ambigo, factum autem dubito. Atqui in re dubia Dextrum libentius amplector, sive de mortis genere, sive de persona mortem perpessa sermo sit: tum quia multis sæculis Nicephoro fuit anterior, tum quoniam ipse Hispanus erat, et Barcinonensis, et ea retulit quæ Ilerdæ in provincia sua, non longe a Barcinone contigerant: ille vero recentior multo, et in Græcia natus, et educatus fuit. Neque vero lego apud Josephum saltatricem filiam in exsilium quoque actam, seu ipsam comitatam fuisse matrem, ut submergi, vel detruncari Ilerdæ potuisset. Quis scit si in matrimonium data cum conjuge in Galilæa, Judæave manserit? Rationi etiam consonum videbatur ut quæ gravius in morte Joannis deliquerat, pœna graviori mulctaretur; nemo autem nescit puellam caput Baptistæ, non nisi a pellice matre monitam, petiisse. At de his satis.

A. R. 34. Caius Cornelius centurio Capernaunensis, dominus servi, quem Dominus sanavit, pater A. R. 785, etiam C. Oppii centurionis, Hispanus, mire floret in Hispania.

BIVARII COMMENTARIUS.

10. *Caius Cornelius cent.* Egerat in superioribus Dexter de C. Oppio Hierosolymis degente; nunc de ejus parente C. Cornelio Malacitano, itidem centurione, sed in urbe Capernaunensi commorante, inquit illum fuisse centurionem, cujus laus est in Evangelio: illum, inquam, quem laudavit Dominus Luc. VII, dicens: *Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni.* Duo sane ex SS. Evangelistis, Matthæus, et Lucas historiam dulcissimam referunt, quonam scilicet modo accesserit ad Jesum, rogans ut mederetur servulo de vita periclitanti: Jesu vero dicenti: *Ego veniam, et curabo eum*, non acquievisse, ut per se accederet, indignum se tanto hospite reputans, et ipsum tam potentem, ut verbo dumtaxat, quo nihil facilius, si vellet, curare posset, et ab infirmo ægritudinem pellere; cum illi multo magis obedirent, quam suimet milites et servi sibi. *Domine* (inquiens), *non sum dignus ut intres sub tectum meum; Sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.* Te enim posse certissimum mihi est; et quid mirum? *nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic, Veni, et venit, et servo meo, Fac hoc, et facit:* quanto magis tibi, qui nulli subderis, cuncta obedient! *Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Tam multa sunt quæ in hoc uno homine Doctores mirantur, dum textum Evangelicum interpretantur, quod longum esset cuncta recensere. Chrysostomus altissimam ejus fidem eleganter ponderat: *Fidem* (ait) *centurionis vide. Quia non dixit, Veni, et salva eum, quia ille constitutus in omni loco erat præsens;* et inferius præfert illius fidem fidei cæterorum: *Credidit enim* (inquit) *Andreas, sed Joanne dicente: Ecce agnus Dei: credidit Petrus, sed evangelizante sibi Andrea: credidit Philippus, sed legendo Scripturas: credidit Nathanael, sed prius signum divinitatis accepit*, visum scilicet fuisse a Christo sub ficu, ubi corpore non erat præsens. Sequitur Origenes. *Jairus Israelis princeps pro filia sua petens, non dixit, Dic verbo, sed Veni velociter. Nicodemus de fidei Sacramento audiens, ait: Quomodo potest hoc fieri? Maria et Martha, Domine, Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: quasi dubitantes, quod ubique posset adesse Dei potentia.* Et hoc totum volunt insinuasse Dominum illis verbis, *nec in Israel tantam fidem inveni.* Ambrosius addidit: *Et quidem si sic legas, in nullo tantam fidem inveni in Israel, simplex intellectus et facilis est* (si enim de solis tunc viventibus loqueretur). *Si vero juxta Græcos, nec in Israel tantam fidem inveni, fidem hujusmodi etiam Electoribus et Deum videntibus antefert*: nimirum patriarchis et prophetis. Sed recte admonet Beda, *quod non de omnibus retro patriarchis et prophetis, sed de præsentis ævi loquitur hominibus, quibus ideo centurionis fides antefertur, quia illi legis, prophetarumque monitis edocti, hic autem, nemine docente, sponte credidit.*

Præter fidem autem, humilitatem magnam illius commendat illud, *Domine, non sum dignus;* quo loci Rabanus: *Propter conscientiam vitæ gentilis gravari se magis dignatione putabat, quam juvari; cujus etsi fide præditus, nondum erat tamen sacramentis inunctus.* Ubi Augustinus (Ser. 6 de verbis Domini in monte): *Dicendo autem se indignum, præstitit dignum, non in cujus parietes, sed in cujus cor Verbum Dei Christus intraret. Neque hoc diceret cum tanta fide, et humilitate, nisi illum, quem timebat intrare in domum suam, corde gestaret.* Ubi ait Ambrosius, *quod ad mysterium spectat, vidit in pectora adhuc gentilium, non esse penetrabilem Christum. Prudentia autem centurionis* (ait Hieronymus) *apparet in hoc, quod ultra corporis tegumentum, latentem vidit Divinitatem*; et ideo tam reverenter erga illum se exhibuit. Adde prudentiæ opus fuisse quod prius misit ad illum seniores Judæorum; deinde amicos, cum jam non longe esset a domo, ut Lucas refert: Demum vero et ipse accessit rogans, ne intraret in domum suam; quod Matthæus scripsit. Hæc mihi ex Chrysostomo accepta facilior videtur conciliatio Evangelistarum: *Quod enim Matthæus non ait per amicos* (Chrysostomus loquitur), *sed per se ipsum, hoc eumdem dixisse, nihil contrarium est: conveniens autem est opinari, et ipsum postquam misit amicos advenientem, per se hæc dicere. Si autem hoc non dixit Lucas, neque illud Matthæus, non sibi contradicunt, sed complent quæ ab invicem derelinquebantur.* Sapientiam notat idem Chrysostomus, *quia non dixit, hic constitutus salva eum*, non enim legitur petiisse expressis verbis salutem servi; sed exposuisse dumtaxat ægritudinem tantum, siquidem dixit: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur;* unde reddens Chrysostomus ejus rei rationem ait: Etenim *sciebat, quia potens est ad faciendum, sapiens ad intelligendum, misericors ad exaudiendum: ideo infirmitatem tantum exposuit, remedium autem sanitatis in misericordiæ ejus potestate dimisit.* Bonitatem denique vide (ipsemet loquitur) *qui pro salute servi sic sollicite festinabat.* Adde quod gentilis adhuc existens, synagogam Judæis ipse ædificaverat, in urbe sua Capharnaum; et ipsos quoad religionem ut minimum diligebat, cujus rei testimonium ipsi seniores Judæorum dederunt Domino (en salutem ex inimicis): *Cum venissent ad Jesum* (ait Lucas), *rogabant eum sollicite dicentes ei: Quia dignus est, ut hoc illi præstes: diligit enim gentem nostram, et Synagogam ipse ædificavit nobis.* Magnus igitur vir fuit iste centurio. Et certe talem esse decebat eum, qui primus ex gentibus prædicatione, et miraculis Christi ad fidem converteretur. Nemo autem hanc me dignitatem et gloriam absque duce gravissimo centurioni tribuere existimet, habeo siquidem Chrysostomum hoc loco Matthæi aientem: *Centurio autem iste primus fructus ex gentibus, ad cujus fidei comparationem, omnium Judæorum fides infidelitas est inventa.* Sunt qui Cornelio centurioni id concedunt; sed præterquam quod hic quoque ex Hispania fuit oriundus, utpote Italicæ natus, hoc tamen diversum valde intellectum habet: nimirum hunc primum, fuisse animal Deo immolatum, postquam ostium fidei gentilibus apertum est; non tamen quod primus gentilium credidit: hoc enim stare non potest: cum Magi qui puerum Dominum adoraverunt, antiquiores in fide fuerint centurione Italicensi. Sed de his iterum sermo incidet suo loco anno Domini 40. Hoc demum gloriæ nostro Capharnaumensi ascribi oportet, quod toti Ecclesiæ formam dederit recipiendi Christum in suorum corporum domibus. Antiquissima siquidem consuetudine receptum est, ut qui sacram Eucharistiam recipiunt, verba centurionis promant, *Domine, non sum dignus*, etc., quod tanta gaudet antiquitate, ut id Origenes summopere commendaverit, dicens: *Quando corpus, et sanguinem Domini manducas, et bibis, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur; et tu ergo humilians teipsum dicas: Domine, non sum dignus*, etc.

Mire floret in Hispania. Floruisse admodum in Judæa opinione virtutis et pietatis apud Deum et homines, tam Judæos, quam gentiles suos, ex dictis liquet: addit vero Dexter in Hispania etiam floruisse, nimirum quia relicta militia miles emeritus in patriam se receperat; cum vero Malacitanus civis fuerit (quod superioribus docuimus), consequens est, ut eo in loco sanctitatis opinione clarus fulserit. Cætera quæ ad prædicationem et consummationem

A. C. 34. Ultima die Junii, sancti Dei Apostoli, quadraginta et octo diebus plus minusve, post A. R. 785. adventum Spiritus sancti, conveniunt in cœnaculo Sion, quæ domus erat Mariæ matris Joannis, cognomento Marci, ac habito consilio, sortitione divina, provincias mundi prædicationis causa inter se partiuntur. Contigitque S. Jacobo Zebedæi filio Hispania, Joanni Asia, Matthæo Æthiopia, Thomæ India, Philippo Scythia et Galliæ; Quo tempore canones eduntur, et apostolicæ constitutiones componuntur, ad Sacramentorum et totius Ecclesiæ œconomiam.

BIVARII COMMENTARIUS.

ipsius spectant, scribit Heleca in additionibus ad Dextrum his verbis :

Nec minus celebratur memoria S. Caii Cornelii centurionis (qui fuit ille centurio, cujus famulum ad Capharnaum Christus sanavit) : postea sociatus apostolis, neci S. Stephani interfuit; Petrum et Paulum ad Hispanias venientes comitatus est. Tandem prædicans Scepsiniensibus, prope Idam mortuus est. Prædicat in Hispania : longe hic alius a Cornelio centurione cohortis Italicæ : hoc Cornelio multo juniore ille senior. Pervenit autem usque ad Adrianum, cui etiam charus fuit, ut docet Dexter inferius ad annum Christi 66.

11. *Sancti Dei Apostoli.* Varia fuit hactenus Doctorum sententia de tempore divisionis Apostolorum; quidam enim volunt factam statim a passione Domini; quos ducit Theophanes in Symphonia veteris et novi Testamenti; et libenter amplectuntur nonnulli Hispanorum, ut ita facile tueantur profectionem D. Jacobi in Hispaniam, paulo post resurrectionem Domini factam, cum tamen ante Apostolorum cæterorum divisionem minime acciderit; et id non obscure videtur innuere D. Clemens Rom. in epist. 1 ad Jacobum fratrem Domini. Alii ad aliud extremum declinantes contendunt, anno 12 ab eadem passione perfectam; id quod inter vetustissimos docuit Apollonius apud Eusebium lib. v Hist. c. 17, cujus ea sunt verba : *Se traditione accepisse, Servatorem mandatum suis dedisse Apostolis, ne ad annos* 12 *Hierosolymis discederent.* Clemens Alexandrinus refert in hanc sententiam præcepti formam lib. vi Stromat. : *Post duodecim annos egredimini in mundum; ne quis dicat : Non audivimus.* Hoc sequitur Beda in Martyrologio suo, eumque refert Usuardus apud Molanum die 15 Julii.

Neutrum horum stare potest cum veritate; nam contra id quod Theophanes asserit, se opponit D. Lucas Act. vi, docens quod post necem protomartyris Stephani exorta magna in Ecclesiam persecutione, *omnes dispersi sunt præter Apostolos* : cum autem martyris mors ad calcem anni redemptionis humanæ facta fuerit, et tunc Apostoli dispersi non sint, consequens est, ut eorumdem divisio non acciderit statim a passione Domini. Facit vero contra Apollonii et Clementis dictum, quod D. Marcus Evangelium suum clauserit asserendo, quod cum illa scriberet, Apostoli secundum jussionem Domini *profecti prædicaverant ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Certum autem et constans est apud omnes auctores, Marcum evangelistam scripsisse anno undecimo a passione Christi Domini : unde fieri non potuit ut Apostolorum divisio in annum 12 sit dilata, cum in 2 non solum divisi reperiantur, sed et toto orbe dispersi prædicasse, et miracula multa perpetrasse. Accedit quod Paulus 3 anno a conversione sua, venit Hierosolymam ad antecessores suos Apostolos (ut ipse fatetur ad Gal. 1), et tamen tunc non invenit ibi, nisi Petrum et Jacobum fratrem Domini. Qua de re inferius agemus anno Christi 38.

Ut hæc forsan fugerent inconvenientia, alii auctores ab utroque extremo declinantes, mediam viam elegerunt; in quibus Melito Sardicensis episcopus, seu auctor libelli de transitu Virginis, qui exstat in Bibliotheca veterum Patrum, Melitonis nomine insignitus; vult divisionem Apostolorum in annum secundum a Christi morte incidisse. Sed hæc sententia tantum Bedæ displicuit, ut mendacem eam vocare non dubitaverit : *Constat*, ait, *quod mendacium scripsit ille, qui ex persona Melitonis episcopi Asiæ librum exponens de obitu Virginis, dicit, quod secundo post Ascensionem Domini anno, apostoli fuerint omnes, toto orbe, ad prædicandum in suam quisque provinciam divisi.* Quod confirmat testimonio Lucæ Actorum VIII : *Omnes dispersi sunt præter Apostolos :* si enim Apostoli in illa prima persecutione dispersi non fuerunt, minime ergo divisi sunt ab invicem, toto ejusdem persecutionis tempore, quæ ut minimum toto secundo anno post Christi mortem durávit. Adde quod præceptum habebant prædicandi Judæis, priusquam toto orbe dispergerentur ad gentium conversionem : quare oportuit Hierosolymis primum, et cæteris urbibus Judaici populi serio prædicationi institisse. Hinc ortum habuit aliud Genebrardi placitum lib. 3 Chronologiæ ann. Christi 46, divisionem Apostolorum rejicientis ad annum 7 post Christi mortem. Sed cur potius hunc annum 7 quam 5 vel 6 elegerit non ostendit. Hujus dubii expeditio pendet ex sequenti.

12. *Ultima die Junii*, etc. De die quoque quo hæc sacra divisio orbis universi inter Apostolos celebrata sit, non minor est dissensio; nam Procorus S. Joannis discipulus in ejus historia affirmat, inter cætera quæ in hac divisione facta sunt, primam fuisse Jacobi Minoris electionem, et consecrationem in episcopum Hierosolymorum. Nec mirum, cum hæc illius Apostoli sors fuerit : auctore autem Eusebio in Chron. ann. 34, constat S. Jacobum consecratum esse die 37 Decembris (quem sequitur Rabanus in suo Martyrologio apud Canisium Antiq. Lect. tomo 6) : unde relinquitur, ut ipsa Apostolorum divisio eadem die peracta sit. Quo tamen non obstante omnes fere auctores Martyrologiorum affirmant divisionem Apostolorum in 15 *Julii* cecidisse, Beda, Ado, Usuardus, et Molanus : et Græcorum Menologium, his verbis : *Die* 15 *Julii festivitas omnium Apostolorum quando divisi sunt ab invicem*, in qua festivitate sermones habuerunt Chrysostomus, et alii Patres. Conveniunt etiam Petrus Equilinus episcopus, illo die; et quod cæteris præstat, Romana Ecclesia divisionem eamdem celebrabat in antiquo Breviario et Missali cantans Epistolam, *Corde creditur ad justitiam*, Rom. x, et Evangelium, *Euntes in mundum universum*, Matthæi ultimo, ut Equilinus notat lib. vi, cap. 99. Ab utroque autem die non minimum videtur distare Dexter, dum docet contigisse die ultima Junii.

Utraque tamen quæstio de die et anno divisionis apostolicæ facile solvitur, si advertamus, non uno eodemque die divisionem (seu sortitionem) Provinciarum factam inter Apostolos, et exsecutioni mandatam; primum siquidem ultima die Junii ejusdem anni, quo Christus pro nobis mortuus est, congregati simul Apostoli, cum ab eodem accepissent, ipsos universum orbem peragraturos, et in omnibus terrarum provinciis Evangelium prædicaturos, de ipsis provinciis sortes miserunt; quo quisque eorum sciret, quod animarum onus ipsi incumberet, ac pro earum salute sine dilatione et intermissione Dominum oraret. Cæterum non statim fuit exsecutioni mandata ejusmodi provinciarum sortitio usque ad annum 7, ut mox dicemus : siquidem opus erat conversioni

BIVARII COMMENTARIUS.

Hierosolymorum et totius Judææ regionis primum omnes insistere, et in unum corpus coalescentes se a Judaica persecutione defendere; et de multis quoque disponere quæ ad fidem catholicam toto orbe stabiliendam necessaria erant: videlicet de his quæ ad Sacramentorum celebrationem, et dispensationem, et totius Ecclesiæ œconomiam pertinere videbantur. Cum vero tot tantaque Ecclesiæ stabiliendæ negotia repente fieri nequirent, sed magna prius (ut par erat) habita discussione, et maturo judicio, quod recte annotavit Dexter dum dixit, *Habito consilio* factam esse sortitionem divinam; inde fit ut consilium ejusmodi apostolicum non uno nec paucis diebus consummari potuerit, sed multos necessario insumpserit. Ejus vero memoria celebrari consuevit Hierosolymis, et in Oriente, die quo cœptum est, videlicet 30 et ultima mensis Junii. Cujus rei testimonium perhibet (Dextro consentiens) Græcorum Menologium quod sic habet: *Die* 30 *Junii congregatio sanctorum et benedictorum duodecim Apostolorum.* Meminit ejusdem festi, et verborum Usuardus apud Molanum hac ipsa die. Obiter annotarim falli eos qui hac die credebant apud Græcos celebrari festum omnium Apostolorum simul, quo una dies festiva cunctis consecraretur, postquam antecedente de principibus eorumdem Petro et Paulo solemnia facta fuissent. Si enim hoc Græci intenderent, non dixissent, *Congregatio* 12 *Apostolorum*, sed *Festum Apostolorum:* Nam congregationis nomen concilium sonat, et advertere debuissent D. Chrysostomum homiliam de divisione Apostolorum hac ipsa die ad populum habuisse, ut Molanus refert in notis ad Idus Julii, num. 3, in suo Usuardo. Quod primo igitur factum est in hoc concilio, fuit divisio ac sortitio provinciarum, et hoc primo congregationis die. Consequenter actum est per multos alios de Constitutionibus Apostolicis et Canonibus Sacramentorum; deinde Jacobi Minoris (cui Hierosolymorum administratio sorte contigerat) consecratio celebrata est 27 die decembris, quo ab Eusebio et Rabano ponitur. Demum cum jam Synagogæ repudium datum esset, et gentibus ostium apertum, ab invicem divisi in suam quisque provinciam profectus est. Hæc vero divisio Apostolorum ab invicem die 15 Julii contigit, ut ex traditione habet Ecclesia, quæ ea die divisionem hujusmodi olim celebrare consuevit.

Contigisse vero hujusmodi divisionem anno 7 post Christi mortem, suo loco cum Dextro et Genebrardo ostendemus.

Occurret fortasse quis: si non illico profecturi erant, quare tam cito divisionem orbis fecerunt Apostoli? Sed facile sedabit scrupulum, qui animo perpenderit, Apostolos non fuisse tardos, et pigros, sed providos, ac solertissimos: præterquam quod oportebat, unumquemque eorum expeditum esse, et paratum ad opus ad quod assumptus erat, et pro suis ovibus orare; et multa interim occurrere poterant negotia, ad peculiares provincias spectantia, ut de Hispania jam dicam. Quod si hoc difficile alicui videatur, quæram ab eo: si non statim a passione Domini in mundum dispergi eos oportuit, ut quid etiam ante adventum Spiritus sancti sortem mittentes Matthiam in Apostolum elegerunt? dum enim omnes simul degebant, minus necessarium videbatur 12 potius quam undecim esse. Et quidquid huic quæstioni responsum fuerit, respondebo ego et illi. Insuper inde colligi potest quod paulo post adventum Spiritus sancti, divisio Provinciarum facta est, quod nulla in ea mentio facta est Pauli, cui postmodum totius universi gentium conversio fuit commendata. Si enim tempore divisionis esset Apostolus, haud dubium quin cum cæteris in sortitione illa communionem haberet. Adde quod apud omnes constans est, Jacobum tunc Hierosolymorum constitutum pontificem, cum sortitio provinciarum inter omnes Apostolos facta fuit; nam Hierosolymæ etiam per sortem contigerunt Jacobo. Hoc vero oportuit necem Stephani præcessisse, quandoquidem ipse diaconatum sub illo exercuit, ut auctor est D. Ignatius in epist. ad Trallianos: *Quid diaconi* (ait) *nisi imitatores Christi ministrantes episcopo, sicut Stephanus beatissimo Jacobo, et Timotheus et Titus Paulo, Anacletus et Clemens Petro.* Idem repetit in epistola ad Heronem. Quinimmo Heronymus lib. de Script. Eccles. in Jacobo inquit: *Post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum episcopus ordinatus est.*

13. *Quadraginta et octo diebus.* Restitui hanc Dextro lectionem, corrupte siquidem legebatur 38 *diebus* post Adventum Spiritus sancti congregationem apostolicam factam super divisione orbis. Si enim, ut verum est, et præmittitur a Dextro, die ultima Junii celebrata est, non 38, sed 48 dies inter eam et adventum Paracleti intercesserunt, quandoquidem mortem Christi, et Pascha eo anno 25 Martii contigisse nemo nescit; et consequenter Pentecosten 15 Maii, nimirum post 50 dies a Paschate; a 15 vero Maii, qua Spiritus sanctus advenit, usque ad 30 Junii, qua mundus sortitus est inter Apostolos, 48 intercedunt.

14. *In cœnaculo Sion*, etc. Obstare videtur Anselmus in descriptione Terræ Sanctæ typis recens datus a Canisio tomo VI Antiq. lect. ubi hæc ait: *A loco Ascensionis Christi ad* 40 *passus pedum, adhuc apparent vetustissimi parietes muri ruentis, in loco ubi Apostoli diviserunt sibi provincias ad quas quisque ire debuerat, et ibi Credo composuerunt.* Non igitur in Cœnaculo Sion, sed extra civitatem, loco ab Anselmo relato, hæc sortitio facta fuit. Cæterum confundit hic auctor divisionem provinciarum, quæ facta est in Cœnaculo, cum divisione Apostolorum ab invicem, quæ post 7 annos eo loci contigit, dicendo basilicam illam seu locum sacrum erectum olim fuisse in memoriam devotissimæ collocutionis, quam Apostoli habuerunt, cum discesserunt tandem ab invicem. Quod vero ibi fidei symbolum confecerint, et non in cœnaculo Sion, quæ erat domus Mariæ, matris Joannis cognomento Marci, non opponitur dictis Dextri: ille enim non de Symbolo, sed de Constitutionibus Apostolicis locutus fuit. Quomodo autem in constitutione Symboli, duodecim concurrerint, nimirum singuli singulos fidei articulos tribuendo, tractant Augustinus serm. 115 de Tempore, Ambrosius serm. 38 ad finem, Rufinus apud Cyprianum, et Venantius Fortunatus in expositione ejusdem.

15. *Contigit S. Jacobo Zebedæi filio Hispania*, etc. Quæ Provincia orbis, cuique Apostolorum sorte divina contigerit, non ita certum est, quod ejus rei certum Ecclesiæ testimonium teneamus. Neque vero idem est aliquem Apostolum hic vel illic evangelium prædicasse, et ibi sortem suam accepisse: Quandoquidem non unam tantum mundi regionem quilibet docuit, sed multi multas, easque remotissimas; negari tamen non potest, unumquemque præcipue conversioni illius institisse, quæ ipsi commendata fuerat. Quare lectissime asseruit Dexter, Jacobo Zebedæi filio Hispaniam contigisse, quamvis in Judæa et toto itinere usque ad Hispaniam prædicaverit: et Joanni fratri suo Asiam, tametsi multi asserant, Parthos etiam docuisse fidem, argumento desumpto a titulo primæ suæ Epistolæ Canonicæ, quæ olim *ad Parthos* inscripta legebatur; et Matthæo Æthiopiam, quamquam teste Isidoro Macedoniam etiam illustraverit verbo Dei; et Thomæ Indiam, quem tamen Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, et Bracmanis prædicasse, Martyrologium Romanum occinit; Philippo item Scythiam, qui nihilominus, eodem teste, usque ad Asiæ Hierapolim pervenit. Quod de Gallia in Philippo addit Dexter, putat Baronius errorem esse scriptoris (in Isidoro) lib. de Obitu Patrum, qui ei quoque tribuit Galliam, contenditque debere legi

A. R. 34. Jacobus, frater Domini, primus Hierosolymorum Episcopus creatus est. A. R. 785.

Sacra vero Virgo, consilio, luce doctrinæ, et mirabili vitæ exemplo præsidet collegio apostolico; nihilque grave gerunt illi, quod non ejus consilio, ductuque gerant.

BIVARII COMMENTARIUS.

Galæciam, quæ est pars Phrygiæ, contermina Scythiæ. Quod mihi quoque arrisit aliquando: nam quamvis Apostoli postea varias remotissimasque regiones adierint, tamen in sortitione orbis, non videtur credibile plures a se invicem distantissimas simul uni eidemque commissas. Cæterum liber ille de Ortu et Obitu Patrum vere S. Isidori, uti inferius probabimus: resque ipsa iterum asseritur in hymno S. Jacobi Apostoli, qui exstat in Breviario Gothico, quo usa fuit olim tota Hispaniarum Ecclesia. Quare utriusque auctoritas magni apud omnes ponderis esse debet: præsertim nomine veterum refragante.

Præter hos recensitos a Dextro, adde Andream cui Thracia et Achaia contigerunt; Bartholomæum cui Armenia, et Indiæ altera pars, a parte D. Thomæ; Simonem cui Ægyptus; Thadæum cui Mesopotamia, et Persia: et Matthiam, cujus Judæa messis propria fuit: ut omittamus Jacobum Minorem, qui civitati Hierosolymorum dumtaxat præfuit; et etiam Apostolorum principem Petrum, qui pastor omnium constitutus, nihilominus in Asia primum, deinde in Occidente prædicavit. Quapropter satis rationi consentanea est divisio illa, quam Petrus episcopus Equilinus lib. VI, cap. 99, videlicet in quatuor orbem plagas fuisse divisum, ita quod *Oriens* cesserit Thomæ et Bartholomæo, quorum uterque in India prædicavit: *Meridies* Simoni et Matthæo, quorum prior in Ægyptum, posterior in Æthiopiam detulit Evangelium: *Aquilo* Philippo et Thadæo; illius fuit Scythia, hujus vero Mesopotamia: *Occidens* Petro et Jacobo, quorum erant Italia et Hispania; *Mundi medium* Matthiæ, et Jacobo Justo, e quibus ille Judæam, hic civitatem sanctam curavit erudire. Denique *Mediterranei maris* provinciæ Joanni et Andreæ, nam Minor Asia, Thracia, et Achaia, quas ipsi docuerunt, juxta mare Mediterraneum sitæ sunt. De Gallia et Britannia nobilibus provinciis dicendum Jacobo Majori et Petro cessisse, quorum conversio Occidentis intererat: Unde Dexter inferius fatetur, Jacobum non in Hispania solum, sed etiam in Gallia et Britannia prædicasse, etsi non ita serio ut in Hispania. Et Innocentius in epistola ad Decentium, fidem Galliæ Petro adjudicat. Ad Britanniam quoque Simonem Cananæum prædicationis gratia accessisse, ex Ægypto et Africa ubi degebat, auctores sunt Dorotheus in Synopsi, Menologium Græcorum, et Nicephorus l. II, cap. 40, de Paulo aut Barnaba nulla mentio in sortitione mundi habita, quia necdum ille conversus ad fidem fuerat, et consequenter neuter in apostolatum cooptatus. Agunt de eadem divisione Beda in collectaneis, D. Julianus Toletanus super Naum, tomo II Auctarii Bibl. vet. Pat., Thomas de Cantiprato lib. II de Apibus cap. 25; Hymnus de S. Jacobo, quem ex Breviario Gothico excerptum dabimus inferius; et elegantissime Metellus Monachus Tegerseensis, in suis Quirinalibus apud Petrum Canisium tom. I Lect. Antiq., vivebat anno Domini 1060. Hic igitur penes quatuor mundi plagas (quod Equilinus fecerat) apostolorum divisionem factam describit sub titulo: *Quod nunc paganismo dedita olim per Apostolos fidem receperit Persida:* ejus verba libuit subnectere, in gratiam eruditorum:

Lydica regna quondam,
Perside cum principibus, progenieque regum,
Se fidei dederunt,
Primitivis Ecclesiæ temporibus subacta.
Rebus Apostolorum
Strenue gestis, Domini jura libens recepit
Cœlica totus orbis.
Indiæ de finibus, Ortus dat ubi diem Sol,
Quæ tenet arva Thomas.
Usque Spanos Occidui sideris axe clausos,
Quos Jacobus docebat.
A Scytharum frigoribus perpetuis in ævum,
Quæ tulerat Philippus;
Ad Perusiæ proxima, quos sanctificat nigellos
Æthiopes Matthæus:
Mundus omnis dogmata jam rescierat salutis;
Barbarie relicta,
Disciplinam catholicæ religionis hausit.

Hæc ille. Orientis prædicationem a Thoma in India terminatam docens, Occidentis a Jacobo in Hispania, Aquilonis a Philippo in Scythia, Meridiei a Matthæo in Æthiopia.

16. *Jacobus frater Domini*, etc. Consecratum fuisse Jacobum in episcopum Hierosolymorum a tribus Christi Apostolis, Petro, Jacobo Majore et Joanne, auctor est Anacletus in epistola ad episcopos Italiæ. Unde statutum fuit, episcopum non debere ordinari, nisi a tribus episcopis, ut videre est apud Gratianum et Clementem Alexand lib. VI Hypot. et Eusebium lib. II, c. 1. Cæterum non est intelligendum D. Jacobum, fratrem Domini, tunc fuisse ordinatum episcopum, quasi non fuerit a Christo Domino cum cæteris Apostolis ordinatus; sed quod tunc primo solemnes illæ ceremoniæ celebratæ sunt, in exemplum reliquorum, qui de novo ordinandi erant, quamquam ipsi sancti Apostoli sine consortio aliorum, plerumque episcopos creaverint per solam manus impositionem. Institutionem vero solemnem Jacobi 27 Decembris factam fuisse Eusebius et Rabanus tradiderunt, ut supra diximus.

17. *Sacra vero Virgo*, etc. Hoc majestatem Dei genitricis maxime decuit. Notanter vero Dexter non dixit absolute præsidis officio functam in collegio apostolico, hoc enim virorum officium Petro Christi vicario debebatur, non mulieri; sed præsedisse in illa sacra congregatione *consilio* in rebus dubiis, *luce doctrinæ* in fidei mysteriis, plurima ejus arcana reserando, quæ sola ipsa experta fuerat, *et mirabili vitæ exemplo;* maximeque rationi consonum est credere, *nihil illos grave gessisse, quod non ejus consilio, ductuque gesserint.* Præsertim cum certum sit illam sacris semper congregationibus interfuisse; nam de prima omnium in qua Matthias in Apostolum electus est, id expresse habemus Act. I, ubi loquens Lucas de Apostolis ait: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, et Maria matre Jesu.* De adventu etiam Spiritus sancti constat ex illis verbis Actorum II: *Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco*: ubi particula *omnes* signat eos de quibus dixerat, *omnes erant persever.* etc., *cum Maria matre Jesu.* De reliquis autem congregationibus deducitur, ex illis *omnes qui credebant, erant pariter* Act. II, et ex sequentibus Act. V: *Erant unanimiter omnes: cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis.* Quod si nullus fidelium tunc deerat, qui fieri posset ut ipsa mater Domini absens esset? Accedit quod præcipua causa protelationis vitæ B. Virginis post Filii mortem fuit, ut collegium apostolicum sua præsentia foveret, et promoveret Ecclesiæ nascentis initia. Quare B. Ignatius in epistola 1 ad Joannem, nuncupat eam, novæ religionis magistram. *Nostræ*, ait, *novæ religionis, et pœnitentiæ et magistra;* et in Litaniis vocatur *Regina Apostolorum;* immo et *illuminatrix Apostolorum* vocatur a Patribus, e quorum numero sunt Rupertus Tuiciensis abbas, Idiota de contemplatione Virginis c. 3, Antoninus par. IV Summæ Theolog. tit. 17, B. Brigitta de Virginis excellentia oratione 1, et præter hos Augustinus sermone 6 de Nativ., sub finem, vocat eam *gentium*

A. C. 34. Apostoli septem apostolicos diaconos, ex Græcis omnes, creant.. A. R. 785.

Floret per id tempus in Hispania C. Oppius centurio F. Corn. pariter centur. qui morientem Christum prædicat Hierosolymis esse Filium Dei, inter fragores saxorum mutuo sese collidentium, obducto tenebris die. Ex gentilibusque a Christi morte primus hic christianus centurio credidit : qui fuit civis Romanus, baptizatusque, a B. Barnaba factus est tertius. Mediolanensis episcopus : vir quidem apostolicus, qui Christi mortem, et eclipsim admirabilem primus omnium Hispanis, genti suæ, cum audientium stupore refert.

35. Occiso lapidibus Stephano protomartyre, magna persecutio Hierosolymis et in confini- 786

BIVARII COMMENTARIUS.

magistram. Vide etiam Galatinum, lib. VII de Arcanis, c. 4 et 12.

18. *Apostoli septem apostol.*, etc. Electionem septem primorum diaconorum in Ecclesia hoc anno factam refert Lucas Act. VI, ortum duxisse a murmure Græcorum discipulorum adversus Hebræos, *eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum* : hoc est, non providerentur de quotidiano victu Græcorum viduæ, sicut Hebræorum, quandoquidem major discipulorum pars ex Hebræis erat, minor vero Græcorum : cum tamen omnes essent Moysis filii, et circumcisionis, licet hi in Græcia ex dispersione, illi in Judæa vel Galilæa nati. Quod autem de victu esset quæstio, constat ex eo quod congregantes Apostoli discipulos (eos scilicet qui murmurabant) dixerunt ad illos : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis*, quasi dixerint, intenti Evangelii prædicationi, non possumus mensis etiam ministrare, quo æque omnibus omnia dividantur, sine distinctione Hebræi et Græci. Quare jusserunt eos eligere septem viros probatissimos inter ipsos, quibus viduarum suarum curam commendarent, ne præpedirentur a prædicatione. Cum autem ipsi elegissent Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto, Philippum, Procorum, Nicanorem, Timonem, et Pharmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum ; *statuerunt eos ante conspectum Apostolorum : et orantes imposuerunt eis manus*, id est, in diaconos ordinati sunt ab ipsis per manus impositionem. Omnes igitur fuerunt ex Græcis creati, quod notavit Dexter, et ex contextu historiæ apostolicæ satis colligitur : præsertim ex illis verbis : *Considerate ex vobis viros boni testimonii septem* ; ubi τὸ *ex vobis* refert eos quos Apostoli se dare cupiebant; hi autem Græci erant, qui coram Apostolis contra Hebræos causam agebant.

19. *Floret per id tempus*, etc. Retulerat supra Dexter conversionem hujus sancti centurionis; nunc jam Hispanias petiisse docet, ubi florebat sanctitatis opinione non vulgari, primus omnium denuntians Hispanis, Christi mortem, quam generalis admirandæque eclipsis, ab eisdem cum stupore visa, denotabat.

20. Loco illorum verborum, *C. Oppius centurio, filius Cornelii pariter centurionis*, corruptissime legebatur in codice ms. *C. Oppius C. F. C. pater centurio* : restitui vero loco verbi *pater* illud *pariter*, et significatum illarum litterarum, C. F. C., aperui.

21. *Ex gentilibus*, etc. Quod hic fuerit primus gentilium qui post mortem Christi crediderunt, habemus ex Evangelio : *Videns centurio quod sic clamans expirasset, glorificavit Deum.* Hoc autem non tollit, quin alii ante Christi mortem credidissent, ut pater ipsius Cornelius centurio Capharnaumensis, et mulier Cananæa ; quem vero sensum habeat quod de Cornelio Italicensi dicitur, fuisse primitias gentilis populi, cum tamen id post 6 annos acciderit, dicemus ad annum Christi 40. Multa sunt quæ doctores sancti scripserunt elogia in hujus centurionis laudem ; Hieronymus Arium, alias Christianum, hujus gentilis confessione confundit : *Ex hoc considerandum quod centurio in ipso scandalo passionis vere Dei Filium confiteatur, et Arius in Ecclesia prædicat creaturam* ; additque : *novissimi autem, nunc primi efficiuntur, gentilis confitetur populus ; Judæa excæcata negat, ne fiat ultimus error pejor priore.* Ubi Theophylactus : *Sic ordo convertitur, dum Judæi occidunt, discipuli fugiunt, et gentilis confitetur.* Et rursus : *Nunc videtur effectum sortiri, quod Dominus dixerat : Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum; exaltatus namque in cruce, attraxit latronem et centurionem.* Beda autem : *Gentiles Deum timentes apertæ confessionis voce glorificant ; Judæi percutientes solum pectora, silentes domum redeunt. Unde merito per centurionem fides Ecclesiæ designatur, quæ Dei Filium, tacente Synagoga, confirmat.* Sed de his satis.

22. *Qui fuit civis Romanus*, etc. Non quasi Romæ natus, sed in urbe Romanorum privilegiis fruente, alioquin in Hispania ortus Malacæ, domove Corinthius fuit, teste eodem Dextro ad annum Christi 70.

23. *Baptizatusque, a Beato Barnaba*, etc. Non est sensus Caium Oppium a Beato Barnaba fuisse baptizatum (tametsi aliquamdiu illi discipulus adhæserit); non enim ab eo, sed a Jacobo Zebedæi, Malacæ in Hispania, baptismatis undis fuit Christo regeneratus, ut ipse docet Dexter anno 52, quo loci, quamvis non nominetur proprio nomine, sed centurionis Malacitani, inferius anno 70, constat esse eumdem cum Caio Oppio; nam ibi asseritur quod centurio Malacitanus factus fuit postmodum Mediolanensis tertius episcopus, quod nunc de C. Oppio dicitur. Sensus igitur est *baptizatusque*, hoc est cum jam baptizatus esset, *factus est episcopus Mediolanensis tertius a B. Barnaba.* Et hoc verissime dicitur. Primus namque Mediolanensis episcopus fuit S. apostolus Barnabas, ut referunt Hippolytus martyr lib. de LXXII discipulis, et Dorotheus in synopsi, et (quod caput est) Romanum martyrologium 25 die Septembris, ubi de secundo Mediolanensi antistite, hæc scribit : *Eodem die S. Anathalonis episcopi, qui B. Barnabæ apostoli discipulus, in ejus locum Ecclesiæ Mediolanensis episcopus successit.* Anathaloni autem successisse tertium a B. Barnaba S. Caium, ejus etiam discipulum, testantur tabulæ Mediolanensis Ecclesiæ, quas refert Baronius in Notis ad 17 Septemb., quo die Rom. martyrologium hæc de eo habet : *Mediolani S. Caii episcopi, discipuli B. Barnabæ apostoli, qui sanctos Gervasium et Protasium baptizavit, et multa in persecutione Neronis passus, in pace quievit.* Hoc vero paulo exactius prompsit Galesinus in suo Martyrologio, eadem die. In notis autem asseverat se S. Caii vitam expressisse e tabulis Mediolanensibus in basilica Ambrosiana monachorum sacri ordinis Cisterciensium asservatis. Cardinalis vero Baronius fatetur se legisse vitam ms. ipsius ab Andrea Alciato elaboratam apud cardinalem Alciatum. Cætera cum Dextro inferius suis locis prosequemur; nunc sufficiat probasse tertium Mediolanensium episcopum fuisse Caium, quod modo Dexter affirmat. Quod vero Mediolanenses tabulæ non noverint hactenus suum Caium fuisse illum centurionem, qui credidit Christo morienti in cruce, nihil nobis nocere debet; cum id non negent : Dextro autem debemus quod utriusque meminerit.

A. C. 35.—1. *Occiso lapidibus*, etc. Cum Christi Domini mors an. suæ ætatis 34 decurrente acciderit, et

A. C. 35. bus exoritur. Plusquam quindecim mille viri, qui, prædicantibus Apostolis, in Christo A. R. 786.
crediderant, fugantur. Alii ad Asiam, nonnulli ad Europam veniunt.
Ex [his plusquam quingenti nave Cypri educti, portum Carthaginensem Hispaniæ
pertingunt.]

BIVARII COMMENTARIUS.

Stephanus eodem anno martyrium passus fuerit non longe post Ascensionem Domini, ut martyrologium Romanum canit ad diem 26 Decemb., qui poterit consistere quod Dexter nunc profert, nimirum Stephanum anno 35 Christi lapidatum? Cæterum facili negotio respondemus, utrumque verissimum esse; quandoquidem si de anno solari loquamur, eodem prorsus anno mors Christi et Stephani contigit; illa quidem 25 Martii, hæc autem 26 Decembris. Loquendo autem de annis Christi Domini, mortuus ipse fuit dum 34 ageret suæ ætatis, Stephanus vero die secunda anni 35, quia die nativitatis præcedenti finito 34 inceperat 35.

2. *Magna persecutio*, etc. De ea hæc habet Lucas cap. 8 Act.: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos.* Quod vero dies illius persecutionis fuerit martyrii S. Stephani, manifestant, quæ immediate subjungit: *Curaverunt autem Stephanum* (id est, aromatibus conditum sepelierunt) *viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.* Verum quod Dexter enumeret plusquam quindecim mille fugatos, D. autem Lucas numerum dispersorum hoc loco non constituat, mirum esse non debet, cum ex his quæ ipse sanctus Evangelista ibidem refert, colligi queat. Ad primam siquidem Petri concionem, die ipso Pentecostes, habitam coram omni multitudine, *appositæ sunt* (inquit) *fidei in illa die animæ circiter tria millia* (*Act.* II). Ad secundam quam princeps Apostolorum habuit, occasione accepta, a virtute et integritate claudo concessa, *Multi eorum qui audierant verbum, crediderunt: et factus est numerus virorum quinque millia* (*Act.* IV). Similique proportione non solum ad prædicationem Petri, sed etiam cæterorum Apostolorum; nec ad unius tantum miraculi ostensionem, sed multorum signorum et prodigiorum, quæ Apostoli operabantur, augebatur in dies magis, magisque numerus fidelium. Unde cap. V cum præmisisset, quod *per manus Apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in plebe*, subinfert Lucas, *Magis augebatur credentium in Dominum multitudo virorum, ac mulierum: in tantum ut animose et audacter, in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam eorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis.* Non solum ex civibus Hierusalem credebant multi, sed ex aliis urbibus *concurrebat multitudo vicinarum civitatum Hierusalem offerentes ægros, et vexatos a spiritibus immundis; qui curabantur omnes.* Quis autem dicat sine fide hos omnes accessisse? Denum post diaconorum electionem, *Verbum Domini* (ait Lucas Act. VI) *crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Hierusalem: multa enim turba sacerdotum obediebat fidei.* Nemini igitur incredibile videatur tempore primæ persecutionis, ad quindecim millia virorum ascendisse credentium numerum; cum vero ex Luca habeamus omnes ab Hierusalem fugatos fuisse, præter Apostolos, non abs re Dexter plusquam quindecim mille viros inde fugatos fuisse refert.

3. *Alii ad Asiam.* Cæterum cum ex sacro textu habeamus omnes dispersos fuisse *per regiones Judææ, et Samariæ*, quomodo stabit quod Dexter dixit: *Alii ad Asiam, nonnulli ad Europam veniunt?* Nimirum, quia omnes primum in Judææ vel Samariæ regiones profecti sunt, ut Lucas docet, inde vero nonnulli ad alias divertisse constat: nam post prædicta subjungit: *Igitur qui dispersi erant, pertransibant evangelizantes verbum Dei.* Quo autem aliqui eorum pertigerint docet cap. XI dicens; *Et illi quidem qui dispersi fuerunt a tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicem, et Cyprum, et Antiochiam.* Sed et Ananiam discipulum, qui Paulum baptizavit, non in Judæa, nec in Samaria, sed Damasci, quæ urbs Syriæ est, constitisse, ex ipsis apostolicis Actis habemus cap. IX. Consonum autem rationi est credere, multos illorum in suas regiones fuisse reversos, ut suis concivibus regnum Dei evangelizarent; cum quidam ex Asia, quidam ex Europa oriundi essent, utpote qui ad fidem conversi fuerant a die Pentecostes, in qua prædicationi Petri interfuerunt Parthi, et Medi, et Elamitæ, et qui habitabant Mesopotamiam, Cappadociam, Pontum, et Asiam Minorem (quæ omnes regiones sub Asia Majori continentur), et præter hos etiam adfuerunt advenæ Romani; quo nomine Italos omnes, et eos qui Romana utebantur lingua, præsertim Hispanos appellabant, ut Josephus ipse testis est, cujus verba refert Baronius tom. I ad ann. D. 72, videlicet: *Romanorum clementia cunctis, non parvulum donum appellationis suæ concessit; non solum viris singulis, sed etiam maximis gentibus in communi; Hispani denique antiqui et Tyrrheni, et Sabini, Romani vocantur.* Idemque habet Augustinus in ps. LVIII: *Omnes Romani facti sunt, et omnes Romani dicuntur.* Quod vero nonnulli ad Europam venisse dicantur, non leve argumentum præbet Maria illa Salome uxor Zebedæi, quæ hac ipsa persecutione fugata, in Italiam concessit, et Verulis apud Hernicos itinere fatigata, in pace quievit, ut produnt vetera monumenta Ecclesiæ Verulanæ, ubi ejus venerandum corpus religiose asservatur. Exemplo hoc utitur cardinalis Baronius in notis ad 25 Julii, ut explicet illa verba: *Omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ;* quamvis de ipsa uberius nos suo loco dicturi simus.

4. *Ex his plusquam*, etc. Maximam fugatorum partem usque ad Cyprum perambulasse, habemus ex testimonio relato cap. XI Actor.: *Et illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicem et Cyprum.* Nec mirum, cum subdat Evangelista: *Erant autem quidam ex eis viri Cyprii.* Inter alios autem Cyprum fuisse B. Barnabam habemus ex Romano martyrologio die Junii 11. Ex quo etiam, die 29 sequenti compertum est, illuc cum adfugeret, pervenisse Mariam matrem Joannis, cognomento Marci, cujus erat domus cœnaculi apostolici, et ibidem quievisse. Cæterum ex Cypro insula in Hispaniam adnavigasse magnam fugatorum partem, inde fit verisimillimum, quod ab Asia per Cyprum frequentissima esset navigatio in Hispanias, ubi mercaturæ exercendæ gratia, Tyrii et Phœnices non paucas, nec minimas, ad littus maris fundaverant civitates, ut auctores sunt Q. Curtius lib. V. de rebus Alex. c. 12, Strabo lib. III Geographiæ, Plutarchus in Vita Scipionis, Solinus lib. de Mirab. mundi cap. 34, Pomponius Mela, et alii qui inter Tyrias referunt Cartheiam Gades, Abderam et Malacam in Hispaniis, et ex adverso littore Carthaginem Africanam, cujus filia fuit Hispana Carthago, quo discipuli Apostolorum concessisse dicuntur. Namque valde consonum rationi est, eos qui fugam quærebant, navem conduxisse, qua in remotissimas fugerent regiones, reperisseque primum navem mercaturæ conducendæ industriam, et eam ipsos conscendisse, proficiscentem in Hispaniam. Cui accedit, multos fugatorum esse ab ea oriundos, ut mox ostendemus, cum quibus alii (Europæi præsertim) haud difficile sociari potuerunt. Quod autem ad portum Carthaginensem Hispaniæ

A. C. 35. Diversi [*Al.* Divisi.] per Hispanias mortem Christi, resurrectionemque denuntiant; et A. R. 786. Mariæ vitam, ad quam frequens ex Hispania fiebat peregrinatio; maxime post conversionem Cornelii centurionis : totamque provinciam undique mirificis et inauditis nuntiis complent.

Ex his primi post a B. Jacobo eliguntur urbium pontifices, et pastores : dubium an omnes Judæi fuerint.

Hispani præcipue Judæi mittunt legatos ad Apostolos ut quamprimum aliquis eorum veniret ad eos, qui de rebus recensitis de Christo eos verius et uberius doceret.

BIVARII COMMENTARIUS.

applicuerint, præstantia famosissimi ejus emporii in causa fuit, quod in hanc usque diem a mercatorum navigiis et triremibus frequentatur. Descripsit olim Carthaginensem portum Livius lib. VI cujus ista sunt verba : *Sita Carthago sic est : sinus est maris, media fere Hispaniæ ora, maxime Africo vento oppositus, et quingentos passus introrsum retractus, paulo plus passuum in latitudinem patens. Hujus in ostio sinus parva insula objecta ab alto, portum ab omnibus ventis præterquam Africo, tutum facit. Ab intimo sinu peninsula excurrit (tumulus is ipse in quo condita urbs est) ab ortu solis, et a meridie cincta mari; ab occasu stagnum claudit, paulum et ad septentrionem fusum, incertæ altitudinis, cumque exæstuat aut deficit mare, continenti urbem, jugum ducentos fere et quinquaginta passus patens, conjungit.*

5. *Divisi per Hispanias*, etc. Nihil credibilius quam quod hic Dexter promit : eos nimirum, qui fugati ad portum Carthaginensem appulerant, divisos in varias regiones Hispaniæ, denuntiasse Hispanis quæ de Christi Domini morte, resurrectione, doctrina, et miraculis, suismet oculis viderant : addentes ejus sacratissimam Matrem, adhuc in vivis agere, quo eos accenderent desiderio visendi ipsam. De peregrinatione Hispanorum ad B. Deiparam, non est quod quis miretur, cum nihil magis in usu eo temporis fuerit apud omnium nationum fideles, quam pro suo maximo fidei ardore in Palæstinam iter arripere, et loca sancta nostræ redemptionis venerari; idque semper in Ecclesia usitatum fuit. Quod si id postmodum tam perseveranter observatum fuit, refrigescente etiam fidelium charitate, quanto magis tempore nascentis Ecclesiæ, quando fidei ardor eximie in cordibus Christianorum flagrabat! Quis autem non videat ad eam peregrinationem peragendam mirum in modum animos Christianorum impulisse, cupiditatem visendi et colloquendi cum B. Virgine ipsius Redemptoris Matre? Vis specimen aliquod tibi præbeam ejus rei? Profero verba D. Ignatii martyris, in epistola ad apostolum Joannem hæc loquentis : *Sunt et hic multæ de mulieribus nostris Mariam Jesu videre cupientes, et quotidie a nobis ad vos discurrere volentes, ut eam contingant et ubera ejus tractent, quæ Dominum Jesum aluerunt; et quædam ejus secretiora percunctentur ipsam Mariam Jesu. Est et Salome quam diligis filia, Hierosolymis anno et quinque mensibus apud eam commorans, et quidam forte notificavere, eamdem Matrem Dei omnium gratiarum abundantem, et omnium virtutum (more Virginis) et gratiæ fecundam; quæ (ut dicunt) in persecutionibus et afflictionibus est hilaris, in penuriis et indigentiis non querula; injuriantibus grata, et molesta re lætatur, miseris et afflictis condolet afflicta, et subvenire non pigrescit : contra vitiorum autem pestiferos conflictus, in pugna fidei disceptans enitescit. Nostræ novæ religionis, et pœnitentiæ est magistra; et apud fideles omnium operum pietatis ministra. Humilibus quidem est devota, et devotis devotius humiliatur, et mirum ab omnibus magnificatur, cum a scribis et phàrisæis ei detrahatur. Præterea multi* (qui scilicet peregrinantes illuc ipsam viderant, et allocuti fuerant) *multa referunt de eadem; tamen omnibus per omnia non audemus fidem concedere, nec tibi referre, sed sicut nobis a fide dignis narratur, in Maria Jesu, humanæ naturæ naturæ sanctitatis angelicæ sociatur. Et hæc talia excitaverunt viscera nostra, et cogunt valde desiderare aspectum hujus (si fas sit fari) cœlestis prodigii, et sacratissimi monstri.* Adjecit et secundam de eadem re epistolam sic incipiens : *Si licitum est mihi apud te, ad Hierosolymæ partes volo ascendere; et videre fideles sanctos qui ibi sunt; præcipue Mariam Jesu, quam dicunt universis admirandam, et cunctis desiderabilem. Quem enim non delectet videre eam, et alloqui, quæ verum Deum de se peperit, si nostræ sit fidei et religionis amicus?* Hæc quæ Ignatius refert, peregrinari cogebant a remotissimis etiam provinciis fideles, ut quæ aure audierant, oculis suis quoad possent, conspicerent. Quis autem si nunc alloqui, et videre vivam daretur, sicut tunc beatissimam Deiparam, ejusmodi iter non conficeret?

Huc accedit, in gratiam peregrinationis, quam ad ipsam Hispani fecisse dicuntur, ipsos rerum magnarum videndi avidissimos semper fuisse, et ea de causa in remotissimas orbis plagas, si opus esset, peregrinandi. Qua de re multa nobis suppeditant exempla antiquorum historiæ, ubi pro levioribus rebus id ipsos fecisse legimus. Et ut aliquod afferamus : *Ad Titum Livium* (ait D. Hieronymus ad Paulinum scribens) *lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ finibus, quosdam venisse nobiles, legimus : et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit.* Audita magni Antonii fama, multos etiam eum Hispanorum visuros, remotissimas solitudines penetrasse auctor est D. Athanasius in ejus Vita : *Hominem alio pene orbe celatum, et inter tantas positum solitudines Africæ et Hispaniæ demonstravit.* Rursus mirum erat hominem super columnam degentem conspicere? illac quoque inter alios profectos Hispanos fuisse docuit Theodoretus in vita ipsius Simeonis Stylitæ, inquiens : *Hominum pelagus undique adventantium, et more fluminum confluentium, apud illum videre est, non enim nostrates tantum, sed et Ismaelitæ, et Persæ, et horum finitimi Armenii, et Hiberi et Homeritæ, et interiores etiam populi conveniunt. Multi etiam illorum qui ultimam Hesperiam incolunt, videlicet Hispani, Britanni, et Galli, qui in medio horum sunt; nam de Italia dicere supervacaneum est.* Sed de his satis.

6. *Ex his primi*, etc. Cum fideles hac prima persecutione fugati, primitiæ fuerint fidei in Hispania, non est dubium quin ex eis D. Jacobus apostolos elegerit, ipsique adhæserint in Hispaniis prædicanti. Nam et episcopos assumendos ex antiquioribus et probatioribus in Ecclesia docuit Paulus cum ad Timotheum scriberet : *Oportet* (ait) *episcopum irreprehensibilem esse : non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.*

7. *Hispani præcipue Judæi*, etc. Vivebant in Hispania Judæi simul et Gentiles; utrosque autem ad prædicationem seu narrationem fugatorum ab Hierusalem, de miraculis et doctrina Christi, accensos, plenius edoceri cupiisse de rebus recensitis de eodem, facile credet, qui quam animo propensi fuerint ipsi erga Dominum, cognoverit. Narrat quidem inferius Dexter anno 37, Judæos Hispanos qui Carpetaniam incolebant (nunc Toletanum regnum dicimus) litteras suscepisse a Hierosolymitanis pontificibus, quibus assensum eorum postulabant, super Christi morte;

BIVARII COMMENTARIUS.

ipsos autem non solum non consensisse in ejus necem, sed etiam missis litteris responsoriis, dissuasisse tantam temeritatem. Hoc vero quod Dexter docet, multo antequam ejus Chronicon reperiretur, vulgo dictum, et acceptum novi in regno ipso Toletano : nec mirum, cum in publicis tabulariis Toletanæ civitatis, ejusmodi epistolas repositas fuisse auctoritate regia magni Alfonsi VI, imperatoris Hispaniæ, legamus. Ejus antiquitatis grave testimonium præbet Julianus archipresbyter S. Justæ nobilis ejusdem Alfonsi historicus in Chronico suo, quod ms. pro sua benignitate mutuavit mihi illustrissimus Comes de Mora. En verba Juliani ad annum Christi 36 agentis de monumentis quæ Toleti exstant S. apostoli Jacobi: *Reperi in eodem archivo S. Justæ Toletanæ, duas tresve epistolas in Hebræo et in Arabico, et Latine; quarum una erat Judæorum Hierosolymitanorum ad Hebræos Hispanos, præcipue Toletanos et Zamorenses, ut suffragarentur in mortem Christi Salvatoris; et Judæi qui de Hierusalem venerant Toletum, ædificaverant ibi celeberrimam totius Hispaniæ et mundi synagogam, nolentes redire Hierusalem; propterea quod audiverant reparandum post templum, iterum perdendum. Et nullo modo voluerunt consentire in necem innocentissimi Jesu. Miserunt vero responsionem cum suis nuntiis ad Hierosolymitanos Toletani, nolentes consentire petitionibus illorum; et unus illorum dictus est Athanasius, et alter Joseph. Athanasius vero venit postea cum B. Jacobo ad Hispanias.* Cætera quæ prosequitur suis locis inseremus.

Referunt etiam historiam hanc Antonius Beuterus in Chron. Aragoniæ, et non minus diligens quam eruditus et illustris D. Joannes de Salazar, in suo Apologetico de Adventu S. Jacobi, cap. 10, ubi adducit epistolam aliam ante 100 annos in ecclesia Melinnæcampensis reperta, qua facultatem concedunt Hebræi Hierosolymorum nostris Zamorensibus libros Moysis interpretandi, tametsi indigni ejusmodi gratia essent; *quia* (inquiunt) *non se decreto illi de Prævaricatoris morte subscripserunt;* id est, quia decreto de morte Domini non consenserunt scriptis suis : servatur epistola hæc inibi diligenter.

Consonant hæc per omnia cum verbis Dextri quæ hæc sunt : *Judæi Hispani, maxime Carpetani* (id est, Toletani), *qui litteras Hierosolymorum pontificum petentium ab iis assensum in mortem Christi missis litteris, exsecraverant, libentissime prædicationem S. Jacobi percipientes, convertuntur.* Hoc vero multis accidisse modis intelligi potest : vel enim non omnes Judices Concilii et seniores populi consenserant in sententia capitis Christo inferenda (ut de Gamaliele, ut minimum certum est, et de nonnullis aliis refertur in imagine ejus judicii, quæ Parisiis excusa nuper fuit : si qua fides ei adhibenda est) et de Nicodemo constat, Joannis testimonio, atque ea de causa consulendos putarunt eos qui in Hispania degebant, quatenus multiplicatis suffragiis, mors exsequeretur : quod tamen præcedenti anno contigisse oportuit, si responsio exspectanda erat, et sic non ab ultimo Concilio contra Dominum habito emanarunt ejusmodi litteræ, sed ab alio, de quo Joannes inquit c. 7 : *Post hæc ambulabat Jesus in Galilæam; non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia,* quæ a 15 Septembris celebrabatur, sex ut minimum menses, et amplius ante crucem. Aut si ab ultimo Concilio litteræ emanarant, non erant illi certi de mortis tempore : poterat enim plurimum a Judice differri, et idcirco interim fratres absentes trahere cupiebant ad suam sententiam. Et quidem sive exsequeretur mortis decretum ante reditum nuntiorum, sive non, prodesset potius quam obesset communicatio facta per litteras ; nam si in reditu non esset exsecutioni mandata, haberent (uti credebant) multitudinem novorum suffragiorum, quibus Judicem possent securius convenire; asserentes etiam valde distantibus Judæis tam esse infensum, ut eum dignum morte judicarent; si esset, ut minimum eos præmonitos haberent, nequando ab illorum sententia dissentirent. Ipsos tamen fefellit opinio (uti diximus), quandoquidem nihil minus ab Judæis Hispanis extorquere potuerunt, quin potius illorum invidam mentem et conatus exsecrati sunt, missis ad eos litteris et nuntiis.

Ne vero quis miretur cum audit Judæos Hierosolymitanos ad Hispanos super morte Christi scripsisse, subjungam testimonium D. Justini martyris, Apostolorum temporibus vicini, qui Triphoni Judæo in lib. de Veritate Christianæ religionis objicit, Non in Hispaniam dumtaxat, sed in universas orbis provincias misisse legatos qui prædicationem Apostolorum prævenirent : *Non enim aliæ nationes,* inquit, *tantum iniquitati in nos, et ipsum Christum patratæ sunt obnoxii, quantum vos, qui illis etiam perverse in Justum hunc et nos, qui nomine ejus censemur, præjudicii estis auctores. Posteaquam enim illum unicum irreprehensibilem et justum hominem in crucem egistis, cujus vibicibus sanitas eis provenit, qui per ipsum ad Patrem adeunt; cum eum cognovissetis resurrexisse a mortuis, atque in cœlum conscendisse, prout futurum vaticinia præmonstraverant; tantum abest ut resipiscentes pœnitentia de malis commissis duceremini, ut etiam viros eximios Hierosolymis delectos in terram omnem tunc legaveritis, dicentes : hæresim sectamque Christianorum nullius numinis cultricem exstitisse* (hoc est, atheistas esse, ut habet Græcus codex); *atque ea contra nos sermonibus spargentes, quæ cuncti qui nos non norunt jactant. Itaque non ipsi modo vobis iniquitatis, sed aliis quoque prorsus mortalibus universis. Et merito vociferatur Isaias : Propter vos nomen meum male audit in Gentibus. Itaque ut adversus solam irreprehensibilem et justam lucem mortalibus a Deo missam in toto terrarum orbe, tenebrosa et injusta jactarentur, sedulo operam dedistis.* Hactenus Justinus : quibus similia scripsit Œcumenius in caput ultimum Actorum Apost., antiquos Historiographos referens, et quod id longe ante per Isaiam, cap. 18, prædictum fuerat; nam ait : *Priusquam Romam Paulus venisset, moniti fuerant Judæi qui ibi erant, ne prædicationem Christi admitterent; neque hi soli, verum etiam qui ubique terrarum erant omnes. Cæterum id unde perspicuum est? In veterum scriptis reperimus Sacerdotes, et Scribas, et Presbyteros, qui erant Hierosolymis, in omnes gentes Judæis qui ubique erant litteras misisse quibus doctrinam Christi, calumniatores, quasi aliena a Deo esset* (id est, atheistarum), *præcipiebant ne ipsam admitterent. Id quod etiam prophetia Isaiæ videtur significare, quæ ait : Væ tibi, navigiorum alæ, ultra Æthiopiæ fluvios mittens in mare obsides, et epistolas papyraceas super aquam. Quibus verbis significat Propheta, trans regionem quoque Æthiopiæ et extremas terrarum oras, sonum improbitatis Judæorum qui Judæam habitabant, per quædam quasi volantia navigia, fuisse transmissum; nuntiosque ipsorum papyraceas epistolas ferentes super aquas, et mare navigantes in omnes partes terræ discurrisse, Salvatoris nostri prædicationem calumniando.* Atque hinc forsan credidisse multos Ethnicorum, asserunt quidam, Christianos atheistas esse; nihilque aliud voluisse qui veteres Gallæcos crimine atheos inurunt, nimirum fuerunt ipsi ex primis inter Hispanos, qui fidem Christi ad prædicationem discipulorum S. Jacobi apostoli susceperunt. Neque desunt qui prophetiam Isaiæ prædictam etiam de Hispania mentionem facere contendant; nam ait missos nuntios a Judæis *ad populum terribilem post quem non est alius,* quod in Hispaniis verificatur. Cæterum quod ubique terrarum Judæi prævenire curaverint Apostolorum prædicationem, satis dilucide professi sunt Judæi qui Romæ morabantur, cum Actorum ultimo cap.

A. C. 35. Tunc Apostoli præclaram dispositionem gentis Hispaniæ ad Christi fidem suscipiendam A. R. 786.
cognoverunt.

Cognitamque habuerant, ex illis gentilibus, qui venerant orationis causa, ex Hispania; Philippumque rogaverant, ut eorum adventum nuntiaret Christo : clarumque præsagium, primitus inter gentiles Hispanis prædicandum esse.

BIVARII COMMENTARIUS.

S. Paulo dixerint : *De secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* Quinimmo nihil aliud voluisse videtur Saulus Actorum 9 : *Dum accessit ad Principem Sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem.* Procul dubio namque id petiit, cum alii Judæorum zelo ferventes in alias regiones mittebantur.

Quomodo autem factum sit ut Hispani, et præcipue Judæi (quod nunc Dexter asserit) miserint legatos ad Apostolos, ut quamprimum aliquis eorum veniret ad eos, qui de rebus recensitis de Christo, a discipulis fugatis Hierosolymis, eos verius et uberius edocerent, accepimus a prædicto Juliano, qui referens litteras quas ipse invenerit Toleti in Archivo S. Justæ, sic ait : *Tertia vero epistola, quæ solum erat in Hebræo, erat responsiva, qua petebant Hierosolymitani Judæi de genere sacerdotali, Annas et Caiphas, Joseph, et alii, ne si venirent ad Hispanias discipuli Christi* (*nam dicebant venire jam Jacobum Zebedæi filium, ejus apostolum*) [famam hanc ortam ex sortitione et divisione Apostolorum intelligo], *nullo modo eos admitterent, sed tamquam illusores et nebulones suis urbibus arcerent. Illi vero miserunt Euphrasium, et Indalecium rogantes Petrum et cæteros Apostolos, ut statim Jacobum mitterent. Qui venientes Hierosolymam, dederunt suas epistolas Petro; et visis ejus miraculis, conversi sunt, et venerunt cum B. Jacobo, quem ad tam honorificam missionem ut Christus eam designaverat, libenter se illi commiserunt. Has ego epistolas de Arabico in Hispanum converti, et aliam Hebræam jussu Serenissimi Imperatoris Adelphonsi VI, quas in Tabulario civitatis Toletanæ servandas diligenter, reponi jussi.* Vide quantum Satanas invidit conversioni Hispanorum, et qualiter membra ejus Scribæ et Pharisæi Hierosolymitani prævenerint Judæos, Hispanos, infamando Christi Apostolos, ne cum illuc accederent, eos audirent et fidei acquiescerent. Sed magna Dei providentia factum est ut etiam nostri nuntios ad Apostolos miserunt, et Doctorem petierint. Obiter quoque notandum est antiquorum studium et sollicitudo in servandis et publicandis hujusmodi epistolis quæ pro diversis Hispaniæ idiomatibus diversimode translatæ fuerunt. Primum quidem in Hebraico, in quo scriptæ fuere; pro commoditate autem Gentilium qui, tempore Romanorum, Latino sermone utebantur, in Latinum versæ fuere; deinde in Arabicum ab his qui sub dominio Arabum degebant; postremo in Hispanicum a Juliano, pro commoditate Catholicorum, qui jugum a se Maurorum expulerunt. Vehementer cuperem ut Archivi Toletani volverentur, si forsan in aliquo eorum reperirentur : in quibus (præsertim in Tabulario S. Ecclesiæ) multa antiquitatis monumenta idiomate exarata Arabico continentur, ut mihi ibidem existenti bibliothecarius ipse fidem fecit.

8. *Tunc Apostoli*, etc. Deerant in excuso codice verba illa, *Ad fidem Christi suscipiendam cognoverunt*, sententia autem periodi evidenter hæc vel similia exigit, loco etiam illius particulæ *Cognitamque*, legebatur *Cognitionemque*, quæ neque congrue, neque cum sensu aliquo retineri poterat.

9. *Cognitamque hab. ex illis Gentilibus*, etc. Deus bone! Philippus primus omnium Hispanos ad Christi Domini gratiam admittendos curat! Quid mirum, si postmodum, succedente tempore, tot Philippos Hispanis Christus præficiat, qui rem Christianam ardentissime tueantur; et remotissimas nationes ad ejus A gnitionem perducere curent? Hæc quoque non solum in Dextro, sed etiam in Juliano leginus, qui ad annum prædictum 36 sic ait : *Ex Archivo S. Justæ Toletanæ habemus quod multi Gentiles, qui venerant Hierosolymam orare ad sanctum Templum, erant Hispani : qui voluerunt videre, et alloqui Jesum; cupientes, ut Gentilibus suæ terræ prædicaret.* Narrat rem gestam D. Joannes, cap. 12, accidisse statim post Lazari resurrectionem, et triumphantem adventum Christi in Hierusalem.

Erant autem (ait) *quidam Gentiles ex his qui ascenderant, ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, et rogaverunt eum dicentes : Domine, volumus Jesum videre. Venit Philippus, et dicit Andreæ*, vel quia propius assistebat Christo, ut illi desiderium Gentilium aperiret; vel quia (ut Chrysostomus putavit) audierat, *In viam Gentium ne abieritis :* propterea cum condiscipulo communicans, Magistro refert : *Andreas rursus et Philippus dixerunt Jesu; Jesus autem respondit dicens : Venit hora ut clarificetur Filius hominis.* Ubi Augustinus ait : *Videbat Gentiles post passionem et resurrectionem suam in omnibus Gentibus credituros. Ex occasione igitur istorum Gentilium, qui eum videre cupiebant, annuntiat futuram plenitudinem Gentium, et promittit jam adesse horam glorificationis suæ.* Chrysostomus vero : *Quia igitur de reliquo debebat mittere Discipulos ad Gentes. Videt autem Gentiles præsilientes ad fidem, ostendit quod tempus erat, ut ad crucem veniret.* Posita autem similitudine grani frumenti, quod si mortuum fuerit multum fructum affert, signum de cœlo quod Judæis negarat, his Gentilibus ostendit : sequitur enim : *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora; sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo dicens : Et clarificavi, et iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat, et audierat dicebat, tonitruum factum esse : Alii autem dicebant, Angelus ei locutus est. Respondit Jesus et dixit : Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicitur foras : et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Hactenus in Evangelio. Sane magnifaciendum a nobis est, quod tale tantumque gaudium visitatio Hispanorum Gentilium Christo contulerit, et quod occasione eorum Pater se iterum clarificaturum Christum promiserit. Videtur autem in illis prædixisse cæterorum Gentilium conversionem, quasi demonstrans ab illis incipiendam primitus Evangelii prædicationem inter Gentiles. Petrus de Natalibus lib. IV, cap. 105, agens de S. Eutropio episcopo Xantonensi, martyre, Apostolorumque discipulo, quem etiam ait filium fuisse Xerxis admirandi Persarum et Babylonicæ regis, subdit : *Fuit de numero illorum Gentilium, qui accesserunt ad Philippum, ut Jesum viderent; ut dicitur Joan. 12.* Sed præterquam quod hoc non tollit, quominus reliqui fuissent Hispani; procul dubio id ex Apocryphis desumpsit, multo enim aliter legimus ejus historiam in Breviario Salmantino, ultima die Aprilis; ubi non dicitur Eutropius cum Gentilibus Philippum convenisse, quod circa passionem accidit; sed interfuisse saturationi quinque millium hominum in solitudine Tyberiadis, quæ anno superiori evenerat, ut supra docuimus ad annum 34. *Audita Salvatoris miraculorum fama, de urbe in urbem per civitates eum quæsivit, quem abeuntem trans mare Galilææ quod est Tiberiadis, cum in-*

A. C. 36. Hispania prima Provinciarum mundi, post Galilæam, Judæam, et Samariam in partibus occidentalibus Christi fidem amplexa est : ejusque Gentilitas ad fidem conversa fuit ; veræ primitiæ cæterorum Gentilium. A. R. 787.

BIVARII COMMENTARIUS.

numeris populorum turbis, quæ eum sequebantur, videntes signa quæ faciebat, consecutus est. Addit rursus inde in patriam reversum (id est, Babylonem), cum vidit Christi mortem, et resurrectionem prædicantes sanctos apostolos Simonem et Judam, gavisum valde fuisse, et cum suis parentibus baptizatum. Accedit numquam Evangelistas consuevisse reticere dignitatem accedentium ad Christum, ut in Regulo, centurione, et aliis videmus : nunc autem cum nullum illorum Gentilium, qui ad Philippum accesserunt, dicat Joannes filium regis fuisse, minime credendus est illic Eutropius exstitisse filius regis Babylonis.

A. C. 36.—1. *Hispania prima*, etc. Pendet hujus sententiæ veritas ex verificatione anni quo fides in Hispania evulgari cœpit : hæc vero ex Adventu S. Jacobi in eam. Si enim semel hoc firmum, stabileque maneat, nemo inficiari poterit, primam fuisse Gentilis orbis provinciam, cui lux Evangelia effulserit : quandoquidem his ipsis annis quibus S. Jacobus inibi prædicabat, cæteri Apostolorum per Judæam, Galilæam, et Samariam dispersi, Israelitarum conversioni insistebant. Nemo tamen inde velit cum Romana Ecclesia super universali primatu Hispaniam posse contendere, nec velle ; non enim ex antiquitate prædicationis apostolicæ Primatus universalis Ecclesiæ sequitur : alioquin Hierosolymitana eo frueretur; imo nec ex eo quod a S. Petro utcumque talis Ecclesia erigeretur : sed ex ultima ejus voluntate, auctoritate confirmata Dei, qua sedem suam perpetuo duraturam, Romanam Ecclesiam esse voluit. Nunc de sola temporis præcellentia in fide suscipienda agit Dexter. Duo igitur hoc loco dilucidare oportet, nimirum S. Jacobum peragrasse Hispanias, et ad ipsas anno Christi 36 primum accessisse.

Excellentissimus pariterque eruditissimus Castellæ Comestabilis edito libro primus hac de re disputans, et feliciter triumphans, ejusmodi Dextri auctoritate inter multa alia gravissimorum Doctorum testimonia utitur : quem postea secuti sunt, quotquot idem arguimentum dilucidarunt, videlicet D. Joannes de Salazar, D. Maurus de Castella, D. Bertrandus de Guevara Compostellanus archiepiscopus, F. Franciscus de Jesu, et alii complures. Cæterum præter Dextrum tam multi, magnique nominis auctores adventum D. Jacobi in Hispanias agnoscunt, ut fere ad numerum redigi nequeant. Bartholomæus Laurentius Prior S. Ecclesiæ de Pilari 70 numeravit. D. Joannes de Salazar numerum auxit usque ad 110, Franciscus de Jesu usque ad 148. Præcipui tamen sunt quatuor summi Pontifices, Innocentius II, Leo III, Callistus II et Callistus III. Item ex Patribus D. Isidorus in libro de ortu et obitu Patrum cap. 71, D. Hieronymus in Isaiam lib. x, cap. 34; D. Athanasius Synaita in lib. de passionibus Martyrum, D. Braulius in abbreviatione vitæ S. Isidori, et in sermone de S. Isidoro qui cum libro Etymologiarum exstat in Aula Dei, monasterio Carthusianorum juxta Cæsaraugustam : D. Beda in Collectaneis : D. Notkerus in suo Martyrologio die 25 Julii : D. Julian. Toletanus antistes super Naum c. 1, Walafridus Strabus in carmine de eodem Apostolo : Venantius Fortunatus in epigrammate de eodem : Otho episcopus Frisingensis lib. III historiæ Friderici Imper. cap. 15, D. Antonius I p. hist. tit. 6, cap. 7, Vincentius Beluacensis episcopus in Speculo hist., l. VIII, cap. 6 et 7, Thomas Cantipratanus lib. II de apibus c. 25, quem supra retulimus, primus etiam Cabilonensis episcopus in sua Mappa mundi spirituali, verbo *Compostella* D. Vincentius Ferrer in sermone A de sancto Jacobo : Gotfredus Viterbiensis in Chron. p. 14, cap. VII, Martinus Polonus anno 34 Chronici : Philippus Bergomensis, et Hermannus Schedel notissimi Chronistæ anno 43, Belethus in Rationali divinorum cap. 140; Durandus cum eodem lib. VII, cap. 17, Lyra in Abdiam, ad illa verba, *Transmigratio quæ in Bosphoro est :* Alphonsus Tostado; Leonardus de Utino, Dionysius Carthusiensis, Petrus de Natalibus; Gualbertus Fabricius in Chronico Regis Catholici Prologo III, Thomas Bocius, to. I, lib. IV, c. 1; Rodericus Sanctius episcopus Palentinus I p. hist. Hisp. c. 4, Ambrosius Moralius lib. VI, c. 7, Petrus Canisius de Deipara l. c., Jacobus Pamelius in lib. Tertull. adversus Judæos not. 44, Joannes de Bordallo, et Ludovicus Aux in patrocinio et fundatione Ecclesiæ del Pilar : Petrus Zenedo in collectaneis juris Canonici, 22, q. 2, cap. *B. Paulus :* Jacobus de Voragine in legenda sancti Jacobi : Genebrardus lib. III Chronologiæ ann. 43, Franciscus Tarapha de Regibus Hispaniæ; Villegas B Ribadeneira in flore sanct. Martinus del Rio lib. II disquis. Magicarum, quæst. 26, sect. 4; Magister Isella lib. Regulæ ordinis S. Jacobi cap. 3, Galesinus, et Maurolicus in suis Martyrologiis, et pene innumeri alii.

Ilis accedit ita docuisse Patres Concilii Bracarensis anno fere Christi 400 celebrati, et non ante multos in Lusitania reperti, in uno ex præcipuis Regni tabulariis cujus mox verba afferemus, et suo loco ad annum Domini 400 integrum dabimus ; et Privilegium Ramiri regis Hispaniæ, quod exstat apud Morales : et id nobis testatum reliquisse D. Athanasium primum Cæsaraugustæ episcopum, ac ipsius Apostoli dilectum discipulum, cujus fragmentum operum ex Archivis Regnorum Sardiniæ et Aragonum petitum typis excudit episcopus Tudensis et Pampilionensis in historia Tuden. Item S. Caledonium Bracarensem antistitem in vita S. Petri de Rates, et S. Braulionem et Helecam episcopos Cæ- C saraugustanos in additionibus ad Marci Maximi et Lucii Dextri Chronicon ; et Julianum archipresbyterum S. Justæ Toletanæ in Chronico suo ad ann. Domin. 36, et Hugonem Portugallensem in epistola ad Mauritium Bracarensem, qui floruit anno Dom. 1100. Quinimmo etiamsi nullus dictorum id scriptum reliquisset, Ecclesiastica Officia, quæ de eodem B. Apostolo decantata semper fuere in universa Ecclesia, satis superque starent pro traditione hujus veritatis : sic enim asseritur in cunctis antiquis Breviariis, præsertim in Breviario S. Isidori *Mozarabe* nuncupato, item in Cæsaraugustano antiquo ms. et in novo excuso; in Toletano, Valentino, Calagurritano, Ilerdensi, Tyrasonensi, Mindoniensi, Compostellano, Oscensi, Palentino, Salmantino, Asturicensi, Seguntino, Mediolanensi, Benedictino, Cisterciensi, Carmelitano, Franciscano, Dominicano, de Mercede, Montis Aragonum, Hieronymiano, et Romano antiquo, simul et reformato; in quo ex traditione asseritur esse Ecclesiarum Hispaniæ. Et D quod valde notandum est, plures Hispaniarum Ecclesiæ omnibus quintis feriis per annum recitabant Officium parvum B. Jacobi, ob reverentiam tanti sui Doctoris, ut videre est in Breviarii Salmantini Rubricis generalibus in x Notula, ubi hæc habentur: *Habet hæc nostra Ecclesia Salmanicensis specialem devotionem post Deum ad Christi feram Dei Virginem Mariam, et ad S. Jacobum Apostolum nostræ Hispaniæ patronum singularem : Ideo consuevit in quintis feriis vacantibus a festis aliorum Sanctorum, agere officium abbreviatum S. Jacobi.* Idem reperi in x regula generali Breviarii Asturicensis. In eo autem

officio unum ex Responsoriis erat, *Adest nobis*, etc. in quo prædicatio S. Jacobi in Hispania continetur, quod mox afferemus. Præstantissimum quoque argumentum ex fundatione Ecclesiæ de Columna (seu Pilari) Cæsaraugustana sumendum est; hoc enim, quamquam cætera deficerent, irrefragabiliter convincit intentum; sed de eo inferius agemus.

Tria præcipue objiciuntur quæ accessum B. Jacobi ad Hispanias debilitare videntur. 1° Martyrium ipsius, quod contigit ante divisionem Apostolorum: 2° quædam verba S. Innocentii Papæ in epistola ad Decentium, quibus contendere videtur, quod nullus Apostolorum in Gallia et Hispania prædicavit, sed tantum illi quos Petrus illuc misit: 3° denique disceptatio quædam quæ dicitur Romæ habita in concilio Lateranensi inter Rodericum, archiepiscopum Toletanum, et archiepiscopum Compostellanum, super jure primatiæ Hispaniarum: ibi enim Toletanus opponit Compostellano, si quid de prædicatione S. Jacobi in Hispania dicebatur, id quidem non reperiri apud probatos auctores, sed esse vetularum piam fabellam. B

Hæc tamen non obstare declaravit abunde dominus Comestabilis, et qui postea eum secuti sunt, quibus si vellem quidquam addere, proculdubio actum agere viderer. Perfunctorie tamen ac brevissime, ordine posito, objectis satisfacere non gravabor. Primæ objectioni occurrendum; aliud esse loqui de sortitione Provinciarum inter Apostolos, aliud de divisione eorumdem ab invicem: illa præcessit adventum D. Jacobi in Hispanias, hæc vero subsecuta est ejus reditum: quare, semel facta sortitione, nihil obstare potuit Apostolo, quominus veniret ad provinciam, quæ illi sorte contigerat: tametsi cæteri non illico recesserint in suas. Sane brevitas Apostolatus S. Jacobi urgebat iter, ne videlicet otiosa esset sortitio ipsius. Ut quid enim Spiritus sanctus Hispaniam ei sorte divina committeret, si illac profecturus non erat? Reliquos autem Apostolos oportebat in Judæa amplius immorari, quibus nimirum longior vita concedebatur. Ut omittam Jacobum ab Hispanis vocatum, cæteros autem minime a suarum Provinciarum incolis vocatos. Neque vero necessum est, verba illa Lucæ, *omnes divisi præter Apostolos*, in persecutione orta a morte Stephani, ita interpretari, ut pro majori parte verificentur, quod quidam excogitarunt: Quando quidem non eo XXXV anno venit Sanctus Jacobus in Hispanias, sed sequenti XXXVI, ut videbimus: neque venit fugiens persecutionem, sed quæsitus et rogatus. C

2° Innocentio nihil derogaret, etiamsi diceremus, sic ex ignoratione historiæ locutum: nam si unus ipse adventum Jacobi ignoravit, quatuor alii Romani pontifices agnoverunt, et litteris suis testatum reliquerunt. Innocentius II in bulla de translatione S. Jacobi, quæ cum Cardinalium subscriptionibus observatur: Leo III in litteris de eadem translatione, quarum exordium est, *Noscat fraternitas vestra*: Calistus II in quinque libris, quos edidit de miraculis ejusdem Apostoli: et Calixtus III in bulla Sanctæ Dei genitricis de Columna, quæ asservatur Cæsaraugustæ. Cum hoc tamen ob tanti Patris reverentiam asserimus, verba ipsius in bonum sensum posse interpretari, ut videlicet voluisset, nullum alium potuisse contra morem Romanorum, et ipsorum, Pontifice renuente, morem inducere, nam suprema Apostolorum potestas in solo eo remansit: vel intelligendum esse, nullum Apostolorum in Hispania, vel Gallia prædicasse, nisi quos misit Petrus, in quo non litigamus: nam Jacobus etiam ab eo tandem missus est. D

3° Manifestum est codices illos e Bibliotheca S. Ecclesiæ Toletanæ nuper cum conciliis Gothis in lucem editos a Loaysa, suppositos esse: quandoquidem mendaciis multis referti sunt. Verbi gratia, asserit Alexandrum III successisse Gelasio; et tamen inter utrumque 8 Pontifices Romani interfuerunt. Item Alexandrum eumdem incarcerasse Burdinum antipapam, quod non Alexandrum, sed Calixtum perfecisse constans est. Rursus quod Paschale vivente Mauricii schisma exortum fuerit, et imperator Henricus Romam exercitum direxerit; quod sane post ejus obitum contigit. Ut omittam, codices ipsos sine auctore repertos, et absque notarii, vel cujusvis hominis qualificatione, et subscriptione, quod necessarium videbatur ad certitudinem causæ, quæ ibi agitata asseritur. Accedit, ipsemet archiepiscopus Toletanus scripsit specialem librum de primatia Ecclesiæ Toletanæ, et non meminit ejus disputationis, et sententiæ, quæ in illis codicibus dicitur per eumdem obtenta ab Innocentio III in concilio illo Lateranensi, cum tamen nihil posset Rodericus in libro suo adducere, quod æque primatiam intentam stabiliret. Rursus cum omnium suorum itinerum peculiarissime meminerit in Historia sua Hispana; nec unum verbum de ea disceptatione facit, nec de accessu suo ad concilium: quinimo toto tempore celebrationis ipsius ab Hispaniis non abfuisse Rodericum probat eleganter Petrus Mantuanus in notis ad hist. Marianæ, dum Comestabilem defendit. Detentus siquidem fuit morte Regis Alphonsi VIII, quæ contigit anno ipso indictionis concilii, videlicet 1214, die 22 Sept., et morte etiam reginæ, quæ accidit die 17 Octob. sequentis; quibus ipse interfuit, et ad sedandas lites quæ super tutela pueri regis ab equitibus de Lara movebantur. Ipse quoque archiepiscopus Loaysa qui eos codices cudit, apposuit in margine antidotum dicens: *B. Apostolus Jacobus Zebedæi filius in Hispaniam venit, et ibi prædicavit Christi Evangelium*, etc.: nec ipse Rodericus ignorare potuit hanc veritatem, quæ non solum tot scriptorum auctoritate fulciebatur; sed in ipso Toletano Breviario legebatur, sive secundum institutionem D. Isidori, sive secundum Romanam consuetudinem; in hoc enim, responsorium quoddam sic habet: *Adest nobis valde lætabunda dies præexcellentissimi apostoli Jacobi; per cujus saluberrimam prædicationem totius plebs Hispaniæ suum cœpit agnoscere Redemptorem.* Hymnus vero Isidorianus sic:

Magni deinde filii tonitrui
Adepti fulgent prece matris inclytæ;
Regens Joannes dextra solus Asiam,
Et læva frater positus Hispaniam.

Hunc inferius integrum dabimus.

Facessant igitur ineptiæ tantæ, et manifestæ imposturæ cognoscantur: sed quo Domini anno id acciderit, nunc discutiendum.

2. *Hispania prima.* Julianus in Chronico ostendens quanto constet auctoritatis pondere D. Jacobum hoc ipso anno ad Hispanias accessisse, sic inquit: *Ut traditio constans est ab apostolicis hucusque ducta temporibus, multorum etiam veterum, Torquati, Tesiphontis, Honorati, Melantii, Dextri, M. Maximi, Isidori, Bedæ, aliorumque testimoniis anno Domini* 36, *satis honorifica causa sanctus apostolus Zebedæi filius Hispanias adiit: urbesque ejus omnes lustrat: Toleti primam sedem collocat, metropoles distinguit: Hispali, Bracaræ, Cæsaraugustæ, Barcinone, Tarracone, Carthagine, Asturiæ, Toletique primos episcopos constituit.* Idem etiam paulo post inquit se invenisse in archivo sanctæ Justæ Toletanæ, *Quod jussus sit Jacobus venire ad Hispanias, hac de causa* (nimirum ob legationem Hispanorum ad apostolos): *Venerit autem duobus post mortem Salvatoris annis, ut dictum est.* Cum igitur ea acciderit anno 34, restat ut anno 36 Jacobus accesserit ad nos. In epistola etiam Toletum ab Ecclesia de Columna missa, quam ipse in eodem Tabulario reperit, dicitur apostolus moratus in Hispania usque ad annum 41, fere sex annorum spatio. Ex hoc au-

tem manifeste propositum deducitur : ab anno enim 41, usque ad 36, sex dumtaxat intercedunt. Unde si sex annis in Hispania moratus est, et inde recedit anno 41, necesse est ut ad eam accesserit anno trigesimo sexto.

3. *Ejusque gentilitas*, etc. Cardinalis Baronius in notis ad diem 25 Julii Romani martyrologii sic accipiendam putat prædicationem divi Jacobi in Hispania, ut illic tantum prædicaverit Judæis Evangelium, non vero gentilibus; *non enim*, ait, *decreto apostolorum illis fuerat ostium reseratum.* Cæterum quamquam daremus prohibitos fuisse apostolos a Domino, ne gentibus prædicarent, antequam ostium illis post repulsam Synagogæ reseraretur; minime hoc obstare potest D. Jacobo, quandoquidem prohibitio illa, si qua fuit, tres solos duravit annos, teste D. Ambrosio, lib. VII in Lucam, cap. 3 : nunc autem D. Jacobus tertio ipso anno a Christi morte Hispaniam accessit, ibique per sex alios mansit : quo toto tempore integrum illi fuit gentibus absque prohibitione prædicare. Quod si ostium apertum dicitur in baptismo Cornelii centurionis, a D. Petro celebrato, post visionem immundorum animalium ab ipso occidendorum, et manducandorum, ei cœlitus oblatam, Act. x. (Unde Chrysostomus, hom. 22, dixit, *Vides unde initium fit gentium.* Et Ambrosius, sermone 15, vocavit Cornelium *primum animal*, ex his nimirum quæ Petrus manducare jussus fuit.) Sed vero baptismus Cornelii in annum Domini 40 incidit, ut videbimus : quare cum usque ad 41 sequentem Jacobus Hispania non decesserit, reliquum est, ut potuerit ibidem gentibus illis duos (ut minimum) annos prædicare. Cæterum quod de apertione ostii prædicationis evangelicæ gentibus diximus, non ita mordicus accipienda sunt, quasi omnino clausa esset illis tunc porta salutis; hoc enim nullo tempore asserendum est, cum nimis deroget summæ pietati et providentiæ Dei, qui semper voluit omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Sed et prohibitio illa Discipulis facta, *in viam gentium ne abieritis, et in civitatem Samaritanorum ne intraveritis*, Matth. x, sublata videtur per illud præceptum : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, Matth. XXVIII. Quod notavit Hieronymus inquiens in expositione prioris loci : *Non est autem contrarius locus iste ei præcepto, quo postea dicitur, Euntes docete omnes gentes, quia hoc ante resurrectionem, illud post resurrectionem præceptum est.* Id quod etiam notavit Beda in hom.: *Qui enim*, ait, *ante passionem suam dixerat : In viam gentium ne abieritis, surgens a mortuis dicit : Ite, docete omnes gentes*, quasi dixerit : deinceps licitum illis fuisse prædicare gentibus. Verum est tamen (apud Lucam cap. XXIV) præceptum illis fuisse, ita prædicare omni creaturæ, ut inciperent ab Hierosolyma; et quod ab Hierosolymis ne discederent, quoad usque induerentur virtute ex alto, per descensum Spiritus sancti in eos, Act. I. Hoc vero multo ante baptismum Cornelii expletum fuit. Et utrumque servavit D. Jacobus priusquam a Hierosolymis discederet; non enim discessit antequam indueretur virtute ex alto, et ab Hierosolyma incœpit prædicationem suam : inde autem Hispanias petiit, ubi Judæis et gentilibus sine personarum discretione prædicavit, ut illi præceptum erat, sub nomine *omnis creaturæ.*

Sed quid in his amplius immoramur, cum Daniel, cap. IX, prædixerit, novum Testamentum (seu pactum) spatio unius hebdomadæ annorum publicandum, et confirmandum esse Judæis, nimirum Christo Domino eisdem prædicante annos tres cum dimidio, apostolis autem post ejus ascensionem annos totidem et dimidium. *Confirmabit*, ait ille, *pactum multis hebdomada una; et in medio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium.* Quod sic explicat Theodoretus : *In hac una hebdomade, novum Testamentum manifeste propositum deducitur : ab anno enim 41, usque ad 36, sex dumtaxat intercedunt. Unde si sex annis in Hispania moratus est, et inde recedit anno 41, necesse est ut ad eam accesserit anno trigesimo sexto.*

3. *Ejusque gentilitas*, etc. Cardinalis Baronius in notis ad diem 25 Julii Romani martyrologii sic accipiendam putat prædicationem divi Jacobi in Hispania, ut illic tantum prædicaverit Judæis Evangelium, non vero gentilibus; *non enim*, ait, *decreto apostolorum illis fuerat ostium reseratum.* Cæterum quamquam daremus prohibitos fuisse apostolos a Domino, ne gentibus prædicarent, antequam ostium illis post repulsam Synagogæ reseraretur; minime hoc obstare potest D. Jacobo, quandoquidem prohibitio illa, si qua fuit, tres solos duravit annos, teste D. Ambrosio, lib. VII in Lucam, cap. 3 : nunc autem D. Jacobus tertio ipso anno a Christi morte Hispaniam accessit, ibique per sex alios mansit : quo toto tempore integrum illi fuit gentibus absque prohibitione prædicare. Quod si ostium apertum dicitur in baptismo Cornelii centurionis, a D. Petro celebrato, post visionem immundorum animalium ab ipso occidendorum, et manducandorum, ei cœlitus oblatam, Act. x. (Unde Chrysostomus, hom. 22, dixit, *Vides unde initium fit gentium.* Et Ambrosius, sermone 15, vocavit Cornelium *primum animal*, ex his nimirum quæ Petrus manducare jussus fuit.) Sed vero baptismus Cornelii in annum Domini 40 incidit, ut videbimus : quare cum usque ad 41 sequentem Jacobus Hispania non decesserit, reliquum est, ut potuerit ibidem gentibus illis duos (ut minimum) annos prædicare. Cæterum quod de apertione ostii prædicationis evangelicæ gentibus diximus, non ita mordicus accipienda sunt, quasi omnino clausa esset illis tunc porta salutis; hoc enim nullo tempore asserendum est, cum nimis deroget summæ pietati et providentiæ Dei, qui semper voluit omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Sed et prohibitio illa Discipulis facta, *in viam gentium ne abieritis, et in civitatem Samaritanorum ne intraveritis*, Matth. x, sublata videtur per illud præceptum : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, Matth. XXVIII. Quod notavit Hieronymus inquiens in expositione prioris loci : *Non est autem contrarius locus iste ei præcepto, quo postea dicitur, Euntes docete omnes gentes, quia hoc ante resurrectionem, illud post resurrectionem præceptum est.* Id quod etiam notavit Beda in hom.: *Qui enim*, ait, *ante passionem suam dixerat : In viam gentium ne abieritis, surgens a mortuis dicit : Ite, docete omnes gentes*, quasi dixerit : deinceps licitum illis fuisse prædicare gentibus. Verum est tamen (apud Lucam cap. XXIV) præceptum illis fuisse, ita prædicare omni creaturæ, ut inciperent ab Hierosolyma; et quod ab Hierosolymis ne discederent, quoad usque induerentur virtute ex alto, per descensum Spiritus sancti in eos, Act. I. Hoc vero multo ante baptismum Cornelii expletum fuit. Et utrumque servavit D. Jacobus priusquam a Hierosolymis discederet; non enim discessit antequam indueretur virtute ex alto, et ab Hierosolyma incœpit prædicationem suam : inde autem Hispanias petiit, ubi Judæis et gentilibus sine personarum discretione prædicavit, ut illi præceptum erat, sub nomine *omnis creaturæ.*

Sed quid in his amplius immoramur, cum Daniel, cap. IX, prædixerit, novum Testamentum (seu pactum) spatio unius hebdomadæ annorum publicandum, et confirmandum esse Judæis, nimirum Christo Domino eisdem prædicante annos tres cum dimidio, apostolis autem post ejus ascensionem annos totidem et dimidium. *Confirmabit*, ait ille, *pactum multis hebdomada una; et in medio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium.* Quod sic explicat Theodoretus : *In hac una hebdomade, novum Testamentum dabitur credentibus, atque omni eos virtute imbuet; et in dimidio ejus hebdomadis auferetur sacrificium, et libamen; hoc est sacrificium secundum legem deficiet, oblatio immaculati agni, qui tollit peccata mundi, vero sacrificio. Quod si quis etiam percipere cupiat, ex evangelio Joannis cognoscetur. Cum enim annos circiter tres cum dimidio prædicasset Dominus, sanctosque suos discipulos doctrina et miraculis confirmasset, tunc passus est : ac post crucem et mortem, et resurrectionem, et ad cœlos ascensum et sanctissimi Spiritus adventum, reliquum hebdomadis tempus sancti apostoli Hierosolymis prædicantes, et miracula edentes, multis hominum millibus ad evangelicam doctrinam adductis, novi Testamenti munus impertiti, ut sanctissimi quoque baptismi gratiam consequerentur, auctores fuere. Deinde cum Judæi in S. Stephanum impia illa facinora ausi fuissent, per oppida Judææ populis dissipatis, Divi apostoli breve tempus Hierosolymis commorati Samariam, Lyddam, et Joppem abeuntes, omnibus hominibus offerre salutaria decreta festinabant. Quamobrem Dei archangelus B. Danieli : Confirmabit, inquit, testamentum multis hebdomada una; tempore scilicet ante crucem et eo quo sancti apostoli post Salvatoris resurrectionem, Hierosolymis docuerunt, simul collecto.* Hactenus Theodoretus : quibus conformia scribunt Eusebius, lib. VIII de Præparatione Evangelica, et Hieronymus in Commentariis ad hunc locum Danielis. Liquido igitur constat, non amplius quam duos annos cum dimidio apostolos cum Judæis Testamenti novi stabiliendi gratia moratos fuisse.

Eo etiam tempore, id non obstante, prædicari potuisse gentilibus Evangelium, habemus irrefragabili exemplo Pauli, qui ante baptismum Cornelii, et visionem Petro ostensam, gentilibus prædicavit : cujus rei testimonium profert Lucas Act. IX ubi post conversionis S. Pauli historiam, cum præmisisset, quod ipse *multo magis convalescebat, et confundebat Judæos, affirmans quoniam hic Christus*; subdit, *loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Græcis.* Quod vero hoc multo ante baptismum centurionis acciderit, planum est in contextu ipso Actorum. Etenim Evangelista post verba præfata refert, Paulum deinde in Tarsum ab Hierosolymis secessisse, Petrum autem dum pertransiret universos, reddidisse sanitatem Æneæ, Lyddæ existenti, ab annis octo paralytico; Deinde Tabitham a mortuis suscitasse apud Joppem, ibique moratum fuisse dies multos apud Simonem quemdam coriarium. Demum post hæc omnia quæ in cap. IX Actor. retulerat, subinfert visionem illam Petro cœlitus ostensam, et baptismum Cornelii in cap. X sequenti. Quo necessario fit, ut Paulus multo ante prædicaverit gentibus, quam Cornelius solemniter baptizatus fuerit.

Sumi etiam potest argumentum a Samaritanis, qui in eadem prohibitione continebantur cum gentilibus; cum eodem tenore verborum de utrisque præceptum fuerit apostolis, *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis* : et tamen ante annum a Passione Domini completum, statim post Stephani martyrium, prædicatum fuit verbum Dei in Samaria, a discipulis dispersis per eam, præsertim a Philippo diacono. *Et cum audissent apostoli qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem* (*Act.* VIII). Jure igitur Paulus et Jacobus prædicare gentilibus ante conversionem Cornelii potuerunt, non minus quam Samaritanis prædicatum fuit.

Vide autem, quæso, Dei providentiam in his duobus apostolis. Eodem anno 36 quo Jacobus in Hispanias contendit, Paulus ad fidem convertitur, quasi locum illius et sortem suppleturus (id quod divinitus B. Amadeo revelatum fuisset ipsemet ex jussu Angeli scripsit in nova sua Apocalypsi), uter-

A. C. 37. Nam et Jacobus sanctus Apostolus Zebedæi filius, peragratis urbibus Hispaniæ, multis- A. R. 788.
que erectis Ecclesiis, et Episcopis creatis ex Advenis Petrum Bracaræ primum reli-

BIVARII COMMENTARIUS.

que Judæis et gentibus prædicat, uterque Hispanicæ prædicationis curam suscipit. Vis autem videre ita cordi fuisse Paulo Hispaniæ conversionem sicut Jacobo? Audi quid ad Romanos scribat: *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos; et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero;* et iterum: *Per vos proficiscar in Hispaniam* (*Rom.* xv). Quid est *cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos*: nisi quod major multo cura illi erat de Hispanis, quam de Romanis (hoc mihi manifestissimum videtur). Quod igitur præcipue intendebat, non erat Romam ire, cum hoc obiter et ex occasione se facturum polliceatur, *spero* (ait) *quod præteriens* (seu in transitu) *videam vos;* et quasi non bene suam expresserit mentem, iterum ait, *A vobis deducar illuc*: hoc est, Vos eritis mei negotii præcipui coadjutores, et rursum: *si vobis ex parte fruitus fuero;* quid significat limitatio illa *ex parte?* idem prorsus quod *præteriens*. Quod igitur præcipue intendebat, Hispania erat, non Roma, vel Italia, utpote quæ a Petro apostolorum coryphæo doctrinæ evangelicæ pabulo pascebatur; ac proinde provinciam Jacobi videtur principaliter suscepisse. Ne quis vero existimet idcirco Paulum obiter tantum promisisse invisere Romanos, quia jam serio apud illos aliquando egisset, occurrit ipse cap. I: *Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc; ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in cæteris gentibus.* Et c. XV assignat terminos suarum peregrinationum, quas hactenus confecerat, *ab Hierusalem per circuitum, usque ad Illyricum*: quod in Italiam minime adhuc pertingit, subditque: *Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus* (hoc est, cum expeditus sim a negotiis earum), *cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis jam præcedentibus annis, cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos.* Necdum igitur in Italiam venerat; et quamquam plurimum, et ex multis annis id cuperet, tamen occasione tantum accepta ab itinere Hispanico, asserit se illuc in transitu accessurum. Ita prorsus Theophylactus, qui ad illa verba cap. XVI: *Salutant vos omnes Ecclesiæ Dei*, inquit: *Nondum urbem ac Romanos conspexerat.* Ad cap. vero XV, circa illud, *Cum in Hispaniam proficisci cœpero*, ait: *Ne illud etiam Romani objectent, Perinde ac supervacaneum hoc tuum ad nos iter nunc, Paule, paras, cum alio sis concessurus; adjecit, Et a vobis eo deducar; hoc est, Vosmet, inspecta quæ me urget necessitate, ut Hispanos conveniam, priores estis ad illos me demissuri. Non itaque quia vestra prava quædam apud me ratio constet, sum vos ipse præteriturus, sed quia sic cogor ut faciam.*

Quidquid vero de reliquis apostolis tunc temporis in Judæa commorantibus sit, de Jacobo nihilominus constans est gentibus simul ac Judæis prædicasse in Hispania; nam id Venantius Fortunatus in Epigrammate de eodem Apostolo (quod recitat Calixtus papa) asseveravit, inquiens:

Cultoris Domini totum sonus exit in orbem;
Gentiles docet hic: Judæos increpat idem;
Fructificansque Deo terminat orbe fidem.

Terminasse orbe fidem dixit, pro eo quod est, prædicasse usque ad extera Hispaniæ ora, ubi finis terræ et orbis est. Julianus item refert in epistola fundationis domus de Columna haberi, *in Hispania moratum apostolum usque ad annum 41, fere sex annorum spatio mira celeritate Judæis gentibusque prædicasse.* Peculiariter autem de gentilibus loquitur Walafridus Strabus in carmine de S. Jacobo typis excuso ab Henrico Canisio tomo VI Lect. antiq.

Primitus Hispanas convertit dogmate gentes,
Barbara divinis converteus agmina dictis:
Qui priscos dudum ritus, et lurida fana
Dæmonis horrendi decepta fraude colebant.

Quare simul dicendum est, prohibitionem illam prædicandi gentilibus, si qua fuit, non excessisse terminos Judææ, aut (quod mire placet) ideo dictum fuisse, in Cornelio ostium gentibus apertum, quia jam liceret illis ex prima instantia (ut sic dixerim) prædicare; cum tamen antea Judæis primo loco concionandum esset. Vel repulsam passam jam fuisse synagogam a primogenitura, ejusque loco gentes advocandas. Atque eo sensu intelligendum, cum Cornelius dicitur primum animal ex gentibus Deo oblatum, id est post apertionem ostii et repulsam Synagogæ.

A. C. 37.—1. *Nam et Jacobus*, etc. Hoc loco summatim referuntur Acta Jacobi in Hispania; quæ omnia non est intelligendus hoc anno 37 perfecisse, sed a 36 usque ad 41 inclusive peragratum fuisse omnes Hispaniæ urbes, multas ibi Ecclesias erexisse, in eisque episcopos consecrasse, quod Julianus dixit anno 36 haberi ex constanti traditione, et testimoniis gravissimorum auctorum, et subdit, *Urbesque ejus* (Hispaniæ) *omnes lustrat, Toleti primam sedem collocat, metropoles distinguit*, etc. Breviarium quoque Mediolanense ordinationis S. Ambrosii, non unam vel alteram urbem ejus, sed totam Hispaniam pervasisse refert, *Jacobus Major* (ait) *dum universam prædicando Hispaniam peragrasset*, etc.

2. *Petrum Bracaræ*, etc. Hunc sanctissimum Christi martyrem, ac primum Bracaræ episcopum, discipulum fuisse sancti Jacobi apostoli, ab eoque in eadem urbe episcopalibus infulis decoratum testantur quotquot de rebus Hispanis scripserunt. Vasæus in Chronico, Marinæus Siculus lib. v, Ambrosius de Morales lib. IX c. 8, Marieta de Sanctis Hisp. I part. lib. I, cap. 21, Truxillus in Thesauro Concion. die 26 aprilis, qua die martyrio sublatus est; et eodem die agunt de eo Sanctorus, et Villegas in floribus Sanct. et præter eos Zianca in Historia S. Secundi lib. I cap. 2. Et quod majori veneratione dignum est, id pariter confitentur Patres concilii Bracarensis superius relati: nam inquiunt: *De Patre nostro, et apostolo hujus regionis Petro Bracarensi, quem ad salvandas animas Jacobus Domini consanguineus dimisit*, etc. Nihil tanta memoria dignum in cætera quæ D. Jacobus gessit mirabilia in Hispania, quam suscitatio hujus sancti pontificis, quem non quidem quatriduanum, ut Lazarum, sed a multis annorum centuriis mortuum, ad vitam revocavit (nimirum a 600 retro annis, qui a captivitate Babylonica usque ad adventum sancti Jacobi in Hispaniam interfuerunt, numerandi ab anno urbis conditæ 171, quo captivi ducti sunt in Hispaniam Judæi juxta supputationem Marianæ lib. I cap. 7, vel, ut aliis placet, 149 usque ad 788 ejusdem Urbis, qui incidit in hunc annum 37 Christi), si qua fides habenda est fragmento operum Divi Athanasii I, Cæsaraugustæ episcopi, et ejusdem Petri sub disciplina sancti apostoli condiscipuli, quod ab scriniis cujusdam bibliothecæ Sardiniæ, et etiam ab altera regni Aragoniæ, acceptum per manus P. Bartholomæi de Olivenza provincialis, societatis Jesu in insula Sardiniæ, typis postmodum excudit Divus Prudentius de Sandobal episcopus Tudensis in Historia ejusdem Ecclesiæ; quod hic apponere placuit ad verbum. Verba sunt S. Athanasii episcopi Cæsaraugustani.

Ego novi S. Petrum primum Bracarensem episco-

A. C. 37. quit Episcopum, ac Templum vel Oratorium B. Virgini ex ejus jussu, præsentiaque super Columnam, Cæsaraugustæ erexit. A. R. 788.

BIVARII COMMENTARIUS.

pum; quem antiquum prophetam suscitavit S. Jacobus Zebedæi filius magister meus. Hic venerat cum duodecim tribubus missis a Nabuchodonosor in Hispaniam, Hierosolymis, duce Nabuchzardam, vel Pyrrho Hispanorum præfecto. Dictus est hic propheta Samuel junior, vel Malachias senior, propter morum gravitatem, et vultus pulchritudinem; Uriæ prophetæ filius. Factus episcopus multos Judæorum ad fidem convertit, dicens se venisse cum illorum majoribus, et prædicasse transmigratis; obiisse vero viginti annis post adventum eorum in Hispaniam. Hic vir apostolicus, acceptis a S. Jacobo institutionibus apostolicis, Evangelio, et ordine Missæ, ac celebratione Sacramentorum, venit Bracaram; epistolas apostolico plenas spiritu scripsit ad Ecclesias, in quibus episcopos instituit, ut Iriensem, Amphilochensem, Eminiensem, Portuensem, ubi S. Basilium condiscipulum posuit, qui illi per martyrium sublato successit in sede Bracarensi; Epitatium in Tudensi. Isti viri divini, planeque apostolici, instar apostolorum non in una semper urbe morabantur, sed ubi rapiebat illos Spiritus sanctus ferebantur; ut Epitatius qui non solum in Tudensi diœcesi, sed in urbe Lusitaniæ Ambracia prædicavit: qui signis, et varietate linguarum, prædicationem illustrabant: nec soli ibant prædicatum, sed multis discipulis comitati, ut fecit Christus, Petrus, Jacobus et apostoli cæteri.

Hactenus Athanasii fragmentum. Cui sane multam fidem adhibendam esse convincit Vita ipsius S. Petri ante 1350 annos scripta B. Caledonio episcopo pariter Bracarensi, qui obiit anno Domini 260, ubi refert quidquid hic S. Athanasius dixit: uti ea de re perhibet irrefragabile testimonium Hugo Portugallensis episcopus, in epistola a nobis superius inter elogia auctoris allata, quam tu consulas. Et certe S. Anastasius Synaita ob ejusmodi forsan S. Petri suscitationem, in lib. de Passionibus Martyrum asseruit, quod S. Jacobus dum Hispanis prædicaret, *fecit apud eos miracula, quæ homines attoniti stupebant; ita quod converterit eos ad agnitionem fidei Dei excelsi.* Deinde inter tam multa quæ hic dicuntur, velut negotium præcipuum circumstantia, nihil est quod non magnis fundamentis fulciatur, sive de transmigratione duodecim tribuum in Hispaniam a Nabuchodonosor facta, sermo sit, sive de Uria Patre S. Petri Bracarensis, sive de Institutionibus apostolicis, Evangelio, et ordine Missæ eidem traditis a B. Jacobo, sive de fundatione Ecclesiarum Iriæ, Amphilochii, Eminii, et Portus; de condiscipulo etiam Basilio, et discipulo Epitatio, eorumque prædicationibus. De transmigratione tribuum mox agendum. Uriæ prophetæ historiam habet Hieremias, cap. XXVI: *Fuit vir prophetans in nomine Domini, Urias filius Semei, de Cariathiarim; et prophetavit adversus civitatem istam (nimirum de captivitate Hierusalem) et adversus terram hanc juxta verba omnia Hieremiæ, et audivit rex Joachim, et omnes potentes, et principes ejus verba hæc, et quæsivit rex interficere eum. Et audivit Urias et timuit, fugitque, et ingressus est Ægyptum. Et misit rex Joachim viros in Ægyptum, Elnatham, filium Achobor, et viros cum eo in Ægyptum, et duxerunt Uriam de Ægypto, et duxerunt eum ad regem Joachim, et percussit eum gladio; et projecit cadaver ejus in sepulcris vulgi ignobilis.* Cæterum transmigratio quam Joachimo huic filio Josiæ regis, Urias prophetavit, contigit tempore alterius Joachimi filii ipsius, et nepotis Josiæ, ut refertur IV Regum ultimo, et ab eodem Hieremia c. ultimo. Quo videas filium Uriæ tempore ejusdem transmigrationis vixisse.

De constitutionibus apostolicis et ordinatione Missæ quas eidem Petro tradidisse dicitur S. Jacobus, non est ambigendum, cum superius monstratum sit ab apostolis fuisse compositas, statim post adventum Spiritus sancti; de Evangelio forsan aliquis subdubitabit quomodo D. Jacobus illud in Hispania dimiserit, cum Evangelium Matthæi primum de quatuor non fuerit scriptum usque ad annum 41, quo Jacobus inde discessit.

Cæterum magno Dei munere factum est, ut anno 1595, in monte Ilipulitano Granatensi, quod nunc a re dicitur *Mons sanctus* non solum cineres sacri, et ossa præstantissimorum D. Jacobi discipulorum reperta fuerint, sed etiam 18 libri in æreis seu plumbeis tabulis exarati; de quibus non pauci a S. apostolo compositi leguntur, præsertim unus, cui titulus, *De Missa apostolorum, cum suo cæremoniali*: et alter, *De historia Evangelica.* Quo videas B. apostolum, ut sanctum Christi Evangelium suis communicaret discipulis, non eguisse Evangelio Matthæi; ille præsertim qui secretioribus Domini actionibus præsens fuit. Insuper Julianus in Chronico auctor est, Missam, seu Liturgiam, quæ olim recitari consuevit in Hispania, et nunc in Missali Mozarabum exstat, compositam fuisse in sua origine a S. Jacobo, auctam vero a Melanthio, et Asturio, Toletanis præsulibus, et novissime a S. Isidoro. Quare ob tanti auctoris reverentiam, multæ in Canone dicuntur a sacerdote orationes, in memoriam S. Jacobi apostoli, cum tamen ibi nulla de alio apostolo mentio fiat. Sed de his iterum inferius.

Quoad episcopatus illos a D. Petro Bracarensi conditos, attinet, constat eos omnes olim Bracarensi metropoli subjectos fuisse, ut in divisione episcopatuum a Constantino facta videre est, apud Lucam Tudensem in Chron. Ambrosium Morales, et alios. Iriensis sedes hodie *del Padron*, translata est Compostellam: Amphilochiensis, ipsa est Auriensis: Eminiensis vero idem quod Mindoniensis: Portuensis nomen retinet. Cum igitur sub sede Bracarensi omnes militarint, consequens est ab ipso conditas fuisse; nec enim alius discipulus illic prædicasse legitur: Basilium autem fuisse condiscipulum, et successorem Petri in sede Bracarensi, Epitatiumque Tudensi deputatum ab eodem, et in Ambrasia apostolum, suis locis monstrabimus.

Denique quod olim ipse nuncupatus fuerit Samuel junior, vel Malachias senior, ad id respicit, quod Samuele illo celeberrimo inferior ætate fuerit; superior autem Malachia, qui, teste Hieronymo, sub ipsa captivitate Babylonica prophetavit, temporibus Aggæi et Zachariæ: ea vero cognomina pro morum suorum integritate adeptus fuit.

3. *Primum templum*, etc. Nihil æque stabilitum testimoniis gravissimorum auctorum, nihil tota Hispania sacratius ac venerabilius animis hominum insedit, atque historia fundationis angelicæ domus S. Mariæ de Columna Cæsaraugustanæ civitatis, quam hoc loco refert Dexter: sed fundamenta ejus traditionis videamus. Sane eam retulit B. Caledonius Bracarensis Episcopus in Vita S. Petri Ratistensis, apud Hugonem Portugallensem episcopum; dum ait: *Quindecim mensibus vix fere elapsis ejus magister Jacobus, ad Cæsaraugustam, ædiculam excitarat, in honorem Deiparæ Virginis:* additque paulo post aliam erexisse Bracaræ in ejusdem Virginis memoriam. Eam quoque approbavit fel. rec. Calixtus III, in Bulla sua sub. dat. Rom. 9 kal. Octob. anno 1456, ubi inter alia hæc habet: *Ecclesia prima inter cæteras sub vocabulo B. Mariæ: in qua dicta B. Maria, antequam ad cœlos assumeretur, B. Jacobo Majori in columna apparuit.* Et infra: *Inibi infinita miracula divina providentia dietim fiunt.* Et rursus: *Christi fideles magna devotione ac veneratione imaginem ejusdem B. Mariæ et ejus Filii in quadam capella*

BIVARII COMMENTARIUS.

ejusdem Ecclesiæ (quæ de mandato dictæ B. Mariæ per dictum B. Jacobum fabricata, et Camera angelica Dei genitricis del Pilar nuncupata existit) colunt et venerantur, et cum maxima devotione visitare non cessant.

Notandum maxime in hoc Pontifice, non referre ejusmodi historiam quasi sub aliorum auctorum fide, sed assertorie, quasi rem sibi certam et notam, utpote in Hispania nato, in regno Valentiæ, non longe a Cæsaraugusta. Accedit ad pondus tantæ auctoritatis officium Missæ antiquissimum in eadem ecclesia olim cani solitum; cujus introitus hic erat: *Adstante Virgine Matre Dei decantabant angeli laudem dicentes: Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Collecta autem seu oratio talis: *Omnipotens æterne Deus, qui sacratissimam Matrem tuam inter choros angelorum super columna marmorea, a te ab alto emissa, venire, dum adhuc viveret, dignatus es; ut basilica de Pilari in ejus honorem a protomartyre apostolorum Jacobo, suisque sanctissimis discipulis, ædificaretur; præsta, quæsumus, ut ejus meritis et intercessione fiat impetrabile quod fida mente poscimus. Qui vivis*, etc. Idem in Offertorio continetur: *Offert. Vox turturis audita est in terra nostra, cum loquente B. Virgine Cæsaraugustæ in auribus apostoli dulcissime intonuit dicens: Ecce Jacobus locus signatus, meoque honori deputatus, in quo tua industria mea Ecclesia conservetur.* Historiam autem ipsam tam styli simplicitate quam vetustate characterum, et membranarum multam venerandamque antiquitatem redolentem, servant canonici ipsius ecclesiæ in speciali armario secreto suæ bibliothecæ. Scripta autem exstat ad finem posterioris tomi Moralium D. Gregorii, quorum superscriptio est: *In hoc sunt condita scrinio B. Gregorii Moralia a Taione Cæsaraugustanæ episcopo Romæ miraculose inventa.* Inter cætera autem Historia Pilaris hæc habet: *Interea revelante Spiritu sancto, B. Jacobus major, filius Zebedæi, mandatum accepit a Christo, quatenus ad partes Hispaniæ verbum Dei prædicaturus accederet.* Tunc ei B. Virginem allocutam inquit in hæc verba: *Vide, fili, imple mandatum Magistri tui, et in una civitatum Hispaniæ ubi Majorem numerum ad fidem converteris, ibi ecclesiam in mei memoriam, prout tibi monstravero, facias.* Cum vero ad Iberi ripam Cæsaraugustæ pro more oraret Apostolus: *In hora ipsa mediæ noctis, audivit voces angelorum cantantium: Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Ipsa vero B. Virgo in hunc modum de columna ad apostolum allocuta est in hæc verba: *Ecce Jacobe, fili, locus signatus, meoque nomini deputatus, in quo in mei memoriam, tua industria, mea Ecclesia construatur. In quo præsertim loco, precibus et reverentia mea, signa et mirabilia Altissimi virtus operabitur, illis nimirum, qui in suis necessitatibus meum implorabunt auxilium: Eritque Pilare istud in loco isto usque ad finem mundi; et Christum colentes in hac urbe numquam deficient. Conspice quinimo Pilare hoc in quo sedeo; nam Filius meus, et Magister tuus per manus angelorum illud transmisit ex alto*, etc.

Longum esset, et operosum valde, omnium auctorum verba referre, quæ eamdem traditionem docuerunt: de numero siquidem eorum sunt Gualbertus Fabricius Cisterciensis in Chron. suo, Marinæus lib. v, cap. *de Sacris ædibus*, Vasæus anno XXXVII et XLIV, Beuterus I p. Chron. Hisp. c. 25, Damianus a Goes in Genealogia Regum Hisp. tomo. II Hisp. Illustratæ, Stephanus Garibay in compendio hist. Hisp. lib. VII, cap. 3 et 4, Morales lib. IX, cap. 7, Roman. lib. I, cap. 3, Ludov. de Estrada, abbas Hortensis II p. Rosarii, fol. 112, Canisius lib. V de Deipara cap. 21 et 23, And. Betendorpius *de Apparitionibus spirituum*, cap. II, Thesi 207; Tho. Bozius tom. 2, l. IX, c. 6, num. 12, D. Laur. Padilla, centuria I; Gundisalvus Illescas in Pontific. Loaysa in notis ad decretum Gundemari, Garibay agens de Alphonso Navarræ Rege, c. 7; Hieron. Blancas p. III, cap. 143; Prades lib. II, cap. 5, § I; Zurita l. I Indicarum rerum Aragoniæ, Bonifacius in hist. B. Mariæ l. II, p. 119; D. Maurus l. I, cap. 23; Mendoza quodlib. V; Ribadeneira in vita S. Jacobi; D. Martinus Garsia episcopus Barchin. serm. 90, 91 et 100. Martinus del Rio Disquis. Mag. l. II, q. 26, sect. 4. Ediderunt etiam speciales tractatus de fundatione Angelicæ domus de Columna Joannes Michael de Bordalbo, Ludovicus Aux, P. Zenedus in Collectaneis juris Canonici 22. q. 2, cap. *B. Paulus*, Murillus et alii. Estque ita in Hispania mentibus Christianorum receptum, ut Isella in lib. Regulæ militiæ S. Jacobi, cap. 3, dixerit; *Particularmente en el Reyno de Aragon lo tenemos por poco menos cierto, que articulo de Fe, que vino Santiago personalmente a predicar a esta provincia, y Reyno: y que edifico la Iglesia de nuestra Senora del Pilar.*

Regia diplomata requiris? Joannes II, Aragoniæ rex, in privilegio eidem Ecclesiæ concesso Cæsaraugustæ anno MCCCCLIX, die 26 octob. hæc inquit: *Contemplatione et favore ipsius Ecclesiæ quæ inter alias Hispaniæ divinis mysteriis et miraculis refulget, de illius institutione et ædificatione (testante historia) multa miraculosa referuntur, et principaliter illud mirabile quod in Vita ipsius B. et gloriosæ virginis, ejusque jussu, a B. Jacobo majore Apostolo constructa et ædificata exstitit, in cujus capite ipsa B. Virgo Pilare marmoreum, quod sibi a cælo transmissum habuerat, et supra quod eidem B. Jacobo apparuit, firmari et collocari jussit.* Ejus quoque filius D. Ferdinandus Catholicus, Hispaniæ rex, sub datis XII Aprilis anni 1504, apud Metymnam-Campi, in alio simili privilegio hæc habet: *Sane ex catholicis occiduis neminem latere existimamus, apud urbem Cæsaraugustam, quamdam esse mirificæ devotionis sacram et antiquissimam ædem, seu templum celebre purissimæ ac intemeratæ Virgini Dei genitrici dicatum, sub vocabulo B. Mariæ de Pilari, innumeris et assiduis miraculis præfulgens. Ibi ipsa suavissima Virgo adhuc in humanis agens, Hispani populi miserata, nondum orthodoxæ fidei lumen intuentis se D. Jacobo et circumstantibus mirum in modum super lapideam Columnam corporaliter videndam obtulit. Unde cunctis Hispaniæ populis cæca gentilium credulitate obduratis lux salutaris exorta est. Quo tamen in loco relicta, ab eadem immaculata Virgine, Columna, et desuper candida ejus effigie, ab ipso B. Jacobo et eum sectantibus Sacellum ibidem perexiguum constructum fuisse asseritur, quod primum Ecclesiæ nomen in Hispania obtinuit. Attamen crescente cum tempore devotione, piisque largitatibus suffragantibus, domus ipsa, ut tantæ Reginæ Palatium decebat, longe quidem amplificata est, et tandem in statum, quo hodie, est adducta*, etc.

Accedat statutum sedis Metropolitanæ Cæsaraugustæ anno MCCCCLXXI, die 9 Maii promulgatum: *Nos igitur Petrus Michaelis, Vicarius generalis pro Reverendissimo Domino Joanne Administratore perpetuo Cæsaraugustæ, de consilio et assensu totius Capituli; Considerantes quod primam hujus Civitatis Ecclesiam ipse fundavit* (loquitur de S. Jacobo) *et sua præsentia verbum Dei in hac prædicavit urbe, ejusdem gloriosissimi Apostoli natalitium diem, id est XXV Julii, ordinamus et statuimus, sub solemnitate sex capparum in Metropolitana Ecclesia Cæsaraugustana, perpetuis temporibus celebrandum. Et licet in cæteris Octavis, Virginis officium propter solemnitatem augendam communiter omittatur, in his tamen* (Beati Jacobi) *ob memoriam apparitionis, qua adhuc vivens hac in civitate eidem Apostolo Virgo gloriosissima apparuit, non duximus omittendum.* Eadem sedes Archiepiscopalis exemit domum Angelicam de Pilari a Charitativo subsidio dari solito a Prælatis pro possessione suæ dignitatis, reddens rationem, quia *constat quod dicta Ecclesia in qua gloriosa Dei genitrix Virgo, dum in humanis ageret, B. Apostolo Jacobo super Pilare marmoreum, Angelicis manibus deportatum, apparere di-*

A. C. 37. Multa quoque miracula patrat : Virtute vero sermonis feroces Hispanorum animos ad suave Christi jugum adducit. A.R.788.

Multi ibidem Judæi convertuntur ex duodecim Tribubus transmigrationis ex Babylonia, quibus et ibi tunc prædicavit.

BIVARII COMMENTARIUS.

gnata est, etc. Demum eodem habito respectu cum de jure præcedentiæ hujus Ecclesiæ de Columna cum Episcopalibus regni Aragoniæ, Cæsaraugustæ ageretur, fuit lata sententia ad favorem ipsius ab Illustrissimo domino Justitia Aragonum, D. Martino Baptista de la Nuza, et ab ejusdem regni Consiliariis, pariterque doctissimis viris Joanne Clemente Romeu, Matthæo Deza, Petro Hieronymo Mendieta, Martino Jodini, et Michaele Martini de Villari, anno MDCV, cujus sententiæ monita typis excusa fuere Matriti apud Lud. Sanchum, eodem anno : Ejus vero fuit causa præcipua, *Obtinet enim* (Ecclesia de Pilari) *ex receptissima omnium Ecclesiarum præsertim istius amplissimæ provinciæ traditione, a Pontificibus suis non semel approbata, inter omnes Ecclesias mundi vetustatis, et excellentiæ, Originis primatum : atque ideo Cæsaraugusta vere ac jure gloriari potest se primam non solum in Hispania, sed in universo orbe Catholicæ fidei, fidem et aram tenuisse et exstitisse : quæ angelicis manibus jussu Sacratissimæ Reginæ Virginis Dei genitricis, dum adhuc in humanis ageret, auctore D. Jacobo majore, Christi apostolo consobrinoque erecta fuit.* Adde etiam testimonium S. Braulionis in additionibus ad Maximum, quod mox afferemus, et cum eo alterum Juliani Archipresbyteri S. Justæ Toletanæ. Nunc satis sit Aimonis verba referre, qui floruit an. Dom. 870. Hic. in lib. I Translat. S. Vincentii Martyris, cap. 6, cum premisisset Audaldum monachum reliquias S. Martyris Cæsaraugustam usque transportasse ann. 855, subinfert : *Senior episcopus stupens, nimiumque admirans, et æstimans omnino, quod esset plane alicujus S. Martyris corpus, jussit illud auferri, atque in Ecclesia B. Mariæ semper Virginis* (de Pilari), *quæ est mater Ecclesiarum ejusdem urbis, venerabiliter recondi; in qua olim sub Valerio Pontifice idem Martyr strenuusque athleta Archidiaconii arcem insignis tenuerat.* Quo loci luculenter affirmat, eam Ecclesiam suorum prærogativa meritorum fuisse Cathedralem, tempore S. Vincentii, et Matrem cæterarum ejus urbis Ecclesiarum, utpote a S. Jacobo apostolo constructa.

Verum ne nobilissimum antiquitatis monumentum depereat, placet dulce Epigramma a D. M. Maximo, Cæsaraugustæ antistite, ante mille annos compositum huc inserere.

Prima domus Mariæ sacrata est dicta Columnæ,
Hanc eadem Jacob tradidit alma Parens.
Cum primum hic jaceret divini semina verbi
Præco sacer, lustrans oppida Ibera fide.
Astitit hic Genitrix hominisque Deique verenda,
Et jubet in magna surgat ut urbe domus.
Quæ ceu prima foret præ cunctis sedibus una,
Undique collecti quam peterent populi.
O domus excellens, magniorumque aula beata
Cælicolum sibi quam deligit alma Parens!
In terris cœlum, si quis desiderat unquam,
Offerat hic Matri vota precesque Dei.
Experietur enim hic præsentia numina Matris,
Rebus in afflictis hinc ferret auxilium.
Ingressis timor et subito reverentia surgit
Matris et inde loci, Cælicolumque chori.
Quid mirum domus hæc divinæ numine Matris
Plena solum moveat? nam movet illa polum.

Ejusdem M. Maximi est sequens Hymnus de domo B. Virginis de Columna.

O Cæsaraugustæ decus,
Et dulce patrocinium :
Gentis Iberæ columen,
Templum Columnæ immobilis.
Quæ diceris plus omnibus
Sacris Iberis sedibus,
Hierusalem mirabilis,
Domus pudicæ Virginis,
Te præ solis cubiculis,
Elegit ipsa Genitrix :
Quæ gessit almo in utero,
Summi Tonantis Filium.
Hæc nam Jacobo Apostolo,
Et suo Consanguineo;
Ædem jubet conficere,
Cunctis manentem sæculis.
Ostendit illi se hilarem,
Suoque natalitio,
Conceptionis aureæ,
Templo manent Encœnia [*Al.* Encomia].
Conceptionis hinc diem
Jacobus Hispanos docet :
Et prædicat (ceu cæteri)
Quacumque labe liberam.
Hinc mos habet principium
Hunc celebrandi jugiter
Populis Iberis diem,
Qui durat usque hodie.
Hinc et vocare singulas
Episcopales cathedras
Hierusalem, et ab hac domo est
Factum vocandi initium,
O grandis apparitio
Jacobo facta primitus :
Anno nono trigesimo
Natalis almi Domini.

Quæ hic de conceptionis festivitate dicuntur, ne locum istum oneremus, remittimus ad annum 300 ubi cum Dextro ea de re agendum nobis erit. Omittimus pariter quod idem Maximus in Chronico suo ad annum Christi 571 fidem facit ejusdem veritatis : Satis nunc sit abunde ostendisse traditionem fundationis Ecclesiæ de Columna, de qua nunc sermo est auctori. De apparitionis vero hujus qualitate agemus ad annum 37.

4. *Multa quoque miracula*, etc. Multa miracula operatum fuisse in Hispaniis S. Apostolum, quibus suam prædicationem confirmabat, nefas est dubitare : cum de omnibus apostolis scripserit Evangelista, *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Quæ autem fuerint ea signa, haud dubium quin ea quæ præmiserat, *linguis loquentur novis, serpentes tollent*, etc. Admirandum sane signum fuit suscitatio antiqui prophetæ, quem in episcopum Bracarensem constituit, inter libros plumbeos qui in Monte sancto Granatensi reperti sunt, unus est, *de Vita, peregrinationibus et miraculis S. Jacobi :* auctore S. Cæcilio ejus discipulo, quem tamen dabit Deus aliquando in lucem prodire. Julianus quoque in Chron. anno 36 agens de monumentis Toletanis, hæc ait : *In eodem archivo S. Justæ est historia Latina de Vita S. Jacobi, ubi dicuntur maxima miracula.* De quibus loquens S. Notkerus in suo Martyrologio, inquit die 25. Jul. : *Ejus corporali præsentia, atque doctrina et signorum efficacia, iidem populi ad Christi fidem conversi referantur.* Reduc in memoriam testimonium Anastasii Synaytæ, quod supra retulimus, *Fecit apud eos miracula, quæ homines attoniti stupebant*, etc.

5. *Multi ibidem Judæi*, etc. Egerat hactenus de conversione gentilium, nunc autem de Judæorum in Hispania degentium conversione. Sane Judæos a multis annis ante B. Jacobi prædicationem in Hispania habitasse nullatenus videtur negari posse, cum innumeri iique gravissimi auctores id confiteantur, ut ex superius dictis manifestum est. Nemo enim hactenus in dubium vertit, quod apostolus prædicaverit Judæis in Hispania : quinimmo synagogas aliquas ipsorum usque ad Ferdinandi Catholici tem-

BIVARII COMMENTARIUS.

pora scimus perseverasse, a quo tandem ab Hispania ejecti fuere. Quod præter relatos ibi, docuit Calixtus II in homilia de S. Jacobo dicens: *Circuibat villas, viculos, et castella, ingrediens per Judæorum synagogas, verbum Dei prædicans.* Quod igitur dubitatur a quibusdam est, qui fuerint ejusmodi Judæi? Unde, et quando in Hispaniam concesserint? Qua in re Florianus de Ocampo, Stephanus Garibay, et Joannes Mariana in Hispaniæ Chronicis in ea sunt sententia, ut asserant, Judæos illuc adductos a Pyrrho seu Nabuzardan classis Nabuchodonosoris, regis Babylonis, præfecto; fuisseque ex illis qui in Babyloniam captivi ducti sunt, tempore Babylonicæ captivitatis. Ejus itineris facti a Nabuchodonosor in Hispaniam auctores sunt Megasthenes lib. IV Rerum Indicarum: Josephus lib. X. Antiq. Jud. cap. 11 et lib. contra Apionem; et Strabo lib. XV Geographiæ, secuti Megasthenem, qui contendit (apud Josephum) *subjugasse eum bonam partem Hispaniæ, et* (apud Strabonem) *usque ad columnas Herculis pervenisse; quousque etiam Tearconem* (lego Tarraconem): *illum tamen exercitum ex Hispania in Thraciam Pontumque deduxisse.* In eo exercitu multos Judæorum deduxisse Nabuchodonosorem nemo negat.

Erat hæc apud Hispanos receptissima assertio, nihil tamen ita constans certumque, in quo novarum rerum cupidi ansam dubitandi non inveniant. Negavit inter recentiores hanc in Hispanias Nabuchodonosoris profectionem Alderete lib. III Antiquit. Hisp. cap. 4 *de linguis Hispaniæ.* Contra quem Pineda insurrexit lib. IV de Rebus Salom. cap. 14. Sed non defuit qui illum contra Pinedam defenderet, nam Mantuanus in suis Animadversionibus ad historiam Marianæ, (dum agit de cap. 7 lib. I ejusdem) pro viribus contendit figmentorum coagmentatorem fuisse Megasthenem, utpote qui de rebus Indicis incredibilia, ut notavit Plinius lib. VI cap. 17, scripserit, et ipsi Straboni non probetur. Strabo etenim inquit: *Sane quicumque de India scripserunt, pleraque mentiti sunt: præ reliquis Damaicus, proxime Megasthenes. Hi enim sunt, qui in auribus cubantes, ore, naribus carentes, unoculos, longipedes, digitis retro aversis præditos referunt,* etc. Insuper gravissimi auctores, qui de actis Nabuchodonosoris scripserunt (aiunt illi) hujus adventus in Hispaniam non meminerunt. Berosus Chaldæus apud Josephum lib. I contra Apionem, Clemens Alex. lib. I Strom. Tertullianus lib. adversus Judæos, et Eusebius Cæsariensis lib. IX de Præpar. Evang., motus assertionibus Alex. Polyhistoris et Alfæi. Accedit quod Act. II inter nationes omnes unde Judæi ad diem festum Hierosolymis convenerant, non ponitur Hispania, nec Philo de legatione ad Caium in Catalogo provinciarum, quas Judæi incolebant, ejusdem meminit. Denique non videtur cum divinis oraculis stare profectio Nabuchodonosoris in Hispaniam; nam Florianus, Mariana, et socii asserunt obsedisse Tyrum per 13 an. (Id quod docuit Josephus lib. X Antiq. cap. 13 ex Philostrato, et lib. I contr. Apion. ex historiis Phœnicum, ubi legitur, *sub rege Ithobalo Nabuchodonosor obsedit Tyrum annis* 13). Cum vero Tyri liberati fuissent ab obsidione auxilio Hispanorum, quorum plerique ab ipsis descenderant, inde evenisse, ut contra ipsos vindictæ cupidus expeditionem Nabuchodonosor parasset; quo tempore multos Judæos secum assumpsit, in Hispaniamque detulit. Hæc itaque constare non posse inde probatur, quia totum tempus vitæ ipsius exactissime in sacris litteris perpenditur, et assignari non potest annus in quo ad Hispaniam divertere posset. Namque anno 8 regni sui facta sibi feudataria Hierusalem, adduxit Joachim regem secum in Babylonem; ex IV Reg. XXIV illis verbis, *Suscepit eum rex Babylonis anno* 8 *regni sui: Transtulit quoque Joachim in Babylonem.* Rursus cum post 9 annos Sedecias, quem ipse regem constituerat, in eum rebellasset, obsedit iterum urbem, et post duos annos obsidionis cepit eam, nimirum anno undecimo regni Sedeciæ, seu captivitatis Hierusalem, qui fuit 19 regni Nabuchodonosor, ut expresse dicitur IV Reg. XXV junctis v. 1, 2 et 8. Cum igitur inter primam et secundam captivitatem Hierosolymorum solum intercesserint 9 anni, consequens est ut Nabuchodonosor hactenus Tyrum non obsederit, quippe cum in ejus obsidione 13 integros insumpsisse dicatur. Obsedit autem Tyrum, ut plurimum, anno sequenti, post devictam Hierosolymam, videlicet an. 20 regni sui: nam ipso anno captivitatis secundæ, et undecimo prioris comminatus est Dominus per Ezechielem Tyri interitum. *Et factum est undecimo anno* (scilicet captivitatis ipsius Prophetæ, qui cum Joachim captus fuit), *factus est sermo Domini ad me dicens: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis* (*Ezech.* XXVI), etc., quia scilicet subsannabat casum Hierosolymorum. Consumpsit autem in obsidione Tyri 13 annos, ita ut jure a Domino per Ezechielem cap. XXIX dictum sit: *Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum; omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est;* ubi Theodoretus: *Commoratio diutina talia facere consuevit, æstu sæpe cutem distrahente, partibus illis quæ nudæ membris corporis propositæ sunt.* Habemus jam 33 annos regni Nabuchodonosor, qui ex 20 et 13 coalescunt, statim perrexit in Ægyptum, eamque subjecit, sicuti Deus illi promiserat, ore Ezechielis, qui post illa verba, *Omnis humerus depilatus est,* subjungit: *Ecce ego dabo Nabuchodonozor in terra Ægypti, et accipiet multitudinem ejus.* Quinimmo Josephus lib. X Antiq. cap. II auctor est, quod prius *cum magnis copiis invasit Cœlesyriam; qua subacta, bellum gessit contra Ammonitas et Moabitas; et his quoque perdomitis Ægyptum hostiliter est ingressus. Occisoque qui tunc regnabat, et alio rege constituto, repertos ibi Judæos rursus captivos in Babylonem abduxit.* Quis neget unum annum ut minimum in tot regionibus debellandis et permeandis insumpsisse? Eritque 34 expletus regni ipsius. Exacto autem biennio, post Ægypti populationem (ait Josephus lib. IV cap. 12), Nabuchodonosor vidit somnium illud admirandum, quod Daniel refert cap. II: *In anno* 2 *regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor,* etc., ubi verbum illud *in anno* 2 *regni* interpretatur Hieronymus ex Hebræorum auctoritate, ut idem sit atque anno 2 regni ejus super omnes Barbaras nationes, Ægyptios, Moabitas, etc. Necessum autem est alterum addere annum, ut detur locus convocationi omnium satraparum, magistratuum, judicum, ducum, tyrannorum, præfectuum, et omnium principum regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ quam rex erexerat (ex Dan. c. III), et erunt 35 anni regni ejus. Visa autem altera visione, de eo quod inter bestias, regno et consortio hominum privatus, erat victurus, quæ post finem mensium 12 contigit (ut Dan. cap. IV loquitur) fiunt 36. His adde 7 tempora evoluta super eum, quando cum bestiis demoratus fenum quasi bos comedit, et tandem restitutus in regnum suum diem clausit extremum: quæ sunt alii 7 anni juxta interpretationem Tertulliani, lib. I de Pœnitentia, et Josephi lib. X de Antiq. c. 12, simul omnes conficient 43, quos annos regnasse Nabuchodonosorem refert idem Josephus c. 13 sequenti. Nullum igitur tempus illi superest quo in Hispaniam proficisci posset cum Judæis. Ut omittamus non facile credendum, regem Babyloniæ colonias Judæorum abduxisse, ut provinciam recens expugnatam excolerent: quo non quidem captivos rebelles, sed fidissimos subditos mitti oporteret. Hæc fere illi.

Cæterum tametsi suis auctoribus tela hæc fortissima videantur, facile tamen erit nobis universa confringere. Quod enim Megastheni non adhibeatur fides

BIVARII COMMENTARIUS.

in omnibus, non tollit quin admitti debeat in rebus, quas ipse vidit, et nihil habent incommodi, neque monstri. Unde Josephus, qui monstra ejus deridet, profectionem Nabuchodonosoris in Hispaniam non rejicit. Demus deinde ejus non meminisse Berosum, Tertullianum, aut Eusebium : at si non negant, minime obstare nobis poterunt. In die autem Pentecostes adfuisse Hierosolymis Hispanos inter omnes nationes quæ sub cœlo sunt, superius docuimus : et notari ab Evangelistis sub nomine advenarum Romanorum : id quod Josephus Judæus a Baronio relatus, anno Domini 72, num. 30, lucidissime testatur, dicens : *Romanorum clementia cunctis non parvulum donum appellationis suæ concessit; non solum viris singulis, sed etiam maximis gentibus in communi : Hispani denique antiqui, et Tyrrheni, et Sabini, Romani vocantur.* Et Augustinus, in Psal. XLVIII, ait : *Omnes Romani facti sunt, et omnes Romani dicuntur.* Denique illa annorum et actorum Nabuchodonosoris consuitio (ut ita dixerim) non est tam justa et æqualis, ut non patiatur mille scissuras, et rimas, per quas Judæi in Hispaniam transire possent. Inter captivitatem Joachim, et suorum, et captivitatem Sedeciæ, 9 anni intercesserunt; in quibus nulli alteri negotio Nabuchodonosor dicitur incubuisse. Cur tanto otio distentus nequiret ad Hispanias cum Judæis accedere; eos nimirum exulare faciens, qui cum Joachimo Rege captivi in Babylonem abducti fuerant? Si objicias nondum Tyrum obsedisse, in cujus tamen ab Hispanis auxiliati odium dicitur profectus, facile occurram, inde potius intentum nostrum haberi. Nam cum Josephus lib. I cont. Apion. dicat : *Septimo anno regni sui Nabuchodonosor cœpit obsidere Tyrum;* id vero de obsidione præcipua 13 annorum quæ contigit post Sedeciæ captivitatem, nequeat intelligi, deducitur bis Tyrum obsedisse, primum quidem 7 anno regni sui, rursus anno 20. In prima autem obsidione auxiliaribus Hispanorum copiis inde recedere coactus est, et tunc Hierosolymas concessit, anno videlicet 8 regni sui, ubi Joachimo rege devicto, omnis Hierosolyma captiva abducta est, IV Reg. XXIV. Quo loci videor mihi satis dilucide denotari; non omnes Judæos Hierosolymitanos in Babylonem abductos fuisse, sed dumtaxat septem aut octo mille, cum tamen universa hominum multitudo, quæ innumera erat, in captivitatem translata dicatur; nihilque relictum, exceptis tantum pauperibus terræ, tametsi quo translata fuerint tot millia Judæorum non assignetur : quo datur locus Hispanicæ profectioni. En verba auctoris sancti, dum agit de prima captivitate : *Venit Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem* (Hierusalem) *ut oppugnaret eam : et transtulit omnem Hierusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus, decem millia, in captivitatem, et omnem artificem et clusorem. Transtulit quoque Joachim in Babylonem, et omnes viros robustos septem millia, et artifices, et clusores mille; omnes viros fortes et bellatores : duxitque eos rex Babylonis captivos in Babylonem.* Cum primum dicat, omnes fortes exercitus, decem millia translatos in captivitatem, cur iterum enumerans captivos, non ait decem millia virorum fortium abducta, ut prius fecerat, sed *septem millia* dumtaxat, et artifices mille? Non video, quo pacto nodus iste solvi queat, nisi dicamus, prius quidem dictos fuisse translatos in captivitatem decem mille viros fortes, sed non assignari quo abducti sint : postea autem notari peculiariter eos, qui in Babylonem traducti fuerunt : si enim omnes captivi illuc ducerentur, non quidem 7,000, sed 10,000 virorum bellatorum dicerentur in Babylonem translata. Reliquum igitur est, ut ex illis 10,000 primum dictis, septem millia virorum fortium in Babylonem, reliqui autem, id est 3,000, alibi præterquam in Babylonem ejecti et translati sint. Quinimmo de universa populi multitudine quæ captiva ducta fuit (exceptis prædictis 7,000 bellatorum et artificum 1000), non dicitur quo locorum translata fuerit. Quare de ipsa multi in Hispaniam abduci potuere. Deinde interstitio illo 13 annorum quibus Tyrum postea obsedit, quis non videat potuisse ipsum, cum magna gentium suarum copia, obsidione nondum sublata, in Hispanias per Mediterraneum mare conscendere? quo non solum Hispanos compesceret, ne Tyriis iterum ferrent auxilium, sicut in priore obsidione fecerant, sed etiam de eis vindictam sumeret, atque in regiones eorum vastissimas multos Judæorum immitteret : præsertim ne tanta inimicorum caterva in suo regno degeret. Timere enim prudenter rebellionem posset, si ipse extra Babylonem cum omnibus suis copiis per 13 annos agens, tot Judæorum captivorum millia in regno et domo sua relinqueret. Ut omittam, potuisse etiam sequentibus annis mittere Nabuzardam principem militiæ suæ cum exercitu in Hispaniam, tametsi ipse Babylone remansisset, et quidquid ministri ejus debellarent, diceretur ipse perfecisse.

Quidquid autem de tempore translationis Judæorum in Hispaniam dicatur, constat omnimodis eos illuc aliquando translatos fuisse, id enim præter citatos auctores Julianus in Chronico docuit ad annum 36, inquiens : *Judæi qui de Hierusalem venerant Toletum, ædificaverant ibi celeberrimam totius Hispaniæ et mundi synagogam, nolentes redire Hierusalem, propterea quod audiverant, reparandum post templum iterum perdendum.* Et inferius, anno 66, de Jacobo apostolo, *Duodecim tribubus in Hispania constitutis* (*ut docet Sophronius*) *prædicavit.* Multo ante Julianum vixerat S. Athanasius primus episcopus Cæsaraugustæ, cujus fragmentum superius allatum a nobis est, qui agens de S. Petro Bracarensi inquit : *Hic venerat cum duodecim tribubus missis a Nabuchodonosor in Hispaniam Hierosolymis, duce Nabuzardam vel Pyrrho Hispanorum præfecto.*

Cæterum ubi divinum habemus testimonium, quid tentamus aliunde suffragia quærere? *Transmigratio Jerusalem quæ in Bosphoro est* (ait Abdias) *possidebit civitates Austri :* ubi loco illius verbi *Bosphoro*, in Hebræo habetur *Sepharad*, quod apud Hebræos omnes est Hispania, ut eo loci notarunt R. Salomon et Lyra : et omnium doctissime Arias Montanus. Quod autem Hieronymus vertit *Bosphoro*, non adversatur eisdem : dicere enim *Transmigratio, quæ in Bosphoro est*, idem est ac si dixerit, quæ ad fretum, seu ad Bosphorum usque est (nam fretum, et Bosphorum idem sunt), nimirum quæ usque ad Herculis columnas abducta fuit, *possidebit civitates Austri.* Certe cum Bosphorum quasi terminum magnæ distantiæ posuerit, Herculeum etiam antonomastice intelligi debet. Arias Montanus inde deducit, quod Hebræi litteris tantum consonantibus utantur : eisdem vero consonantibus coalescat *Sepharad*, et *Sperida*, videlicet S. P. R. D. Hispaniam autem a Græcis olim Speridam, vel cum aspiratione Hesperidam vocatam, nemo ignorat. Quod ergo apud Græcos *Sperida*, apud Hebræos *Sepharad* dici oportet, nimirum Hispania : consuetissimum siquidem fuit inter Græces, Hebræos, et Chaldæos, nomina propria solum differre vocalibus, eisdem retentis consonantibus; cujus rei exemplum esto, Mithridates, qui a Græcis quidem sic vocatur, ab Chaldæis Mathredat, ab Hebræis Mithridath; sic igitur apud Abdiam dicendum tempore prophetiæ suæ fuisse jam transmigrationem Jerusalem in Sepharad seu Sperida, hoc est Hispania. Accedunt non leves conjecturæ, nomenclaturarum plurium oppidorum, quæ a Judæis impositæ videntur in Hispania, ut memoriam patriæ suæ conservarent, videlicet Maggedo, Ascalon, Jobbe, Nobe, hodie *Maqueda*, *Escalona*, *Jeppes*, *Nobes*, in regno Toletano, quinimmo Toletum ipsum ab eis-

A. C. 37. Et præcipue Canonicam illis mittit Epistolam, quæ sic incipit : Jacobus Dei, et Domini A. R. 788.

BIVARII COMMENTARIUS.

dem nuncupatum creditur Hebraice, *Toledoth*, quod significat tribus, vel generationes, quod in ea urbe Judaicarum familiarum distinctio maxime sit observata. Ita Arias Montanus super Abdiam, et Mariana citato loco.

Si qua autem discordia inter auctores relinquitur, ea est quod quidam asserunt omnes Judæos in Hispaniam deductos ex sola tribu Judæ fuisse, quod acriter Arias Montanus contendit, cujus super Abdiam ea sunt verba : *Omnem hanc multitudinem ex Judæorum, qui Hierosolymam, Judæque tribum coluerant, familiis, non ex aliis tribubus fuisse constans omnium ejus gentis scriptorum opinio est.* Alii autem ex duodecim tribubus ortos contendunt, id quod S. Athanasius Cæsaraugustanus, et Julianus archidiaconus asserunt verbis supra relatis. Sed et hoc in concordiam redigi poterit, si dicamus, Judæos a Nabuzardam abductos ex Judæ tribu duntaxat fuisse, cum fuerint ex captivitate Hierosolymorum : postmodum autem multos aliarum tribuum illis accessisse, ex profugis a captivitate Assyriorum, sub quorum dominio decem tribus Israel captivæ ductæ fuerant. Credibile autem est in Hispaniam concessisse, cum nuntium accepissent de prosperitate aliorum ibidem commorantium, *qui duobus primum locis sedisse dicuntur* (ait Montanus), *alteri quidem nomen Lucina, frequentissimo in illis sæculis in illa provincia oppido, quod nos vel Lucenam, vel Sessam, olim Lucentiam credimus;* alteri vero Toletum, ac deinceps Ascalonem, Mageddon, et alia oppida inhabitarunt. Sed ne quid silentio prætermittamus, id quod Abdias prædixit, Judæos illius transmigrationis quæ in Bosphoro, seu in Hispania est, possessuros civitates Austri, in B. Jacobo et ejus discipulis impletum fuisse; ut Lyra ibidem interpretatur. *Hoc impletum fuit* (inquit) *per Jacobum Apostolum, et ejus discipulos, ibi fidem Christi primitus prædicantes, et colla gentium subjugantes.* Quod innuitur his quæ propheta subdit : *Et ascendent Salvatores in montem Sion, judicare montem Esau, et erit Domino regnum.* Ubi R. Salomon legit, *Et erit Domino regnum in Hispania.* Inferius ad annum 68 insignem Isaiæ prophetiam expendemus, qua prædictum ab illo fuit primam gentilium provinciam ab apostolis ad fidem convertendam esse Hispaniam, quo lectorem meum amando.

6. *Et præcipue Canonicam illis mittit*, etc. Hoc multis scandalum quo nihil majus ingessit, et forsan dubitare coegit de Chronici hujus auctore. Quis enim sibi persuadeat (inquiunt) doctum pariter ac gravem virum ignorasse quod lippis et tonsoribus manifestum erat; præsertim de Dextro id minime asseverare licet, cui cum D Hieronymo non vulgaris necessitudo fuit, qui epistolam Jacobi canonicam, non a Zebedæi filio, sed ab Alphæi editam asseruit in lib. de Scriptoribus Eccles. in Jacobo, et ante illum Eusebius l. II Hist. cap. 22. Quæ sane assertio communi Doctorum calculo hujus temporis comprobatur; nec videtur deinceps relinqui ansa dubitandi, cum sacrosanctum concilium Tridentinum id affirmaverit sessione 14, cap. 1 de Institutione sacramenti extremæ Unctionis, dicens, esse *apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem apostolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum;* scilicet illis verbis hujus Epistolæ cap. v : *Infirmatur quis in vobis?* etc. Quo loquendi modo usus fuit Epiphanius lib. contra Joannem episcopum Hierosolymitanum. Nemo autem nescit, Jacobum apostolum cognomento *fratrem Domini* esse filium Alphæi : quo nomine notat illum Paulus, dum ad Galatas I inquit : *Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Cognominis vero ea dicitur causa, quoniam cum *referunt* (ait D. Ignatius in epist. 2, ad Joannem apost.) *Christo Jesu simillimum facie, et vita, et modo conversationis, ac si ejusdem uteri frater esset gemellus; Quem, dicunt, video, si videro ipsum Jesum, secundum omnia corporis ejus lineamenta.* Non defuit qui ut Dextrum a labe tueretur, perpenderit, ipsum non dixisse, Jacobum nostrum scripisse illam canonicam epistolam, sed misisse Hispanis, quod (inquit) non tollit quin ab alio scripta sit.

Cæterum (ut sensum meum proferam) haud dubium quin ejusmodi auctores illic trepidaverint timore, ubi non erat timor. Quod ut planum fiat, duo ostendere conabor : alterum non esse hactenus ab Ecclesia definitum, Jacobum Alphæi fuisse epistolæ canonicæ auctorem, quo locus detur opinioni Dextri : alterum, ejus placitum non levibus fundamentis inniti, sed multis et magni ponderis. Primum horum certum mihi faciunt catalogi omnes Bibliorum Canonicorum tam Gelasii papæ lati in Concilio Romano, qui habetur distinct. 15, c. *Sancta Romana*, quam conciliorum Nicæni, Milevitani, Laodiceni, B Carthaginensis, Florentini, et etiam concilii ipsius Tridentini, qui habetur sess. 4, nullibi enim dicitur facta nisi ab Jacobo apostolo, nullo auctoris cognomine addito : et eadem phrasi utitur Tridentinum in canone 1, 2 et 4 de sacramento extremæ unctionis. Cum autem in cap. 1 superius citatæ 14 sessionis asserat, promulgatum fuisse *per Jacobum apostolum ac Domini fratrem*, certum esto, non definire epistolæ auctorem esse Jacobum Minorem. Illa enim verba *ac Domini fratrem*, non multum pertinent ad definitionem intentam, quæ erat circa veritatem illius sacramenti, quæ testimonio epistolæ Jacobi stabilitur, et de qua cum hæreticis erat controversia. Norunt autem theologi omnes non continere vim definitionis verba obiter a conciliis dicta, cum de his non præcesserit consiliatio et disputatio, et quod sine prævio sufficienti examine nihil definiri potest.

Duo vero cum hæreticis in Ecclesia hactenus disC putata sunt et definita, circa hanc epistolam, nimirum et esse canonicam, et editam fuisse a Jacobo apostolo : cujus tamen Jacobi sit, hactenus definitum non est. Et hæc dixerim pro his qui putant cognomen *fratris Domini* soli Jacobo Alphæi convenire, quod tamen stabile non est; quandoquidem Julianus Chronista auctor est etiam Jacobum Zebedæi olim eodem nomine nuncupari solitum : immo vero sub eo quoque celebratum in Hispania festum Translationis ipsius 30 die Decembris. En verba hujus auctoris, dum de ea agit, ad annum 66 : *Ejus festivitas est sub nomine Jacobi fratris Domini, quod nomen etiam convenit Jacobo Majori.* Nec mirum, cum in Evangelio non solum Jacobus Alphæi, sed etiam ejus fratres Simon, et Thadæus, et præter hos Jacobus et Joannes filii Zebedæi, nuncupentur fratres Domini; et ita vulgo nuncupatos docent Matthæus XII, Marcus III, Luc. VIII, illis verbis : *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce Mater ejus, et fratres stabant foris.* Super quem locum agens Hieronymus contra Helvi- D dium : *Restat* (inquit) *ut fratres eos intelligas appellatos, cognatione.* Et super Matthæum ait : *Quidam vero fratres Domini, de alia uxore Joseph filios suspicantur, deliramenta sequentes apocryphorum, et quamdam Escham mulierculam confingentes* (ejus uxorem). *Nos autem fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris intelligimus.* Similiter Beda : *Fratres Domini* (ait) *non filii semper virginis Mariæ, juxta Helvidium; nec filii Joseph ex alia uxore juxta quosdam putandi sunt, sed ejus potius intelligendi sunt esse cognati :* cujus consanguinitatis prærogativæ innixa mater filiorum Zebedæi ausa fuit duobus filiis suis Jacobo et Joanni duas regni cœlorum sedes præcipuas exigere a Domino, quod refert Matth. XX cap. Neque obstat Paulus nobis in Epistola ad Galatas : ibi enim

non ait Jacobum Minorem cognominari peculiariter inter omnes apostolos fratrem Domini, sed esse: quod tamen verissimum est. Ignatius autem solum ait, se magnopere desiderare conspectum Jacobi Minoris, quia erat facie Christo simillimus. Quod vero similitudo hæc in causa ejus cognominis esset, prorsus non meminit: *similiter* (inquit, desidero videre) *illum venerabilem Jacobum, qui cognominatur Justus, quem referunt Christo Jesu simillimum facie*, etc.

Videamus nunc momenta adversæ opinionis quam Dexter hoc loco sequitur, quæ sane magni mihi ponderis videntur. Docuit eam Helecа episcopus Cæsaraugustanus (qui circa annum Domini 800 doctrina et virtute claruit) in additionibus suis ad M. Maximum, ubi loquens de suo ævo, quo scilicet miserabili servitute Maurorum Hispania premebatur, hæc ait: *Sacræ Scripturæ Arabice translatæ a presbyteris catholicis habentur, et cum scholiis circumferuntur: præcipue novum Testamentum, Evangelium; Epistolæ Pauli: Epistola Jacobi Zebedæi, missa ad Hispanos ex dispersione Judæos jam conversos: Epistolæ Petri, Pauli, et Judæ, quæ scilicet missa fuit ad omnes ex Judaismo, præcipue tamen ad Hispanos ex duodecim tribubus collectos; Apocalypsis sancti Joannis, et liber de Vitis Patrum*, etc. Et idem credidit Alphonsus rex Hispaniæ, cognomento *Sapiens*, ac scriptum reliquit in libro Thesauri, ut refert Mariana in tract. de B. Jacobo. Et quod magni ponderis est, expresse id Syri profitentur in editione Syriaca novi Testamenti apud Tremellium, et Wastadium, ubi legimus: *Sigillamus tres Epistolas, Jacobi, Petri, Joannis. Isti sunt qui testes fuerunt super revelationem Domini nostri, quando immutavit seipsum coram oculis ipsorum in monte Thabor.* Nemo autem neseit Jacobum illum testem Dominicæ Transfigurationis non Alphæi, sed Zebedæi filium fuisse, ut docent Matthæus cap. XVII, Marcus et Lucas, cap. IX. Fatetur idipsum expresse Julianus in Chronico ad annum 66 his verbis: *Duodecim tribubus in Hispania constitutis, ut docet Sophronius, prædicavit, et epistolam Canonicam scripsit, ut docent Isidorus, et ante eum alii celebres scriptores Hispani, quorum fuit eo sæculo communis opinio, ut Missa S. Jacobi ab Isidoro expurgata, a Melantio addita, aucta vero a S. Serrano Asturie manifestissime testantur, et alii.* Sane si hæc ita se habent, nemini dubium quin magnam auctoritatem præ se ferat Dextri placitum.

Vide jam singula. S. Isidorus in libro de Ortu et obitu Patrum, cap. 74, hæc habet: *Jacobus filius Zebedæi, frater Joannis, quartus in ordine* (cui scilicet præcedunt in catalogo apostolorum Petrus, Paulus, et Andreas) *duodecim tribubus quæ sunt in dispersione gentium scripsit, atque Hispaniæ Occidentalium locorum gentibus Evangelium prædicavit, et in Occasu mundi lucem prædicationis infudit.* Huic testimonio quia manifestissimum est, bifariam occurri consuevit. Baronius negat auctorem libri fuisse Isidorum Hispalensem; sed perperam, cum in omnibus antiquis mss. operum hujus S. Doctoris, qui exstant, reperiatur, eadem præditus antiquitate: et ipsum ut legitimum ejus partum agnoscant S. Ildefonsus ejus discipulus in additionibus suis ad librum Script. Ecclesiasticorum Hieronymi, ubi ait: *Isidorus post Leandrum fratrem, scripsit opera et exinia, et non pauca, id est, librum de Ortu et Obitu Patrum*, etc., et S. Braulio Cæsaraug., discipulus etiam Isidori in abbreviatione Vitæ ipsius, ejus opera enumerans inquit: *De Ortu et Obitu Patrum librum* I, *in quo eorum gesta, dignitatem quoque et mortem eorum atque sepulturam sententiali brevitate subnotavit.* Consentiunt Vincentius Belvacensis, S. Antoninus Sigibertus, Petrus Equilinus, Trithemius, Zurita, Morales, Lipomanus, Surius, et quotquot hactenus de S. Isidori operibus sunt locuti. Quo argumento Baronius in notis ad IV April. diem probat, S. Isidorum non fuisse auctorem Collectionis Decretorum quæ illi tribuitur, quia SS. Ildefonsus et Braulio, ejus discipuli, non meminerunt ejus operis. Sane ut mihi videtur, id Cardinalis ipse concederet, nisi tam dilucide adventum S. Jacobi in Hispanias Auctor profiteretur. Quare alii, librum admittentes, timore perculsi, excludendum dicunt ab Isidori verbis, verbum illud *scripsit*, ut solum dixerit: *Duodecim Tribubus quæ sunt in dispersione Gentium, atque Hispaniæ Occidentalium locorum Gentibus Evangelium prædicavit.* Sed et hoc (audacter loquor) temere fit: nam si in quavis difficili Patrum sententia, liceret demere verbum, nihil haberemus certum, constansque in omnibus sanctorum Doctorum scriptis: et hæreticis concederetur rationabilis causa calumniæ. Qua autem licentia id fiat nunc in Isidoro ipsi viderint. Esset quidem sufficiens, si aliqui antiqui codices eo verbo caruissent, quod tamen non reperitur; immo vero Petrus de Fontidueña Salmantinus Canonicus contulit, jussu Philippi II, Regis Catholici, 18 vetustissimos codices, et si in aliquo eorum defuisset, haud dubium notasset illud: quod tamen minime fecit. Et ipse Joannes Grial qui cudit, ac Loaysa qui etiam correxit, cum excludendum judicant verbum *scripsit*, nullam lectionem afferunt sine eo, sed solum aiunt, *Assentimur eis qui verbum* scripsit *alienum censent.* Ego tamen eis non assentior, sed vetustissimis codicibus. Ut autem certiores fiant qui pie hactenus auferendum verbum censuerunt, legant cap. 77, ubi de alio Jacobo ait: Si enim censeret Doctor sanctus Jacobum Alphæi esse epistolæ auctorem, non autem Jacobum Zebedæi, proculdubio eo capite epistolam Jacobo Alphæi ascriberent, ut fecit Hieronymus lib. de Script. Eccles., nunc autem nihil minus fecit, cum tamen, si aliter sentiret, non præteriret rem notatu dignissimam. Vide ejus verba: *Jacobus Alphæi cognomento Justus, episcopus Hierosolymorum, sororis Matris Domini filius, unde et frater Domini vocatus* (obiter nota, non dicere *cognomento frater Domini*, licet ob consanguinitatem dictus sit frater ejus, sed *cognomento Justus*) *homo lucis, et operarius veritatis, tantæque etiam sanctitatis, ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent attingere populi.* Prosequitur Martyrium ipsius, quod a pinna templi fuerit præcipitatus, et quod, Josepho teste, multi crediderint ob ejus necem Hierosolymam captam a Tito. De epistola vero nec unum verbum. Proinde dubium non est quin Isidorus Dextro succinuit.

Mirum autem hoc esse non debet, cum in Missali S. Isidori in ipso Canone Missæ Jacobus Zebedæi dicatur expresse Epistolæ Canonicæ auctor: idque non semel. In eo siquidem dicitur a Sacerdote hæc Oratio: *Vocantem nos ad se Jesum, fratres dilectissimi, agnoscentes, qui Beatissimum Jacobum Apostolum suum retia componentem in navi ad se vocans, ejus nos postmodum spiritualibus doctrinis admonet, atque docet, ut postulantes in fide nihil hæsitemus: omni mentis devotione cum lacrymis eumdem Dominum flagitemus, ut postulatio nostra apud Deum, ea nobis obtineat adimplere, quæ ipso Apostolo dicente cognovimus.* Et inferius: *Oremus. Apostolo tuo Jacobo edocente præmonemur, ut si quis nostrum indiget sapientia, postulet a te, qui das omnibus affluenter, et non improperas*, etc. Et infra: *Christus Deus, Dei Patris filius, quem Jacobus, relicto patre in navi, tota secutus est intentione cordis, indesinenter vos faciat suis inhærere vestigiis. Amen. Quique per hunc Apostolum suum cultores Dæmonum convertit ad fidem, concedat vobis vana hujus sæculi respuendo, se in veritate diligere. Amen.* Et in alia Oratione sancti Jacobi Zebedæi, inquit: *Vivant in nobis, Domine Jesu, apostoli tui Jacobi prædicamenta doctrinæ* (scilicet quæ nobis prædicavit, et dedit) *quibus docemur, beatum illum esse qui onus tentationis valuit æquanimiter supportare.* Ea omnis Ecclesia Hispana

A. C. 37. nostri servus, duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione salutem, quæ fuit prima A. R. 788.
Scriptura novi Testamenti, Apostolo tanto digna.

BIVARII COMMENTARIUS.

quæ eodem olim usa est Missali, ac Breviario, et hodieque in Toletana, Hispalensi, et Salmantina conservat, non in angulo, sed in templo, atque in ipso venerandæ Missæ sacrificio indubitanter profitetur, Jacobum patronum suum Zebedæi filium docuisse nos, *ut si quis indiget sapientia*, etc., et quod *postulantes in fide nihil hæsitemus;* et quod *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, etc. quæ sunt verba expressa cap. 1 Epistolæ Canonicæ. Ipsum vero fuisse quem componentem retia in navi vocavit Christus ad se, Marcus docuit cap. I, et Matth. IV.

Ad hæc faciet maxime S. Clemens papa, qui dum secundam epistolam scribit ad Jacobum fratrem Domini et Hierosolymorum episcopum, in confirmationem doctrinæ suæ affert verba illa capitis IV hujus epistolæ: *Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem, detrahit legi, et judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex: unus est legislator et judex, qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es qui judicas proximum?* Tam longam epistolæ periodum in medium adducit, cum ad illum scribit. Quod si ejus Apostoli esset, haud dubium quin præmitteret, recte ipsum dixisse, *Humiliamini*, etc. Nunc autem nihil tale asserit, quinimo affert sententiam illam, quasi scripturam sacram alterius longe auctoris.

Quædam etiam sunt in ipsa Epistola quæ Jacobo Minori convenire nequeunt, sed Majori: præsertim exordium illud, *Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim Tribubus quæ sunt in dispersione salutem* (ut omittam Apostolum ibi interdicere bella c. IV: *Unde bella et lites in vobis?* quæ satis redolent belligerum spiritum Hispanorum). Ex quo infertur illum Jacobum auctorem fuisse, qui duodecim Tribubus in dispersione constitutis prædicavit: ad illos enim Apostoli litteras dabant, qui suæ prædicationis Provinciæ incolæ erant; quo quæ verbo eos docuerant, scripto tenerent. De his vero quæ suæ provinciæ non erant, nemo Apostolorum ita curabat, ne falcem in alterius messem mittere videretur: satis arbitratus fecisse, si de sibi specialiter commissis ovibus rationem redderet. Cæterum qui duodecim Tribubus in dispersione constitutis prædicavit, Jacobus Major fuit, non autem Minor, ut ex Sophronio, Dorotheo, et Isidoro palam fiet. Sophronius quidem de Script. Eccl. ait: *Jacobus Zebedæi filius duodecim Tribubus quæ erant in dispersione, omnibus prædicavit Evangelium.* Dorotheus in Synopsi tit. de duodecim Apostolis, cap. 3: *Jacobus filius Zebedæi piscator 12 Tribubus in dispersione constitutis prædicavit.* Isidorus lib. de Ortu et Obitu Patrum cap... scribit eadem verba quæ supra retulimus. Et idem ait Julianus in Chronico anni 66. At vero de Jacobo Alphæi nemo est qui vel leviter id dicat, immo neque alibi quam Hierosolymis prædicasse, ubi non agebat cum dispersis, sed cum civibus: quod sibi voluit D. Julianus Archiep. Tolet. super cap. I. Nahum, ad illa verba, *Et nebulæ pulvis pedum ejus*, dum de cæteris Apostolis hac phrasi usus fuit: *Petrus detulit eum Romam, Joannes Asiam, Andreas Achaiam, Jacobus Hispaniam*, etc. De Jacobo autem Alphæi non ait, *detulit* Dominum huc vel illuc, sed *Jacobus* (ait) *Alphæi eum retinuit Hierosolymis.* Nimirum quia sors ejus propria, civitas illa fuit; eaque sola, Jacobo autem Zebedæi Hispania in sortem obtigit, ubi duodecim Tribuum dispersio degebat, ut jam ostendimus. Et quid moror, ipse Hieronymus fatetur, non ita certum esse quod Epistola sit opus Minoris, quinimmo quod *ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur.* Mirum autem esse non debet D. Hieronymum qui Hispanias non attigit, auctorem Germanum epistolæ non cognovisse; cum ibi testimonium ejus exstaret, præsertim in Missa S. Jacobi Zebedæi. Postquam hæc scripseram, copiam mihi fecit sui Apologetici tractatus de Adventu S. Jacobi illustris admodum ac doctissimus vir D. Joannes de Salazar Archidiaconus Ubedæ in sancta Fiennensi Ecclesia, gavisusque magnopere sum, cum legi quod cap. 6 pro viribus contendit ac erudite defendit, Epistolam fuisse S. Jacobi Zebedæi: ad illum meos Lectores mitto, policeorque in uno codice reperturos quidquid de adventu S. Jacobi in Hispanias desiderare possent. Reperi quoque P. Gasparem Sancium idipsum probabiliter sensisse Tract. 3 de Præd. S. Jacobi c. 12.

7. *Quæ fuit prima script.* etc. Cum D. Jacobus prius ad cœlos per Martyrium migraverit, quam alii Apostoli seu Evangelistæ scripserint, uno dempto Matthæo, cum eo dumtaxat potest esse controversia de antecedentia temporis in scribendo. Sed tamen postmodum suo loco videbimus, Matthæum anno 41, Jacobum vero anno 40, scripsisse. Comparatione quoque facta hujus epistolæ cum cæteris scripturis novi Testamenti, hæc videtur prima ordine temporis; nam hoc solum videtur in causa fuisse cur inter cæteras Canonicas primum locum hactenus in Ecclesia obtinuerit; id quod non solum in Bibliis recens cusis reperitur, sed etiam in antiquis mss., immo in Catalogo librorum edito in Concilio Laodicensi anno Domini 364, ubi sic legimus: *Canonicæ Epistolæ 7 Jacobi una, Petri 2, Joannis 3, Judæ una.* Nequit autem intelligi, quare præponatur Epistolis Petri, nisi quia prius tempore scripta fuerit. Præcedunt vero quatuor Evangelia, Acta apostolorum, et 14 Pauli Epistolæ, quia sunt potiores novi Testamenti partes: non quia ea omnia prius scripta sint, quam 7 canonicæ epistolæ. Accedit quod in hac epistola promulgatum est sacramentum extremæ unctionis (cap. 5), non videtur autem ab aliis sacris scriptoribus omitti potuisse, nisi jam scriptum exstaret.

Denique quando hæc epistola scripta fuit, nulla adhuc hæresis emerserat, quia nullam ejus temporis impugnat: in aliis autem epistolis et evangeliis id non videmus: quare solum continet moralem institutionem; et ad virtutes omnes commonitionem, præsertim ad patientiam, ad orationem, ad misericordiam, ad fidem operibus conjunctam, ad totius divinæ legis observationem, ad moderationem linguæ; disputat contra personarum acceptionem, contra iram, luxuriam, concupiscentias universas, contra divites superbos, contra detractores: commendat denique extremam unctionem, confessionem peccatorum, et de suffragiorum communione edisserit. Quod enim cardinalis Baronius anno Christi 63 num. II objicit, S. Jacobum multum esse in hac epistola, ut conterat hæresim Magi jam ortam, qui solam fidem et spem sine operibus aiebat ad salutem sufficere, atque adeo epistolam esse Alphæi filii, non vero Zebedæi, solidum non est. Tum quia Simon errores suos uno ut minimum anno ante discessum S. Jacobi Zebedæi a Palæstina prædicaverat, videlicet anno Christi 35 paulo post necem S. Stephani, Jacobus vero anno 36 accessit ad Hispanias, et (uti diximus) usque ad annum 40 non scripsit epistolam: Ut videas satis potuisse contra illum errorem scribere. Tum etiam quia non ex eo quod Jacobus moneret necessitatem bonorum operum cum fide, sequitur necessario impugnasse ibi aliquam hæresim, quasi nihil docere posset, nisi contra hæreses jam exortas. Certe apostoli cæteri cum hæreses oppu-

A. C. 37. Multos etiam discipulos, præcipuos autem numero duodecim, more apostolico in Hispa- A. R. 788.
niam secum portat. Scilicet episcopos Basilium, Pium, Athanasium : Maximum, Chrysogonum, presbyteros : Theodorum, Cæcilium, Thesiphontem, Iscium, Calocerum, lectores : Torquatum, exorcistam; et Secundum, Indalecium, Euphrasium ostiarios.

Ex his Basilius successit Petro Bracarensi : Athanasius fuit primus episcopus Cæsaraugustanus : Pius Hispalensis.

Alios etiam S. Jacobus creavit episcopos, alterum Basilium, qui primus fuit Carthaginis Spartariæ præsul : Eugenius Valentiæ; Agathodorus Tarraconensis; Elpidius

BIVARII COMMENTARIUS.

gnant suis scriptis, auctores quoque illarum notare consueverunt, ut est illud Pauli II Timoth. II : *Ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt dicentes, Resurrectionem esse jam factam.* Et illud Petri ep. II cap. II : *Audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes.* Et illud Joannis ep. I cap. II : *Nunc Antichristi multi facti sunt; ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Et denique illud Judæ, *subintroierunt enim quidam homines impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam*, etc. Solusne ergo Jacobus hæreticis parceret, contentus simpliciter veritatem suis erroribus oppositam docere? Absit, immo vero cum eos non notet, minime contra hæreticos disputasse docemur. Adde Simonem non docuisse fidem ac spem in Deum ad salutem sufficere, sed spem et fidem, quam in se et ejus pellicem Helenem homines haberent; arrogans sibi Christi dignitatem. Quamvis autem ex hoc illud quoque sequeretur, adhuc nescimus quid de Deo diceret : quia hæretici non semper sibi constant.

8. *Multos discipulos.* Circa numerum discipulorum S. Jacobi varie sentiunt auctores. Quidam enim audent dicere, nullum fere fructum fecisse in Hispania, et ibi ad summum duos tresve discipulos convertisse, Athanasium scilicet et Theodorum, et si quem alium. Alii ad septem extendunt, illos scilicet qui postmodum a Petro in Episcopos electi in Hispanias prædicationis gratia missi sunt, Torquatum videlicet et socios ipsius. Sunt qui novem fateantur (quod sequitur Episcopus Equilinus lib. VI, cap. 133) duos priores et septem nunc dictos numerando : demum quidam duodecim enumerant addendo prædictis alios tres, quos Hierosolymis converterat ad fidem, Hermogenem, et Philetum magicis prius artibus addictos, et Josiam qui recens baptizatus simul cum ipso Apostolo capite plexus est, atque hujus placiti auctor dicitur Calixtus II, Papa in lib. de Miraculis S. Jacobi. Cæterum verba ejus hæc sunt : *Sed sciendum quod B. Jacobus plures; sed duodecim habuit discipulos speciales*, etc. ubi cum Dextro potius concordare videtur, qui ait : *Multos discipulos (præcipuos autem numero duodecim) in Hispaniam secum portat.* Quorum tamen verborum non est sensus, eos omnes in Hispaniam deduxisse, quos nimirum ante accessum ad ipsam convertisset, hoc enim verum non est : sed eos in Hispaniam, hoc est, intra Hispaniam ab una ejus provincia ad aliam transiens deduxisse.

Assignat autem Dexter discipulos Apostoli quos in Hispania habuit : nam de Phileto, Hermogene et Josia, quos Hierosolymis post discessum ab Hispania convertit, hic non meminit, et cum solus Dexter tot enumeret, nemo tam diligens hac in re judicari debet; et tamen nullus illorum est de cujus Apostolico sub Jacobi discipulatu, non habeamus grave testimonium. Sed invisamus singulos.

1° *S. Petrus.* Bracarensis episcopus primus, de quo satis in superioribus actum est; sublatus est martyrio anno 45, die 26 Aprilis, quo agit de eo martyrologium Rom. Usuar. et alii auctores.

2° *S. Basilius* secundus Bracarensis episcopus. Ejus discipulatum notatum reliquit S. Anastasius A Cæsaraugustanus, agens de S. Petro Bracarensi, de quo inquit : *In sede Portuensi S. Basilium condiscipulum posuit, qui illi per martyrium sublato succedit in sede Bracarensi :* subiit pro Christo martyrium anno Domini 95, die 25 Maii : qua die ponitur in martyrologio Romano cum S. Epitatio Ambrasiæ episcopo (de quo inferius agemus) his verbis : *In Hispania Sanctorum Martyrum Epitatii Episcopi et Basilii.* Subaudi, *similiter Episcopi.* Sic enim asserendum esse docent Equilinus lib. II, cap. ultimo, numero 148, ubi ait, *Epitatius et Basilius episcopi in Hispania clarent, 10. Kal. Junii.* Et antiquum ms. martyrologium Ecclesiæ Placentinæ in Hispania quæ gloriatur magisterio S. Epitatii sic habet : *Hispaniæ Sanctorum episcoporum Epitatii et Basilii, illius nostri Tudensisque episcopi, Petri Bracarensis episcopi discipuli.* Agunt de S. Basilio D. Jacobi discipulo Prudentius de Sandoval episcopus Pampilonensis in Historia Tudensi, et Marieta de Sanctis Hispaniæ I p. lib. II, c. 32.

B 3° S. Pius, Episcopus I, Hispalensis et Martyr. Quod discipulus fuerit S. Jacobi Apostoli docuit ante 500 annos gravis et doctus Hispaniæ Historiographus, Pelagius Ovetensis Episcopus, qui floruit anno Domini 1900, tempore Adelphonsi VI, Regis Hispaniæ, cujus liber exstat in Bibliotheca regia S. Laurentii in Excuriali, et in bibliotheca Ecclesiæ Ovetensis, ubi eum legit Ambrosius de Morales. Cudit autem ipsum cum Pampyro Asturicensi, et Sebastiano Salmaticensi episcopis et perantiquis scriptoribus prædictus Sandoval episcopus Pampilionensis. Idipsum testatur Mariana, lib. IV Hist. Hisp. cap. 2, ubi hæc habet : *Prorsus qui historiam ante* 500 *ferme annos scripsit Pelagius Ovetensis episcopus, Jacobi discipulos facit : Calocerum, Basilium, Pium, Chrysogonum, Theodorum, Athanasium, et Maximum.* Passus fuit martyrium anno Domini 60, die 4 Martii. Ejusdem meminit Calcdonius Bracarensis apud Hugonem Portugallensem.

C 4° *S. Athanasius*, primus Cæsaraugustæ episcopus post S. Jacobum apostolum. Notissimus omnium discipulorum apostoli hic est, quem cognoscunt Leo III et Calixtus II Belvacensis, et alii dum de S. Jacobo agunt; Breviarium Cordubense, et Eborense, et fere omnia antiqua Hispaniæ Breviaria : Pelagius Ovetensis, Vasæus, Mariana, Marieta, et cæteri Hispani scriptores : et ipse id de se fatetur in fragmento quod superius adduximus de S. Petro Bracarensi inquiens : *Jacobus Zebedæi filius magister meus*, etc. M. Maximus in ejus honorem epigramma scripsit. Incipit vero :

Primus Athanasius nostra fit præsul in urbe,
Angelicæque domus pastor honorificus.

Inferius vero hæc habet :

Macte animi pietate senex, præsulque, paterque,
Discipulus Jacobi es, Pontificumque decus.

D Plura de eo suis locis annis 42 et 50. Egimusque superius ad annum 35, Comm. 2, ubi testimonio Juliani ostendimus, hunc cum aliis missum fuisse Hierosolymas ab Hispanis Judæis super morte Christi Domini. Vide Caledonium et Hugonem supra relatos.

A. C. 57. Toletanus : Etherius Barcinonensis : Capito Lucensis, Ephrem Asturicensis, Nestor Paleatinus : Arcadius Juliobrigensis. Omnes hi ex profugis sunt, et in his omnibus Urbibus, et in aliis Hispaniæ, mira celeritate, S. Jacobus prædicavit. A. R. 788.

Postea Calocerus profectus in Italiam adhæsit Apollinari Ravennatum episcopo, et ab illo factus presbyter successit Marciano; et factus est episcopus centenario major, vigens tamen.

Septem alii a B. Petro creati episcopi ad Hispanias remittuntur.

Judæi Hispani, maxime Carpetani (qui litteras Hierosolymorum Pontificum petentium

BIVARII COMMENTARIUS.

5° S. *Theodorus* episcopus successit Athanasio in episcopatu Cæsaraugustano. Ejus discipulatum fatentur omnes illi qui de S. Athanasio agunt, quos nunc citavimus, Calixtus, Leo et cæteri, et similiter Pelagius episcopus Ovetensis, et M. Maximus in hymno quem de tribus prioribus Cæsaraugustæ episcopis edidit. Dabimus illum inferius, ad annum 71. De Theodoro agemus iterum anno 50 et 71, quo martyrio coronatus est.

6° S. *Maximus*, presbyter, quem etiam Pelagius Ovetensis inter discipulos S. Jacobi cognoscit. Passus fuit Uticæ in Bætica cum sociis Casto et Magno, anno 66, die 4 Sept. Agit iterum de eo Dexter anno prædicto 66.

7° S. *Grisogonus*, vel Chrysogonus, presbyter et discipulus ejusdem apostoli, ut fatetur idem Pelagius Ovetensis.

8° S. *Calocerus* socius fuit S. Apollinaris primi Ravennatum episcopi, quo ad Æmiliam provinciam evangelizandam profecto, *interim Calocerus presbyter Ravennatem Ecclesiam gubernavit* : quod in ejus Vita legimus apud Equil. lib. 6, cap 128. Fuerat prius S. Jacobi discipulus, ut apud eumdem Pelagium videre est. Quod factus postmodum fuerit Ravennatum antistes ex Romano martyrologio habemus, 11 die Febru. quo ad cœlos migravit. De sancto Apollinari episcopo sub Vespasiano Cæsare passo agitur dies festus in eodem Martyrologio die 23 Julii, et de sancto Marciano martyre ejus discipulo et quarto Ravennate episcopo 22 die Maii, quem Hieronymus Rubeus in historia Raven., lib. 1 secundæ editionis, scribit subiisse martyrium temporibus Hadriani imper. Cum autem Hadrianus imperium ceperit anno 118, Calocerus autem Marciano in episcopatu successerit, consequens est ut major tunc centenario fuerit, utpote S. Jacobi in Hispania discipulus ab anno 38 vel 40. Nec mirum, cum eo ipso tempore S. Simeon Hierosolymorum episcopus senex centum viginti annorum crucis supplicium fortiter pertulerit. Iterum incidet sermo de S. Calocero ad annos 44 et 130, quo scilicet consummatus est.

9° *Cæcilius*; 10° *Thesiphons*; 11° *Iscius*; 12° *Torquatus*; 13° *Secundus*; 14° *Indalecius*; 15° *Euphrasius*. Hi septem sunt famosiores illi S. Jacobi discipuli, qui a Calixto et Leone summis Pontificibus agnoscuntur; et a Primo quoque Cabilonensi episcopo (in mappa mundi Spirituali, verbis Attacum, Abila, Almaria, Eliberis, Eliturgis et aliis) et a Breviario Romano cum ait: *Ex quorum numero septem postea episcopi a B. Petro ordinati in Hispaniam primum directi sunt.* Id quod universæ Hispaniarum Ecclesiæ traditione a majoribus acceptum perpetuo servarunt et tradiderunt. Eorum item sub tanto apostolo disciplina plumbeæ laminæ prædicant, quæ cum SS. Martyrum sacris cineribus in monte sancto Granatensi inventæ sunt, de quibus iterum (et late) agendum nobis inferius erit; ubi post mortem sui magistri ordinatos fuisse episcopos a S. Petro videbimus.

Restant novem alii SS. episcopi, nimirum : 16° *Basilius Carthaginis Spartariæ*; 17° *Eugenius* Valentiæ; 18° *Agathodorus* Tarraconæ; 19° *Elpidius* Toleti; 20° Ætherius *Barcinonæ*; 21 *Capito* Tuci Augusti; 22° *Ephræm* Asturicæ, 23° *Nestor* Palentiæ; et 24° *Arcadius* Juliobrigæ. Horum socius et comes individuus fuit S. Pius episcopus Hispalensis, cujus tertio loco fecimus mentionem; et hi decem Martyrium passi sunt sub Neronis principatu, anno Christi 60, apud Penniscolam regni Valentini urbem, ut eo anno dicemus cum Dextro. Quod autem hi omnes discipuli S. Jacobi fuerint, deducitur aperte ex testimonio Pelagii Ovetensis, qui inter Apostoli discipulos refert Basilium et Pium : Caledonius Bracarensis refert Pium et Elpidium, cum aliis. Item Ecclesia Asturicensis, traditione per majorum manus accepta, habet S. Ephræm B. Jacobi discipulum fuisse suum primum Antistitem. Constat autem ex Menologio Græcorum, Martyrologio Romano, Usuardo, Molano, Galesinio, et aliis, hos omnes episcopos numero decem fuisse invicem socios, et simul in eodem loco corona martyrii donatos, die 4 Martii. Quare proculdubio eadem de omnibus illis ratio militat. Cæterum prædicta Martyrologia non assignant illorum episcopales sedes, ut hoc debeamus Dextro, cujus placitum cum in tot nominibus, et eorum ordine, loco, et genere mortis cum cæteris conveniat, non relinquit ullum calumniatoribus dubitandi locum.

Manuducit etiam ad hanc persuasionem ratio satis efficax. Enimvero mos fuit a SS. apostolis summopere observatus, cum ad aliquam provinciam prædicationis gratia accedebant, seu discipulos ad eam docendam mittebant, ad eas urbes quam primum fieri posset, accedere, quæ capita regnorum erant; sic enim citius, faciliusque vox Evangelii in omnium aures pervenire valebat : nam redacto ad fidem principe, cæteri facile nomina sua darent. Sic Petrus Romam et Antiochiam, sic Matthæus Nataaber civitatem regiam, in qua Ægyptius regnabat. Sic andreas Patras Achaiæ primariam, sic Bartholomeus, et Thomas reges suæ provinciæ ad fidem, et cum eis ingentem populum adduxerunt : ut de Paulo et Joanne sileam, quos præcipuas orbis urbes peragrasse scimus. Idem de discipulis apostolorum sentiendum facile quisque advertet. Sic Dionysius Parisios petiit : Paulus Sergius Narbonam, Lazarus Massiliam, Julianus Cenomanos, etc. Nemo autem nescit, urbes regnorum Hispaniæ primarias fuisse Toletum, Tarraconem, Valentiam, Hispalim, Barcinonem, Lucum, Asturicam. Fateri igitur oportet, in his primum Evangelium prædicatum, et episcopos constitutos. At discipuli illi septem quos Petrus in Hispaniam misit episcopos factos, Torquatus scilicet, et socii ejus, ad nullam harum urbium directi sunt, nec ad partes Hispaniæ interiores, sed ad littoralem Bæticam duntaxat, nimirum ad Accim, Urcim, Iliturgim, Carteiam, Iliberim, Vergium; uno excepto Secundo, qui Abulæ in urbe mediterranea prædicavit. Cur igitur nemo illorum, Toletum, Hispalim, Barcinonemve episcopus ascendit? Nihil melius occurrit, quam quod urbes illæ præcipuæ jam erant pastoribus prædictis ornatæ. Vide quæ de his ad annum 60 sumus dicturi.

9. *Judæi Hispani*, etc. Superius de hac re satis actum ad annum 35, comment. 2, ubi adduximus testimonium Juliani constanter asseverantis, se legisse has epistolas Hebraico idiomate, quæ scriptæ sunt, et Latino ac Arabico, in quæ traductæ fuerant, a Christianis tempore Romanorum, et postmodum Maurorum qui Hispaniam sibi subjecerunt. Ipse autem Julianus tempore Alphonsi regis VI, qui Toletum a tyrannide Arabum eripuit, easdem epistolas in Hispanum sermonem, jubente eodem rege, transtulit,

A. C. 37. ab iis assensum in mortem Christi, missis litteris, exsecrati erant) libentissime præ- A. R. 788.
dicationem S. Jacobi percipientes, convertuntur.

Beata Virgo Jacobo preces fundenti, Cæsaraugustæ, in columna apparet, in Spiritu veniente quoque Joanne theologo.

B. Virgo, indivulso comite Joanne filio suo, frequentissime loca sacra passionis et resurrectionis Filii invisit.

38. Saulus post conversionem pervenit Hierosolymam. 789.

BIVARII COMMENTARIUS.

et in tabulariis Toletanis reposuit ad perpetuam memoriam custodiendas. Vocarunt Romani *Carpetaniam* eam Hispaniæ partem quam nunc Toletanum regnum nuncupamus; et juga Carpentana quæ modo dicimus *Puerto de Somo Sierra*, *de Guadarrama*, *Fonfrida, et Palomera*, quibus una ab altera Castella secernitur. Sic vocatam ab antiquis videre est apud Plinium, et Strabonem, Moralem, Marianam, et cæteros; nonnulli Carpentaniam nuncupant, quod apud veteres minus receptum est.

10. *Exsecrati erant*. Legebatur prius, *Exhortantes*. Sed nisi linea integra deficiat, cum eo verbo nequit sententia formari, quæ tamen cum altero facile constat.

11. *B. Virgo Jacobo*, etc. Satis superque in superioribus de hac re disseruimus, hoc ipso anno 37, comment. 1, numero 3, ad illa verba, *Primum templum*. Quod modo additur de adventu S. Joannis apostoli cum B. virgine, scribit Julianus se legisse in antiqua scriptura Toleti; sed præstat ipsum audire ita loquentem in Chronico ad annum 36: *Transtuli quoque de Latino in Hispanum quamdam epistolam allatam huc* (Toletum) *de S. Maria de Columna Cæsaraugustana, quomodo vocatus fuerit Epheso S. Jacobus a B. Petro, et venerit in Hispaniam ad prædicandum, solvens Joppe per Mediterraneum, anno* 36, *et omnem regionem illam peragravit, solvitque in portu Tarraconensi; et ibi docere cœpit. Tunc multis discipulis et oratoribus ad Petrum missis, inde venerit Cæsaraugustam, ubi illi nocte oranti apparuit B. Virgo super columnam, comitata angelis et civibus æthereis, allato secum S. Joanne, individuo B. Virginis, dum vixit, comite; jussitque ibi erigere in honorem suum ecclesiam, et super columnam illam altare; futurum pollicens, mansuram præ cæteris Hispaniarum civitatibus, devotionem B. Virginis, et fidei sacræ anchoram semper ibi inconcussam fore.*

Quod ad annum spectat hujus apparitionis, Dextro paululum adversatur M. Maximus; nam ille, anno Domini 37, docet contigisse, hic vero anno 39, illis verbis hymni superius a nobis relati:

O grandis apparitio
Jacobo facta primitus,
Anno nono trigesimo
Natalis almi Domini.

Fides vero libentius Dextro præstanda, utpote vetustiori: nam obiit Dexter anno 444, Maximus autem 616. Cæterum licet apparitio in annum 37 inciderit, erectio tamen templi anno 39 facta est, ut mox dicemus.

12. *B. Virgo indivulso*, etc. Lege D. Bonaventuram, Carthusianum, et quotquot de B. Dei Genitricis exercitiis post mortem filii sui pie quidpiam meditantur. Et certe id nemo, qui de Deiparæ Virginis erga Filium suum amore et fide bene sentiat, negare audebit. Pias igitur S. Sepulcri et aliorum nostræ redemptionis locorum stationes ipsa sacravit, exemplum orthodoxis omnibus præbens similiter faciendi.

A. C. 38.—1. *Saulus*, etc. Accessisse Paulum Hierosolymas tertio suæ conversionis anno scribit ipse ad Galatas, cap. 1: *Deinde*, inquit, *post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim*. Supputandos autem a sua conversione hos tres annos docet eo loci Cajetanus, A cum aliis: et deducitur ex rebus ab ipso gestis interstitio illo, quo primum cum Judæis disputavit Damasci, quorum post dies aliquot insidias fugiens demissus per murum civitatis in sporta non venit in Hierosolymam ad antecessores suos Apostolos, sed abiit in Arabiam, et iterum reversus est ad Damascum: ac deinde post annos tres (in his expletos) venit Hierosolymam videre Petrum. Accedit quod eadem phrasi utitur paulo post in eadem ad Galatas narratione (cap. II): *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto Tito*: et tamen hi 14 anni necessario supputandi sunt ab ejus conversione, non autem a re immediate narrata; quoniam alias multo plures enumerandi essent: nam tres vel quatuor concederemus prædicationi Damasci, profectioni in Arabiam, et reditui ejus Damascum: his addendi essent alii tres post quos dicitur Hierosolymam venisse. Rursus duos alios quos explevit, cum inde venit in partes Syriæ et Ciliciæ, ubi verbum Dei prædicasse fatetur ipse B ad Galatas I; nam in eo opere duos ut minimum insumpsisse nemo negabit. Quod si his 8 addendi sunt illi 14 de quibus dixit: *Deinde post 14 iterum ascendi Hierosolymam*, etc., fit ut ab ejus conversione decursi fuissent anni 22, quando secundo Hierosolymam ascendit: quod tamen impossibile est, quandoquidem eo tempore jam agebat Paulus Romæ in vinculis. Quæris unde id deducam? Ex eo quod conversus fuerit post necem Stephani: non quidem anno sequenti qui fuit 35, a Christo nato (eo enim pacto solum intercessissent 30 dies, a die 26 Decembris anni 34, qua Stephanus mortuus est, ad 25 Januarii sequentis anni, qua diceretur Paulus conversus; quod tamen pugnat cum his quæ Lucas scribit Actorum VIII et IX de ejus persecutione qua *devastabat Ecclesiam per domos intrans, et trahens viros ac mulieres in custodiam;* de exactione epistolarum a principe sacerdotum, et de profectione ejus Damascum, quæ omnia 30 diebus perfici non potuerunt. C Quare oportet affirmare, quod ejus conversio contigerit die 25 anni 36. Cui assertioni non adversatur Rom. martyrologium, dum ait, contigisse secundo ab Ascensione Domini anno: quia Ascensio incidit in diem 5 Maii anni 34, a quo die usque ad 25 Januarii anni 36 prædicti, non erant duo anni adhuc expleti. Nunc vero si anno 36 Christi, qui fuit conversionis Pauli primus, addamus 22, quos dicebatur insumpsisse usque ad secundum suum adventum Hierosolymas, fit ut anno 58 Christi id fecerit. Hoc autem impossibile omnimodis est, quoniam annus is fuit quartus imperii Neronis (nam hic anno Christi 55 imperium iniit) quo captus tenebatur Paulus Romæ, ut videre est apud Hieronymum lib. de Script. Eccles. in Paulo, et apud Sophronium lib. de quatuor Evangelistis, in Luca. Ut omittamus id etiam pugnare cum aliis quæ ipsemet dicit cap. II ad Gal., videlicet invisisse tunc Hierosolymis Petrum et Joannem, cum tamen Petrus eo temporis prædicaret in Italia, et Joannes in Asia. Illi igitur tres anni, de D quibus ait: *Post annos tres veni Hierosolymam*, et illi 14 de quibus infra inquit: *Deinde post annos 14 iterum ascendi Hierosol.* supputandi perpetuo sunt ab ejus conversione, ut facit Dexter hoc loco. Ita sentit card. Baronius, sed displicet in eo, quod anno 39 hunc Pauli adventum accidisse contendit. Præsertim quia agens de anno 39, numero 4, *Hic annus*

A. C. 38. Pilatus de Christo ad Tiberium refert, ille ad Senatum. A. R. 789.

Prima totius Orbis ædes erecta B. Virgini Cæsaraugustana fuit; Post præsules Tarraconensis, Hispalensis, Toletanus, et alii sacras ædes, vel oratoria Virgini dédicant.

40. Cornelius centurio, Italicensisque, Petro prædicante, repletur Spiritu sancto: Hiero- 791

BIVARII COMMENTARIUS.

est, ait, *qui tertius a Pauli conversioue numeratur.* Si Paulus conversus est initio 36, ut ipse fatetur, ergo is fuit primus ab ejus conversione; ac proinde annus 37 erit secundus, et annus 38 tertius; non autem 39. Iterum agemus de his anno 48.

Obiter notarim, quod cum primum apostolus jam Christi existens, Paulus accessit Hierosolymas, totis 15 diebus, quibus illic mansit, *alium apostolorum vidit neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*, et Petrum, cujus erat hospes (Galat. I); quare cum non fuerit ibi Joannes, necessum est, ut etiam inde abfuerit Virgo beatissima, cujus ille comes individuus erat. Cum vero eodem tempore ambo se præsentaverint Jacobo in Hispania prædicanti, nec legamus tunc alibi adfuisse, videor mihi non temere dici posse, non tam repente et in raptu id factum, quin dies aliquot apud Apostolum in Hispania egerint, cum eisque actum fuisse, non secus atque cum Philippo diacono legimus Actor. VI, quem tametsi rapuerit Spiritus Domini in Azotum ab itinere, quo juxta Hierusalem Eunuchum Candacis baptizaverat, non illico raptus, iterum restitutus est loco suo, sed *pertransiens evangelizabat.* Sic igitur credendum, de Deipara et Joanne, delatos quidem Cæsaraugustam angelorum ministerio, inibi tamen aliquot dies cum Jacobo egisse priusquam Hierosolymas reducerentur.

2. *Pilatus*, etc. Id ab Eusebii Chronico mutuatum est, qui eodem 38 anno hæc ait: *Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter cætera sacra reciperentur. Verum cum ex consultu Patrum Christianos eliminari urbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem.* Ita Tertullianus scribit in Apologet. cap. 5 et 21, Eusebius etiam in lib. II Hist. Eccl. c. 2, Nicephorus l. II cap. 8, Rufinus cap. 2, Orosius lib. VII cap. 4, Gregorius Turonensis hist. lib. I cap. 24, Regino et Hermannus Contractus in Chronicis, et Chronicorum compilator in suo, Ado Viennensis et alii. Hujuscemodi ad Tiberium Pilati relationem, putat card. Baronius factam non quidem anno 38, sed 34 (ut apud ipsum videre est numero 230). Qui enim occultari potuere (inquit) tot annos, quæ de Christo acta erant, cum publica et manifesta omnibus fuissent? Cæterum cum nullum pro se antiquorum afferat, nos autem et Eusebium, et Dextrum habeamus, anno 38 contigisse credimus. Potuit autem differri a Pilato, quod timeret imperatoris animadversionem, eo quod in pronuntianda capitis sententia in tantum virum, non servasset juris dispositionem: immo injuste eum occidisset: distulit vero quousque vidit res Christi et miracula per totum terrarum orbem præconizari.

Exstat Pilati de ea re ad Caium epistola, quam tamen ipse quoque Cardinalis vilipendit, et apud Hegesippum reperitur: quod omnem historiam Evangelicam dilucide complectatur, et potius redoleat hominem in lege Christi apprime versatum, quam ethnicum. Mitto meum lectorem ad ipsum Baronium anno Christi 34, numero 225. Sed hac in re multum defero Hegesippo; et plus cæteris Orosio, qui lib. VII, c. 4, totidem fere Pilatum Tiberio scripsisse refert: *Pilatus* (ait) *ad Tiberium Imper. retulit de passione et resurrectione Christi consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam factæ fuerant, vel per discipulos ipsius in nomine ejus fiebant: et de eo quod, certatim crescente plurimorum fide, Deus crederetur.* Sane hæc omnia patentissima erant, et uti talia omnino a Pilato referenda.

De morte Pilati quomodo anno D. 41 Viennæ A Galliarum, ubi relegatus exsulem agebat, propria se manu interfecerit, cum prius justo Dei judicio in multas incidisset calamitates; agit Eusebius in Chronico, citans Romanos historicos; et idem referunt Orosius lib. VII cap. 5, Cassiodorus in Chronico, et Ado etiam in Chronico (et ipse Viennensis episcopus), cujus sunt hæc verba: *Pilatus qui sententiam damnationis in Christum dixerat, perpetuo exsilio Viennæ recluditur, tantisque ibi, irrogante Caio* (imperatore), *angoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu multorum malorum compendium mortis celeritate quæsiverit.* Perseverat adhuc Romæ Pilatorum familia, quæ avitam nobilitatem ab antiquis ejus cognomenti Romanis (e quibus Pontius Pilatus fuit) gloriatur accepisse, Claudiique Pilati tumulus apud sanctum Augustinum videre est cum hac inscriptione.

D. O. M.

B *Dionysius Lunatius Mediolanen. et civis Rom. capellam hanc, et altare SS. Cos. et Dami. ut singulis hebdomadis pro sua anima duæ celebrentur Missæ, censu perpetuo cujusdam domus apud templum D. Martinellæ positæ dotavit. Cui capellæ et altari similiter et Claudius Pilatus Rom. ejus gener ad trium quoque Missarum celebrandarum singulis hebdomadis effectum, ob suorum parentum animas, ducentos aureos de Monte fidei in dotem erogavit. Quæ Missæ nisi celebrentur, donationes hujusmodi ad hospitale incurabilium recidere intelligantur.*

3. *Prima totius*, etc. Consentit Dextro Calixtus III, in Bulla fundationis Ecclesiæ de Pilari, sub Dat. Rom IX kalend. Octob. anno 1456, ubi ab ipso vocatur, *Ecclesia prima inter cæteras sub vocabulo B. Mariæ.* Neque vero dubium de hac re esse potest, cum nulla totius orbis Ecclesia sub ejus nomine erecta ante hoc tempus ostendi queat. Quinimo contendunt multi, fuisse non solum primam earum, quæ B. Virgini dedicatæ sunt, sed absolute C prima Ecclesia, seu templum totius Christianitatis; ut Loaysa relatus in superioribus affirmat, et Vota, ac motiva sententiæ latæ Cæsaraugustæ in favorem Canonicorum de Pilari anno 1605 super jure præcedendi in synodis; ubi leguntur hæc verba: *Obtinet enim ex receptissima omnium Ecclesiarum præsertim istius amplissimæ provinciæ, traditione, a pontificibus suis non semel approbata, inter omnes Ecclesias mundi vetustatis et excellentiæ Originis primatum.* De qua re agunt Vasæus anno 37, Garivay cap. 7 de Rege Alphonso Navarræ, Blancas p. 5 et 143, Pujades lib. II cap. 5, § 1, Illescas, Canisius, et Morillus. Exciperem ab hac generalitate cœnaculum Sion, quod Spiritus sanctus sua præsentia dignatus est, et Beatissima Virgo multo prius cum toto Apostolico Collegio frequentavit, velut sanctum orationis locum. Quod addit Dexter de Toletano, Hispalensi et Tarraconensi præsulibus, verisimillimum est, cum ejusmodi Ecclesiæ in sua Origine sub D. D Virginis patrocinio fuerint institutæ. De Bracarensi æde a S. Jacobo eidem Virgini sacrata, agit Caledonius in Vita S. Petri Ratistensis, inquiens: *Bracaram venit* (Jacobus) *ubi sacrat eidem Dominæ, cum Pio Hispalensi, et Elpidio Toletano, et aliis ex primis ejus discipulis aliam ædiculam in quadam crypta, prope balnea, juxta templum ab Ægyptiis Isidi quondam dicatum.* Consule epistolam Hugonis Portugalensis inter Elogia Dextri.

A. C. 40.—Hunc fuisse oriundum ex Italica civitate Hispaniæ, probavimus supra ad annum 34. Insumit D.

A. C. 40. solymisque denuntiata solemni gentilium ad fidem Christi conversione, Cornelius rite baptizatus [*Al.* vere baptizatus] floret. A. R. 791.

41. Impleta honorifice legatione sua ac rebus Hispaniæ sanctissime compositis, relictaque Ecclesia Theodori curæ quæ de Columna dicitur, quam B. Virgo sua præsentia sospitaverat, beaverat, et consecraverat, ubi et præclaram imaginem suam reliquit (quæ cœlestis ædes ex eo tempore fidelium devotione frequentatur), Jacobus cum lacrymis Hispanorum Hierosolymam revertitur. 792.

Rediens Jacobus Gallias invisit, ac Britannias ac Venetiarum oppida; Ubi prædicat, ac Hierosolymam revertitur, de rebus gravissimis consulturus B. Virginem et Petrum.

41. Jacobus interest profectioni ad prædicandum nonnullorum Apostolorum, scilicet Mat- 792.

BIVARII COMMENTARIUS.

Lucas totum caput x Actorum in referendis ejus orationibus et eleemosynis, ob quas donari meruit visione angelica et visitatione Petri, ibique narrat qualiter ad prædicationem apostoli cecidit Spiritus sanctus super ipsum et omnes ejus domesticos priusquam baptismi donum accepissent: et cum obstupescerent qui erant ex circumcisione fideles, et venerant cum Petro, quod etiam in nationes (seu gentiles) gratia Spiritus sancti effusa esset (audiebant enim illos loquentes linguis et magnificantes Deum), tunc Petrum baptizasse Cornelium et suos. Rursus cap. xi refert quomodo Petrus ascendens Hierosolymam, increpatus ea de re a circumcisis fidelibus pronuntiaverit apertum jam gentibus ostium Evangelii. Quamobrem postmodum Cornelio in episcopum Cæsareæ electo, tanto honore Petrus sedem illam sublimavit, quod non quidem Hierosolymitana, sed ipsa fieret totius Palæstinæ metropolis. Id quod notavit cardin. Baronius in Notis ad diem 2 Febr. Romani martyrologii, ex canone 7 concilii Nicæni, et epistola 62 Hieronymi, ad Pammachium. Obiit S. Cornelius præfata die, qua festum ejus celebratur a Latinis, a Græcis autem in Menologio ad 13 Septembris.

Quod vero ejus baptismus in annum Christi 40 inciderit, habemus ex Dextro; eum tamen cardinalis Baronius rejicit in annum sequentem, ea permotus ratione quod cum Petrus anno 40 Lyddæ sanaverit Æneam, et Joppe Tabitham suscitaverit, et tandem, teste Luca Act. ix, *moratus fuerit dies multos apud Simonem Coriarium*, priusquam Cæsaream peteret, videtur in annum 41 baptismus Cornelii incidisse. Sed tamen efficax ratio non est, cum id quod supponitur certum non sit.

A. C. 41. — 1. *Relictaque Ecclesia Theodori*, etc. Tamquam custodi et Archipresbytero, non tamquam episcopo, is enim erat Athanasius, ut jam diximus. Dabimus de eo Epigramma S. Braulionis ad annum Domini 50.

2. *Ubi et præclaram*, etc. Eam quam super Columnam nunc venerantur fideles, credunt a S. Jacobo inibi propriis manibus collocatam, quod ipsa tanta vetustate polleat, ut nullum aliud (quod sciatur) habuerit initium; et idipsum traditione perpetua confirmetur.

3. *Jacobus cum lacrymis*, etc. In historia Ecclesiæ de Columna, cap. 12, sic dicitur: *Consecrans prædictam Ecclesiam, et ipsos Christicolas in pace dimittens, reversus est in Judæam.* Quod vero anno 41 ab Hispania discesserit, scriptum est in Epistola illa Cæsaraugusta missa Toletum, de qua agit Julianus in Chronico anno 36 inquiens: *Ibi dicitur in Hispania moratus Apostolus usque ad annum* 41, *fere sex annorum spatio.* Constabit autem ex dicendis, cum inferius ostenderimus, anno Domini 42, Hierosolymis martyrio sublatum esse. Si enim obiit anno 42, necessum est ut 41 ab Hispania discesserit.

4. *Gallias invisit*, etc. Hoc intelligendum est ideo factum, quia illi sorte contigerant totius Occidentis extremæ provinciæ post Hispaniam: Quare in Gallias etiam profectus est. Inde vero obiter Britanniam adiit, quæ nunc Anglia dicitur, ubi navim ingressus iterum per Gaditanas fauces in Mediterraneum mare dilapsus, ad Joppem solvit, non longe ab Hierosolymis, quo in itinere minus multo insumeret tempus, quam si terra pedes reverteretur. Cæterum quod de Venetiis asseritur, non est intelligendum dici de Urbe, quæ nunc eo nomine ad sinum Adriaticum sita exstat, eo siquidem tempore condita adhuc non fuerat. Nuncupabantur autem Venetiæ, oppida Galliæ Orientalis, ut apud Ptolomæum et Plinium videre est; et cum hæc versus Angliam sitæ sint, facile intelligitur eas invisisse Apostolum, cum a Gallia in Angliam vel Britannias tenderet; nisi quis velit, ut advertenter non dixerit Dexter, *invisit Venetias*, sed *Venetiarum oppida*, illa, inquam, quæ sita erant juxta locum, ubi postea Venetiarum *Urbs prædives ædificata est: nam et olim* quoque Venetos eam regionem inhabitasse testis irrefragabilis est Silius Italicus lib. viii, non longe a fine, illis verbis:

Nec non cum Venetis Aquileia perfurit armis.

Ubi prope Aquileiam Venetos collocat, et non longe a Ravenna, de qua ante duos versus dixerat:

Lenta paludosæ perscindunt stagna Ravennæ.

In hujus forsan prædicationis Jacobææ memoriam Veneti statim ac urbem erexerunt, eidem Apostolo voto nuncupato, dedicarunt antiquissimum illius templum, ubi hodieque hujusmodi inscriptio legitur, marmori vetusto insculpta, in platea de Rialto.

Fundamenta hujusce templi Jacobo Apostolo ex voto erecti, jacta fuere Christianæ salutis an. CCCCXXI die XXV. Martii a Zosimo Romano pontifice, Honorio imperante.

Dedicatio celebrata sequenti anno eadem die per quatuor episcopos Severianum Patavinum, Hilarium Altinatem, Jucundum Tarvisinum, et Epodium Opiterpinum.

Cura vero Felici sacerdoti primum delegata.

5. *Jacobus interest*, etc. Anno Christi Domini 34, paulo post ejus Ascensionem, sortitos fuisse Apostolos orbis provincias inter se, ostendimus in Commentario septimo illius anni. Duobus sequentibus, ut minimum, manserunt simul Hierosolymis juxta illud Actorum 8: *Omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos.* Cum autem secundo anno *recepisset Samaria verbum Dei*, ad prædicationem Philippi Diaconi, *et hoc audissent Apostoli qui erant Hierosolymis* (ait Lucas), *miserunt ad eos Petrum et Joannem.* Peracta ibi functione sua, *illi quidem testificati et locuti verbum Dei, redibant Hierosolymam.* Anno tertio omnes Apostoli dispersi sunt per regiones Judææ Samariæ et Galilææ ad evangelizandum Judæis, priusquam ad gentes toto orbe dispersas profecti prædicarent: demptis dumtaxat Jacobo qui Hispanias adiit, et altero Jacobo, ac Petro, qui Hierosolymis eo anno inventi sunt a Paulo, id ad Galatas affirmante capit. 1: *Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, et mansi apud*

A. C. 41. thiæ, Thomæ, Andreæ, Philippi, Bartolomæi, Simonis, Judæ, et etiam Matthæi, qui, A. R. 792. Deo duce, profecti sunt hoc anno: cum, eo simul etiam anno, scripsisset is Evangelium Hebraice: anno vero 40 Jacobus Epistolam.

Hoc eodem anno, ut sui Apostolatus aliquod præberet specimen, Joannes Theologus, comitante B. Virgine, Ephesum proficiscitur; comite quoque B. Jacobo, qui et Ephesi ad tempus prædicat: Comitantur Virginem Lazarus, Martha, Maria, ubi etiam præsentia sua consolatur B. Virgo Ignatium.

BIVARII COMMENTARIUS.

eum diebus 15. *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini* : Supputandos autem eos 3 annos a conversione sua, superius ostendimus ad annum 38. Prædicato deinde apud Judæam Evangelio, et synagogæ dato repudio, ut converterentur ad gentes, et suas jam provincias acciperent, congregati sunt Hierosolymis : dispositisque prædicationis rebus, et symbolo composito, tandem in orbem universum dispersi sunt. Quo autem anno id acciderit, non uno modo dicitur. Retulimus varia auctorum placita ad annum 34 comment. 7, sed hac in re extrema vitanda sunt : nec enim discessus Apostolorum ab invicem ad annum duodecimum post Domini Ascensionem (id est ad annum ejus 46) rejiciendus est, ut fecerunt Apollonius apud Eusebium lib. v, cap. 17, et Clemens Alexandr. lib. VI Stromatum, et Petrus de Natalibus lib. VI cap. 99, nec tam celeriter factus credi debet, ut secundo anno post Ascensionem Domini contigerit, quod Melito Sardicensis dicitur existimasse (si ejus est liber de Transitu Deiparæ). Sic enim non datur Apostolis tempus prædicandi in Judæa, priusquam ad gentes proficiscerentur; illos vero Marcus refellit, qui anno Christi undecimo (vel decimo, ut ex Euthymio in præfatione ad Matthæum et aliis probat card. Baronius anno 45) Evangelium scribens testatur, quod *illi profecti prædicaverant ubique*. Mediam proinde quodammodo incedens viam card. Baronius in Annalibus Ecclesiast. contendit anno 44 discessionem Apostolorum contigisse. Verum ejus placitum eodem telo retunditur ; hic enim annus fuit post Ascensionem undecimus, quam ipse fatetur accidisse anno 34, a quo usque ad 44 inclusive undecim intercedunt; at Marcus tunc scribit, non quidem recens factam divisionem, sed ipsos apostolos jam ubique terrarum prædicasse, et multa miracula perpetrasse. Aliquot namque annos insumpsisse oportuit in longissimis peregrinationibus, et prædicationibus. Satius multo Dexter in annum 41 refert incidisse, septimo post Ascensionem exclusive : cujus placitum amplectitur Genebrardus in Chronologia sua lib. III (Eo etiam anno, septimo scilicet episcopatus Jacobi Minoris, Hierosolymas omnes Apostolos convenisse, auctor est Equilinus in Vita Jacobi Minoris, lib. IV cap. 108). Sic enim tres anni Apostolis conceduntur, ut de eis potuerit Marcus dicere, quod *profecti prædicaverant ubique*, etc. Offert ejus rei non levem conjecturam Matthæus, qui hoc ipso anno 41, teste Eusebio Cæsariensi in Chronico, Evangelium scripsit ; nam ait : *Anno* 41 *Matthæus in Judæa Evangelium primus scripsit*. Sicut enim ante Apostolorum discessionem oportuit ipsos symbolum componere, ut hac data tessera, toto orbe dispersi fideles idipsum recta fide sentientes ab infidelibus discernerentur (idem dico de constitutionibus Apostolicis et canonibus ipsorum) ; sic et aliquod Evangelium prius componere oportuit ; quo omnes pariter discipuli erudirentur in fide. Hoc autem compositum primo fuit anno 41, et eo facto nihil amplius exspectandum videbatur, quominus in orbem proficiscerentur ad prædicandum. Et quidem quod Matthæus anno 41 Christi Evangelium scripserit, priusquam apostoli dispergerentur in orbem, docet, ut assolet erudite ipse cardin. Baronius, ex Eusebio in Chronico, et aliis.

A 6. *Nonnullorum Apost.*, etc. Quare non omnium? quia Joannes mansit B. Virginis comes individuus, Jacobus Minor suam jam provinciam incolebat, nimirum Hierosolymas, Petrum vero anno sequenti 42 constat inibi ab Herode carceri mancipatum, perpetrata Jacobi Zebedæi morte : cæteros octo memorat.

7. *Anno vero* 40 *Jacobus Epistolam*, etc. Vide quæ de ea diximus ad annum 37 comment. I, num. 6 et 7. Hinc constat scriptam in Hispania, ubi eo anno degebat Jacobus.

8. *Joannes Theologus*, etc. Discessura ad tempus Hierosolymis, et profectura cum Joanne Ephesum B. Virgo, nihil mirum si a B. Jacobo comitaretur, et a tribus illis fratribus, eximiisque ejus amatoribus Lazaro, Martha et Maria : nec enim decebat tantam Dominam cum solo comite uno adire, ac terras tam longe positas perlustrare ; nec amor quo eam prosequebantur, aliud pateretur; opus itaque et labor non in hoc, sed in stabiliendo ejusmodi Virginis itinere positus est. Verum ejus habemus B gravissimum testimonium Patrum magni concilii Ephesini, quorum auctoritati nemo sanæ mentis refragabitur : hi vero in epistola depositionis Nestorii, quæ reperitur in tomo II Concilii cap. 27 sub hac inscriptione : *Sacra synodus religiosissimo clero, populoque Constantinopolitano, S. D., ita inquiunt : Nemo unquam Creatori suo obsistere ausus divinam vindictam evasit. Quare et Nestorius impiæ hæreseos instaurator in Ephesiorum civitate, quam Joannes Theologus, et Sacra Deipara Virgo Maria quandoque incoluerunt, constitutus, a sanctorum Patrum, et episcoporum cœtu ultro seipsum abalienans, post trinam citationem, sacræ synodi sententia, divinoque sanctorum Patrum judicio condemnatus, omnique sacerdotali dignitate exutus est.* Contendebat impiissimus B. Virginem non esse dicendam Theotocon, sed Christotocon, hoc est non Deiparam, sed Christiparam, quasi non Deum verum peperisset, sed purum hominem. Dei autem disponente providentia, factum C est ut in ea urbe, sacro approbante concilio, damnaretur, quam ipsa Deipara quandoque incoluerat. Notavit id Theodorus Peltanus in margine Concilii, et card. Baronius in notis ad diem 27 Decemb. Rom. martyrologii admittit historiam, et ex recentioribus Arias in libro de Profectu Spirituali, agens de imitatione Virginis. Inter antiquos autem Heleca episcopus Cæsaraugustanus in suis additionibus sic ait : *Memoria, diesque festus ab ipsius in Hispaniam ingressu, S. Jacobi Zebedæi filii celebris habebatur* (non ait *habetur*, quia ipse erat sub imperio Maurorum), *qui postquam Hispanias adiit, Ephesum comitatus est sanctissimam Virginem, una cum Joanne fratre ejus ; non priusquam in Hispaniam veniret, sed reversus ab Hispania. Indeque reversus est Hierosolymam, prædicansque fortiter et constanter, gladio percussus est.* Quo loci notandum est, quosdam asseruisse D. Jacobum prius Ephesum petiisse quam Hispaniam ; ut primus ille Cabilonensis in sua Topographia Christi martyrum, verbo *Ephesus* inquiens, *Ephesus* D *Asiæ Minoris civitas. Hic incepit prædicare Jacobus Zebedæi post Ascensionem Domini, et hinc profectus est ad Hispaniam.* Julianus quoque in Chronico refert se invenisse in quadam epistola antiqua de fundatione Ecclesiæ de Columna, quod *vocatus fuerit Epheso S. Jacobus a B. Petro, et venerit in Hispa-*

A. C. 42. Inde reverso Joanne cum B. Virgine (quam dum illa vixit, numquam Joannes deseruit), A. R. 793. etiam revertitur S. Jacobus; Qui prædicans acerrime Judæis (prius interfuit hoc anno consecrationi ædis Sacræ Nazareth, in qua Virgo Deum concepit, præsentibus

BIVARII COMMENTARIUS.

niam ad prædicandum; Heleca autem contendit S. Jacobum regressum ab Hispania Ephesum contendisse, non prius. Sed quis scit, utrum Apostolus semel Ephesi prædicaverit, an bis? Primo ante Hispanicam profectionem, et iterum post reditum, B. Virginem comitatus? Nam de apostolis dictum cum admiratione lego: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant* (*Isa.* LX)?

Sed quod spectat ad iter Virginis et Joannis, præbet nobis de eo D. Ignatius martyr testimonium, dum apud Ephesum existens binis ad Joannem apostolum magistrum suum datis litteris, patefecit vehemens desiderium quo ipse et cæteri discipuli flagrabant videndi B. Virginem. In priori epistola hæc ait: *Frater, de tua mora dolemus graviter, allocutionibus et consolationibus tuis roborandi; si tua absentia protendatur, multos de nostris destituet. Properesigitur venire, quia credimus expedire. Sunt et hic multæ de mulieribus nostris Mariam Jesu videre cupientes*, etc. *Et hæc talia excitaverunt viscera nostra, et cogunt valde desiderare aspectum hujus* (*si fas sit fari*) *cœlestis prodigii et sacratissimi monstri.* De ea re scripsit etiam ad B. Virginem non semel; meruitque ab ea responsum perbreve, ubi inter cætera, *Veniam autem una cum Joanne, te et qui tecum sunt videre.* Dubium autem esse non debet, quin promissis staret suis; et præsentia sua consolaretur B. Virgo Ignatium, ut modo Dexter asseverat.

A. C. 42.—1. *Inde reverso Joanne*, etc. Bone Deus, quot sententias excogitaverunt auctores in anno necis Jacobææ assignando! Casanæus 3 p. catalogi gloriæ mundi consideratione 29 asserit in principio anni Ascensionem Christi sequentis accidisse, id est, anno 35. Eusebius in Chronico quod anno 36, Sabellicus Æneadis 7, lib. I, quod post quatuor ab Ascensione annos, nimirum anno 37, Dadræus in notis ad Eusebium, secutus Vasæum, rejicit eam in annum 43. Leo III in epistola de Translatione S. Jacobi, *ab ipsa Passione Domini* (inquit) *in revolutione anni undecimi capite plexus est*: quare anno 44 vult contigisse, quod etiam amplectitur Ambrosius Morales lib. IX, cap. 7, et card. Baronius. Mantuanus in notis ad historiam Marianæ in lib. IV cap. 2 contendit anno 45 martyrio sublatum; denique Franciscus Maurolicus in suo Martyrologio ad diem 25 Julii docet post 14 annos a Christi morte Jacobum martyrio coronatum, id est, anno 46. Ab his omnibus discrepat Dexter, qui anno 42 id tribuit: quod itidem Mariana sequitur in historia Latina de Rebus Hispaniæ l. IV, cap. 2. Ostendam autem multo magis doctrinæ Actorum apostolicorum consentaneam Dextri sententiam, et omnino veram. Mitto Casanæum, et Sabellicum, qui omni destituti sunt fundamento; et Eusebium hoc loco sibi non constantem, utpote qui lib. II Histor. Eccles. cap. 8, longe inferius rejiciat Jacobi mortem, ut in margine Chronici notavit Dadræus.

Totum autem dissidium ortum est ex diverso intellectu contextus historiæ cap. XI et XII, Actuum Apostolorum, præsertim illorum verborum, *Eodem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.* Cum enim verbum illud *eodem tempore*, referatur ad historiam immediate prædictam, fit (aiunt quidam) ut Jacobi martyrium tempore illius magnæ famis obtigerit, quæ facta est sub Claudio, et in causa fuit, ut Seniores collectam mitterent Hierosolymas, per manus Barnabæ et Sauli, in pauperum subventionem; nam de ea immediate sermonem egerat Lucas. Hæc vero quarto Claudii imperatoris anno contigit, id est, Christi Domini 46, nam Claudius 42 A Christi imperium iniit. Alii autem ad paulo superius enarrata ab Evangelista, verbum illud referunt, et juxta diversitatem applicationis diversimode sentiunt de anno necis Apostoli. Sunt etiam qui ex inferius enarratis argumententur, ut Mantuanus, qui longam vestem contexit, multis contendens ut morti Jacobi et vinculis Petri connectantur secessus Herodis Cæsaream, et ejus mors miserabilis, qua consumptus a vermibus exspiravit; omnia enim hæc enarrantur ab Evangelista successive, sine temporis discretione. Constat autem ex Josepho lib. XIX Antiq. cap. 7, et lib. II de Bello Jud. cap. 10, et Eusebio lib. II Hist. cap. 9, Herodem interiisse 3 anno imperii Claudii Cæsaris, qui anno 42 Christi imperium iniit; quo fiet ut Herodes mortuus fuerit anno 45, et consequenter eodem anno carceri mancipatus Petrus, et occisus Jacobus.

Cæterum neuter horum annorum, scilicet 45 et 46, deduci potest ex contextu Evangelistæ, illud enim verbum: *Eodem tempore misit Herodes*, etc. B sine dubio refertur ad rem immediate enarratam: hæc autem non est fames cum effectu secuta, sed tantum de futuro prophetata ab Agabo. En verba Lucæ: *In his autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam; et surgens unus ex eis, nomine Agabus, significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio*: id est, quæ postea suo tempore facta fuit, videlicet anno Claudii 4. Non ergo loquitur de fame, quæ jam esset, sed de ea quæ futura erat. Unde eo tempore quo prophetia hæc pronuntiata est, non subdit, discipulos illico misisse subsidium pauperibus Hierosolymitanis (tametsi prævenire possent futuram famem, quam certo venturam cognoverant), sed proposuisse mittere, *Discipuli autem* (ait Lucas) *prout quisque habebat, proposuerunt singuli mittere habitantibus in Judæa fratribus. Quod et fecerunt* (id est, suo tempore postea) *mittentes ad superiores per manus Barnabæ et Sauli.* C Tunc subdit: *Eo autem tempore misit Herodes*, etc. Quo tempore? nimirum, quando ab Agabo fames prophetata est, et discipuli proposuerunt mittere subsidium Hierosolymam. Parum igitur interest, quod fames in annum Christi 46 inciderit, seu 4 Claudii, ut indeinferatur annus certus mortis Jacobi.

Rursus Herodis miserabilis interitus minime conducere potest ad intentum annum educendum; non enim constat ex Evangelista, nec aliunde, mortuum esse eodem anno, quo carceri mancipaverat Petrum; et jusserat milites ejus custodes ad se duci, quibus ereptio Petri imputabatur; neque illico in Cæsaream descendisse, neque postquam illuc descendit, eodem anno obiisse: immo vero ibi prius commoratum docet; *Descendensque a Judea in Cæsaream* (ait) *ibi commoratus est.* Quid est, *ibi commoratus est?* Ut minimum hic loquendi modus excludit mortem subitam postquam illac pervenerat; si enim statim atque Cæsaream attigit, consumptus a vermibus exspirasset, minime ibi commoratus fuisse diceretur; D nunc ergo aliquot annos ibi exegisse necessum est. Præsertim quia negotium grave et serium ibidem cum Tyriis et Sidoniis habuit, quod quo tempore expletum fuerit non significatur; *Erat autem* (ait) *iratus Tyriis et Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum; et persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo. Statuto autem die, Herodes, vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces et non hominis* (hoc est, Deus est qui loquitur et non homo). *Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo*

A. C. 42. nonnullis Apostolorum), succiso capite, ab Herode, recens Hierosolymam reversus, A. R. 795. nobile martyrium 25 die Martii gloriose pertulit.

BIVARII COMMENTARIUS.

quod non dedisset honorem Deo ; et consumptus a A *vermibus exspiravit.* Quis non videat plus temporis concedendum Tyriis et Sidoniis, ut inter se convenirent de adeundo Herodem: et postea ad illum Cæsareæ commorantem se conferrent; exponerent Blasto petitionem suam; et rex tandem condiceret diem allocutionis publicæ ; et illo transacto tempore, percussus ab angelo, et consumptus a vermibus *cruciatu per continuos quinque dies nihil se remitente confectus* (ut ait Josephus lib. XIX Antiq. cap. 7) expirasset? Aliunde ergo supputatio petenda est, quam inquirimus.

Sane inter tantam sententiarum varietatem difficile multis videbitur, cur Dextro potius quam alteri assentiendum sit. Ego vero multum miror doctissimos viros qui hac de re disputarunt, per rivulos conjecturarum divertere potius voluisse, quam ad fontem ipsum recurrere annorum lunariorum, qui ex cyclo Epactarum depromuntur, ubi limpida claraque hauritur aqua. Cum enim semel fixum habeamus diem mortis triumphalis S. Jacobi, quem omnes fatentur obiisse 25 die Martii, in limine dierum Azymorum, ut Evangelista quoque profitetur ; quærendus erat annus in quo Martii luna 14 vel 13 inciderit in diem 25 Martii, et in eo fateri oporteret Apostolum detruncatum. Quod tamen si fecissent, non relinqueretur eis locus discedendi a placito Dextri. Sane quod Jacobus obierit die 25 Martii norunt omnes, quia ita in passione ipsius asseritur, ut videre est apud Equilinum l. VI, cap. 133, asserentem, *Martyrium consummavit 8 kal. Aprilis, videlicet in die Annuntiationis, et Passionis Christi. Et* Callistus II Tractatu de tribus solemnitatibus S. Jacobi ait : *Circa tertiam judicatus est, et circa nonam, ut Christus, passus est : tali scilicet die et hora qua magister, passus est et discipulus.* Tali, inquit, die, id est 25 Martii. Quod autem in limine etiam festi Azymorum factum sit, patet ex Luca, qui cum præmisisset mortem Jacobi, quæ placuerat Judæis, subdit, statim apprehendisse etiam Petrum. Sed quo tempore? *Erant autem dies Azymorum.* Leo III in epistola de Translatione S. Jacobi asserit : *Tempore Azymorum beatissimus Jacobus apostolus, jussu Herodis capite plexus est.* Quod cum Judæi perpetrare non possent Paschatis ipsa die, intelligi oportet factum proxima die ante Azyma seu Pascha. Nunc quærendus est annus cui luna talis respondeat, ut 13 vel 14 luna Martii in diem prædictum 25 indicat, hic vero ex cyclo Epactarum petendus qui ad asignandam lunæ ætatem deservit, quem quidem huc inserere pro majori rei evidentia necessarium duxi.

Cyclus Epactarum ad lunæ ætatem investigandam.

A. C.	Ep.	A. C.	Ep.
34	XIX	44	X
35	I	45	XXI
36	XII	46	II
37	XXIII	47	XIII
38	IV	48	XXIV
39	XV	49	V
40	XXVI	50	XVI
41	VII	51	XXVII
42	XVIII	52	VIII
43	XXIX		

Dies Martii et Aprilis cum Epactis sibi correspondentibus.

Mart. dies.	Ep.	Mart. dies.	Ep.
1	*	5	XXVI
2	XXIX	6	XXV. 25
3	XXVIII	7	XXIII
4	XXVII	8	XXII
9	XXII	31	*
10	XXI		
11	XX	Apr. dies.	Ep.
12	XIX		
13	XVIII		
14	XVII	1	XXIX
15	XVI	2	XXVIII
16	XV	3	XXVII
17	XIIII	4	XXVI. 25
18	XIII	5	XXIII 25
19	XII	6	XXIII
20	XI	7	XXII
21	X	8	XXI
22	IX	9	XX
23	VIII	10	XIX
24	VII	11	XVIII
25	VI	12	XVII
26	V	13	XVI
27	III	14	XV
28	III	15	XIIII
29	II	16	XIII
30	I*	17	XII etc.

B Annus itaque mortis S. Jacobi ex ejusmodi cyclo petendus hoc pacto est. Anno mortis Christi Domini et ætatis ipsius 34 incidit luna 14 Martii, in diem 25 quo crucifixus fuit (in quo dissidium non est) et cum huic diei correspondeat epacta VI in kalendario, necessum est ante 14 dies, ut novæ ejusdem anni et mensis lunæ respondeat epacta XIX, quæ sita est die 12 Martii. Hinc necessario deducitur contra Cassanæum, quod S. Jacobus non fuit gladio occisus sequenti anno 35 Christi, quia epacta ejus fuit I correspondens diei 30 Martii, et tunc luna 14 incidit in diem 12 Aprilis.

Nec anno 36, ut Eusebius docuit, quia ejus epacta fuit XII, correspondens diei 19 Martii, et luna 14 incidit in 1 diem Aprilis.

Nec anno 37, quia ejus epacta fuit XXIII, correspondens cum suo novilunio 8 diei Martii, unde luna 14 incidit in diem 21 ejusdem mensis, et tunc dies 25 esset 4 Azymorum, quo non licebat interficere quemquam.

C Nec anno 38, quia ejus epacta fuit IV, correspondens cum suo novilunio diei 27 Martii, unde luna 14 incidit in diem 9 Aprilis.

Nec anno 39, quia ejus epacta fuit XV, correspondens cum suo novilunio diei 16 Martii, et tunc luna 14 incidit in diem 29 ejusdem mensis.

Nec anno Christi 40, quia ejus epacta fuit XXVI, correspondens cum suo novilunio diei 5 Martii, et tunc luna 14 incidit in diem 18 ejusdem ; quare dies 25 Martyrii esset septimus et ultimus Azymorum, quo nullus sacratior.

Rursus neque fieri potuit ut occisus sit S. Jacobus anno 41 Christi, quia ejus epacta fuit VII, correspondens cum suo novilunio diei 24 Martii, et sic luna 14 incidit in diem 6 Aprilis.

Nec anno 43, ut volunt Vasæus et Dadræus, quia ejus epacta fuit XXIX, correspondens cum suo novilunio diei 2 Martii, unde luna 14 incidit in diem 15 ejusdem mensis, et consequenter dies 25 Martyrii,
D per dies fere quatuor, subsecutus esset Azymos, quod est contra D. Lucam.

Nec anno 44, ut Leo III videtur asserere, quia ejus epacta fuit X, correspondens cum suo novilunio diei 21 Martii, et ita 14 luna incidit in diem 3 Aprilis.

Nec anno 45, ut Mantuanus contendit, quia ejus epacta fuit XXI, correspondens cum suo novilunio diei 10 Martii, quando luna 14 incidit in diem 24 ejusdem mensis, et tunc dies 25 Martyrii esset secundus Azymorum, et præcipuus dies Paschatis, quo non licebat interficere quemquam.

Demum nec anno 46, ut Maurolicus asseruit, quia ejus epacta fuit II, correspondens cum suo novilunio

diei 29 Martii, et tunc luna 14 incidit in diem 11 Aprilis.

Mitto cæteros annos de quibus nulla est controversia, nam constat Jacobum non ultra vixisse: tametsi de cæteris eadem esset ratio, nam anno 47 epacta fuit XIII et luna 14 fuit ultima Martii: et anno 48 epacta fuit XXIV, et luna 14 fuit 20 die Martii: et sic mors Apostoli incidisset intra dies Azymorum, quod concedi non potest: et anno 49 epacta fuit V, et luna 14 die 8 Aprilis.

In prædictis itaque annis dies martyrii S. Apostoli vel longe distat a luna 14 Martii vel intra ipsos septem dies Azymorum constituitur, quo tempore non licebat hominem neci dare, vel denique post totos ipsos septem rejicitur, quod Evangelistæ expresse contradicit, qui ipsam quoque apprehensionem Petri, quæ post Jacobi mortem contigit, ante finem Azymorum factam docet.

Quare si in anno Christi 42 hæc omnia inconvenientia cessant et quidquid desideramus invenitur, nequaquam a Dextri sententia recedere poterimus. Vide, nunc obsecro, miram rerum omnium consonantiam. Anno Domini 42 respondet epacta XVIII, quæ cum suo novilunio sita est in 13 die Martii, et tunc luna 14 incidit in diem 26 ejusdem mensis, una tantum die post 25, in qua S. Jacobus capite plexus est. Igitur die 25 mensis, quæ fuit 13 lunæ, occisus est S. Jacobus. Sequenti die 26 mensis fuit luna 14, in qua ad vesperam incipiebant dies Azymorum. *Videns autem* Herodes *quia placeret Judæis, apposuit, ut apprehenderet Petrum; erant autem dies Azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum* (hoc est 16 militibus) *custodiendum; volens post Pascha producere cum populo.* Quoniam igitur captus fuit Petrus solemnitate Azymorum incepta die 3, vel 4, ipsorum, videlicet postquam rex viderat quod mors Jacobi placeret Judæis, non potuit illico Apostolorum principem neci dare: sed distulit mortem ejus in 3 diem Aprilis, quæ lunæ illius erat 22, una dumtaxat post dies 7 Azymorum, qui ex præcepto Domini Exodi XII protelabantur usque ad diem 21 lunæ inclusive. *Primo mense, 14 die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem 21 ejusdem mensis ad vesperam.* Cæterum *cum producturus eum esset Herodes* (azymis die 2 Aprilis consummatis, qui fuit 21 lunæ) *in ipsa nocte* (ante diem 3 Aprilis, et lunæ 22, quo morte afficiendus erat) *erat Petrus dormiens*, etc., et ab angelo liberatus est.

Habet etiam assertio hæc connexionem cum aliis veritatibus: præsertim cum cathedra Romana S. Petri, quæ anno Christi 44 fundata est ab ipso, ut eo anno dicemus, et deducitur ex annis 25 quibus Apostolus Romanæ præfuit Ecclesiæ (ut communis habet, assertio) hi vero 25 intercedunt inter annum 68, quo per crucem de medio sublatus fuit, die 29 Junii (quod suo loco probavimus) et annum 44, die 18 Januarii, quo sedes illa erecta fuit. Vide nunc quam habet utraque assertio connexionem. Eodem anno quo Jacobus capite plexus est, Petrus quoque a vinculis liber evasit, initio Aprilis et ex Apost. Actis cap. XII constat: annus autem liberationis Petri fuit 42, quandoquidem annum cum dimidio a Hierosolymis Romam usque prædicando insumpsit; non enim videtur illi plus temporis attribuendum in eo itinere; sed nec minus, cum Simonem Magum insecutus fuerit Romam usque prædicans contra ejus versutias, ut apud Sophronium videre est in commentario de peregrinationibus Petri et Pauli, tomo 7 Bibl. vet. Patrum, ubi ait: *Solvitur ab angelo, et occasione perfidiæ Simonis Magi, Syriam discurrit: ad hoc autem et Pontum, et Asiam, et Galatiam, et ubique seminando verbum Dei Romam pervenit.* Ab initio autem Aprilis anni 42, quo e vinculis ereptus est, usque ad 18 Januarii anni 44, quo Romam intravit cathedramque inibi erexit, intercedit annus unus et menses novem.

Satis denique congruit cum his quæ a S. Luca in Actis referuntur. Anno 40 Domini baptizavit Petrus Cornelium centurionem (ut jam diximus) Actorum x. Deinde Actorum XI dicitur: *Audierunt autem Apostoli et fratres qui erant in Judæa, quoniam et gentes receperunt verbum Dei. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam* (a Cæsarea ubi mansit apud centurionem aliquot diebus), *disceptabant adversus illum qui erant ex circumsione dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis? Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem visionis* lintei animalibus immundis pleni e cœlo demissi; et quomodo *adhuc eo loquente cecidit Spiritus S. super omnes qui audiebant verbum:* quo uncti gentiles, *erant loquentes linguis et magnificantes Deum.* Intulitque: *Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus sicut et nobis, ego quis eram qui possem prohibere Deum? His auditis, tacuerunt, et glorificaverunt Deum dicentes: Ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Hæc fuit ostii Evangelici gentibus reseratio, et publicatio ejus facta Hierosolymis; haud dubium non post multos dies a visione cœlesti. Subinfert Lucas, quod postquam Cornelius crediderat Cæsareæ, multi quoque Græci gentiles crediderunt Antiochiæ, ad prædicationem illorum discipulorum, qui dispersi fuerant tempore persecutionis subortæ a morte Stephani: *Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ quæ erat Hierosolymis super istis, et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. Qui cum venisset et vidisset gratiam Dei, gavisus est; et apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Barnabas Tarsum ut quæreret Saulum; quem cum invenisset, perduxit Antiochiam; et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia, et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani.* Cum reseratio ostii Evangelii gentilibus publicata fuerit Hierosolymis anno Christi 40, satis consentaneum rationi videtur, quod Barnabas in profectione ad Antiochiam et ad Tarsum, et reditu ejus, et Sauli a Tarso Antiochiam, annum unum, id est, Christi 41 insumpserit, in cujus principio vel in fine anni 40, constituenda est fama gentilium Antiochiæ conversorum a discipulis fugatis in nece Stephani; nam hæc immediate conjungitur ab Evangelista cum conversione Cornelii: Cum pervenissent autem Saulus et Barnabas Antiochiam, *annum totum conversati sunt ibi*, qui quidem fuit 42 Christi Domini. Quod vero hoc ipso anno D. Jacobus occisus fuerit, satis innuit Lucas cum asserit: *In his autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam; et surgens unus nomine Agabus significabat per Spiritum famem magnam futuram*, etc. Quo loci illud: *In his diebus*, manifeste refertur ad tempus narrationis immediate relatæ: videlicet ad annum illum quo conversati Antiochiæ Barnabas et Saulus, in causa fuerunt, ut discipuli primum nuncuparentur Christiani: qui fuit annus 42, ut dictum est. Quare quod rursus subdit Lucas, *Eodem tempore misit Herodes rex manus*, etc., necessario ad ipsum annum detentionis Barnabæ et Sauli Antiochiæ referendum est; quia ibi mors Jacobi dicitur accidisse *eodem tempore*, quo fames prædicta fuit ab Agabo; hæc vero *in his diebus* facta fuit, quibus primum fideles cognominati sunt Christiani, scilicet anno 42.

Demum ne quid notatione dignum prætermittamus, quod tanto Apostolo deservire possit ad gloriam, animadvertimus Anastasium Sinaitam, libro de Passionibus Martyrum (quod ad genus mortis attinet) docere S. Jacobum non fuisse solum capite plexum, sed et multiplicibus irrogatum tormentis: *In hac die*, ait, *multiplicibus martyriis affectus est S. Jacobus apostolus, frater Joannis filii Zebedæi; idque postquam abiit in Occidentem.* Sed unde id hauserit non pro-

mit. Non est autem incredibile ita factum cum illo, ut priusquam capite plecteretur, aliis quoque afficeretur tormentis (quod sane ex nequissimo affectu, quo eum Pharisæi prosequebantur deduci potest), neque hoc ab Evangelista contradicitur, nam de multis martyribus dicimus decapitatos fuisse, cum tamen ante decapitationem multa alia tormentorum genera passi fuerint. A

Quæret autem fortasse quis, quid fuerit in causa ut Herodes præ cæteris Apostolis supplicio affecerit S. Jacobum? Cur enim primo loco non mancipavit carceri S. Petrum, utpote qu vertex erat totius apostolici collegii? De reliquis Apostolis non est controversia, quia in suas provincias dispersi erant, Joanne et Jacobo Alphæi exceptis, qui adhuc Hierosolymis detinebantur. Sane in causa fuerunt magna illa ac stupenda miracula, quæ D. Jacobus Zebedæi filius fecerat illis diebus, de quibus Philetus agens apud Hermogenem magum, et magistrum suum, dixit : *Se vidisse eum dæmones ab obsessis corporibus ejicientem, leprosos mundantem; asserunt etiam amici mei vidisse eum mortuos suscitantem* (ita legitur in Antiquis lectionibus Breviarii Asturicensis, Compostellani, et aliorum Hispaniæ) : et ipsa utriusque magi dæmoniaci mirabilis ad Christum conversio, quam pervetusta Breviaria recitant, et apud Petrum episcopum Equilinum videre licet lib. VI Catalogi sanctorum, cap. 133. Conversum imprimis Philetum, cum immobilem ope dæmonum eum constitueret Hermogenes, sudario suo Apostolus liberavit; deinde ipsum Hermogenem a dæmonibus oppressum, baculo tutum fecit ululantibus in aere larvis infernalibus. His accessit magnam Judæorum multitudinem ad fidem conversam fuisse per ipsum : *Facta autem a populo seditione, dictum est debere eum educi, et secundum legem audiri* (verba sunt Asturicensis Breviarii). *Quod cum factum fuisset, et de incarnatione, passione, et resurrectione Domini nostri Jesu Christi secundum Prophetas testimonia illis reddisset Apostolus, tantam gratiam et Dominus contulit, ut omnes adstantes converterentur, et una voce dicerent : Peccavimus; dic nobis quid faciemus? Quibus ille : Viri fratres, nolite desperare, credite et baptizamini; ut deleantur peccata vestra. Et baptizata est magna multitudo Judæorum in Hierusalem.* En causam decapitationis Apostoli. *Tunc Abiathar pontifex anni illius videns populum credidisse, excitavit seditionem in turba* (dixerat prius, *Judæi obtulerunt pecunias Lysiæ et Theocrito centurionibus, ut comprehenderent Jacobum*) et subdit : *Ex qua factum est ut Josias unus ex Scribis mitteret funem in collo apostoli, et perduceret eum in prætorium Herodis regis, qui statim jussit eum decollari. Cumque duceretur, vidit paralyticum in via jacentem et curavit eum. Tunc Josias conversus, veniam petiit; Abiathar vero dixit ei : Si non discesseris a Jacobo, et maledixeris nomen Jesu, cum ipso decollaberis. Josias respondit: Maledictus tu, et benedictum nomen Jesu. Tunc jussit pugnis os ejus cædi; et nulla de eo relatione ad Herodem facta, mandavit ut simul decollaretur. Cum ventum esset ad locum supplicii, dixit Jacobus spiculatori : Priusquam nos occidas, fac nobis aquam dari, et allata est lagena plena aqua, et rogatum de fide baptizavit : et cum illi dedisset osculum pacis, cum Apostolo decollatus est, et martyr effectus.* Hactenus historia S. Jacobi. De Josia agit Heleca in additionibus ad M. Maximum, his verbis : *Josias in pretio habetur apud fideles Hispanos, quod cum Jacobo patrono suo* (*cujus corpus sacratissimum Compostellæ honorifice colitur*) *pro Christi fide Hierosolymis passus est.* Loquitur de tempore quo Arabes in Hispania dominabantur, et ipse Heleca degebat. B C

Sed pro coronide eorum quæ de tanto Apostolo a nobis dicta sunt, placet hymnum illum adducere, quem non semel promisimus, exstatque in Breviario Gothico S. Isidori, tenoris sequentis :

O Dei Verbum Patris ore proditum,
Rerum Creator, et verum principium,
Auctor perennis, lux, origo luminis,
Enixus alvo gloriosæ Virginis,
Christe, te nobis revelas Emmanuel.
Rex et sacerdos, cui sacri lapides,
En ter quaterni, onychinus, achates,
Nitens beryllus, sapphirus, carbunculus,
Vel amethystus, sardius, topazius,
Smaragdus, jaspis, hyacinthus, chrysolitus.
Rite qui gemmis sol, dies, duodecim
Enitens horis, margaritis optimis,
Gliscensque mundo jam fugati tenebris,
Et candelabro tibi superposito,
Micas lucernis bis senis Apostolis.
Petrus it Romam, frater ejus Achaiam,
Indiam Thomas, Levi Macedoniam,
Jacobus Jebus, et Ægyptum Zelotes,
Bartholomæus Licaon, Judas Edesam,
Matthias Judam, et Philippus Galliam.
Magni deinde filii tonitrui,
Adepti fulgent prece matris inclytæ,
Utrique vitæ culminis insignia :
Regens Joannes dextra solus Asiam,
Et læva frater positus Hispaniam.
Clari Magistri, Creatoris innoxii,
Sistit ad dextram, pacis unus fœdera
Tractus sinistram alter in sententia,
Varieque regno bis electa pignora,
Utroque polo properant ad gloriam.
Adductus inque gloriosus præmio,
Electus isthinc habitus martyrio,
Christi vocatur Zebedæi Jacobus,
Apostolatus vitam implens debite,
Victorque rapit passionum stigmata,
Divino quippe obsitus suffragio,
Idem magorum sontes iras dæmonum
Coercens, virus punit æmulantium :
Minasque dæmonum in stolis oraculis,
Enodaturque pœnitens cor credulum.
Perplexus olim voci compos commodat,
Bina petenti ægro adminicula :
Optando pandit fidei charismata,
Vexillo pacis ad salutis copiam,
Enseque functus se communit gloria.
O vere digne sanctior apostole,
Caput refulgens inclytum Hispaniæ,
Tutorque nobis, et patronus vernulus,
Vitando pestem, esto salus cœlitus,
Omnino pelle morbum, ulcus, famemque.
Adesto favens gregi pius creditor,
Mitisque pastor gregi, Clero populo.
Opes supernas ut fruamur gaudio,
Regno potiti vestiamur gloria,
Æternum omnes evadamus tartarum.
Præsta, quæsumus, unica Potentia,
Replensque gloria cunctam solus machinam,
Virtute firma ingens esto gloria,
Æterna cujus laus est et clementia,
Et honor jugis affatim per sæcula.
Amen.

2. *Prius interfuit hoc anno consecrationi*, etc. Sacratissimam ædem Lauretanam Deiparæ nativitate, ac Verbi divini incarnatione, et utriusque multorum annorum habitatione longe felicissimam, a sanctis Apostolis consecratam fuisse citra dubium sit. Ejus rei fidem præbuit Horatius Tursellinus lib. I Lauretanæ historiæ cap. 1 his verbis : *Omnium primum satis constat eam magnum semper nomen venerationemque apud Christianos habuisse; et ejus venerationis auctores ipsos fuisse Apostolos : ab his quippe Virginalem domum, seu prodendæ posteris memoriæ, seu Christianæ religionis augendæ studio, rite consecratam. Ex eo igitur tempore et ipsi Apostoli ingenti eam honore coluerunt, et ab aliis pari religione cultam voluerunt; Apostolorum inde auctoritas ad posteros valuit : cæteræque, deinde ætates certatim cælestis Reginæ incunabula, Deique concepti vestigia celebrarunt, qua dignum erat Religione, cultu.* Refert pro eadem sententia Annales Fiumenses apud Hieronymum Angelitam exstantes. Cætera quæ ad Deificam domunculam spectant, lege in eodem Tursellino. D

A. C. 42. Discipuli S. Jacobi Dei monitu, Virginisque consilio, corpus Magistri Joppe in nave deponentes, Iriam Flaviam Gallæciæ civitatem felici navigatione pervenerunt. A. R. 793.

BIVARII COMMENTARIUS.

3. *Discipuli*, etc. Narrant historiam Translationis Apostoli Vincentius in speculo hist. lib. VIII, cap. 6 et 7, Antoninus II p. hist. tit. 6, c. 7, Equilinus lib. VI, cap. 133, antiqua mss. quæ exstant in Bibliotheca Vaticana, et aliis, ut mei Cœnobii Nucalensis, et Montis Sion extra muros Toletanos : et in Archivis ejusdem urbis reposita est Epistola Hebræa de eadem re, quam Julianus fecerat Hispanam ; Morales, Zurita, Villegas, Mariana, Marieta, Vasæus, et quotquot de rebus Hispanis scripserunt. Præcipue tamen Leo III in Tractatu, seu Epistola de Translatione S. Jacobi, cujus initium est : *Noscat fraternitas vestra, dilectissimi Rectores totius Christianitatis, qualiter in Hispaniam integrum corpus B. Jacobi apostoli translatum est. Post Ascensionem Domini*, etc., ubi post martyrii relationem subdit : *Sublatum est autem corpus illius sanctissimi Apostoli a discipulis suis nocte, præ timore Judæorum. Qui Angelo Domini comitante pervenerunt Joppem ad littus maris. Ibi vero hæsitantes ad invicem quid agere deberent, ecce nutu Deiparæ adfuit navis ; qui gaudentes intrant in eam portantes alumnum Domini nostri Redemptoris, erectisque velis simul cum prosperis ventis, cum magna tranquillitate navigantes, super undas maris, collaudantes clementiam Domini Salvatoris, Iriæ pervenerunt ad portum ; ubi præ gaudio cecinerunt hunc Davidicum versum :* In mari viæ tuæ, etc. *Egressi de navi deducentes deposuerunt beatissimum corpus in prædiolum quoddam vocitatum nomine Liberandonum* (postea Campus Stellæ vel Compostella), *distans a præfata urbe Iriæ 8 millia-ribus, ubi nunc veneratur.* Addit Breviarium Salmaticense : *Sex autem diebus navigio iter fecerunt per mare sine remigio, manu Domini gubernante ; Septima autem die requievit ad littus navicula inter Uliam, et Tarem, in loco qui dicitur Iria, inter duos rivos ; quæ loca dicuntur Bisria.* Equilinus vero : *Corpus autem de navi deponentes super magnum lapidem deposuerunt : qui ut cera tenera corpori cessit, et in modum Sarcophagi se corpori mirabiliter adaptavit ;* cujus rei testimonium præbet Morales lib. IX, cap. 7, addens naviculam ligatam fuisse ad columnam marmoream, in qua hodieque hæ litteræ leguntur NO. ORISES. D. S. P. et ab eo creditur Iria Flavia vocata, postmodum *El Padron*, quia ejusmodi lapides viarum, seu ditionum diversarum termini, apud Hispanos nuncupantur *Padrones :*

Quid autem postea a Discipulis factum sit, narrat cum aliis Equilinus his : *Ingressi ergo Discipuli ad reginam, re et nomine vere Lupam, eidem dixerunt, qualiter Christus ipsi corpus Apostoli sui miserat, ut quem noluerat suscipere vivum, exciperet vel defunctum. Regina autem eos dolose ad regem Hispaniæ destinavit, ut super hoc ejus assensum requirerent : Qui eos cepit, et in carcerem clusit ; sed cum discumberet, Angelus Domini eos exsolvit, et liberos abire permisit. Quod rex audiens, post eos milites, qui eos occiderent, destinavit. Sed dum mitites pontem transirent, fracto ponte, omnes in flumine submersi sunt. Quod Rex audiens, et sibi ac suis metuens, Discipulos Apostoli pacifice revocavit, et ab eis una cum populo fidem Christi suscepit, et quidquid petierant libere concessit. Audiens hoc Lupa doluit, et redeuntibus Sanctis, ad regis consensum per litteras aperientibus, respondit ut boves suos, quos in tali monte habebat, plaustro jungerent, et corpus Magistri sui quocumque vellent tumulandum deferrent. Hoc autem dolose faciebat, eo quod Drago ingens flammam evomens* (ut creditur dæmonum arte), *boves ipsos custodiret : quique tauri essent indomiti ; qui nec vehiculo jungi possent ; vel si jungerentur, huc illucque iscurrerent ; et sic corpus dissiparent. Discipuli, dolum ignorantes, montem ascendunt, Draconem ingentem in eos ignem spirantem, signo crucis, per medium ventrem scindunt ; tauros velut agnos mansuetissimos plaustro jungunt, et desuper Sancti corpus cum lapide, super quem positus fuerat, imponunt, Boves autem sine alicujus regimine corpus in medium palatii Lupæ detulerunt : quod illa videns credidit et Christiana effecta est, et omnia ab eis petita concessit : palatium S. corpori in Ecclesiam dedicavit ; et mirifice dotavit, ubi quiescit infinitis et maximis miraculis coruscans.* Hactenus Equilinus, cui cæteri omnes consentiunt, uno excepto nomine feminæ, quæ ab aliis dicitur Luparia, ab aliis Lupa, ab Hispanis vulgo vocatur *la Reyna Loba*, et mons arduus, in quo arcem tenebat, *El pico Sacro*. Sane hæc ita accipienda sunt, ut non credatur vere regina, sed regula, vel nobilissima mulier, ut Salmanticinum Breviarium nuncupat ; nam tempore illo, sub Romanorum Imperio, non erat in tota Hispania rex ullus præter Imperatorem Romanorum. Regem vero regulum etiam intelligo.

Concinunt dictis, non solum citati auctores, sed etiam antiqua Breviaria Ecclesiarum Hispaniæ. Conchense has habet Antiphonas 2 nocturni, in translatione S. Jacobi : I. *A Rege locus petitur, in quo sepeliatur : cæmento pons dissolvitur, et turba flagellatur.* II. *Draco peringens rumpitur, Tauri fortes domantur : fera matrona vincitur, et loca consecrantur.* III. *Visis tantis miraculis, matrona baptizatur, et reprobatis idolis, sepultura paratur.* In Breviario Toletano Romanæ institutionis leguntur duo hymni, quibus tota Translationis historia continetur : quos placuit huc apponere in gratiam eruditorum.

Hymnus ad Vesperas.

Adest dies lætitiæ
Beatus in quo Jacobus
Terræ datur Hispaniæ,
Dux et patronus inclytus.
Qui post Christi supplicium,
Primus passus præ cæteris
Apostolis, indicium
Cœli dedit itineris.
Cujus corpus discipuli
Nocte levantes media,
Profani metu populi
Petunt Joppe præsidia.
Navis parata mittitur
Illis a Deo marium ;
Corpus in ea ducitur
Per maris longum spatium.
Post dies septem Iriæ
Portum intrantes, gaudio
Magno, cœlesti Curiæ,
Laudes cantant tripudio.
Ubi multa miracula
Ostenduntur divinitus ;
Corpus ardens ut facula
Fulgore fulget cœlitus.
Gloria tibi, etc.

Hymnus ad Matutinas.

Gaude, felix Hispania,
Lætis exsultans mentibus :
Tui ducis solemnia
Dignis cantando laudibus.
Hic est ille magnificus
Miles, potens certamine :
Primus palma glorificus
Apostolorum agmine.
Qui post mortis sententiam,
Navi deductus Iriæ :
Tibi dedit notitiam
Regni cœlestis curiæ.
Ut reprobares idola
Cum omnibus piaculis :
Jam fide facta credula ;
Visis multis miraculis.
Nam Draco magnus rumpitur

A. C. 42. Altare super sacrum corpus erigunt, et more sacro Basilius, Athanasius, Chrysogonus, A. R. 793.
Agathodorus, Elpidius (qui nuntio accepto de corpore sui parentis in Hispanias allato mox Iriam accurrunt) sacrant, et Apostolo dicant.

BIVARII COMMENTARIUS.

Percussus a discipulis
Signo Crucis, obsequitur
Turba boum horribilis.
Cæmento pons dissolvitur,
Turbæ merguntur flumine :
Fera matrona vincitur,
Christi suscepto nomine.
Corpus statim reconditur ;
Diversis aromatibus :
Et Compostellam ducitur,
Psalmis, hymnis cœlestibus.
Ibi sepultum tumulo,
Multis fulget prodigiis :
Virtutis vitæ pabulo,
Nos regens, et præsidiis.
Gloria tibi, etc.

Agit de eadem Apostoli translatione martyrologium Romanum die 25 Julii, ubi hæc leguntur verba : *Ejus sacra ossa ab Hierosolymis ad Hispaniam translata, et in ultimis earum finibus ad Gallæciam recondita, celeberrima illarum gentium veneratione, ut frequenti Christianorum concursu, religionis et voti causa illuc adeuntium pie coluntur.* In quæ verba cardinalis Baronius admittit sermones Callisti Papæ de translatione S. Jacobi, itemque de eadem re epistolas, et quinque libros ejusdem de miraculis S. Apostoli, necnon et litteras Leonis III papæ de translatione S. Jacobi in Hispaniam facta 3 kal. Januarii; et litteras Innocentii II papæ habentes subscriptionem S. Romanæ Ecclesiæ cardinalium. Vide de eadem translatione Usuardum die 25 Julii, et Molanum, Galesinium, Maurolicum, et cæteros auctores martyrologiorum; et præ omnibus S. Notkerum, apud Henricum Canisium, tomo VI Lect. antiq., cujus hæc sunt verba : *Hujus B. apostoli sacratissima ossa ad Hispanias translata, et in ultimis earum finibus, videlicet contra mare Britannicum, condita, celeberrima illarum gentium veneratione excoluntur. Nec immerito, quia ejus corporali præsentia, et doctrina atque signorum efficacia iidem populi ad Christi fidem conversi referuntur.* Et procul dubio idem fatetur S. Hieronymus, dum illud Isaiæ XXXIV, *Et ipse misit eis sortem, et manus ejus divisit eam*, sic exponit de apostolorum sortitione: *Dederitque ejus sortes atque diviserit, ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret : et unusquisque in Evangelii sui provincia quiesceret.* Quo loci fatetur unum ex apostolis, qui in Hispania prædicavit, ibidem quiescere : hoc vero neque Petro, neque Paulo, neque alteri præterquam Jacobo, qui sorte Hispania contigit, convenire potest.

Quod ad locum sepulturæ S. Jacobi pertinet, recte admonet Mantuanus in Notis suis ad Marianæ Historiam, non esse legendum apud Isidorum libro de Ortu et obitu Patrum, *Sepultus est in Marmarica*, neque quod Morales et Mariana corrigunt, *in Arca Marmorea*, sed sepultus est in *Tamarica :* nam Marmarica non est regio Hispaniæ, sed Ægypti, ut apud Ptolomæum Tabula 3 Africæ cap. 5 videre est (hodie dicitur regnum *Tunez*); at vero illa pars Galiæciæ ubi S. Jacobus sepultus est, nuncupatur Tamarica, a Plinio lib. IV cap. 20, et Pomponio Mela lib. III de Situ orbis cap. 1 a fluvio Tamaris, celebri admodum, illam regionem præterfluente : a quo hodieque vocatur *Trans Tamara.*

4. *Altare super sacrum*, etc. Qui fuerint illi discipuli qui corpus Apostoli in Hispaniam asportarunt, nunc videndum. Ii quidem qui episcopi constituti fuerant ab ipso vel presbyteri ordinati, certisque plebibus addicti minime eum comitati sunt Hierosolymas, sed in suis Ecclesiis manentes, audito nuntio A de ejus corporis adventu, Iriam Flaviam accurrerunt; inter quos Dexter præcipuos numerat, Basilium episcopum Carthaginensem, Athanasium Cæsaraugustanum, et Elpidium Toletanum; atque Chrysogonum et Agathodorum presbyteros; constat etiam illuc accurrisse D. Petrum Bracarensem, quoniam ipse Ecclesiam et sedem Iriensem instituit, cum Tudensi, Auriensi, Mindoniensi, et aliis Gallæciæ sedibus, ejus metropoli subjectis : ut ex fragmento operum D. Athanasii Cæsaraugustani compertum habemus; quod superius ad annum Domini 36 transcripsimus : eum vero comitatos D. Basilium primum episcopum Portugallensem, et D. Epitatium primum Tudensem, ejus discipulum, satis verisimile est. Cæterum S. Apostoli comites individui fuerunt Torquatus et socii : de his siquidem septem ait Breviarium Conchense lectione 4 translationis S. Jacobi, quod ab *ejus contubernali solatio prædictorum 7 vernaculorum nullus exstat subtractus* : et quod cum ipsis Hiero-olymam festinus ascenderat. S. Braulio in B additionibus ad M. Maximum addit Philetum, et Hermogenem, quos Paulo ante martyrium Hierosolymis ad fidem converterat. En verba ipsius : *S. Apostolum morientem Hierosolymis viderunt Hermogenes et Philetus, et cum aliis discipulis comitati sunt ejus corpus in navi ad Hispaniam : et post ejus appulsum Iriam Flaviam Gallæciæ civitatem, Hermogenes ad Italiam se contulit, et in persecutione Neronis Syracis prædicans, cum aliis occisus est* (agit de eo et sociis martyrol. Romanum die 25 Aprilis et 2 Septembris). *Philetus vero in Hispania mansit, prædicansque per diversas urbes, vidit S. Petrum, Paulum, Clementem, et Philemonem ibi prædicantes. Tandemque in persecutione eadem* 28 *Martii cum aliis sociis Carthagine veteri urbe interfectus est.* De eo martyrologium Romanum dicto die, quo loci Baronius confundit eum cum alio Phileto, de quo die præcedenti agitur; et in annalibus tom. I anno 59, n. 20, confundit iterum eos cum Phigello, et Hermogene, quos C Paulus II Timoth. 1 refert apostatasse a fide. Addit Braulio (seu Heleca) in suis additionibus : *Fama etiam est, cum S. Jacobus venit in Hispaniam, Mariam Cleophe, et Salomem matrem* (ipsius) *et Mariam quamdam Magdalenam eum fuisse comiter comitatas; et rediisse cum illo, venisseque cum corpore, et utrasque Cleophe et Magdalene obiisse in Civitatensi oppido* (vulgo Ciudad Rodrigo) *in Lusitania, die Aprilis* X ; *Magdalenam vero Lazari sororem venisse in Galliam. Maria Solome rediens cum ipso, Jacobo filio* (hoc est cum corpore ejus) *peragratis partibus Germaniæ, Angliæ et Italiæ, ubi prædicavit, cum Verulam pervenisset, ætate confecta ibi requievit* 24 *Maii.* Hoc loco novam aliam Mariam Magdalenam præter sororem Lazari et Marthæ inducit Heleca, quod licet mihi non constet, non est tamen incredibile in eodem Magdali viculo, seu Castello, fuisse aliam discipulam nomine Mariam (nomine, inquam, satis eo tempore usitato, ut ex Evangelio apparet), quæ a D patrio loco etiam Magdalena vocaretur. Quod pertinet ad Mariam Cleophe sociam ipsius, constat ex Romano martyrologio obiisse die IX Aprilis uno die ante assignatum ab Heleca; et mihi dubium non est in altero irrepsisse mendum, ut pro IX apponeret X vel e converso.

Erecto deinde altari super sacrum Apostoli corpus in prædio Lupariæ regulæ, festum depositionis celebrari cœptum est ab ejus discipulis : et ab eo tempore singulis annis observatum in Hispania; ut probe testatum reliquit M. Maximus ad annum Christi 563 sic inquiens : *A temporibus apostolicis ad hæc tempora celebris est festivitas S. Jacobi apostoli filii Zebedæi,*

A. C. 43. Sepulto corpore sacratissimi magistri : Torquatus, Thesiphons, Cæcilius, Iscius, Secundus, Indalecius, Euphrasius Romam petunt. A. R. 794.

BIVARII COMMENTARIUS.

qui primus omnium Apostolorum prædicavit in oris Occidentalibus. Heleca etiam in additionibus suis, *Memoria, diesque festus* (ait) *ab ipsius in Hispaniam ingressu, S. Jacobi filii Zebedæi celebris habebatur.* Vixit hic auctor anno 830 quo tempore post Maurorum in Hispania devastationem, qua sepulcrum S. Jacobi in oblivionem transierat, a Theodomiro Iriensi episcopo iterum repertum est, præeuntibus et præmonstrantibus locum cœlestibus luminariis circa annum Christi 830, sub rege Alphonso cognomine Casto; qui accepto nuntio, festinanter, magna animi devotione cucurrit ad venerandas Apostoli exuvias; donavitque ei tria milliaria fundi quaqua versum. Apostolus vero regi Ramiro Alphonsi successori, videntibus cunctis qui aderant, sese in præsidium præbuit, in bello de *Clavijo*, quo vectigal infame centum virginum Sarraceno regi quotannis solvendarum ablatum est. In cujus gratitudinem rex et nobiles concesserunt Apostolo privilegium, quod vocant, *de los Votos :* datum Callagurrii die 22 Maii, Era 872, qui est annus Christi 834. Deinde anno 1045, iterum visibilis armiger factus Apostolus, auxilio fuit Ferdinando regi, cognomine Magno, super Conimbricam. Demum Alphonsus rex itidem Magnus nuncupatus; nepos Ramiri, templum Apostolo augustissimum condidit; ad cujus consecrationem (teste Sampyro Asturicensi episcopo, ejus temporis auctore) Joannes Papa VIII misit legatum suum Raynaldum, cum Severo et Syderico regis oratoribus: quæ dedicatio celebrata fuit die 6 Maii, anno Domini 863, interessentibus, atque diploma subscribentibus Joanne Aucensi, Vincentio Legionensi, Gomello Asturicensi, Ermenegildo Ovetensi, Dulcidio Salmanticensi, Nausto Conimbricensi, Argimiro Lamacensi, Theodemiro Visensi, Gumaldo Portuensi, Jacobo Cauriensi, Argimiro Bracarensi, Didaco Tudensi, Egila Auriensi, Sisenando Iriensi, Ricaredo Lucensi, Theoderindo Britoniensi, et Heleca Cæsaraugustano, episcopis. Ita referunt Rodericus Toletanus, Hist. Hisp. lib. v, cap. 17; Lucas de Tude, Sampyrus; et ex eis Morales, lib. ix, cap. 7. Quo videas falli eos qui putant dedicationem istam, et corporis sancti inventionem factam sub cura Caroli Magni a Turpino Remensi, et aliis 60 episcopis (quod mirum est placuisse Baronio in notis ad diem 25 Julii Martyr. Rom.), cum compertum sit Carolum obiisse anno 814, ita sepulcri sui epitaphio attestante : corpus vero apostoli repertum fuit postea anno 830, cujus rei et totius historiæ exstant instrumenta in archivis ecclesiæ Compostellanæ. Sed de his satis.

A. C. 43. — *Sepulto corpore*, etc. Cum S. Jacobus martyrium subierit die 25 Martii anni Domini 42, et corpus ipsius noctu sublatum a discipulis apud Joppem navim ingressis septem dumtaxat dierum spatio in Hispaniam delatum fuerit (quod ex dictis superius liquet), necessum est, ut tertia vel 4 die Aprilis ejusdem anni Iriam Flaviam appulerit. Decertatum autem est cum Luparia et Regulo aliquot menses, qua in re et in convocatione Elpidii, Basilii, Athanasii, ac reliquorum discipulorum, qui per Hispanias divisi erant, ad altaris et sepulcri apostolici consecrationem, reliquum anni insumptum fuit : nam et consecratio ut ex traditione habemus, contigit die 30 Decembris, quo jam a Nativitate Christi cœperat annus 43. Recte proinde modo Dexter profectionem septem discipulorum Romam in annum 43 rejicit. Quinimo existimo, non illico iter arripuisse; sed postquam per menses aliquot Evangelicæ prædicationis negotio bene consultum fuit, et custodiæ sacri corporis. Placuit autem præsulibus, S. Jacobi discipulis, cum scirent Apostolorum principem e carcere liberatum, relicta Orientali Ecclesia, in Occidentalem jamjam descendere, ac Romam petere, prædictos septem discipulos ad ipsum nuntios mittere, ut ei translationem corporis S. Jacobi, et res Hispanicæ conversionis ad ipsum referrent. Sive vero ipsi prævenerint Apostolum Romam, ita quod illuc pervenerint anno 43, sive subsecuti sint anno sequenti, certum est ex his quæ diximus ad annum 42, et ex Eusebii testimonio in Chronico, S. Petrum Romam accessisse anno 44 Domini : fundavit autem sedem seu cathedram Romanam die 18 Januarii, quo festum ejus celebratur. Quo fiet ut eodem anno 44, ipsum convenerint Romæ, et ab eodem Apostolo ordinati sint episcopi. Cujus freti auctoritate in Hispaniam reversi sunt, in urbibus Bæticæ littoralis prædicaturi; quandoquidem cæteræ regiones prædicatores et episcopos suos habebant : quod ex superius dictis ad annum 36 et 37 liquido constat. Quare dubium non sit Eysengrenium sine teste loqui in Chronico Spirensi, dum anno 45 Christi docet Torquatum et socios Romæ episcopos ordinatos : et non audiendus similiter Baronius, qui ad annum 46 rejicit hanc ordinationem, et in eo quod cum concedat Petrum anno 44 Romam accessisse, sine causa erectionem cathedræ rejicit in annum sequentem 45; non enim fuit aliud cathedræ erectio, quam accessus ejus Romam, cum ipsius potestas non penderet a possessione aliqua canonice accipienda. In quo nobis adstipulatur auctor Thesauri Concionatorum in Vita S. Petri. Dies autem quo in Hispaniam appulsi, ad civitatem Accitanam (nunc *Guadix*) pervenere, et miraculo liberati sunt, videtur fuisse 15 Maii, quia ea die memoria omnium eorum celebratur, cum tamen non eadem, sed diversis in vitam meliorem translati sint : nimirum Secundus 2 Maii, Indalecius 30 Aprilis, Thesiphons 1 Aprilis, Cæcilius 1 Februarii, Isicius 1 Martii, etc. Satisque id videtur innuere, Rom. Martyrologium, dum eum quem Usuardus vocarat *diem Natalis* ipsorum, ablato *Natali* nomine, quod diem mortis sonat, solum vocat, festum diem : *In Hispania*, ait, *sanctorum Torquati, Tesiphontis*, etc., *in ea provincia diversis locis quieverunt.* Non videtur autem quæ alia causa fuerit hujus festivitatis, nisi adventus in Hispaniam, et initium miraculosæ conversionis gentilium ad fidem. Narrat historiam Beda in Martyrologio ad diem 15 Maii his verbis : *Cum ad civitatem Accitanam venissent, et propter laborem itineris modicum quiescerent, et causa victus emendi discipulos in urbem misissent; mox paganorum multitudo, qui tunc forte diis suis festa celebrabant, eos usque ad flumen persecuta est : in quo pons miræ magnitudinis et fortitudinis exstructus, transeuntibus sanctis, Dei nutu, cum omnium insequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum cæteri territi, et cujusdam magnæ senatricis Lupariæ, quæ divinitus inspirata eos benigne suscipiens, credidit, exemplum secuti, relictis idolis, Christo Domino crediderunt.*

Confundi videbuntur alicui in hac historia, miraculum pontis ruentis, et conversio Lupariæ, cum his quæ in translatione S. Jacobi in Gallæcia narrata sunt, præsentibus eisdem septem discipulis, Torquato et sociis. Cæterum bis pontis miraculum sanctis contigisse, semel Iriæ Flaviæ, iterum vero Acci, doctorum auctoritas irrefragabilis convincit. Luparia quoque Accitana senatrix filia erat alterius Lupariæ regulæ Gallæciensis, ut mox ad annum 60 docet Dexter. Certe Bedæ (ut recentiores Hispanicarum rerum auctores omittam, Moralem, Truxillum, Marianam, Marietam, Villegam et alios innumeros) consentiunt Addo in Martyrologio; Equilinus, lib. v, c. 3; et manuscripta vetustissima, quorum unum legi in bibliotheca monasterii montis Sion extra

muros Toletanos, antiquis characteribus in membrana descriptum, ubi post historiam rupti pontis, hæc habentur : *Quem videntes eventum pars maxima, terrore vehementi conteritur. Inter quos fuit senatrix quædam, rebus inclyta, et inflammatione S. Spiritus adornata, genere nobilissima, nomine Luparia; ipsorum sanctorum opinionem ut reperit, ad eos suos nuntios misit, per quos illos summos principes, ut suam eidem exhiberent præsentiam rogavit. Quos ubi primum videre meruit, cujus interna pectoris jam superna dona ditaverant, unde sanctissimi senes essent, vel de quibus regionibus advenissent, audacter interrogat. Et cum illi a sanctis Apostolis missos ad prædicandum Dei regnum, et Christi Evangelium Hispaniæ denuntiati fuissent.... docentibus illis.... continuo sanctæ doctrinæ novella credere acquisivit. Et postulans domum sancti baptismatis, jubetur non prius petita excipere, quam baptisterio, quo sancti elegerant, fabricaret basilicam. Quæ tali visione percepta, tamdiu operi jugem curam adhibuit, quousque omnem fabricam basilicæ ad culmen deduceret, et cœpti templi fastigia explicaret. Cumque jam perfectum opus existeret, et universa quæ sancti ei jusserant complevisset, fontem ex more constituunt, in quo sanctæ devotionis femina salutaris lavacri unda perfunderetur. Cujus mulieris cum sanctum sequeretur exemplum cunctus populus, qui idolorum vacuam superstitionem colebant, veternosi criminis templum relinquunt, et sanctorum senum doctrinam accensis mentibus assequuntur. Ex tunc jam idolorum polluta sedes relinquitur; et ibi S. Joannis Baptistæ consecrantes altaria, Ecclesia Christi construitur, et crescente fide, Dei populus augmentatur.* Est vero tantæ antiquitatis historiographus, ut paulo post mortem horum sanctorum vixisse, constet ex his quæ ad calcem historiæ scribit. Astipulantur his antiqua Breviaria Hispaniæ, Toletanum institutionis Romanæ, Cordubense, Granatense, et reliqua. Sed quod his omnibus majus venerabiliusque est, consentit Officium Gothicum S. Isidori, ubi in Præfatione Missæ (seu *Latio* ut ibi vocatur) sic legimus : *Dignum et justum est, nos tibi gratias agere semper, æterne omnipotens Deus, cujus gloriosi nominis fidem doctores ductiles præconcinunt tubæ, et specialium locorum prædicandi privilegio gaudent. Ex quorum numero hos agnoscimus præsulatus gratia præditos, et nostris partibus ab Apostolis destinatos, Torquatum videlicet, Secundum, Indalecium, Thesiphontem, Euphrasium, Cæcilium, et Iscium : quos ob fidem catholicæ institutionis tradendam institutio apostolica Hispanis destinat. Quorum prophetiatio gloriosa nostris urbibus jam vicina, ea nos gaudiorum innovat cultu, quæ miraculorum est facta profectu. Nam dum missis discipulis in hujus urbis convicinitatem, escarum emptorum aliquid præcepissent, agunt assectæ præcepta sibi quæ jussa sunt. Sed ecce subito dum idolis homines sacrificare conspiciunt, agnitis perfidis, religionis patulo cultu, fervido cursu usque ad fluvium, perfidorum turba persequitur. Sed pons illic antiqua mole constructus, dat utrisque partibus terminum. Nam ad instar antiquæ historiæ, cum transfretavit Israel mare Rubrum, salutis iter porrigens, sic nunc, fugientibus discipulis beatorum, pons ipse subito miraculo intercedente dissolvitur, et fugientes sanctorum populos salvans, persequentes prorsus perfidos labiles mergit in undas. Illic ad transitum Israelis unda maris dividitur, hic ad salvandos Christi famulos ingentis molis structura resolvitur. Illic Ægyptii cum curribus suffocantur, hic perditicum lapidibus submerguntur. Illic Israelitæ demersis hostibus in profundum, Deo laudis canticum promunt, hic simili lætitia liberatorum populus gratulatus hymnum tibi cum sanctis angelis proclamant, ita dicentes : Sanctus, Sanctus,* etc.

Deinde ante orationem Dominicam sic ait : *Ecce, dilectissimi fratres, mecum oculos in sublime attollite, hoc a Domino specialiter precaturi, ut quia gratia fidei christianæ cor B. Lupariæ dignatus est inlustrare repente, nos in hoc momento ab omni criminum labe dignetur efficaciter expurgare, proclamantes ad te e terris atque dicentes : Pater noster,* etc.

Non possum me continere, quamquam sæpius idem repetere videar, quin hymnum afferam ab ejusdem sancti Isidori Breviario extractum, quod elegantissimus sit et totam rem comprehendat.

Hymnus S. Isidori de S. Torquato et sociis.

Urbis Romuleæ jam toga candida
Septem pontificum destina promicat :
Missos Hesperiæ, quos ab Apostolis
Assignat fidei prisca relatio.
Hi sunt perspicui luminis indices,
Torquatus, Thesiphons, at quoque Iscius,
Hinc Indalecius, sive Cæcilius,
Juncti Euphrasio, Secundoque sunt.
Hi Evangelica lampade prædiii,
Lustrant Occiduæ partis arentia :
Quod sic catholicis ignibus ardeant,
Ut cedant facibus furna nocentia.
Accis continuo fit proxima viris,
Bissenis stadiis, qua procul insident,
Mittunt asseclas esculenta quærere,
Queis fessa dapibus membra reficerent.
Illic discipuli idola gentium
Vanis inspiciunt ritibus excoli,
Queis dum in aggere fletibus immolant,
Terrentur protinus ausibus impiis.
Mox insana fremens turba satellitum
In his cum fidei stigmata nosceret,
Ad pontem Flavii usque per ardua,
In cursu celeri hos agit in fugam.
Sed pons prævalido murice fortior
In partes subito pronus resolvitur :
Justos ex manibus hostium eruens,
Hostes flumineo gurgite subruens.
Hæc prima fidei est via plebium;
Inter quos mulier sancta Luparia
Sanctos aggrediens, cernit, et obsecrat,
Sanctorum monita pectore conlocans.
Tunc Christi famula attendens obsequio
Sanctorum, statuit condere fabricam;
Quo baptisterii undæ patescerent,
Et culpas omnium gratia tergeret.
Illic sancta Dei femina tinguitur,
Et vitæ lavacro tincta renascitur :
Plebs hic continuo pervolat ad fidem,
Et fit catholico dogmate multiplex.
Posthæc pontificum chara sodalitas
Partitur properans septem in urbibus :
Ut divisa locis dogmata funderent;
Et sparsis populos ignibus urerent.
Per hos Hesperiæ finibus indita
Illuxit fidei gratia præcox :
Hinc signis variis, atque potentia
Virtutum, homines credere provocat.
Exhinc justitiæ fructibus inclyti,
Vitam multiplici fœnore terminant
Concepti tumulis urbibus in suis :
Sic sparso cineri una corona est.
Hinc te Turba potens unica septies
Orata, petimus pectoris abdito,
Ut vestris precibus sidus in ætheris,
Portemur socii civibus angelis.
Sit trino Domino gloria, unico
Patri cum Genito, atque Paraclito
Qui solus Dominus trinus et unus est,
Sæclorum valide sæcula continens. Amen.

Nominibus Torquati et sociorum in Capitula ejusdem festi sic lusit Isidorus : *Adest, Domine, clara et evidens tuorum illa septem pontificum revoluti temporis annua celebritas. Torquatus ex his nobis proroget monilium ornamenta virtutum; Tesifons a te qui est fons vitæ, uberrimo doctrinæ gurgitis poculo satiet; Iscius sceleris nostri piacula mundet : Indalecius index bonorum operum spiritualium alimenta ministret : Secundus futuri adventus tui gaudio electorum participio jungat; Euphrasius quadrifluo Evangeliorum amne catholicæ fidei dogmata firmet; Cæcilius cœtibus angelorum nos associet.*

A. C. 44. Et a B. Petro consecrati pontifices, ad meridianas Hispaniæ partes, scilicet ad Bæti- A. R. 795
cam littoralem, prædicaturi revertuntur.
Calocerus discipulus S. Jacobi per Carpetaneam prædicat.
48. Hierosolymitani Judæi vehementer infensi B. Lazaro, Magdalenæ, Marthæ, Marcellæ, 799.
Maximino, Josepho ab Arimathia nobili decurioni, et aliis plurimis; navi sine remi-

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 44. — 1. *Et a B. Petro*, etc. Multi existimarunt, a sanctis apostolis Petro simul et Paulo hos ordinatos, et in Hispaniam missos, quod Breviarium Palentinum, Cordubense, et Granatense fecerunt; et Gregorius VII, in epistola ad Aldephonsum regem. Cæterum id minime fieri potuit, cum Paulus necdum Romam ascendisset, usque ad secundum Neronis annum (testimonio Hieronymi lib. de Script. eccles. in Paulo), quo anno multi horum episcoporum obierunt, post longam prædicationem. Quare Breviarium Romanum, cum Baronio, tomo I, anno 46, § 2. Padilla, centuria 1, cap. 19; Mariana Comestabilisque, tractatu de Adventu S. Jacobi; Madera, lib. de Antiq. Granatæ c. 32; Alderete, lib. II Antiquit. Hispan. cap. 12. a solo Petro missos, et ordinatos profitentur: ut modo Dexter asseverat. Cum vero Isidorus et Martyrologia a sanctis Apostolis aiunt destinatos in Hispaniam, intelligendum est a Jacobo primum, et postmodum a Petro missos, vel nomen commune non derogat particulari.

2. *Calocerus*, etc. Egimus de eo ad annum 57. Consule ibi dicta.

Sequenti Domini anno 45, contigit martyrium S. Petri primi Bracarensis episcopi apud Ratem, non longe a Bracara Augusta; de quo agit inferius Dexter ad annum 66 et 110, ubi multis miraculis coruscasse dicit.

A. C. 48. — 1. *Hierosolymitani*, etc. Astipulantur his quæ a Dextro referuntur, antiqui mss. codices, veteraque Hispaniæ Breviaria, e quibus legi Asturicense, et Palentinum; et Petrus de Natalibus, lib. VI, cap. 124, in Magdalena, et cap. 151, in Martha, et cap. 152, in Marcella; et lib. I, cap. 72, in Lazaro, et lib. V, cap. 101, in Maximino. His addit Celidonium, seu Cedonium, quem tradit fuisse cæcum illum a Nativitate, quem Dominus sanavit, Joannis cap. IX; et de eo agit lib. V, cap. 102. Solum discrepat quoad Josephum ab Arimathia, de quo lib. IV, cap. 2, refert, quod a Judæis muro inclusus, ut fame et tenebris interiret, cœlesti cibo refectus, et lumine superno illustratus fuerit, usque ad eversionem Hierosolymorum: et quod eo tempore muro rupto inde exclusus sit, et Tito se præsentaverit; et post hæc vixerit cum discipulis, placide usque ad diem mortis suæ. Cæterum cum de re tam notabili nullum proferat auctorem, assentimur magis Dextro, qui eum Magdalenæ comitem facit.

Sed quo anno sanctorum hæc expulsio facta fuerit dubitari potest: quoniam communiter dicitur facta post Stephani martyrium, ut apud card. Baronium anno 35 videre est. Nihilominus non illico contigisse credenda est, nisi post annos 14 a Passione Christi transactos. Ita refert prædictus episcopus Equilinus lib. VI cap. 124 his verbis: *Post Ascensionem igitur Domini anno 14 post Stephani lapidationem, et discipulorum dispersionem, Judæi Magdalenam cum pluribus Christianis rapientes, inter quos erat B. Maximinus, unus ex 72 discipulis, cui a B. Petro ipsa Magdalena fuerat specialiter commendata; Lazarus frater ejus, et Martha soror ipsius, atque Marcella Marthæ pedissequa, necnon B. Cedonius qui fuerat cæcus a nativitate, quem Dominus illuminaverat, et alii plures: omnes istos, navi impositos, et pelago sine remo, vel regimine expositos, ut in Ponto necarentur, a Judææ finibus propelluntur. Qui, Deo duce, ad Massiliam appulerunt.* Consonant his ea quæ lib. I, cap. 72 dixerat de B. Lazaro, quod videlicet anno 14 episcopus Massiliensis fuerit constitutus. Cum A vero Christus Dominus passus fuerit anno 34 ætatis suæ, fit ut additis prædictis 14 quæ ab ejus Passione ad horum sanctorum emissionem et expulsionem intercesserunt, ipsa expulsio contigerit anno 48 ut Dexter asseverat.

Hinc vero possumus quæstionem illam de numero annorum beatissimæ Dei genitricis, elucidare, quæ sæpe multumque torsit auctores. Quidam enim testimonio B. Elizabeth monialis de Schonaugia (non viduæ Lanzgravis, ut D. Antonius 3 part. tit. 19, cap. 11 dixit, sed ordinis S. P. Benedicti) quæ id scripsit lib. IV suarum revelationum, capit. I dixerunt quod solum supervixit Christo, anno uno, et mensibus 3, et hoc secuti sunt Beletus cap. 147 de Divin. Officiis, et Equilinus lib. VII cap. 65. Hoc tamen vero non consonat: quandoquidem Paulus, qui illic interfuit, necdum ad fidem conversus erat, eo anno 35 usque ad 36, ut superius monstratum a nobis est. Mitto Equilini fundamentum, quoniam valde futile est, ait enim: *Et hoc verius judicatur ex* B *eo quod dicit Dionysius omnes Apostolos dormitioni Virginis interfuisse; quod esse non potuisset si ipsa post Ascensionem ulterius vixisset: cum Jacobus apostolus filius Zebedæi passus fuerit ad litteram biennio post Domini passionem.* Verum nec Dionysius omnes Apostolos illic interfuisse asserit, ut jam dicam; et si id dixisset, de vivis intelligendus esset, vel voluisse Jacobum cum Christo Domino de cœlo tunc descendisse; nec ipse Jacobus eo anno obiit, sed multo post, ut ostendimus ad annum 42.

Econtrario contendunt alii usque ad 80 vel 90 suæ ætatis annum Virginem supervixisse, sed sine teste, et ideo audiendi non sunt. Sunt qui velint, post 12 annos a Christi Passione B. Virginem assumptam, quia totidem (aiunt) præceperat Apostolis ipse, *ab Hierosolymis ne discederent.* Sed id Beda mendacium vocat, et a nobis explosum est superius ad annum 34. Mihi probabilissimum est hac in re, alterum e duobus annis ætati Dei genitricis pro termino vitæ consignare oportere, nimirum vel 63 vel C 73. Hoc posterius amplectitur Epiphanius contendens 24 annos supervixisse filio suo, videlicet usque ad annum Domini 58; nam si anno 34 Passionis addas 24, fient 58. Cum vero ipso Epiphanio teste B. Virgo anno suæ ætatis 15 Dominum peperierit, consequens est, ut existens 73 annorum in cœlum assumpta sit anno Filii 58. Illud vero prius communiter recipitur, dum fideles in memoriam annorum vitæ ipsius Dominæ nostræ recitant angelicarum orationum coronam numero 63. Et hoc ipsum deduco ex præsenti testimonio Dextri. Quod enim Magdalena anno Domini 48 expulsa sit a Judæa cum fratribus et sociis, et non antea, satis innuit eo anno e vivis sublatam in cœlum B. Virginem, cujus ipsa individua comes fuerat; quinimmo ex præclara exsequiarum Virginis solemnitate, ac publicitate, ira succensos Judæos verisimile est (quod et Melito Sardicensis asserit, libello de ejus transitu, si is auctor ipsius est), et tunc manus in Magdalenam, et socios injecisse. Ob eorum autem sanguinis nobilitatem, minime neci datos, sed in exsilium, et periculum maris. Annus autem 48 Domini fuit 63 Virginis, si demus, ut Epiphanius docet, in 15 peperisse. Adde hoc ipsum annotasse Eusebium in Chronico his verbis: *Anno Domini 48 Maria Virgo Jesu Christi mater ad Filium in cœlum assumitur, ut quidam fuisse sibi revelatum scribunt* (nota antiquissimas de ea revelationes). Accedit quod annus 63 est climactericus,

A. C. 48. gio, velisque, ac sine gubernatore eos imponunt, et exsulare mandant. Qui per va- A. C. 799.
stum mare divinitus delati, ad Massiliensem portum incolumes appellunt.

BIVARII COMMENTARIUS.

et quasi naturalis terminus vitæ, vel ut minimum ingerit maximum mortis periculum: unde multi præstantissimique viri eo anno ætatis suæ obierunt, in quibus Benedictus, Bernardus et alii. Quamquam vero Virgo Beatissima ægritudine non fuerit vexata, satis tamen est, quod natura sua, sit ille annus climactericus, ut in eo mortuam et assumptam credamus. Hujus itidem non leve indicium est, quod juxta hanc annorum Deiparæ supputationem, tantumdem vixisse creditur, post mortem Filii, ac vixerat sine eo ante Incarnationem: id est utrimque XV annos et simul XXX in quo non vocat mysterio, quod XV illi vitæ anni sine Filii præsentia post ejus Resurrectionem concederentur, quemadmodum alios XV absque eo exegerat; priusquam ipsum Virgo existens conciperet: ut ita finis corresponderet principio: et medio horum XXX annorum totidem fere cum eodem Filio degeret; id est XXXIII.

Accedit quod post finem ejus anni 48 seu initio sequentis, constat ex sacris litteris aliquos apostolos Hierosolymis adfuisse, Petrum videlicet, Joannem, Jacobum Alphæi, Paulum, Barnabam, et Titum, Marcum item, et Judam qui cognominabatur Barsabas, et Silam, *viros primarios inter fratres*, ut Lucas ait Actorum XV. Et hi omnes sine nubis vehiculo, et absque miraculo Hierosolymis adfuerunt, causa illius concilii celebrandi, quo legalia vetita sunt. Et quidem de Petro habemus in ipsa Magdalenæ historia, apud Equilinum, quod cum eodem Apostolo Roma discessit quidam Massiliæ princeps, a Magdalena conversus, et quod Hierosolymas cum eo profectus fuit. Joannes aderat in Virginis contubernio, Jacobus erat in sua sede Hierosolymitana: Paulus et Barnabas, assumpto Tito, missi sunt a fidelibus causa legalium: cæteri erant comites Apostolorum. Cum autem miracula sine necessitate admittenda non sint, restat ut eo anno assumptam fateamur Beatam Virginem, quo ipsi Hierosolymis erant, sine miraculo; nam si post annum hunc 48 assumeretur, præsentibus Apostolis, dandum esset miraculum illud quod narrat Melito de vectione Apostolorum in nubibus, et reductione in loca ubi prius fuerant: cujus tamen historia inter apocryphas rejicitur a Gelas. dist. 15 cap. *Sancta Romana*, et a Beda super acta Apost. Video nihilominus id referri a Damasceno Serm. de Dormitione Deiparæ, et admitti a Breviario Romano in eo festo; sed quatenus id verum sit, de cæteris Apostolis intelligendum est, qui scilicet concilio non interfuerunt, et longe a Hierosolymis tunc temporis distabant.

Quod autem concilium illud acciderit anno 48, quod Onophrius asseverat, vel saltim initio 49, post Virginis transitum, deducitur manifeste ex Paulo ad Galatas II, dum ait: *Deinde post annos 14 iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem; et contuli cum illis Evangelium quod prædico in gentibus.* Videlicet non inducens e gentilitate conversis obligationem legalium. Hanc vero fuisse causam profectionis Pauli et Barnabæ in Hierusalem, ostendit Lucas Actorum XV, de Concilio eo agens. Illic vero invenit Paulus apostolos tres, Petrum, Joannem et Jacobum. *Et cum cognovissent gratiam quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas (id est Petrus) et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in gentes* (nimirum sine impositione oneris legalium), ipsi autem in Circumcisionem (*Galat.* II). Cum igitur concilium hoc (teste Paulo) celebratum sit anno 14, ab ejus conversione (sic enim superius probavimus accipiendum esse illud: *Deinde post annos 14 ascendi iterum Hierosolymam*, etc.), conversio autem ipsius A contigerit initio anni Domini 36, consequens est ut concilium inciderit in annum 49 paulo post Virginis assumptionem, ipsa vero assumptio in annum 48, et forsan ejus rei vocatus fuit Paulus per revelationem ut iret Hierosolymam; quod ipse notavit dicens: *Ascendi autem secundum revelationem*; nam propter solum concilium legalium non videbatur necessaria revelatio ascensionis Hierosolymam, quia ipse et Barnabas a Judæis et fratribus Antiochiæ commorantibus missi fuerunt (*Act.* XV).

Obiter animadverterim card. Baronium non recte remisisse concilium hoc ad annum 51, cum simul contendat illos 14 annos, a conversione Pauli usque ad concilium numerandos, et quod conversus fuerit annos 36. Video quidem verba illa: *Post annos 14*, sumi posse ita ut denotent idem *ac post completos* 14 seu initio 15. Cæterum adhuc non potuit concilium in annum 51 sed in 50 incidere: nam ipse annus 36 conversionis totus fere enumerandus est (quod Baronius non facit), cum initio anni ea acciB derit. Nos igitur quod multis aliis veritatibus id consonare videamus, verbum illud *Post* eo sensu accipimus, ut non excludat ipsum annum 14, cum non dicat Apostolus post completos 14 annos, sed post annos 14. Quare rectius concilium illud anno 49 celebratum dicimus: Paulum vero aut non interfuisse Assumptioni, quæ accidit anno 48, aut sensum illorum verborum esse: *Post annos 14 cum venissem Hierosolymam*, etc. id est: Cum venissem Hierosolymam, et interfuissem dormitioni Virginis, post annos 14 a conversione mea, Domini vero anno 49, *contuli cum illis Evangelium*, etc.

Unum est quod in sententia hac non parvam difficultatem ingerere videtur, nimirum testimonium Dyonisii de divinis Nomin., cap. 3, quo affirmare videtur ad Virginis funus convenisse, non solum apostolos, sed multos etiam discipulorum, et inter cæteros ipsummet Dionysium cum D. Hierotheo, quia C Græci in Menologio, die 4 octobr. asseverant, hunc quoque fuisse unum ex Areopagitis judicibus, quos Athenis Paulus ad fidem convertit. Quod vero post concilium legalium D. Paulus Dionysium ad fidem perduxerit, manifestum est apud Lucam: nam cap. XV Actorum, concilio peracto Hierosolymis, asserit, Paulum et Barnabam profectos Antiocham attulisse ad ecclesiam concilii decretum; post aliquot autem dies discessisse ab invicem occasione accepta a Marco, quem Paulus nolebat sibi comitem fieri, Barnabas autem volebat. Inde (cap. XVI) Paulus, assumpto Sila, perrexit Derbem et Lystram, ubi Timotheum convertit, sibique sociavit. Transiit deinde prædicando Phrygiam et Galatiam, et Mysiam: et Macedonis sibi in visione ostensi precatu, Troadem, Samothraciam, et Neapolim, Philipposque Macedoniæ civitatem: ubi Lydiam purpurariam cum domo sua convertit, et puellam pythonissam liberavit. Missus nihilominus in carcerem, et multis cæsus plagis, inde tandem liber exiens deambulavit in Lydia Amphipolim (cap. XVII), Apolloniam et Thessalonicam, D et Beræam: et tandem pervenit Athenas, ubi ad Areopagum ductus, assumpto sermonis themate, ab *Ara ignoti Dei*, Dionysium Areopagitam convertit. Quis neget in tot, tantisque peregrinationibus, et prædicationibus, insumpsisse Apostolum, ut minimum, duos tresve annos? Quibus multos alios addere oportet, ut Dionysius et Hierotheus in Pauli schola doctissimi evaderent, quales constat (cap. 3 de Divin. nom.) illo tempore fuisse. Hinc tandem fiet, B. Virginem non migrasse ad Filium in anno concilii legalium, sed multo post.

Forsan aliquis subterfugere vellet argumenti vim, contendens concilium non fuisse celebratum eo anno

48 vel 49, sed forsan multo antea : ex Actis siquidem apostolicis non constat de tempore, quamvis constet multo ante Dionysii conversionem accidisse: neque etiam ex Paulo ad Galat. II; ibi enim non ait, se accessisse ad concilium post annos 14 a sua conversione, sed ad conferendum cum Apostolis evangelium quod in gentibus prædicabat; quod sine concilio potuit fieri. Semel autem dato, quod concilium non fuerit celebratum anno 48, sed antea, datur locus, ut Paulus post concilium Athenis prædicans Dionysium converterit, et in fidei arcanis mysteriis erudierit; et tandem anno 48 ad funus Virginis accesserit.

Hæc tamen fuga admitti nequit, multa enim sunt quæ convincunt concilium non fuisse celebratum ante annum 48. Primum quia tot tantaque negotia intercesserunt usque ad concilium, quod ipsum usque ad annum 48 minime celebrari potuerit : namque in Actib. apost. cap. XII, post liberationem Petri a vinculis, et Herodem consumptum a vermibus, ponitur fames celebris ab Agabo prophetata, *quæ facta est sub Claudio* (Act. II). Contigit vero teste Eusebio et aliis anno 4 Claudii, qui fuit Christi 46; nam Claudius successit Augusto ad finem anni 42, quo tempore Paulus et Barnabas missi sunt ab Ecclesia Antiochiæ Hierosolymam, collectam et subsidium allaturi habitantibus in Judæa fratribus : quo munere expleto (ait Lucas cap. XII), reversi sunt ab Hierosolymis Antiochiam. Hæc igitur anno 46 acta sunt. Narrat deinde evangelista, cap. XIII, quod dum morarentur Antiochiæ, segregati sunt in opus apostolatus gentium, jubente Spiritu sancto; et quod statim abierunt Seleuciam, et inde navigaverunt Cyprum, ubi prædicaverunt Salaminæ; *et cum perambulassent universam insulam usque Paphum*, Paulus excæcavit Elymam magum, et convertit ad fidem Sergium Paulum proconsulem. Inde navigarunt Pergem Pamphiliæ, et venerunt Antiochiam Pisidiæ : ubi multis gentilium conversis, ad Judæos dixerunt : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, convertimur ad gentes.* Rursus Iconium inde profecti, ibi (ait Lucas cap. XIV) *multo tempore demorati sunt fiducialiter in Domino agentes, dante signa et prodigia fieri per manus eorum*, etc. Sed tandem contumeliis ibi affecti, et lapidibus impetiti, *confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lystram, et Derben, et universam in circuitu regionem, et ibi evangelizantes erant.* Lystris sanavit Paulus claudum a nativitate, et ob id a gentilibus creditus Jupiter est, et Barnabas Mercurius : sed tandem lapidatus Paulus Derben petiit; cumque evangelizassent ibi Jesum, et docuissent multos, reversi sunt iterum Lystram, Iconium, Antiochiam Pisidiæ, constituentes per singulas Ecclesias presbyteros, et transeuntes Pisidiam venerunt in Pamphyliam, et loquentes verbum Domini in Perge descenderunt in Attaliam : et inde navigaverunt Antiochiam unde exierant. Post quæ omnia (ait Lucas in fine cap. 14), *Morati sunt tempus non modicum cum discipulis.* Ac demum orta est disceptatio de legalibus, et missi ab Antiochia Hierosolymas ad apostolos Paulus et Barnabas super hac quæstione. Refertur vero concilium in toto cap. XV sequenti. Vide quæso quanta inter famem et concilium intercesserint : quam longam confecerint peregrinationem, quomodo, teste Luca, *multo tempore demorati sint* Iconii, *et morati sint tempus non modicum* Antiochiæ, priusquam concilium celebraretur; ut mirum sit hæc omnia duobus, vel tribus annis perfici potuisse. Cum vero fames, quæ hæc omnia præcessit, anno Christi 46 contigerit, fieri aliter nequit, quin concilium usque ad annum 48 vel 49 dilatum sit.

Adhæc, ipsa Pauli ad Galat. II verba suppeditant nobis irrefragabilem ejus rei probationem. Constat ex epistola, cum Paulus ascendit Hierosolymam anno Christi 48 vel 49 (id est, post annos 14 a sua conversione), comitem habuisse Barnabam; *Deinde*, ait, *post annos 14, iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba.* At ex cap. XV Act. habemus liquido, statim post concilium discessisse ab invicem Barnabam et Paulum : *Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem; et Barnabas quidem, assumpto Marco, navigavit in Cyprum; Paulus autem, electo Sila, perambulabat Syriam et Ciliciam.* Minime igitur contingere potuit ascensus ille Pauli cum Barnaba post apostolicum concilium, sed tempore celebrationis ipsius; et consequenter anno 48. Mitto quod verba illa Pauli : *Et contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus* (id est, sine onere legalium, ut in tota Epistola contendit Apostolus demonstrare Galatis), nihil aliud denotant, quam quod detulisset ad illos quæstionem legalium : quæ certe in concilio discussa est. Mitto etiam quod ex Actis XV liquet, Paulum a concilio iterum reversum Antiochiam : ex epistola vero habemus, quod statim post collationem sui Evangelii cum Apostolis erat inibi Paulus; nam cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restitit, super legalium simulatione. Ut tandem videas utrumque testimonium sibi invicem in omnibus respondere; ac de eadem re prorsus agere : et concilium contigisse eo anno quo Paulus ad Galatas II consignat.

Quid igitur ad Dionysium dicendum : superest nobis expositionem et placitum amplecti Hilduini, viri doctissimi, qui, jubente Carolo Magno, historiam Dionysii digessit (quam apud Surium habemus tomo V). Contendit vero B. Dionysium, citato testimonio cap. 3 de divin. Nom., minime agere de transitu Virginis, nec asserere se et Hierotheum ei adstitisse; sed quod aliquando convenerint ipsi duo cum Petro et Jacobo Alphæi, et aliis discipulis, visuri sepulcrum Domini, reverentiæ et gratitudinis, ac devotionis ergo. Quo dato, nihil nobis nocet testimonium ipsius, qui transitum Dominæ investigamus. Fatcor nobis adversari Metaphrastem, et Damascenum, Juvenalem Hierosolymorum antistitem, Nicephorum, Glycam, inter antiquos; ex recentioribus autem Baronium, anno 48, et alios qui verba Dionysii de dormitione Virginis interpretantur : eorum tamen reverenter habita licentia, in suam interpretationem adduci non possumus : nec mirum, cum manifeste defecerint (uno dempto Baronio) in eodem Dyonisii textu explicando, dum ex eo credunt haberi inibi quoque adfuisse Timotheum, Pauli dilectum discipulum, et Ephesiorum episcopum, ad ipsumque libros suos Dionysium nuncupasse, quod tamen verum non esse ad annum Dom. 100, comment. 11, Deo duce, monstrabimus. Nihilque illis favent verba Dionysii, si ea ad unguem perpendamus. Quæ ex nova Marsilii interpretatione Græco textui apprime respondente, hæc sunt : *Convenimus quandoque apud pontifices nostros Deo plenos* (ut nostri) *nos simul et ipse* (Hierotheus, de quo agebat) *multique sancti fratres nostri, visuri corpus illud quod vitæ principem Deum suscepit. Ubi aderant et Jacobus frater Domini, et Petrus, excelsum et amplissimum theologorum culmen. Illic ergo post contuitum, placuit ut pontifices omnes, pro viribus quisque suis, infinite potentem divinæ virtutis bonitatem laudarent. Hierotheus autem alios ibi doctores sacros* (ut nosti) *post ipsos theologus, superavit; totus excedens, totus extra se positus.* Si Dionysius aliqua eorum cantica quæ ibi composita fuerint retulisset, forsan ex eis, veram loci intelligentiam caperemus : attamen ab ipsis omnino abstinuit, ait siquidem inferius ad Timotheum : *Verum quæ illic mystice tractata sunt, missa in præsentia faciamus; quippe cum nec multis exprimi possent, et tibi nota sint.* Quare solis prædictis verbis insistere debemus : in quibus tamen nihil est quod ad transitum Virginis conducat, et omnia ad sepulcrum

A. C. 48. Verenice sancta mulier a Gallia Romam venit, ibique divino relicto vultu, miraculis clara migrat ad Dominum anno 70. Quam dicunt a Christo sanatam e sanguinis fluxu. A. R. 799.

50. Petrus, ut Christi vicarius, Hispanias adiit : Imagines Antiochia delatas affert. Epæne- 801.

BIVARII COMMENTARIUS.

Christi facile referuntur. Etenim si de transitu ageret, non diceret, quod ipsi convenissent Hierosolymis, *visuri corpus illud, quod vitæ principem Deumque suscepit :* sed interfuturi migrationi ejus, quæ vitæ principem, etc., non quidem ad videndum tantum, sed ad recipiendum ejus benedictionem postremam : nec ad videndum corpus dumtaxat, sed ad videndum eam vivam priusquam migraret ad Filium. Quod si velit quis, ut Virginem, vita præditam Dionysius nuncupet *corpus*, inusitatum inducet loquendi modum, quo nullus doctorum usus reperitur. Nunc vero monumentum seu sepulcrum Domini quod testimonio Matthæi XXVII et Marci XV *excisum erat de petra*, appositissime appellatur, *corpus quod Deum vitæ principem suscepit*. Et recte hic princeps vitæ Christus nuncupatur, ut de eo specialiter notaretur, quod erat *inter mortuos liber;* et is, quem illud suscepit mortuum, erat nihilominus princeps vitæ. Rursus idipsum denotat cum subjungit : *illic ergo post contuitum, placuit ut pontifices omnes*, etc. Nihil igitur aliud apostoli et discipuli fecerunt, nisi videre et contueri ; quod sepulcro Domini valde congruit; corpori autem Virginis minime ; quod nimirum non solum viderunt, sed et sepulturæ mandarunt. Adde ibi cum Dionysio non adstitisse omnes apostolos, sed duos tantum, Petrum et Jacobum (in hoc certe multi hallucinantur), hos enim duos dumtaxat nominat Dionysius. Quis autem non videat, si ibi quoque Paulus adfuisset, a Dionysio etiam fuisse nominandum, et discipulum de magistro memoriam facturum ? Idemque dicito de Joanne, qui in transitu et rebus Virginis primum locum habuit ; præsertim quia ibi Dionysius numerat summos illos theologos, qui adfuerunt; Joannes autem hanc sibi inter cæteros apostolos nomenclaturam jure optimo obtinuerat. Insuper si Jacobus et Petrus præ cæteris nominandi essent, ideo fieri deberet, quia aliquid peculiare illic egissent, aut dixissent, quod tamen non ostenditur, sed simpliciter dicitur : *Ubi aderant Jacobus et Petrus.* Neque vero quis æstimet nomine pontificum, illis verbis : *Conveninus quandoque apud pontifices nostros Deo plenos*, solos apostolos Dionysium subnotasse : sed omnes episcopos, qui illic erant, *Ubi aderant Jacobus et Petrus :* cum ipsis scilicet seu inter ipsos, quandoquidem postea Hierotheum numerat inter pontifices, qui tamen non erat apostolus, sed episcopus Athenarum, ut Menologium Græcorum habet, et ex eo Usuardus, apud Molanum, 4 Octobr. : *Illic ergo post contuitum placuit, ut pontifices omnes divinam bonitatem laudarent. Hierotheus autem omnes ibi doctores sacros, post ipsos theologos superavit.* Si placuit ut omnes pontifices hymnos dicerent, et Hierotheus etiam dixit; profecto inter pontifices numeratur : quare nomen pontificum non positum solum est propter apostolos, quos tamen peculiari nomine theologos vocavit. Neque verum est quod card. Baronius notavit, illic quoque Timotheum adfuisse, cui opus suum Dionysius nuncupat, nam phrasis illa *Convenimus quandoque*, non complectitur utrumque, sed est modus loquendi familiaris Dionysio, quo toto libro utitur, propriam tantum personam denotans, ut verba præcedentia manifestant. *Præterea et ipse ad idem sæpe nos exhortatus est, librumque ipsum ut supra modum quidquam excellens ; remisisti* (ad Timotheum loquitur) : *quamobrem nos quoque ipsum his dumtaxat assignamus*, etc. *Nos autem qui nobis propinquiores sunt, pro ingenii nostri proportione divina trademus*, etc.; et alia multa in hunc modum.

Hic mihi germanus testimonii Dionysiani sensus A videtur. Si quis autem propter doctorum auctoritatem qui de transitu Virginis id exponunt, eis acquiescere judicaverit, consequenter asseret B. Virginem ætatis suæ 73 annorum assumptam, novem aut decem annos post concilium apostolorum, Christi vero 58. Adhuc autem mihi difficile id videtur, quoniam anno 57, qui fuit Neronis secundus (teste Hieronymo lib. de Script. Eccl. in Paulo), Paulus pervenit vinctus Romam, ubi *mansit biennio toto in suo conducto :* Act. ult. Unde anno 58 non potuit Hierosolymis adesse. Præsertim vero quia postquam semel Romam venit, numquam in Orientem reversus est, ut ipse de se prophetaverat Act. XX : *Ecce ego scio*, inquiens, *quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes per quos transivi prædicans regnum Dei.* Petrus vero ut minimum rediit bis : semel anno 48 concilii, rursusque ea occasione, quam Dionysius hoc loco scribit. Sed de his satis.

2. *Verenice*, etc. Vulgo vocatur Veronica. Liquet ex actis S. Martialis, quæ apud Vincentium Belvacensem exstant in speculo hist. et apud S. Antoninum I part. Histor. titul. 6, cap. 25, § 2, Veronicam mulierem cum conjuge Amatore S. Martialem Lemovicensium apostolum comitatam fuisse in Galliam. Ejus verba sunt : *Venit autem cum B. Petro apostolo Romam* (scilicet Martialis) *et per eum missus fuit in Galliam ; habens in comitatu suo Amatorem, et conjugem ejus Veronicam, quæ familiaris, et præcordialis amica fuit Virginis Mariæ. Sanctus vero Amator in rupe quæ modo Amatoris dicitur, solitariam vitam egit, ibique obiit : Veronica autem S. Martialem prædicantem secuta est in territorio Burdegalensi, ibique consenuit.* Sed vero Romæ diem extremum clausit, ut Dexter hoc loco asseverat. Vultus Domini quem sanguine proprio sudario Veronicæ impressit, servatur Romæ apud S. Petrum, ubi sæpius ipsum veneratus sum : alter vero (nam linteum duplicatum erat) servatur in Hispania in urbe Gienensi, vulgo *Jaen*, cum summa reverentia. Equilinus, lib. VI, cap. 151, refert ex Ambrosio, mulierem hæmorrhoissam de qua Marcus V et Lucas VIII, fuisse Martham. Verisimile autem id non videtur; non enim taceret Evangelista nomen ejus, si esset Martha. Celebrius est illud Eusebii, mulierem hæmorrhoissam civem fuisse Cæsareæ Philippi, et in gratitudinem ac memoriam accepti a Christo beneficii, statuam ejus in viridario suo posuisse, ad cujus pedes ipsamet fimbriam ejus tangere videbatur : factumque esset ut herbæ quæ sub statua subortæ fimbriam Domini contingebant, ea potirentur virtute, ut hæmorrhoissæ ad ipsarum contactum mederentur : cæterum hanc imaginem, Julianum apostatam sustulisse, ejusque loco substituisse suam : quam tamen ictu fulminis confractam fuisse idem Equilinus testatur. De vultu Christi Domini Romæ servato, deque ejus miraculis et antiquitate, et aliis ad eum pertinentibus, exstat liber MS. in archivo basilicæ S. Petri in Vaticano, ex quo Bzovius multa transtulit in tomum primum suæ historiæ Ecclesiasticæ, quæ tu consulas.

A. C. 50. — 1 *Petrus*, etc. De adventu Petri Apostoli in Hispanias convenit inter omnes qui res Hispanicas scripserunt : ita Ambrosius, Morales, lib. IX, cap. 14; Pineda, II part. Monarchiæ cap. 28, § 4; Marieta, de Sanctis Hispaniæ I part. lib. I, cap. 13; Alphonsus Chacon, de Summis Pontif., in Petro; Romanus, lib. I Reipubl. Christ. cap. 3; Pujades, in Historia Cathaloniæ, lib. IV, cap. 9; et alii : et inter externos Onuphrius Panuinus, in Chronico Ecclesiast.; Lipomanus et Surius; Haræus et Lipelous, in Vita S. Petri; qui omnes id mutuantur a Simeone

A. C. 50. **tum Sexifirmi in Bætica reliquit episcopum. Multis eum comitantibus, M. Marcello A.R. 801. Eugenio, Apollinari Ravennate (quem redeuntem ad Italiam consequitur Calocerus), Barnaba, Judaque. Hinc ad Africam et Ægyptum migrat.**

BIVARII COMMENTARIUS.

Metaphraste, in relatione de peregrinationibus Petri et Pauli apostolorum, quam Surius habet tomo III. En verba illius manifesta : *Cum autem non diu mansisset apud Romanos, et sancto baptismo multos regenerasset, et ecclesiam constituisset, et Linum episcopum ordinasset, venit Tarraconam; in qua cum Epaphroditum ordinasset episcopum, venit Sirmium civitatem Hispaniæ; quo in loco cum Epænetum constituisset episcopum, devenit Carthaginem civitatem Africæ; in qua cum Crescentem ordinasset episcopum, venit in Ægyptum. Et cum Thebis, quæ septem habent portas, Rufum, Alexandriæ autem Marcum evangelistam eorum episcopos ordinasset*, etc. Vide miram Metaphrastis cum Dextro consonantiam; nec mirum, cum id a Dextro, qui multos annos illum præcessit, potuerit Metaphrastes mutuare, vel ambo ab eadem antiqua memoria, quæ tunc exstaret.

2. *Imagines*, etc. Ecclesiastica traditione receptum est, usum sacrarum imaginum in Ecclesia a sanctis Apostolis emanasse. Qua de re abunde actum est in II Synodo Nicæna, quæ fuit VII generalis; in cujus reverentiam Græci quotannis celebrant festum Dominica proxime sequenti die 11 octobr. ut apud Molanum in Usuardo ea die videre est. In actione ejus 5 admittitur historia imaginis Salvatoris missæ Abagaro regi Edessæ a Christo Domino, quamquam epistolæ de ea re a Gelasio inter apocryphas rejiciantur. Cæterum de eodem sacro vultu qui hodie in cœnobio sanctimonialium S. Sylvestri de Urbe in magna veneratione est, simul cum capite S. Joannis Baptistæ, celebrant quoque speciale festum Græci die 17 augusti. Consule de hoc Baronium in Notis ad 9 novembr. qui multa in ejus favorem congerit, et revoca in mentem sacrum Christi vultum impressum in linteo Veronicæ, et imagines a D. Luca depictas, quæ summo cultu et reverentia hic Romæ asservantur, apud sanctam Mariam Majorem, et in basilicis de Populo et de Pace, et in Via Lata, et aliis : e quibus et ex officii supremi apostolatus dignitate liquet Petrum si quis alius Apostolus, induxisse imagines sacras ubicumque prædicavit. Quod vero quas in Hispanias invexit ab Antiochia detulerit, facile deduci potest ex eo quod tunc temporis ab Antiochia veniebat, ubi (post concilium legalium Hierosolymis anno 49, vel 48 celebratum) a Paulo increpatus est, ut ipse refert ad Galat. II. Ejus rei perseverat Matriti testimonium non leve in sacra et miraculosa imagine B. Virginis vulgo nuncupata de *Athoca*, de cujus antiquitate multi exstimant a tempore Apostolorum ibidem coli; quandoquidem ante 500 annos tempore S. Isidori Agricolæ erat celebris; et cum inde certum sit, superasse vetustate Maurorum dominium in Hispania; et ex characteribus quibusdam ipsi affixis, constat apostolicam redolere ætatem. In tanta autem vetustate nulla nomenclaturæ suæ ratio conveniens assignari potest, nisi quod prius dicta sit de *Antiochia*, paulatimque vox illa aliquatenus alterata, de Atocha nuncupata sit : atque ita a D. Petro illam accepimus ab Antiochia delatam. Quod enim dicta creditur ab arbusto quodam rurali Hispane dicto *Atocha*, quasi super illud apparuerit, vulgare est et parvi pendendum; illa enim nusquam legitur apparuisse alicubi, et nomen *Atocha* recentius est in Hispano idiomate quam quiverit imagini Gothicæ ut minimum Antiquitatis, nomen dare. Sunt qui asseraut exstare D. Ildephonsi epistolam ubi ejus sacræ imaginis meminit : sic refert M. Ægidius Gonzalez Davila regius historiographus, in sua historia Matritensi, et consentit P. Morillo in hist. de Pilari.

3. *Epænetum*, etc. Affirmant ejus in Hispania episcopatum cum Metaphraste cæteri auctores supra A citati : *Venit* (ait ille de D. Petro) *Sirmium Hispaniæ civitatem, quo in loco cum Epænetum episcopum constituisset*, etc. Nec quemquam moveat Dextrum, non Sirmium, sed Sexifirmum sedem Epæneti nuncupasse; nam utroque nomine gaudet urbs illa, et ipse Dexter vocat eam inferius Sirmium ad annum 100, dum agit de Maxima et Montano martyribus. Videri posset ea quam Ptolomæus in tabula Bæticæ vocat *Sex*, voce forsan detruncata in codice: et Villæ novæ est *Velez Malaga*, Floriano vero *Motril*. aliisque plus arridet olim exstitisse in monte Granatensi, altero ex Alpuxarris, dicto *Tregiliana*. Nec desunt qui putent dictam *Sexifirmum*, quasi Saxifirmum, seu saxum firmum, quod nunc Hispanice dicimus *Piedrafita* vel *Piedrahita*. De eodem Epæneto iterum incidet sermo inferius anno 64 quo occubuit in urbe sua.

4. *Multis eum*, etc. Disponamus iter Petri, quo Dexter, et Metaphrastes illustrentur, et unde quivis discipulorum in comitatum assumptus fuerit a Petro, et ubi quisque relictus facile constet. Petrus Romæ B existens ab anno 44 usque ad 47 multos ad fidem perduxit, inter quos insignis fuit M. Marcellus, prius Simonis Magi, postea D. Petri discipulus, ut ipse de se fatetur in epistola ad Neræum et Achilæum de obitu Petronillæ quæ apud. Surium exstat tom. III, die 12 maii. Hic de nobilissimo senatorum sanguine Romæ natus, de domo et familia Neronis, a fidelibus eam ob causam dictus est *Eugenius*, quod sonat, *nobilis*. Romæ quoque Petrus degens ordinavit episcopum Apollinarem discipulum suum, quem secum duxerat ab Antiochia, misitque eum Ravennam. Erat vero genere Antiochenus, ut ejus acta habent, quæ Mombritius recitat tom. I, et Surius tom. IV, et Equilinus lib. VI cap. 128. De ejus ordinatione et missione agit martyrologium Rom., Beda, Usuardus, et Ado die 23 julii. *Cum autem non diu mansisset apud Romanos* (ait Metaphrastes, nimirum tres tantum, vel 4 annos), *et Linum episcopum ordinasset*, sibi scilicet suffraganeum, vel coepiscopum, ut eo C absente Romanæ Ecclesiæ provideret; anno 47 vel initio 48 Roma exiit versus Hierosolymam, comitibus M. Marcello Eugenio, Epaphrodito, Epæneto, Rufo, Crescente, et aliis. De Epæneto, et Rufo liquet Romæ degisse, nam Paulus salutat illos ad Romanos scribens cap. XVI, vocatque Epænetum, *Primitivum Asiæ* discipulum. His igitur comitibus, Petrus Ravennam transiens assumpsit secum Apollinarem, et tandem pervenit Hierosolymam, ubi eo anno interfuit Assumptioni Virginis, et sequenti concilium celebravit de legalibus non observandis a conversis e gentilitate. Decretum vero concilii miserunt Apostoli Antiochiam per manus Judæ (qui cognominabatur Barsabas) et Silæ, quos Lucas Act. XV vocat *viros primos ex fratribus. Hi descenderunt Antiochiam, et congregata multitudine, tradiderunt epistolam. Juda autem et ipsi cum essent prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres*. Tunc Silas adhæsit Paulo; *Judas vero abiit in Jerusalem*, et adhæsit Petro. Rursus Petrus D profectus est Antiochiam, ubi Paulus in faciem ei restitit; Barnabas dissentiens a Paulo, et assumpto secum Marco, navigavit Cyprum, ubi natus fuerat. *Paulus, electo Sila, perambulabat Syriam, et Ciliciam, præcipiens custodire præcepta apostolorum;* erat enim scripta epistola decretalis concilii, *his qui erant Antiochiæ et Syriæ, et Ciliciæ, fratribus conversis ex gentibus*. Hactenus ex Act. apostol. cap. XV, et ex Epistol. ad Galat. cap. II. Aliquod tempus fecisse credendus est Petrus Antiochiæ et Hierosolymis, visitans fideles; inde vero navigavit in Cyprum anno sequenti, scilicet 50 profecturus in Hispaniam : ibi adhæsit illi Barnabas cum Marco, et inde cum reliquis comitibus

A. C. 50. **Manet in Hispania S. Quartus, qui obiit anno 76.** A. R. 801.
Lucius Seneca centurio, verus Christianus, Sintriæ occumbit.
Per hæc tempora sanctus Athanasius primus episcopus Cæsaraugustanus, Græcus na-

BIVARII COMMENTARIUS.

M. Marcello, Apollinari, et Juda navigavit in Hispaniam : Romam, ut credo, obiter visitans; solvitque Tarracone, ubi Epaphroditum constituit episcopum, teste Metaphraste; quamquam nonnulli pro Tarracone legant Tarraciuæ, quæ Italiæ civitas est. Cæterum Petrus Galesinus vir quidem eruditissimus, et Italus in notis ad 12 kalend. februar, sui Martyrologii, ita legit in Metaphraste ut affirmet Tarraconam, non Tarracinam in eo haberi; atque ejus urbis Tarraconensis in Hispania constitutum fuisse ab Apostolo episcopum Epaphroditum. Quæ sane lectio vehementer arridet, quia ibi narrat auctor iter Petri Romæ in Hispaniam; *Et cum Romam*, ait, *reliquisset, et Linum episcopum in ea ordinasset, venit Tarraconam, in qua cum Epaphroditum ordinasset episcopum, venit Syrmium civitatem Hispaniæ*, etc. Certe Tarracina non est in itinere Hispaniæ, sed ad oppositam Romæ plagam orientalem. Accidit quod Tarracinæ non reperitur Epaphroditi memoria, ut cogamur eum episcopum illius civitatis exstitisse. Possumus etiam facile hac lectione conciliare cum Metaphraste Dorotheum, qui in Synopsi eum refert Aderæ episcopum; fuit vero Adera seu Adeba, urbs juxta Tarraconam sita in Hercaonibus, ut apud Ptolomæum videre est. Illic Torquatum, Secundum, Cæcilium, et reliquos, quos ipse Romæ ordinaverat episcopos, eidem occurrisse, eumque comitatos per Hispaniam satis verisimile videtur (tunc Calocerus sancti Jacobi discipulus Apollinari adhæsit, cum quo postmodum Ravennæ vixit, ut apud Equilinum videre est lib. VI capit. 128 illis verbis : *Interim Calocerus presbyter Ravennatem Ecclesiam gubernavit*), aliquosque episcopos et presbyteros de novo instituisse : non tamen constat qui fuerint; uno dempto Epaphrodito, quem Tarracone, et altero Epæneto, quem Sirmii vel Sexifirmi episcopum constituit. Cum vero ab Hispania discederet navem conscendens, perrexit in Africam, ubi Carthaginensibus Crescentem episcopum constituit (teste Metaphraste), de quo ex epistola II ad Timoth. IV habemus, quod cum Paulus Romæ in vinculis detineretur, *Crescens Roma in Galatiam* abierat, anno 58, quo loco in *Galliam* legendum contendunt Epiphanius hæresi 51, Theodoretus in eum Pauli locum, et ex Romano martyrologio die 27 junii, et 29 decembr. certum fit Viennensem Galliæ Ecclesiam ipsum fundasse. Utrobique prædicasse contendit Baronius in Notis ad 24 junii, et ita asseritur in tex. martyrolog. Roman. ea die, et apud Usuardum. Oportuit tamen prius successorem sibi apud Carthaginem constituere, ubi primus a Divo Petro datus fuerat episcopus. Ab Africa profectus est Petrus in Ægyptum : ibi Thebis Ægyptiis (nam sunt aliæ in Asia juxta Corinthum) Rufum dedit episcopum, qui postmodum ad Hispanias accedens Dertosæ seu Tortosæ pontifex sedit, ut infra ad annum Christi 100 et 112 dicemus : ac demum Alexandriæ Marcum ordinavit antistitem. Quo tandem peracto itinere navim ascendens Romam reversus est, et Barnabas Mediolanensem fundavit Ecclesiam ut Baron. affirmat ad an. 54.

5. *Manet in Hispania*, etc. De sancto Quarto agunt martyrologia die 3 Novembr. Romanum, Bedæ, Usuardi, et Adonis, et Equilinus lib X, cap. 16, et lib. VI, c. 100. Sed inter cæteros Petrus Galesinus ad eamdem diem consonat Dextro, inquiens : *Natalis S. Quarti, qui fuit unus ex 72 discipulis, Berythi episcopus; inde in Hispaniam profectus Christianæ religionis disciplinam post apostolum Jacobum Hispanis tradidit.* Hæc ille Dexter vero ad annum 105 iterum de S. Quarto agens hæc ait : *S. Quartus apostolorum Discipulus bis Hispaniam peragrat : semel post Jacobum, iterum relictus a Paulo :* apud quem A sane erat Corinthi, cum scripsit epistolam ad Romanos, ubi ejus nomine illos salutavit; *salutat vos Quartus frater.* Cæterum cum epistola illa scripta fuerit a Paulo Corinthi circa annum Domini 54, plus minusve, dicendum est, sanctum Quartum ante illum annum ab Hispania discessisse in Orientem; Paulum forsan illac adducturum rogatum ab Hispanis, magnas ejus accessus causas præbentibus : de quibus paulo ante Romanis dixerat : *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod a vobis deducatur illuc;* id est, ut Theophylactus commentatur : *Vosmet inspecta quæ me urget necessitas, ut Hispanos conveniam, priores estis ad illos me demissuri, quia sic cogor ut faciam.* Perseveravit cum Paulo quousque misit illum in Hispanias, dum ipse Romæ detineretur in vinculis; nam in II Romæ scripta ad Timoth. epistola capit. IV ait : *Lucas est mecum solus.* Inde enim fit ut Quartus tunc temporis absens esset. Verisimile autem est eum profectum in Hispaniam, ut fidelibus B de retentione Pauli Romæ in vinculis rationem redderet : et quod vincula impedirent iter ad ipsos. (Idem dicemus de S. Secundo ad annum 52.) Cujus vero Ecclesiæ episcopus fuerit, non convenit apud omnes. Hippolytus et Dorotheus, quos Equilinus sequitur, cum Berithi episcopum faciunt : idque asserit Galesinus : qui tamen in Notis suis inquit alios contendere episcopum fuisse Nursiæ. Dextro vero, cui magis assentimur, fuit Beryri in Hispania episcopus, quod fuit oppidum in Bætonibus, alias dictum *Conciolum*, quod etiam in Bætonibus prope Salmantiam ponit Ptolomæus; Primo vocabatur *Berela*, et deinde Dextri ævo *Bætirus*, ab aliis *Bætira.* Vide Dextrum anno 105.

6. *Lucius Seneca*, etc. Loco *Senticæ* ut antea in codice legebatur, mutavi *Sentriæ*, Lusitaniæ oppidum; quod hodie *Sintra* nuncupatur : in cujus ecclesia S. Michaeli dicata, adhuc in lapide vetustissimo perseverat L. Senecæ epitaphium; quod non solum ipsi, sed etiam L. Æliano filio, et Casiæ C Quintiliæ uxori commune est. Adducitur ab Ambrosio Morales lib. IX Histor. Hispan. capit. 9, dum agit de eventibus anni 55. Est vero hujusmodi :

L. ÆLIUS L. F. GAL. ÆLIANUS.
H. S. E.
L. ÆLIUS SEX. F. GAL. SENECA PATER.
H. S. E.
CASIA Q. F. QUINTILIA MATER.
H. S. E.

Id est : — *Lucius Ælius, Lucii filius, Galerius Ælianus, hic situs est;* — *Lucius Ælius, Sexti filius, Galerius Seneca pater, hic situs est;* — *Casia, Quinti filia, Quintilia mater, hic sita est.* — In quo summopere notandum, non superponi notas illas D. M. S. vel D. M. quæ denotant *Diis Manibus Sacrum*, vel *Diis Manibus*, qui a gentilibus Dii mortuorum credebantur; cum vero in omnibus gentilium epitaphiis reperiantur, et in hoc omnino deficiant, signum manifestum est, fuisse hominum christianorum, præsertim quia nulla alia nota gentilium ibi est, et quod multis inscribebatur lapidibus *Aug. Sacerdos*, vel aliquid hujusmodi.

7. *Per hæc tempora.* Egimus de S. Athanasio tum ad annum 35, comment. 2, tum ad 36, comment. item 2, tum etiam ad 42, comm. 2, quibus fere locis dictum est de S. Theodoro; tum ad 41. Galesinus, die 15 Maii, hæc inquit : *Ab illis item duobus Athanasio et Theodoro, qui ex Hispania numquam discesserant, in multas illius provinciæ partes, Christianæ religionis disciplina propagata est.* Quod autem hic dicitur de prædicatione S. Athanasii in tota Celtiberia et Car-

A. C. 52. tione, discipulus S. Jacobi, ex his quos in Hispania habuit, tota Celtiberia prædicat, et se mirabilem ibi præstat. Ipseque et Theodorus tota Carpetania prædicantes, et docentes discurrunt.

Iscius Carteiæ prope fretum prædicat, totamque oram maris interni percurrit : et

BIVARII COMMENTARIUS.

petania, eleganter cecinit M. Maximus hoc epigrammate, quod una cum suo Chronico typis excusum est Cæsaraugustæ 1619.

Primus Athanasius nostra fit præsul in urbe (*Cæsaraugustanus*)
Angelicæque domus pastor honorificus.
Per Carpetanos jactat sacra semina tractus
Et Celtiberis prædicat in populis.
Macte animi pietate, senex, præsulque paterque,
Discipulis Jacobi es, pontificumque decus.
Ora pro populo commisso, splendide pastor,
Anchora qui fidei diceris, esto fave.

De Sancto vero Theodoro ejus socio cecinit sic :

Hispaniæ figunt paribus vestigia curis,
Divus Athanasius, tum Theodorus amans.
Presbyter iste fuit primus, docuitque libenter,
In Celtibero dogmata sacra solo.
Cumque quater decies complesset Cynthius orbem,
Cinctus fronde caput, sidera clarus adit.
Consors alterius Theodori, cui data cura est,
Custodire sui busta verenda patris.
Macte animo, Theodore sacer, servator ovilis
Cæsarii, fulgens religionis honor.
Ante Deum supplex pro nobis sedulus ora,
Qui, duce te, fidei carpsimus ambrosiam.

Quo loco M. Maximus duos distinguit Theodoros, alterum D. Jacobi discipulum, qui juxta corpus patris ac magistri sui sepultus jacet; alterum qui B. Athanasii fuit archipresbyter primus. Utrum autem et hic quoque S. Jacobi, an ipsius Athanasii fuerit discipulus, non satis constat; licet primum mihi probabile videatur. Illis verbis : *Cumque quater decies*, etc., innuere videtur obiisse hunc archipresbyterum ætatis suæ anno 40, nisi forsan velit, ut post 40 annos ab ejus prædicatione ob quam *Hispaniæ figunt paribus vestigia curis, D. Athanasius tum Theodorus amans*, vitam cum morte commutaverit, quod magis probo. Juxta quam supputationem dicendum est, eum morti concessisse anno 76, nam ann. 36 cœpit Hispanica prædicatio. De anno autem, ac die mortis S. Athanasii hæc habet Maximus ad calcem sui epigrammatis : *Obiit prope Cæsaraugustam anno 59, colitur prima die Novembris.* Quod ad genus mortis quo obiit, attinet, Galesinus credidit esse confessorem ad 15 Maii in suo Martyrologio; nec mirum, cum sola M. Maximi auctoritate (cujus scripta nondum cum Galesinus scripsit comparuerant) martyrium ejus constet; is vero in quodam hymno de tribus primis episcopis Cæsaraugustanis, hæc canit inter alia :

Laudo te primum, Athanasi sacer,
Teque, præstanti Theodore, cantu :
Non minus nostris, Epitecte præsul,
Dignus es odis.
Tertium et primum videt ipse Iberus
Fortiter passum, etc.

Nimirum Athanasium et Epitectum; ait vero vidisse utrumque fortiter passum Iberum flumen, quia prope Cæsaraugustam ad ejus ripam martyrio sublati sunt. Cæterum tametsi illic obierit, corpus tamen Compostellam translatum est a discipulis, sicut ipse primo testamento caverat, sepulcrum sibi eligens ex latere S. Apostoli. Ita asserunt Morales, lib. IX, Hist. Hisp. c. 7, et Marieta lib. I de Sanctis Hisp.; et quod majus his est, Leo III id prius docuerat in epist. de Translatione S. Jacobi : qua de re Breviarium Cordubense hæc ait : *Alii vero discipuli Athanasius et Theodorus* (*ut in B. Leonis epistola legitur*) *juxta Apostoli corpus, unus ad dexteram et alter ad* A *lævam sepultus est.* Cui concinunt Callist. II et Vincentius Belvacensis.

Quod ad loca prædicationis SS. Athanasii et Theodori pertinet, ex his quæ scribit Ptolomæus lib. II Geographiæ tabula 2 Europæ, capit. 6, ostenditur, antiquam Celtiberiam non comprehendere totum Aragoniæ nostræ regnum, sed ab Ibero usque ad regnum Toletanum, cum parte Marchiæ, seu Manchæ, et Alcarriæ; Carpetania vero id quod nunc *Castella nova* dicitur, seu Toletanum regnum, quæ terminatur ad Septentrionem Durii ripa, ab Occidente et Meridie montibus quos vocamus : *Puertos de Somosierra, de Guadarrama, Fuenfria, Palomera*; ab Oriente autem Celtiberiæ contermina est.

A. C. 52. — 1. *Iscius*, etc. Egerat anno 44 et 50 de prædicatione quorumdam S. Jacobi discipulorum, videlicet Caloceri, Athanasii et Theodori, nunc et deinceps usque ad annum 60, designat loca in quibus Torquatus, Iscius, et socii prædicarunt, uno excepto. S. Secundo, Abulensi episcopo; de quo B nunc cum cæteris non meminit. Quid autem fuerit in causa, ipse non exprimit : mihi autem videtur in causa fuisse, quod his annis S. Secundus erat absens ab Hispania, utpote S. Paulo comes factus suarum peregrinationum; nam Act. 20, inter alios discipulos, qui Paulum comitantur tota Græcia, et usque Hierosolymas, ac Romam, recensetur *Secundus*. Hactenus autem nemo agnovit duos Secundos apostolorum discipulos, ut velit quis asseverare hunc ab alio diversum fuisse. Accedit quod tunc temporis erat quoque apud Paulum S. Quartus Hispaniæ episcopus, et verisimile est ut secum adducerent in Hispanias Apostolum. Vide quæ de Quarto diximus ad annum 50. De Secundo iterum agemus anno 100.

S. Iscius, dicitur a Dextro prædicasse Carteiæ prope fretum, et alteri Carteiæ, non procul Carthagine Spartariæ. Utrum legendum sit Cartheiæ vel Cartesiæ, vel Cartesæ, non multum curandum; in nominibus enim antiquis propriorum locorum non C minima variatio facta est, temporis vetustate. Equilinus et Molanus et Breviarium Cordubense legunt *Carthesiam*. Romanum vero Martyrologium *Carteiæ*, Dextro consentiens die 15 Maii, quod nomen apud probatos auctores receptissimum est : Titum Livium, lib. XXVIII et 43; Strabonem, lib. III Geogr.; Plinium, lib. III, cap. 1; Hircium, lib. I de Bello Hisp.; Dionem Cassium, lib. 43 rerum Rom.; Silium Italicum, libro Punicorum; Ptolomæum, lib. II Geograph. cap. IV; quos recentiores secuti sunt : legunt vero cum aspiratione *Cartheiam*. Qui *Carthesiam* legunt, contendunt fuisse urbem sitam juxta Asturicam quæ nunc depopulata *Ventosa* dicitur. Ita Molanus et Cordubense Breviarium quos sequitur Mariana, lib. 4 Hist. cap. 2. Errant tamen tota Hispania, quia apud antiquos probatosque auctores in toto Asturicensi tractu non exstat urbs *Carthesia* dicta; præterquam quod D. Iscius et socii ejus in Bætica littorali prædicationis munus exercuerunt, D ut jam ostendimus, et non in mediterraneis Hispaniæ provinciis. Adhæc tunc temporis insistebat conversioni ejus tractus S. Ephræm Asturicensis episcopus a D. Jacobo illi provinciæ designatus : ut non esset necessarium D. Iscium in urbe tam propinqua episcopum etiam constitutum fuisse.

Quare dubio procul sit, sedem S. Iscii in Bætica exstitisse. Nunc vero adhuc lis est inter auctores de situ ejus Cartheiæ; nam Ptolomæus in tabula Bætica locat illam in Bastulis, juxta fretum Gaditanum; et Morales, in Antiquit., fol. 81, contendit

A. C. 52. Alone, et Carteiæ alteri in Mediterraneo mari, non procul Carthagine Spartaria prædicat. A.R. 803

Templum Columnæ Cæsaraugustæ (ubi quidam credunt partem esse Dominicæ Columnæ), fideles et frequenter undique visitant, et cum maxima veneratione colunt.

Floret centurio Malacitanus, quem S. Jacobus ibi tingit.

S. Torquatus domo Romanus, P. Nonii Aspernatis filius, vir clarissimus, Acci, Malacæ, et usque ad fauces freti prædicasse dicitur.

Martialis Lemovicensium, Cadurchorum, et Tolosatium apostolus, Hispanias adiit, et prædicando fideles invisit.

54. S. Indalecius Urci, Iliberri, Carthagine Spartaria, et Eliotrocæ prædicans, in illis partibus celeberrimus habetur. 805.

BIVARII COMMENTARIUS.

esse *Algéziram*; Mariana, lib. I, cap. 2, vult ut sit *Tariffa*. Demum aliis placet ut sit quæ nunc *Cartaya* nuncupatur. Inter eos etiam qui Carteiam juxta fretum collocant est discrimen, nam quibusdam placet fuisse ex eo freti latere quo Mediterraneum mare incipit, id quod Ptolomæus amplectitur : aliis vero ex eo, quo Oceanus ipsi freto conjungitur. *Urbs ea in ora Oceani sita est, ubi primum a faucibus angustis panditur mare*, ait Livius sloco citato, et lib. XLIII, quibus locis agit de bellis navalibus apud Carteiam in ore faucium freti Gaditani inter Lælium Romanum, et Hannonem Carthaginensem habitis; quo etiam loci Cæsar et Pompeius in triremibus dimicavere. Sane ut hæc aliquatenus in concordiam deduci queant, necessario cum Dextro dicendum est, non unam solum Carteiam in oris Bæticis olim fuisse, sed duas, alteram quam Titus Livius collocat ad oram Oceani a parte exteriori freti, *ubi primum e faucibus angustis panditur Oceanus;* et in hoc dissentimus a Ptolomæo : alteram quam modo *Cartayam* nuncupamus, non longe a Nova Carthagine. Priorem vocaverunt antiqui *Tartessum*, uti referunt Plinius lib. III cap. 1 (qui etiam locat eam in mari Atlantico, videlicet Oceano, *Ex Atlantico mari Carteia*, ait, *Tartessus a Græcis dicta*) et D. Hieronymus lib. II Commentariorum in Epist. ad Galatas, in procœmio. Posteriorem vocamus *Cartaiam;* quæ non est in ipso maris littore, sed interius in terra a mari aliquantulum separata. Quare verborum Dextri sensus est, *S. Iscius Carteiæ prope fretum prædicat*, quæ urbs in Oceano sita est, ubi cum freto Gaditano conjungitur, *totamque oram maris interni percurrit* (sic vocat mare quod inter fauces freti est, et ita vocatur a Ptolomæo in tabula Bæticæ, dum de eo inquit, *Calpe mons et columna in interiori mari est*). Prædicavit etiam *et Alone et Carteiæ alteri in Mediterraneo mari*, etc., id est, quæ ex parte Mediterranei sita est, tametsi non in litiore, sed prope Carthaginem sita sit.

Sed ubi exstiterit *Alone* seu *Alo*, nunc videndum. Ptolomæus locat illam non in Hispania Bætica, sed in Tarraconensi, in Contestanis populis, non valde procul a Carthagine nova, seu Spartaria, in sinu Ilicitano, id est, *Golfo de Helche*. Arnoldus Milius putat esse ipsam Ilicem (nunc *Helche*) et quod Pomponius Mela vocet eam Ilicem. Verba Melæ lib. II cap. 6 hæc sunt : *Sequens* (sinus) *Ilicitanus Alonem habet, et Lucentiam* (nunc *Lucena*) *unde ei nomen Ilicem*. Certe cum ab Ilice urbe abstineat, et ei sinui inde nomen Ilicem accidisse dicat, nomen hoc ab Alone videtur ortum, auctore Mela. Mihi probatur textus sic omnino legendus, *Sinus Ilicitanus Alonem habet, et Lucentiam, et unde ei nomen Ilicem*. Id est, habet etiam Ilicem, unde ei nomen scilicet Ilicitanus : nam cum *Ilicem* sit in casu accusativo, deducto a recto *Ilici*, aliter secundum grammaticæ regulas legi non licet : neque vero sinus *Ilicem* usquam, sed *Ilicitanus*, vocatus reperitur. Morales in Antiquitatibus Hispan. fol. 7, Tarapha de Regibus Hisp. et Michael Villanova super Ptolomæum, volunt, ut sit *Helche*, vel *Alicante*. Nihilominus cum Alone et Ilici diversæ urbes fuerint, omnino dici oportet ut Ilici sit *Helche*, Alone vero sit *Alicante* (ut ex ipsis nominibus satis apparet), atque D. Iscium in Alicante quoque jecisse prædicationis Evangelicæ semina.

2. *Templum Columnæ.* Non affirmat illic fuisse partem Dominicæ Columnæ, sed quosdam (id est, vulgo) ita existimasse. Egimus de Columnæ templo ad annum Christi 37 com. 2 et 3.

3. *Floret Centurio*, etc. Vide quæ de ipso latissime diximus anno Domini 34, comment. 3, 6 et 8. Erat hic ipse Caius Oppius, ut ad annum 70 dicemus com. 2.

4. *Sanctus Torquatus*, etc. Romanum quidem fuisse et nobilissimum, nomen ipsum Torquati satis docet. De P. Nonii Asprenatis patris ejus consulatu cum M. Aquilio Juliano, anno Domini 40, scribit Dio Cassius lib. LIX, Cassiodorus et Baronius, et de L. Nonio Asprenate (ut credo filio P. Nonii; et fratre S. Torquati) quia anno 93 iniit consulatum cum Arricinio Clemente, agunt Fasta Consularia Onuphrii. Prædicavit autem S. Torquatus Acci, id est, *Guadix*, et Malacæ nunc *Malaga :* et usque ad fauces freti de *Gibraltar*. Quod Acci sit Guadix nemo dissentit; ponitur a Ptolomæo in Tabula Hispaniæ Tarraconensis, in populis Bastetanis, seu Bassetanis. Ibi quoque episcopus datus fuit. Irrepsit proinde mendum præli in Breviario veteri Cordubensi, apud Alderetem lib. II Antiq. cap. 12, dum ait, *Torquatus apud Gaditanos quos tunc Accios vocabant :* debet enim scribi *apud Guadixanos*, non Gaditanos. Iterum inferius anno 66 agemus de S. Torquato.

5. *S. Martialis*, etc. De eo Martyrologium Rom. 30 Junii, ubi Baronius, non solum Lemovicensis sedis auctorem, sed etiam aliarum fuisse refert. Cum autem episcopatus ipsius non longe esset ab Hispania, ut qui ultra Pyrenæos degeret, facile illi fuit ad ipsam accedere. Fuit sane eo temporis usu receptissimum inter primitivos Ecclesiæ fideles, se invicem invisere, ut de rebus ad Evangelii prædicationem pertinentibus alius alium consuleret, quandoquidem multas occurrere necesse erat difficultates, quæ consultatione indigerent, et ut sese mutua collocutione ad oppetiendam pro Christo mortem animarent. Idem quoque Baronius in Annal. ad annum Domini 74 asserit S. Martialem instituisse Lemovicenses, Tolosanos, Burdegalenses, Cadurcenses, et Aquitanos populos. Vide de his epistolas ipsius in Bibl. vet. Patr.

A. C. 54. — 1. *S. Indalecius*, etc. *Urci*, urbs fuit in Bastetanis olim non parva, apud Ptolomæum, in tabula Tarraconensi. Michael Villanova contendit etiam dictam *Aquilam*. Modo dicitur *Vera*, juxta Carthaginem novam, et Muxacram. Ita Ambrosius Morales lib. VIII, c. 50, et lib. X cap. 32, quamquam hic auctor confundat *Urci*, et *Vergi*, quæ tamen diversæ civitates sunt, ut videre est apud Ptolomæum : Urci siquidem est in sinu Ilicitano juxta Lucenam et Guadix; Vergi autem in sinu Vergitano, qui ab ea nomen accepit, et nunc *Vera* dicitur : et inter

A. C. 54. Quem Clarus [*Seu* Clerus] diaconus comitatur, qui diaconus cum multis clericis, prope A. R. 805
Carthaginem Spartariam, non procul a portu civitatis in mare crudeliter detruduntur.

Euphrasius Iliturgi, non procul Carthagine Spartaria, populis qui dicuntur Contestani, ad urbem Assotum, totoque agro Carthaginensi prædicans ferventer discurrit.

BIVARII COMMENTARIUS.

utramque situm est Caridemi promontorium, seu *Cabo de gatas*. Unde in Martyrologio Rom. Indalecius Urci, Tesiphon vero Vergi episcopi sedisse dicuntur.

Iliberri, seu Iliberi, ut alii vocant, vel Eliberi sita fuit in saltu quem nunc dicimus (aliquantulum voce mutata) *Elbira*, vel *Sierra de Elbira*, duas distans leucas a Granata, quæ ejus loco successit. Sic Morales libr. IX, cap. 13 et lib X, cap. 32, Tarapha et Villanova; et de ea Ptolomæus in Turdulis Bæticæ. In quodam librorum, recens repertorum apud montem Sanctum Granatensem, scriptum est, D. Jacobum cum ageret juxta Iliberrim, in quodam specu, docuisse aliquamdiu discipulos ibi suos, et ea de causa locum illum Ilipulitanum montem prius dictum ab Ilipa magna, oppido non ignobili, prope sita, vocasse *Garnatam*, quod sonat *specum doctrinæ*, nam Hebraice *Garah* significat evacuare, nudare; unde in Psalmo CXXXVI ubi nos legimus *Exinanit*, *e* in originali est *Gariu*, id est, vacuitas (spelunca vero vacuitas quædam est) et *Nataalem* est docere. Similiter in Arabico idiomate *Gar* est spelunca, et *nata* doctrina : nos exigua inducta voci corruptela, non Garnata sed Granata dicimus : multoque corruptius desumpsimus malum Granatum pro insigni regi Granatensi, quasi ab eo, et non potius à *Gar*, et *nata*, id est, spelunca doctrinæ dicta sit : quod docte notavit Bernardus Alderete, in suis Antiquitat. lib. II, cap. 24. Concinitque dictis Rasis Arabs, dum lib. III Hisp. destructionis cap. 13 agens de Granata dicit (juxta Ilispanicam veterem ejus libri translationem). *El Castillo de Granada, que llaman Villa de Judios, es la mas antiqua Villa, que en termino de Elbera ha, e poblaron la los Judios*; videlicet discipuli S. Jacobi, et Christiani antiqui, quos olim Judæos itidem appellari solitos, egregie Baronius demonstrat tomo I Annalium, et apertis docuerat verbis Dion Cassius lib. XXXVII rerum Rom. anno 691, dicens : *Judæi appellantur quin et alii homines* (egerat prius de veris Judæis) *qui secundum eorum statuta vivunt; quamquam alienigenæ. Est id genus hominum apud Romanos etiam; atque tametsi sæpenumero imminutum fuerit* (innumeris per martyrium de medio sublatis) *ita tamen auctum est, ut legum potestatem vicerit*. Primus ejus urbis episcopus fuit Cæcilius, de quo jam dicam. Alia ejusdem nominis urbs fuit etiam in Hispania, sed longe ab ea distans, utpote sita in Indegetibus, ad radices Pyrenæorum, et oram Mediterranei maris, hodieque nomen Eliberis redolet, dum vocatur *Colibre*, quæ prius Eliberis, et deinde Caucoliberis dicta fuit.

Carthago Spartaria, sic vocata a multitudine sparti, in ejus agro enati, ad differentiam non solum Carthaginis Africæ, sed etiam alterius urbis ejus nominis sitæ in Hispania inter Tarraconem et Ilerdam (seu Leridam) in populis Ilercaonibus, cujus etiam meminit Ptolomæus, dum de ea agit, et vocabatur *Carthago vetus* : Spartaria autem fuit dicta *Carthago nova*, apud eumdem Ptol. in Contestanis.

Eliocrotæ quoque dicitur S. Indalecius prædicasse. Fuit vero hæc urbs episcopalis sedes, tempore etiam Constantini Magni; nam in divisione diœcesum et assignatione omnium quæ in Hispania tunc temporis erant, sub quinque metropolitanis, *Eliocrota* Toletanæ sedi subjicitur : ut videre est apud Lucam Tudensem, dum agit de rege Vuambane, et Ambros. Moralem lib. X Hist. Hisp. cap. 32. In concilio Iliberritano subscripsit Successus episcopus de Eliocrota, et Liberatus presbyter ipsius. De loco ubi sita fuit, nihil apud auctores inveni. Si licet autem conjecturis duci, crediderim fuisse *Valladolid*, vel in agro ipsius exstitisse, nam a Constantino in eo loco videtur collocari, nimirum non longe a Segobia et Palencia, sed quasi cum eis triangulum constituens. En Diœceses Toletanæ metropolis Constantiniano ordine positæ 1° Carthago nova, 2° Oretum, 3° Castulo, 4° Mentesa, 5° Acci, 6° Basta, 7° Vergi, 8° Ilici, 9° Valentia, 10° Sætabis, 11° Valeria, 12° Dianium, 13° Segobriga, 14° Ercabria, 15° Seguntia, 16° Uxama, 17° Segobia, 18° Palantia, 19° Eliocrota. Inter has Carthago ob suam dignitatem et merita primo loco posita est. Tres sequentes eodem ordine sitæ sunt in Oretanis, decem reliquæ ab Acci usque ad Ercabicam in Bætica eo fere ordine, quo positæ sunt : cæteræ in Castella veteri. Cum igitur Eliocrota assignetur, quasi confinis Segobiæ et Palentiæ, non videtur quo loci sita fuerit, nisi in agro Vallisolitano. Eo vel maxime quod *Valladolid*, dicta videtur a Valle Ælicia, sive *Valle Elii*, quæ est prima pars vocis Eliocrotæ, seu Æliocrotæ. His vero qui Vallisoletum credunt olim vocatum Pinciam, respondemus, multas alias civitates fuisse etiam binominas in Ilispania; quare Ptolomæus qui posuit Pinciam, abstinuit ab Eliocrota : cum tamen alias nobilem urbem non sileret. Atque hæc sub conjectura dicta sint. Nam video Antoninum Pium Eliocrotam constituere XXV M. pass. a Carthagine in itinere quo Castulonem. Consule Vasæum in Chron. Hispan. cap. 20. Potuit nihilominus oppidum aliud ejusdem nominis illud esse.

2. *Quem Clarus*, etc. Irrepserat in Dextro excuso, ut *Clarus*, et *Clerus* legeretur, quasi duo essent, et non potius unus et idem Clerus, quem alii Clarum vocant. De ejus martyrio agit Petrus Equilinus lib. XII, cap. 130 numero 34, quem ait passum 19 kal. Februarii, id est, 14 Januarii. Cæterum socium eum facit. S. Euphrasii, non S. Indalecii : ait siquidem : *Euphrasius episcopus, et Clerus diaconus 19 kal. Febr. passi sunt*. Nihilominus cum Euphrasius quoque toto agro Carthaginensi prædicaverit, utriusque socius potuit esse, et cum Euphrasio demum martyrium subire. De quo jam dicam.

3. *Euphrasius*, etc. Sedes specialis ipsius fuit Iliturgi urbs præclara, cujus ruinæ adhuc videntur super *Andujar* ad unam leucam in confluenti Bætis, seu Guadalquivir, vocaturque nunc *Andujar el viejo* : nam ejus loco successit *Andujar el nuevo*. Ita Ambrosius de Morales in suis Antiquit. verbo *Iliturgi* fol. 57, idque probat egregie ex Plinio : idem habet lib. VI, c. 1. Quare fallitur Carolus Clusius citatus ab Hortelio, dum vult, quod Iliturgi sit *Aldea del Rio*. Et quod Ptolomæus illam vocaverit *Ilurgi in Turdulis*, quandoquidem Iliturgi non fuit nisi in Contestanis, ubi et Carthagena est, ut etiam ex Plutarcho deducimus in vita Scipionis. Erravit etiam Villanova, volens, ut sit *Lora*, et quod eam vocarit Plinius *Forum Julium*. Terminus prædicationis S. Euphrasii notatur ab Iliturgi usque ad *Assotum* quam Ptolomæus et Plinius vocant *Asso*. Erat super Contestanos, in Bastetanis populis, apud Ptolomæum; ut inferius notat Dexter anno Domini 100, suo tempore paulo corruptiori vocabulo, cœperat nuncupari *Erotus*. Occisus fuit S. Euphrasius 14 Januarii, qua die agit de eo Usuardus, et Rom. Martyrologium : sed irrepsit in Romano mendum, dum ponitur occisus in Africa; cum tamen Usuardus et Equilinus abstinuerint ab urbe, et provincia sui martyrii : e

A. C. 54. Cæcilius Iliberri et circumquaque prædicat, et mirabilem se præbet: doctrinaque popu- A. R. 805
los sibi commissos in timore Dei ac fide promovet.

BIVARII COMMENTARIUS.

recte, nam ille Euphrasius, de quo agitur die illo, habuit socium Clerum diaconum, ut apud Equilinum videre est (et jam diximus), hic autem fuit discipulus S. Jacobi, occisus in Hispania. Ejus reliquias in clade illa memorabili Hispaniæ a Mauris illata, Christiani in Gallæciam asportaverunt anno Domini 714, ad locum Valdeomao nuncupatum, ubi nunc est prioratus cœnobii S. Juliani de Samos ordinis S. P. Benedicti. Lapidi superposito sepulcro S. Euphrasii insculpta sunt, baculus, mitra, corona, et palma, quorum duo priora signa sunt dignitatis, posteriora vero martyrii. Caput reverenter asservatur in monasterio. Cæterum anno 1596, jussu Philippi II Regis Catholici, apertum est B. viri sepulcrum die 15 Maii, et regi donata pars quædam sanctarum exuviarum pro monasterio S. Laurentii in Excuriali, et pars urbi Andujar, quæ sui Apostoli reliquias expetebat : Quare lapidi ea de re appositum est in testimonium posteris : *In hoc sacro tumulo diva continentur Euphrasii ossa : quorum pars eruta jussu regio, humilique precatu Philippi II*, VIII *kal. junii ann.* 1596, *mire fragrans indubitatam de se posteris reliquit fidem.*

4. *Cæcilius*, etc. Hunc primum fuisse Iliberritanum episcopum profitentur omnia Martyrologia, et quotquot de septem discipulis S. Jacobi disserunt. Inventi nuper sunt sub nomine S. Cæcilii episcopi, ac S. Jacobi discipuli, libri non pauci in sancto Granatensi monte, characteribus, in laminis plumbeis exarati, de quorum numero sunt : *De excellentiis, et miraculis Christi Domini, ac Matris ejus*, ab Incarnatione Verbi usque Ascensionem liber I; *De Summa providentia, misericordia, et justitia, quas Deus in opere Incarnationis excercuit*, libri II; *De natura angelica* liber I; *De pœna, et gloria* liber I; *De vita, peregrinatione, et miraculis S. Jacobi* lib. I. Quibus adde miraculosa plane commentaria ab eodem elaborata *super divi Joannis prophetias*, quæ in sublimi parte inhabitabilis turris Turpianæ inventa anno 1595, non quidem Hebraica C lingua, Græca, aut Latina, sed Hispana vulgari, qua nunc post tot tantamque vocum variationem utimur. Ne quis autem existimet imposturam nebulonis alicujus fuisse, ab apostolico judice episcopo Granatensi informatio in forma juris accepta fuit, in qua prudentes ac litterati viri juramento asseverarunt, visis loco seu turri in qua commentaria hæc inventa fuere, et characterum ac tabularum vetustate quibus exarata sunt; antiquissimam proculdubio scripturam esse; et ut minimum per multa centenaria annorum superare perfectionem, puritatem, et politiam linguæ in qua scripta sunt, nimirum ejus qua nunc quando reperta sunt, Hispani utimur. Scripsit itaque D. Cæcilius lingua, quæ adhuc non exstabat. Quod enim quidam excogitarunt, videri eo tempore hanc ipsam linguam in usu fuisse apud Hispanos, absque fundamento asseritur; namque ex privilegiis regum et historiis antiquis, ac legibus Hispanis priscis temporibus latis, constat, quo magis a nobis distat aliqua Hispana scriptura, eo magis durum et obscurum fuisse idioma nostrum, et minus purum; quo fiet ut vulgare quod tempore S. Cæcilii erat Hispanis in usu, multo plus distaret ab eo quo utimur in præsenti; quam illud quod ante 200 vel 300 annos vulgare erat; eo præsertim, quod experientia teste, continua, ac nova vocum mutatione idioma ipsum alteratum semper sit. Adducam admirationis et exempli gratia verba aliqua ipsius. Et quidem textum prophetiæ D. Joannis partim prosa, partim diversorum metris generum interpretatus est, incipiens hoc heroico: *La edad de la luz y acomenzada*. In præfatione sic ait : *Luego traduje en lenguage comun Espanol, y no por esto corrumpimos el phrasis, ni el modo secreto, asi el Hebreo, como el Griego, en el qual esta escrito, y no comprendera su verdadero sentido, ycomento de ella, hecho por los siervos de Dios, sino quien el fuere servido, y en el tiempo determinado y no antes, para que los principes sean avisados.* Inferius agens de Evangelii doctrina subdit, *Que nos pertenece por la misericordia de Dios;* et tandem subscribit ita, *Cecilio obispo de Granada.*

Quid igitur dicendum? Sane in eo ad litteram adimpletam Christi Domini promissionem, apud Marcum ultimo capite, de his qui in ipsum crediderint: *linguis loquentur novis.* Ubi non solum promittit locuturos linguis, quas antea non noverant, sed *linguis* etiam *novis.* Quæ autem est lingua nova, nisi quæ hactenus non erat? nam quæ jam apud aliquos erat in usu, nova nuncupari nequit. An autem alius præter Cæcilium novis locutus fuerit linguis, mihi non constat, nec videtur necessarium ad veritatem B promissionis; sicut illud quod Christus dixit discipulis, Matth. IX : *Si huic monti dixeritis : Tolle, et jacta te in mare, fiet;* et de quo Paulus I Cor. XIII, dixit: *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam;* in uno Thaumaturgo adimpletum legimus. Sane qui in actis apostolorum accipiebant Spiritum sanctum Act. X, non dicuntur locuti linguis novis, sed linguis dumtaxat: *Et erant loquentes linguis, et magnificantes Deum.* Et apostoli in die Pentecostes solum dicuntur locuti linguis audientium : *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei* (*Act.* II). Quinimmo Paulus in diffusa admodum disputatione, quam cum Corinthiis habuit (I *Corinth.* XII, XIII, XIV) de dono linguarum, numquam meminit novarum linguarum. Nisi forsan quis extenderit illud Pauli cap. XIV : *Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo*, ad novas linguas; quod tamen non videtur necessarium ad textus expositionem. Ut ut sit de reliquis, de S. Cæcilio id nobis liquet : et quod ut minimum Hispana lingua prophetatus fuit, multo antequam composita esset Hispanorum placito, quod certe de aliis vulgaribus ostendi non poterit.

Adhuc tamen sunt qui objiciant contra ejusmodi Cæcilianam interpretationem prophetiæ D. Joannis: non potuisse fieri a D. Cæcilio; quandoquidem Apocalypsis, seu prophetia Joanni Apostolo revelata fuit, et ab eo scripta anno 14 Domitiani Cæsaris, qui fuit Christi 97, ut ex D. Hieronymi testimonio probat card. Baronius eo anno : B. autem Cæcilius ante 40 annos martyrium subierat, anno scilicet 2 Neronis, et Christi 57. Hæc quoque obstare minime possunt dictis. Ut enim omittam Epiphanium Salaminæ, Aretham, et Andream Cappadociæ episcopos, et alios Græcorum non paucos, asseruisse, Joannem Apocalypsim scripsisse anno I Neronis; nimirum ante mortem S. Cæcilii, ut apud Sixtum Senens. lib. VII Bibl. S. videre est; et ut missum faciam, prophetico Spiritui non esse difficilius docuisse futuram Apocalypsim D. Cæcilium, quam futuram linguam, et novum scribendi modum (quo locus detur commentationi Cæcilianæ ante scriptionem Apocalypsis, in quo nulla apparet difficultas, præsertim cum D. Cæcilius nemini discipulorum prophetiam, nec commentarios ostendisse constet, et Deo solum non hominibus tunc temporis, ut loquitur Paulus, loqueretur) : ut hæc igitur omittam, quæ omnino objectum ratiocinium enervant, dubio procul esse debet prophetiam quam D. Cæcilius commentatus est, non esse D. Joannis Apocalypsim, sed longe aliam. In ea siquidem nonnulla de futuro Machometo, orbis exterminatore, et de Hispaniæ

A. C. 54. Tesiphon in Bætica urbe Vergilia, Bastæ, Oscæ, in aliisque urbibus prima jecit religionis Christianæ fundamenta. A. R. 805

57. Horum S. Jacobi discipulorum, nonnulli sub Aloto, Neronis judice, dum ad concilium 808.

BIVARII COMMENTARIUS.

sub ejus sectatoribus clade, leguntur, quæ quia de verbo ad verbum a D. Cæcilio e textu Hebraico in Hispanum idioma translata sunt, minus politam orationem reddunt. Prophetia. *A los seis siglos venidos de su Advenimiento, por peccados graves, que cometidos seran, tinieblas se labantaran en las Orientales partes, y por las Occidentales se estenderan por ministros furiosos, que en ellas seran criados : conque la luz de nuestro Sol se eclipsara, y el templo del Maestro y su Fe* (id est, S. Jacobi) *graves persecuciones padeceran.* Cui Commentarium adhibuit perpolita phrasi Hispana in hæc verba : *Abreviado elano cerca de seis centos despues del Salvador, vendra de los moradores Orientales un rey, endemoniado, propheta de los falsos, que por peccados, y culpas de las gentes, por permision del Senor altismo poderoso.* (Et hæc quidem circa annum 644 quo Machometus in Hispaniam teste Isidoro in Chronico grassabatur, contigere.) Inferius de suis loquitur sic, qui tamen anno 714. Hispaniam depopulati sunt : *Senor earan muchos pueblos desde Oriente hasta el Poniente, y se acercaran a las ciudades maritimas de Espana ; y escurecera a con sus tinieblas la luz de la santa Iglesia; y su alto alcazar padecera de la mar desta persecucion, que alcanzaran y comprenderan muchas gentes, que seran abatidas, y arrojadas con menosprecios; donde estara el suffrimiento de los santos.* Vide quæ hac de re scripsit Bernardus de Alderete tanto viro digna lib. II, cap. 19. Quis autem non videat textum illum in Apocalypsi D. Joannis non exstare? Quando autem D. Joannes ejusmodi prophetiam scripserit; vel utrum alterius, S. Joannis fuerit, non liquet. Liquet tamen non omnia apostolorum scripta superesse in authenticorum librorum indice; nam ut omittam omnes apostolos haud dubium discipulos absentes scriptis instruxisse suis, et nihilominus paucorum exstare epistolas; ut minimum epistolam se scripsisse Laodicensibus, ipse Paulus ad Colossenses scribens, testatur, cap. IV, et hæc deperiit; vel recepta in Canone non est; quod dixerim propter eam, quam Sixtus Senensis affert. Præterquam quod si de prophetiis loquamur, certum est multa fuisse revelata sanctis apostolis de futuris Ecclesiæ cladibus; ut est illud II ad Timoth. IV : *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt,* etc. Et alias quoque Apocalypses aliis fuisse revelatas testatur idem Paulus I Cor. XIV illis verbis : *Cum convenitis, unusquisque vestrum, psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, linguam habet.* Quinimmo D. Isidorus in Officio Missæ S. Torquati, Cæcilii, et sociorum eos vocat Vates nostros : *Diem hunc, dilectissimi fratres,* ait, *in quo memoria nostrorum Vatum excolitur, devotis mentibus excolamus.* Fatetur ergo quod aliqua nobis prædixerunt. Quæ autem illa sint, libri Montis sancti loquuntur. Agemus de S. Cæcilio iterum inferius anno D. 57.

5. *Tesiphon*, etc. Martyrologia, ac scriptores communi calculo Tesiphontem assignant episcopum Vergi, solus Dexter Vergiliæ ascribit; quæ apud Ptolomæum videntur diversæ valde civitates. Nam Vergi apud omnes sita fuit in ora maris, quod ab ea dictum est *Sinus Vergitanus*, qui a Vergi extenditur usque ad promontorium Scombrarium, *Cabo de Palos*, vulgo dictum; at vero Vergilia ponitur ab eo non parum a mari distans, in Bassetanis, in ipso limine Tarraconensis, et Bæticæ Hispaniarum. Cæterum si quæ ab hoc auctore dicuntur ad unguem perpendantur, poterit in concordiam redigi cum cæteris scriptoribus. Non enim, ut putant, ponit Vergim diversam a Vergilia urbem, sed Abderam, quæ tametsi a multis credatur antiqua Vergis, est tamen omnino diversa ab ea. Quinimmo hodieque duo oppida in ora maris Bætici sita exstant, prope se invicem posita, et non longe ab Almeria, quorum alterum *Verza*, alterum *Adera*, nuncupatur. Vocavit igitur Ptolomæus *Vergiliam*, quam cæteri *Vergi* dixerunt, nisi quod situm ejus, quoad latitudinem non bene cognitum habuit; nam Vegilia significat urbem Vergi. Ut enim notavit Morales in suis Antiq. verbo *Ilitурgi* fol. 56, Vox *Ili*, urbem significat, cujus rei argumento sunt tot civitates, quod ea voce insignitæ fuerunt in Hispania, Iliberri, Ilici, Ilitурgi, Ilipa, Ilipula, Ilarcurris, Ilurbida, Ilerda, quæ a parte anteriori compositionem *Ili*, habent : aliæ autem a posteriori ut Bilbilis, Hispalis, Sacilis, Orcelis, Arcialis, et similes, e quorum numero puto esse Vergiliam, seu potius *Vergili* ut idem sit quod *Vergi-Ili*, id est, Vergi urbs. Argumento inquam sunt istæ civitates, quod *Ili* priscorum Hispanorum voce urbem significat; quia cum eis venit in communissimam compositionem : nec enim alio ducimur, cum existimamus vocem, *Briga*, prisca Hispaniæ lingua civitatem significare, nisi quia in plurimarum nomenclaturis urbium eam reperimus, quales sunt Augustabriga, Deobriga, Juliobriga, Talabriga, Cætobriga, Lacobriga, etc. Quare cum Dexter ait, D. Tesiphontem prædicasse in Bæticæ urbe Vergilia, idem denotat quod Martyrologia nomine Vergi. Hæc vero urbs non est Abdera, licet prope eam sit, sed *Werza*, cujus caput nunc est Almeria; quæ videtur in locum antiquæ Vergis substituta, quo nimirum Almerienses cives, dum succedunt in juribus antiquæ nobilitatis Vergitanorum, induant quoque devotionem erga patronum suum Tesiphontem, eumque uti talem impense venerentur.

Debent itidem ei prima religionis ac fidei suæ fundamenta Basta, et Osca (nunc *Baza* et *Huescar*) in Bætico seu Granatensi regno constitutæ, et non longe inter se distantes, nobiles sane, et antiquæ urbes. Et quidem a Basta dicti sunt olim Bastetani populi, seu Bassetani a Bassa, ut alii legebant. Quod vetus Basta sit *Baza* recens, ostendit docte Ambrosius Morales lib. X Hist. Hisp. cap. 32. Circa situm Oscæ Bæticæ fallitur Ptolomæus, dum eam ponit in Turditanis, ultra fretum Gaditanum, cum tamen sita sit citra Granatam, juxta Bazam. Est alia ejusdem nominis urbs in Aragonia, nunc *Huesca* dicta. Unde divi illi toto terrarum tractu martyres celeberrimi Laurentius et Vincentius orti fuerunt; sed Dexter nunc de Bætica loquitur, quæ est *Huescar*. In quodam libro eorum qui apud montem sanctum Granatensem inventi sunt, habetur, quod D. Tesiphon, et S. Cæcilius fuerunt fratres, ab Arabia oriundi, et quod Tesiphon ante conversionem vocatus sit *Abenathar*. Inventi sunt ibidem sub Tesiphontis nomine libri sequentes : *Fundamentum Ecclesiæ*, quinque plumbeis tabulis, Arabico idiomate exaratum, libri II; *de Essentia Dei* liber I; *de Pœnitentia S. Petri* liber I; *de Oratione S. Jacobi* liber I. Legitur quoque in lamina plumbea ejus epitaphii scripsisse *de Vitæ integritate, et miraculis* sui Magistri, *S. Jacobi*, librum alium.

A. C. 57. — *Horum S. Jacobi.* Hoc sane testimonio egregie comprobantur, ac stabiliuntur, quæ in plumbeis tabulis sacri montis Granatensis, nuper detectis scripta sunt, vicissimque ab eisdem robur accipit Dextri testimonium; ita ut alterum alterius veritatem non sinat in dubium venire. Etenim anno 1594 repertum est præsens Dextri Chronicon in Germania, et in Hispanias missum extractum ab Originali ms. et pervetusto codice bibl. Fuldensis cœnobii, et sequenti ann scilicet 1595 montis sancti

A. C. 57. Iliberri conveniunt, flammis exusti, spoliati suis, suorumque bonis omnibus, gene- A. R. 803.
rose morientes, pro Christi fide coronati sunt.

BIVARII COMMENTARIUS.

Granatensis monumenta detecta sunt. Quo fiet ut præsens Dextri sententia desumi nequiverit ab impostore quopiam, ex tabulis Granatensibus quæ adhuc subtus terram latebant, ut Dextro insereretur. Similiter cum anno uno ante detectionem librorum dicti montis, Dexter loqueretur Ilispanis de genere, loco et anno necis quorumdam B. Jacobi discipulorum, non relinquitur locus dubitandi de veritate laminarum; in his præsertim, quæ Dextro consentiunt, quinimmo magno Dei beneficio ac singulari ejus providentia dispositum fuit, ut Dexter qui 600 annos peregrinus latuerat; in patriam tandem suam regressus, aditum aperiret his quæ in tabulis plumbeis Granatensibus sequenti anno detegenda erant de martyrio discipulorum D. Jacobi.

Sed videamus quid tabulæ plumbeæ dicant. Die 22 Martii anni prædicti 1595 reperta est tabella S. Iscii tenoris sequentis : *Anno 2 Neronis imperii, Martii kalendis, passus fuit martyrium in hoc loco Ilipulitano, electus ad hunc effectum S. Iscius, apostoli Jacobi discipulus, cum suis discipulis Turillo, Panuntio, Maronio, Centulio, per medium ignem, in quo vivi combusti fuerunt; æternam vitam petentibus transivere : ut lapides in calcem conversi fuerint; quorum pulveres in hujus sacri montis cavernis jacent : qui (ut ratio postulat) in eorum memoriam venerentur.* Hoc ipso Martii mense reperta fuerat alia tabula, æque plumbea, hæc continens verba : *Corpus ustum D. Mesitonis martyris. Passus est sub Neronis imperatoris potentatu :* rursus 10 die Aprilis sequenti, et anni prædicti, hæc detecta est. *Anno 2 Neronis imperii, kalendis Aprilis, martyrium in hoc loco Ilipulitano D. Tesiphon, dictus priusquam converteretur Abenathar, D. Jacobi apostoli discipulus; vir litteris et sanctitate præditus. Plumbi tabulis scripsit librum illum, Fundamentum Ecclesiæ appellatum. Et simul passi sunt sui discipuli D. Maximus, et Luparius, quorum pulvis et liber sunt cum pulveribus divorum martyrum in hujus sacri montis cavernis. In eorum memoriam veneretur.* Die 22 Aprilis sequenti repertus est liber sub hoc titulo : *Liber, Fundamentum Ecclesiæ, Salomonis characteribus scriptus.* Et die 25 alter ejusdem auctoris, sub hac inscriptione : *Liber de Essentia Dei, quem D. Tesiphon apostoli Jacobi discipulus, in sua naturali lingua Arabica, Salomonis characteribus scripsit; et alium, Fundamentum Ecclesiæ appellatum, qui in hujus sacri montis cavernis jacet. Deus a Nerone imper. hos duos liberet libros. Imposuit finem hic suis operibus, scribens miracula, et vitæ integritatem sui Magistri... vi in hujus sacri montis cavernis.... est.* Demum ultimo Aprilis die detecta est plumbi tabula Latinis (sed vetustissimis) litteris martyrium S. Cæcilii patefaciens, hujus tenoris : *Anno 2 Neronis imperat. kal. Febr. passus est martyrium in hoc loco Ilipulitano D. Cæcilius, S. Jacobi discipulus, vir litteris, linguis, et sanctitate præditus : prophetias D. Joannis commentavit, quæ sunt positæ cum aliis reliquis in sublimi parte inhabitabilis turris Turpianæ; sicut dixerunt mihi sui discipuli D. Septentrius, et Patritius, qui cum illo passi sunt. Quorum pulveres jacent in hujus sacri montis cavernis. In eorum memoriam veneretur.* Quidquid in tabulis dicebatur, illico repertum fuit; et cum eis relatio D. Patritii, quæ ostendit insignem prophetiæ gradum, ad quem magister suus Cæcilius evectus fuerat; et quomodo obitum suum longe ante prædixerat; ubi inter alia : *Et me admonuit*, ait, *ut occulte haberem* (librum suum), *et in loco locarem, ut in potentiam Maurorum numquam veniret, donec Deus velit illum manifestare. Et ego melius quam intellexi in hoc loco clausi, ubi jacet, Deum rogans, ut eum observet.* Hæc ab egregio eruditissimoque doctore Gregorio Lupi Madera, regio consiliario, in apologetico libro pro vera Sacri Montis antiquitate : et ab Antonio de Cianca in lib. I de Vita S. Secundi c. 16, et a reverendo Alderete lib. II Antiquit. a cap. 10 usque ad 25 mutuatus sum.

Nunc vero conferamus Dextrum cum tabulis; in quibus mira est consonantia. Principio, testantur tabulæ martyrio affectos quosdam S. Jacobi discipulos in monte Ilipulitano : qui est juxta urbem Granatensem : Dexter vero occisos asserit, cum ad concilium Iliberrim convenirent : Iliberrim autem juxta Granatam esse, immo hanc illi successisse superius docuimus, ad annum 54. Rursus utrique eos per ignem consummatos asseverant, idque pulcherrime disponente Deo, ut qui eos primum faculas Hispaniæ fecerat, per ignem consummarentur. Hoc enim honorario titulo nuncupantur a sancto Isidoro in Breviario Gothico, in cujus oratione 3 matutinali, festi horum sanctorum dicitur : *Hi sunt, Domine, septem faculæ hujus Hesperiæ finibus inditæ, ad effugandam ejus terræ noctis infidelitatem, cœlitus missæ.* Item annus 57 Christi Domini quo eos cœlestia intrasse regna docet Dexter, fuit secundus Neronis : siquidem anno Domini quinquagesimo quinto habenas ceperat imperii, ut inter alios videre est apud Ambrosium Morales lib. IX Histor. c. 6; quare kalendis Aprilis, quibus horum discipulorum Apostoli ultimus D. Tesiphon, pro Christo combustus est, nondum Nero secundum imperii annum expleverat. Denique Dexter non ait omnes illos septem præcipuos D. Jacobi discipulos combustos fuisse, sed nonnullos, tabulæ autem assignant fuisse tres, scilicet Iscium, Cæcilium, et Tesiphontem : immo quæ ipsæ addunt de discipulis eorumdem, quod nimirum simul combusti sint DD. Maximus, Luparius, Mesiton, Septentrius, Patritius, Turillus, Panuntius, Maronius, et Centulius, silentio Dexter non involverat, non enim solum dixit de S. Jacobi discipulis, *spoliati suis bonis, coronati sunt*, sed addit, *suis, suorumque bonis omnibus.* Hoc est suorum discipulorum, qui et spoliati sunt cum magistris, et generose cum eis morientes pro Christi fide coronati.

Placet hic apponere inscriptionem quam templo tum novo, tum magnifico montis sancti Granatensis, Alderete composuit, quod totam ejus historiam complectatur.

BEATISSIMO APOSTOLO JACOBO TONITRUI FILIO HISPANIARUM TUTELARI.
QUI CHRISTI JESU DEI ET SERVATORIS NOSTRI, GENITRICISQUE EJUS VIRGINIS MARIÆ
JUSSU ET AUSPICIIS,
FIDEI LUMEN UNIVERSÆ INTULIT HISPANIÆ; EAM SUO ILLUSTRAVIT FULGORE :
ILIPULITANUM HUNC SACRUM MONTEM DIES ALIQUOT INCOLUIT :
ATQUE IN EJUS SPECU IN EVANGELICÆ DOCTRINÆ CATHEDRAM, ET SPECULAM CONSTITUIT;
SANCTISSIMIS ETIAM EJUS DISCIPULIS ET SCRIBIS ARCANORUM CONSCIIS CÆCILIO, TESIPHONTE, EX ARABIA FRATRIBUS,
AC ISCIO :
QUI INGENTI LABORE BÆTICOS POPULOS AB IMPIA SUPERSTITIONE EXPIARUNT :
PONTIFICIAS DEMUM INFULAS, SUBDITIS IGNIBUS (SED ÆTHEREIS MAGIS) FLAMMATI;
TRIUMPHALIBUS MARTYRII LAUREIS ORNARUNT :
HORUM ITEM ANTISTITUM DISCIPULIS INCLYTIS;

A. C. 60. Multi in Hispania prima persecutione Neronis, quæ hic ab anno 57 cœpit, Hispali, Ili- A. R. 811.

BIVARII COMMENTARIUS.

PATRITIO, MESITONI,
SEPTENTRIO,
TURILLO, PANUNTIO, MARONIO, CENTULIO, MAXIMO ET LUPARIO:
QUI NERONIS IMPERATORIS ANNO II.
UNA CUM EORUM DOCTORIBUS, ARDENTIBUS INJECTI FORNACIBUS:
IN HIS CRYPTIS ILLUSTRE FIDEI DEDERE TESTIMONIUM.
SACROSANCTI, CANDIDISSIMIQUE OMNIUM CINERES, ANNOS AMPLIUS M. D.
HISCE CONDITI CAVERNIS LATUERUNT IGNOTI:
HOC TANDEM ÆVO DIVINITUS REPERTI:
ET CUM EIS ETIAM PLUMBEI LIBRI, PLUMBO, LAPIDIBUSQUE CLUSI:
NON INTEGRI MODO, SED RECENTISSIMA SPECIE, AD MIRACULUM, POST TOT SÆCULA:
ARABICE ANTIQUISSIMA DIALECTO, SALOMONIISQUE CHARACTERIBUS, POLITISSIME SCRIPTI,
MULTIS MAGNISQUE FIDEI NOSTRÆ MYSTERIIS REFERTI:
EORUM CHARACTEREM, MARTYRUM AGONES, TEMPUSQUE,
LAMINÆ ITIDEM PLUMBEÆ IN HIS CAVERNIS SIMUL INVENTÆ NOTANT,
OB HÆC ALIAQUE AUGUSTISSIMA ET DIVINISSIMA DONA, AD QUÆ MENS OBSTUPESCAT HUMANA:
SACERDOTUM TEMPLUM, ARAS, AC HUJUS SACRI MONTIS, ET SPELÆI ORNAMENTA;
PETRUS DE CASTRO QUINONES, ARCHIEPISCOPUS GRANATENSIS:
VOTIS MINORA, HIS QUIBUS MAJORA, ET AUGUSTORIA DEBENTUR:
AD LAUDEM TAMEN, HONOREM, JUSTAM VENERATIONEM, AC EORUM MEMORIAM,
PIETATE PLENUS SACRAT, DICATQUE.
ANNO DOMINI CIↃ. IX. X.

Quo genere martyrii sublati S. Jacobi discipuli?

Cum tres dumtaxat ex septem S. Jacobi discipulis ignis martyrium consummarint, quid de cæteris quatuor actum sit videamus. *D. Torquatus*, sedecim adhuc annos supervixit usque ad 66 Christi, quo martyr et ipse effectus est, ut ibidem dicemus. D. Secundus usque ad centesimum Domini annum vitam produxit: illic de eo dicturi sumus. De S. Euphrasii nece egimus anno 54, tametsi non constet manifeste de genere martyrii, quo sublatus est. Sed tamen cum Equilinus ibi citatus asserat simul cum eo passum fuisse S. Clarum diaconum, qui testimonio Dextri, in mare præcipitatus martyrii coronam acceperit, non longe a Spartaria Carthagine, consequens est, ut etiam Euphrasius in mare demersus sit. Ut ut sit, gladione an aqua vitam finierit, constat illum tandem sepultum Iliturgi (seu *Andujar*) indè ad vallem *de Omao* in Gallæcia translatum; ac tandem partem sacrorum pignorum suæ sedi Iliturgensi restitutam. Celebratur in Ecclesia Giennensi, nunc *Jaen* in cujus diœcesi exstat Andujar, die 18 Maii, die nimirum translationis reliquiarum, nam natalis fuit 14 Januarii. Vide quæ de eo superius diximus. *Sanctus Indalecius* apud Almeriam sepultus jacuit, nobili prius martyrio honestatus; quousque anno 1084, agente Sanctio, hujus nominis I Aragonum rege, ejus sacrum corpus solemni pompa translatum fuit in regium cœnobium sancti Joannis de Penna, feria V hebdomadæ pœnosæ, astantibus prædicto rege et ejus filio D. Petro Aragoniæ Infante, atque D. Sanctio abbate Pennensi: cujus gestæ rei historiam narrat Zurita I part. Annal. Arag. lib. I, cap. 27. Sancta Burgensis metropolitana sedes festum diem agit 30 Aprilis in memoriam S. Indalecii: Ecclesia vero Almeriensis die 23 Martii: sed altera natalitii, altera translationis festum celebrare convincitur.

Olim sub titulo et officio Confessorum Pontificum celebrabantur, quandoquidem neque in Martyrologio Romano neque in Usuardi aut Adonis, seu Bedæ, neque apud divum Isidorum, aut Equilinum quidquam de eorumdem martyrio legebamus: postquam vero (volente Deo) sacræ nostrorum apostolorum reliquiæ apud montem Granatensem inventæ, et summi Pontificis auctoritate recognitæ sunt, tota deinceps Hispania velut martyres veneratur ac celebrat. Cujus rei testimonium præbet codex ille, qui quotannis Matriti cuditur, *Ordo recitandi Officium divinum*, titulo insignitus, ibi enim dum agitur de sanctis Ecclesiæ Compostellanæ, sic habetur: *Maii* A 15 *Torquati episcopi et sociorum martyrum, duplex.* At in Ecclesia Guadixensi: *Maii* 15 *Torquati episcopi et martyris duplex* 1 *clas. cum Octava.* In Granatensi sic: *Febr.* 1 *Cæcilii episcopi martyris et patroni duplex*, 1 *classis.* Et Martii 1: *Iscii episcopi et discipulorum ejus martyrum, duplex* 2 *classis.* Et Aprilis 1: *Tesiphontis episcopi et discipulorum martyrum, duplex* 2 *class.* In Ecclesia Burgensi, April. 30: *Indalecii episcopi et martyris, duplex.* In Ecclesia Abulensi, Maii 2: *Secundi episcopi et martyris,* 1 *classis cum Octava.* Denique in Ecclesia Giennensi, Maii 18: *Euphrasii episc. et martyris, duplex* 1 *clas. cum Octava.* Cæterum de martyrio horum B. Jacobi discipulorum non solum Dexter et Granatenses tabulæ plumbeæ testimonium reddidere, sed etiam multis ab hinc annis Gregorius VII Rom. Pontifex in epistola ad Alphonsum regem, Data 14 kal. Aprilis indictione 12, dicens: *Septem episcopos ab urbe Roma ad instruendum Hispaniæ populos ab apostolis directos fuisse, qui destructa Idololatria, Christianitatem fundavere, et religionem plantavere, ordinem et officium in divinis cultibus ostendere, et sanguine suo Ecclesias dedicavere*, etc. Recitat hæc quoque card. Baronius in notis ad diem 15 Maii Rom. Martyr. B

A. C. 60. — 1. *Multi*, etc. Cœpisse Neronis persecutionem in Hispania ab anno 57 seu secunda ejus imperii abunde faciunt fidem quæ modo a nobis dicta sunt de martyrio SS. Cæcilii, Thesiphontis, et Iscii, ac sociorum; sævisse autem non uno vel alio loco, aut urbe, sed tota Hispania, ejusque vi tantam martyrum stragem factam, tamque innumeram Christianorum multitudinem e medio martyriis sublatam, ut crederetur religio tota ubique exstincta, et funditus deleta, lapis ille, sive marmorea columna testatur, quæ Cluniæ Coloniæ (id est, *Corunna del Conde*) erecta fuit a Neronis ministris: adducitur vero ab Aldo Manutio in Ortographia, Ambrosio Morale lib. IX Hist. cap. 17, et Baronio ad annum Christi 69, et primum a Cyrillo Anchonitano.

NERONI. CL. CÆS. *Aug. Pont. Max.*
OB. PROVINCIAM. LATRONIBUS. ET HIS. QUI.
NOVAM. GENERI. HUMANO. SUPERSTITIONEM.
INCULCAR. *ant* PURGATAM.

Cæterum non eam solam sub hac inscriptione tunc erectam credas, sed quamplures, nam Aldus idem auctor est, aliam quoque inter ruinas oppidi de *Maramezar* repertam. Est autem vero simile has omnes postmodum, cum catholica Ecclesia idololatriam suppressit, ac devicit, a christianis confractas et aliis aptatas usibus, ne tropæa contra Ecclesiam C

A. C. 60. turgi, Iliberri, Tarraconc, Cæsaraugustæ, in Lusitania, in Bætica, et Carpetania, A. R. 811
bonis suis omnibus privati atrociter patiuntur.

BIVARII COMMENTARIUS.

erecta permanerent. Dei vero altissima providentiâ evenit ut nonnulla illarum tandem reperirentur, quatenus testes fierent beatissimorum illorum martyrum, qui fidem Christi sanguine suo in Hispania plantaverant, eosque tam inæstimabili fuisse comprehensos numero, quod ab impiis creditum sit, omnimodis purgatam Christianis provinciam : id enim notat verbum illud, *Ob provinciam purgatam his, qui novam generi humano superstitionem inculcarant.* Quo loci recte notavit cardinalis Baronius : *Considera ex his vehementissimam fuisse persecutionem Neronis, ut creditum fuerit Christianam religionem ab eo penitus exstirpatam.* Et rursus : *Potes ex his quoque, lector probe, conjicere, fuisse Hispaniarum Ecclesiam his temporibus florentissimam; dum tamquam ingens quoddam ab impiis æstimatum est, collatum a Nerone beneficium, quod Christianis eam provinciam expurgasset.*

Notat autem Dexter civitates, quæ majori numero martyrum abundarunt, utpote quæ numerosiores tunc temporis erant, atque ea propter plus in eis incanduerit persecutio. *Iliturgi* (sive *Andujar*) martyr occubuit Euphrasius, discipulus S. Jacobi, aut inibi damnatus ad necem est, et prope Carthaginem missus in mare. *Iliberri* autem tres illi insignes ejusdem apostoli discipuli, Cæcilius, Tesiphon, et Iscius, cum sociis superius a nobis enumeratis. *Cæsaraugustæ* itidem martyrio coronatus est S. Athanasius I ejus sedis, et ædis Deiparæ Virginis de Columna episcopus : incidit vero ejus martyrium in annum Christi 59, tertium nimirum ipsius persecutionis Neronianæ. Ita ex M. Maximo accipio, qui ad calcem epigrammatis in ejus laudem conscripti addit : *Obiit prope Cæsaraugustam anno* 59. *Colitur* 1 *Novembris.* Dicitur vero obiisse prope Cæsaraugustam, quia nimirum eductus ab urbe est, ut gladio feriretur. Martyrio vero sublatum idem Maximus fatetur in Sapphico hymno de primis tribus Cæsaraugustanis antistitibus, ubi hæc habet.

Laudo te primum, Athanasi sacer,
Teque præstanti Theodore, cantu,
Non minus nostris, Epitecte præsul,
Dignus es odis.
Tertium et primum videt ipse Iberus
Fortiter passum; sed enim secundum,
Sacra per tractus Libycos serentem
Clara Cyrenne.

Juxta Iberum fortiter passum ait, primum ex nominatis præsulibus, videlicet Athanasium, utpote occisum prope Cæsaraugustam. De Theodoro et Epitecto suis locis. De martyribus *Tarraconæ* passis tunc temporis, nihil est in speciali quod dicam, cum tamen dubium esse nequeat illic præcipue persecutoris sævitiam Christianorum sanguinem sitiisse, ac effudisse, utpote in urbe illustrissima, a qua major Hispaniæ pars Tarraconensis sumpserat nomenclaturam provinciæ; et ubi S. Agathodorus divini semina verbi jecerat. Idem de *Hispalensi* civitate dixerim, cui insigniter præerat S. Pius, et ipse quoque cum Agathodoro, unus ex primis S. Jacobi discipulis. Cæterum si Hispalensium sub Nerone martyrum obliterata memoria est, non sic tamen illorum qui Italicæ non longe ab Hispali, ejusdem Pii episcopi creduntur in religione prognati. Accepi horum illustrium martyrum historiam, ab ea quam Hieremias Constantinopolitanus patriarcha, anno Domini 1580 e Græco in Latinum translatam, de martyrio S. Photinæ, evangelicæ Samaritanæ, cum reliquiis ejusdem dono dedit oratori Rodulphi III imperatoris; a quo Adamus Dietristan imperatoris majordomus accipiens per manus D. Joannis de Borgia Philippi II Catholici regis apud prædictum Rodulphum oratoris dono misit serenissimæ imperatrici Mariæ, Matriti in Discalciatarum virginum regio cœnobio degenti. In ea autem historia asseritur Samaritana, cujus Photina nomen erat, habuisse sorores quinque, nimirum Anatoliam, Photim, Photidem, Parascevem, et Cyriacam, filiosque duos, Josephum, qui eam in ministerio Evangelii comitabatur, et Victorem Neroni imprimis acceptum ob insignem ejus in re militari dexteritatem, quæ in bello contra Avaros in Scythia gesto maxime enituerat, et ob quam ab eodem imperatore in Hispaniam missus supremus, et generalis dux exercitus Italicæ designatus fuerat. Quæ vero miracula ab eodem Victore Italicæ edita sint, et quomodo Sebastianum Hispanum ducem ad fidem (ceu novus Ananias alterum Saulum) pertraxerit cum magna civium multitudine his auctor enarrat verbis; quæ placuit ad verbum apponere, ob tantorum gestorum memoriam suscitandam, et in gratiam Dextri qui hoc loco de martyribus Hispalensibus sub Nerone scribit.

Quo tempore Nero Romanorum rex magnam in Christianos moverat persecutionem, S. Photina una cum Josepho filio suo, apud Carthaginem Africæ urbem prædicabat Evangelium Christi : et cum ea Victor filius major natu, qui strenuissime se gesserat in bello, quod Romani habuerant cum Avaris, Scytharum gente ferocissima. Accidit vero ut eo temporis mitteretur Victor a rege Italicam, munus supremi ducis exercitus obiturus; cum onere inquirendi ac persequendi Christianos, quos illuc reperire contingeret. Factum est autem cum ibidem moraretur, ut ad ipsum dux alter accederet, cui Sebastianus nomen, diceretque ei : Non me latet, o dux, te esse Christianum, et cum matre, ac Josepho fratre Petri sectatorem; fac, quæso, regis jussum ac voluntatem, ne forsan de vita pericliteris. Cui Victor dixit : Vehementer desidero super-cœlestis et immortalis regis voluntatem adimplere; quod vero mihi a Nerone injunctum est de Christianis persequendis, nec audire sine dolore queo. Sebastianus respondit : Consulo tibi velut amico charissimo, si enim hoc commodissimo tempore Christianos quæsieris, et ad quæstionem adductos interfeceris, cum insigniter regio favore, tum illorum divitiis frueris. Sed et in hoc consultum te esse velim, ut litteras ad matrem et fratrem tuos des, ne tam libere ac publice loquantur, suadentes enixe Græcos, suam antiquam religionem deserere : nè forte tu quoque cum illis crudelem ac ingloriam necem, quæ haud dubium vobis inferretur, patiaris. Quod si ea crudelitas vos delectat, secreto quidem, et non palam habere satius erit. His Victor occurrit : Ne me Deus permittat quidquam mali in Christianos machinari, nec divitias illorum auferre, nec matri aut fratri suadere, ne prædicent Christi virtutem et Divinitatem. Immo vero præco ego etiam ejusdem sum; in quo glorior non minus atque ipsi gloriantur. Dux dixit : Equidem ego consilium dedi rei quæ maxime tibi expedit, tu videris. Quo dicto subito visum amisit, et præ ingenti ardore ac dolore oculorum, cadens in terram obmutuit. Hi autem qui præsentes aderant, portaverunt eum domum, ac super lectulum imposuerunt, ubi totis tribus diebus conticescens jacuit. Quibus transactis magnam emisit vocem inquiens : Unus Deus Christianorum. Intrans vero Victor ad eum, ait : Unde tibi isthæc tam repentina mutatio? Vocat me Christus, inquit, *dulcissime Victor. Quare sine mora catechizatus ad baptismum admittitur, cum quo pariter visum recuperat; ac pro tantis donis Deo grates agit. Quo viso miraculo, veriti ne tale aliquid ipsis accideret, si in sua incredulitate persisterent, Italicenses gentiles baptizati sunt.*

Cum accepisset tandem Nero, quod Victor generalis exercitus Italicæ, et Sebastianus pariter ejusdem urbis

A. C. 60. Eodem tempore cum convenissent in Cherronensi urbe prope Valentiam in Hispania, A. R. 811. Concilii causa, sancti pontifices, discipuli quoque S. Jacobi apostoli, Basilius Carthaginis Spartariæ discipulus ejus primus, Eugenius Valentinus, Pius Hispalensis,

BIVARII COMMENTARIUS.

dux, doctrinam Petri et Pauli prædicabant; ad Christumque cunctos adducebant: quodque ejusdem generalis mater Photina cum Josepho filio ab antiqua et avita secta discedens eamdem fidem seminabat apud Carthaginem, vehementi commotus ira, milites misit Italicam qui puniendos ad se perducerent, quascumque utriusque sexus Christianos reperire liceret. Tunc Dominus apparuit omnibus in unum congregatis, quo animæquiores fierent ad martyrium pro ejus amore subeundum: Et ait: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos: et nolite timere quia ego vobiscum sum; Nero autem victus cum suis peribit. Ad Victorem autem: Deinceps vocaberis Photinus (id est, illustris), quia multi a te illuminati in mei notitiam pervenerunt; et verbum tuum confortavit Sebastianum ad perferendum martyrium; et beatus qui dimicaverit usque in finem. His dictis iterum in cœlum receptus est, revelavitque Photinæ quidquid ipsam perpeti oportebat.

Pergit auctor referre, qualiter Victor et socii Romam perducti a Nerone examinati sint de fide quam in Christum habebant; et quod mater ejus Photina cum filio Josepho, et quinque sororibus suis Anatolia, Photo, Photide, Parasceve, et Cyriaca, sponte ad martyrium pervolantes; conspectibus imperatoris se ingesserunt; omnesque gravissima, innumeraque tormenta alacri animo pertulerunt: primum quidem in carcerem teterrimum trusi; inde in ardentem clibanum totis tribus diebus missi; a quo indemnes extracti semel et iterum veneno potati fuere: plumbo etiam et resina in liquorem redactis in ore Photinæ, in auribusque cæterorum sine detrimento susceptis; sæpius bovinis nervis cæsi, pectinibus quoque ferreis, a capite in sublime suspensi, excarnificati, atque facibus ignotis ad martyrum latera applicatis exusti: oculis demum erutis; iterum in carcerem venenosis animalibus scatentem reducti, quo tandem sine cibo ac medicamine miserabiliter interirent; sed cum illuc Christi luce ac visione perfunderentur, in pristinam sanitatem redacti, et oculorum beneficio restituti, ac miraculoso cibo tribus mensibus ac diebus totidem refocillati, rursus ad novum adducti certamen, denuo flagris sævissime laniati, ad ultimum pelle detracta, frustatim cæsi, et capite amputato illustrissimam martyrii palmam perceperunt; uno dempta Photina, quæ in veterem cisternam immissa, indeque detracta, flexis genibus impollutum Deo spiritum reddidit, 20 die Martii, qua cum a Latinis, tum a Græcis ejus memoria anniversaria celebritate colitur.

Atque hæc quidem de martyribus Italicensibus dixisse non pœniteat, quorum nonnullos Italicæ peremptos, alios autem, id est, nobiliores Romæ passos qui dixerit, non aberrare a vero mihi videbitur; neque enim tota civitas Romam adduci facile posset; nec aliter fieri, quin multi illuc adducerentur a militibus, quibus Nero dederat (uti diximus) in mandatis, ut non solum Victorem, et Sebastianum ad se perducerent, sed quotquot Christi sectatores, sive viros, sive feminas, inibi reperire liceret.

Quod vero Dexter addit de persecutione Neroniana, non solum illis urbibus, Hispali, Iliturgi, Iliberri, Tarracone, et Cæsaraugustæ excanduisse, sed in Lusitana, Bætica, Carpentanaque provinciis, inde credendum est accidisse, quoniam videlicet ibi plures veritatis evangelicæ sectatores, ac proinde martyres plures, necesse erat reperiri, ubi plures quoque divini verbi præcones effulserunt: in Lusitania quidem SS. Petrus et Basilius Bracarenses pontifices, et S. Jacobi discipuli, et S. Epitatius Tudensis episcopus; in Bætica S. Pius Hispalensis, ac septem alii, Torquatus, Cæcilius, Tesiphon, et socii: in Carpetania vero S. Elpidius Toletanus antistes, et S. Athanasius Cæsaraugustanus, cum sancto Theodoro, archipresbyter, de quibus ipse Dexter in superioribus egerat ad annum 50 dicens: *Tota Carpetania prædicantes et docentes discurrunt;* quod in suo pro S. Athanasio epigrammate cecinit M. Maximus inquiens:

Per Carpentanos jactat sacra semina tractus.

Adde Carpetanorum gentem legationem pro apostolo Jacobo in Hispanias mittendo egisse apud Petrum, quo uno credibile esse innumeros in ea provincia Neronis tempestate exstitisse Christi cultores, quos persecutione probatos ac martyrii laurea redimitos triumphans cœlorum Ecclesia ascivit sibi: denique columna illa Neroniana superius ablata in Carpetaniæ confinio Cluniæ reperta quid aliud denotat, nisi quod illic tot Christiani occisi sunt, ut tametsi pene innumeri essent, provincia tamen illis purgata crederetur.

2. *Eodem tempore*, etc. Martyrologium Romanum ad diem 4 Martii, horum sanctorum episcoporum et martyrum memoriam celebrat in benedictione, sub his verbis: *Apud Chersonesum passio SS. episcoporum Basilii, Eugenii, Agathodori, Elpidii, Capitonis, Ephræm, Nestoris, et Arcadii.* Non tamen assignat loca sedium suarum, nec martyrii, nam quamvis apud Chersonesum passos prædicet, non inde satis martyrii locus manifestatur: Ptolomæus enim decem et septem Chersonesos assignat, tum in Sicilia, Sardinia, et Creta, tum in Peloponeso, et alibi sæpe; ut videas non solum Tauricam, et Cymbricam, et Thraciam sic dictas, sed quotquot pene ad insularum modum mari cinguntur terræ partes: Græce enim *Chersonesus* (sive *Cherronesus*, ut alii pronuntiant) Latine sonat *Peneinsulam*, sive *Peninsulam;* quæ nimirum insula non est, quia non omnino mari cingitur, tametsi parum absit ut undecumque cingatur. Ab uno Dextro accipimus quibus præfuerint civitatibus, quo floruerint tempore, cujus magisterio sint edocti, denique qua in urbe martyrium subierint. Est vero Chersonesus prope Valentiam urbs illa, quam Latine Peninsulam nuncupant antiqui et moderni scriptores, et paulo corruptiore vocabulo, Hispanice *Peniscola.* Invenio eam ab Strabone libr. III Geogr. Chersonesum vocatam, sitamque supra Valentiam non longe ab antiqua Sagunto, vero situ nostræ Penniscolæ; Mariana lib. XII, cap. 17, utramque ejus cognoscit nomenclaturam; agens enim de victoriis Jacobi regis sic ait: *Plura alia eo tractu oppida et arces vitam tolerabant, quæ necessario regi ditionem fecerunt, imprimis Penniscola Ptolomæo Cherronesus.* Diceret potius *Straboni*, nam Ptolomæus ejus non meminit. Idem auctor lib. XX, cap. ultimo, Peninsulam dicit. De eodem Jacobo agebat Hieronymus Zurita lib. I Indicarum rerum ab Aragoniæ regibus gestarum, cum dixit: *Anno 1225 kalen. Octobr. rex hostilem regionem incurrens, Peniscolam Ilergaonum oppidum obsidet: is situs est, ut scopulo impositum pene mari cinctum sit: e re vulgatum nomen invenit. A Græcis apparet ob eam causam etiam Cherronesum dictum.* Bernardinus Miedes episcopus de Albarracin in historia regis Jacobi perpetuo Peninsulam vocat, ut lib. V mille locis videre est. Marinæus Siculus lib. II de Rebus Hisp. dum agit de Benedicto XIII qui ibi diem clausit extremum, *Hoc responso*, inquit, *dato, remos impellens, in Peninsulam, hoc est in insulam parvulam, quæ Peniscola dicitur, apud Valentiam se recepit.* Quo videas nullam relinqui de loco martyrii ansam dubitandi. Celebrant quoque festum eorumdem Græci in Menologio, sed 7 die ejusdem mensis, non quarta ut Latini: e quibus

A. C. 60. Agathodorus Tarraconensis, Elpidius Toletanus, Ætherius Barcinonensis, Capito Lucensis, Ephrem Asturigensis, Nestor Palentinus, Arcadius Juliobrigensis : sub eodem judice bonis spoliati necati sunt. A. R. 811.

Augusto Tiberius, Tiberio Caius, Caio Claudius, Claudio Nero successit.

Terræmotus Romæ vehemens et solis secuta defectio.

Vivebat S. Luparia Bætica filia Galæciensis alterius Lupariæ.

Regulus conversus in Gallæcia sancta agit in luco.

BIVARII COMMENTARIUS.

hæc verba Galesinus in suum Martyrologium transtulit : VII *Martii*, *In Græcia sanctorum episcoporum martyrum Basilei, Ephraim, Charitonis, Eugenii, Ætherii, et cæterorum, qui in Chersoneso cruciati, sanguine denique perfuso, illustre fidei Christianæ testimonium dederunt.* Familiare est huic auctori, sanctis quos e Græcis mutuatur præmittere verbum *in Græcia;* putavit enim, quoties non assignatur locus, vel provincia in menologio, eo ipso in Græcia martyrium accidisse : attamen cum ipsum menologium id non asserit, perperam apponitur. Fit siquidem plerumque a Græcis festum sanctorum, quibus non assignant urbem; et hoc præsertim in sanctis illis contingit, qui majori intervallo ab ipsis Græcis distant. Quod unum (maxime præ oculis habendum pro hujus Chronici cognitione) in causa est, cur horum decem sanctorum antistitum sedes in menologio non assignentur, nec quæ illa Chersonesus sit, in qua martyrio sublati sunt, specificetur. Etenim in his qui intra Græciam, vel in toto etiam Oriente floruerunt, semper exprimitur sedis, et necis locus, quia nimirum ab ipsis facile cognitus est; in his autem qui in longe positis regionibus occubuerunt pro fide, sæpissime locus subticetur; utpote quem ipsi minime cognitum haberent. Cum vero Hispania antiqui orbis finis, plus cæteris a Græcis distet; inde factum est, ut sanctorum Hispanorum festa in menologio sine certa urbe et regione collocata sint, cum tamen, si sancti illi ex Græcis essent, nullatenus id de illis reticerent. Inde vero accidit, ut Romanum martyrologium, cum de eisdem agit, urbes quoque et provincias illorum sileat, quia nimirum horum festa, et nomina a Græcorum menologio mutuavit, quod tamen ipsis caret. Cur autem in Hispania ubi sancti ipsi floruerunt, memoria eorumdem interierit, in promptu ratio est : nemo enim nescit quas sæpe perpessa fuerit calamitates et eversiones, sed gratias Deo, quod tandem Dextro postliminio reduci illud Tullii ad Varronem (lib. I Acad. quæst.) dicere possumus : *Nos in nostra urbe peregrinantes, errantesque tamquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt; ut possemus aliquando qui et ubi essemus cognoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedes regionum, tu locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, officia, causas aperuisti.* Ut sciant vero Toletani, Hispalenses, cæterarumque urbium cives, quibus hi sancti præfuerunt, patronos suos honorare, ne pigeat eos attendere, quanta reverentia Græci hactenus in suo menologio nostros martyres celebrarunt.

In Martyrologio Romano deficit nomen S. Pii episcopi et martyris Hispalensis, cujus nihilominus cum cæteris sociis meminit Pelagius Ovetensis, et Hugo Portugallensis, quorum mentionem fecimus in superioribus, et ante eos S. Caledonius Bracarensis in Vita S. Petri Ratensis.

Quod dicitur, occisos fuisse dum ad Concilium convenirent, inde satis aperte deducitur, quod decem simul episcopi martyrio affecti sunt : non enim videtur aliter fieri potuisse tota distantes Hispania simul necatos, nisi ad Concilium convenirent. Locus etiam Concilii indicat tempus sævissimæ persecutionis; ea siquidem in causa fuit, ut ad locum remotissimum, et ad Peninsulam ipsam secesserint, A quo nimirum securiores effecti, tranquillitati et profectui afflictæ Ecclesiæ Hispanæ prospicerent. Sed divina providentia factum est, ut corona eos martyrii, ubi ipsam ad tempus declinare videbantur, reperierit.

Alotum Neronis judicem, sub quo hi sancti martyres passi sunt, suspicatus sum fuisse Aulum illum cognomento Cecinam, quæstorem Bæticæ sub Nerone, de quo agit Cornelius Tacitus, et ex eo Morales lib. IX Hist. cap. 17 et 20, quique unus ex primis fuit qui apud Carthaginem novam, Galbam contra Neronem inthronizarunt. Facile autem fuit ut pro Aulo sive Aulone legeret quis Alotum, seu Aulotum. Josephus in Vita sua agit de Alituro, qui fuit Neroni charus, sed hic erat Judæus genere, et Mimorum auctor, non quæstor aut judex, nec ostendi potest Hispanias adiisse. Attamen procul dubio fuit Alotus (sive Halotus) alter ex spadonibus Claudii Cæsaris, qui ei, monente Agrippina, venenum, ut Nero imperitaret, propinavit; cujus meminit Tacitus lib. XIII B Annalium. Ejus rei meritis missus est Alotus in Hispanias, et quæstor institutus initio imperii Neronis.

3. *Augusto Tiberius*, etc. Percurrit Dexter imperatorum seriem ab Octavio Augusto, cujus tempore Christus D. natus est, usque ad Neronem qui his regnabat diebus. Deerat in codice Cæsaraugustæ impresso Caius, sed illum restitui ex manuscriptis. Obierat Augustus anno Christi 16, ut Epiphanius in Anchorato testatur : secutus illum Tiberius imperavit annos 22 cum dimidio, obiit vero anno Domini 39. Successit Caius Caligula fere 4 annos in imperio complens, usque ad annum Christi 43 quo occisus est. Post quem Claudius Drusus Germanicus annos 13 et menses 8 rexit orbem; usque ad annum Domini 56 quo obiit. Hunc Claudius Nero sequitur, et usque ad annum Domini 69 imperavit, ut suo loco dicemus. Conveniunt in his Dio Cassius, Suetonius, Tacitus, et cæteri historiographi imperatorum Romanorum, quos card. Baronius secutus est.

C 4. *Terræmotus*, etc. Hoc ex Eusebii Chronico mutuatum scias, ubi legimus, *Anno Domini* 60 *terræmotus Romæ, et solis defectio.*

5. *Vivebat Luparia*, etc. Duas fuisse Luparias, Galæcianam unam, alteram Bæticam in superioribus demonstravimus, ad annum 42 et 43. De sanctitate Bæticæ est egregium testimonium S. Isidori in hymno S. Torquati et sociorum, Breviarii Gothici, ubi non semel nuncupatur sancta :

> Hæc prima fidei est via plebium;
> Inter quos mulier sancta Luparia
> Sanctos aggrediens cernit, et obsecrat,
> Sanctorum monita pectore conlocans.

Et inferius :

> Illic sancta Dei fœmina tingitur.
> Et vitæ lavacro tincta renascitur.

In Missa vero eorumdem sanctorum legit sacerdos D ante orationem Dominicam preces has : *Ecce, dilectissimi fratres, mecum oculos in sublime attollite, hoc a Domino specialiter precaturi, ut qui gratia fidei Christianæ cor Beatæ Lupariæ dignatus est illustrare repente, nos in hoc momento ab omni criminum labe dignetur efficaciter expurgare : proclamantes ad te e terris, atque ita dicentes : Pater noster*, etc.

6. *Regulus*, etc. Consule quæ ex antiquis Brevia-

A. C. 60. Martialis epigrammate 7 et 8 martyres in crucem actos, vocat Laureolos et Dædalos volantes. A. R. 811.

61. Nero matrem suam Agrippinam, et sororem patris necat. 812.

63. Barnabas in Cypro, et Jacobus minor Hierosolymis occisi. 814.

64. Ante mensam Neronis imperatoris fulmen cecidit. 815.

Epænetus cum multum diuque in Hispania laborasset, tandem fine beato in urbe sua quievit. Dubium an martyr.

BIVARII COMMENTARIUS.

riis Hispaniæ et Petro episcopo Equilino annotavimus de hujus Reguli conversione ad annum Domini 42, quibus nunc addit Dexter, tantum in fide profecisse, ut relictis omnibus in solitudinem secedens sancte egerit in luco.

7. *S. Martialis*, etc. Eo sævitiæ, ac dementiæ Domitianus imperator pervenisse proditur, quod antiquam Laureoli fabulam in Christianis expresserit, ut populo Romano præberet insolita ad vivum spectacula. Creditur a poetis Laureolus sceleratissimus latro, eoque nomine in crucem actus, et ab urso dilaceratus. Quæ fabula aliquoties Romæ in spectaculis repræsentata est, semel quidem a Lentulo, de quo Dexter inferius anno 86, cujus etiam meminit Juvenalis inquiens :

> Laureolum velox etiam bene Lentulus egit :
> Judice me, vera dignus cruce.

Quod ergo in Scena figurate dumtaxat repræsentabatur, Domitianus in martyribus expressit ad vivum : idemque ante ipsum Nero, ut jam videbimus. Hos igitur deridet Martialis, ut ethnicis arrideat, epigrammate 9 ante lib. I :

> Qualiter in Scythica relegatus rupe Prometheus,
> Assiduam niveo [*Al.* vivo] pectore pavit avem.
> Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,
> Non falsa pendens in cruce Laureolus.

Quasi dixerit : Hic novus Laureolus repræsentat antiqui fabulam, non tamen in falsa cruce pendet, et figurate dumtaxat, sed vere cruci affixus est.

Subinfert Martialis :

> Vivebant laceri membris stillantibus artus
> (*en martyris stragem*)
> Inque omni nusquam corpore corpus erat.

Nunc supponit martyri crimina :

> Denique supplicium dederat necis ille paternæ,
> Vel Domini jugulum foderat ense nocens;
> Templa vel arcano demens spoliaverat auro,
> Subdiderat sævas vel tibi, Roma, faces.

Cæterum nihil horum commisisse constat, cui nullum certum crimen objicitur, sed hoc vel illud : videlicet vel parricidium, vel domini sui necis, vel templi spolium, vel denique Romanæ urbis incendium. Quo uno compertum fit, martyrem de quo loquitur poeta, de illis fuisse, quibus Nero crimen impegit incendiariorum urbis, quam ipse combusserat. Hoc enim est quod ait,

> Subdiderat sævas vel tibi, Roma, faces.

Addit denique :

> Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ;
> In quo quæ fuerat fabula (*id est repræsentatio*),
> pœna fuit.

Hoc est, *veritas fuit*. Horum SS. martyrum celebris memoria quotannis instauratur in Romano Martyrologio die 24 Junii, tametsi non omnes eodem mortis genere sublati sint : ubi hæc legimus : *Romæ commemoratio SS. plurimorum martyrum, qui sub Nerone de urbis incendio per calumniam accusati, diverso mortis genere ab eodem jussi sunt sævissime interfici, quorum alii ferarum tergis contecti laniatibus canum expositi sunt, alii crucibus affixi*, etc.

A Vide Tacitum lib. xv, Suetonium et Dionem in Nerone. In impresso codice pro *Laureolos* erat *Furculos*, sed mendose; non enim Martialis martyres vocat Furculos, sed Laureolos, facilis autem fuit lapsus, ab una ad aliam lectionem ob similitudinem characterum utriusque, et quia in crucem actos, in furcam quoque actos certum est. Consule de Laureolo Calepinum, et Baron. ann. 98. Sive vero eumdem, sive alterum martyrem irriserit Martialis, epigrammate 18 sequenti, Dædali ei nomen imposuit, inquiens,

> Dædale, Lucano cum sic lacereris ab urso,
> Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas?

Alludit vero ad columbas illas Dædali summi astronomi, quas certis libratas ponderibus, in aera volitare faciebat, tametsi æreas vel ligneas : quæ tamen non habebant pennas ad fugiendum.

A. C. 61. *Nero*, etc. Utriusque mortem violentam hoc quoque anno designat Eusebius in Chronico, dicens; *Nero Agrippinam matrem suam et sororem patris interficit.* De quibus Suetonium, Dionemve legito.

A. C. 63. *Barnabas*, etc. In lectionibus Romani Breviarii legimus, S. Barnabam martyrium apud Cyprum pertulisse *circiter septimum Neronis annum;* cum vero is regnare cœperit ab anno Domini 56, in idus Octobris, quo die Claudius obierat, fit ut martyrium S. Barnabæ, post septem annos Neronis occisi, in annum Domini 73 inciderit. Natalis quoque S. Jacobi hoc ipso accidisse habetur ex Eusebii Chronico, asserentis : *Anno Domini* 63, *Jacobus frater Domini a Judæis lapidibus opprimitur.* Auctor est autem Hieronymus lib. de Scrip. Eccl. non solum lapidibus oppetitum, sed etiam e pinna templi præcipitem datum, et fullonis fuste, seu pertica in cerebro percussum.

A. C. 64. — 1. *Ante mensam*, etc. Et hoc ab Eusebio acceptum existimo, cujus, ipsissima verba sunt.

C 2. *Epænetus*, etc. Egimus iterum de eodem, cum Auctore ad annum Domini 50, numero 3, ubi docuimus ex Metaphraste, episcopum fuisse Sexifirmi, cujus Plinius meminit in Bætica lib. III, cap. 1, fuitque urbs insignis olim in monte Fregiliana, altero ex Granatensibus Alpuxarris aut quod aliis forsan magis arrideat, Motril, aut Velezmalaga. Nunc illud addendum putamus, Dorotheum abbatem, quem refert et sequitur Petrus Equilinus lib. VI, cap. 100, existimasse fuisse datum Carthaginensibus episcopum : Hoc si verum sit ita credi posset factum, ut primum a Petro Sexifirmo designatus fuerit antistes, post martyrium S. Basilii Carthaginis Spartariæ episcopi, quod in annum Domini 60 incidit; in sedem ejus Hispanæ Carthaginis transferretur; ibique vitam cum morte commutarit post 4 annos, videlicet anno 64 Domini. De Carthagine Africana dubium esse nequit, his enim diebus præerat illi S. Crescens, quod citato loco anni 50, num. 3, docuimus. Quod ad sanctitatem D. Epæneti attinet, magni ponderis D est, quod Paulus ad Rom. XVI inter primos et præcipuos discipulos illum salutat, asserens sibi valde dilectum esse (haud dubium, ob suam probitatem) et primum totius Asiæ discipulum, et quasi fundamentum, seu portam fidei Asianorum : *Salutate* (ait) *Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo.* Qua autem obierit morte, pacene an gladio, non liquet.

A. C. 64. Lucius Annæus Seneca Cordubensis Hispanus, missis ultro citroque ad S. Paulum lit- A. R. 815.
teris, de Christiana re bene sentit, factusque Christianus occultus, ejus fuisse discipulus creditur : dulciterque scribit ad Paulum in Hispania morantem.
S. Paulus ad Hispanias veniens secum fert Philemonem, Timotheum, aliosque discipulos, Libysocæ, Laminiique urbibus Provinciæ Arevacum prædicat. Philippum

BIVARII COMMENTARIUS.

3. *L. Annæus Seneca*, etc. Nihil aliud de Seneca Dexter asseverat, quam sui temporis magni illi Ecclesiæ pugiles Hieronymus, et Augustinus dixerunt; ille enim inter scriptores Ecclesiasticos collocat Senecam dicens : *Quem non ponerem in catalogo sanctorum, nisi me illæ epistolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, et Senecæ ad Paulum.* Hic autem in epistola 53, ad Macedonium, inquit: *Merito ait Seneca, qui temporibus apostolorum fuit, cujus etiam quædam ad Paulum apostolum leguntur epistolæ.* Quas igitur Senecæ, et Pauli ultro citroque habitas Augustinus, et Hieronymus, Dextro ætate æquales; agnovere epistolas, ipse Dexter hoc loco recognoscit. Neque vero absolute asseverat Christianum fuisse, sed quod creditus fuerit Christianus, et Pauli discipulus; id quod Hieronymus ex eisdem epistolis intulit, adeo ut ob hanc solam causam in numerum doctorum Christianorum illum constituat. Sanctus quoque Linus libello de martyrio apostolorum Petri et Pauli, oculatus et ipse testis existens, inquit : *Concursus de domo Cæsaris fiebat ad eum* (ad Paulum scilicet), *sed et institutor adeo fuit illi amicitia copulatus, ut se a colloquio illius temperare vix posset, quominus si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis et acceptis epistolis ipsius dulcedine, et admirabili colloquio, atque consilio frueretur.* Recipit eas Honorius Augustodunensis lib. de Luminaribus Ecclesiæ, inquiens : *L. An. Seneca Cordub. Photini Stoici discipulus, et patruus Lucani poetæ, scripsit quasdam epistolas ad Paulum apostolum, et Apostolus quasdam rescripsit.* Exstant apud Sixtum Senen. in Bibli. Sancta, octo Senecæ ad Paulum datæ epistolæ, et sex Pauli ad Senecam; sed breves omnes. In quibusdam loquuntur quasi ejusdem urbis habitatores; sicut cum in prima Seneca dicit : *Credo tibi, Paule, nuntiatum, quod heri cum Lucillo nostro de hypocrisi, et aliis rebus habuimus.* In aliis vero ad absentem longe epistolam mittit (una ex his videtur ea quam Dexter ait scripsisse ad Paulum in Hispaniis degentem) ut est illa : *Nimio tuo angimur secessu. Quid est vel quæ res te moratum faciunt? si indignatio Domini, quod a ritu et secta veteri recesseris, et alios rursus converteris, erit postulandi locus, ut ratione factum, non levitate hoc existimes. Vale.* Sensisse vero optime de Christiana re alia epistola demonstrat, qua inquit : *Profiteor bene me acceptum in lectione litterarum tuarum, quas Galathis, Corinthiis, et Acheis* (id est, omnibus ejusdem provinciæ in qua est Corinthus : ea enim dicitur Achaia; unde titulo secundæ Corint. dicitur, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus fratribus qui sunt in universa Achaia) *misisti, Spiritus enim sanctus in te et supra te excelsos, sublimiores valdeque venerabiles sensus exprimit.* Et post pauca : *Confiteor Augustum sensibus tuis permotum; cui lecto litterarum tuarum exordio hæc vox fuit : Mirari eum posse, ut qui non legitime imbutus sit* (id est, sine rhetoricæ doctrinis) *taliter sentiat.* Dedisse tandem, etsi secreto, Paulo ad fidem manus, ultima Pauli ad Senecam innuit epistola, nimirum : *Paulus Senecæ S. Quod prudentia tua assecuta est indeficiens fore debebit. Ethnicorum, Israelitarumque observationes censeto vitandas. Quæ propemodum adeptus es, Regi temporali, ejusque domesticis, atque fidis omnibus insinuabis : quibus etsi aspera, et incaptabilis erit persuasio tua, cum plerique eorum minime flectantur insinuationibus tuis : sermo tamen Dei illis instillatus, novum in his hominem pariet ad Deum properantem. Vale, Seneca, charissime nobis.* Vide quomodo A quod ipse crediderat, jubetur ab Apostolo Neroni, et Palatinis edicere. Card. Baronius, anno 66, arguit has epistolas falsitatis, quia in assignatione consulum nonnulli errores in Datis reperiuntur; sed hoc obesse non debet, cum facile potuerint ab imperitis veris epistolis Senecæ et Pauli, consulatus falsi supponi. Constat vero numquam Paulum suis consules supposuisse, nec in tam brevibus ac familiaribus necessum fuit Senecam ipsos apponere.

4. *S. Paulus*, etc. Quod tantopere Paulus desideraverat et promiserat visitare Hispanias, cum ad Romanos e Corintho epistolam dedit, tandem ex vinculis solutus, quibus ab inceptis fuerat impeditus, adimplevit. Nec enim quidquam aliud obstitit, præter vincula, et necessitas eadem, seu adhuc major, ejus adventum exigebat : quinimmo (quod superius demonstravimus ad annum Domini 36) multo major illum urgebat aditus in Hispaniam quam in Urbem. Fatentur ejus in Hispanias adventum innumeri sanctorum doctorum, præsertim ex Latinis Hieronymus B in cap. XI Isaiæ, et ad cap. V Amos, et in Comment. ad Ephesios, et epistola 28; Gregorius Magnus lib. XXXI, Moral. cap. 22 seu 37, Isidorus lib. de Ortu et obitu Patrum cap. 71, Beda in Martyrologio die 22 Martii, quo loco Romanum etiam idem affirmat; Anselmus in cap. XV ad Romanos, Usuardus die 12 Decembris, Ado Viennensis in Chronico anno 59, Rupertus lib. II in Isaiam cap. X. Inter Græcos etiam fuit hæc communis opinio : ita Athanasius epist. ad Dracontium et in Synopsi, Cyrillus Catechesi 17, Epiphanius hæresi 27, Hippolytus libro de XII Apostolis, qui exstat in Bibliotheca Card. Sirleti., Sophronius serm. de Natali Apost., Chrysostomus in proœmio ad Hebræos et de laudibus Pauli homil. 7 et homil. 76 in Matth., Theodoretus super II ad Timoth. c. ult., et ad Philippenses cap. I et in psalmum CXVI; Metaphrastes in Vita S. Pauli apostoli. Menologium ad diem 23 Septemb. Estque certa Ecclesiarum Hispaniæ et Galliæ traditio, quam pugnaciter defendunt utriusque regni scriptores; ex Hi- C spanis Lucas Tudensis in Chron. Abulensis in cap. XXXIII Genesis, et in cap. II Matth.; Morales lib. IX cap. II, Mariana in Hist. Hisp. lib. IV, cap. 3, Marieta, Villegas, et cæteri qui res Hispanicas, vel sanctorum ejus scripsere; et multis prosequitur Trugillus tom. II Thesauri Concion. Fidem quoque præstant eidem traditioni nonnullæ Ecclesiæ in divinis Officiis, profitentes, Paulum Apostolum ad ipsas accessisse, illisque episcopos constituisse, Derthosana, seu Tortosæ in Cathalonia Ruffum antistitem ab eodem accepisse canit (ita tradunt Trugillus, Marieta et alii) filium Simonis Cyrenæi; cum ipsum in Hispanias comitaretur : Narbonensis idem de Paulo Sergio prædicat, uti Martyrologium Rom. die 22 Martii asseverat, inquiens : *Narbonæ in Gallia natalis B. Pauli episcopi apostolorum discipuli; quem tradunt fuisse Sergium Paulum proconsulem, qui a B. apostolo Paulo baptizatus, et cum in Hispaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem episcopali dignitate dignatus est.* Usuardus ad Diem 12 Decembris ait : *Quem B. Paulus apostolus ordinatum eidem Urbi destinavit antistitem; cumque eodem apostolo ad Hispanias prædicandi causa pergens ibidem relictus est.* Astipulatur S. Anselmus super c. XVI Epist. ad Rom. (ejus opus esse, et non Hervæi alibi in meo Anselmo Vindicato in causa Conceptionis Virginis ostendi). Sic enim ait : *Nec falsum loquitur, qui se in Hispaniam profecturum pollicetur; profectus est enim, sicut Hieronymus,*

A. C. 64. cognomento Philotheum, Probum, Xantippamque ejus uxorem ad fidem convertit; A. R. 815.
presbyteros ibi relinquit.

BIVARII COMMENTARIUS.

et Beda, cæterique Doctores testantur. Unde et Narbonam præteriens quemdam discipulum suum nomine Paulum, fertur ibi reliquisse episcopum. Pervenit igitur usque ad Hispanias, et a mari Rubro usque ad Oceanum prædicando cucurrit, imitans solis cursum ab oriente usque ad occasum, ut ante ei terra deficeret, quam studium prædicandi; quia ergo et apud Hispanias Pseudo-apostolos prævenire festinabat; cum in Hispaniam, inquit, proficisci cœpero, etc. Idem habet super cap. II ad Galat. et super II ad Timoth. IV. Quod spectat ad Paulum Narbonensem, idem habet Ado in Martyrologio suo, ut apud Mosandrum tom. VII. Surii videre est, vel in additionibus ejusdem ut Eribertus Rosweidus notat. Idem ipse Ado in Chron. anno 59 affirmat in eodem itinere relictum fuisse a Paulo Trophimum Arelatæ, et crescentem Viennæ episcopos. Rursus in historia sanctorum martyrum Facundi et Primitivi legimus, ipsos interrogatos a judice de fide sua, dixisse, se Christianam a Paulo Christi apostolo edoctos; quod sane extra Hispaniam fieri nequivit, quod Morales et Trugillus notarunt. Et quod caput est, Astigitani cives (id est, de Ezija) per manus a suis majoribus acceptam servant traditionem de concivibus suis Probo et Xantippa nobilissimis conjugibus, quos dicunt a Paulo conversos in Hispania; nec mirum, cum idipsum Græcis quoque notum fuerit. Etenim Simeon Metaphrastes in Vita S. Pauli hæc habet: *Jam vero cum esset in Hispania, tale quid dicunt accidisse. Mulier quædam et genere, et opibus, et doctrina insignis, cum jam olim auditionem accepisset apostolicam, cupiebat ipsis quoque oculis intueri præconem veritatis, et ipsis auribus institui in veræ pietatis dogmatibus. Cum ergo ei visum esset divina quadam inspiratione in forum proficisci, quo tempore, qui vel ex sola fama ab ea diligebatur, per medium ejus transibat, dicitur, et eum vidisse leniter et placide ingredientem, ut qui non solum gratia plenos mores haberet cæteros, sed etiam ipsum incessum; et marito suo, persuasisse, cui nomen erat Probus* (*eorum autem qui illic erant, erat facile princeps*) *ut intra ædes suas hospitem exciperet; postquam vero fuit accersitus, et fuit prope illos, ejusmodi aliquod miraculum accidisse mulieri: nempe apertis mentis suæ oculis, vidisse in fronte ejus qui fuerat hospitio acceptus, litteras aureas, quæ dicebant*, Paulus Christi præco. *Illam autem propter visionem insperatam invasit et voluptas, et timor; et lacrymis plena procidit ad pedes Apostoli; et catechesi ab eo instituta, primum quidem suscepit baptismum, appellata Xantippe, postea autem Probus ejus maritus, qui erat notus Neroni; deinde etiam Philotheus præfectus, et deinceps omnes qui illam habitabant regionem.*

Ex ejusmodi aurea historia non solum stabilitur adventus Pauli in Hispaniam, sed etiam ad fidem conversiones sanctorum Probi et Xantippes conjugum nobilium, et Philippi cognomento Philothei, quos hoc loco refert auctor. Ejus denique veritatis argumento esse possunt, quæ de SS. Virginibus Basilissa et Anastasia Setabi (*Xantibæ*) in Valentiæ regno ortis, et a Paulo ibidem conversis, et de S. Polyxena inferius cum Dextro dicturi sumus.

Quare habentes tantam asserentium testium nubem, non est quod jam in dubium verti queat: præsertim cum tempus Apostolo ad ejusmodi iter arripiendum superfuerit, postquam a vinculis Romæ solutus est, et voluntas non deesset: et certum sit, ab eo tempore usque ad mortem numquam in Orientem secessisse, ut jam dicam.

Duo tamen obstare prima facie videntur, quæ diluamus nunc temporis necesse est. Alterum est quod Gelasius papa XXII q. 2, cap. *Beatus Paulus*, quem D. Thomas sequi dicitur lect. 3 comment. A cap. XV ad Romanos, negat Apostolum ut promiserat ad Hispanias accessisse. Cæterum hi auctores solum negant Paulum eo temporis ivisse, quo promiserat, videlicet transitum Roma faciens (non mansionem) in Hispanias. Intendit enim Pontifex non quidem rem dubiam, sed catholicam stabilire, nimirum non mentiri eum qui animum fallendi non habet, tametsi non adimpleat quod spopondit, si Deo aliter disponente promissum non potuit adimplere: hæc enim est Canonis illius superscriptio: Ut autem hoc confirmet, inquit, *B. Paulus apostolus non ideo* (quod absit) *fefellisse credendus est aut sibi exstitisse contrarius, quoniam cum ad Hispanias se promisisset iturum, dispositione divina, majoribus occupatus ex causis, implere non potuit quod promisit: quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronuntiavit, quod revera voluisset efficere: quantum autem ad Divini secreta consilii, superna prætermisit dispositione præventus.* Quod igitur necessarium est ad Gelasii intentum, nihil aliud est quam id quod ex Scripturis B sacris habemus, nimirum non adimplesse promissionem suam quam citissime proficiscendi in Hispaniam, et Romæ non faciendi moram, hoc enim est quod ad Romanos dixerat, *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videbo vos*, et tamen dispensatione divina aliter factum est, nam in vinculis detentus est Romæ per biennium: quo solum dato, casus Gelasii se offert; exponendi videlicet quomodo mentitus non est Paulus. Et hac certa veritate historiæ probat, non mentiri eum qui, quia non valuit, non implevit quod promisit. Nihil autem ad illum pertinebat adventum Apostoli in Hispanias post vincula negare, tum quia certa veritas non erat re ut minimum incerta comprobanda, tum quia non est credibile Gelasium sine causa voluisse obviare tot tantisque sanctorum Patrum testimoniis de Pauli in Hispanias profectione. Atque idem dicito de S. Thoma Aquinate, negasse nimirum dumtaxat eo tempore ad Hispanias venisse, quo ipse promiserat; non vero accessum Apostoli post vincula; C cujus evidens argumentum est quod paulo post in eodem opere super illud ad Galat. II: *Ne in vacuum currerem, aut cucurrissem*, conceptis verbis fatetur ejus adventum in Hispanias, dicens: *Vocat prædicationem suam cursum, propter velocitatem suæ doctrinæ; quia in modico tempore a Hierusalem ad Illyricum usque, et usque in Hispaniam prævocavit Evangelium.* Quo videas necessario priori loco interpretandum esse in sensu Gelasii, ne sibi contrarius existat.

Expendamus jam alterum quod objici potest nobis. Si tam alte Pauli animo insederit evangelizatio Hispaniarum, ut nos asserimus; qui fieri potuit, ut toto biennii spatio quo Romæ tentus, et detentus fuit, non scripsit aliquam epistolam illis, quos tantopere videre desiderabat? Si enim eo semper animo fuit ut in Hispaniam proficisceretur, quamprimum potiretur libertate, haud dubium quin eis quidquam per epistolam de suo ad ipsos proficiscendi desiderio D patefaceret. Cæterum si hoc solum desideratur, ut adventus Pauli in Hispaniam concedatur (quamquam id minime necessarium esset; potuit enim verbotenus Hispanis qui Romæ versabantur id dicere, ut ipsi illac rescriberent de animo suo, et desiderio quotidiano Hispanias invisendi; aut forsan scripsit et deperiit epistola, ut de ea quam ad Laodicenses dedit factum est); nihilominus epistolam nunc habemus canonicam ad Hispanos datam, videlicet quæ *ad Hebræos* inscribitur. Sed et hoc difficilius creditu videbitur, quam ipse adventus S. Pauli, velim tamen lectores patienter spectent usque ad annum Domini 66, ubi cum Dextro ea de re ex professo sumus acturi; interim quæso, ne illico rei novitate perterriti notis inurant sententiam, quæ visis quibus

A. C. 64. Hoc anno..... martyr fit in Paceaugusta, urbe Hispaniæ ad Annam fluvium apposi- A. R. 815.
tum urbi præclaræ.

66. Paulus Narbonensis episcopus, qui cum Paulo venit in Hispaniam, ibidem prædicat. 817

C. Oppius filius S. centurionis, qui post multa tempora, jam senio confectus, charus fuit imperatori Hadriano, in Hispania Christianus, virtutis opinione claret.

BIVARII COMMENTARIUS.

fulcitur fundamentis plausibilis satis (ut spero) erit.

Constabit ex ibi dicendis, S. Timotheum Paulum euntem ad Hispanias comitatum esse. Quod vero addit Dexter de Philemone, inde elici potest, quod cum scribit Apostolus ad ipsum, et ei Onesimum in vinculis fidei a se genitum, olim vero Philemonis servum commendat, asserit, voluisse illum secum detinere, quia erat illi proficuus, noluit tamen quidquam agere eo inconsulto. Quo nuntio accepto, credibile est, non solum Onesimum remisisse, verum et ad ipsum personaliter accessisse : quo tempore jam a vinculis ereptus Paulus in Hispanias parabat iter : atque adeo cum illo quoque profectum, et etiam Lucam, qui cum Apostolo erat in vinculis ei ministrans (II *Tim.* IV), quem itidem usque ad mortem non deservisse tradunt gravissimi auctores. De Tito inferius cum Dextro ad annum 220 idipsum videbimus.

5. *Libysocæ, Laminiique*, etc. Erat Libysoca non ignobilis urbs olim a Romanis *Foro-Augusta* nuncupata, ut auctor est Morales lib. IX Hist., cap. 33. Ptolomæus collocat eam in Oretanis non longe a *Laminio*, quæ (apud ipsum) extrema Carpetanorum erat, et Oretanis confinis, a qua et *ager Laminitanus* dictus, qui nunc *Campo de Montiel*. Ipsa autem Libysoca ad ignobile redacta oppidulum prope *Alcaraz* hodie *Lezuca* nuncupatur. Ita Morales, Carolus Stephanus, Hortelius, et quotquot geographiæ sunt doctores. Addit Morales lib. IX, c. 38, repertum Libysocæ fuisse lapidem, cui inscriptum erat : COLONIA LIBYSOSANORUM, quo existimat non esse dicendam Libysocam sed Libysosam, et emendari oportere Plinium Libysocam legentem. Quod si ita est, Dextrum quoque et Ptolomæum emendandos, certum esto, omnes enim Libysocam legunt. Oritur Annas fluvius (*Guadiana* vulgo) in agro Laminitano, seu *Campo de Montiel;* quo loci Paulum ad fidem pertraxisse Philippum cognomento Philotheum, Probumque et Xantippem Dexter asseverat, tametsi cives essent (ut creditur) Astigitani, et præcipui Romanorum, e Roma namque tunc temporis venisse, et Laminii, priusquam Astigim pervenirent, ad fidem Christi conversos, ex eodem Dextro scimus ; et dicemus ad ann. 100.

6. *Hoc anno*, etc. Deest in omnibus codicibus quos vidi nomen hujus martyris ; deperiit vero magno cum damno Pacensium, sive hæc sit civitas quæ nunc dicitur *Badajoz*, ut Mariana lib. III Hist., cap. 25, contendit, quam nimirum Augustus Cantabris devictis ædificavit, et Pacem Augustam nuncupavit, contestatus, pacem tunc universo orbi redditam; quo tempore natus est Dominus noster. Quod etiam sequuntur Vaseus in Chronico Hispaniæ, Tarrapha de Regibus Hispanis, et Molecius citatus ab Hortelio in tabula Geographica : sive quod magis probatur Ambrosio Morales lib. IX, capit. 32, sit Beja, Lusitaniæ civitas, id quod pro viribus tuetur Resendius lib. IV Antiq. Eborensium, et in speciali epistola de Colonia Pacensi ad Vasæum, cum quo de ea re illi fuit controversia. Sequuntur Resendium Varrerius, et Ludovicus Nonius in sua Hispania cap. 33. Cæterum quidquid ipsi dicant, assentiendum multo libentius Dextro mihi est, qui Pacem Augustam supra Annam fluvium positam profitetur, quod urbi *Badajoz* convenit, non autem *Bejæ*. Cui accedit Ptolomæus qui eam collocat in Turditanis populis, nimirum non Lusitaniæ, sed Bæticæ antiquæ, quod nullatenus *Bejæ* convenit, sed *Badajoz*. Demum nomen ipsum cum episcopatu Pacensi urbi *Badajoz* non *Bejæ*, relictum est. Addo M. Maximi irrefragabile testimonium Dextro consentiens, qui in Chronico suo ad annum Domini 529 sic ait : *Aprigius episcopus Pacis Augustæ in Hispania, non procul ab urbe Emerita Augusta; quæ Pax Annæ fluvio apposita est.* Ecce Maximus, plusquam mille annorum antiquitatis auctor Pacem Augustam Annæ fluvio appositam agnoscit, quod Dexter dixit; addit vero non longe Emerita distare, id quod urbi Badajoz convenit, non Bejæ ; nam Beja triginta fere leucas ab Emerita, Badajoz vero sex tantum vel octo distat.

A. C. 66. — 1. *S. Paulus Narbonensis*, etc. Egimus de eo in superioribus ad annum 64. Quod vero ad ejus prædicationem in Hispania pertinet, habemus testimonium Usuardi id affirmantis ; inquit enim primo quidem ab Apostolo destinatum (id est, designatum) fuisse Narbonensium antistitem; perrexisse deinde cum eodem Paulo prædicandi gratia in Hispanias, ac tandem relictum Narbonæ. En Usuardi verba ad diem 12 Decembris. *Apud Narbonam natalis S. Pauli episcopi et confessoris, quem B. Paulus apostolus ordinatum eidem urbi destinavit antistitem ; cumque eodem Apostolo ad Hispanias prædicandi causa pergens*, etc. Fuisse vero Sergium Paulum proconsulem, quem ipse Act. XIII ad fidem perduxerat, Romanum Martyrologium exprimit 22 Martii. Addit Petrus episcopus Equilinus lib. I, cap. 60, quod *discipulus Pauli effectus, ipsum usque ad passionem secutus est. Post passionem vero suam B. Apostolus apud Paphum eidem per visionem mandavit* (petierat siquidem iterum Paphum insulam, ubi conversus fuerat) *ut ad partes Hispaniæ, et Galliæ pergeret ad prædicandum, quod et ipse fideliter adimplere curavit.* Pergit rursus ejus miracula, et itinera speciatim referre : quomodo scilicet a Papho Romam perductus sit, cum diaconis suis Rufo et Stephano : inde in Galliam perrexerit, et virtute miraculorum multis ad fidem perductis, *inde Hispanias circumiens prædicavit.* Quo videas non solum cum apostolo Hispanias evangelizando peragrasse, sed iterum easdem circuisse cum Rufo et Stephano discipulis, quos postmodum Narbonam rediens episcopos ordinavit : et Rufum quidem Avenionensibus præfecit, Stephanum autem sibi successorem destinavit : nam trina B. Pauli visione de sua morte præmonitus, rebus suæ Ecclesiæ dispositis orans in ea migravit ad Dominum. Lege de his eumdem Petrum Equilinum : qui etiam asserit Ecclesiam B. Pauli apostoli Romæ consecrasse. Ambrosius morales lib. IX, cap. 11, in testimonium ejus prædicationis in Hispania, adducit etiam Vincentium Belvacensem in Speculo Histor. et Breviarium Tarraconense, ubi sancta illa Ecclesia fidem facit in urbe sua prædicasse. Consule testimonium S. Anselmi de eodem Paulo, quod superius attulimus ad annum Domini 64 num. 41.

2. *C. Oppius*, etc. Vide quæ de eo notavimus anno Christi 34 com. 3 et 8. Cæterum de quo nunc Dexter asseveret senio confectum, post multa tempora charum fuisse imperatori Hadriano, non liquet: potest enim hoc in contextu accommodari Caio Oppio, et ejus etiam parenti Cornelio Capernaunensi. Facilius autem de Oppio credet quis locutum, quia a Christi morte usque ad imperium Hadriani qui cœpit imperare anno Domini 119 intercedunt 85 anni. Quare Oppius qui Christum in cruce Filium Dei professus fuit, centurionis gerens munus, 30 ut minimum annos natus, quando Hadriano charus

A. C. 66. Sanctæ feminæ, Virgines Basilissa, et Anastasia Hispanæ, ex urbe Setabi, in Edetanis secutæ sunt S. Apostolum Paulum; cujus et Petri corpora curantes, a Nerone Cæsare hujus rei gratia, præclaram coronam obtinent. A.R. 817.

S. Jacobi cæterorumque ejus discipulorum Vitas scripsit Torquatus sanctus discipulus Jacobi, post quos etiam passus est.

BIVARII COMMENTARIUS.

fuisset, 95 ageret; Pater autem ipsius multo plures, videlicet 115 vel circa, quod non tam facile credet quis. Mihi de patre locutus videtur Dexter, tum quia illam ætatem, velut ad miraculum protractam Dexter significat illis verbis, *post multa tempora*, et item *jam senio confectus*: nisi enim esset mirabilis admodum ejus ætas, non sic ipsam exaggeraret; tum etiam quia C. Oppius prædicationi intentus, et Mediolanensis episcopus constitutus erat; pater vero ipsius militiam non reliquit, aut non mutavit, quo facilius fuisset gratiam gentilis imperatoris adipisci. Ne autem quis ætatem hujus S. centurionis singularem putet, animadverterim ævo illo aureo complures Patres Ecclesiæ, dono Dei, ad maximam senectutem pervenisse. Ita S. Dionysius Areopagita annum agens 120 occisus est, ut ad annum 130 Domini monstrabimus: et S. Simeon Domini consanguineus, et Hierosolymorum episcopus anno ætatis suæ 120 cruci affixus est, de quo Hegesippus ab Eusebio relatus lib. III, cap. 26, inquit: *Omnibus qui aderant, et judice ipso mirantibus, ut centum viginti annorum senex crucis supplicium fortiter constanterque pertulisset.* Idque appositum est in Romano Martyrologio 18 Februarii. His multos addit card. Baronius tomo II Annal. ad annum 109, nimirum D. Ignatium, qui Dominum in carne viderat, et D. Quadratum qui curatos a Domino cognoverat, et usque ad Trajani tempora pervenerunt; Hermam quoque qui usque ad Antoninum Pium; et Polycarpum B. Joannis apostoli discipulum, qui (quod multo admirabilius est) imperium attigit M. Antonii, et L. Veri, qui anno 140 Domini imperare cœperunt. Sed et ipse Evangelista centesimum fere pertigit annum. Ne ergo Capernaunensem centurionem singulariter ad tantam ætatem pertigisse putes. Crediderim nihilominus id quod de necessitudine ipsius cum Hadriano hoc loco asseritur, non ita mordicus accipiendum, quasi nequaquam ipsum amice convenisset, nisi postquam ad imperii fastigium evectus fuit; immo vero a multis eum retro annis tractaverat, utpote Hispanum virum ac militem, quem Hispanus pariter miles facile poterat convenire.

3. *SS. feminæ*, etc. Harum sanctarum mirabile certamen referunt Græci in menologio his verbis, die 15 Aprilis: *Eodem die sanctarum martyrum Basilissæ, et Anastasiæ, quæ cum essent Romæ genere et divitiis illustres, discipulæ sanctorum apostolorum, illis martyrio coronatis, cum eorum reliquias nocte sublatas curavissent, delatæ sunt imper. Neroni. Itaque in carcerem conjectæ et paulo post eductæ, cum in Christi confessione se permansuras confessæ essent, suspensæ sunt, et mammis, manibus, pedibus et linguis excisis, capite obtruncatæ sunt.* Quo videas consona admodum Dextro, Græcos scripsisse de nobilitate ipsarum, de martyrio, et causa ipsius, quod nimirum ortum duxit ex cura quam in sepeliendis Petri et Pauli apostolorum corporibus gesserunt. *De hac autem apud Neronem accusatæ in carcerem traduntur, inde post eductæ, cum in fidei proposito permanerent* (ait ex Græcorum horologio Galesinus hac die), *manibus, pedibus, lingua, demum cervicibus præcisis, Martyrii palmam adeptæ sunt.* Qui etiam addit, non solum nobilitate, sed et opibus florentes fuisse. Consonat his Romanum Martyrologium, inquiens: *Romæ sanctarum Basilissæ et Anastasiæ, nobilium feminarum, quæ cum essent apostolorum discipulæ, et constantes in fidei confessione persisterent, sub Nerone imperatore, lingua pedibusque præcisis* (deest, *et manibus*) *percussæ gladio, martyrii coronam adeptæ sunt.* Quod de curandis corporibus apostolorum dicitur, non obest historiæ Plautillæ Pauli discipulæ, quæ in valvis apostolorum æreis Romæ expressa conspicitur, describiturque ab Equilino in Vita Apostoli, cujus sudarium in itinere ipso ad martyrium apostolus accepit, reddidit vero cum ad cœlos capite plexus migraret; non, inquam, obest, quod enim Plautilla quoque curaverit Pauli corpus, non tollit quin Basilissa et Anastasia illud curaverint, omnes enim simul id facere potuerunt.

Unum est quod Dexter præ cæteris auctoribus addit, nimirum conversas fuisse in urbe *Setabi* in Edetanis, Hispaniæ Tarraconensis populis: quod cæteri tacuerunt. Mos enim fuit Græcis nomina Hispanarum civitatum silentio præterire, ut passim in hac historia videbimus: eo sane permoti, quod cum plus ab ipsis Hispania distaret, quam reliquæ orbis provinciæ, minus ejus urbes compertas habebant. Sed et in hoc hallucinati sunt, quod ex urbe Roma oriundas esse crediderint Basilissam et Anastasiam, eo ducti quod viderent nobilissimas esse, et Romæ passas. Magis hac in re Dextro assentimur, qui ejusdem fuit cum ipsis provinciæ, videlicet Tarraconensis, et idcirco multo magis erat illi patria Sanctarum istarum comperta. *Setabis* fuit nobilis urbs, non longe a Valentia, quam nunc *Satiba* seu *Xatiba* dicimus, et Romanis dicta est *Augusta Valeria* apud Plinium, ut notarunt Taraffa lib. de Regibus Hisp., Michael Villanonanus in Notis ad Ptolomæum, et Nonnius in sua Hispania cap. 68, qui omnes conveniunt esse Xativam, eisque astipulatur Ambrosius Morales lib. x Hist. cap. 32. Ptolomæus locat Setabim in Contestanis, Dexter vero in Edetanis: cæterum facile fuit Ptolomæum decipi, cum sita sit in confiniis utriusque Provinciæ: cujus tamen pleniorem notitiam habuit Dexter, non longe a Setabi natus: nisi dixeris, terminos earum provinciarum non fuisse perpetuo stabiles, quod non incredibile est.

4. *S. Jacobi*, etc. Ejus operis S. Torquati meminit Julianus archipresbyter S. Justæ Toletanæ in Chronico ad annum Domini 36, inquiens: *Ut traditio constans est ab apostolicis hucusque ducta temporibus, multorum etiam veterum Torquati, Tesiphontis, Honorati, Melantii, Dextri, M. Maximi, Isidori, Bedæ, aliorumque testimoniis, anno Domini* 36. *Satis honorifica causa, S. Jacobus Zebedæi filius Hispanias adiit, urbesque ejus omnes lustrat, Toleti primam sedem collocat*, etc. In monte Sancto Granatensi inventi sunt cum reliquis, libri S. Tesiphontis, quibus de sancto Jacobo egit: et liber de Vita, peregrinationibus, et miraculis ejusdem Apostoli, auctore S. Cæcilio; liber vero sancti Torquati de quo hic mentio fit, hactenus (quod sciam) repertus non est. Cæterum cum eum citet Julianus, qui circa annum 1080 vixit, spes manet quandoque inveniendum esse, magno Christianæ reipub. adjumento.

De miraculis ad tumulum S. Torquati et sociorum fieri a Domino solitis, eorumdem meritis et intercessione, hæc habentur in pervetusto codice membraneo ms. qui exstat in monasterio Montis Sion ordinis S. Patris Bernardi extra muros Toletanæ urbis. *Ad quorum sacra, sanctaque sepulcra, quisquis æger pia devotione advenerit, invicto beatissimorum Martyrum liberatur auxilio; nam et dæmones e corporibus obsessis expellunt, et cæcis lumen quod amiserunt, sua oratione restituunt; atque vere omnes eorum suffragia excolentes, quidquid illic confidentes expo-*

A. C. 66. S. Crispinus episcopus Astigitanus in Bætica, sub Aloto patitur. A. R. 817.

BIVARII COMMENTARIUS.

scunt, mox cælitus impetratum percipiunt.

Illud præ cunctis admirabile signum, quod Deus non semel aut bis, sed quotannis in oliva ad tumulum S. Torquati plantata toto septingentorum annorum spatio operari dignatus est, quod narrat Ado in Martyrologio, ex quo Equilinus illud desumpsit lib. v, cap. 3, his verbis : *In civitate Accitana ad sepulcrum S. Torquati arbor olivæ in ejus festo præter naturam divinitus florens maturis oleis onustatur, quarum liquore ægritudines sanantur.* Inde Morales, Trugillus, Alderete, Villegas, et omnes moderni desumpserunt. Ego vero dabo ejus rei oculatum testem : auctorem videlicet historiæ superius relatæ, quæ exstat in Monte Sion : cujus sunt hæc verba : *Sed et illud pallio silentii operire non debemus, quod tam præclara Domini miracula in ipsorum anniversariis piis et fidelibus sanctorum* (Torquati, et sociorum) *meritis operatur usque in hodiernum diem. Hæc quæ narramus cuncti scimus, et ipsi persecutores Ecclesiæ perfidorumque cultores verum agnoscunt. Ibidem* (in urbe Accitana, seu Guadix) *ante fores Ecclesiæ ab ipsis sanctis radix olivæ modica posita est; tantaque in ea a Domino ubertas gratiæ concessa est, ut in vespera ipsorum sanctorum* (die 14 Maii) *ingrediente natali, plus floribus vernatur, quam foliis operta videtur. Mane vero* (diei 15) *ex ipsis floribus omnis conventus, qui pia devotione advenerit, et sanctorum veneratur patrocinia, seu totius gentilitatis multitudo hæreticorum, perversorumque dogmatum concurrentium, quam perfectas, tam uberes olivas maturatas : omnique pulchritudine adornatas vindemiant, veluti certis temporibus : et ita omnes, fidelis, seu infidelis, prout unusquisque colligere valet, deportant. Quis enim valet dicere copiam de multitudine hujus fructus? cujus in unum si colligere fas fuisset, plurimum poterant numerum complere cophinorum olivarum : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui martyres et confessores suos suscepit,* etc.

Perseveravit sacræ olivæ juge miraculum usque ad annum 714 quo Hispania pene universa in ditionem Maurorum venit. Tunc enim translatum fuit S. Torquati venerandum corpus ad Gallæciam, in cœnobiolum sanctæ Columbæ *De Vande*, insignis monasterii Cellæ novæ ordinis S. P. Benedicti prioratum. Illinc vero anno Domini 1196 Lusitani quidam corpus furari conati sunt, et in suam transportare provinciam; sed Dei disponente judicio factum est, quod nebula magna offusi, quando longum iter se confecisse credebant, ad portas ipsius cœnobii Cellæ novæ se adhuc exsistere cognoverunt; quo temporis momento cymbala, sua sponte mota sonum reddiderunt magnum. Eo miraculo, ac furto comperto, de nova solemnique sacrarum reliquiarum a Vande in Cellam novam translatione tractatum est : ac tandem ipsa translatio solemnissimo ritu peracta a Jacinto cardinali S. R. Ecclesiæ Alexandri III de latere legato, qui ad summum apostolatus apicem evectus, dictus fuit Cœlestinus III. Novissime anno Domini 1601 in argenteam capsam ad altare majus magnis elaboratam arte et impensis (nam in ea cernuntur affabre exsculpta Pontis diruti, et olivæ Accitanæ miracula) translatum est ab Auriensi episcopo Michaele, multis prælatorum, et innumerabili fidelium astantibus cœtiis. Repertum est tunc temporis cor ejusdem sanctissimi antistitis ac martyris Torquati sanum, et integrum, magno Dei miraculo : ejusdemque (quod mirabile admodum est) a multis annorum centuriis brachium integrum et illæsum conservatur in cœnobio S. Mariæ *de la Vega* Cisterciensis ordinis, diœcesis Palentinæ, totum carne repletum, habens in manu inter quartum et quintum digitum, vulnus apertum, lanceæ ut dicitur, quo credi poterit lanceis vulneratum occubuisse. Difficile esset fragrantiam sancti brachii hic ad vivum exprimere, et quæ ejus A interventu operatur Deus miracula recensere. Sufficiat dicere quod circumquaque fusi populi ob illius reverentiam, voto ad Deum, et S. Torquatum emisso, ejus celebrant diem festum, a servilibus operibus abstinentes, et ad sanctas brachii reliquias osculandas ac venerandas catervatim confluentes.

5. *S. Crispinus*, etc. Agunt de S. Crispino die 19 Novembris pene omnia Martyrologia, Romanum, Adonis, Usuardi, et recentiorum, utunturque eisdem fere verbis. Romanum ait : *In civitate Astiagensi B. Crispini episcopi, qui capite amputato martyrii gloriam adeptus est.* Ado uberius : *Crispinus episcopus et martyr apud civitatem Astiagensem passus est. Qui cum esset pontifex ejusdem urbis, et Christum Dominum prædicaret, a paganis detentus, et ad sacrificia Deorum suasus, dum immolare contemneret, capite amputato, martyrii gloriam adeptus est.* Hæc ipsa Adonis verba refert Petrus in Catalogo sanct. lib. x, cap. 84. Quo videas antiquiorem cæteros transcripsisse, ut credo, Adonem : qui primus hæc suo Martyrologio inseruit. Quare non mirum si cæteri nihil ejus verbis addiderint. Cum vero apud Adonem depravate legeretur, urbs *Astiagensis*, pro *Astigensis*, vel *Astigitana;* cæteri errorem lectionis imbiberunt; legi autem debere *Astigitana*, non solum Dexter, sed (quod veritatis argumentum irrefragabile est) D. Isidorus in hymno ipsius docet in breviario Toletano Mozarabe inquiens : B

> Sepulcro corpus humatum reconditur,
> Astigitanæ urbique reponitur.

Fuerunt olim in Bætica duæ civitates ejusdem fere nominis, quarum altera Astigi (hæc est *Ezija*) Turditanorum erat, altera Astigis sive Astiagis Turdulorum; de utraque agit Ptolomæus in Tabula Beticæ, et Nonnius in Hispania sua, qui cap. 18 disputat de Astigi ad ripam Singilis (nunc *Genil*) sita; at cap. 27 de Astigi sive Astiagi; et illam ait a Romanis vocatam, Augustam firmam, hanc vero Juliensem, ut C hanc a Julio, illam ab Augusto Cæsaribus nuncupatas credamus. A priori Assigitana nomenclatura deducitur, a posteriori Astiagensis. Pomponius Mela, geographus Hispanus, lib. II, cap. VI, auctor est, clarissimas Beticæ urbes fuisse olim Astigim, Hispalim, Cordubam, inter quas primum locum Astigi tribuit (id est, *Ezijæ*). Altera non tantæ fuit nobilitatis, neque modo est; nam nunc *Ahama* dicitur, teste Jacobo Moletio, quem refert Nonnius cap. 27. Quod ad B. Crispinum attinet, quem Astigitanum episcopum faciunt Isidorus, et Dexter, errare convincitur Petrus Galesinus, dum ejus martyrium refert ad tempora Diocletiani, nescio quo motus, nisi forsan equivocatione nominis cum altero Suessoniensi martyre Crispino, fratre Crispiniani, qui Martyrologio Rom. teste sub Diocletiano imper. et judice Ricciovaro passus est die 25 Octobris : alias ut vides nemo antiquorum id vel leviter insinuavit; a Dextro autem accipimus tempore apostolorum claruisse. Suspicor ex nomine, tempore et loco ipsius, D hunc illum fuisse Crispum Corinthi archisynagogum, quem Paulus suis manibus baptizavit, uti dicitur I Corinth. I. De ejus conversione agit S. Lucas in Actis Apost., cap. X : *Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua, et multi Corinthiorum audientes credebant.* Habemus ergo inter Pauli discipulos unum nomine Crispum qui Apostolo in Hispanias proficiscenti comes itineris esse facile potuit, ibique ab eo Astigitanæ urbi deputari episcopus : præsertim cum Hippolytus et Dorotheus, qui de discipulis Domini et apostolorum egerunt, cum cæteris certas urbes suorum episcopatuum designent, Crispo nullam dent : quo ansa relinquitur credendi Astigitanum fuisse antistitem. Nec judicari debet magna discrepantia nominum inter Cris-

A. C. 66. Nec multo post Uticæ in Bætica, Maximus Divi Jacobi discipulus in Hispania cum sociis A. R. 817.
Casto et Magno patitur.
In Hispania Urbe Castulone, ad fluvium Tagum, illam urbem præterfluentem, in aditu Bæticæ, sancti martyres pro Christi nomine occisi, Marcus et Hadria.

BIVARII COMMENTARIUS.

pum, et Crispinum ; facilis enim est ab uno ad aliud A scripturæ transitus. Sed hæc sub dubio relinquimus : facileque condonamus Galesino, quod eum vocarit Crispinianum : sicut typographo Breviarii S. Isidori, qui in miniata rubrica festi ipsius, vocat eum episcopum et confessorem, cum tamen martyrem scribere oporteret, utpote cujus subdit hymnum pristinæ illius puritatis egregium monumentum : ubi et de martyrio ejus multa dicuntur.

Insignem [*Brev.* Christo] Crispinum laudemus martyrem,
Qui suum lavit sacro corpus sanguine.
Et unum Deum sequens [*Al.* frequens] trino nomine
Mundum reliquit [*Al.* relinquens], simul ejus copias,
In regno Dei consors factus angelis.
Non blandimenta hujus ævi aspiciens,
Rectorem mundi Dominum præspiciens,
Illum secutus magna cum lætitia,
Paradisumque properans feliciter,
Nefandum hostem repulit perniciter.
Frontique suæ signum Christus posuit,
Qui ipsum pie ex cœlo vidit colere :
Quandoque serpens insultare voluit,
Non ei cessit, sed alacri animo
Renuntiavit invido diabolo.
Omnipotentis Dei vera gratia
Tantam Crispino præbuit constantiam,
Ut carcer, pœnæ, flagra, vel incendia,
Nec sitis corpus, famesve commaculent,
Ejus quæ fidem violare poterant.
Lætus cum miles in cœlum aspiceret,
Parata cervix gladium suscipiens,
Suoque fuso dedicata [*Al.* delicata] sanguine,
Sepulcro corpus humatum [*Al.* humanum] reconditur,
Astigitanæ urbique reponitur.
Ad cujus corpus vexatique veniunt,
Claudique, surdi, cæci, vel lunatici,
Christum confessi salutem recipiunt,
Sanitatisque medelam percipiunt.
Tu intercessor alme martyr prævius
Pro nostris malis intercede propius [*Al.* propitius] :
Ut abluantur nostra cuncta crimina,
Animas nostras, corpusque omne liberet,
De persequentis inimici insidiis.
Amen.

6. *Nec multo*, etc. Maximum D. Jacobi discipulum agnoscit Pelagius episcopus Ovetensis, quem supra ad annum 37 retulimus. De ipso autem et sociis Casto et Magno festum celebrat Rom. Martyrologium 4 Septemb., inquiens : *Eodem die sanctorum martyrum Magni, Casti, et Maximi.* Petrus de Natalibus lib. XI, cap. ultimo, numero 237, ait : *Magnus, Castus, et Maximus martyres eodem die palmas percipiunt*, id est, pridie nonas Septembr. seu 4 die ejusdem. Usuardus duorum meminit dicens : *Ipso die sanctorum Magni et Casti.* Sed in additionibus ejus et Romano ponitur, etiam *Maximi.* Nominatur vero Maximus loco ultimo, non quia minus dignus, sed forsan quia post cæteros martyrio coronatus est. Addit Dexter martyrii tempus et locum; nimirum passos Neronis gladio, Uticæ urbe non ignobili Hispaniæ Bæticæ. Agit de ea Ammianus Alexandrinus dum gesta Viriati recenset, scribitque ipsum semel D a Pompeio devictum, ad Veneris montem confugisse, non longe ab Ebora Lusitaniæ urbe; et cum procederet inde multos Romanorum interfecisse, vexillis quibusdam captis, cæteros fugæ se commisisse : a civitate quoque *Uticæ* præsidia Romanorum fugasse, destruxisseque omnia Bastetanorum littora, utpote Romanis confœderatorum. Consentit Ambros. Morales, lib. VII, cap. 49. Erat igitur sita Utica inter Eboram et Bastetanos populos, Carthagini Spartariæ confines. Suspicor esse *Ubedam.*

7. *In Hispania*, etc. Sanctorum martyrum *Marci, et Hadriæ*, meminit Beda in Martyrologio ad diem 13 Octobr. asserens in Hispania passos fuisse : ex quo id desumpsere Morales lib. X, cap. 28, adjungens eis S. Faustinum martyrem, et Marieta I part. de Sanctis Hispan. lib. IV, cap. 51, et Villegas in flore Sanct. tom. I, ad calcem ipsius, dum agit de Hispanis. Petrus de Natalibus lib. XI, cap. ultimo, numero 287, adjungit eis S. Marcellum martyrem. Hadriam vero vocat Hadrianum, dicens : *Marcellus, Hadrianus, et Marcus eodem die* (id est, III idus Octobr. seu die 13) *martyrio coronantur.* Passi sunt autem Castulone urbe nobilissima, de cujus situ multum diuque cruciati sunt historici nostri; tandem Florianus de Ocampo, Ambrosius Morales in Antiquitatibus Hispaniæ tomo II Ilist. Hispan. verbo *Castulo*, Joannes Mariana de Rebus Hispan. et Ludovicus Nonnius cap. 64, Castulonem sitam fuisse ubi nunc *Cazlona* est tres leucas distans a *Baeza*, et unam *a Linarias* in saltu Mariano seu *Sierra Morena*, ad ripam fluminis B *Guadalamiar*, quod paulo inferius in Bætim mergitur. Consonat situs quem Ptolomæus illi consignat; et ei convenire videtur, quod Dexter ait, fuisse *in aditu Bæticæ.* Cæterum his difficillime congruit quod Castulo *ad fluvium Tagum, illam urbem præterfluentem* sita sit, ut idem auctor asseverat : fluvius enim Tagus non Bæticam, sed Tarraconensem rigat Hispaniam. Auget difficultatem, quod (vel teste Hieronymo Paulo, erudito in primis viro, in libro de Fluminibus Hispaniæ) in ipso agro Castulonensi habet Tagus fontes suos : *Ex Castulonensi* (ait) *erumpens agro, et in Carpetanos lapsus Toletum præpotentem validamque urbem pene circuit.* Id quod non segniter innuere videtur Silius Italicus lib. III Punicorum, dum ait :

Fulget præcipuis Parnassia Castulo signis.

Quo innuit, exponente Morali, citato loco, Castulonem a Phocensibus Græciæ alumnis fundatam, in C quorum tractu Parnassus exstat, quare et hi Castulonem suam urbem vocitarunt, ut memoriam sui Castalii fontis conservarent; quo fit ut in Castulonis agro, Silio teste, fons sit alicujus insignis fluvii, nec assignari poterit cujus nisi Tagi. Fateor si ad Tagi ipsius fontes sita fuit, nullatenus asserendum fuisse ubi nunc *Cazlona* est, sed ubi *Priego*, in cujus agro Tagus erumpit, et tunc eo dici sitam in aditu Bæticæ, quod apud Dextrum Bæticæ limites totam Marchiam (quam nos *Mancha* dicimus) includerent, et non longe a Priego Tarraconensi Hispaniæ conjungerentur. Cæterum si hoc difficile videatur, et Cazlonam fuisse quis defendat, quæ procul dubio in aditu Bæticæ est, tunc dicere oportebit *Guadalamiar* olim quoque Tagum dictum : ut ita verum sit, Tagum præterfluxisse Castulonem. Hoc tamen mihi incredibile est, neque enim ibi est fons ipsius, ut possit ejus prætextu Castalia, seu Parnasia nuncupari, neque ullus inficiabitur Tagum sine restric- D tione dictum, præcipuum illum amnem qui apud Ulissiponem Oceano immergitur, significare. Quare ego assentior potius Dextro, et Silio nobilissimis in Hispania ortis geographis, seu historicis, quorum testimoniis Castulo juxta Tagi fontem creditur exstitisse : his vero astipulatur inter recentiores Hieronymus Paulus citatus, et inter vetustiores Titus Livius libro XXVIII Decad. dum Scipionis quoddam iter describens, ait : *Tarracone profectus, Castulonem pervenit, inde ad Bætulam urbem processum.* Erat igitur Castulo inter Tarraconem et Bætulonem,

A. C. 66. Persius Volaterranus poeta Satyricus annorum 29 moritur. A. R. 817.
Thermæ a Nerone ædificatæ, ab illo Neronianæ dictæ.
Nero Romæ citharistam agens omnes superat.
M. Annæus Lucanus, excisa vena, in balneo periit.}
Helena Adebianorum regina Christiana floret Hierosolymis, prædicatione apostolorum conversa. Ex Annalibus Hierosolymitanis.

BIVARII COMMENTARIUS.

seu Bætulam, quæ ut Morales probat lib VI, cap. 15, et in Antiquitatibus verbo *Betulo*, aut est Ubeda aut Baeza : Si autem Castulo esset Cazlona, non esset inter Tarraconem et Bætulam, sicut est Tagi fons; nec Livius diceret, Scipionem cum a Tarracone Castulonem petiisset, ad Bætulam urbem processum, sed regressum, nam Ubeda et Baeza non ultra Cazlonam, sed citra inter Tarraconem et Cazlonam est. Fuit alia Hispaniæ Bætulo, non longe a Barcinone, de qua Morales lib. IX, cap. 33, ait hodie nuncupari *Badalonam*, sed ea non erat ad propositum Livio. De nobilitate Castulonis alibi (id est, lib. XXIV) agens idem Livius ait : *Castulo urbs Hispaniæ valida ac nobilis, et adeo conjuncta societate Pœnis, ut uxor inde Annibali esset, ad Romanos defecit*, etc.

8. *Persius*, etc. Hæc ex Eusebii Chronico desumpta sunt ad verbum, nisi quod ille narrat Persii mortem anno Domini 65. Dexter vero anno 66.

9. *Thermæ*, etc. Et hoc ex Eusebii Chronico desumptum est anno Domini 65.

10. *Nero*, etc. Eusebius anno 65 sic ait : *Nero Romæ in citharistarum agone contendens, omnes superat.* Et anno 67 iterum agit de simili Neronis certamine, quo, cunctis musicis et poetis devictis, in Olympicis coronatus est; et rursus de eodem anno 68. Hinc et Lucanum cœpit odio habere, quod ab eo in poetico certamine victus fuisset.

11. *M. Annæus*, etc. Annæus Mela Senecæ frater, ex Acilia, Acilii Lucani nobilis oratoris filia, Cordubæ existens, genuit M. Annæum Lucanum facundissimum oratorem, sive, ut quidam malunt, historicum : quod lepidis carminum numeris veritatem historicam, non fabulas poetarum cecinerit. Sunt qui dicant natum *Luque*, oppido 9 leucas a Corduba distanti. Sed, ut Ambrosius Morales advertit lib. IX hist. cap. 10, non est quo probari queat. Natus fuit die 2 Novembris anno Domini 39. Romæ degens uxorem accepit Pollam Argentariam, non minus poesi, quam opibus ac genere illustrem. Comprehensus in Pisoniana conjuratione, qua, Nerone e medio sublato, imperium Calpurnio Pisoni (vel ut aliis placet quos Corn. Tacitus refert lib. XVI, agente tribuno militum Suberio Flavio, ipsi Senecæ) parabatur, damnatus ad mortem, et genus eligere valens, incisa vena, ac sanguine effuso obiit, annos natus 27 et anno Domini 66, ut Eusebio et Morali placet, cum Dextro; die vero Aprilis ultimo Petrus Crinitus auctor est, Neronem amici memorem, et facti pœnitentem, Lucano erexisse statuam cum hac inscriptione :

M. ANNÆO. LUCANO. CORDUBENSI.
POETÆ : BENEFICIO.
NERONIS. FAMA. CONSERVATA.

Polla uxor mariti amantissimi natalem diem celebrem fecit, in cujus gratiam Statius Papinius lib. II Sylvarum versus finem Genethliacon Lucano cecinit, cujus initium est :

Lucani proprium diem frequentet.

ubi inter alia hæc ait de Corduba;

Felix, heu, nimis et beata tellus,
Quæ Tritonide fertiles Athenas,
Unctis Bætica provocas Trapetis;
Lucanum potes imputare terris :
Hoc plusquam Senecam dedisse mundo
Aut dulcem generasse Gallionem.

Fratrem scilicet Senecæ et Annæi Melæ patris Lucani, ac nobilem Oratorem. Cecinit et Martialis ter de natali Lucani epigrammata, quæ exstant lib. VII, num. 21, 22 et 23; in priore sic alloquitur Pollam :

Hæc est illa dies quæ magni conscia partus,
Lucanum populis, et tibi, Polla, dedit.
Heu ! Nero crudelis, nullaque invisior umbra :
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

In alio vero de die natalis ejus loquens, inquit :

Hæc meruit, cum te terris, Lucane, dedisset,
Mixtus Castaliæ Bætis, ut esset aquæ.

Ac tandem in ultimo epigrammate :

Phœbe, veni; sed quantus eras cum bella canenti,
Ipse dares Latiæ plectra secunda lyræ.

De eodem, ejusque patria Corduba egerat lib. I, epigramm. 61, *Unde scriptores?* ad Licinianum inquiens,

Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Denique, ut omnia dicamus, Eusebius anno Domini 66, hæc ait : *M. Annæus Lucanus Cordubensis poeta in Pisoniana conjuratione deprehensus, brachium ad secandas venas medico præbuit.* Et rursus : *Junius Annæus Gallio frater Senecæ, egregius declamator, propria se manu interfecit, mortem ejus Nerone in suam præsentiam differente.* Anno vero 79 addit : *L. Annæus Mela Senecæ frater et Gallionis, bona Lucani poetæ filii sui a Nerone promeretur.*

12. *Helena*, etc. Narrat Eusebius lib. II Hist. Eccles. c. 11, et illo prior Josephus lib. XX Antiq. Judaicarum c. 2, ac Nicephorus lib. II, cap. 11 suæ Histor., Helenam, Adiabenorum reginam, sub Claudii imperio, cum filio Izate Hierosolymas petiisse devotionis ergo; ibique famis illius tempore, de qua Actor. XI mentio fit, ministrasse sanctis ac pauperibus alimenta : et tunc temporis ad Dei veri cultum promotam, cum prius idololatra esset. Cujus autem religionis fuerit non liquet apud omnes, dum alii Judaicis ritibus addictam sentiunt, alii Christianam factam. Baronius ad annum 66 non audet in alterutram partem declinare, videbat enim Josephum et Eusebium Judæam asserentes, Orosium vero et Adonem Christianam. Cæterum Dexter quæstionem dirimit, dum non solum Christi fidem amplexam fuisse asserit, sed et id constare sibi ex Annalibus Hierosolymitanis, quæ nimirum dum esset præses prætorio Orientis, ipsi præsto fuerunt. Sane Orosius qui idem testatur lib. VII cap. 6, Dextro coævus, et diligentissimus scriptor fuit; et Ado qui in Chronico idem secutus est, nobilis semper historicus est habitus. Inter eos autem qui Helenam Judæam asseverant, Eusebius solum refert Josephum, non affirmat; Josephus autem Christianæ religionis inimicus in gratiam suæ perfidiæ id commentatus est. Sane durissimum creditu est, nobilem et piam Reginam eo tempore ad legem Moysis conversam, cum Hierosolymis innumera ab apostolis signa patrarentur, synagoga autem ab omnibus odio haberetur. Nec facile dabo Divinam providentiam id permisisse, quod confirmare ac stabilire denuo veterem legem maxime posset; quin potius conversionem regum, Ecclesiæ, non

A. C. 66. S. Fronto Petragoricus patitur, frater Frontonis consulis. A. R. 817.
Florebat C. Cæsonius Maximus.
Petrus, qui Græce Megistos, martyr fit 2 Julii.

RIVARII COMMENTARIUS.

synagogæ promissam, et a prophetis sæpissime prædictam nemo est qui nesciat. Obiit piissima regina Hierosolymis, eique a filio nobilis mausoleus ædificatus est, cujus præter citatos auctores meminit D. Hieronymus epist. 27.

13. S. *Fronto*, etc. Irrepserat in codice impresso mendum, ut pro Frontone *Petragorico* (nimirum episcopo) legeretur *Pythagorico*, quasi philosopho. Agunt de eo martyrologia Bedæ, Roman. Usuardi, et recentiorum 25 die Octobris; vitam ejus habet Petrus Equilinus lib. IX. cap. 109, et Belvacensis lib. IX Speculi hist. cap. 43 et 44. Fuit S. Petri apostoli discipulus, quem ipse episcopum Petragoricis in Galliam, cum Georgio presbytero comite destinavit. Sed eo post triduum itineris defuncto, Fronto ad Apostolum reversus, accepto ejus baculo, ac super corpus defuncti posito, Georgium ad vitam revocavit. Ad urbem suam accedens, magnam illius gentis multitudinem ad Christum convertit, claruitque multis signis ac miraculis, quæ Petrus in Catalogo SS. recitat: addens 700 Monachos instituisse, et funeri S. Marthæ in spiritu astitisse somno correptum, dum Missam illam celebraret, inter Epistolæ et Evangelii recitationem. Agebatur olim in Hispania festum ejus, ut in Breviario Palentino videre est. Unum est in quo Dexter a cæteris dissideat, in genere nimirum mortis ipsius, dum illi confessorem, ipse autem martyrem facit: cæteri dicunt quod *multis miraculis clarus in pace quievit*: Dexter vero, *S. Fronto Petragoricus patitur*. Sed illud acquiescere facit placito Dextri, quod multos alios ipse martyres dixit, quos nos confessores venerabamur, veluti B. Torquatum, et socios, S. Jacobi discipulos (ut Orientium et Pacientiam S. Laurentii parentes omittam), et tandem martyrii veritas patefacta fuit, nuncque velut martyres venerantur. Idem de S. Frontone sentiendum arbitror, præsertim cum videam Dextrum qui martyrem eum refert, longa annorum serie cæteros qui eum confessorem dicunt, superare; quo tanto magis veritas illi innotescere potuit, quanto propius ad S. Frontonis tempora accessit. Sed et ipse Equilinus qui confessorem eum dicit, persecutionem passum fuisse affirmat ab Squirio præfecto, qui multos quoque monachos ac discipulos B. Frontonis martyrio affecit, ut facile credi posset in ipsum quoque magistrum sæviisse. Frater S. Pontificis et ipse quoque ex genere nobilissimo Romanorum Fronto dictus, ad tertium usque consulatum ascendit, quem iniit cum Trajano tertium quoque gerente anno Domini 102, cujus consulatus meminere Plinius Junior in Panegyrico Trajani, et Martialis lib. XI, epigrammate illo quo precatur deos pro Nerva Trajano, inquiens, sub num. 4:

Et qui purpureis jam tertia nomina fastis,
Jane, refers Nervæ.

Sane Martiali fuit cum Frontone non vulgaris necessitudo, ut illud epigramma lib. I, numero 55, eidem Frontoni nuncupatum, satis indicat, cui titulus *ad Frontonem de voto vitæ suæ*:

Vota tui breviter si vis cognoscere, Marci,
Clarum militiæ, Fronto, togæque decus;
Hoc petit: esse sui nec magni ruris arator,
Sordidaque in parvis otia rebus amat, etc.

Nec deest qui S. Frontonem Petragoricensem episcopum in Hispania ortum faciat; is est Damianus a Goes, eques, et historicus nobilis Lusitanus, cujus opus exstat in Hispania.

14. *Florebat*, etc. Nobilitatis ac divitiarum C. Cæsonii Maximi non semel meminit Martialis lib. VII, epigram. 73 ad Maximum, ubi tria ejus narrat palatia:

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ,
Et tua Patritius culmina vicus habet.
Hinc biviæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ;
Inde novum, veterem prospicis inde Jovem.

In libro autem II, duo illi dat epigrammata, docens monensque ne Cæsaris auram captet, quasi servus, quia domi suæ princeps est. Prius concludit sic (sub num. epigr. 18);

Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.

Alterum num. 53 sic incipit:

Vis fieri liber? mentiris, Maxime, non vis:
Sed fieri si vis, hac ratione potes, etc.

Quod autem animum Dextri pulsaverit, ut C. Cæsonii Maximi in Chronico suo mentionem fecerit, perpendenti illud mihi occurrit; quod de Senecæ morte agebat, cui unice amicus Cæsonius fuit, utpote qui in exsilium Corsicam amandatum a Caligula Senecam, sponte exsul factus, comitatus sit, et post ejusdem Senecæ mortem, amicitia Senecæ ipsi in crimen data, exsilium agere in Sicilia a Nerone coactus est. Hoc posterius docet Cornel. Tacitus lib. XVI, illud autem Martialis lib. VII, duobus quæ ad quemdam Ovidium dedit, epigrammatibus; erat hic Cæsonio familiaris, ipsumque, sicut ille Senecam, secutus fuerat. Primum sic habet, sub num. 44:

Maximus ille tuus, Ovidi, Cæsonius hic est,
Cujus adhuc vultum vivida cera tenet.
Hunc Nero damnavit; sed tu damnare Neronem
Ausus es, et profugi non tua fata sequi.
Æquora per Scyllæ magnus comes exsulis isti;
Qui modo nolueras consulis ire comes.

Et post pauca:

Audiet hoc præsens, venturaque turba: fuisse
Illi te, Senecæ quod fuit ille suo.

Altero epigrammate iterum alloquens Ovidium Cæsonii Maximi familiarem, ait (sub numero 45):

Facundi Senecæ potens amicus,
Caio proximus, aut prior Serepo;
Hic est Maximus ille, quem frequenti
Felix littera pagina salutat.
Hunc tu per Siculas secutus undas,
O nullis, Ovidi, tacende linguis,
Sprevisti domini furentis iras.

Quis vero furens is dominus sit, subdens declarat,

Hæsisti comes exsuli Neronis.

Erat Cæsonius sanguine conjunctus imperatrici Cæsoniæ uxori Caii Caligulæ, de qua agit Suetonius in Caio, cap. 59, et in cujus natali epigramma cecinit Martialis lib. IX cujus initium est, *Prima Palatino lux est*, etc. De alio Frontone agit S. Ignatius in epistola ad Ephesios, qui eum in vinculis visitavit, cum aliis viris Ephesiis.

15. *Petrus qui Græce*, etc. Petrus iste qui Græce Megistos dictus est, unus fuit ex ipsis tribus militibus, quos Paulus apostolus in ipso martyrii sui itinere ad fidem perduxit. Accipe ejus rei historiam a Petro Equilino lib. VI cap. 23 et 41: *His dictis Paulus ad locum supplicii ducebatur. Cum autem tres milites, scilicet Longinus, Megistus, et Acestus, eum interrogarent quis esset ille rex quem tantum diligeret, ut pro illo mortem libenter subiret; Paulus eisdem Christum annuntiavit, et ad fidem convertit. Et quærentibus illis quomodo salvari possent, ordinavit eisdem*

BIVARII COMMENTARIUS.

ut mane ad locum decollationis ejus venirent, qui, causa cognita, illos baptismatis unda perfunderent, et æterni regis cohæredes efficerent. Post hæc cum aliis militibus a Nerone missis ad mortem Pauli accelerandam ipse ad supplicium duceretur, Paulus in porta Ostiensi obviavit Plautillæ discipulæ suæ, cui velum quo caput ejus tegebatur, mutuo petiit, ut inde oculos suos ligaret, ipsumque sibi decollatus restitueret; quod cum ei tradidisset, ipsam carnifices deridebant, quod pretiosum ei velum traderet, quod sibi mortuus minime reddere posset. Peracto autem sacrificio, revertentibus militibus, Plautilla velum sanguine cruentum ostendit, eisque dixit, quod eadem hora Petrus et Paulus urbem intraverant, veste præclara induti, et coronis radiantibus ornati, Paulusque, juxta promissum, velum sibi restituerat commodatum. Quo miraculo tres milites adhuc magis in Domino crediderunt. Et juxta quod Paulus eis imposuerat, die sequenti passionis illius ad sepulcrum Pauli venerunt, et duos discipulos Titum et Lucam orantes invenerunt, et in eorum medio Paulum stantem viderunt. Quos discipuli illi videntes territi fugiebant, Pauloque mox disparente, milites illi post eos clamabant, quod non ut eos caperent persequebantur; sed ut ab eis baptismum susciperent, sequebantur, Paulumque in medio eorum se vidisse testabantur. Hæc illi audientes reversi sunt, eosque cum gaudio baptizaverunt. Qui post duos dies a Nerone detenti, et pro Christi nominis confessione capite cæsi sunt 6 *nonas Julii*, nimirum die 2 ejusdem mensis, quem notat Dexter. Qui tamen illud præ cæteris annotat, horum trium nobilium militum unum fuisse Cæsonium illum Maximum, quem floruisse dixerat, nimirum qui in baptismo a Luca et Tito Petrus vocatus est; is enim est qui Græce Megistos nuncupatur, nam *Megistos* Latine sonat *Maximum*. Quare necessum est ut asseramus duos ad summum annos in Sicilia exsulem egisse, quo videlicet anno Domini 66 occasione mortis Senecæ missus fuerat; anno autem 68, tribus a Pauli nece diebus decursis, 2 Julii interiisse pro Christo. Lege eo die Usuardum, Adonem, et Rom. martyrologium, et ibi cardinalem Baronium, qui apud veteres mss. nomina trium illorum militum exstare contendit, et D. Chrysostomum tom. v in oratione encomiastica de Principibus apostolorum.

16. *S. Paulus*, etc. Hoc quasi per parergon ab auctore annotatum nunc est; nam alias antequam de adventu Pauli in Hispanias meminisset, referendum erat, sub annum Domini 60 vel circa, uti ex dicendis constabit; quare notanter hoc loco usus est auctor verbo præteriti temporis, cum ait, *S. Paulus scripsit epistolam*, etc., cum tamen verbo præsentis in cæteris, quæ propriis annis acciderunt, pro more utatur inquiens: *Persius moritur. Nero omnes superat. Lucanus perit*, etc.

Quod Epistola Pauli ad Hebræos scripta sit ad Hebræos Hispaniæ.

Jam vero quod in superioribus disquirere et stabilire promisimus (anno Domini 64) de Epistola Pauli ad Hebræos Hispaniæ data, nunc a nobis reddendum est. Et quoniam res nova est, et a nemine (quod sciam) hactenus examinata, eam nunc ad unguem in gratiam eruditorum examinare placet. Ut autem ordiamur (quod dicunt) ab ovo, ostendamus in primis, Epistolam ad Hebræos non fuisse missam ad eos qui Hierosolymis seu in Judæa degebant, neque ad quoscumque in Oriente constitutos: rursus, neque ad omnes Hebræos toto orbe dispersos, ut inde locus relinquatur asserendi, datam fuisse ad Hispanam synagogam; quo loci (uti ad annum Christi 37 comment. I abunde monstratum est gravissimis testimoniis, et prius ad annum 35 comm. 2) celeberrima exstabat synagoga, eorum nimirum Judæorum qui Domini neci minime consenserant; nec redire Hierosolymas voluerant, eo quod apud eos viguisset prophetia de destructione templi a Zorobabele erecti. Quod igitur non sit hæc data ad omnes totius orbis Judæos, inde fit evidens, quod eam in vinculis Romæ scriptam communiter interpretes eliciunt ex illis verbis cap. x, *Nam et vinctis compassi estis;* ubi Theophylactus: *Et aliis consolationi fuisti, et mihi conjecto in vincula:* et Græcus codex Pauli habet, *vinculis meis compassi estis.* Quamquam ego scriptam opinor ab Apostolo statim ac e vinculis solutus Romæ libere prædicabat, prius tamen quam inde quopiam recederet: et consequenter ultimam in ordine reliquarum: quod etiam notavit Baronius anno Domini 60, numero 42. Hoc non solum ex loco quem habet inter omnes Pauli Epistolas conjicio, sed etiam ex eo quod in II ad Timoth. quæ sine dubio (ut minimum) penultima fuit, utpote in qua affirmat, *Ego jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat;* evocat illum de Oriente ubi prædicationis ergo degebat, ut ad se veniret Romam: *Festina* (inquit cap. IV) *ad me venire cito*, et iterum: *Festina ante hyemem venire.* In epistola vero ad Hebræos c. ultimo asserit se jam jam ejusdem Timothei, quem vocarat, celerem exspectare adventum: *Cognoscite* (ait) *filium meum Timotheum, cum quo, si celerius venerit, videbo vos.* Quare non recte sentire dicendi sunt, qui Epistolam II ad Timoth. datam credunt post Epistolam ad Hebræos scriptam; nam si celerius venturum Timotheum spectabat, cum ad Hebræos scripsit, jam ergo illi scripserat ut festinaret ad se venire cito: alias non posset adventum ejus celerem affirmare. Sed quorsum hæc? Nimirum ut inde colligamus non scripsisse hanc ad Judæos toto orbe dispersos, quoniam ad quos scribit, promittit se profecturum cum Timotheo, quem celerius venturum spectabat. Certum est autem id non potuisse Judæis toto orbe dispersis repromittere, quia jam confessus fuerat in prædicta ad Timotheum Epistola, tum quidem tempus resolutionis suæ jam instare, tum etiam cursum suum consummasse: quo credi nequit iterum totum orbem perambulaturum, ut Judæos ubique dispersos inviseret. Quare non ad omnes, sed ad aliquos certæ provinciæ scripsisse certum est. Id quod ex inferius dicendis certius fiet.

Nunc vero neque ad eos qui Hierosolymis, vel in Palæstina degebant, scriptam, factum quoque argumentum convincit; si enim iterum illac rediturus erat, non ergo vere dixerat cursum jam suum consummasse, cum potius, de novo cursum inciperet. Et quidem aliquando pro magno cursu dixerat Romanis (cap. xv): *Ita ut ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi.* Et tamen majorem conficeret, si Roma nunc Hierusalem usque percurreret; cum Illyricum medio fere utriusque urbis itinere situm sit: quinimmo nec mediasse tunc temporis cursum suum, nedum consummasse asseverare posset. Sed ad alia transeamus. Erat Timotheus quem sperabat in Oriente, ubique prædicans verbum Dei, licet specialis Ephesiorum deputatus episcopus, quem ipse e vinculis dimiserat. Sed unde id habeamus inquiris? Sane quod Timotheus Apostolum Romam usque comitatus fuisset, ex cap. XX et sequentibus Actorum habemus, et ex Epistola ad Philippenses, quam uterque Romæ dedit, ubi in capite ejus leginus: *Paulus et Timotheus servus Jesu Christi*, etc., et infra designans locum et tempus Scripturæ, *Existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.* Quod vero inde Paulus ipsum in Orientem dimiserit, habemus rursus ex cap. II ejusdem Epistolæ ad Philip.: *Spero* (ait) *in Domino Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos;* et ideireo ad Hebræos vocat eum *dimissum*, cum inquit, *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum; cum quo, et*

celerius venerit, videbo vos: quasi diceret: Quem ego primum illuc missum jam jam reversurum spero. Hinc quoque propositum elicio. Paulus vocat seu potius evocat Timotheum ab Oriente ut secum ad eos quibus scribit proficisceretur; non igitur profecturus ipse in Orientem erat: alias non illum evocaret ab Oriente, sed potius per se ad ipsum accederet. Neque vero ejus comitatu egebat, quasi neminem haberet comitem; alios siquidem multosque discipulos secum Romæ Paulus habebat, qui ipsius in itinere comites fierent; quos ipse enumerat, cum ad illum scribit: *Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes:* et prius Lucam secum esse dixerat. Adde quod cum illuc evocat Timotheum, jubet ut omnem supellectilem suam, quam Troade reliquerat, secum ferat: *Penulam* (id est, vestem: Phœbadius tom. v Biblioth. Patrum [XX vero nostræ Patrol.] interpretatur *cucullam*) *quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas.* Translatio autem supellectilis, quamvis pro more Apostolico pauperis argumentum manifestum est hominis domicilium mutantis.

Rursus verba illa ad Hebræos: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum, cum quo, si celerius venerit, videbo vos:* nullatenus ad Hierosolymitanos seu Orientales Judæos dici potuere: non enim incognitus illis erat, ut eis Apostolus diceret, *Cognoscite illum:* sed tam cognitus quam ipse, utpote qui socius fuerat cursus totius suæ peregrinationis; quod Acta Apostolorum et Epistolæ ipsius Pauli abunde testantur: aliis ergo scribebat, quibus Timotheus facie et opinione ignotus erat. Et sensus est: Scitote quod discipulum habeo, quem ob suam probitatem valde diligo; *Cognoscite eum*, id est, notitiam ejus habere incipite, plenius cognituri, quando cum ipso, quem celerius ab Oriente spero, videbo vos: Sed et hoc, *videbo vos*, nequivit Orientalibus dicere, quandoquidem cum ab eis discederet, Romam in vinculis perducendus, ita ipsos allocutus fuisse scribitur, in Actis cap. 20: *Et nunc ecce scio, quia amplius non videbitis faciem meam, vos omnes per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium: non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis;* et post multa in hanc sententiam subdit S. Lucas: *Et cum hæc dixisset, positis genibus suis, oravit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium, et procumbentes super collum Pauli osculabantur eum: dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri.* En Paulus certo se scire testatur quod omnes per quos transierat prædicans regnum Dei, non essent amplius visuri faciem ejus; ne ergo mendacem apostolum dicamus, oportet ut nequaquam Romæ existens ad Orientales Hebræos scribat, iterum se eos visurum, quandoquidem hi erant per quos a conversione sua usque ad vincula Hierosolymitana, a quibus appellatione ad Cæsarem interposita Romam deductus est, regnum Dei evangelizans transiverat. Cogimur proinde asserere, ad alios quos numquam viderat Hebræos Epistolam hanc dedisse.

His adde, in tam longa epistola numquam leviter insinuasse eos se quandoque allocutum ad quos scribit, nec umquam eos vidisse; quod si Orientales Hebræi essent (uti existimantur) cum quibus toto vitæ suæ (nedum prædicationis) decursu conversatus erat, a quibus tot persecutiones perpessus fuerat, quorum tot tantosque ad fidem adduxerat, mirum esset, immo incredibile, si nihil horum meminisset: Esset certe perpetuam ejus apostoli epistolarem invertere consuetudinem; numquam enim aliquibus scripsisse invenietur, quos antea docuisset, quin ejus prædicationis meminerit. In I ad Corinthios II: *Et ego cum venissem* (ait) *ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis.* In II vero capit. XIII: *Ecce jam tertio venio ad vos.* Ad Galatas autem cap. I: *Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ad Philippenses cap. IV: *Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite.* In I ad Thessalonicenses I: *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos.* In II autem cap. II: *Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?* Omitto alias ad peculiares discipulos scriptas, nimirum Timotheum, Titum, et Philemonem, in quibus hoc ipsum passim reperitur. Ergone in sola hac Epistola ad Hebræos nihil tale diceret? vel eos saltem non vocasset filios, aut discipulos? Quin potius de doctoribus horum Hebræorum aliquando agit (cap. XIII) quasi de aliis longe diversis, dicens: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei;* illosque vult ut imitentur: *quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem:* quo loci si ab ipso aliquid doctrinæ accepissent, minime taceret, quando de aliis loquitur; immo vero Theodoretus (in hæc verba) ait, Apostolum inter alios loqui *de Jacobo fratre Joannis, qui jam erat interfectus:* satis innuens ad Hispanos hanc Epistolam fuisse datam; præsertim quia ipse Theodoretus contendit, nullibi præterquam in Hispania Paulum Evangelium docuisse post vincula Romana; indeque Romam reversum capite truncatum fuisse. Dabimus ejus verba inferius.

Demum perpendere maxime opórtet, quod si ad Hebræos sibi prius cognitos loqueretur, haud dubium quin aliquid de circumcisione tractaret: de hac enim perpetuum cum ipsis dissidium fuit; præsertim quia occasio urgebat, loquentem videlicet de cessatione antiquæ legis cap. VII illis verbis: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex;* quin potius hi ad quos loquebatur Judæi non solum non observabant circumcisionem cum baptismo, in quo Orientales errasse constat, verum in alium oppositum errorem incidebant, existimantes iterari posse baptismum quoties quis peccasset; et hunc errorem multis redarguit Apostolus ab illis verbis cap. V: *Imbecilles facti estis ad audiendum; etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini,* etc. Et cap. VI explicans in quo parvuli facti essent, reddit rationem ex eo quod iterum ad Baptismum recurrerent, qui tamen congruit puerorum statui, et ait: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati,* etc. Et rursum, cap. X, recurrit ad idem propositum dum ait: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia,* etc. In hunc vero errorem facilius incidere potuerunt Judæi, qui singulari affectu Baptismum amplexi fuerant, quam illi qui cum baptismo volebant circumcisionem componere, quasi Baptismus solus ad delenda peccata non sufficeret. Constat autem ex superius enarratis, Judæos Hispanos ad baptismum alacres evolasse, Hierosolymitanos vero et Orientales cum circumcisione conjungi voluisse: et tamen Apostolus non hunc, sed illum errorem insectatur. Verum quia ex ignorantia ortum duxerat, et nimio ad baptismum affectu, non eos dure increpat, sed placide monet: ait enim cap. VI: *Confidimus autem, dilectissimi, de vobis meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur.*

Habemus ex dictis epistolam ad Hebræos nequaquam ad omnes toto orbe dispersos scriptam fuisse, nec specialiter ad Hierosolymitanos seu Orientales. Sed jam ad Hispanos datam videamus. Et hoc ex superius dictis deducendum est, quibus nobilissimam synagogam in Carpetana provincia Hispaniarum tunc temporis exstare, magnis auctorum testimoniis stabilivimus: si tamen his adjungamus vehemens Apostoli desiderium adeundi Hispaniam, ad Romanos declaratum: et quod ipsis Hebræis apprime competit, quidquid in hac epistola tractat: nimirum quod ipsos nusquam noverat, numquam allocutus fuerat

quod ipsos invisere debebat et optabat, quod nihil de circumcisionis necessitate loquerentur : quod ab aliis apostolis et discipulis, non autem a Paulo acceperant fidem, nimirum a SS. Jacobo, Petro, et eorum discipulis, quos vocat illorum præpositos, qui locuti sunt eis verbum Dei : post quos et ipse prædicationis munus apud ipsos obibat, quasi is qui locum magni Jacobi Boanerges supplere debebat: quod forsan innuit cap. II, cum dixit : *Quæ cum initium accepisset enarrare per Dominum ab eis, quæ audierunt, in nos confirmata est.* In nos, inquam, qui scilicet non audivimus in carne mortali Dominum, sicuti Jacobus qui cœpit vobis salutem evangelizare, in cujus locum ego confirmatus sum : id quod in superioribus agentes de adventu Pauli in Hispaniam perpendimus, et docuimus ita fuisse divinitus revelatum B. Amadeo, ut ipse scribit raptu VIII suæ Apocalypsis novæ. Et cum vero verum consonare videmus; nam id quod Dexter docet, Paulum cum Timotheo ad Hispanias accessisse, est quod Apostolus in hac epistola dicit : *Cum quo si celerius venerit, videbo vos.* Quod vero idem Dexter in superioribus retulerat, de Neronis mota in Hispanos acerba persecutione, qua multi quidem martyrio sublati, plures vero suis bonis spoliati sunt : vide, quæso, ad verbum expressum in Epistola cap. X : *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum : et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socii taliter conversantium effecti : nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Quo loci Theophylactus inquit : *Contemplare itaque quam essent hi magno et præstanti ingenio viri, qui ob Christi gratiam, gloriam simul et opes contempserint, contumeliis deinde affecti, cum spectaculo et derisui essent, tamquam qui in theatro exsibilantur, et illudantur, vel a tenuioribus et abjectis, illatas injurias tolerabant.* De aliis autem Hebræis id non legimus. Omitto, testimonio etiam Dextri, his temporibus vehementer addictos fuisse Hispanos hospitalitati, de C qua tamen præclare exercitata, Paulus ad quos scribit, commendat cum cap. VI : *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis*, etc. Tum cap. XIII : *Hospitalitatem nolite oblivisci.* Et infra : *Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci.* Ubi Theophylactus reddit rationem, quare non dicit, *Hospitalitatem sectamini*, sed, *nolite oblivisci. Fieri enim poterat, ut hi cum bonis fortunæ essent privati, parcius forsan et raro hospites et peregrinos exciperent : et eos hortatur, ut quam prius cœperant hospitalitatem, hanc persequantur.*

Verum quæret quis : Si ad Hispanos scripsisset, procul dubio insinuasset, a multo tempore se præcinctum itineri, ut ad illos accederet; et nisi impeditus vinculis fuisset, eosdem multo ante convenisset. At neque hoc in epistola desideratur : nihil enim aliud sibi voluit Apostolus cum dixit cap. ultimo : *Orate pro nobis. Adhuc amplius deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis.* Perinde enim est ac si dixisset : Orate ut quæ me a vobis abstulerunt, et impedimento fuerunt, ne ad vos accederem, evanescant; sic enim fiet, ut celerius restituar vobis, qui me procul dubio habueretis, si vincula non obstitissent. Et certe si jurisprudentes rogamus, quid sit proprie *restituere*, occurrit Alciatus de verb. signif.: *Restituere est retro statuere; id est, in eum statum rem constituere, in quo fuisset, si nihil evenisset adversus quod facienda esset restitutio.* Concordat Spiengelius in Lexico Juris, verbo *restituere*. Notanter autem non dixit, in eum statum rem constituere in quo fuit, sed *in quo fuisset*, quia non solum ablatum reddere, est restituere, sed etiam damnum emergens compensare; in eo etenim statu res fuisset, si non ablata seu impedita esset. Nunc igitur dicas, quæso, in quo statu A seu loco Paulus cum hæc scribit constitutus esset, si non detineretur vinculis? Negari nequit, si ipsius stamus verbis, quin in Hispania : *Cum in Hispaniam proficisci cœpero*, etc. Ergo ab Hispanis præcipue ablatus fuit, non ab Orientalibus, a quibus ipse lubens discedebat : nec ab aliis cujuscumque provinciæ sint, quia ad nullos alios se iturum promisit : Hispanis igitur restituendus erat, et non aliis, cum inquit: *Quo celerius restituar vobis.*

Ad hæc quod ad Timotheum ait, *Cursum consummavi:* sic ipse Apostolus explicat inferius, quod simul dicat deficere sibi complementum prædicationis : *Dominus autem mihi astitit, et confortavit, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes; et liberatus sum de ore Leonis.* Implere autem prædicationem nihil aliud est, quam ab Oriente usque ad finem Occidentis prædicando pertingere; quem finem in Hispania esse nemo est qui ambigat. Ob hoc igitur a Domino confortatus et liberatus est ab ore Leonis, B id est, a vinculis ereptus est. Ad Hispanos igitur scribit, se celeriter ad eos venturum, scilicet ut per eum prædicatio in ipsis impleretur. Illud tandem huic facit adhærere sententiæ, ut credam scriptam ad Hispanos Hebræos, quod lego in ea illico post vincula se in ipsos ad quos scribit concessurum : *celerius videbo vos.* Quotquot autem ex doctoribus sanctis Pauli referunt peregrinationem immediate post vincula, nullibi præterquam in Hispaniam profectum asserunt : quo videas ad ipsos fuisse locutum. Quinimmo Chrysostomus qui sæpe ejus adventum in Hispaniam ponit post vincula, aliquando addit, illic quoque invisisse eos Judæos, ad quos scilicet scripsit. En verba ipsius de homilia 76 in Matth. : *Cum igitur biennium Romæ exegisset in vinculis, tandem dimissus est. Deinde in Hispaniam profectus, invisit illic Judæos quoque : ac tunc fortasse Romam reversus est, quando et supplicium jussu Neronis pertulit.* Loquebatur autem Chrysostomus de Judæis, quibus promiserat invisurum se eos, et ait *illic*, videlicet in Hispania, illos invisisse. Fatetur ergo ad illos hanc scripsisse Epistolam. Idipsum testatur Theophylactus in præfatione ejusdem Epistolæ : *Fuerat* (inquit) *annos duos in vinculis jam ipse detentus : Inde abire permissus est, ut ipse hoc modo testatur* (II *Timoth.* IV). *In priori mea defensione nemo mihi affuit, et liberatus sum ex ore Leonis, Neronis videlicet. Deinde cum in Hispanias venisset, tunc forte Judæos revisit;* præmiserat de illis loqui, de quibus Paulus dixerat cum Timotheo, *Si celerius venerit, videbo vos.* Subditque *inde* (ex Hispania) *Romam reversus, a Nerone e vita sublatus est.* Nullibi ergo sentiunt prædicasse nisi in Hispania, videlicet juxta promissionem suam, et ibi invisisse Hebræos ut promiserat : inde vero regressum Romam, ubi capite plexus est : quod etiam Theodoretus super cap. I ad Philip. scribit : *Duobus annis primum Romæ per se degit, per se habitans in suo conducto : cum autem illinc profectus esset in Hispaniam, et illis etiam divinum Evangelium tradidisset, reversus est; et tunc fuit capite truncatus.* Ex dictis D ejusmodi conficio argumentationem novam : Paulus Hebræis celerem promittit adventum, et tam celerem, ut nisi celerius Timotheus veniat, sine illo ad eos proficiscatur. Hunc enim sensum habent illa verba, *cum quo si celerius venerit, videbo vos :* id est, ego videbo vos cum ipso, si tamen celerius venerit; alias quod inde fit consequens, nisi celerius venerit, sine eo proficiscar. Ut quid enim celerem ejus desiderat adventum, nisi ut cum ipso proficiscatur, qui statim profecturus ad Hebræos erat? At statim atque e vinculis eruitur, in Hispanias contendit, Chrysostomo, Theophylacto et Theodoreto testibus (ut alios omittam); illic igitur erant illi Hebræi ad quos Epistolam dedit : Si enim alibi essent, non vere diceret Paulus se tam cito ad ipsos parare iter, ut nisi Timotheus celerius veniat, sine ipso profecturus illis

A. C. 66. L. Annæus Seneca Cordubensis, consularis vir, et in religionem Christianam egregie propensus, cui etiam secreto adhærebat, datis et acceptis a Paulo litteris celebrandus, jussu Neronis venarum incisione perit. A. R. 817.

Hoc eodem anno S. Matthias perimitur.

Hoc eodem anno bellum Hierosolymitanum incipit.

Amphitriæ quæ Carpetanorum urbs est (nunc Fitia) S. Liberatus episcopus Iliberitanus feliciter moritur XIII kalend. Januarii.

Hoc eodem anno SS. apostoli Petrus et Paulus ex longissimis peregrinationibus Romam redierunt.

BIVARII COMMENTARIUS.

sit : cum tamen ad Hispanias prius, ut constat, accederet. Sed de his satis, etc. A

17. *Lucius Annæus*, etc. Cum eodem retectæ conjurationis Pisonianæ tempore tam Seneca quam Lucanus necatus sit, nescio quomodo Eusebio in mentem venit mortem Senecæ in annum Domini 67 rejicere, cum tamen, ipso referente, anno Domini 66, Lucanus mortem oppetierit. Quare multo consonantius Dexter Senecam quoque eodem anno absumptum tradit. Assentitur his etiam Ambrosius Morales libr. IX, cap. 9, in eo leviter emendandus, quod mense Martio dicat Senecam mortuum, cum deberet dicere mense Maio; siquidem Lucanus qui, Eusebio et Dextro auctoribus, prius cecidit, ultima Aprilis obiit : quapropter Senecam mense Maio sequenti mortuum esse, congruum est ut dicamus. Fuit Cordubæ natus, Seneca seniore nobili oratore, et Helbia, seu Albina parentibus. Parentis ejus sunt declamationes, quæ inter opera filii exstant, ut probe affirmat et probat Morales. His parentibus nati sunt filii tres : Annæus Seneca philosophus, Neronis magister ; Junius Gallio, et Annæus Mela Lucani pater. Nupsit Seneca Paulinæ Pompeiæ feminæ nobilissimæ, quæ cum Neronis jussu Senecam incisione venarum animam efflantem videret, ipsa quoque suas incidere fecit, quo maritum dilectissimum, vel in ipsa morte comitaretur. Sed Cæsaris beneficio, vitæ ejus consultum fuit. Addit Eusebius, Senecam non tantum incisione venarum, quod sibi mortis genus delegerat, optione a Cæsare concessa, sed etiam haustu veneni periisse. Non defuit illi e vita sublato Zoilus suus, Xiphilinus, inquam, Dionis Cassii abbreviator, qui non pauca in eum maledicta congessit; præcipue in eo notans, quod viveret aliter quam scriberet, dum secessum ab urbe moneret, et ipse in regia ipsa degeret; dum divitias scriptis spernendas diffiniret, ipse vero avide amplecteretur; sed Xiphilinus a nullo auditur, ergo solus loquitur. Auctor est D. Augustinus lib. VI de Civit. Dei cap. XI, quod Judæos palam reprehenderit, Christianos autem jam tunc Judæis inimicissimos, in neutram partem commemorare ausus sit; ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsan voluntatem. Quo satis innuit secreto Christianæ fidei adhæsisse; quod hoc quoque loco repetit Dexter; sed de ea re superius actum a nobis est, ad annum 64 Christi. B C

18. *Hoc eodem anno S. Matthias*, etc. Lapidibus in primis obruptum, ac demum securi in capite percussum refert Equilinus lib. III cap. 149. In Judæa vero occisum omnes referunt. Quare cum hoc ipso anno, ut jam dicam, bellum Hierosolymitanum cœperit, et tota Judæa tumultuaverit, facile fuit S. Matthiam eo tempore perimere. Exstat ejus sacratissimum corpus Romæ in ecclesia S. Mariæ majoris, ubi vetusta ejus imago mosaico opere elaborata cernitur, cum hac inscriptione: ME TENET. ARA. PRIOR.; et vere sic est, nam sacræ exuviæ corporis ejus subtus altare majus jacent, in apside impensis cardinalis Pinelli, ex variis pulchrisque marmoribus elaborata. Caput vero in die ejusdem S. apostoli capsa argentea occlusum, populis Christianis illuc catervatim confluentibus adorandum offertur. D

19. *Hoc eodem anno bellum Hieros.* etc. Cardinalis Baronius rejicit initium belli Hierosolymitani in annum 68, eo permotus quod, Josepho teste lib. XX Antiq. cap. 19 et de Bello Judaico lib. II c. 13, cum Judæi a Romanis deficerent, cœptum fuit contra eos bellum, anno Neronis 12 mense Maio. Cæterum aliam longe annorum imperii Neroniani supputationem sequitur ipse Cardinalis, quam nos : nam ipse ab anno D. 56 imperasse contendit, nos vero ab anno 55 juxta supputationem Dextri, quam inter alios amplectitur Ambr. Morales lib. IX cap. 6. Quinimmo non sibi Baronium constare, sed in nostram tandem declinasse sententiam inferius ad annum 68 monstrabimus. Si igitur ab anno 55 Domini, imperii Neronis annos numeremus, et ipse quoque annus 55 inclusive numeretur, fit (ut Dexter asseverat) anno 66 Domini cœptum bellum Hierosolymitanum ; quandoquidem is est annus Neronis 12 quem Josephus designat.

20. *Amphitriæ*, etc. Meminit ejusdem S. Liberati 13 kalend. Januarii (quo die illum notat Dexter obiisse) Usuardus dicens, *In Amphitrea S. Liberati.* Petrus etiam Equilinus episcopus agit de eo lib. XII cap. ultimo, numero 17, his verbis : *Liberatus confessor, et Gregorius episcopus eodem die* (id est, 13 kal. Januarii) *in Amphitrea claruerunt.* De sancto Gregorio agemus inferius cum Dextro ad annum 94. De urbe autem Amphitria, seu Amphitrea, quando ipse Dexter exponit suo tempore *Fita* nuncupari, non est quid addam, nisi quod successu temporis, mutata *F* in *H* pro more Hispanico, nunc vocamus *Hita*, quam Romani, Fita seu forsan Fitriam nuncupabant, dempta prima syllaba nominis Amphitriæ, quod mihi Græcum videtur, et non leve indicium oppidum hujusmodi a Græcis olim conditum, ut multa alia fuerunt in Hispania. Ptolomæus nominat in Carpetania Alterniam non longe a Caraca, seu Guadalaxara, ubi nunc est Hita, quare nomen apud ipsum corruptum videtur, ut pro Amphitria legamus nunc in ejus codice Alterniam.

21. *Hoc eodem anno sancti apostoli Petrus*, etc. Qui ad annum 69 Domini vel 70 differunt apostolorum necem, remittunt etiam eorumdem reditum in Urbem ad annum prædictum 68 ut uno, ut minimum, vel duobus annis ante mortem suam Romam accederent. Cum vero Dexter anno 68 eos occisos autumet, necessum habuit reditum apostolorum in annum 66 consignare. Et, ut opinor, vero consimilius: nam ipsis auctoribus adversæ factionis annuentibus, ea fuit causa, apostolos Romam reducendi, quod ad notitiam illorum pervenit immanis illa persecutio, quam in Christianos Nero crudelissimus excitaverat, dum crimen incendii Romani ab ipso nequiter excitati, in eos retorquebat. Urbis autem incendium juxta commune auctorum placitum, quos refert et sequitur card. Baronius in Notis ad diem 14 Junii Rom. martyrologii, in annum Domini 65 incidit : cœpit vero IV kal. Augusti seu 29 Julii. Quare quamprimum apostoli nuntium de afflictione Ecclesiæ Romanæ acceperunt, tametsi longe distantes essent ab Urbe, utpote Paulus in Hispania, Petrus vero in Britannia vel Africa, illico iter in Urbem arripuere; ne suas oves in tribulatione tanta desererent. Non enim erant

A. C. 66. Floret memoria S. Petri Ratensis martyris, primi Bracarensis episcopi, qui occisus A. R. 817. est anno 45, ad Ratem oppidum Bracarorum, in regione Ophirina, a nepotibus Ophir illuc appulsis nomen hoc obtinente.

BIVARII COMMENTARIUS.

mercenarii, qui videntes a longe lupum, fugiebant, sed pastores, qui ab ore lupi oves eripere volebant. Igitur anno incendium sequente, nimirum 66 Romam reversi sunt.

22. *Floret memoria S. Petri*, etc. Egimus fuse de eo in superioribus ad annum 37. Cæterum quod Dexter addit, occisum fuisse apud Ratem in regione Ophirina, a nepotibus Ophir illuc appulsis nomen hoc obtinente, cogit nos ut de Ophirinæ regionis loco proprio disseramus : et quia ejus disputatio affinis est ei quæ de vero situ Tharsis edisserit, de utroque simul agere visum mihi necessarium est : Sic enim et D. Hieronymus ad Marcellam scribens fecit epistola 133 et quotquot de Ophir vel Tharsis hactenus scripserunt.

Ubinam Tharsis, et Ophir exstiterint, ex professo disquiritur.

Mirabile sane est quantum torserit hominum ingenia ejusmodi disceptatio. Josephus contendit *Tharsis* idem esse quod Tarsus Urbs Ciliciæ maritima, unde Paulus traxit originem : atque adeo ubique in Scriptura sacra pro Tharsis reddendum esse Tarsum. A quo non dissentit Rethicius Augustodinensis in Cantica Cant. v, quem D. Hieronymus refert epist. 153, et auctor Hebræi dictionarii *Arca Noe* nuncupati, dum inquit : *Verbum fortasse præstat hanc significationem non ita facile admittere, sed urbem Tarsum hic et semper interpretari.* Septuaginta Interpretes plerumque Carthaginem Africæ civitatem reddunt pro Tharsis, ut apud Esai. XXIII, 1, ubi Hebræus habet, *Ululate, naves Tharsis*, ipsi reddunt, *naves Carthaginis* : et versu 6 pro *Transite Tharsis*, quod Hebræus habet, reddunt ipsi : *Transite Carthaginem* ; et v. 10, quo loco Hebræus scribit, *Filia Tharsis*, ipsi dicunt, *Filia Carthaginis* ; et v. 14, *Ululate, naves Tharsis*, reddunt iterum : *Naves Carthaginis* ; et sæpe alibi ; sed non semper, nam aliquando relinquunt ipsam vocem Tharsis, ut videre est III Reg. x, 22 : *Quia naves Tharsis*, etc. Esai. cap. LXVI, 19 : *Mittam ex eis salvatos in gentes, Tharsis*, etc., et nonnumquam Chalcedoniam Urbem maritimam, ex adverso Constantinopolis seu Byzantii sitam, uti in cap. XXVII Ezechielis videre est. Quo enim loco Hebræus (versu 12) habet, *Tharsenses negotiatores tui*, Septuaginta reddunt, *Chalcedonii negotiatores tui*. Vulgatus habuit eamdem varietatem ; nam aliquoties transfert pro Tharsis, *Mare*, ut Isaiæ XXIII : *Ululate, naves maris* ; et *transite maria*, et *Filia maris*, quibus locis Hebræus textus habet Tharsis ; quandoque reddit Carthaginem, ut Ezechiel. XXVII : *Carthaginenses negotiatores tui* ; aliquando sapphirum, Ezechiel. X : *Quasi lapis sapphirus* ; aliquando *hyacinthum*, Cant. V : *Manus ejus plenæ hyacinthis* : nonnumquam chrysolithum (ut Exodi XXVIII et Ezechiel. XXVIII) pro lapide, Tharsis, reddit. Demum multoties nomen ipsum relinquit, quasi significet regionem vel urbem aliquam, ut Psal. XLVII : *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, et Jonæ I : *ut fugeret in Tharsis*. Non mirum, si D. Hieronymo, dum ad Marcellam scribit, homonymum seu æquivocum nomen visum sit, utpote multa significans, videlicet regionem quamdam Indiæ, et lapidem Tharsis, et propter similitudinem lapidis hujus, ipsum etiam mare. In commentario super Jonam cap. I assentitur Josepho credenti Prophetam cum in Tharsis profectus dicitur, ivisse Tarsum, Ciliciæ civitatem, quamquam fateatur in his nominibus primam litteram commutari, videlicet Θ in T, additque : *Quantum vero in lib. Paralip. intelligi datur, quidam locus Indiæ sic vocatur*. Refert deinde Hebræos sui temporis mare pro Tharsis dici generaliter autumasse.

Quod pertinet ad *Ophir*, ipse Hieronymus lib. V in Esai cap. XIII ait : *Est autem Ophir Indiæ locus, in quo aurum optimum nascitur, sicut in Genesi legimus de fluvio Phison*, etc. qui creditur Ganges Indiæ. Consentiunt Theodoretus super III lib. Reg. q. 31, Procopius ibidem, ubi Rabanus et Strabus in Glossa Ordinaria, Nizetas, Abulensis, Lyra, Forerius, Adamus Ribera, et alii. Dissentiunt tamen in assignanda regione, provincia, et loco ubi sit Ophir ; nam sunt qui velint fuisse in Orientali India : et inter eos quibusdam videtur insula *Zophala*, aliis *Taprobana*, aliis *Pegu*, nonnullis pro libito alia quævis. Recentiores vero contendunt esse Occidentalis Indiæ regionem Peruvianam, tum quia elementa ipsa Hebraica nominis *Ophir*, cum elementis nominis *Peru*, consentiunt, tum etiam propter ingentem auri et argenti copiam quæ inde extrahitur. Qua de re late disputarunt Acosta lib. I cap. 13, Barrerius tractatu peculiari de Ophir, et Barradas lib. V Concordiæ Evang. cap. 11.

Rursus quidam confundunt Ophir cum Tharsis, quidam distinguunt : illis siquidem sine discrimine de utroque Divina Scriptura loqui videtur, ut ex cap. 9 et 10 lib. III Regum apparet, quibus locis indifferenter classem Salomonis et Hirami, modo in Tharsis, modo in Ophir profectam refert : his vero, tamquam de diversis regionibus ; tametsi una eademque classis utramque perlustraret.

Quid igitur in tanto discrimine opinandum ? Et hic quoque in suo sensu liceat cuilibet abundare ; meus vero hac in parte in eo vehementer abundat, ut existimem, Tharsis, et Ophir, quæ in Sacris litteris celebrantur, et a Salomonica classe, auri et argenti gratia frequentabantur, in Hispania fuisse, et hanc quidem, nimirum Ophirinam regionem, in Bracarensi tractu, quod Dexter hoc loco asseverat ; Tharsensem vero in Bætica seu Vandalusia, quo loci vetus Thartesus sita fuit. Hoc posterius viriliter ac diffuse propugnavit Goropius Beccanus per multos suæ Hispaniæ libros, quintum præsertim et sextum ; quem sequitur Ludovicus Nonnius cap. 12 Hispaniæ, idemque senserunt Joannes Baptista Suarez de Salazar lib. I Antiquitatum Gaditanarum cap. 4, Pineda lib. IV de Rebus Salomonis cap. 14, Ribera in cap. I Jonæ : Forerius in illud cap. 23 Isai., *Filia Tharsis non est cingulum tibi ultra* ; Soto Major in Cant. cap. V ad illa verba, *Manus ejus tornatiles aureæ plenæ Tharsis* ; et Thomas Bozius lib. XV de Signis Eccles. cap. 18, ait siquidem, classem Salomonicam *solitam circumnavigare Africæ littora, et Hispaniam petere, Thartessumque urbem, quam Tharsis nominari volunt a sacra Scriptura.*

Probemus sigillatim singula. In primis certum esto, non unam eamdemque omnino regionem esse Tharsis et Ophir : nam id manifeste demonstrat illud Jeremiæ cap. X, v. 9 : *Argentum involutum de Tharsis affertur, et aurum de Ophaz*, ubi in originali Hebræo habetur, *et aurum de Ophir* : quo videas aliunde aurum afferri solitum, quam unde argentum ; ac proinde duas esse regiones seu provincias, et non unam eamdemque. Rursum Genesis X describitur universi terrarum orbis post generale diluvium, inter filios ac nepotes Noe distributio ac renovatio ; ita quod cuivis illorum provincia diversa contigerit, suoque ipse eam nomine indiderit, ut ex illis verbis colligitur, *Hæ sunt familiæ Noe juxta populos et nationes suas* (*Gen.* X, 32) : junctis illis : *in cognationibus, et linguis, et generationibus ; terrisque, et gentibus suis* (*Ibid.*, 20). Quibus innuit de-

scripsisse non solum generationes filiorum et nepotum Noe designatis nominibus : sed etiam terras et gentes suas, cum tamen non retulisset diversa earum nomina a nominibus fundatorum. Inter nomina autem fundatorum diversarum regionum designantur Tharsis et Ophir: ille quidem ut nepos Japhet filii Noe; hic vero, id est, Ophir, ut quintus ipsius Noe nepos, non ex Japhet, sed ex Sem descendens.

Emergit vero hinc dubiolum : videtur siquidem adversariis favere ejusmodi Genesis testimonium. Enimvero tres Noe filii, tres orbis principales partes sic occuparunt, ut Japhet cum filiis suis Europam acceperit (constat ex Thubal qui Hispaniam et Italiam, et ex Gomer qui Galliam incoluit) : at vero Cham cum filiis et nepotibus suis Palæstinam, Ægyptum, et Africam (nam teste Hieronymo Phuth nepos Chami Africam, Chanaam vero frater ipsius, et Chus utriusque pater, Chananæorum provinciam seu Palæstinam possederunt) ; ac demum Sem natu major cum filiis et successoribus suis Orientalem Asiæ partem occupavit, uti ipsamet ejusdem capitis verba demonstrant : *Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem Orientalem. Isti filii Sem.* Ita certe ex Isidoro accipimus lib. IX Etymol. cap. 2, et ex vetustissimo scriptore anonymo, qui anno imperii Alexandri Severi XIII et Christi Domini 236 Chronicon mundi scripsit, cujus exstat opus apud Henricum Canisium tomo II Antiq. lect. simul cum Collectore historiæ Chronographicæ, Carolo Magno æquali. Is igitur cap. 2 hæc ait : *Post diluvium autem, Sem, Cham, et Japhet trium fratrum tribus divisæ sunt. Et Sem quidem primogenito a Perside et Bactris usque in Indiam longe, et usque Rhinocoruras : Cham autem secundo a Rhinocoruris usque Gadira* (id est, usque Gaditanum fretum, sed ad Meridiem Africæ) ; *Japhet autem tertio a Media usque Jo[illegible] ad Boream* (hoc est, ad septentrionalem freti [illegible]m quæ ab Hispania incipit). *Habet Japhet flumen Tigridem, quod dividit Mediam et Babyloniam : Sem autem Euphratem : et Cham Geon qui vocatur Nilus.* En divisionem Europæ, Asiæ, et Africæ penes tres fluvios paradisi factam. Agens deinde cap. 8 idem Anonymus de successoribus Japhet inquit : *Thubal unde Italienses, Elysam unde Siculi, Tharsis ex quo Iberi, Cethim de quo Romani, qui et Latini.* Et inferius : *Hi sunt filii Japhet, Medi, et Albani,* etc.; *Calabri, Latini, Galli, Aquitanici, Bassetani, Cerretani, Lusitani, Vaccæi, Clunicenses,* etc. *Qui autem eorum norunt litteras hi sunt : Iberi, Latini, Hispani, Græci, Medi, et Armeni. Terræ autem eorum hæ sunt; Media, Albania,* etc. *Gallæcia, Lusitania, Italia, Iberia, Hispania Major,* etc. Ubi sane Iberiam eo dividit ab Hispania, quod Iberia sit apud ipsum idem quod Bætica, Hispania vero Major idem quod Tarraconensis, ut auctor ipse cap. 7 exponit inquiens : *Gentes autem quæ linguas habent hæ sunt; Hebræi, Assyrii, Chaldæi,* etc.; *Latini, Galli et Hispani Tarraconenses :* et alias ab his perpetuo Lusitaniam distinguit. Ob idque Tarraconensem vocat Hispaniam Majorem, quod videlicet multo major sit Bætica et Lusitania.

Nunc igitur dubium insurgit de Ophir, qui numeratur inter filios Jectam de semine Sem. Videtur enim inferri habitasse in India Orientali : dicitur siquidem de eo et fratribus suis : *Jectam genuit Helmodad, Saba et Ophir, et Ebila, et Jobab; omnes isti filii Jectam; et facta est habitatio eorum de Messa usque Sephar montem Orientalem.* Cæterum, ut minimum, hinc infertur, *Tharsis* Europæ partem esse, quandoquidem inter nepotes Japhet enumeratur : *Filii Jaban Elisa et Tharsis*, Jaban vero Japhet filius fuit. Sed quod spectat ad Ophir propositum dubium, facile ex ipsis auctoris nostri verbis solvitur ; non enim Dexter docet, ipsum Ophir Bracarensem tractum incoluisse, sed nepotes ejus. Quare fatemur, aliquam Asiæ Orientalis regionem sibi delegisse, tametsi non constet in speciali an fuerit India ; addimus tamen, ejus nepotes inde sedem mutantes, Lusitaniam appulisse, et avi sui nomen regioni Bracarensi indidisse. Neque novum judicari id debet, cum Africæ Mauros ex India advectos multi affirment, ut Strabo notatum reliquit lib. XVII inquiens : *Sunt qui dicant Mauros Indos esse, qui cum Hercule in hunc locum descenderunt.* Et de ipso Ophiro lego doctos viros, alibi quoque præterquam in India colonias instituisse. Inde vero satis verisimile id mihi fit, quod Japhetica prosapia ab Hispania seu Europæ finibus per totum occidentalem orbem Americæ dilatata est : quo fieri locus potuit, ut alii Sem successores, quibus in tota Asia forte contigerat, ad Hispanias accederent, quas Japhetici totas implere nequiverant, utpote qui non solum Europam, sed mundi etiam medietatem, quam Americam dicimus, incoluissent. Id colligo ex benedictione quam Noe dedit Japhet filio suo minori : *Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaam servus ejus :* adjunctis his quæ auctor sacer post recensitas generationes Japhet adjecit : *Ab his divisæ sunt Insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam, et familias suas in nationibus suis.* Prophetaverat igitur Noe de Japhet, quod ita dilatandus esset, ut usque ad provincias filiorum Sem pertingeret; hoc vero sic impletum fuit, quod Europa ab eo in primis accepta, inde per Hispaniam transiens Americam impleverit, quousque Orientis fines pertingeret, ubi filii Sem habitabant. Et hoc sane fuit præ aliis fratribus dilatari, et insulas gentium accipere, ac inter suos dividere (quod de cæteris non dicitur); nam tota America insulis plena est, et ipsa quoque pro insula reputatur. Unde inter filios ipsius enumeratur Thubal, qui Hispaniam incoluit, et Gomer, cujus nomen adhuc servat una ex insulis Fortunatis, et Magog, qui orientali Tartariæ nomen dedit, et Jaban, cujus nominis duas insulas Orientis agnoscimus, Jabam scilicet majorem et minorem. Hoc igitur fuit dilatari quousque in Tabernaculis Sem habitaret. Nihil igitur mirum si aliqui ex successoribus Sem e converso in Occidentem concesserint, utpote regionem Japhet, qui illorum terras invaserat. Id quod satis convincit *Lud* filius Sem, a quo Lydia nobilis Asiæ pars denominata est, ut Isaiæ cap. 66 accipimus, nam ibi Lydiæ loco in Originali est *Lud*. Quare cum *Lud* Orientem incoluisse, utpote filium Sem, ex dictis constet, consequenter oportet asserere ejus nepotes ab Oriente in Occidentem conversos Lydiæ gentem ex nomine avi sui condidisse. Quod et Ophirinis nepotibus contigisse credimus.

Sed age, aliunde idipsum deducamus : Deduco autem ex eo quod una eademque navigatione frequentabant mercatores Tyrii auri fodinas Ophirinas, et argenti fodinas Tharsenses : ex quo fit non longe invicem a se distasse; hæc autem fieri debebat per mare Rubrum, si Tharsis et Ophir essent in India, non vero per Mediterraneum ut fiebat; eo autem ipso quod per Mediterraneum instrueretur, non in Orientem, sed in Occidentem tendere oportebat, ac proinde non in Indiam, sed in Europæ fines. Probemus singula, quia nihil gratiæ lectorum credendum relinquimus. III Regum X, vers. 11, habemus de classe Tyrii regis in Ophir proficisci solitam, et inde afferre aurum ; dicitur enim : *sed et classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, et gemmas pretiosas*; et rursus vers. 22 dicitur, quod afferebat eadem classis aurum et argentum de Tharsis : quam tunc temporis ob eamdem mercaturam exercendam comitabatur classis Salomonis : *Classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum et argentum, et dentes elephantorum, et*

simias, et pavos. Rursus III Reg. IX, vers. 26, utraque simul classis in Ophir dicitur ascendisse : *Misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos, et gnaros maris cum servis Salomonis : qui cum venissent Ophir, sumptum inde aurum* 420 *talentorum attulerunt Salomoni.* Una igitur et eadem classis Hiram, et cum ea classis Salomonis in Ophir simul et in Tharsis ibat, quasi in provincias eadem navigatione frequentatas; ac proinde non valde distantes. Ne vero quis existimet (ut apud quemdam legi) duas Salomonem struxisse classes, quarum altera per mare Rubrum in Ophir Orientalem tenderet, altera per Mediterraneum in Tharsis Occidentalem, legant caput XXII, lib. III Regum ; ibi enim dicitur, quod *rex Josaphat fecerat classes in mari quæ navigarent in Ophir propter aurum* (volens nimirum resarcire seu reiterare Salomonicam navigationem), *et ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber.* Quando autem hæc historia iterum II Paralip., cap. 20, refertur, classes quæ prædicto loco Regum dicuntur in Ophir paratæ apud Asiongaber, minime tamen ire potuisse, quia confractæ sunt, in Tharsis paratæ referuntur. En verba textus : *Post hæc iniit amicitias Josaphat rex Juda cum Ochozia rege Israel, cujus opera fuerunt impiissima : Et particeps fuit ut facerent naves quæ irent in Tharsis, feceruntque classem in Asiongaber. Prophetavit autem Eliezer filius Dodau de Maresa ad Josaphat dicens : Quia habuisti fœdus in Ochozia, percussit Dominus opera tua, còntritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.* Indifferenter ergo dicitur de eadem classe, quod iret in Ophir et in Tharsis, quasi non longe invicem a se distantes essent. Utraque igitur classis Hiram et Salomonis erat in Asiongaber.

Verum hoc opus, hic labor : III enim Regum lib., cap. IX, vers. 26, expresse asseritur, Asiongaber et classem ab Hirame et Salomone instructam fuisse in littore maris Rubri : *Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est in Aliath, in littore maris Rubri, in terra Idumææ. Misitque Hiram servos suos viros nauticos cum servis Salomonis. Qui cum venissent in Ophir,* etc. Solventes vero ab Asiongaber per mare Rubrum, non in Occidentem, sed in Indiam Orientalem tendere necessum erat : sive in Tharsis proficiscerentur; nam quocumque horum tenderent, ab Asiongaber solvebant, ut jam ostendimus. Cæterum si semel monstraverimus Asiongaber de quo hic mentio fit, non in sinu Arabico, quem per Antonomasiam mare Rubrum nuncupamus, sed ad mare Mediterraneum situm fuisse, testimonium ipsum non stabit contra nos, sed pro nobis. Illud autem multa sunt, quæ convincant. Primum, quia navigatio Salomonicæ classis, illa fuit quam classis Hirami, servique ejus multoties confecerant; ob eam enim rem servos Hiram vocat Scriptura sacra viros nauticos, et gnaros maris : primo siquidem a rege Tyrio illa frequentata est, indeque David totum aurum Ophir quod filio suo reliquit pro impensis domus Domini, procul dubio accepit : de quo sermo fit I Paralip. XXIX. Atqui navigatio Tyriorum fieri non potuit per mare Rubrum, sed necessario per Mediterraneum, cui Tyrus ipsa adjacet. Qua de re insigne affert argumentum cap. II, lib. II Paralip. ubi Hiram scripsisse dicitur Salomoni : *Nos cædemus ligna de Libano, et applicabimus ea ratibus per mare in Joppe, tuum autem erit transferre ea in Jerusalem.* Cum autem Joppe (nunc *Jaffa*) in Mediterraneo sit, reliquum est ut rates Tyriæ non fuerint in mari Rubro, sed in Mediterraneo. Dicet quis, III Reg. IX, non dici quod Hiram misit cum classe Salomonis naves suas, quæ scilicet in Mediterraneo erant, sed viros nauticos : *Misitque Hiram cum classe illa servos suos, viros nauticos, et gnaros maris, cum viris Salomonis :* hoc autem fieri potuit, tametsi classis Salomonis esset in Rubro mari. Sed vero cum eadem historia refertur II Paralip. VIII, Hiram naves etiam suas misisse cum servis dicitur : *Tunc* (inquit) *abiit Salomon in Asiongaber, et in Ailath, ad oram maris Rubri, quæ est in terra Edom. Misit autem ei Hiram per manus servorum suorum naves et nautas gnaros maris; et abierunt cum servis Salomonis in Ophir.* Videant autem adversarii qui potuere naves Tyriæ in mare Rubrum ascendere. Ego, nisi in curribus veherentur de mari ad mare, aut forsan essent allatæ, non valeo iter earum dimetiri. Idipsum ex lib. III Reg., cap. X, colligitur illis verbis : *Classis regis per mare cum classe Hiram ibat in Tharsis ;* ubi vides quod non solum viri Tyrii comitati sunt classem Salomonis, sed classem etiam Hiram : classis autem numerum navium significat.

Rursus Tyrios ipsos et Phœnices magnam auri et argenti vim ex Hispaniæ Thartesso asportasse, eamque navigationem et negotiationem sæpissime frequentasse, auctores sunt Strabo et Aristoteles, quos Goropius et Nonnius supra citati referunt, nec mirum; Gaditana civitas, teste Pomponio Mela lib. III, cap. 6, a Tyriis fundata fuit : *Gades* (ait) *fert in altero cornu ejusdem nominis urbem opulentam, in altero templum Ægyptii Herculis, religione, vetustate, opibus illustre; Tyrii condidere.* De tempore autem fundationis addit, *Annorum queis manet numerus, ab Iliaca tempestate principia sunt.* A quo non multum differt Anonymus Alexandro Severo æqualis, superius a nobis relatus ; dum Gaditanam et Baleares insulas habitatas fuisse scribit (cap. 8) a Chananæis, et Jebusæis, quo tempore suis pulsi sedibus sunt a Jesu filio Nave, populum Israeliticum in terram repromissam inducente. Non solum autem Gadem, sed et Cartheiam, Abderam, Malacam, et nonnullas alias Hispaniæ littorales urbes a Tyriis seu Phœnicibus conditas referunt Strabo libr. III Geogr., Mela ipse lib. III, cap. 6, Solinus lib. de Mirabilibus mundi cap. 34, Dionysius Aphrodisæus lib. de Situ Orbis ; quos afferunt Alderete libr. II Antiq. Hisp., cap 3 et 4, Tarapha lib. de Regibus Hispaniæ, Pineda et Nonnius. Sane quod nostro sæculo Lusitanis in India Orientali accidit, ipsis quoque Tyriis et Phœnicibus olim accidisse compertum est, nimirum in gratiam suæ negotiationis scalas erexisse et urbes, in regione præsertim Thartesiaca, ubi major auri, et argenti copia solis beneficio, gignebatur. Verba Nonnii sunt : *Sane regionis circumjacentis felicitas, auri, argentique perennis fecunditas, et scriptorum de ea unanimis sententia facit, ut non invitus Goropio assentiar; præsertim vero cum ipsos Tyrios et Phœnices, qui cum Salomonis classe mittebantur, immensam argenti vim ex vicina hac regione apportasse dicant Strabo et Aristoteles.* Ubi igitur Tyrii suas scalas, urbes negotiationis, et auri fodinas habebant, et unde soliti fuerunt aurum argentumque asportare, illuc certum est duxisse naves Salomonis. Vidimus autem quod Tyrii non in Indiam Orientalem, sed in Hispaniam navigabant.

Ad idem suppetit quod dicitur Jonæ cap. I, de Jona fugiente in Tharsis : *Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini : et descendit in Joppem, et invenit navem euntem in Tharsis, et dedit naulum ejus; et descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis.* En navem ituram in Tharsis. Sed unde solvit ? Non ex portu aliquo Arabici vel Rubri maris, sed ex Joppe urbe, quæ ad Mediterraneum sita est. Illudere conantur nonnulli hoc testimonium, asserentes, ibi Tharsis non denotare regionem specialem, sed mare ipsum; si autem illis objicias, inde inferri classem Salomonis, cum in Tharsis ire dicitur, solum in mare profectam denotari, atque adeo fieri ut aurum et argentum quod de Ophir portabat, non ex aurifodinis provinciæ alicujus, immo et ligna thyina, pavi, et simiæ, et dentes elephantium, non ex terra aliqua, sed ex mari ipso educerentur : aut igitur in historia etiam Jonæ Tharsis regionem specialem Orbis signi-

ficabit, aut nullibi sacrarum Scripturarum ; quod admitti non debet : nihil quod satisfaciat respondent. Præsertim quia si alicubi Tharsis non mare ipsum, sed regionem quamdam denotare debet, haud dubium quin apud Jonam : ibi enim non solum dicitur de ipso quod conabatur ire in Tharsis, sed quod apud Joppem navem invenit præparatam, ut iret in Tharsis. Nemo autem dicet quod hæc phrasi non fuit significatum in unam aliquam potius quam in alias provincias ituram, sed solum in mare. Quis enim dicat, navem ire in mare, cum jam in mari sit? Hæc igitur satis perspicua sunt.

Unum est quod auctores a nostro deterruerit placito; nimirum quod III Regum, cap. IX, et II Paralipom., cap. VIII, expresse dicitur classis Salomonica, et Hiramica, quæ tendebat in Tharsis, instructa esse in *Asiongaber, quæ est juxta Ailath in littore maris Rubri.* Si igitur ipse sacer textus affirmat fuisse in mari Rubro, quis audeat ad mare Mediterraneum illam transferre? præsertim quia Asiongaber, ut patet ex cap. XXXIII Numer., fuit 32 mansio filiorum Israel in deserto, quæ non videtur esse in Mediterranei ora, sed intra continentem terram. Sed et ego similem conficio argumentationem ex testimonio Jonæ prophetæ, ubi sacer textus conceptis verbis affirmat navem euntem in Tharsis, ex Joppe Mediterranei maris portu notissimo solvisse : quis igitur contrarium audebit asserere, et transferre Tharsensem navigationem ad mare Rubrum? Ut minimum habemus tam manifestum sacræ paginæ testimonium, quam ipsi adversarii ; ac proinde quamquam nihil aliud pro nobis esset, hoc uno solo tam probabile fieret placitum nostrum, quam reputatur suum ab adversariis.

Si vero, quod probabilius sit, velimus diligenter perquirere, inveniemus multa probabilitate sententiam nostram superiorem : nam præter alia quæ statim adducemus, duo sunt quæ convincant testimonium illud de Asiongaber in mari Rubro nobis non obstare, hoc eo id quod ipsi putant significari, sed quod nos. Alterum est quod provincia ubi situs erat portus ille (quicumque sit, vocatus Asiongaber) in eodem textu determinatur, nimirum terra Idumæa; dicitur enim ibi (III Reg. IX) : *Classem quoque fecit Rex Salomon in Asiongaber quæ est juxta Ailath, in littore maris Rubri, in terra Idumææ;* et II Paralip. VIII : *Quæ est in terra Edom.* Terra autem Edom seu Idumæa non est confinis Rubro mari, quod Arabicum ex vicina Arabia nuncupamus, sed ab Occasu adjacet Mediterraneo, a Septentrione autem Judææ terræ promissionis, ut oculate quisque videre poterit in tabula geographica Abrahami Hortelii, quæ in suo Theatro orbis adest sub numero 66, cujus hæc sunt verba : *Judæa ab Occasu et Meridie juncta est Idumææ, incertis tamen limitibus;* et rursus : *Idumæi ab emersu Sirbonis lacus in Occasum habitant, quorum urbes Maresa, Rhinocorura, Gaza, Anthedon, Ascalon, Azotus.* Sunt autem omnes istæ civitates in littore Mediterranei maris ; et Sirbonis lacus est juxta Damiatam, apud quam Nilus in Mediterraneum per os orientalius labitur, et Azotus est portus proximus Joppe. Desumpsit id Hortelius ex Ptolomæo, Josepho, et aliis. Accipe etiam Strabonis verba in eamdem sententiam : *Judææ extrema occidentalia, Cassio proxima, Idumæi tenent, et lacus (ad mare autem) Sirbonis.* Id est, et lacus Sirbonis, seu Damiatæ, qui est ad mare; haud dubium quin Mediterraneum. Ut videas quantum distet portus ille Asiongaber ab eo mari quod Rubrum nuncupant; immo potius ad Mediterraneum situm fuisse ex eodem, ut vides, testimonio comprobatur : nam Idumæa non ad littus Rubri, sed Mediterranei adjacere monstratum est.

Illa vero 32 Israelitarum mansio dicta Asiongaber, alterius longe regionis erat, et ut minimum ad littus Rubri maris esse non potuit : numquam enim Israëlitæ ad littus illius ulterius appulerunt, postquam semel ab eo elongati sunt, et locus in quo describitur longe a mari Rubro distabat : inde enim primum in Cades devenerunt, ubi sepulta fuit Maria soror Moysi. Ubi autem fuerit Cades, audi verba Moysis Numer. XX : *Misit interea nuncios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent : Nosti omnem laborem qui apprehendit nos. Ecce in urbe Cades quæ est in extremis finibus tuis, positi, obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam.* Proxime igitur erant jam terræ promissæ, et ad Cades pervenerant, quæ erat in extremis finibus Edom, ut Idumæa transacta, terra desiderata potirentur. Nota, quæso, ubi textus sacer constituat terminos Edom, ut inde elicias quam prope terram Chanaam jam essent Israelitæ, et quam longe a Rubro mari ; præsertim cum in eodem Numer. XX cap. inferius dicatur, quod negato illis per Idumæam transitu, cum castra movissent de Cades, *Venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom,* ubi Aaron mortuus est. Et cap. XXI adjicitur quod illic in eo monte triumpharunt de Chananæo, qui illis obviam factus fuerat. Vide quam proxime erant terræ Chanaam promissæ. Quod autem dicitur ibi, *Profecti sunt autem de monte Hor per viam quæ ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom,* non eo tendit, ut velit iterum ad illud mare rediisse ; sed ut dicat, non recta a finibus Edom profectos fuisse, quippe qui per Idumæam transire vetiti, coacti sunt ipsam circuire, et in eo circuitu parumper retrocessisse per viam quæ ducebat ad mare Rubrum, quod ex ipsis quas egerunt mansionibus in capite XXXIII Numer. relatis manifestum fit.

Quid est ergo, quod illo III Reg. IX testimonio expresse scribitur, quod Asiongaber navium Tharsis portus erat in littore maris Rubri? Non difficilem habet solutionem. Immo vero hoc alterum e duobus illis est quæ pro nobis facere dixi. Nam in sacris litteris non semper *maris Rubri* nomen sinui Arabico accommodatur; aliquando enim mare Mortuum, sive Asphaltitem lacum significat, aliquando etiam ipsum Mediterraneum, tametsi frequentius Arabicum sinum denotet, quem Israelitæ sicco vestigio transegerunt. Demus utriusque acceptionis exempla. Exodi cap. XXIII, definiens Deus terram, quam, ut promiserat, daturus erat Israeli, tunc temporis in monte Sinai constituto, hæc inquit Moysi vers. 31 : *Ponam autem terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palæstinorum, et a deserto usque ad fluvium. Tradam in manibus vestris habitatores terræ,* etc. Nihil autem certius quam quod hoc loco verbum illud, *mare Rubrum,* Rubrum mare, ut vulgo sonat, non significet; nisi quis velit ab ipso transitu Rubri maris filios Israel terram calcasse promissam, quo uno dato rueret tota historia Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, et Josue, ac bona Psalmorum pars, in quibus nihil frequentius asseritur, quam eorumdem 40 annorum peregrinatio per desertum, et a promissa terra retardatio. Certe si mare Rubrum limes erat promissæ terræ, promittebat Deus in Sina monte quod jam dederat, sed istæ næniæ sunt. Igitur longitudinem promissæ terræ definit ab Ortu scilicet in Occasum, cum ait : *Ponam terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palæstinorum.* Et cum in confesso sit apud omnes, Palæstinorum mare esse Mediterraneum, utpote cujus ipsi habitabant littora, ut apud Strabonem, Josephum, et alios videre est, restat ut nomine *maris Rubri,* quod illi ab Oriente opponitur, mare Mortuum Deus velit significare ; ipsum enim Mediterraneo opponitur ab Oriente, et est promissionis terræ certus limes. Quare in originali Hebræo pro eo quod vulgatus hic vertit *Rubrum,* est *Suph,* quod propric significat id quod est finis, seu terminus :

BIVARII COMMENTARIUS.

cujus rei reperiuntur innumera in sacris litteris testimonia. Eccles. cap. VII, vers. 3 : *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii : in illa enim finis cunctorum admonetur hominum;* et cap. XII, vers. 13 : *Finem loquendi pariter omnes audiamus.* Utroque loco pro *fine* habetur *Suph.* Daniel. IV, vers. 8 : *Aspectus illius usque ad terminos universæ terræ;* et cap. VII, vers. 28 : *Huc usque finis verbi.* Utroque loco pro verbo *terminos*, et *finis*, habetur *Suph.* II Paralip. XX, vers. 16 : *Invenietis illos in summitate torrentis :* id est, in termino illius : ibi legimus etiam *Suph.* Et ut uno verbo multa comprehendam, quotquot auctores lexicorum sunt, sive Hebræi, sive Syri, sive etiam Chaldæi sermonis, Boderianus, Ferrerius, Arca Noe, et cæteri, docent his omnibus linguis verbum *Suph* nihil aliud quam terminum rei significare. Quo videas mare Palæstinorum et mare Suph quod vulgatus vertit *Rubrum*, mare Mortuum denotans, terminos fuisse longitudinis promissæ terræ ab Oriente in Occidentem. Quod autem in ejus definitione terræ additur, *et a deserto usque ad flavium*, latitudinis terminatio est; nimirum a Meridie, ubi est desertum Gazæ, usque ad fluvium, hoc est fluvii Jordanis geminos fontes, qui, uti apud Hieronymum legimus in comment. cap. XVI Matthæi, Jor et Dan nuncupantur, Jordanisque simul nomen efficientes ad radices Libani exstant : Libanum vero ipsum additionem Tyrii regis spectasse ex III Reg., cap. V, habemus. Quare et I Reg. III, et alibi sæpe, sic describuntur universi Israelis termini, ut a Dan usque Bethsabee extensus dicatur, videlicet a Dan fonte, Jordanis termino septentrionali, usque ad Bethsabee, quæ erat juxta Gazam seu desertum, terminum meridianum. Iterum designantur termini ejusdem terræ Num. XXXIV, et Orientalis vocatur mare salsissimum, id est, mortuum, Occidentalis vero mare magnum, videlicet Mediterraneum. Meridianus autem solitudo quæ est juxta Edom, et Septentrionalis magnus mons, scilicet Libanus. E quibus elicies mare *Suph*, idem esse quod salsissimum, vel Mortuum, non autem Rubrum. illud quod Ægyptum et Arabiam disterminat.

Simile testimonium habemus in principio Deuteronomii : *Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem, in solitudine campestri contra mare Rubrum :* et V. 5 additur *trans Jordanem in terra Moab.* Erat tunc temporis Moyses cum populo (ut dicitur Numer. XXXIII, 48; XXXV, 1) *in campestribus Moab supra Jordanem contra Hiericho*, postquam hæreditatem dederat tribubus Ruben et Gad, et dimidio tribui Manassis, in terris ultra Jordanem, quas a Moabitis acceperat, Numer. XXXII. En Moyses in limine promissæ terræ constitutus, et supra ipsum Jordanem dicitur esse in campestribus Moab contra mare Rubrum, et tamen mare quod in campestribus Moab exstat, est mare Mortuum, mare vero Rubrum seu Arabicum inde longissime distabat. Hebraice hoc item loco dicitur mare *Suph*, id est terminus, quia erat terminus terræ promissæ. Igitur mare *Suph*, quod nonnumquam vulgatus legit mare Rubrum, significat sæpe Mortuum. Significare etiam mare magnum seu Mediterraneum, irrefragabili argumento est Jonæ testimonium; ubi enim, cap. II, clamasse dicitur de ventre ceti, *Pelagus operuit caput meum :* in originali habetur, *mare Suph operuit caput meum.* Constat autem tunc temporis non fuisse opertum aquis maris Rubri, sed Mediterranei, non longe a Joppe portu.

Ex hoc autem ad scopum regrediamur, hoc tramite, ut mihi videtur fortissimo. Classis Salomonica et Hiramica, quæ tendebat in Tharsis et in Ophir, *erat in littore maris Suph*, III Reg. IX. Atqui navis Jonæ, quæ solvit e Joppe, ut iret in Tharsis, erat etiam in mari Suph, quandoquidem mare Suph operuerat caput Jonæ; unum igitur, idemque erat mare de quo III Reg. IX mentio fit, et de quo Jonæ, cap. I et II, et non aliud quam Mediterraneum, utpote ubi Joppe sita est : ac proinde, et Jonas in ultimas Occidentis partes fugiens ab Orientali Ninive urbe, tendebat, et Hiram ac Salomon mittebant classes suas in Occidentem per Mediterraneum mare. Dicebatur autem Mediterraneum mare *Suph*, seu *terminus*, præ cæteris appositissime, quia terras omnes, et provincias terminat; est enim terminus quo Europa, Africa, et Asia secernuntur, et ipsa quoque Palæstina, Syria, Cilicia, Græcia, Illyricus, Italia, Gallia, Hispania, Libya, Ægyptus, Macedonia, Creta, Cyprus, Sicilia, et aliæ inferioris notæ : quare recte Goropius eo dici vult mare Suph, quod universas disterminet terras.

Objiciunt adversarii, ex III Regum X constare, quod classis Salomonis tres annos navigando insumebat; si autem in Hispaniam, seu in Occidentem proficisceretur, neque unum annum insumeret. Rursus addunt in antiquis geographis non fieri mentionem portus Mediterranei, qui vocatur Asiongaber, et sit juxta Ailath. Verum utrumque falso assumitur. Nam textus sacer nullibi asserit classem in navigatione tres annos insumere solitam, sed quod non mittebatur in Tharsis nisi semel in tribus annis : *Semel per tres annos ibat in Tharsis* (III *Reg.* X); et II Paralip. IX dicitur, *Naves regis ibant in Tharsis semel in tribus annis :* videlicet tertio quoque anno mittebatur, aut quia aurum et argentum portabat in tanta quantitate, quod labori triennali artificum respondebat; aut quia commodius videbatur, simul una classe portare quod in auri et argenti fodinis tribus annis parabatur, aut ob alias causas nobis ignotas. Quidquid autem de hoc sit; ut minimum, solum constat semel in tribus annis ire solitam in Tharsis. Quod de Asiongaber objicitur, feliciter solvit Beccanus Goropius lib. V, in Hebræo scilicet legi *Gastion Gabar, quæ est juxta Eluth. Gastion* autem significat castrum, monumentum, seu arcem, et idem est atque *castrum Gabar*, seu *Gabriæ*, quod tamen Strabo constituit in littore Mediterranei, et Hortelius juxta Sirbonis lacum, in finibus Idumææ; Ptolomæus vocat *Bæto Gabriæ*. At *Eluth*, quam Syrus et Chaldæus vocant *Elus*, ab eodem Ptolomæo esse dicitur penultima civitas Idumææ, ut videas mirabilem rerum omnium consonantiam.

Accedunt proxime sententiæ nostræ Septuaginta Interpretes, et quotquot sacrarum litterarum Doctores habuit Græciæ Ecclesia universa, quandoquidem ii omnes pro *Tharsis*, Græce legunt *Carthaginem;* atque adeo profitentur ad eam non per Rubrum mare, sed per Mediterraneum naves proficisci solitas. Audiamus præ omnibus unum Theodoretum super Jonæ prophetiam hæc aientem : *Ex quibus colligitur non in Indiam Jonam, sed in Carthaginem fugisse.* Et causam addens, *Non navigatione hoc mari utens quis in Indiam proficisceretur* (solvens ex Joppe), *cum inter mare nostrum, et Indiam maxima intersit continens, ex parte una habitabilis, ex altera parte prorsus deserta; tumque plurimi et maximi montes interpositi sint, post quos est sinus maris Rubri, quocum Indicum mare conjungitur.*

Vidimus hactenus non in India Orientali, sed in Occidente orbis parte exstare Tharsis et Ophir : sed unde habemus esse in Hispania potius quam in Cilicia ad Tarsum Pauli Apostoli urbem, aut juxta Septuaginta in Africa ad Carthaginem? Nam idem Theodoretus (ubi supra) inquit de Tharsis loquens, *Carthaginem civitatem Libyæ principem, et B. Isaias, et admirabilis Ezechiel nuncupant.* Sane quod Tharsis Tarsus non sit, D. Hieronymus sufficienter refellit ad Marcellam scribens; et constat tum ex eo quod magnopere vicina est Palæstinæ; Scriptura autem

sacra navigationem magnam fieri significat in Tharsis: tum etiam quoniam Tarsus numquam tanto auro, argentove abundavit, quantum de Tharsis et Ophir afferebatur Salomoni, et Hiramo: ut sileam pavos, simias, et elephantos de Tharsis et Ophir allatos, minime Tarsi nec in universa Cilicia reperiri. Valeat proinde Josephus hujus Tharsis inventor; eo quoque sibi contrarius, quod Tharsis in Tarso, at vero Asiongaber in Rubro et Arabico mari constituat, lib. VIII Antiquit. Judaic. Rursus Carthaginem, in rigore loquendo, non esse Tharsis, diversitas nominis, et auri penuria convincit; quod autem Tharsis sit Hispaniæ Thartessus, nominis vicinitas et provinciæ, auri, argentique abundantia demonstrat. Strabo, lib. III Geogr., auctor est in Hispania, *inter gemina ostia Thartessi amnis* (nimirum Bætis) *fuisse situm oppidum ejus nominis;* de incredibili vero ejus provinciæ auri argentique feracitate testatur inquiens: *Aurum, argentum, æs, nusquam terrarum neque tantum, neque tam probatum generari usque ad Tiberii tempora compertum est, quam in Hispania,* quod solum testimonium ad demonstrandum propositum superesset. Subscribit Straboni Pausanias in Eliacis; Stephanus autem Bizantius una utrumque conjunxit, *Thartessus*, inquiens, *Iberiæ urbs dicta a flumine, quod ex argenteo monte fluit*, id est, a Bæti. Claudianus, lib. I in Ruf., dixit:

Non Thartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi.

Unde inter superfluas exuberantesque divitias, quas Anacreon respuisse dicitur, unum erat ejus apophthegma, *Nolle se Thartessi centum quinquaginta annos imperare:* illum Thartessiacum regem Argantonium significans, de quo Silius Italicus, lib. III Punicorum, dixit:

Argantoniacos armat Cartheia nepotes,
Rex prisvus fuit humani ditissimus ævi,
Ter denos decies emensus belliger annos.

Erat vero Cartheia urbs Thartesiacæ ditionis; immo et ipsa credita Thartessus a quibusdam, ut notavit Mela, l. III, cap. 6, de Freto Gaditano agens; atque eamdem ob causam Gades ipsæ aliquando Thartessus dictæ reperiuntur: Cum tamen ab ejus nominis urbe, in ostio Bætis olim exstante, provincia tota, eamdem nuncuparetur nomenclatura: quo pacto locutus videtur Ovidius, Metamorph. XV, cum dixit,

Præserat occiduus Thartesia littora Phœbus.

Et Ausonius:

Condiderat jam solis equos Thartesia Calpe;
Stridebatque freto Titan insignis Ibero.

Auri deinde tanta Thartesiaci copia fuit, ut Homerus (Strabone auctore) et Suidas illuc Plutonis regnum, Avernum lacum, atque campos Elysios constituerint; nam inibi Elisam fuisse non difficulter ex Ezechiele, cap. XXVII, elicimus, cum Tyro Thartesi domino ait: *Hyacinthus et purpura de insulis Elisa, facta sunt operimentum tuum;* etenim Elisam et Tharsis fratres, in Occidente simul urbes condidisse, et totam Japheticam populationem Occidentalem insulas gentium fuisse nominatas ex cap. X Genes. liquet: eo præsertim quod nullibi tam exquisita purpura fuit, quam Thartesi; unde Martialis de Toga Partheniana dixit lib. VIII epigr. 27:

An Thartesiacus stabuli nutritor Iberi
Bætis in Hesperia te quoque lavit aqua?

Nunc vero Granatensis celebris est. Baderianus auctor est, voci Hebrææ Tharsis in Chaldæo respondere *Cheman Jama*, quæ aliquando (ait) *ponitur pro colore cramesino*, et multoties pro hyacinthino, ut verum sit de Hispanæ Thartesi domino, *Hyacinthus et purpura operimentum tuum*. Cordubam quoque A unam esse ex Thartesiacis ditissimis urbibus, idem Martialis lib. IX, epigram. 61 refert:

In Thartesiacis domus est notissima terris,
Qua dives placidum Corduba Bætin amat.
Vellera nativo pallent ubi flava metallo,
Et linit Hesperium bractea viva pecus.

Longum esset, ne dicam impossibile, regionis Hispanæ divitias enumerare, quæ passim apud auctores leguntur. Plinius dixit: *Metallis, plumbi, æris, argenti, auri tota ferme Hispania scatet.* Quod in causa fuit ut Catullus cuidam dixerit, *Cuniculosæ Celtiberiæ fili*, vocans Celtiberiam Hispaniæ provinciam cuniculosam, quod auri fodinis scateret, ut Textor in sua Cornucopia commentatur. Papinius autem lib. III Sylv.:

Quidquid ab auriferis ejectat Iberia fossis.

Alibi Plinius: *Vicena millia pondo auri annis singulis Asturiam atque Gallæciam et Lusitaniam præstare:* Et Silius Hispanus quidem, et Thartesiacus: B

Sed sceleri causas aperit Deus improbus Astur,
Visceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix effosso concolor auro.

Sed quid peregrinamur ad gentes, cum canonicum sacrumque testimonium præbeat nobis Machabæorum liber I, cap. VIII: *Et audivit Judas nomen Romanorum, et quanta fecerunt in regione Hispaniæ; et quod in potestatem redegerunt metalla argenti et auri, quæ illic sunt.* Et Bernardus, lib. III de Consider., cap. 1: *Vestri qui terram Austri sæpe visitant, eunt, et redeunt per medium illorum, aut transeunt secus; sed quid boni adhuc cum illis egerint necdum audivimus: et forsitan audivissemus, nisi præ auro Hispaniæ salus populi viluisset.* Cum asserit præ auro Hispaniæ viluisse populi salutem, non loquitur de legatis qui in Hispaniam, sed de his qui ad Austrum proficiscebantur: quare et ibi quoque aurum Hispaniæ ob excellentiam pecunia vocabatur. Quod si vestigium Salomonicæ navigationis desideratur in Hispania, C non desunt auctores qui Hebræum lapidem inventum esse affirment, in ruinis Saguntì veteris, epitaphium nimirum Adoniram, regis Salomonis clientem, de quo fit mentio III Reg. v. 14, qui in Hispaniam cum classe trajiciens inibi diem clausit extremum. Sic refert Morales in Antiquit. verbo *Sagunto*, fol. 77.

Si demum ex antiquis Patribus quæratur, qui rem ipsam testetur, habemus in primis Anonymum supra citatum, vel ob suam vetustatem venerandum, qui expresse affirmat, Tharsis in Bætica Hispaniæ provincia exstitisse (ejus verba dedimus in superioribus). Habemus etiam magnum illum Sinaitam Athanasium, qui eo magis amplectendus est, quod apud Sinaim degens non longe a Rubro mari, deberet illum portum Asiongaber, et navigationem Salomonicam in gratiam suæ provinciæ defendere; nunc autem nihil minus facit, sed Hispaniam affirmat veram fuisse Tharsis. En ejus verba lib. X Hexaemeron, dum exponit illa Genesis II verba: *sed et* D *serpens erat*, etc.: *In III lib. Regum* (ait) *invenimus navem Salomonis singulis tertiis annis venire in Tharsis, quæ est Hesperia regionis Occidentalis.* Addo Theodoretum super Jonam, qui postquam præmitteret Tharsis apud Isaiam et Ezechielem significare Carthaginem Libyæ principem urbem, addit: *Sed et Libyci et Afri etiam nuncupati Hesperiam orbis partem occupant:* nimirum quia, ut Mela inquit lib. III, c. 6, urbem *Tarthessos* Bæticam, *transvecti ex Africa habitabant Phœnices.* Quasi dixerit, eo Carthaginem vocari Tharsis, quia Tyrii seu (quod idem est) Phœnices ejus fundatores, transvecti ex Africa Thartessum habitabant, non vero quia ipsa Carthago esset vera Thartessus, seu Tharsis; eodemque sensu septuaginta Interpretes Carthaginem Tharsis vocaverunt, quia nimirum a Carthaginensibus habitabatur, et ipsi dominabantur in illam. Eo-

A. C. 68. Sancti principes apostolorum Petrus et Paulus Romæ III. kalendas Julii, alter in crucem actus est, alter ense jugulatur. A. R. 819

BIVARII COMMENTARIUS.

dem spectat illud Ezechiel, 27 : *Carthaginenses* (Hebraice, Tharsenses) *negotiatores tui; a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas.* Hæc enim non aliunde quam ex Tharsis Hispaniæ Carthaginenses Tyrum asportarunt. Sed et illud Psalm. XLIV, *Filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis;* ad urbes ædificatas a Tyriis, seu ejus ditioni subjectas, dictum fuit ; nulla autem ex filiabus Tyri tam dives quam Thartessus, et de ea potius dicatur, quod in muneribus vultum Ecclesiæ deprecatura erat.

Et quoniam præcipuus navigationis scopus, aurum et argentum et gemmæ erant, hoc autem præcipue a Thartesso seu Tharsis habebatur, hinc factum ut naves classis Tyriæ et Salomonicæ vocarentur *naves Tharsis;* ut illud Psalmi ostendit, *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis;* et ipsum Mediterraneum qua illac tendebant, Tharsis quoque diceretur, ut apud Isaiam XXIII, *Ululate, naves maris,* quamquam appositissime reddi posset *naves Tharsis.* Illud etiam Psalm. LXXI, *Reges Tharsis et insulæ munera offerent; reges Arabum,* etc., docte Goropius cum proprietate de Thartesso dictum credit ; quasi Psalmista diceret: Ab Occidente in Orientem usque, sive uti ipse præmiserat, *Et dominabitur a mari usque ad mare* (quod Theodoretus exponit a mari Hesperiæ usque ad Eoum Indiæ), Reges obedient Christo. Hinc etiam gemmæ illæ, quæ de Thartesso afferebantur, a loco Tharsis nomen sortitæ sunt, ut apud Ezech. cap. XXVIII et Exodi similiter XXVIII et Cant. V videre est.

Cum vero Tharsis Thartessum seu regionem Hispaniæ significet, facile erit celebrem Isaiæ prophetiam callere, quod nimirum velit, cum cap. LXVI prædicens apostolorum prædicationem, et mundi conversionem, inquit: *Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes, in mare, in Africam, et Lydiam, tendentes sagittam, in Italiam et Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam.* Quo loco ubi Vulgata legit *in mare,* originalis textus Hebræus habet *in Tharsis,* et Septuaginta servant illud tamquam regionis proprium nomen, ut Tharsis sit prima provinciarum, ad quas apostoli mittuntur; neque enim missi sunt in mare ad prædicandum ipsi ad gentes, sed primum quidem in Tharsis, deinde in Africam et Lydiam, ac deinde in Italiam et Græciam. Pulcherrima sane ac nobilis prædicationis S. Jacobi apostoli prædictio ista fuit, et Tharsis veteris seu Tharsensis provinciæ (sic enim a parte tota Hispania cognominatur) ad Christi fidem conversionis ante alias omnes gentilium provincias ; eo enim primo loco mittendus dicitur quidam ex his qui salvati fuerunt, videlicet in Tharsis ; et sic Deo duce in Jacobo apostolo factum vidimus cum Dextro in superioribus. Et istud quoque intentum nostrum non parum juvat; si enim primum omnium mittendus erat apostolus aliquis in Tharsis ad gentes, profecto Tharsis non erit Indiæ locus; non enim primum in Indiam apostolorum aliquis missus fuit ; atqui satis superque probatum est a nobis primam gentilium provinciam ad fidem conversam fuisse Hispaniam, sancti Jacobi et discipulorum ejus prædicatione ; ea igitur vera est Tharsis, de qua loquitur Scriptura sacra.

Demum non parum faciet Ophirinæ navigationi ad Bracaram urbem, et regionem fieri solitæ, Ausonius lib. *Nobilium urbium,* dum urbes alias variis decantans laudibus, solam Bracaram asserit se jactare de sinu Pelagi et divitiis; nam ait :

> Jure mihi post has memorabere nomen Iberum,
> Emerita æquoreus quam præterlabitur amnis,
> Submittit cui tota suos Hispania fasces
> Corduba ; nam non arce potens tibi Tarraco certans,
> Quæque sinu pelagi jactat se Bracara dives.

Sed de Tharsis et Ophir dicta sufficiant.

A. C. 68. — *Sancti principes apostolorum,* etc. Non infirmæ notæ auctores tam in anno, quam in die passionis utriusque apostoli assignando a Dextro dissentiunt. Etenim non uno eodemque die, sed post integrum annum a Petri nece, occisum Paulum docuere Augustinus sermo. 28 de Sanctis, Arator lib. 2 in Acta apostol., et Prudentius hymno 12, inquiens :

> Unus utrumque dies pleno tamen innovatus anno,
> Vidit superba morte laureatum.

Cæterum nescio quid hæretici nonnulli sibi eodem Prudentii et Augustini ævo voluerint hanc sequentes opinandi rationem; constat nihilominus damnatos in concilio Romano sub Damaso ubi hæc legimus : *Paulus non diverso, sicut falso hæretici garriunt, sed uno eodemque die cum Petro, in urbe Roma sub Cæsare Nerone coronatus est.* Crediderim eos asseruisse alia ejusdem vel sequentis mensis die Paulum quam Petrum occisum, non autem eodem die sequentis anni, ut vult Augustinus. Sed quidquid de illis sit, concors est jam in Ecclesia a Patribus per manus accepta sententia, eodem prorsus anno, et die pariter ex hac vita sublatos : eamque docuit Epiphanius hæresi 27, Maximus sermone de SS. Petro et Paulo, Cassiodorus in Chronico, Metaphrastes, Eusebius, et alii.

Quo autem Christi anno id acciderit, varie senserunt auctores. Eusebius in Chronico rejicit mortem apostolorum ad annum 70 ; Cassiodorus in suo ad 71 ; horum vero placita communi calculo rejiciuntur. Constat enim Neronem, qui eos occidit, supervixisse unum fere annum, et tamen non pervenisse ad 71 vel 72 Christi, ut oportebat consequenter fateri. Solum igitur dubium relinquitur de annis 69 vel 69, uter illorum passos noverit principes apostolorum. Cardin. Baronius, tomo I Annal. Eccles., et Notis ad diem 29 Julii Rom. Martyrologii juxta veriorem supputationem passos contendit anno 69. Dexter vero, ut vides, anno 68, cujus mihi placitum multo magis arridet ; arrisitque prius doctissimo Ambrosio de Morales lib. IX Hist. Hisp., cap. 19, cujus de annorum historicorum supputatione non vulgare judicium, et eximia diligentia fuit. Desumo quoque idipsum ex Epiphanio, hæres. 27 asseverante, necatos fuisse anno 12 Neronis ; si autem ab anno Domini 55, Neronis regnum enumeres, ut communiter auctores faciunt, fiet ut annus ejus 12 in annum Domini 68 incidat. Baronius contendit accepisse imperii habenas anno Domini 56. Verum hoc etiam pacto si ipsum 56 inclusive prout oportet accipiatur, adhuc annus 12 imperii in prædictum 68 incidet. Sane non valde in homine (quantumcumque doctissimo) mirandus est memoriæ lapsus : docuerat is quippe sententiam nostram in Notis ad 24 Junii agens de illis martyribus quos Nero incendii Romani crimine falso notatos necaverat, ubi hæc ait : *Cæpta est ejusmodi tam dira Urbis incensio* XII *kalend. Sextilis, sexque diebus duravit, Basso ac Frugi cons., qui annus a Recentioribus numeratur a Christo Domino* 65. *Contigitque horum martyrium triennio ante passionem apostolorum.* Cæterum si annis 65 triennium addas, non conficies 69, sed 68, quo anno ipse nunc fatetur apostolos neci datos. Sed affert in suum favorem Metaphrastem referentem pro eodem placito, Caium antiquum theologum, Zephirinum Papam, et Dionysium Corinthiorum episcopum, quod asserant occisos fuisse anno 36 a passione Dominica ; si vero ab anno

A. C. 69. IV idus Junii, Nero sceleratissimus se suis manibus occidit. A. R. 820.
Petro in sede Pontificali Romana succedit Pontifex Linus.
70. Servius Galba Romanorum post imperator, qui dicitur in Hispania cum Vitellio Christianos multum cruciasse, a veteranis in Hispania commorantibus declaratur imperator. 821.
M. Silvius Otho, necato Galba, Romanorum fit imperator.
Aulus Vitellius Germanicus imper. mens. 8, diem unum.
Heracleæ in Hispania prædicat S. Aquila Ponticus, missus ab apostolo Paulo in Hispanias prædicationis causa.

BIVARII COMMENTARIUS.

34 inclusive numeres annos 36, pervenies ad 69. Sed hoc profecto secure diceretur, si constaret, quid ipsi sentirent de anno mortis Domini; multi enim, iique gravissimi, Patres existimarunt crucem subiisse anno 33 ætatis suæ (sic Origenes, Tertullianus, Hieronymus, Eusebius, et alii a nobis relati ad annum Christi 31), quibus si illi astipulantur, cum annus mortis inclusive sit accipiendus, fiet ut anno 68 fateantur apostolos occisos, tot enim a 33 ad 68 usque intersunt. Sin minus aientes forsitan anno ætatis 34 in crucem actum Dominum, et post 36 Petrum et Paulum martyrio sublatos, erit ut anno Domini 69 id contigerit. Sed quid de anno mortis Dominicæ senserint sibi servarunt, et neutri obesse, vel prodesse proinde poterunt. Sed et in Vita S. Photinæ Samaritanæ (de qua supra mentionem fecimus ad annum 60) expresse dicitur ipsa a Nerone martyrio coronata anno Domini 69, die 20 Martii, eodem anno quo Nero ipse occisus est: cum autem constans sit apud omnes, etiam apud Græcum auctorem martyrii S. Photinæ, Neronem uno fere anno post apostolos periisse, fit ut ipsi anno Domini 68 coronati fuerint.

Ut uno igitur verbo Petri præcipua facinora comprehendam, anno Domini 36, postquam in Samariam cum Joanne descendit, Antiochiæ cathedram erexit, post septem ejus annos (ut Gregorius affirmat in Registro, lib. VI, epist. 37 ad Eulogium Alexandrinum episcopum, liber Pontificalis, Eusebius, et alii), videlicet anno Domini 44 fundavit Romanam, de quo diximus ad annum ipsum cum Dextro: ac demum post 24 annos in ea exactos mortem pro Domino oppetiit anno 68.

A. C. 69. — 1. *Idus Junii*, etc. Eusebius in Chronico hæc habet: *Nero cum a senatu quæreretur, e Palatio fugiens ad quatuor Urbis M. in suburbano liberti sui, semet interfecit, anno ætatis suæ* 32, *atque in eo omnis Augusti familia consummata est.* Cæterum cum id acciderit 10 die Junii, fieri nequivit ejus casus nisi fere post annum a morte apostolorum, scilicet anno Domini 69.

2. *Petro in sede*, etc. Dixerunt nonnulli S. Linum fuisse quidem Petri superstitis in Romana sede dumtaxat coepiscopum et coadjutorem, obisse vero ante mortem ipsius, atque adeo non fuisse Pontificem summum, quod Metaphrastes quidem docuit ad 29 Junii, et Panvinus sequitur. Sed Dexter potiorem sequitur partem, asserentium, Petro supervixisse ac successisse; hi sunt Tertullianus, lib. III Carminum in Marcionem; Irenæus, lib. III, cap. 3; Epiphanius, hæresi 27; Augustinus, epistola 161; card. Baronius cum majori recentiorum parte. Quando autem fuerit suffectus in Petri apostolorum principis locum, sub lite etiam est. Baronius suspicatur ab ipsa die martyrii S. Petri Pontificatum iniisse, eo tamen ductus, quod (anno Domini 80, num. 1): *Cum non appareat quot diebus alicujus Pontificis sedes vacaverit, a die sequenti obitus præcedentis, annos ejus qui subrogatus est cogimur numerare.* At ut vides hæc non est secura, et exacta supputatio. Equilinus cum sub Nerone occisum Linum dicat, ut minimum ante obitum Neronis subrogatum fateatur necessum est. Dexter post Neronis necem suffectum arbitratur, magna cum ratione; etenim anno illo quo Nero superstes fuit, tam dira in Romana Ecclesia sæviit A persecutio, ut satis verisimile sit, non potuisse clerum ad electionem novi Pontificis convenire. Illo autem e medio sublato, quamprimum Christianis datus est respirandi locus, simul in unum coeuntes, Clemens nominationi a Petro in suum favorem factæ (si tamen factæ) cessit, et de novo Pontifice deligendo tractatum est, atque tunc temporis Linus in Petri sedem subrogatus. De annis sui Pontificatus agemus inferius.

A. C. 70. — 1. *Servius*, etc. Egerat Servius Sulpitius Galba citerioris Hispaniæ præfectum annos 8, primum quidem severissimum se gerens erga Christianos, in quo Aul. Vitellius eum acriter juvit; deinde placidum ac benevolum; quod in causa fuit, ut Julius Vindex Galliæ Narbonensis præses, contra Neronem, quasi idolum contra idolum, eum imperatorem erigeret. Ipsum nihilominus, tametsi renuentem in principio, postmodum assentientem, Silvius Otho apud novam Carthaginem paulo ante Neronis mortem acclamavit. Quid vero hujus rei audito nuntio B fecerit Nero, audi Suetonium in Nerone cap. 42, cujus etiam Belvacensis verba refert lib. 9 Speculi Histor., cap. 118: *Ubi de motu Galliarum cognovit, adeo lente ac severe tulit, ut gaudendi suspicionem præberet, tamquam occasione sublata spoliandarum, jure belli, opulentissimarum provinciarum. Postquam autem etiam in Hispanias defecisse cognovit, collapsus animo, diu sine voce velut mortuus jacuit.* En quanti Hispaniarum imperium æstimabat. E medio deinde sublato Nerone, iterum Galba a militibus in Hispania imperator acclamatur: Romam proficiscitur, quo loci post menses 7 et dies paucos ab M. Silvio Othone interficitur: qui sibi imperium præripuit (fuerat is antea quæstor Lusitaniæ, sub Nerone, atque ut Morales tradit lib. IX Hist. Hisp., lapides Neroni erexerat in titulum et trophæum regionis a latronibus, et his qui novam religionem inculcarant, purgatæ), sed post tres menses semetipsum manu propria peremit. Huic successit A. Vitellius, illique per manus C Cluvii Rufi Hispania se subjecit. Occiditur vero a Vespasiani ducibus, cum egisset menses 8 in imperio. Sic referunt Romanarum rerum scriptores, ex quibus id desumpsere Ambrosius Morales, lib. IX Hist. Hisp., et cardin. Baronius tomo I Annal. Dissident tamen quod hic putat hæc ita accidisse, ut Galba fuerit occisus die 16 Januarii anni Domini 71, Otho se peremerit 20 Aprilis, Vitellius vero peremptus sit 3 Octobr. ejusdem anni. Sed Morales anno 70 Domini evenisse contendit, quod Dexter amplectitur: Eusebius ita in Chronico hæc refert: *Post Neronem Galba in Hibernia* (id est Hispania), *Vitellius in Romanæ urbis foro, capite truncatur. Otho* 3 *regni sui mense apud Bebriacum propria manu occubuit. Vitellius* 8 *imperii sui mense a Vespasiani ducibus occisus in Tiberim projicitur.* Sed in anno designando errat, utpote qui necem Neronis in annum Domini 70 distulerit.

2. *Heracleæ*, etc. Hujus nominis multæ fuerunt olim civitates in orbe: Ptolomæus unam collocat in D Sicilia, in Syria duas, in Media unam, unam etiam in Thracia; alteram in Macedonia, quam *Sinticam* vocat: prope Paludem Mæotidem, unam in Taurica Chersoneso; apud Pontum et Bithyniam aliam, ac demum unam in Asia Minore. Ejus vero de qua Dexter agit, meminit Strabo lib. III, asseritque sitam

A. C. 70. In Arabia Felice civitate Sessaniæ Adrumentorum, martyrium sanctorum regum trium Magorum, Gasparis, Balthasaris, et Melchioris, qui Christum adoraverunt. A. R. 821.

BIVARII COMMENTARIUS.

juxta fretum Gaditanum in ea continentis parte, quæ ab Oriente proxime adjacet ipsi Gaditanæ Insulæ. Consonat aliis locis Dexter, nam ad annum 296 ait: *Heracleæ in Hispania, prope fretum Herculeum*, etc.; ad annum autem 300: *Urbe Heraclea, in Calpe Hispaniæ*, etc. Joannes Mariana lib. XVI Hispan. Historiæ, cap. 2, existimat esse Calpem ipsam, seu *Gibraltar*, quod idem est; fallitur tamen, nam ut vides ex Strabone, in alio interiori situ constituitur proximo Gadibus.

In hanc igitur urbem missus fuit ab apostolo Paulo prædicandi gratia, Aquila genere Ponticus. Fuerat is cum uxore Priscilla (seu Prisca) ejectus Roma cum cæteris Judæis; et primum quidem venit Corinthum, ubi Paulum hospitio suscepit, habuitque artis suæ scenofactoriæ operarium: deinde perrexit Ephesum, quo loci virum illum celeberrimum Apollo Alexandrinum diligentius quam esset, in fide instruxit. Audi S. Lucam cap. XVIII Actor.: *Posthæc egressus Paulus Athenis venit Corinthum: et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem ejus (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma), accessit ad eos. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur: erant autem scenofactoriæ artis* (eorum scilicet qui pelles parabant ad papiliones, et tentoria conficienda, seu ad aulæa ex pellibus depictis, ac deauratis construenda, quos vulgo in Hispania *Guadamazileros* vocamus. Sic ex Beda et Chrysostomo desumo). Sequitur Lucas: *Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valedicens, navigavit in Syriam, et cum eo Priscilla et Aquila, devenitque Ephesum; et illos ibi reliquit.* Et paucis interpositis: *Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, et fervens spiritu, loquebatur, et docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla et Aquila, assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei viam Domini*, etc. Oportebat sane doctissimos in fide fuisse eos qui tam eruditum virum plene instruxerunt in Christi fidei mysteriis.

Dum hæc Ephesi agerentur, scripsit Paulus Epistolam priorem ad Corinthios, Ephesi apud Priscillam et Aquilam moram faciens; unde in calce ipsius salutem ad Corinthios mittit ipsorum nomine inquiens: *Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla, cum domestica sua Ecclesia, apud quos et hospitor.* Iude Claudio e medio sublato, ac Nerone imperante circa annum Domini 58, iterum Romam redierunt: nam tunc temporis scribens Paulus, Corinthi existens, ad Romanos, paransque iter per ipsos facere in Hispaniam, ait: *Salutate Priscam et Aquilam adjutores meos in Christo Jesu (qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed cunctæ Ecclesiæ gentium) et domesticam Ecclesiam eorum.* Quo loci Chrysostomus in homilia speciali quam de Priscilla et Aquila scripsit, multa in eorum laudem undecumque congerit. Iterum autem Roma in Asiam secessisse ex Epistola II, Pauli ad Timotheum deducitur. Scribens enim ad ipsum, ut ad se veniat cito, quatenus cum eo jam solutus e vinculis Neronianis in Hispaniam (quod ad Hebræos scripsit) proficisceretur: jubet ut illos salutet, *Saluta* (ait) *Priscam et Aquilam.* Quo videas quantam sollicitudinem pro Evangelio gererent, quam solliciti atque diligentes hinc inde sæpe ab Occidente in Orientem, et ab Oriente in Occidentem ambularint. Cæterum dubium non est cum Timotheo rursus Romam concessisse, aut paulo post; et ab A Apostolo Aquilam cum Priscilla in Hispaniam missos, nam ut Dexter asseverat, ibidem Heracleæ prædicavit Aquila: id quod Dorotheus in synopsi scribit: immo vero ejusdem urbis inquit designatum fuisse antistitem (ita ex Dorotheo refert Baronius in Notis ad diem 8 Julii martyrol. Roman.), tametsi is non explicet, ubinam urbs illa Heraclea sita esset. Unde quoniam in Bithynia, Asiæ Minoris provincia, una ex Heracleis existit, hinc multi decepti asseruerunt in Asia Minori obiisse. Sed de hoc agemus cum Dextro ad annum Domini 95.

3. *In Arabia Felice*, etc. Ex Arabia Felice ortos, indeque in Bethleem adoraturos Dominum in stabulo, ivisse Magos illos Evangelicos, docent Justinus in Tryphone; Tertullianus contra Judæos, et lib. III contra Marcionem; Cyprianus serm. de Stella et Magis, Epiphanius in Epitome, reges vero fuisse (regulos intelligo) scribunt Tertullianus, et Cyprianus relatis locis, Chrysostomus hom. 6 in Matth., Hilarius lib. IV de Trinit., Basilius homil. de humana Christi B Generatione, Idacius ad Varimundum. Addit vero Chrysostomus, quem Equilinus refert lib. II, cap. 48, Magos istos (id est, sapientes) et in astrorum cognitione peritos, a Balaam originem duxisse, et ex illa phophetia ipsius, *Orietur stella ex Jacobo*, etc., in cognitionem tandem novæ stellæ Christi ortum publicantis venisse. Sed quomodo? *Quidam secretorum inspectores elegerunt de ipsis duodecim, et si quis moriebatur, filius ejus substituebatur. Hi per singulos annos post messes, ascendebant super montem excelsum, qui dicitur Victorialis, et tribus diebus ibi morantes se elevabant, Deum orantes ut stellam a Balaam eorum patre prædictam ostenderet. Et sic successive terni, et terni, omnes duodecim faciebant. Dum autem isti tres reges in nocte Nativitatis Domini ibidem reperirentur, stella de novo creata eis apparuit, et natum regem Judæorum indicavit, eosque ad eum adorandum invitavit.* Rursus refert Equilinus, quod *tametsi omni relicta gentilitate exinde fideles exstitissent, Baptismum* C *tamen non susceperunt, donec dispersis apostolis ad prædicandum, a S. Thoma apostolo, qui apud Indiam prædicavit, baptizati sunt; et in fide Christi confirmati, ejusdem in prædicatione coadjutores fuerunt.* Hæc Equilinus. Verba autem Chrysostomi in homil. 2 imperfecti operis in Matth. hæc sunt: *Legi apud aliquem, istos Magos ex libris Balaam apparituræ hujus stellæ scientiam accepisse. Audivi etiam aliquos referentes de quadam Scriptura, et si non certa* (id est, canonica), *tamen non destruente fidem, sed potius delectante, quoniam erat quædam gens sita in ipso principio Orientis juxta Oceanum, apud quos ferebatur quædam Scriptura, inscripto nomine Seth, de apparitura hac stella, et muneribus ei hujusmodi offerendis, quæ per generationes studiosorum hominum, patribus referentibus filiis, habebatur deducta. Itaque elegerunt se ipsos 12*, et cætera quæ ab Equilino relata sunt. Subditque: *Apparuit illis habens in se quasi formam pueri parvuli, et super se similitudinem crucis, et docuit eos, et præcepit eis, ut proficiscerentur in Judæam.* D *Proficiscentibus autem eis, per biennium præcedebat stella, et neque esca neque potus defecit in peris eorum.* Et post pauca: *Cum reversi fuissent, manserunt colentes et glorificantes Deum studiosius magis quam primum; et prædicaverunt omnibus in genere suo, et multos erudierunt. Denique cum post resurrectionem Domini Thomas apostolus ivisset in provinciam illam, adducti sunt ei, et baptizati ab eo facti sunt adjutores prædicationis illius.* Hactenus Chrysostomus. Sane si S. Thomæ in Evangelio coadjutores fuerunt, nihil mirum quod a Dextro mors eorumdem protrahatur in hunc 70 Christi annum; oportuit tamen ad centesimum et forte aliquot annos amplius eorum aliquem

A. C. 70. Imperator Cæsar T. Flavius Vespasianus imperat annos 9, menses 6. A. R. 821.
Per hæc tempora delatus in Asiam S. Joannes cognomento Theologus, docebat Ephesi, unde scripsit ad Caium Hispanum C. centurionis Malacitani filium, fratrem

BIVARII COMMENTARIUS.

pervenire; præsertim si verum esset quod idem Equilinus refert, et picturis antiquissimis indicatur, seniorem Gasparem, quo tempore Bethleem petierunt, fuisse 60 annorum, medium Balthasarem quadraginta, juniorem Melchiorem viginti : sed numquam ad credendum adducar, quod aliquis eorum ad sexagesimum tunc temporis ascendisset, quandoquidem non eis pollerent viribus, quæ ad tam longum iter conficiendum paucissimis diebus necessariæ essent.

Quod ad numerum illorum spectat, D. Leo sermone 1 et a 4 usque ad 8 de Epiphania tres dumtaxat fuisse docet, quod Rupertus et Beda sequuntur, qui tamen in collectaneis eos suis vocat nominibus, ut similiter facit Equilinus citato loco. Non tamen assentior ei, quatenus dicit quod eorumdem nomina Hebraica sint *Appellius*, *Amerius*, *Damascus;* Græca vero *Galgalath*, *Malgalath*, *Sarrachin;* Latina autem *Gaspar*, *Balthasar*, *Melchior* (ut minimum) Latina non sunt, sed Chaldæa, ut de Balthasare constat apud Danielem. Eadem nomina Gasparis, Balthasaris, et Melchioris habet Maurolicus in suo Martyrologio, et multi recentiores ; satisque traditione constat, qua in eorum venerationem multi Christianorum nomina illorum sibi usurpant in baptismo. Rursus Equilinus putat naturali morte sublatos : Dexter vero martyrio. Sed et in hoc standum Dextro, utpote antiquiori, et diligentiori. Placet tamen Equilini verba referre, quibus translationes corporum sanctorum trium Magorum describuntur lib. IV, cap. 45 : *Eustorgius episcopus natione Græcus ab imperatore Constantinopolitano legatus ad Mediolanenses missus est. Qui tam gratus exstitit civibus, ut ipso inde redeunte, cum sedes vacasset, ipsum archiepiscopum eligerent. Sed ille inconsulto Principe, electioni noluit consentire. Sicque Constantinopolim rediit, et imperatori quod factum fuerat nuntiavit. Imperator vero gratissimum habuit, eumque consecrandum Mediolanum remisit. Insuper trium Magorum corpora in arca maxima sepulta dudum de Perside Constantinopolim adducta, Eustorgio pro munere concessit : quæ sanctus in navi usque ad portum detulit. Cum autem arcam cum corporibus currui imposuisset* (Januæ videlicet) *et junctis pluribus paribus bonum eam trahere non possent : divina revelatione duæ solum juvencæ pauperculæ mulieris devotæ, plaustro appositæ levissime currum trahebant; quarum unam in itinere lupus occidit. Moxque sanctus Episcopus lupo mandavit, ut vicem juvencæ Mediolanum usque suppleret. Statimque lupus omni deposita feritate mansuetus vehiculo se exhibuit, et junctus una cum alia juvenca Mediolanum currum pertraxit : ubi sanctorum Magorum corpora tumulata quieverunt, usque ad tempus Frederici imperatoris cognomine Barbarossa, quo tempore, Mediolano everso, arca illic dimissa, Sanctorum corpora Coloniam translata sunt.* Ubi hodieque magno Christiani populi concursu venerantur. De eisdem translationibus agit Echius in homil. de S. Thoma apostolo, et inter recentiores Illescas 1 part. Hist. Pontif., Trugillus in Thesauro concionatorum, et alii.

4. *Imperator*, etc. Hoc ipso Christi 70 anno imperium arripuisse Vespasianum, cum Dextro narrat Morales lib. IX. Fuerat is a Nerone Hierosolymam missus, et in totam Judæam, quæ Festi Flori avaritiam non ferens rebellarat contra Romanos. Regreditur autem Romam, ut imperium invaderet, Tito filio cum exercitu in Judæa relicto, ut cum Josepho cæteri auctores rerum Romanarum enarrant. De annis imperii Vespasiani conveniunt omnes exegisse 9, sed non complevisse 10. Eusebius in Chronico putat imperasse ann. 9, mens. 11, dies 22, nimirum per 8 dies non complevisse annos 10; Baronius vult ei tantum dies 6 defuisse. Dexter solum illi dat menses 6, supra annos 9, nisi mendum sit in codice.

5. *Per hæc tempora*, etc. Hoc est, sub Vespasiano, scripsit ad Caium Joannes tertiam suam epistolam, quæ incipit, *Senior Caio* (seu quod idem est Gaio) *charissimo, quem ego diligo in veritate.* Cum vero Dexter non dicat, hoc ipso anno Domini 79 et 1 Vespasiani eam scripsisse, sed per hæc tempora, nimirum quando ipse imperabat, sub dubio relinquitur, fueritne data epistola initio ejus imperii vel postmodum, usque ad annum Domini 79, vel 80, quo Vespasianus mortuus est. Hæc dixerim pro majori explicatione illius prænominis *Senior;* his enim Vespasiani temporibus, erat Apostolus annos natus 75, vel 70, si, quod rationi consonum est, demus ipsum in Apostolorum collegium cooptatum ætatis suæ 25, vel 20. Erexerat jam totius Asiæ Ecclesias, quandoquidem ab anno 48, quo Virgo Deipara translata fuerat ad superos, ut plurimum in Asia commoratus traditur. Hic autem Caius, cui epistola data est, non erat centurio ille Caius, cognomento Oppius, qui morientem Christum Dei Filium confessus est, sed filius ipsius, ut manifestant verba illa Dextri, *Cujus pater post fit episcopus Mediolanensis.* Hunc enim fuisse tertium a B. Barnaba ejus sedis antistitem, Auctor ad annum 34 Christi expresserat : nunc vero vocat ipsum C. centurionem Malacitanum, de quo etiam anno 52 dixerat : *Floret centurio Malacitanus, quem S. Jacobus ibi tingit ;* et hoc 70 anno paulo inferius ait : *Qui C. domo Corinthius, genere vero Hispanus, etc., inde venit Mediolanum, et pontifex ibi factus in Domino moritur.* In his nulla est contradictio ; aliud enim est esse Malacitanum, seu genere Hispanum, et aliud domo Corinthium : utrumque simul potuit contingere, et nasci Malacæ in Hispania, et aliquamdiu Corinthi manere. Aut forsan dicitur Malacitanus, non quia Malacæ natus esset, sed quoniam inde genus paternum trahebat, cum quo domo Corinthius dici et esse potuit ; ubi et Paulum aliquando domo, tectisque liberaliter excepit, de quo ipse Paulus scribens ad Romanos, Corinthi apud ipsum manens, ait cap. XVI : *Salutat vos Caius hospes meus.* Hic igitur tantus ac talis Caius Oppius duos dicitur hoc loco a Dextro habuisse filios ; Caium, ad quem Joannes scribit, et Demetrium, quem in eadem epistola summopere commendat dicens : *Demetrio testimonium redditur ab omnibus, et ab ipsa veritate, sed et nos testimonium perhibemus.* De quo ? nimirum de eo in quo ipse Caius ab Apostolo laudandus nunc venerat, et in quo Diotrephes imprudentissimus episcopus deliquerat. Audi Apostolum ipsum ad Caium hæc aientem : *Charissime, fideliter facis, quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ, quos benefaciens deduces digne Deo ; pro nomine enim ejus profecti sunt* (scilicet peregrini in sancta loca) *nihil accipientes a gentibus. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis.* En Caium de hospitalitate laudatum, sed quid de Diotrephe ? *Scripsissem forsitan Ecclesiæ; sed is qui amat primatum gerere in eis* (id est, episcopus, aut intrusus, aut nequam) *Diotrephes, non recepit nos : non ipse suscipit fratres, et eos qui suscipiunt prohibet, et de Ecclesia ejicit;* quod Dexter ait : *Diotrephes vero impediebat hospites ad Hispanias peregrinationis causa devenientes.* Huic ergo Joannes contra ponit Demetrium inquiens : *Demetrio testimonium redditur ab omnibus, et ab ipsa veritate :* nimirum esse hospitalem virum, peregrinosque hospites libenter suscipere, *sed et nos testimonium perhibemus.*

A. C. 70. Demetrii hospitalis viri, cujus pater post fit episcopus Mediolanensis. Diotrephes vero A. R. 821. impediebat hospites ad Hispanias peregrinationis causa devenientes. At hic malus episcopus propter ejus scelera et superbiam depositus est.

BIVARII COMMENTARIUS.

qui id vidimus, et nos ipsos cum aliis suscepit.

Quantum autem assequi possum ex Joanne et Dextro, ita C. Oppius res suas ordinaverat, ut quidquid Malacæ vel Corinthi haberet, in sustentationem peregrinorum fidelium cederet, unde et Caius filius Malacæ in Hispania, Demetrius vero Corinthi in Asia, his usibus deputati ab ipso erant; cum tamen et ipse perpetuæ peregrinationi hinc inde ad loca sancta se addixisset; unde nunc in Hispania, nunc Hierosolymis, nunc Corinthi, nunc Ephesi, nunc Romæ, nunc Mediolani reperitur; et ob hoc ait Dexter: *Peregrinatio ad loca sancta Hispaniæ ex aliis locis orbis terrarum a multis quidem et diversis facta, et peregrinatio Damasci ad S. Ananiam Hispanis insuper regionibus celebris habetur; uti fuit ab ipsis apostolicis temporibus, cum C. Oppius centurio peregrinos in Hispania sustentabat.* Quod autem subdit: *Qui C. domo Corinthius genere vero Hispanus etiam D. Paulum inde redeuntem domo, tectisque liberaliter excepit*, non intelligo de hospitio quod Paulo Corinthi præbuit, cujus ipse ad Romanos scribens testimonium dat, *salutat vos Caius hospes meus:* sed de hospitio quo ipsum Malacæ suscepit, quando Apostolus ab Hispania discedebat, ad martyrium Romam properans: nam tunc inibi ipsum fuisse docuit in superioribus Dexter ad annum 64 et 66. Comitatum vero fuisse Paulum Romam quousque capite plexus est, satis est verosimile, nam inde in Asiam migrasse argumento est, quod paulo post in Asia eum reperimus S. Joannem visitantem, immo et ejus Evangelium, amanuensem Apostoli factum scriptis suscipientem, quando primum ab ipso dictatum fuit: ut ab Athanasio accipio, cujus in sua synopsi hæc sunt verba, quæ Baronius quoque recitat ad annum D. 99: *Evangelium secundum Joannem prædicatum est a Joanne apostolo, et dilecto, cum esset in Pathmos insula; et postea ab eodem Ephesi editum per Caium dilectum apostolorum hospitem, de quo Paulus ad Romanos scribens dicit: Salutat vos C. hospes meus.* Tametsi alii hoc C. Prochoro tribuant, uti ad annum 94 C um Dextro dicemus.

Inauditum hactenus est quod de C. Oppio subit Dexter: *Invisit Joannem ab exsilio post redeuntem in Hispanius, et rursus comitatur Joannem et Romam usque Ignatium.* Ergone et Joannes in Hispanias perrexit? Perrexisse, C. Oppio comite, iterumque Ephesum usque ab eodem deductum hoc loco, ex Dextro habemus, cujus testimonium non mihi solum, sed et doctis quibusque viris plurimi faciendum est; et tametsi nobis non constet unde id desumpserit, de tanto auctore ambigendum non est, magnum ipsi ab antiquis scriptoribus suppeditatum fuisse ejus veritatis fundamentum. Ego autem certus sum non indiguisse alio, quam assertore filiationis Caii hospitalis viri erga C. Oppium Malacitanum, hoc enim dumtaxat dato, quod procul dubio Dextro satis superque constabat, adventus S. Joannis apostoli in Hispanias liquido deducitur; nam scribens ad Caium illum in Hispaniis cum laude peregrinos suscipientem, promittit se statim ad ipsum accessurum: *Diotrephes* D *non recipit nos: propter hoc si venero, commonebo ejus opera quæ facit, verbis malignis garriens in nos: et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, et eos qui suscipiunt prohibet, et de Ecclesia ejicit;* subditque: *Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi; spero autem protinus te videre, et os ad os loquemur.* Promiserat itaque Apostolus in Hispaniam ubi C. degebat se profecturum, ut Diotrephem corriperet; et Caium ipsum et amicos inviseret, quibus, et salutes miserat inquiens: *Saluta amicos nominatim*: quare igitur A negabimus illuc ivisse? Ut minimum post exsilii absolutionem nihil obstare potuit Apostolo præsertim, qui velut verus tonitrui filius numquam uno loco multo tempore mansit. Sane falluntur, et toto cœlo errant ii, qui existimant numquam ab Asia Minore (quam modo *Natoliam* vocant) prædicationis gratia retraxisse pedem; nam in Phrygiam quoque profectum fuisse, Metaphrastes die 5 Septembris (apud Lipomanum tomo VI) auctor est. In Parthiam similiter probat Baronius in Notis ad diem 27 Decemb. ex epistola I ejusdem apostoli, quæ veteri titulo inscribebatur *ad Parthos*. Immo vero, et ad Indos ipsos penetrasse declarant vetustissimæ memoriæ ibidem repertæ a patribus Societatis Jesu, ut in litteris ipsorum datis anno 1555 videre est. Ne quis miretur, cum audit ad Hispanias etiam profectum: præsertim quia eidem profectioni gravissimæ astipulantur conjecturæ, ut quod ejus aspectus et adventus vehementer ab Hispania desideraretur, utpote in B S. Evangelio filiis fratris sui majoris; quamobrem dubium non est, eosdem charissimos semper S. Joanni fuisse. Accedebat non leve itineris incentivum, quod a multis illorum qui peregrinationis gratia ab Hispania in Asiam discedebant, visitatus fuerat, de quibus dixerat: *Gavisus sum valde venientibus fratribus*, qui nihil æque ab Apostolo exquirebant quam ipsum in patriam deducere. Ad hæc Joannes ipse duo pretiosa sibique dilectissima in Hispania habebat pignora, nimirum fratris corpus, et sacram ædem de Columna, cujus consecrationi ipse adfuerat, angelicis delatus manibus cum sacra Deipara, et hæc quæ a multis annis non viserat, volet quis ipsum numquam tandem pro desiderio visitasse? Et qui nihil eorum quæ verbo prædicabat omittebat, prædicavit autem et commendavit tantopere peregrinationes in sanctos, hoc solum non opere complevisset? Et sola Asia tantam lucem occupare poterat ut a nullis aliis regionibus videretur? Et quomodo tam splendidum fulgur tonitrui filius totum orbem ab Oriente in Occidentem, ab Asia in Hispaniam non illustraret? Sane C qui fulguris seu filii tonitrui Joanni nomen indidit, Christus Dominus, de fulgure (apud Matth. XXIV) dixit: *Fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem.* Quis autem verus Oriens nisi Asia? et quis verus Occidens apud omnes veteres, nisi Hispania? nonne de ea cecinit Ausonius?

Condiderat jam Solis equos Thartesia Calpe.

Et Ovidius:

Præserat occiduus Thartesia littora Phœbus.

Ut vel argumento ipsius Domini Salvatoris credas fulgur quoque istud ab Oriente exiisse, et usque ad ultimum Occidentis paruisse. An forsan hoc solum inter omnia fulgura solo contineretur Oriente? Aut quod Jacobum fratrem paucis annis fecisse vidimus utpote tonitrui filium, et præclarissimum fidei fulgur, Joannes in 68 quos (Isidoro teste) post passionem Domini supervixit, minime fecisset? Credat qui volet. Ego enim libentius Dextro consentio, et D. Joannem Hispanias invisisse profiteor, ac in eis fratris dilectissimi sacras exuvias, et Cæsaraugustanam Virginis ædem visitasse affirmo: gavisumque vehementer de magno profectu S. Jacobi discipulorum, et de veneratione ac frequenti peregrinatione qua domus Deiparæ de Columna a fidelibus undique concurrentibus visitabatur; et dubium non est, domum illam sub speciali ejus cura relictam, utpote quam ipse fundaverat primam in honorem tantæ matris: præsertim deficiente S. Jacobo fratre. Sed ad Caium iterum regrediatur sermo, postquam Apostolum ab Hispania Ephesum usque redeuntem comitatus est:

A. C. 70. Peregrinatio ad loca sancta Hispaniæ ex aliis locis orbis terrarum, a multis quidem et diversis facta ;et peregrinatio Damasci ad S. Ananiam passum sub Lucilio Basso Judææ procuratore 25 Januarii Hispanis insuper regionibus celebris habetur : uti fuit ab ipsis apostolicis temporibus, cum C. Oppius centurio peregrinos in Hispania sustentabat. Qui Caius domo Corinthius, genere vero Hispanus, etiam D. Paulum inde redeuntem domo, tectisque liberaliter excepit : invisitque Joannem ab exsilio post redeuntem in Hispanias. Comitatur Joannem : et Romam usque Ignatium Inde venit Mediolanum, et pontifex ibi factus in Domino moritur. A. R. 821.

BIVARII COMMENTARIUS.

nam de gestis ejusdem S. Joannis iterum agemus cum Dextro ad annos 91 et 105.

6. *Et Romam usque Ignatium comitatur.* Typographus corruperat lectionem, et pro Ignatio legerat Iginium, qui sedit Romæ pontifex anno 154, quinquaginta ut minimum annis post Caii mortem : qui tamen S. Ignatium a Syria ut Dexter asseverat, comitatus fuit, quando damnatus ad bestias sub Trajano vinctus perducebatur Romam : quo in itinere ad multos scribens epistolas, aliquando quidem meminit C. Oppii, qui eum comitabatur sub nomine Oppii, et nonnumquam sub utroque nomine Caii et Oppii, quod animadvertere velim eos, qui hactenus in epistolis S. Ignatii *Agathoppium* credidernnt esse nomen simplex cujusdam socii illius, cum tamen compositum sit, et idem atque *bonus Oppius*, nam *Agathos* bonum sonat : consuetum enim fuit illo tempore prænomen aliquod pietatis ergo probatissimis viris imponere; unde et ipse Ignatius nuncupabatur *Theophoros*, id est Deum ferens : M. Marcellus dictus fuit *Eugenius*, id est nobilis, quia de familia Neronis erat; et in Scripturis sanctis Simon cognominatus est *Cephas* vel *Petrus*, Jacobus, et Joannes *Boanerges*, Joseph dictus est *Justus*, et simul Jacobus Alphæi *Oblias*, id est sanctus, ut de aliis taceam ; et Caius Oppius nunc ab Ignatio dictus est *Agathos*, et una voce *Agathoppios* seu corrupte *Agatoppos*. Sed percurramus ejus epistolas. In primis in 7, quæ est ad Tarsenses, ait Ignatius : *Salutat vos Philon diaconus vester. Salutat vos Agathoppius diaconus, qui de Syria me sequitur in Christo* (ubi quod de Syria ipsum sequi dicit, eo tendit, ut denotet ab Antiochia, quæ in Syria est, usque Romam, quo ad martyrium properabat, illum comitatum esse, ut ipse ad Ephesios scribens epistola 14 ait : *Orate pro Ecclesia Antiochensium quæ est in Syria unde et vinctus ducor Romam*). Rursus in epistola 8, ad Philippenses, inquit : *Salutant vos Philon et Agathoppius diaconi.* In 9 vero ad Philadelphienses : *De Philone vero diacono, viro religioso a Cilicia, qui nunc mihi ministrat in verbo Domini una cum Caio, qui et Agathoppio viro multum electo, qui a Syria me sequitur, testificor vobis, quia renuntiaverunt sæculo, et martyrium consignare elegerunt.* Quibusdam codicibus deest relativum *qui*, cum dicitur *Caio qui et Agathoppio ;* est tamen manifestum deesse, quia dubium non est Caium et Agathoppium unum eumdem esse, nam statim in singulari dicit : *Viro multum electo, qui a Syria me sequitur.* Uteretur autem numero plurali si diversi essent viri : præterquam quod sicut laudat Philonem, et Agathoppium, laudaret quoque speciali elogio Caium, quod minime facit. Et certe duos dumtaxat in omnibus epistolis refert sibi comites exstitisse, Philonem, et Agathoppium, ut videre est in epistolis 7 et 8 relatis, et in 12, ad Antiochenses, ubi iterum ait : *Salutant vos Philon et Agathoppius diaconi, qui me sequuntur.* In epistola autem 10, quæ est ad Smyrnenses, iterum Caium quem et Agathoppium nominat dicens : *Philoni et Caio qui et Agathoppio, qui me sequuntur in verbo Dei, bene facitis suscipiendo, sicut ministros Dei, qui et maximas gratias agunt Domino pro vobis, quoniam refecistis eos omnibus commodis.* Nimirum quando non lege a Smyrna transierunt cum ipso Ignatio; nam hæc epistola in gratiarum actionem scripta est, postquam ab Smyrna discesserant. Erat jam hoc tempore Caius in diaconum ordinatus, ut credo a tempore quo Joannis Evangelium scriptis excepit; nam munus illud diaconi erat : post transitum autem Joannis accessit charissimo illius discipulo Ignatio Antiochiæ, Syriæ primati, quem Romam usque martyrii desiderio flagrans comitatus est : eo vero frustratus, dum in Hispaniam patriam suam senex valde redire adoritur, Mediolani detentus, in episcopum ejus civitatis eligitur : ubi sancto fine consummatus ad Deum migrat, die 27 Septemb. quo ejus anniversaria memoria agitur apud Mediolanenses. Romanum quoque Martyrologium hoc eum laudat elogio : *Mediolani, S. Caii episcopi, discipuli B. Barnabæ apostoli, qui SS. Gervasium et Protasium baptizavit, et multa in persecutione Neronis passus, in pace quievit.* Agitur de eo in Vita eorumdem sanctorum quam Philippus Philotheus scripsit, et est apud Ambrosium, et apud Surium tomo III, et Mombricium tom. I : Semper nova parit Caius. En quanta pro Christi nomine in Neronis persecutione sustulit, et quos filios baptismate genuerit. Sane unius hominis difficile tanta et tam magnifica facinora reperies, quanta de Caio eloqui sumus. Vide quæ de eo diximus ad annum Domini 54 Commentario 3. Ex ignoratione hujus Caii Agathoppii accidit, ut sciolus aliquis Romano Martyrologio addiderit die 25 April. festum Philonis et Agathopodis diaconorum, cum tamen sub nomine Caii ascriptus sit 27 Septembr., et neque in Beda, neque in Adone, Usuardove, nec in Græcorum menologio ; et nullibi nisi in D. Ignatii epistolis eorum mentio fiat.

7. *Peregrinationes ad loca Hispaniæ*, etc. Ut minimum ad corpus S. Jacobi, et ad sanctissimam primamque ædem B. Mariæ apud Cæsaraugustam catholicos eo etiam tempore accessisse et peregrinatos esse dubium non est : nam præter loca sancta Hierosolymitanorum et Apostolorum limina, nullus umquam toto terrarum orbe locus sanctior fuit : et ad sanctos peregrinari solitos fideles ex epist. 3 Joannis relata a nobis palam fit, quod tum maxime ex eo constat, quod S. Cletus papa Petri discipulus, qui anno Domini 80 Romanam sedem regendam suscepit, speciali decreto omnibus Christianis populis scribens, approbavit, et commendavit peregrinationes ad sanctos; ut de eo referunt multi, inter quos lege Petrum Equilinum lib. IV, c. 44, quod argumento est jam tunc in usu peregrinationem fuisse; tametsi ab aliquibus hæreticis impugnatam. Peregrinatio vero ad S. Ananiam Damasci (Dorotheo auctore) antistitem his sine dubio temporibus cœpisse comprobatur, eo quod Lucilius Bassus ejus interemptor, tunc in Judæos rebellantes excandescebat, ut Josephus lib. VII de Bello Jud. sæpe refert, præsertim cap. 26 et 29 ubi inter alia : *Tria millia*, ait, *Judæorum, qui in nemus Jardes confugerant, a Lucilio Basso legato sunt interfecta.* Irrepsit Martyrologio Romano mendum, ut pro Lucilio, legat Licinium, cum tamen Licinius, qui multos Christianorum martyrio affecit, tempore Constantini Magni in Oriente vixerit, ut ab Eusebio in Vita Constantini lib. I, c. 44, et a Severo lib. II Sacræ Hist. accipimus, et notat Baronius ad diem 2 Januarii, agens de S. Marcellino puero, qui sub Licinio principe Tomis in Ponto passus est. Græci in menologio ex quibus Martyrologium Rom. Beda, Ado, et alii desumpse-

A. C. 71. Hierosolymæ excisæ templum antiquitate, religione, frequentiaque totius orbis maximum et augustissimum, 6 idus Septemb. [*Forte* Augusti] exustum fuit. A. R. 822.

S. Onesimus S. Pauli discipulus ex urbe Patararum in Achaia, cum sanctis virginibus Polyxena, et Sarra discipulis Andreæ apostoli per Hispanias prædicat.

BIVARII COMMENTARIUS.

runt, celebrant S. Ananiæ festum ad diem 1 Octobr. recitantque ejus martyrium; sed Romanum Martyrol. ad diem 25 Januarii (ut habet Dexter) his verbis: *Apud Damascum natalis S. Ananiæ, qui Apostolum baptizavit. Hic cum Damasci, et Eleutheropoli, alibique Evangelium prædicasset, sub Lucilio* (non Licinio) *judice nervis cæsus, et laniatus, demum lapidibus oppressus, martyrium consummavit;* quæ ex Græcis desumpta sunt.

A. C. 71. — 1. *Hierosolymæ*, etc. Quæ hoc loco dici a nobis poterant, præstat accipere a Josepho in libris quos de Bello Judaico, et ab Egesippo in iis quos de Excidio Hierosolymitano scripsit. Quod spectat autem ad annum excidii ipsius, Eusebius rejicit illud ad 73 Domini consequenter ad suam annorum Vespasiani supputationem, cum enim ex Josepho constet anno secundo ejus imperii contigisse, et ipse existimet cœpisse regere orbem anno Christi 72 consequens est, ut juxta sua principia excidium Hierosolymorum in annum 73 inciderit. Baronius vero qui Vespasianum contendit regnasse ab anno 71 rejicit excidium in annum 72. Sed vero totum hoc negotium a vera assignatione anni necis Neronis dependet, qua de re in superioribus fuse a nobis actum est, et monstratum cum Dextro anno Domini 69 se occidisse, anno autem 70 Vespasianum iniisse imperium; ex quo liquet recte hoc loco ipsum docuisse excidium anno 71 contigisse id quod et Genebrardus sequitur lib. III Chronologiæ. Quod ad diem spectat, constat ex Josepho lib. VII, cap. 10 et 17, Hierosolymam quidem captam a Tito 6 idus Septembris, Templum vero incensum 6 idus Augusti; quare existimo in Dextro pro Septembri legendum esse Augustum, aut aliquid deficere textui; legendumque: *Hierosolymæ excisæ 6 idus Septembris, et Templum*, etc. *6 idus Augusti exustum est.* Auctor est Josephus Judæorum tunc undecies centena millia fame et gladio in obsidione periisse; et alia centum millia publice venundata esse; et sexcenta millia interfecta fuisse.

2. *S. Onesimus*, etc. Narrat Paulus in Epistola ad Philemonem, Onesimum servum quidem illius fuisse, fugisseque ab hero Colossis Romam, et inibi Paulum ipsum in vinculis agentem visitasse, ab eoque ad fidem conversum, tam charum sibi fuisse, ut nunc filium, nunc fratrem suum, immo et viscera sua eum vocet: *Obsecro te pro filio meo* (ait Philemoni) *quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis, quem remisi tibi: tu illum ut mea viscera suscipe; quem ego volueram detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii: sine consilio autem tuo nihil volui facere. Forsitan ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes, jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me, si autem aliquid nocuit tibi, mihi imputa. Ego Paulus scripsi manu mea, ego reddam.* Theophylactus in prologo Commentarii hujus epistolæ scribit, Onesimum e Philemonis domo clam sublatis pecuniis iniisse fugam, et hoc est quod Paulus dixit: *Si autem aliquid nocuit tibi, mihi imputa. Erat enim consentaneum* (ait ille) *consumpsisse jam Onesimum quæ fugiens abstulisset.* Ex Epistola ad Colossenses cap. IV constat fuisse ex ea civitate; ait enim Paulus Colossensibus; *Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, quem misi ad vos, ut consoletur corda vestra, cum Onesimo charissimo et fideli fratre, qui ex vobis est: omnia quæ hic aguntur nota facient vobis.* Vide hominis felicem progressum. A servitute ad ministerium Evangelii assumitur, et A Pauli amorem subito in tantum excitat, ut viscera sua eum vocet; et post Timothei martyrium, in Ephesiorum episcopum assumitur, ut Rom. Martyrologium profitetur 16 die Februarii: quo tempore invisit Ignatium Romam ad martyrium properantem, ut ipse scribens ad Ephesios Epist. XIV testatur, mirisque Onesimum laudibus attollens, vocat eum præceptorem suum: *Ego suscepi multitudinem vestram in nomine Domini, in Onesimo dilecto præceptore nostro, vestro autem episcopo. Obsecro cum secundum Christum Jesum diligere vos, et vos omnes in concordia ejus in ipso esse. Benedictus enim Deus, qui vobis talibus talem episcopum donavit habere in Christo.* Hinc fit errasse Nicephorum lib. III cap. 11, qui ante Trajani imperium, videlicet sub Domitiano mactatum Onesimum scribit: cum tamen ipsum Ignatium qui ante Onesimum passus est, sub Trajano martyrium subiisse certum sit, ex Martyr. Romano Febr. 2 nimirum anno XI illius, quod Eusebius in Chronico, et Hieronymus lib. de Script. B Eccl. testantur; et ipsa Acta Onesimi, quæ descripsit Metaphrastes ipsum sub Trajano passum dicunt. Insuper absque dubio mendum irrepsit Romano Martyrologio in eo quod ait, Paulum apostolum Onesimum Ephesiorum episcopum ordinasse post Timotheum; *quem etiam* (inquit) *post Timotheum episcopum Ephesiorum ordinavit:* hoc certe verum esse non potest, quia Paulus non supervixit Timotheo, ut successorum ejus Onesimum ordinaret; sed potius Timotheus Paulo, utpote qui initio imperii Domitiani occisus est anno Domini 83 vel 84, ut in Actis ejus testatur Metaphrastes, et ex eo sumit Baronius in Annalibus tomo I. Constat autem Timotheum usque ad mortem in suo episcopatu vixisse, neque in alium fuisse promotum. Quare totum illud quod in Romano dicitur: *Natalis B. Onesimi, de quo S. Paulus apostolus ad Philemonem scribit, quem etiam post S. Timotheum Ephesiorum episcopum ordinavit prædicationisque verbum illi commisit*, ita reddendum C est ut in Usuardo legimus: *Natalis B. Onesimi, de quo S. Paulus apostolus scribit Philemoni. Quem idem apostolus episcopum ordinans prædicationis verbum illi commisit.* Ut sit sensus: prædicationis verbum illi commisit, nimirum sine limitatione ad certam Ecclesiam, aut civitatem, sed ubi gentium, quatenus quos ipse Paulus ad fidem perduxerat, ille in proposito conservaret. Ad hoc autem illum ordinavit episcopum, ut posset et ipse episcopos et presbyteros ordinare, ubi necessitas prædicationis exigeret. Displicet etiam in Usuardo quod ait, Onesimum recens ordinatum *apud Ephesiorum civitatem relictum fuisse a Paulo;* hoc enim cum vero stare non potest, quoniam Onesimus non fuit ad fidem conversus cum Paulus Ephesi manebat, sed cum erat Romæ in vinculis, ut ipse ad Philemonem scribit; nusquam vero ulterius in Orientem profectus fuit, uti prophetico spiritu testatus ipsis Ephesiis fuerat, Actor. XX: *A Mileto autem* (ait Lucas) *mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ: Qui cum venissent ad eum, et* D *simul essent, dixit eis: Nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes per quos transivi prædicans regnum Dei.* Certe in Orientalis Ecclesiæ menologio, ubi ejus rei memoria conservari tenacius deberet, nusquam asseritur ab Apostolo Ephesi relictus, nec ab eo Ephesiorum ordinatus episcopus, sed quod prædicationis verbum illi commisit: quod sane verissimum est. Circuibat igitur post Pauli mortem universum terrarum orbem, præsertim ubicumque Apostolus divini semina verbi je-

A. C. 71. S. Hierotheus natione Hispanus, quem a Paulo conversum discipuli sui Dionysii A. R. 822.

BIVARII COMMENTARIUS.

cerat; quo in munere sexdecim annos insumpsit, ab anno 68 necis Pauli, usque ad 84 mortis Timothei, quando ipse peculiari Ephesiorum Ecclesiæ addictus in ejus locum assumitur.

Ut videas quod anno Domini 71 ab Achaia descendens, cum sanctis virginibus Polyxena et Sara in Hispaniam peregrinandi tempus et locum habuit, juxta Dextri placitum, quod ex prædicatione Pauli in Hispania fulciri potest (ubi enim ille, illic et iste prædicavit) et ex sociabus assumptis, quas in Hispaniam hoc tempore perrexisse, suadet Græcorum menologium ad diem 23 Septembris, ubi hæc legimus juxta versionem cardinalis Sirleti, quæ tomo II Lection. antiquarum Henrici Canisii exstat: *Eodem die natalis sanctarum mulierum Xantippæ et Polyxenæ, quæ sub Imperio Claudii Cæsaris ex Hispania genus ducentis; Xantippe quidem apostolum Paulum ad Hispanos Christi Evangelium prædicantem audivit: quippe qui viro illius Probo fidei et salutis auctor fuerat: Polyxena vero primum audivit apostolum Petrum postea apostolum Philippum, postremo Andream apostolum, qui eam baptizavit, in Græcia tunc existentem, a viro quodam raptam, sed, Dei ope adjuvante, minime corruptam: reversa vero in Hispanias cum virgine quadam nomine Rebecca, genere Judæa, invenit Xantippem sororem virtutum splendore fulgentem. Itaque multos docentes Christi fidem in pace quieverunt.* Hæc ut dixi, ex Sirleti menologio, qui tamen non vertit textum Græcum ad verbum, sed paraphrastice; et hoc loco parum feliciter, nam omisit adventum Onesimi cum illis in Hispaniam, rem sane magni momenti, et quæ adamussim placitum Dextri confirmat. Textus vero Græcus de verbo ad verbum redditus sic habet: *Eodem die, sanctarum mulierum Xantippæ et Polyxenæ, sororum gemellarum, sorores gemellas Xantippam et Polyxenam chori angelorum cohabitatrices accipiunt. Hæ fuerunt ex Hispanorum regione sub Claudio Cæsare: Xantippe quidem fuit uxor Probi, hominis qui principatum regionis obtinebat. Hæc autem edocta est ab apostolo Paulo qui regionem illam obibat; post alios autem et vir ipsius* (scilicet ab eo edoctus est). *Polyxena autem rapta a quodam improbo, sed gratia Dei incorrupta mansit, et ab apostolo Andrea baptizata est. Multis autem credentibus per ipsam, accipiens secum Onesimum apostolum tetendit in patriam suam Hispaniam; et post multas navigationes et infinitas fugas cum secum duxisset Rebeccam, cum qua baptizata fuerat, reperit suam sororem uterinam Xantippem. Hæ reliquam vitam recte transigentes et multa miracula operatæ ad Dominum migraverunt.* Hinc multa notatu digna elicere possumus, videlicet Xantippem et Polyxenam fuisse sorores gemellas, et illam quidem S. Probo uxorem datam, hanc autem permansisse virginem; rursus solam Xantippem fuisse S. Pauli discipulam, et ideo in superioribus ejus dumtaxat meminisse Dextrum, cum de prædicatione Pauli in Hispaniis loquebatur (quod et Metaphrastes fecit) nunc vero de sola Polyxena egisse, cum Onesimi prædicationem in Hispania scribit. Hoc uno solo a Græcis dissidet, quod sociam illam Polyxenæ ab ea in Hispaniam deductam *Saram* vocarit: quam tamen Græcum menologium *Rebeccam* nuncupat, facilis tamen transitus fuit ab uno ad aliud nomen; tametsi existimem Dextro assentiendum potius, quippe qui de rebus Hispanicis majorem quam Græci notitiam habuerit. Demum quod in menologio dicitur, sub Claudio floruisse, de Claudio Nerone intelligi oportet, non de Claudio Druso Germanico; ejus enim diebus Paulus qui Xantippem in fide instruxit, nondum Romam, nedum in Hispaniam contenderat usque ad Neronis tempora. Cum vero Xantippa et Polyxena non unius et ejusdem; sed multorum apostolorum discipulæ fuerint, recte proprieque locutum martyr. Rom. dicas, cum inquit die 23 Septembris: *In Hispania, sanctarum mulierum Xantippæ et Polyxenæ, quæ fuerunt apostolorum discipulæ.* De Onesimi martyrio lege Metaphrastem apud Surium tomo I et Galesinum in suo Martyrologio.

3. *S. Hierotheus*, etc. Qui plene hujus divini Doctoris spiritum callere cupit, legat S. Dionysium (qui ejus primum sub Pauli apostoli disciplina condiscipulus, et postmodum discipulus fuit) in eo quem de divinis nominibus edidit libro. Et sane vel sola tanti discipuli gloria clarum eum abunde fecisset, si alia defuissent. Metaphrastes apud Lanselium in Vita S. Dionysii hæc ait: *Cum primas fidei exercitationes et disciplinas a B. percepisset Hierotheo, et in verbo, et in vita ab eo doceretur, etiam sancti Spiritus communionem ab eo consequitur;* et Michael Singellus: *In Hierothei divino numine afflatus præceptoris sui disciplinam se tradidit, et in ejusdem divinis institutionibus eruditur.* Sane Dionysii testimonio non id solum constat, sed et ipsum Hierotheum post apostolos, cæteros Ecclesiæ doctores longo intervallo superasse, adeo ut ipsum *Hierothei* nomen meruerit, quod *sacer Deus* interpretatur, ea nimirum ratione, quod ex *Deifico Dei actu* (verba sunt Dionysii) *quo unusquisque pro facultate sua Deiformis evadit, dii plures efficiuntur. Id sane mirabiliter contemplatus communis ille noster præceptorisque nostri Dux* (loquitur de Paulo, suo et Hierothei magistro) *hæc in sanctis litteris suis* (I Corinth. VIII) *divinitus afflatus ait: Sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra* (I *Cor.* VIII), etc. Quod si ex majori vel minori accessu ad Deificum Dei actum plus vel minus quis Deiformis evadit, quantum ille accessit quæso, quantumve Deiformis evasit, qui præ omnibus nomenclaturam Hierothei, seu Sacri Dei sibi specialiter vindicari promeruit? Vide jam quam reverenter de ejus doctrina Dionysius loquatur c. 3. Cum præmisisset se de Divinis nominibus et proprietatibus auctorum, videretque de his quoque Hierotheum prius scripsisse, ne quis aut superflue, aut arroganter se laboraturum existimet, purgat se ab hac columnia inquiens: *Purgatione forsitan nobis opus est. Cum enim inclytus præceptor noster Hierotheus theologica elementa mirabiliter profecto colligeret, mirabitur fortasse aliquis, cur nos, quasi minus illa sufficiant, et alibi et hic theologica conscripserimus?* Cui objectioni sic satisfacit. *Jam vero si ille omnia theologica ordine deinceps disposito* (hoc est, non ita in communi et abstracte, ad singularia minime descendens, quod altissimæ sapientiæ proprium esse Aristoteles docet), *digerere voluisset; particularibusque explicationibus unumquodque totius theologiæ caput disposuisset, numquam nos in tantum furoris vel ruditatis incidissemus, ut perspicatius vel divinius quam ille theologica penetrare mysteria confideremus; aut eadem bis dicendo superflua frustra tractare vellemus; atque ita præceptorem amicumque nostrum injuria afficere, et præclarissimam intelligentiam, expositionemque illius, a quo post D. Paulum instituti sumus, nobis usurpare non dubitaremus. Cæterum ille divina venerabiliter exponens, summas quasdam* (id est, universales propositiones) *perspicatia profecto compendiosa refertas nobis exposuit; in uno videlicet plurima complectentes, præcipiens videlicet nobis, cæterisque rudium animorum magistris explicare pro viribus, atque distinguere sermone nobis congruo, lucentia intus, compendiosaque mysteria a virtute illius apprime intellectuali manantia.* Subditque post pauca: *Enimvero diligentissime id observavimus, ut quæ divinus ille præceptor plane nobis expressit, numquam attingeremus, ne forte repeteremus idem ad id exponendum, quod in verborum divinorum explanatione fuisset ab eo propositum.*

Hujus rei gratia in exemplum admirandæ Hierothei

A. C. 71. gloria clarum fecit; ad Hispanias se contulit, prius episcopus Atheniensis, post A. R. 822. Segoviæ in Arevacis episcopus, sanctitate mirandus hebetur.

BIVARII COMMENTARIUS.

scientiæ, et quomodo plerumque altissima mysteria universalissime loqueretur, quandoque vero cum vellet disertissime se uniuscujusque captui applicaret, adducit historiam satis vulgatam de Conventu Hierothei et suo, cum apostolis Hierosolymis habito, sive pro Beatissimæ Virginis funere celebrando, quod multi putant, sive pro sepulcro Domini visitando, quod nobis probatum fuit in superioribus ad annum Domini 48 : *Convenimus quandoque* (ait) *apud pontifices nostros Deo plenos, nos simul et ipse, multique sancti fratres nostri, visuri corpus illud quod vitæ principem Deumque suscepit. Ubi aderant et Jacobus frater Domini, et Petrus, excelsum et amplissimum theologorum culmen. Illic ergo post contuitum, placuit ut pontifices omnes pro viribus quisque suis infinite potentem bonitatem laudarent. Hierotheus autem alios omnes ibi Doctores sacros* (*ut nosti*) *post ipsos theologos* (hoc est, apostolos) *superavit, totus excedens, totus extra se positus, et eorum quæ laudabat communionem patiens. Quamobrem ab omnibus qui audiebant eum, atque videbant* (*sive cognoscerent ipsum, sive non cognoscerent*) *occupatus Deo, divinusque laudator est judicatus.* Et hæc quidem pro altissimis et universalissimis ejus doctrinis dicta sunt; quare addit : *Verum quæ illic mystice tractata sunt, missa impræsentiarum faciamus, quippe cum nec multis exprimi possint.* De alia vero docendi methodo pro captu cujusque, qua mirum in modum etiam excelluit, subinfert: *Quoties autem oporteret nostra multis communia facere, ut quam multos possemus in sanctam nostram disciplinam introducere, erat profecto mirandum, quam longe Hierotheus sanctorum doctorum plurimos antecelleret, et diuturna docendi sedulitate, et puritate mentis, et exacta diligentia demonstrandi, ac cæteris omnibus, quæcumque ad sacra eloquia pertinent. Itaque nos numquam in solem tam ingentem figere auderemus obtutus.* Et post pauca : *Descendimus ad scribendum novi nihil audentes inferre; sed minutioribus quibusdam, et per singula dispositis inquisitionibus, discernentes, et explicantes ea, quæ ab illo vere Hierotheo, id est, sacro quodam Deo perspicacia compendiosa sunt tradita.* Ut videar quidquid Dionysius scripsit, altiori quodam stylo a B. Hierotheo primum scripta, et inde ab eo juxta captum nostrum translata. Exstant ipsius Hierothei fragmenta apud eumdem, ex libro de Theologicis elementis, in quo de *bono*, de *lumine*, de *pulchro*, de *amore*, *exstasi*, *zelo*, et aliis disputavit, loquens autem de divinitate et excellentia Christi sic ait :

Jesu Divinitas quæ omnium causa est, et implet omnia, ac partes consonas universitati conservat, neque pars, neque totum est; rursusque et pars est, et totum, utpote quæ partem omnem et omne totum in seipsa comprehenderit, et eminenter habeat, atque præhabeat. Perfecta quidem est in rebus imperfectis, utpote perfectionis princeps, in rebus vero perfectis, minime perfecta, quippe cum perfectionem excellentia origineque præcedat. Præterea in rebus carentibus specie species est specifica, tamquam principium speciei, in speciebus autem, specie carens, ut speciem superans. Quin etiam essentia totis procul a contagione essentiis insidens, atque super essentiam exstans, ab omni essentia penitus absoluta, universa principia terminosque disterminans, et super omne principium, ordinemque locata. Mensura entium est, et ævum, atque super ævum, et ante ævum : plena quidem in rebus egenis, in plenis autem exuberans, ineffabilis, et non pronuntiabilis, super intellectum, super vitam, super essentiam; supernaturale munus supernaturaliter habet, superessentiale superessentiali etiam ratione. Quamobrem quando usque ad naturam (nostram) *ad summam benignitatem venit, vereque substantiam nostræ carnis accepit, summusque ille Deus homo est appellatus* (*propitia vero sint quæ in præsentia intellectum sermonemque superantia laudantur a nobis*), *tunc quoque in his supernaturale et superessentiale munus emicuit : non solum quia immutabiliter, et inconfuse nobis communicavit, nihil in exuberante sua plenitudine ab ineffabili exinanitione perpessus : sed etiam quia* (*quod novitatum omnium est maxime novum*) *in naturalibus nostris supernaturalis erat, in his quæ nostræ sunt essentiæ super essentiam, omnia nostra ex nostris, et supra nos continens excellenter.* Vere nihil tam compendiose, tam alte a doctoribus de mysterio Dominicæ incarnationis, et Divinitatis majestate dictum; paucissimisque cunctas posteriores hæreses Nestorii, Eutychetis, Valentini, et Arii destruxit.

Hymnos quoque amatorios, divina patiens, composuit in quibus de amoris definitione, speciebus, unione, et vi, ultra humanum captum edisserit. Exstat eorum quoque nobile fragmentum, quod referens S. Dionysius cap. 4 de Divin. Nomin. ait : *Hæc inclytus noster in sacris litteris institutor, divine admodum in amatoriis hymnis exposuit.* Fragmentum vero ejusmodi est. *Amorem sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive naturalem dixerimus, vim quamdam intelligamus unificam, atque commiscentem; superiora quidem moventem ad inferiorum providentiam; rursus quæ sunt ejusdem ordinis ad communionem mutuam adhortantem : inferiora tandem revocantem, ut ad sublimia convertantur. Hactenus multos amores ex uno pendentes disposuimus, diximusque quales sint notiones viresque amorum, tum mundanorum, tum mundo superiorum, quibus sane mundanis secundum designatam orationis intentionem, præsunt ordines, ornatusque intelligibilium, intellectualiumque amorum : super eos autem exstant ipsi per se intelligibiles, atque divini amores, revera pulchrorum a nobis pro viribus celebrati. Nunc iterum resumentes omnes in unum, et conglobatum amorem, amorum omnium patrem colligamus simul atque congregemus. Primo quidem ex multis in duas cogentes amatorias vires universales, quas quidem omnes continet, regitque absoluta totius amoris causa, penes principium omnia supereminens, ad quam contendit, pro cujusque natura universus rerum omnium amor. Age jam, has iterum colligentes in unum, dicamus unam quamdam esse simplicemque virtutem seipsam moventem ad unificam quamdam commixtionem ex ipso bono usque ad extremum universi : ab eoque rursum deinceps per omnia ad ipsum bonum ex seipsa, et per se, et in seipsa semet in circulum reflectentem, atque in seipsam semper eodem modo glomerantem.* Hactenus ille; nec aliud ex universis ejus scriptis (proh dolor!) exstat; sed gratias Deo, quod unguis saltem tanti leonis servatus est, ut ex ungue leonem cognosceremus.

Quibus autem gradibus putas ad tam sublime divinæ theologiæ fastigium ascendit? Tres refert Dionysius, eosque excellentissimos, videlicet quod multa a sanctis apostolis accepit; quod frequenti assiduoque sacrarum litterarum studio incubuit, et quod divinis revelationibus assuetus immediate divinam veritatem docentem audivit. *Hæc inclytus præceptor noster* (ait Dionysius cap. 1.) *in Theologicis Elementis, supra naturæ modum mirabiliter celebravit, quæ ipse vel a theologis sanctis* (hoc est, apostolis) *accepit, vel artificiosa sacrarum litterarum indagatione perspexit, frequenti circa illas exercitatione, studioque diuturno; vel etiam diviniore quadam inspiratione percepit, non solum discens divina, sed patiens, atque ex quadam ad illa compassione* (*si modo ita loqui licet*) *ad indocibilem secretamque eorum unionem, ac fidem denique consummatus.* Hactenus de doctrina Hierothei.

Quod ad historiam vitæ ejus spectat, communi

A. C. 71. Marcellus M. Marcelli discipuli Petri cognomento Eugenii consanguineus, olim cum eodem Marcello Simonis Magi discipulus, non procul Roma patitur. A. R. 822.

Theodorus II Cæsaraugustanus episcopus prædicans in Africana Pentapoli, cum Irenæo archidiacono suo, et Serapione, et Ammonio lectoribus martyr fit. Nec multo post delatum ejus corpus ad Hispaniam (ut ipse Theodorus jusserat) prope sepulcrum S. Jacobi jacet.

BIVARII COMMENTARIUS.

Hispanicorum auctorum calculo receptum est id quod Dexter ait, in Hispania ortum fuisse; unde philosophandi gratia Athenas petiit, non aliter quam Seneca, aut Quintilianus Romam, seu uti quidam nobiles (ut Hieronymus loquitur) qui ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem ex ultimis Hispaniæ provinciis venerunt; postmodum a D. Paulo ad fidem adductus episcopus Atheniensis factus est : inde Dionysio in ejus locum suffecto in patriam migravit commissurus concivibus suis divinum scientiæ thesaurum. Hæc Pineda, Hieronymus, Romanus, Villegas, Marieta, Trugillus, in Vita S. Pauli apostoli, et alii; et quod cæteris præstat, Ambrosius Morales lib. IX suæ Hist. referens pro sua et nostra sententia veteres Græcos S. Dionysii commentatores, quos ipse in Bibliotheca Regia Excurialis legerat, quare *dubio procul debet esse* (ait) *Hispanum fuisse*, *quando id quoque ipsi Græci Doctores confitentur*. Multa isti in laudem ejus canunt in menologio, ubi propter eximiam morum rectitudinem et philosophiam tradunt olim in numerum Areopagitarum judicum fuisse coaptatum. Cujus vero urbis episcopus tandem in Hispania fuerit, soli Dextro debemus, qui ejusdem ecclesiasticas Hispaniæ antiquitates plus cæteris calluit. Mirum vero esse non debet Græcos urbis Segobiensis non meminisse, quandoquidem nec Parisiensis in Dionysio meminerunt; quo locus datus fuit quæstioni jam olim de duobus Dionysiis inter Græcos et Latinos acriter agitatæ: sed sicut tunc ignorarunt Gallicam urbem, ita nunc Hispanicam, utramque absque nostro detrimento. Pro Hierothei vero in Hispaniam reditu magno mihi argumento est, quod non solum Dionysium, sed etiam S. Eugenium discipulum habuit, ut suo loco probavimus, quem tamen in Oriente non valuit convenire, ubi Eugenius numquam fuit; valuit vero in Hispania cum Segobiensis urbs Toletanæ diœcesi adjaceat. Celebratur S. Hierothei tam apud Græcos, quam apud Latinos natalis dies 4 Octobris.

Postquam ejusmodi commentariis Romæ finem imposui, in Hispaniam reversus, cum casu apud monachos Cistercienses monasterii Sandovalis, diœc. Legionensis, agerem, et reliquiarum sacra scrinia sedulo evolverem, percepi, caput inibi D. Hierothei asservari, ita siquidem traditum a majoribus suis senes monachi asseverabant. Et caput quidem sacrum inter reliquias exstabat, sed scriptura ejus rei desiderabatur. Venit nihilominus mihi in mentem, cranium a linteolo, quo a multis retro annis strictissime involutum, et filis assutum servabatur, exuere; si forsan testimonium aliquod ejus rei interius reperire liceret. Et ecce, Deo auspice, membranula vetustissima, longitudinis dimidii digiti, cum parte cranii, abbate et monachis omnibus præsentibus, reperta est, cum ejusmodi Græcis characteribus, κεφαλὴ Ἱεροθεοῦς, quod sonat, *caput Hierothei*. Incredibilis subito lætitia mentes omnium subiit, et super tanto dono, abbate ita disponente, pro gratiarum actione processio solemniter celebrata est, et Missa de eodem divino Doctore et antistite decantata, ipsa inventionis die, quæ fuit 5 Aprilis anni D. 1625, festo S. Isidori dedicata. Quo sane probabiliora redduntur, quæ de reditu ejusdem Hierothei Athenis ad Hispanias a Dextro scribuntur : et de Segobiensi ecclesia ab eo erecta; unde verisimile est tempore Saracenicæ devastationis a Christianis asportata fuisse sacra illius pignora ad Legionensis montana, ad quorum radices monasterium Sandovalis situm est.

4. *Marcellus*, etc. Consonat his per omnia quod in Rom. Martyrologio 7 Octobris die legimus, nimirum, *Romæ sanctorum martyrum Marcelli et Apulii, qui primo quidem Simoni mago adhæserunt; sed videntes mirabilia quæ per apostolum Petrum Dominus operabatur, relicto Simone, apostolicæ doctrinæ se tradiderunt, ac post passionem Apostolorum sub Aureliano consulari coronam martyrii reportarunt. Sepulti non longe ab urbe.* Iisdem fere verbis ea referunt Ado, Beda, Usuardus, et Petrus Equilinus lib. IX, c. 30. Dexter solius Marcelli meminit. Sunt qui dicant agi de his in Actis SS. martyr. Nerei et Achillei; falluntur tamen, quia Marcellus de quo ibi agitur, non fuit passus prope Romam, sed fuit S. Eugenius archiepiscopus Toletanus, qui prius M. Marcellus dicebatur, et ob nobilitatem postmodum a Christianis dictus est *Eugenius*, quod sonat *nobilis*. Fuit quidem et ipse Simonis et Petri discipulus, sed diversus ab illo, tametsi consanguineus ipsius.

5. *S. Theodorus*, etc. Agitur de martyrio Theodori, et sociis in Martyrologio Rom. die 26 Martii, his verbis : *Pentapoli in Libya* (Africæ provincia) *Natalis sanctorum martyrum Theodori episcopi, Irenæi diaconi, Serapionis, et Ammonii lectorum.* Consonant Usuardus, Beda, Equilinus, l. II, cap. ultim. Notat autem Baronius, Pentapolitanam provinciam, de qua hic mentio habetur, dictam etiam a Plinio Cyrenaicam, cujus frequens est mentio in epistolis Synesii episcopi, et in litteris Dionysii Alexandrini apud Eusebium. Erat S. Theodorus discipulus B. Apostoli Jacobi, successeratque S. Anathasio I, Cæsaraugustæ episcopo in sede S. Mariæ de Columna. Zelo autem fidei propagandæ universam Hispaniam percurrens in Africanas applicuit tandem oras, comitantibus eum Irenæo diacono suo, et duobus lectoribus Serapione et Ammonio; illic vero, id est in Cyrenæ provincia, seu Pentapoli a Gentilibus capti, cum immolare diis falsis renuerent, post varia tormenta, capite plexi sunt. Erat tunc temporis Carthaginis S. Crescens episcopus, inibi a S. apostolo Petro relictus, ut Metaphrastes refert, et nos superius ad annum Domini 50 latius monstravimus, cujus illa sunt verba de Petro loquentis : *Venit Sirmium civitatem Hispaniæ, quo in loco, cum Epænetum constituisset episcopum, devenit Carthaginem civitatem Africæ, in qua Crescentem ordinavit episcopum.* Hic igitur sacras Theodori exuvias sepeliri curavit; inde vero in Gallæciam ipse portavit, quatenus quod S. Theodorus testamento caverat (ut asseverat Dexter) de sepultura sibi ex latere S. Jacobi magistri sui concedenda, compleretur; quibus peractis Crescens in Galliam contendens, Viennensem erexit ecclesiam, ut in Rom. Martyrologio dicitur die 29 Decembris. Exstat hujus historiæ S. Theodori et sociorum nobile antiquitatis monumentum apud M. Maximum, qui Sapphicis, Adonicisque versibus rem totam cecinit, sub titulo : *Ad sanctos primos Cæsaraugustanos episcopos M. Maximi carmen Sapphicum.* Est vero hujusmodi, quod promiseramus superius ad annum Domini 50.

En pie sacris adolemus aris
Thura, nardumque et solitos odores
Præsulum turbæ sibi quos patronos
Urbs habet ista.
Quos habet patres, fideique primos

A. C. 76. Paulus Sergius Hispali, Cordubæ, Barcinonæ, Cæsaraugustæ, Secuntiæ, et in plurimis aliis Hispaniæ urbibus prædicat; totamque Hispaniæ provinciam peragrat. M. Pelagius, et Aulus Altimus Paternus cives Toletani, sancti Saturnini S. Petri discipuli, prædicatione miraculisque (quæ præclara edidit Toleti) præmissis, illustrantur. A. R. 827.

BIVARII COMMENTARIUS.

Præsules; istis quoque sub magistris,
Cæsaris floret nimis urbs, quibusque
Dedicat ædes.
Laudo te primum, sacer Athanasi,
Teque præstanti, Theodore, cantu,
Non minus nostris, Epilecte præsul,
Dignus es odis.
Tertium et primum vidit ipse Iberus
Fortiter passum; sed enim secundum
Sacra per tractus Libycos serentem
Clara Cyrene.
Hic cubant sacri cineres sepulti,
Quos dolens Crescens sepelire mandat:
Hinc levat crescens, graviore causa,
Frater et hospes.
Et comes supplex Irenæus illis,
Qui levitarum caput esse fertur;
Atque lectores duo, sed necantur
Quatuor ense.
Martii sena quater, alma luce,
Plebs tibi supplex, sociisque sacris,
Quo die passos memoraut, celebrat
Festa quotannis.

Hoc uno dissidet M. Maximus a Martyrologiis, quod ipse asserat festum S. Theodori et sociorum, celebrari Cæsaraugustæ 24 Martii, (*Martii sena quater*) hæc autem in 26 rejiciunt. Crediderim 24 obiisse, *quo die* (ait Maximus) *passos memorant* (nisi forsan scribentium negligentia mendum in Martyrologiis irrepsit), aut diem sepulturæ celebrari, quod aliis martyribus contigit; aut festum illinc transferri solitum aliqua occupatione interveniente.

Cæterum notatum velim, Didacum Murillo in sua historia de Pilari ingenue fassum, se omnimodis ignorare, quid sibi velit sacer poeta, cum de reliquiis seu cineribus martyrum dixit: *Quos dolens Crescens sepelire mandat:* nesciebat enim quis esset Crescens ille: cum tamen alius non sit, quam qui primus eo nomine dignus fuit, Pauli et Petri discipulus, et tunc temporis apud Carthaginem Africæ episcopus. In sequenti versu legebatur: *Hinc juvat Crescens*, cum omnino legendum sit: *Hinc levat Crescens;* nam sensus est, Crescentem inde levasse reliquias martyris, et in Hispanias detulisse, juxta id quod ipse Theodorus jusserat; et hæc est illa gravior causa, quæ S. Crescentem compulit ut ferret ipsum inde, et ad latus Jacobi apostoli collocaret. Habemus ejus rei irrefregabile testimonium S. Leonis Papæ IV in epistola de Translatione S. Jacobi, ubi de SS. Athanasio et Theodoro hæc ait: *Illi duo discipuli pedissequi pro reverentia sui Magistri, jusserunt se post obitum suum a Christianis juxta magistrum suum, unus ad dexteram illius, alius ad sinistram sepeliri.* Idemque ait Callixtus Papa II, quem refert Vincentius Belvacensis in Speculo historiali, quibus assentiuntur recentiores, Morales, Marieta, Alderete, et cæteri. Et in antiquo Cordubensi Breviario hæc lego: *Alii vero discipuli Athanasius, et Theodorus, ut in B. Leonis epistola legitur, juxta Apostoli corpus, unus ad dexteram et alter ad lævam sepultus est.* Et hoc ipsum traditione receptum est in Ecclesia Compostellana.

A. C. 76.—1. *Paulus Sergius*, etc. Bis peragrasse Hispaniam monstratum a nobis est in superioribus ad annum 66, primum cum S. Paulo apostolo ipso anno 66, postea vero admonitum ab eodem in visione hoc anno 76. De priori ejus adventu egit Dexter anno illo 66, de posteriori nunc agit, et nos utriusque lucem dedimus in Commentario ejusdem. De priori mentionem fecit primus Cabilonensis episcopus in Topographia martyrum verbo *Corsica*, ubi ait: *Corsica insula* A *Tyrrheni maris proxima Sardiniæ. Hic Paulus apostolus ex urbe sub decennio suæ libertatis sub Nerone prædicat; inde ad Hispanias cum S. Paulo Narbonensi progreditur.* De hac posteriori prædicatione qua præcipuas Hispaniæ urbes peragravit, ac sua illustravit prædicatione, habemus celebre testimonium Petri Equilini, qui lib. I, cap. 60 de eo sic loquitur: *Post passionem ergo suam B. Paulus apostolus eidem per visionem mandavit ut ad partes Hispaniæ et Galliæ pergeret ad prædicandum.* Et post pauca: *Venit Narbonam, indeque Hispaniam circumiens prædicavit, et rediit Narbonam.* Circuitus vero quem Dexter explicat, ita disponendus est, ut Narbona Barcinonem, indeque Cæsaraugustam petierit, deinde Secuntiam (nunc *Siquenza*); transiens autem novam Castellam Cordubam inviserit, ac tandem Hispalim, ubi navim conscendit; et iterum per Mediterraneum Narbonam rediit, sicque totam Hispaniam ab extremo ad extremum prædicando pervasit.

2. *M. Pelagius*, etc. S. Saturninum Tolosanum B episcopum fuisse S. Petri apostoli discipulum norunt omnes qui res Hispanicas et Gallicas scripserunt; immo vero Pampilionensis Ecclesia quæ illum velut apostolum suum agnoscit, in ejus festivitate idipsum canit. Vide thesaurum Concionatorum ad diem 26 Novemb. et 25 Septemb. quibus locis Saturninus dicitur non solum Tolosa Pampilionem accessisse, sed usque ad civitatem Toletanam penetrasse, ibique prædicationis semina jecisse. Consentiunt Chronica Caroli Principis, et Primus Calibonensis episcopus in sua Topographia Christi martyrum, Morales lib. IX, c. 14, Marieta l. p. l. I, cap. 15, et ante eos Julianus archipresbyter initio sui Chronici, qui refert non solum Toleti prædicasse, sed etiam ad tempus episcopum Toletanis se præbuisse. Vide etiam Vasæum in Chron. et Lud. Nonnium in sua Hispania cap. 80. De eodem Saturnino agit Sanctus Braulio in Additionibus ad Maximum, dum de sancto Firmino Pampilionensi primum, deinde Ambianensi episcopo: *Fuit* (inquit) C *consecratus ab Honorato episcopo Toletano, et aquis salutaribus tinctus a S. Saturnino episcopo Tolosano S. Petri apostolorum principis discipulo, misso prædicatum Tolosam.* Et quod omnem hac in re dubitationem tollit, est, quod ita perspicuis verbis in ejus germanis Actis asseritur, quorum exemplar veneratione dignum habuit in sua bibliotheca fel. ille record. Toletanæ Ecclesiæ præsul, et Hispaniarum historiographus Rodericus Ximenius, asservaturque nunc cum ejus corpore in regali cœnobio S. Mariæ de Horta, Seguntinæ diœces. nostri Cistercien. ord., cui archiepiscopus totam suam bibliothecam legavit. In codice igitur ms. Vitarum sanctorum membraneo exstant Acta germana S. Saturnini, quorum initium: *Illo igitur in temporis curriculo*, etc. Ibi igitur asseritur Saturninus S. Petri apostoli discipulus fuisse sub his verbis: *Bonus est Honestus Saturnini discipulus; melior est Saturninus Petri alumnus, quia optimus omnium Christus est Petri didascalus* (id est, D magister), *sed qui elegit Petrum in apostolica fide, is etiam beatificavit Saturninum in pastorali regimine; et Honestum perlustravit presbyterali honestate.* De locis vero prædicatione ejus illustratis subinfertur: *O magna Saturnini gratia qui non solum Galliam et Gallæciam, Septimaniamque et Hispaniam, verum etiam Nesturiam perlustravit, et Germaniam.* Ac deinde: *Prædicante beatissimo Saturnino Pampilonæ subito concursus civium factus est creberrimus: venientes quoque per triduum, factum est ut visis signis multiplicibus atque prodigiis potentibus, confirmati quadra-*

A. C. 86. Per idem tempus S. Anacletus, vel Cletus successerat Lino; Linus vero successe- A. R. 837.
rat in sede Romana Petro.

Vespasiano Titus, Tito vero Domitianus imperator crudelissimus successit, qui secundam contra Ecclesiam persecutionem movit.

Caparæ in Lusitania Carilippus et socii martyrium passi sunt.

BIVARII COMMENTARIUS.

ginta millia gentilium quantocius Deum verum sequerentur percepto lavacro generationis.

Hinc manifeste deducitur error qui in Rom. Martyr. irrepsit, dum ad diem 29 Novembris asseritur S. Saturninus temporibus Decii martyrium complevisse, ut credo, ex Equilino lib. I, c. 5 id inconsiderate asserente; cum enim ibi affirmet ab apostolorum discipulis episcopum Tolosanum ordinatum, fieri non potuit ut ad tempora Decii perveniret, nisi vellet illum sedisse episcopum annos ut minimum 150, utpote quem sanctus Clemens vel Dionysius ordinaverant: Decius vero cœperit imperare anno Christi 252 vel 253. Certe in antiquis Martyrologiis nihil de Decio asseritur, ut apud Usuardum videre est, qui eadem atque Romanum verba habet, de Decio autem nec verbum. Ambrosius Morales auctor est communi calculo approbatum sub Claudio (Nerone) missum fuisse ad prædicandum in Galliam. Si quis autem Decius ille fuit, qui Saturninum martyrio affecit, imperator esse non potuit, sed præfectus aliquis vel proconsul; de quo idem judicium ferri debet, atque de Decio illo sub quo S. Laurentius passus asseritur, viginti circiter annis post imperatoris Decii mortem. Et placet hac in re nostri Ambrosii Moralis sententia, qui, lib. IX Hist. cap. 46, notat genus quoddam nobilium Romanorum exstitisse Deciorum nomenclatura insigne, ne quis miretur mortuo imperatore Decio, Laurentium a Decio excarnificatum, et multo ante illum Saturninum Tolosæ a Decio e summa Capitolii arce præcipitem datum. Cæterum quo omnis ambiguitas tollatur, Methodius vel Metrodorus antiquissimus rerum S. Dionysii Areopagitæ scriptor (cujus liber sine nomine exstat cum operibus Dionysii olim Compluti excusis, cum nomine vero apud Dionysium Lanselii Græco Latinum) expresse affirmat S. Saturninum comitem a S. Papa Clemente datum eidem Dionysio, ab eoque jam in Galliis consistente Tolosam amandatum. En verba hujus auctoris: *Socii autem S. Dionysii erant S. Saturninus et Marcellus;* et post pauca: *Porro ad Aquitaniæ plagas sancto Saturnino misso*, etc. Nemo autem nescit Tolosam urbem esse Aquitaniæ. Idem asserit Equilinus ipse lib. IX, cap. 41: *Dionysius*, ait, *a B. Clemente Petri successore in Franciam destinatur, et ipsi Rusticus presbyter et Eleutherius diaconus sociantur; sancti quoque Saturninus et Marcellus, episcopi. Marcellum in Hispaniam* (fuit is S. Eugenius) *Saturninum in Aquitaniam direxit.* Hoc vero ita factum intelligi oportet, ut Saturninus a S. Petro apostolo in Galliam directus sit ad partes præsertim Aquitanicas; qui tamen anno Domini 76 Toletum invisit, ut Dexter hoc loco affirmat; inde vero Romam reversus, cum post aliquot annos, nimirum circa Domini ann. 93, S. Clemens ejus condiscipulus in Cathedra S. Petri sedere cœpisset, et in Galliam Dionysium destinaret, adjunxit illi Saturninum, utpote virum egregium, et provinciæ illius præ aliis expertem, qui quidem sponte sua in suam sedem Tolosanam redire cogitabat: ad quam tandem cum Gallias jam tenerent, a Dionysio remissus fuit. Quid autem inibi egerit, et quomodo iterum Toletum redierit, dicemus cum Dextro suis locis ad ann. 110 et 112.

Sed vero præcipuus in primis fructus quem e Toletana prædicatione reportavit, fuere duo sanctissimi cives, M. Pelagius, et Aulus Altimus Paternus, duo, inquam, præclara Ecclesiæ Catholicæ luminaria. Pelagius namque fuit postmodum Toletanus episcopus, et Hispaniæ totius primus; Paternus vero Bilbili oriundus, ac Martiali propterea charus, suisque non A semel commendatus epigrammatibus, Elusatium primum, deinde Constantiensium in Gallia episcopus, effuso pro Christo sanguine reportavit coronam die 25 Septembris. Astipulatur huic sententiæ Julianus in chron. ad ann. 132; loquens enim de S. Honorato Toletano episcopo hæc ait: *Post aliquot annos in Gallias prædicandi causa proficiscitur; Paternum, quem S. Saturninus Toleti converterat, et fecerat Elusensium episcopum, invisit*, etc. Agit etiam de S. Pelagio, quem vocat M. Pelagium Agrippam; de Paterno iterum cum Dextro acturi sumus ad annum 94, 112 et 130; de Pelagio vero ad ann. 138 et 160.

Hoc ipso anno Domini 76, quievit in pace S. Quartus, uti Dexter dixit ann. 50. Agemus iterum de eo ann. 105.

A. C. 86. — 1. *Per id. tempus*, etc. Notanter non dixit, *Cletus succedit Lino*, sed *successerat per idem tempus*, quoniam ab anno 82, quo Linus martyrio affectus est, in ejus locum successerat; neque vero id a modo loquendi Dextri quis æstimet abhorrere; B ipse enim non designat cuivis Romano Pontifici annum quo Pontificatum inierit, sed plerumque recapitulando multos enumerat.

Quod vero unum eumdemque crediderit Anacletum et Cletum, novum videri non debet, quin potius non video unde possit diversus excogitari cum omnes fere tam Græci quam Latini auctores veteres, qui Dextrum ipsum vel præcesserant, vel æquarant, unum omnino sine contradictione crediderint, tametsi quidam eorum Cletum, quidam vero Anacletum illum nuncupaverint, imprimis *magnus ille Ignatius, discipuli quem diligebat Jesus* (utor mei Bernardi verbis) *auditor*, in epistola ad Mariam Cassabolitem, et ad Trallianos, non alium quam Anacletum cognoscit Clementis prædecessorem, et Petri Apostoli discipulum. Deinde S. Irenæus, lib. III Histor. Eccles. cap. 12; Epiphanius, hæresi 27; Nicephorus Calixtus, lib. III, cap. 2, et Nicephorus episcopus in suo Chronico, atque in universum omnes Græci C idipsum sequuntur. Inter Latinos autem Augustinus, epistola 165; Optatus Milevitanus, lib. II contra Parmenionem; et quod pluris est, Hieronymus, tum in Chronico, tum lib. de Script. Ecclesiast. in Clemente, cujus hæc sunt verba: *Clemens quartus post Petrum Romæ episcopus: siquidem secundus Linus fuit, et tertius Anacletus.* Ita prorsus legitur tum in Latino, tum in Græco Sophronii textu: ut mirum sit quomodo Baronius oppositum sensisse dicat. Unus tantum Tertullianus, in libro III Carminum in Marcionem duos cecinit, Cletum et Anacletum, et liber qui Damaso tribuitur de summis Pontificibus: ejus tamen esse negant. Onuphrius, Molanus, et Baronius. Quare vehementer suspicor Cletum honoris causa postmodum Anacletum dictum, ob eximiam Dei gratiam in eo relucentem, non aliter atque Oppius vocatus est Agathopius, ut supra diximus. Vellem super hac re ad unguem investigandam majorem fieri in Ecclesia diligentiam, durissimum siquidem D creditu est, tam paucis auctoribus instructam, tot talesque doctores sequi neglexisse.

2. *Vespasiano*, etc. Is vitam finierat anno Domini 81, cum gubernasset imperium annos 10. habuitque successores duos filios, primo quidem Titum annis duobus, et eo veneno sublato Domitianum anno Domini 83, qui secundam in Ecclesia persecutionem commovit, uti Eusebius lib. III, cap. 15, testatur. Ejus fructus nonnullos mox refert Dexter, egerat de prima sub Nerone ad an. 60.

3. *Caparæ*, etc. Ptolomæus in Vettonibus (seu

A. C. 86. Domitianus imperator templum quoddam sine contignatione facit. A. R. 837.
Idem primus imperatorum se deum appellari facit.
S. Julianus, discipulus S. Petri, Martiali charus, Vicum transfertur.

BIVARII BOMMENTARIUS.

Vergonibus) Lusitaniæ Caparam constituit, quo loci olim inter Cneum Pompeium, et Aulum Trebonium acriter certatum est, et hodieque ejus belli plura exstant lapidum monumenta, militum scilicet ibidem occisorum, quæ apud Ambrosium Moralem videre licet lib. VIII, cap. 18. Nunc *Capara* nomen retinet; estque in limine Extrematuræ, non longe a Civitatensi urbe, vulgo *Cividad Rodrigo* : felicior sane sanctorum Carilippi et sociorum martyrio, quam incolarum numero aut divitiis. Agitur S. Caralippi et sociorum festus dies 28 Aprilis in Martyrologiis Bedæ; Adonis, Usuardi, et Romano, ubi tamen pro Carilippo corrupte legitur Caralippum, cum in cæteris et in Equilino, lib. XII, cap. ult., num. 131, sicut in Dextro Carilippus scribatur. Sociorum nomina sunt Aphrodisius, Agapius (Usuardo Agapatus, Equilino Agapitus) et Eusebius : ita enim a prædictis auctoribus nominantur; sed nullus acta eorumdem recenset.

4. *Domitianus*, etc. Hæc ex Eusebii Chronico desumpsit, ubi sic legimus : Anno 88, *Domitianus templum sine admixtione lignorum construit* : loquitur vero de Pantheone, nunc Ecclesia sanctæ Mariæ Rotundæ. Astipulatur Beda in Martyrologio 1 Novemb., et lib. de 6 ætatibus in Trajano. Refragatur tamen Baronius in notis ad 1 Novemb. contendens a M. Agrippa, non vero a Domitiano constructum, quia adhuc templi fronti inscriptum durat : M. AGRIPPA. L. F. CONS. TERTIUM. FECIT. nimirum anno ante Christum natum 25, tum quia Dio lib. LIII ait : *Pantheon quod perfecit Agrippa*, etc. Facile tamen in concordiam rediguntur, si dicamus Agrippam contignatione usum in Pantheonis templo, id est in porticu, ubi inscriptio ipsius videtur; solum enim porticum struxisse ipsa operis diversitas convincit : Domitianum vero templum ipsum novo opere, sine contignatione, ut modo cernitur, perfecisse.

5. *Idem primus*, etc. Istud etiam sic habet Eusebius : Anno 89 Domini, *Primus Domitianus Dominum se et deum appellari jussit*. Testatur id Suetonius in ejus Vita, cap. 13, inquiens : *Pari arrogantia, cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit : Dominus et Deus noster sic fieri jubet. Unde institutum post hæc, ut nec scripto quidem ac sermone usquam appellaretur aliter*. Sic prorsus eum vocat Martialis, l. VIII, ep. ultimo.

Dante tibi turba querulos, Auguste, libellos,
Nos quoque quod domino carmina parva damus :
Posse deum rebus pariter, musisque vacare
Scimus, et hæc etiam serta placere tibi.

tamquam deo illi concedit. *Per Vates, Auguste, tuos*, etc. Itidem Statius, lib. IV Silv. dominum ac deum Domitianum nuncupat; quinimmo Philostratus auctor est in Tyanæo, lib. VII, eo adulationis malum pervenisse, ut Judæi illius celeberrimi Josephi consilio, *filius Virginis* nuncupari auderet.

6. *S. Julianus*, etc. Quod ait, *Vicum transfertur*, non de translatione sacri corporis intelligendum est, cum adhuc aliquot annos vixerit, et martyrio occubuerit anno Domini 92 vel 93, ut ex Dextro liquet, sed de exsilio, quo ab alma Urbe in Hispaniam damnatus fuit a Domitiano cujus jussu Joannes quoque Theologus in Pathmos translatus est. Fuerat hic apostoli Petri discipulus, Eugenii collega, Toleti ortus, et ante Eugenium Evangelium concivibus suis prædicavit, Toleti episcopus et totius Carpetaniæ vocatus est, ut ad ann. 91 et 94 Dexter profitetur. Et consentit Julianus archipresbyter in Chronici sui initio, quo loci dypticham seu indicem antistitum Toletanorum in sacrificio Missæ institutionis S. Isidori dici consuetam referens subdit; *Hæc fuit prima* (dypticha) *in qua non ponuntur Martyres, scilicet Jacobus* (apostolus qui fundavit Ecclesiam Toletanam) *Elpidius, Julianus, et Saturninus, et M. Marcellus Eugenius, quia constat fuisse martyres*. Orabat sacerdos ibi pro spiritibus pausantium episcoporum, quod ex Missali S. Isidori constat : et eapropter martyrum episcoporum nomina in ea non exstabant cum cæteris.

Fuisse vero Martiali charum satis liquet, nam quatuor ad ipsum sub nomine Lucii Julii dedit epigrammata : hoc enim fuisse nomen ejus fatetur Dexter infra anno 94, tametsi aliqua sint inter Martialem et Dextrum discrepantia, dum ille vocat eum L. Julium, hic L. Julianum, immo et L. Magnum Julianum, quæ forsan et baptismo oriri potuit. Quæris epigrammata ? In 15 lib. I, illum monet vivendum esse hodie, non cras, forsan eo motus, quod S. Julius vel Julianus melius quidpiam se actitaturum profitebatur crastina die, cum hodierna in oculis suis peccator existeret. Hoc Martialis in locum convertit pro more, inquiens :

O mihi post nullos, Juli memorande, sodales,
Si quid longa fides, canaque jura valent;
Bis jam pene tibi consul trigesimus instat.

(erat enim ætatis suæ annum pene 60 attingens, utpote S. Petri discipulus)

Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non bene distuleris videas, quæ posse negari,
Et solum hoc ducas quod fuit, esse tuum.

Et post pauca subdit:

Non est, crede mihi, sapientis dicere : Vivam;
Sera nimis vita est crastina; vive hodie.

Displicebat ei amicum ludicra semper, et jocosa canere; quare sæpe admonebat Martialem, ut animum ad seria applicaret. Super hoc argumento dedit epigramma 107 ejusdem lib. II :

Sæpe mihi dicis, Luci charissime Juli,
Scribe aliquid magnum, desidiosus homo es.
Otia da nobis, sed qualia fecerat olim
Mæcenas Flacco, Virgilioque suo.

Et paucis interpositis :

In steriles campos nolunt juga ferre juvenci;
Pingue solum lassat, sed juvat ipse labor.

Et hæc quidem scripsit Romæ degenti : duo vero ad eumdem dedit jam commorantem in Hispania : e quibus alterum lib IV, epigr. 55, Toletum mittitur, in quo multa Hispanica nomina commemorat, videlicet :

Luci, gloria temporum tuorum,
Qui Gaurum veterem, Tagumque nostrum
Arpis cedere non sinis disertis :
Argivas generatus inter urbes,
Thebas carmine cantet, aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinosæ
Ledæas Lacedæmonis palæstras :
Nos Celtis genitos, et ex Iberis.
Nostræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre versu.

Prosequitur Bilbilis et vicinorum Celtiberiæ oppidorum propria quædam referre nomina, ac proprietates, quæ illic cuilibet videre licebit. Denique lib. IX, epigram. 98, eidem refert (quasi absenti) bona, ac felicitates suas, super quas ab æmulo quodam mordebatur :

A. C. 86. C. Valerius Lentulus, vir consularis, ut Domitiano placeret, egit Laureolum Christianum. A. R. 837.

Fl. Clemens vir consularis occiditur pro fide 21 Novembris; familiaris Martiali.

Thraseas, Helvidius, Servilia, Bareas traditi sunt a quibusdam Christianis. (*Deerat nomen* Helvidius.)

Florebat per id tempus in Hispania cohors Celtiberorum quæ nunc est Brigantii. Hæc habet Suellos jaculatores, ex oppido nunc Suello in Celtiberia, corrupto quidem vocabulo desumpto a Suellis ipsis jaculatoribus.

BIVARII COMMENTARIUS.

Rumpitur invidia quidam, charissime Juli,
Quod me Roma legit, rumpitur invidia, etc.

videlicet *quod turba semper in omni monstramur digito; quod Cæsar uterque* (Titus, et Domitianus fratres) *tribuit jus mihi Natorum: quod rus mihi dulce sub Urbe est, parvaque in Urbe domus; quod sum jucundus amicis; quod conviva frequens; quod amamur; quodque probamur;* finit vero:

Rumpatur, quisquis rumpitur invidia.

Tantum de hujus amicitia Martialis præsumebat, quod tametsi cultu jam ab aliquot annis dissiderent, suas nonnumquam conceptiones eidem aperuisset. Cætera de S. Juliano dictis locis.

7. *C. Valerius Lentulus*, etc. Egimus de Laureolo, Christiano a Lentulo comice acto, in commentariis ann. 60 præsertim ex Juvenale aiente:

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me, vera dignus cruce.

et Martiale, cujus etiam dedimus epigramma 9:

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus, etc.

quo Martyris cujusdam Christiani passionem veram, simulatam agentis Laureoli Latronis fabulam, refert. Consuevisse etenim Domitianum præ nimia crudelitate, casus Tragicos in miserorum corpora ad Theatrum ex vero repræsentare, narrant multi: et Tacitus in Vita Agricolæ addit: *Nero subtraxit oculos; jussitque scelera, non spectavit, præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre, et aspici; cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus, sufficeret sævus ille vultus, et rubor, a quo se contra pudorem muniebat.*

8. *Fl. Clemens*, etc. Hujus martyrium non solum catholici scriptores, sed et ethnici, Suetonius, et Dio testatum reliquerunt: ille quidem in Domitiano cap. 15 inquiens: *Denique Fl. Clementem patruelem suum contemptissimæ inertiæ* (sic vocat virum, qui ut Christo vaceret, nolebat se publicis rebus tradere) *cujus filios etiam parvulos successores palam destinaverat: et abolito priore nomine, alterum Vespasianum appellari jusserat, alterum Domitianum; repente ex tenuissima suspicione* (tantum non in ipso ejus consulatu) *interemit; quo maxime facto maturavit sibi exitum.* At Dio sic: *Domitianus cum multos alios, tum vero Fl. Clementem consulem* (*etsi nepos ejus erat, duxeratque uxorem Fl. Domitillam propinquam ipsius*) *morte affecit:* sed qua causa? *Illato ambobus crimine ἀθεότητος*, id est, contemptoris Deorum (*cujus rei causa multi, qui in mores Judæorum* (videlicet Christianorum) *transierant* (a Gentilitate) *damnati sunt; quorum pars occisa, pars spoliata facultatibus: Domitella tantummodo in Pandatariam relegata est.* Dolet merito cardinalis Baronius tam insignem Christi martyrem a sanctorum Catalogo seu Martyrologio excidisse; sed jam alter Flavius (Dexter) martyrium simul, et diem annotat, videlicet 21 novembr. ut aliquando restitui possit ab Ecclesia.

Ad ipsum dedit Martialis epigramma, 93 lib. x quod incipit:

Si prior Euganeas, Clemens, Helicaonis oras,
Pictaque pampineis videris arva jugis, etc.

A De consulatu ipsius subjungens:

Carmina, purpurea sed modo suta toga, etc.

Fuit alter ejusdem nominis Fl. Clemens S. Petri discipulus, patruus S. Clementis papæ, et primus in Gallia Metensis episcopus, qui obiit in pace confessor die 17 ejusdem mensis, cujus Molanus meminit ea die, et vitam scribit Petrus in Catalogo lib. x, cap. 113. Timeo autem ne forsan similitudine nominis ductus, quæ Fl. Clementis martyris sunt, huic confessori tribuat, ait enim fuisse consulem Romæ, ac S. Clementis papæ patruum.

9. *Thraseas*, etc. In codice impresso pro *Servilia* corrupte legebatur *Helvidias*. Erat quidam Bareas Soranus, et Thraseas Pætus clarissimi ac consulares viri, Servilia vero Bareæ proconsulis tunc Syriæ filia: hos omnes nequiter occisos dolent, vel ipsi ethnici. Juvenalis:

Stoicus occidit Baream, delator amicum,
Discipulumque senex.

B Martialis de Thrasea lib. IV, epigr. ad Colinum, 54:

Thrasea constantior ipso.

De utrisque vero Corn. Tacitus libr. XVI: *Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam excidere concupivit, interfecto Barea Sorano, et Thrasea Pæto, olim utrisque infensus.* Quo tamen objecto crimine? auctor est ipse Tacitus, Baream reum esse factum ex proconsulatu Asiæ, quem administraverat, *non quidem ex crimine aliquo quod patrasset, sed ex justitia* (inquit) *atque industria.* De Servilia autem ejus filia: *Ultra hæc, sed recens discrimini patris filiam connectebat, quod pecuniam Magis largita esset* (ninirum Christi pauperibus). *Igitur Servilia accita est in senatum; steterunique diversi ante tribunal consulum grandis ævo parens, contra filia ultra vigesimum ætatis annum, nuper marito Annæo Pollione in exsilium pulso viduata, desolataque, ac in patrem quidem intuens, cujus onerasse pericula videbatur. Tum interrogante* C *accusatore, an cultus dotales, et detractum cervice monile venundedisset, quo pecunia faciendis magicis artibus contraheretur? Primum strata humi, longo fletu, et silentio, post altaria, et aram complexa; nullos* (inquit) *impios Deos, nullas devotiones, nec aliud infelicius precibus invocavi, quam ut hunc optimum patrem, tu Cæsar et vos Patres servaretis incolumem.* Pergit necem utriusque lamentabilem referre: et velit nolit, quidquid de Magis loquatur, quidquid de aræ amplexu mentiatur, satis innuit Christianos fuisse, ac pro contemptu deorum occisos, utpote qui divitias in Christi pauperes distribuissent. Ut quid enim coram ipsis ara posita fuit, nisi quia contemptores deorum erant? Ut verum sit quod Dexter hoc loco asserit, a multis tradi fuisse Christianos, id quod etiam Baronius credit anno Domini 68, numer. 28. Hoc vero notatum velim lector habeas, non ideo Dextrum hoc loco meminisse Thraseæ et Bareæ, quod a Domitiano cum Fl. Clemente occisi sint, cum constet a Nerone ante annos 20 peremptos, vel ipso D Tacito non tacente; sed quoniam de his agunt, qui de Clemente, auctores gentiles, et similis sit utrorumque mors ac mortis causa. Tantumdem de Helvidio Prisco, Thraseæ genero, dictum reputa, de quo similia refert Tacitus præfato lib. XVI Annalium.

10. *Florebat*, etc. A Martiali mutuatum hoc est,

A. C. 86. Apud Messanenses celebris est memoria B. Virginis Mariæ, missa ipsis ab eadem A. R. 837. dulci epistola.

Castris-Cæciliis in Lusitania prædicat S. Jonas discipulus sancti Dionysii Areopagitæ, et ad Gallias post revertitur.

BIVARII COMMENTARIUS.

lib. IV, epigram. 55, ubi inter alia quæ de Celtiberia provincia sua, memoria digna narrat, Suellos jaculatores ponit; cum enim præmisisset:

Nos Celtis genitos, et ex Iberis
Nostræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre versu.

Subdit inter cætera:

Et certos jaculo levi Suellos.

Quo loci codices impressi depravati sunt, nam pro *Suellos* habent *Silaos*; fatetur tamen Matthæus Raderus in notis marginalibus sui Martialis, in veteribus codicibus legi *Suevos*, quod proxime ad veritatem accedit. Cæterum jaculatores Suellos ab oppido Celtiberiæ ejusdem nominis sic dictos, translatos vero inde Brigantium nobilem Gallæciæ urbem, nunc *Coruna*, non solum hic docet Dexter, sed etiam ad annum 430, quo tempore Wandalorum rabies vigebat in Africa. In veteris Hispaniæ tabula, quam in suo Ptolomæo exaravit Villanovanus, ponitur oppidulum *Suelo* nomine; errat tamen in situ ejus designando, non enim constituit illud in Celtiberia, sed in ora freti Gaditani, ubi nunc *Esteponda* est. Verum standum potius testimoniis Martialis et Dextri.

11. *Apud Messanenses*, etc. Nihil apud illustrissimæ urbis cives venerabilius, nihil traditione Christiana æque receptius, quam prædecessores suos ab ipsa beatissima Dei genitrice adhuc in humanis agente litteras accepisse, quandoquidem in memoriam tanti beneficii Ecclesia metropolitana nuncupata est *la Madona de Littrio*, hoc est, *de la Lettera*, seu de epistola, quæ illic asservari dicitur reverenter. De ea sic Petrus Canisius lib. V, de Deipara, cap. 1: *Apud Siculos exstat insignis respublica Messanensium, quæ epistolam ab eadem Virgine Matre missam prædicat, atque, ut audio, reverenter in scriniis asservat.* Recipit quoque eam, ut alios taceam, P. Franciscus Arias pietate et doctrina insignis, in suo spirituali profectu, tractatu de imitatione Virginis. De ea iterum agit Dexter ad annum 430, quo iterum in scriniis reperta fuit. Reperi eam Hispanis loquentem in bibliotheca insignis nostri cœnobii Despina, quam placuit hic ad verbum referre.

Maria hija de Joachim, del tribu de Juda de la casa de David, humildissima madre de Jesu Christo crucificado: a todos los de la Ciudad de Mecina salud, y benedicion del Padre eterno. Sabemos que haveis enviado los de essa ciudad con grande fe Mensageros y Embajadores, confessando con grande conocimiento a mi hijo por hombre y Dios, Unigenito del Padre eterno; y assi mismo despues de su gloriosa Resurreccion, haver subido al cielo; conociendo en todo el verdadero camino de la verdad, mediante la doctrina y predicacion de Pablo Apostol nuestro. Por loqual a vos otros, y a esse nuestra ciudad damos nuestra benedicion, y prometemos ser siempre en vuestra perpetua proteccion, y amparo. Quæ Latinitate donata sic sonat:

Maria filia Joachim de Tribu Judæ, de domo David, humillima mater Jesu Christi crucifixi, omnibus civibus Messanensibus salutem et benedictionem æterni Patris. Novimus vos misisse magna fide nuntios et oratores, confitentes plena recognitione filium meum esse hominem simul ac Deum, Unigenitum æterni Patris; et similiter quod post ejus gloriosam resurrectionem ad cœlum ascenderit; agnoscentes in omnibus certam veritatis semitam, mediante doctrina et prædicatione Pauli apostoli nostri. Quapropter vobis, et huic nostri civitati nostram impertimur benedictionem; et promittimus vos semper sub nostra protectione et defensione habere.

Simili beneficio se honestatam a Dei genitrice gloriatur Florentia, uti Hieronymus Savanarola testatur, qui ea de re concionem ad Florentinos habuit die 25 Octobris ann. 1495, et inter ejus opera exstat; Epistolæ autem textus hic est: *Florentia Deo et Domino Jesu Christo filio meo et mihi dilecta, tene fidem, insta orationibus, roborare patientia; his enim sempiternam consequeris salutem apud Deum.* Fidem quoque ei præbent auctores superius citati pro Messanensi. De epistola Virginis ad Ignatium agemus cum Dextro ad ann. Domini 116.

12. *Castris-Cæciliis*, etc. Non hic solummodo meminit Dexter S. Jonæ discipuli S. Dionysii, sed etiam ad annos 112 et 130, ex quibus liquet bis Hispanias perlustrasse; primum quidem anno 86, vel 87, prædicando verbum Dei, præcipue Castris-Cæciliis in Lusitania, et in ejus circumjacentibus oppidis. Romanum Martyrologium die 22 Septemb. eum vocat *Pagum Castrensem*, cujus loci presbyter factus herbis virentibus, et aqua frigida sustentabatur, ut Equilinus narrat lib. VIII, cap. 106. Hic vero primus ejus in Hispaniam adventus accidit, priusquam S. Dionysius, cujus ipse Athenis discipulus exstiterat, in Gallias transitum faceret, legatus S. Clementis anno Domini 93: tunc enim nonnullis placet, Jonam nostrum comitem ipsius factum in Gallias rediisse: ubi et ipse prædicationi aliquamdiu inserviens anno 112, iterum Hispanias lustrans, *invisit S. M. Marcellum Eugenium Dionysii magistri sui condiscipulum* (ait Dexter); sed tandem in Gallias remeat anno 130. Tunc Julianus præses tres lictores misit Parisios, ubi ipse eo temporis prædicationi insistebat; *ut eum tenerent, et occiderent* (verba sunt Equilini). *Qui eum prope Parisios inventum, nullo timore territum, nec minis turbatum, nec ullatenus a doctrina desistentem, verberibus cæsum decollaverunt X kalend. Octobr. Cujus corpus truncum caput manibus tollens* (Dionysium in hoc etiam magistrum imitatus) *usque ad locum ubi S. Martyr sepulturam elegerat, quasi milliario uno procedens ibidem occubuit, sepultumque ibidem est miro fragrans odore, in loco qui dicitur Mons sancti Jonis*, seu Jonæ. Galesinus putavit eum sub Domitiano passum, præside Fescenino; fallitur tamen, quia sub Adriano occubuit anno 130, præside vero Juliano. Cum igitur in Martyrologio Rom. dicitur: *apud pagum Castrensium, S. Jonæ presbyteri et martyris, qui cum S. Dionysio profectus in Galliam jussu Juliani præfecti verberibus cæsus, gladio martyrium consummavit*; non designatur oppidum martyrii (in quo Equilinus hallucinatus est), potius enim dicendum esset apud Parisios, ut Galesinus dixit in suo Martyrologio; sed illud quod præcipue eo doctore gloriabatur, Dextri ævo videlicet, Castra-Cæcilia, vel Castra-Cæciliana; nunc corrupto vocabulo *Cazeres*, inter Annam et Tagum in Extrematura (olim Lusitaniæ parte) constitutum, ac nobile admodum, cum civium familiis, tum etiam antiquitate conditionis: ut enim Morales auctor est lib. VIII Hist. c. 18. Cæcilius Metellus consul, devicto inibi Hirtuleio, nomen suum et Castrorum suorum oppido impertiit, unde dictum Castra-Cæcilia, vel, ut aliis placet, Castra-Cæciliana. Solus Arnoldus Millius in sua Synonymia Geographica legit Castra-Viceliana: Ptolomæi codex corrupte quoque habet Liciniana, in Lusitania prope Emeritam. Idem Metellus condidit Coloniam Metellinensem, hodie *Medellin*, in eodem tractu, a suo

A. C. 86. Apud Caracam in Carpetanis SS. martyres Æmilianus et Geronius pro Christi fide martyrium constanter passi. A. R. 837.

88. Maria Magdalena miraculis clara, mirifice divinis laudibus, contemplationique dedita, in Gallias migrat. 839.

90. S. Mancius [*Al.* S. Manlius] civis Romanus, Christi discipulus, primus Eborensium in Lusitania pontifex, qui in Gallia prius prædicaverat, floret : et post multos labores migrat martyr anno 106. 841.

BIVARII COMMENTARIUS.

quoque cognomine nuncupatam, ut alibi dicemus. Ne tamen decipiatur quis, adverterim, reperiri etiam Castra-Lelia in Lusitania, sed longe diversum oppidum a Castris-Cæciliis; quandoquidem vel ipso Dextro teste (inferius anno 308) illud erat juxta Callensem portum et urbem situm ad Durii ostia in ora Oceani, nunc *Porto*, a quo Portucallense regnum nuncupatur; istud vero in Mediterraneis Lusitaniæ terminis, sed de eo suo loco. Corrige ex dictis Molanum dum legit, *Die 5 Augusti Castro-Corboilo S. Jonii martyris*. Sed ipse nec martyrem, nec oppidum, nec diem martyrii novit. Proxime tamen ad Castra-Cæcilia accedit dum legit *Castro-Corboilo*.

15. *Apud Caracam*, etc. Sanctorum martyrum Æmiliani et Geronii agebatur festa dies in Breviario Cordubensi 20 septemb. Galesinus quoque in suo Martyrologio eorumdem meminit ipsa die inquiens : *In Hispania sanctorum martyrum Æmiliani et Geronii.* Duo ex Dextro nova habemus, tempus martyrii, nimirum in persecutione Domitiani circa annum Domini 87, et urbem in qua martyrio sublati sunt, *Caraca*. Est vero quam nunc *Guadalaxara* nuncupamus, testibus Marinæo Siculo, Morales, Nonnio, Mariana, et cæteris. Antonini codex corrupte habet Ariaca. Plutarchus in Vita Sertorii narrat, pulsum a Metello Sertorium, non procul a Caracitanis ad amnem Tagonium castra locasse, cum quibus bellum memoria dignum gessit. Falluntur Morales et Nonnius cap. 73 suæ Hispaniæ, dum Tagonium fluvium credunt vocatum *Henares* a Plutarcho, quod Caraca ad ora ipsius sita sit; cum tamen sit *Tajuna*, cui Henares admiscetur, quod anno 308 monstrabimus : Caracitani vero dicebantur quotquot inter *Henares* et *Tajuna* degebant.

Placuit hoc loco, dum de sancto Geronio martyre Caracitano agimus, nobilem suscitare memoriam Geruntii martyris ac primi episcopi Italicæ, quæ a scriptis Hispanorum auctorum exciderat, et his ipsis temporibus pro Christi nomine occisus est. De eo Martyrologium Rom. die 25 Augusti hæc habet: *Italicæ in Hispania, S. Geruntii Episcopi, qui tempore Apostolorum Evangelium in ea provincia prædicans, post multos labores in carcere quievit :* suspicor a S. Pio Hispalensi antistite, ac S. Jacobi discipulo S. Geruntium ordinatum fuisse episcopum Italicensem; et forsan ipsius Apostoli, aut certe Pauli discipulus fuit. Acta ipsius cecinit olim Hispana Ecclesia universa, hymno sacro, qui hodieque exstat in Breviario Mozarabe dicto. Est vero hujusmodi.

Hymnus de S. Geruntio episcopo Italicensi et martyre.

Sacratum Christi antistitem
Geruntium confessorem,
Dignis canamus laudibus,
Et celebremus vocibus.
Hic fertur apostolico
Vates fulsisse tempore :
Et prædicasse supremum
Patrem potentis Filii.
Quique dum per occiduam
Percurreret clarus plagam ;
Tandem ira Gentilium
Ad passionem trahitur.
Sed mox præcepto præsidis,
Nodis gravatur ferreis :
Horrendis umbris carceris,
Datur in jus carnificis.
Quem ferunt vinctum vinculis
Inter pallentes tenebras,
Raptam e sacro corpore,
Dedisse cœlo animam.
Sic inter apostolica
Beatus jam consortia,
Gaudet cœlesti gloria,
Et clara Christi gratia.
Namque infulatus gemino
Fulget, et nitet præmio ;
Sacerdotali titulo,
Et confessionis præmio.
Gloria Patri personet,
Christoque unigenito :
Cum Paraclito Spiritu,
In sæculorum sæcula. *Amen.*

Capitulum sic habet : *Gloriose ac misericors Domine, qui beatissimo confessori tuo Geruntio episcopo, tibi nimis in ore confiteri dedisti, teque in medio justorum ejus confessione laudari voluisti; ut eum in terris confitentem, et in concilio sanctorum glorificans faceres exsultantem; exposcimus tui muneris donum, ut ejus precibus tribuas a peccati contagione purgari, ab ardoribus perpetuis erui, et gloriæ tuæ beatitudinem consequi.* Habet præterea officium proprium integrum in prædicto Breviario, orationes quinque, benedictiones duas, et alia quæ manifestant S. Geruntii fuisse in Hispania priscis temporibus memoriam illustrissimam.

A. C. 88. — *A Maria Magd.*, etc. Ante annos 30, videlicet 48 Domini, notaverat Dexter accessum Magdalenæ in Gallias, quando nempe in cœlos beatissima Dei Genitrice assumpta, ipsa cum fratribus et amicis pelago commissa, in contemptibili ligno salvata, Massiliam appulit, nunc vero post 30 annos in specu transactos, pœnitentiæ et contemplationi dedita, adeo ut in sublime ab angelis pluries veheretur, tandem ad cœlestem sponsum miraculis quoque vivens, et mortua clara convolavit. Lege Equilinum lib. VI, cap. 124, qui de pœnitentia ejus annorum 30, et miraculis plura refert.

A. C. 90. — *Mancius*, etc. Hæc uberius iterat Dexter in calce Chronici, ad annum 430 inquiens : *Eodem anno repertæ sunt reliquiæ S. Memmii Mancii, Eborensis in Lusitania pontificis, et primi illius urbis apostoli, qui, converso prius populo Cathalaunensi in Gallia, postea in Hispanias trajiciens, Eboræ prædicavit, ubi et martyrium passus est. Fuit civis Romanus, et Christi discipulus, et ab anno 36 Christi ad annum 106 in Gallia, et Hispania, prædicationi institit, ac tandem sub Trajano martyrium (uti dixi) pro Christi nomine passus est.* Celebris admodum est apud omnes Hispanicarum rerum scriptores memoria S. Mancii : agunt enim de eo Vasæus ad annum 100, Resendius in Antiquitatibus Eboræ, Villegas, Sanctorus, Trugillus, Marieta ad 15 diem Maii, Mariana in Hist. Hisp. Refertur ejus historia in Breviariis Eborensi, Burgensi, et Palentino in hæc verba :

Passio S. Mancii martyris, qui passus est a Judæis, vel Paganis in territorio Elborensi, qui ex partibus Romanorum natus ad Hispanias destinatus, verbum Dei, sicut melius potuit, prædicavit; et de regione in regionem Elboram venit, in provincia Lusitana, ubi Christianum populum ab infidelibus oppressum reperit. Beatus igitur Mancius, ut miles Christi, armatus lorica fidei, et in ejus cruce confidens, contra infideles accinctus aiebat : Falsos deos audire non possum,

A. C. 91. Uxamebarchæ in Autrigenibus Hispaniæ SS. Trophimus, Ovantius, et Astorgius episcopus martyres, in eadem persecutione pro Christi fide constanter cæsi sunt. A. R. 842.

BIVARII COMMENTARIUS.

testis mendax esse non debeo, pro amore Dei mei, quem Judæi crucifixerunt, supplicia non recuso; mortem autem quæro, per quam mihi vitæ æternitas conferatur. Cum hæc adversus eos proferret, S. Mancium ad supplicium rapiunt, detractoque omni corporis indumento dilaceratur [Al. *divaricatur*] *membris extensis, funiumque vinculis, innumeris plagarum ictibus verberatur; quasi vestibus nudari possent membra quæ fidei confessio vestiebat. Igitur cum inter vincula et tormenta vultu semper hilaris esset, adductus ante Validum præfectum, et ante Judæos qui eum accusabant, dixit ei Validus: Audi, Manci; cessa ab hac prædicatione, et ora deos nostros. Cui Mancius dixit: Tormenta et supplicia tua non timeo. Tunc Validus præfectus jussit eum fustibus cædi, et multis tormentis lacerari. Martyr autem Christi oravit dicens: Gratias tibi ago, Domine, qui me fecisti vincere tormenta carnificum; jube me ad te pervenire. Et vox de cœlo audita est: Veni, dilecte noster, ad me. Cumque ille diceret: Pater in manus tuas*, etc., *sancta illa anima exivit a corpore* 20 *die Maii. Ferunt autem aliqui, hunc B. Mancium discipulum Domini nostri Jesu Christi, et in cœna cum pedes discipulorum lavarit, Domino ministrasse.* Hactenus Palentinum Breviarium, ad cujus diœcesim in Hispaniarum devastatione per Sarracenos facta anno 714 corpus S. Martyris translatum fuit, et ob ejus honorem ædificatum est oppidum *Villa nueba de S. Mancio* nuncupatum, quiescitque in monasterio S. Benedicti. Anno vero 1591, jussu Philippi II, regis Catholici particula reliquiarum in Eborensem sedem suam translata est, D. Theotonio de Bragancia Eborensi archiepiscopo regis consanguineo procurante.

Sane quod in S. Dionysio Areopagita Græcis et Gallis contigit, id pariter in S. Mancio Gallis et Hispanis contigisse reperio. Græci siquidem cum de Dionysio suo nihil novissent, postquam ab Atheuis discesserat, Confessorem crediderunt, Galli vero quibus martyrium ipsius notum erat, martyrem celebrarunt: sic prorsus in S. Mancio accidit; cum enim in Gallia martyrium non consummaverit, Galli C ejus festum de confessore pontifice agunt, Hispani vero, quibus martyrium satis notum fuit, utpote Eboræ peractum, de martyre celebrant officium; sed et ipsi diminute procedunt dum pontificatus ipsius memoriam non faciunt, qui tamen Gallis cognitus satis fuit. Dedit etiam errori ansam nominis duplicitas: cum enim more Romano *Memmius Mancius* vocaretur, illic Memnum (vel Memnium) celebrant, hi Mancium, et usque ad Romanum Martyrologium æquivocatio irrepsit, ubi unius ejusdemque sancti duo festa peraguntur, alterum 15 Maii more Hispanorum sic, *Eboræ in Lusitania S. Mancii martyris;* alterum 5 Augusti in hæc verba more Gallorum, quæ satis indicant civem illum Romanum ac Christi discipulum esse; quem nos Mancium dicimus: *Cathalauni in Gallia S. Memnii civis Romani, qui a S. Petro illius civitatis episcopus consecratus, populum sibi commissum ad Evangelii veritatem perduxit.* Addit Beda, *qui inter alia innumera miracula mortuum suscitavit.* Agunt de eo Gregorius Turonensis, de gloria Confes., cap. 66, et Vincentius Belvacensis in speculo lib. IX, cap. 45 et 46; sed scriptores Galli pro more suo, quæ in Gallia gessit, dumtaxat scripserunt: idemque contigit Equilino, qui eos secutus est lib. VII, cap. 25, ubi hæc habet: *Memmius Cathalaunensis episcopus, nobilis Romanus a S. Petro apostolo in episcopum consecratus, cum S. Dionysio et aliis episcopis ad Gallias prædicationis gratia directus est.* Sed hic auctor in hoc sibimet contrariatur; quia a Petro apostolo directus, nequaquam cum Dionysio proficisci potuit, utpote qui usque ad Clementis pontificatum non fuit missus in Gallias. Pergit vero: A *Sed cum* XVIII *milliario ab urbe elongati forent, Maximianus ejus subdiaconus mortuus est. Memnius vero ad Petrum rediit, et socium defunctum nuntiavit: acceptaque ab Apostolo de fimbria vestimenti ejus particula, reversus, cadaver adhuc inhumatum tetigit, et continuo mortuus resurrexit.* Cum de urbe loquitur, si Dextro fides habenda, immo quia habenda, Hierosolymam intellige, non Romam; anno enim Domini 36, quo a Dextro dicitur cœpisse prædicationis munus, nondum Romam venerat Apostolus; quare cum eo ipso anno sanctus Jacobus a Petro missus in Hispaniam fuerit (quod ex superioribus liquet), fit probabile ut Mancius cum Jacobo missus sit: quo dato, crediderim errore attribui sancto Mancio miraculum istud de socii suscitatione, quod, vel ipso Equilino teste lib. VI, cap. 109, S. Frontoni Petragoricensi episcopo contigit, Roma a B. Petro in Petragoricam Galliæ civitatem directo, cum Gregorio presbytero, quem in itinere defunctum suscitavit, baculo Apostoli, ad B quem redierat, accepto et superposito. Certe si cum Jacobo perambulabat, non indigebat ad Petrum redire. Sed ut sit, *alia quoque signa plurima* (ait ille) *per illos Dominus ostendit. Cum autem ad urbem Cathalaunensem venisset, et populum ad convertendum durum reperisset, milliario uno a civitate in loco deserto cœpit in spelunca contemplationi vacare, multisque inibi miraculis clarescere. Nam puerum nobilem, qui cadens in fluviolo, Nauta dicto, et juxta civitatem labitur, necatus fuerat, suscitavit* (de hoc mortuo credo Bedam locutum), *multosque viso mirabili signo ad Christum convertit; sicque a populo cum honore ad civitatem ducitur. In ipso quoque urbis ingressu tres leprosos mundavit, et totidem cæcos illuminavit; dæmonem quoque ab obsesso quodam ejecit:* subdit denique annos LXXX sedem suam gubernasse; ego lego LXX: sic enim Dextro consonat, qui docet cœpisse pontificatum, et prædicationis munus ab anno Domini 35 usque ad 106, quo martyrium perpessus fuit, inter quos mediant anni LXX, quos sedisse dicitur; at non solum Cathalauni, ut ipsi putant, toto hoc tempore sedit, sed etiam Eboræ in Hispania: neque ejus corpus Cathalauni est, ut Turonensis existimavit, sed ad summum aliquæ reliquiæ ipsius. Vide miram a Dextro exiisse consonantiam. Quod de disciplina Mancii sub Domini magisterio dicitur, nonnulli etiam ad 72 numerum extendunt, ut unus illorum Mancius sit, quod tamen non satis liquet: sufficit sane Christi novisse disciplinam, de cæteris non curo.

Hoc ipso anno Domini 90 in Chronico Eusebii a D. Hieronymo addita hæc de Fabio Quintiliano leguntur: *Quintilianus ex Hispania Calagurritanus, qui primus Romæ publicam scholam et salarium e fisco accepit, claruit.* Mira res, ut homo Hispanus omnium primus Italos ipsos rhetoricam Latinæ linguæ doceret, ob idque e fisco primo salarium acciperet! De eo Ausonius in Parentalibus num. 2 inquit:

Asserat ut licet Fabium Calagurris alumnum,
Ancipitem palmam Quintilianus habet.

A. C. 91. — 1. *Uxamæ*, etc. Duas *Uxamas* in Hispania fuisse apud Ptolomæum legimus: in Autrigonibus alteram cognomento *Barcham*, alteram in Arevacis cognomento *Argellam;* hæc hodie *Osma* dicitur; altera de qua hoc loco sermo est, non satis liquet ubi determinate fuerit. Cæterum ex situ quem et Ptolemæus designat *Orduna* est; nam Autrigones confines erant Cantabris; Autrigonum autem borealior civitas Flaviobriga erat, nunc *Bilbao*, et non longe admodum in Mediterraneis distabat ab ea Uxamabarca, quo loci *Orduna* a *Bilbao* sejungitur. Mar-

A. C. 91. Glabrio consul Romanus pro Christi confessione cæditur. A. R. 842.
Nereus, Achilleus, et Flavia Domitilla relegati crebis sancti M. Marcelli, post Toletanorum pontificis, litteris recreati, tandem pro fide cæsi, ad martyrii lauream evolant.

BIVARII COMMENTARIUS.

tyrum autem qui Uxamebarcæ passi hic dicuntur, meminit Petrus Equilinus lib. XI, cap. ultim., numer. 251, his verbis : *Trophimus, et Oceanus, et Eustorgius episcopus, passi sunt martyrium* XIV *kalend. Octobris.* Corrupte loco Ovantii legit Oceanum, et pro Astorgio Eustorgium, sed facilis in his transitus. Fatetur vero Equilinus quos in eo capite sanctos enumerat, ex Martyrologio Hieronymi, Adonis, vel Usuardi, desumptos esse, et ad litteram a se transcriptos.

2 *Glabrio.* Quæ deinceps in hoc commentario sequuntur, non sunt præcise ad ann. 91 restringenda, sed inter 91 et 93 accidere potuerunt ; quippe cum sequens annus in Dextro sit 94. Sane Glabrii consulis martyrium in annum Domini 93 incidit, quod Dio Cassius, tametsi ethnicus, recitat his verbis : *Acilius Glabrio consul cum aliis, illato crimine* ἀθεότητος (id est contemptus deorum), *quod ad Judæorum* (sic vocabant Christianos) *mores transiisset; primo quidem adhuc agentem consulem, vocatum ad Albanum, ad Juvenalia, et in sententia persistentem, in theatrum missus fuit ut cum immani leone pugnaturus ab eo discerperetur; sed ab illo non tantum non est læsus, sed eum egregie ipse confecit; quamobrem postea, eadem ex causa quod Romanos deos non coleret, jussus est interfici.* Baronius id rejicit in annum Domini 94 ; sed, ut vidimus a passione Apostolorum, uno anno præcurrit Dextrum.

3. *Nereus*, etc. Non hoc loco præcipue intendit auctor horum SS. martyrium annotare, tametsi obiter illud memoret, sed solatium quod in Pontia insula relegati, a M. Marcello in urbe commorante recipiebant, missis inter se frequentibus litteris. Exstant quædam SS. Nerei et Achillei ad Marcellum apud Surium tomo III, 12 Maii, quibus ejus sententiam requirunt super ea quæstione quam Furius et Priscus, discipuli Simonis Magi, inibi propter magiæ usum relegati, excitabant de magistri sui sanctitate. Conabantur enim seducere eos qui in insula degebant, ut Simonem ceu Filium Dei colerent, crederentque Petrum apostolum immerito ei fuisse infensum. Litteras placuit hic inserere.

Nereus et Achilleus, servi Christi Jesu, fratri et condiscipulo Marcello æternam salutem. In Pontiæ insulæ ergastulum relegati propter nomen Domini nostri Jesu Christi, gaudemus quidem ; sed gaudium nostrum perturbant Furius et Priscus discipuli Simonis , qui propter artes magicas huc in exsilium deportati sunt. Aiunt illi a culpa alienum fuisse Simonem; porro apostolum Petrum sine causa eum exsecratum esse. Cumque diceremus nos insulæ habitatoribus ne commodarent eis fidem, memoravimus illustrem et idoneam personam tuam, quæ possit scriptis ipsos efficere certiores cujusmodi fuerit Simonis Magi vita, et quemadmodum, cum ejus fueris discipulus, res ejus omnes bene cognitas et exploratas habeas : quas oramus ut perscribere ne graveris, ut homines innoxii ab horum fraudibus et imposturis liberentur. Gratia Domini nostri Jesu Christi tecum.

Huic epistolæ reddidit M. Marcellus sequentem : *Marcellus servus Jesu Christi sanctis confessoribus Nereo et Achilleo. Lectis litteris vestris, gaudio sum repletus, quod intelligerem vos in fide constantes esse, et pro veritate certare viriliter. Et quia scribitis objectam vobis Simonis innocentiam, retexam partim vitam ipsius, ut ex paucis cætera colligantur. Ego quidem cum in ejus me disciplinam tradidissem, posteaquam animadverti hominem esse malignum, et infantium trucidatorem, itemque maleficum ac perfractorem, discessi ab illo, et me ad Dominum meum sanctum Petrum apostolum adjunxi. Quem cum Simon Magum diceret, et populum Romanum ejus odio inflammaret, derepente eo loco ubi Petrum Simon insimulabat, vidua transiit cum multa populi frequentia, filium unicum efferens tristissima. Id ut vidit S. Petrus, ait ad populum Simoni credentem : Deponatis e feretro defunctum hominem, et qui eum excitarit, ejus veram esse fidem sentiatis. Cum populus ita fecisset, Simon dixit : Si ego hunc vitæ reddidero, num vos Petrum interficietis? Respondit omnis turba : Vivum eum concremabimus. Mox Simon dæmonum opera id efficit ut nonnihil moveretur cadaver. Eo viso, sublatis vocibus populus Simonem prædicat, Petro exitium minatus. At Petrus, vix impetrato silentio, ait : Si vivit, loquatur, ambulet, cibum capiat, revertatur ad ædes suas : si non id fecerit, non dubitetis fallacem esse Simonem. Tum una voce clamavit populus : Nisi id fecerit Simon, pœnam qua voluit affici Petrum, ipse luat. Simon vero iram simulans fugere voluit; sed populus cum multa exprobratione eum detinuit. Porro apostolus Petrus, in cœlum manus tollens, ait : Domine Jesu Christe, qui nobis dixisti : In nomine meo dæmonia ejicite, infirmos curate, mortuos suscitate, excita puerum hunc, ut omnis hæc turba agnoscat te esse Deum, nec alium præter te, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Mox puer exsurgens, et ad Petri apostoli pedes se abjiciens, ait : Vidi Dominum Jesum Christum jubentem angelis ut propter preces tuas me orphanum restituerent viduæ matri meæ. Tunc populus exclamans : Unus, inquit, est Deus quem Petrus prædicat. Simon autem per præstigias, caput canis sibi fingens, fugam capessebat ; sed eum retentum cum populus vellet flammis comburere, Petrus ita dixit : Præceptor noster docuit nos pro malis bona reddere ; effecitque ut Simon dimitteretur. Is vero ut ad me venit, putans me quid actum esset nescire, canem ingentem ligavit ad aditum domus meæ, dicens : Videamus num sit pro more ad te ingressurus Petrus. Post horam unam veniens Petrus, signo crucis edito solvit canem, jussitque eum ostendere Simoni ut cessaret dæmonum opera fallere populum, pro quo Christus sanguinem suum fudisset. His ergo visis, accurri ad Petrum, eumque reverenter excepi in domum meam. Porro Simonem persequebatur canis ; cumque eum prostravisset, Petrus in Christi nomine præcepit ei ne ullum corpori ejus morsum inferret. Et corpus quidem non attigit, sed vestes adeo laceravit, ut nulla pars corporis tecta maneret. Populus vero et imprimis pueri una cum cane eum insectantes, extra urbis mœnia, ceu lupum, expulerunt. Quam ille ignominiam non ferens, toto anno delituit. Postea Neroni commendatus est, qui eum in suam amicitiam admisit, homo improbus seipso nequiorem. Apparuit autem in visione Dominus Petro apostolo, dicens : Simon et Nero, pleni malo dæmone, adversum te cogitant ; sed ne timeas, ego enim tecum sum, adjungamque tibi Paulum apostolum, cras urbem ingressurum, pariterque post menses septem cum Simone confligetis : eoque superato, et in Tartarum detruso, simul ad me victores pervenietis. Altera die venit Paulus Romam. Quo autem pacto cum Simone congressi sint, cum vos ipsi coram sitis intuiti, superfluus mihi visus sum apud vos velle referre, maxime cum S. Linus ad Orientis Ecclesias omnem eorum seriem Græce perscripserit.* Hæc de Simone Mago et apostolo Petro M. Marcellus ad sanctos exsules scribit. Quæ deinceps sequuntur : *De Petronilla filia Petri apostoli, domini mei, quando sollicite perquiritis quis ejus vitæ finis fuerit, paucis annotabo ;* novam epistolam redolent, quandoquidem in ea quam superius transcripsimus, nihil de Petro-

A. C. 91. Tota Hispania celebris habetur memoria S. Jacobi apostoli Zebedæi filii, primique illorum pastoris, et egregii doctoris. A. R. 842.

Joannes Theologus exsultantibus totius orbis Ecclesiis ab exsilio revocatur : omnes illius reditum missis litteris gratulantur.

Philippus cognomento Philotheus, qui prius corpora SS. martyrum Gervasii et Protasi, civium suorum Mediolanensium, Mediolani sepelierat ; conversusque in Campo Laminitano a S. Paulo, illum secutus adhæsit Clementi, a quo legatus missus in Hispanias, Toleti, Barcinone, Cæsaraugusta, Hispali, Valentiæ, et in multis aliis urbibus prædicat.

BIVARII COMMENTARIUS.

nilla martyres rogaverunt. Dedimus quoque eam ad annum Domini 34, nisi quod inibi quæ solum Petronillæ erant retulimus, cum tamen epistola ipsa referat itidem martyrium S. Feliculæ virginis, sociæ ipsius, et S. Nicomedis presbyteri. Exstant quoque cum prædictis aliæ litteræ SS. martyrum Eutichetis, Victorini, et Maronis, ad eumdem Marcellum, de martyrio prædictorum Nerei et Achillei, sub Memmio Rufo consulari Terracinæ peremptorum. Quibus perlectis, *Marcellus misit germanum suum* (ait auctor historiæ illorum) *ad insulam, qui cum his Christi confessoribus egit illic annum unum, ac deinde reversus ad Marcellum narravit illi*, ipsorum Eutychetis et sociorum palmas de tyranno acceptas, Sulpitii quoque et Serviliani, et tandem sanctarum virginum Fl. Domitillæ cum sociabus Euphrosina et Theodora, quæ Terracinæ cubiculo inclusæ, per ignem consummatæ fuerunt, Trajano imperante, anno Domini ut minimum 100, cum tamen relegata fuisset S. Flavia (sub Domitiano, ut ibidem asseritur) circa annum 90 vel 91. Præ oculis nihilominus habendum non unam et eamdem, sed duas Flavias Domitillas hoc tempore fuisse martyrio nobili decoratas : alteram Fl. Clementis consulis uxorem, de qua Dio asserit propinquam fuisse sanguine Domitiano, a quo in Pandatariam insulam relegata est, quod deos patrios non coleret ; cujus sub Trajano martyrii meminit Dexter ad annum Christi 100 ; alteram ejusdem Fl. Clementis ex Plautilla sorore neptem, virginem sanctissimam, similiter sub Trajano passam, de qua Eusebius ex Brutio dixit anno 99 : *Scribit Brutius plurimos Christianorum sub Domitiano fecisse martyrium, inter quos et Fl. Domitilla Fl. Clementis consulis ex sorore neptis, in insulam Pontianam relegata, quia se Christianam testata est.* Subiit pro Christo mortem 7 die Maii ; at Nereus et Achilleus ejus eunuchi anno præcedente, die 12 ejusdem mensis decapitati sunt. Vide Baronium tum in Notis, tum in Annalibus anno 68. Quod vero condiscipuli fuerint Eugenii, et S. Petri apostoli discipuli, satis liquet, non solum ex litteris modo relatis, sed ex Epist. ad Romanos, ubi Paulus Romam ire cupiens, jubet inter alios salutari Nereum : et cum hactenus Romam ipse non vidisset, fit ut Nereus Petri discipulus esset, et non Pauli.

4. *Tota Hispania*, etc. Satis superque de S. Jacobo diximus in superioribus, et de peregrinatione ad ejus sacrum corpus his temporibus fieri solita ; maxime cum S. Cletus qui hoc floruerat tempore, peregrinationes ad Sanctos edicto dato defenderit.

5. *S. Joannes Theologus*, etc. Prædixerat Joanni relevationem exsilii ab insula Pathmos Dionysius in peculiari quam ad ipsum dedit epistola, in cujus calce hæc dixit : *Ero autem prorsus dignior, cui fides adhibeatur, si (quæ tibi præcognita sunt) quæ ex Deo didici, hæc loquar. Quod scilicet et ex Pathmi custodia dimittendus es liber, et in Asiaticam terram reversurus : illicque perages boni Dei imitationes* (de Evangelio hæc intelligo) *easque posteris trades.* Dimissio autem Joannis ex Pathmo, quantum lætitiæ cunctis Christicolis attulerit, non indiget probatione. Equilinus lib. II, cap. 7. de his loquens ait : *S. Joannes qui cum injuria ad exsilium fuerat deportatus : cum honore ad Ephesum deductus est, omni populo sibi occurrente, et clamante : Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sed quid, hoc anno, Dextro cum reditu Joannis ab exsilio ? ipse quippe hoc potius in exsilium actus, quam ab eo reversus fuit. Baronius siquidem constanter asseverat, deductum quidem Pathmos anno 92 sub Domitiano, postquam Romæ ab olei dolio ferventi vegetior exierat ; deductum vero anno 98 quando, Dione teste, *Nerva omnes qui impietatis in deos rei fuerant, absolvi voluit, et exsules in patriam reduxit.* Id quod Hieronymus etiam testatur, de Scriptoribus Eccles., in Joanne. Metaphrastes addit a Trajano reductum, quod ut minimum anno 100 contigisse oportet. Deberet igitur hoc anno Dexter de exsilio potius agere, quam de reditu. Cæterum non constat inter Doctores, id quod supponitur ut certum. Arethas siquidem Cæsariensis dum Apocalypsim commentatur, sub Nerone putat relegatum, non sub Domitiano. Estque satis verisimile Neronem qui funditus Ecclesiam Christi debere contendit, non solum Petrum et Paulum trucidasse, sed Joannem etiam, qui ex Apostolis superstes erat, insectatum fuisse, qui enim solum Joannem libere agere dimisisset ? Rursus Epiphanius hæresi 51 etiam sub Claudio (Claudium Neronem intelligo) Pathmo reversum affirmat. Ne quis miretur Dextrum asserentem circa annum Domini 93 Pathmo in Asiam reversum. Immo vero oppositum nequaquam deducitur ex testimonio Dionis relato : quo solum dicuntur exsules reducti in patriam. Ergone Joannes reductus a Nerva ? Unde locus ? oporteret primum stabilire eo temporis exsulasse, quod tamen asseritur, non probatur. Et addo, quod tametsi forsitan exsularit, non tamen omnes edicti illius vi reducti fuere, ut Fl. Domitilla virgo, quæ in Pontia insula a Domitiano usque ad Trajani tempora permansit, sub quo martyrium subiit, id ipsius Domitillæ Actis attestantibus, de ea et sociis ipsius. Sed hæc satis pro Dextri asserto utcumque tuendo.

6. *Philippus*, etc. Erat magnus hic amator Dei (hoc Philothei nomen pro meritis sibi impositum indicat) Mediolanensis civis : cum vero adhuc ethnicum Nero provinciæ Arevatum præsidere fecit ; quo in munere a D. Paulo repertus, et ad fidem conversus fuit. De conversione ipsius egerat Dexter ad annum 64. Post Apostolorum necem cui interfuit, rediit Mediolanum, ubi amicorum et concivium suorum Gervasii et Protasii martyrio adfuit, funus exercuit, historiam scripsit ; quæ a D. Ambrosio cum sanctorum reliquiis inventa est ; exstatque inter ejus opera, et apud Surium tomo III die 19 Junii, cujus initium est : *Ego servus Christi Philippus intra domum meam sanctorum corpora cum filio meo rapui, et sepelivi ; quorum mater Valeria, et pater Vitalis dicti sunt*, etc. terminatur vero : *Quod cum factum fuisset, ego servus Christi Philippus abstuli cum filio meo furtim corpora sancta, et in domo mea, Deo solo teste, in ista arca marmorea sepelivi ; credens me orationibus eorum consequi misericordium Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto*, etc. Trucidatos autem sub Nerone, testatur Metaphrastes in Vita ipsorum, ut videas omnia constare, nec

A. C. 91. S. Julianus civis Toletanus Toleti patitur 7 die Januarii. Fuit episcopus. A. R. 842.
Cum Aulo Cornelio Pamla V. C. cive Toletano, Duumviroque Christiano, Toletum venit Marcus Marcellus, ibique sedem primariam totius Hispaniæ, uti in ejus meditullio, constituit. Metropoles a S. Jacobo cœptas, melius disponit : Ecclesiamque totius Hispaniæ luculenter promovet.
M. Mancino Duumviro Barcinonensi; idem Philippus Barcinonem adiit, ibidemque per aliquot menses mansit.
94. S. Clemens scribit Juliano episcopo Carpetano, et Julio Abulensi. 845.

BIVARII COMMENTARIUS.

alium credas Philippum a Philotheo, Pauli discipulo. Baronius in Notis ad diem 19 Junii suspicatur, nequaquam sub Nerone (quod Metaphrastes contendit) sed sub M. Aurelio, et Lucio Vero Gervasium et fratrem occisos; quo dato temporum dissonantia Philippos quoque distinctos redarguet. Movetur eo quod Astasius judex qui eos occidit, dicitur a Philippo illo Mediolanensi, tunc temporis proficisci ad bellum quod a Marcomanis fuerat excitatum. Bellum autem Marcomanicum temporibus M. Aurelii, et L. Veri gestum est anno 171 ut ex Chronico Eusebii habemus : inter hunc vero annum et Neronis mortem plusquam centum anni intercedunt. Adde ad Astasium dixisse sacerdotes idolorum : *Si vis lætus ad Augustos nostros reverti et victor, Gervasium et Protasium sacrificare compelle*; hæc autem Augustorum multitudo non facile Neroni qui solus regnavit, facillime L. Vero, et M. Aurelio convenire potest.

Certe si non haberemus tam manifestum Metaphrastis testimonium, conjecturisque agendum esset, iis non difficulter in Baronii sententiam adduceremur; sed habemus firmiorem conjecturis sermonem; et quod in contrarium objicit non convincit; potuit enim Neronis tempore ad Marcomanos aliquod bellum moveri, eo præsertim quo contra Neronem rebellebant nationes nobiliores, Gallia et Hispania. Quis hoc queat insimulare mendacii? Quod enim anno 171 gestum sit contra eos præcipuum bellum, non tollit quin a multis antea annis cœpissent rebellare, immo vero plerumque ita contigisse videmus : præsertim quando solus comes Astasius legitur ad eos reprimendos proficisci. Augustos autem vocare potuit (si codex incorruptus est, quod non facile admiserim) totam Neronis familiam; aut senatum, et imperatorem; aut Neronem et Galbam, qui jam in Hispania imperabat, aut ipsum solum Neronem figurata locutione, qua amplificandæ orationis gratia dicimus, Ciceones, Antonios, Julios, Scevolas, etc.

Translatis deinde in cœlum Petro et Paulo, Philippus adhæsit Clementi, a quo in Hispaniam missus fuit apostolicæ sedis legatus initio sui pontificatus, anno videlicet 93. Ejus rei exstat celebre Methodii testimonium, auctoris Græci et vetustissimi in Vita S. Dionysii, ubi sic legimus : *Porro S. Clemens sub id tempus Philippum quemdam Hispanis episcopum præfecerat : eamdemque potestatem quam ipse divinus Clemens a Petro accepit, ipsi dederat dicens : Profectus in Occidentales plagas Evangelium regni cœlorum prædicato, ligandi etiam solvendique potestas tibi esto, ut Christi Evangelium per te quoque longe lateque diffundatur, quo a Domino instar fidelis servi audire merearis; Euge, serve bone*, etc. Ambrosius Morales, et Joannes Mariana ejusdem Philippi Philothei meminerunt, nisi quod Morales eum cum Hierotheo coincidere non bene suspicatus est. Nonnulla etiam eaque memoria digna S. Braulio in additionibus ad M. Maximum scripsit, quæ hujus loci propria judicavi. *Memoria* (ait) *celebris habetur et in Gallia et in Hispania S. Philippi, quem præmisit S. Clemens ante Eugenium in Hispanias et Gallias. Venit Rothomagum cum Leone episcopo Rothomagensi, postea vero Vasconensi, et Gervasio.* (En sanctus quoque Gervasius Hispanias invisit ante martyrium.) *Prædicat in Gallia, Cantabria, Vasconibus, et per Hispaniam, dictus est cognomento Philotheus; qui Provinciam Arevacum sub Nerone ethnicus in Hispania gubernavit. Hic S. Philippus qui diaconus erat* (tunc) *comesque Leonis, reversus est Romam, adhuc vivente Petro, anno 67 et interfuit ejus Paulique martyrio. Secutus S. Clementem ut magistrum, ab illo effectus est episcopus, et postea missus est legatus in Hispanias.* Ter proinde Hispanias adiit, primo ethnicus officium gerens præsidentis Arevatium; secundo diaconus Leonis Rhothomagensis episcopi et Vasconensis; et tandem Clementis Legatus. Insuper Julianus initio sui Chronici auctor est Philippum aliquamdiu Toleti (cum ibi prædicavit) sedisse episcopum, quod ego credo accidisse post martyrium S. Juliani; et quod paulo post successit S. Eugenio. De eo iterum hoc anno n. 9.

7. *S. Julianus*, etc. Exstat adhuc memoria ipsius in Rom. Martyrologio die 7 Januarii, his verbis : *Eodem die S. Juliani martyris.* Ex quo Molanus in Additionibus ad Usuardum, et Galesinus ac cæteri recentiores. Ignorabatur hactenus quis ille Julianus fuisset, latuitque Baronium : sed nunc Dextri Chronico manifesta multa sunt, quæ sine eo ignorabantur.

8. *Aulo Cornelio Palma*, etc. Fuisse Romæ diebus his apud Romanos multos Hispanorum in pretio habitos, uterque Seneca, Lucanus, Silius, Martialis, et Quintilianus probant : et præ omnibus Trajanus, qui eo temporis ad summum imperii apicem evectus fuit. Enituit inter cæteros Aulus Cornelius Palma nobilis Toletanus, qui multo post, anno nimirum 101 consulatum Romæ iniit cum C. Sotio Senecione ut in Fastis Cassiodori, et Onuphrii videre est. Hujus familiæ erat ille Cornelius Palma, qui, bello Arabico feliciter confecto, clarissimus redditus est. In Auli Cornelii Palmæ duumviratum incidit adventus S. M. Eugenii missi a S. Clemente papa, qui hoc ipso anno 93 inierat pontificatum. Quod vero hoc loco Dexter narret designationem primatus Hispaniæ factam in Ecclesia Toletana, non est quia hoc anno facta sit, ut ipse testatur anno 105 : sed cum primum inducat in Hispaniam S. Eugenium, de eoque multa dicturus sit, idcirco quasi in capite, quæ postmodum fuse dicturus est, brevi elogio enuntiat. Agemus de eo cum Dextro ad annos 100, 105, 110, 112 et 130, quo martyrii palmam accepit.

9. *M. Mancino*, etc. Dixerat Philippum Philotheum prædicasse non solum Toleti, Cæsaraugustæ, Hispali, Valentiæ, sed etiam Barcinone, nunc in speciali Barcinonensis auctor aperit concivibus suis, sub cujus duumviratu Barcinone Philippus prædicaverat, et quod inibi aliquot menses egerit. Exstant Martialis ad Mancinum duo epigrammata, alterum lib. I, cujus initium est :

Bis tibi Triceni fuimus, Mancine, vocati, etc.

alterum in lib. IV, quod incipit (num. 61) :

Donasse amicum tibi ducenta, Mancine;

nihil aliud quam joca et sales continent, amicitiæ non vulgaris signa.

A. C. 94 — 1. *S. Clemens.* Epistola hæc quarta earum est, quas D. Clemens scripsit, cujus initium, *Clemens Romanæ urbis episcopus charissimis fratribus*

A. C. 94. Bilbilitani Christo crediderunt effante Paterno. A. R. 845.
C. Prochorus, unus ex septem diaconis scripsit Evangelium et res gestas Joannis.

BIVARII COMMENTARIUS.

Julio et Juliano, etc. *Oportet, fratres, omnes Doctores qui ad salutem animarum instituti sunt, et ad lucrandas animas episcopi sunt consecrati*, etc. Ubi eos corripit quod filios ethnicorum baptizatos parentibus cohabitare permitterent; cum tamen Dominus dixerit in Evangelio Matth. x: *Veni separare hominem adversus patrem suum*, etc. Cæterum cum S. Julianus martyrio sublatus sit anno Domini 93, necessario asserendum judico, Clementem dedisse epistolam ei quem nesciebat ad superos amandatum, aut alium esse hunc Julianum ab illo, sive eo tempore idem prorsus vocaretur Carpetanus episcopus, qui Toletanus, sive diversus, quod non liquet. Julius autem ille qui Abulensis nuncupatur, adhuc S. Secundo discipulo Jacobi superstite, non poterat esse Abulensis episcopus, sed chorepiscopus, rectorque diœcesis, dum ipse alias urbes prædicando peragrabat: qui tamen idcirco a Dextro episcopus vocari potuit, quia S. Secundi successor fuerit. Nisi tandem quis velit non fuisse episcopum, sed civem Abulensem nobilem, cum S. Clementis accepit litteras, nam hoc etiam textus Dextri patitur, cum solum dicat, *et Julio Abulensi*. Suspicor hunc illum fuisse præclarum martyrem Geldubæ in Turdetania Bæticæ pro Christo trucidatum, de quo agitur in Martyrologio Roman. ad diem 20 Decembris, his verbis; *Geldubæ S. Julii martyris*: quo loci apud Usuardum corrupte legimus: *In Thracia civitate Gelduba*, etc. pro *in Turdetania civitate Gelduba*; neque enim in Thracia ejus nominis civitas reperitur, quapropter a Rom. Martyrologio abrasum est nomen *Thracia;* in Turdetania vero Hispaniæ Gelduba est, quam quidem Ptolomæi codices legunt Galdubam, alii Caldubam, nunc vero fere retento nomine *Gelbes* dicitur, et est titulus comitis Gelbensis prope Hispalim.

Hoc loco in Dextro excuso addebatur: *Amphitriæ quæ nunc Fita, S. Gregorius episcopus Complutensis* XII *kalendas Januarii*: verum manifesto exscriptoris vitio, hoc siquidem nequaquam isto tempore, sed postmodum anno 366 actum est, ut eo loci cum Dextro dicemus: floruit enim ipse S. Gregorius ann. 360, quinimmo quod XII *kal. Januarii* legitur consummatus, corrigi debet, ut dicat XIII kal. Janu. de quo eo loci.

2. *Bilbilitani*, etc. Intolerabile huic versui mendum irrepserat in excuso codice, sic enim legebatur: *Bilbilitani Christo crediderunt affectu paterno;* potius dicendum esset *filiali*. Sed neque hoc ad propositum, nec phrasim Dextri redoleret. Ipse potius infra anno 122 affirmat Paternum illum celeberrimum S. Saturni discipulum, domo quidem Toletanum, sed tamen Bilbilitanum fuisse civem; quare ipse priusquam in Gallias transiret, ubi Elusatium et Constantiensium episcopus et apostolus fuit, patriam suam ad Christi agnitionem perduxit. Agebat eo temporis Bilbili Martialis, unde librum XII Romam misit, quod ex præfatione ad Priscum, et ex epigrammate 3 ejusdem libri liquet. Illic paternum sæpe convenit, amicum veterem; cæterum quod religione dissonum, ipsum epigrammate 43 avari animi notavit; forsan quia non illico suum dissipabat patrimonium, et eleemosynæ quas ille in occulto faciebat, latebant ipsum. Incipit sub num. 53 ejus libri XII.

Nummi cum tibi sint, opesque tantæ,
Quantas civis habet, Paterne, rarus,
Largiris nihil, etc.

Verbum illud *affectu paterno*, mutavimus in *effante Paterno*, nam in antiquis lapidum inscriptionibus *effante* valde fuit in usu, ut Resendius in epistola ad Ambrosium Moralem affirmat, quæ in Hispania illustrata exstat. Bilbilim antiquam sitam esse, non A quidem ad Salonis confluentem ubi nunc *Calatayud*, sed in vertice montis, ad dimidiam inde leucam, auctores sunt Barrerius et Nonnius in sua Hispania cap. 75, tametsi ex ruinis Bilbilis creverit Calatayud. Nunc antiquæ urbi successit oppidulum *Baubula*, nominis reliquias retinens, et agrum. De Bilbili frequens mentio in suo Martiali lib. I, epigram. 49, de Locis Hispaniæ ad Licianum concivem illuc redeuntem:

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Nostræque laus Hispaniæ:
Videbis altam Liciane Bilbilim,
Aquis, et armis nobilem, etc.

Et epigrammate 61 ad eumdem, *Unde scriptores*, ait:

Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent jocosæ Canio suo Gades,
Emerita Deciano meo.
Te, Liciane, gloriabitur nostra,
Nec me tacebit Bilbilis. B

Quatuor et triginta Romæ transactis annis, cupiens in patriam remeare, scripsit epigram. 103, lib. x ad Bilbilitanos agros:

Municipes Augusta mihi quos Bilbilis agri
Monte creat, rapidis quos Salo cingit aquis.

et 104, ubi sic librum alloquitur:

Hispanæ pete Tarraconis arces:
Illinc te rota tollet, et citatus
Altam Bilbilim, et tuum Salonem
Quinto forsitan essedo videbis.

lege etiam epigram. 55, libri IV ad Lucium. Dedimus illud supra.

3. *C. Prochorus*, etc. Corruptissimus erat hoc loco impressus codex, sic enim habebat: *C. Prochorus scripsit Evangelium, et res gestas Joannis unius ex septem diaconis;* quasi Joannes Evangelista esset C unus ex septem diaconis, ab Apostolis in ministerium viduarum electis, et non potius Prochorus ipse. Quod vero Evangelium, dictante Joanne, scripserit, et quomodo Metaphrastes in Vita S. Joannis expressit: *Cæterum unum quemdam e septem se sequi* (Joannes) *jubet, qui Prochorus vocabatur, ut ipse quidem ea quæ a Deo essent* (dictata sibi), *iste autem quæ ab ipso notaret. Porro ipse montis verticem capessit, et more Samuelis quidem rectus erigitur; sicut Moyses autem manibus elevatis effiguratur, et mentem a sensibus abstractam totam refert in id quod exoptat. Quid ergo hinc secutum est? horrenda tonitrua et terrores, ac fulgura continue vehementi fragore elisa, et repente effulgentia*, etc. *At Prochorus interim pronus quidem, ac velut exanimis non ferebat inter hujusmodi versari spectacula: ipse vero stabat perterritus, cum charitas procul abjecisset timorem. Ad extremum tonitru in vocem exprimitur, ac dilucide resonat: In principio erat Verbum*, etc. *Prochorus qui divina institutione* D *proximus erat, lumen quidem videbat, quamquam subtremulus; porro neminem audiebat, represso paululum timore subtremula manu, quæ inde sumpta sunt exarat, donec perfectum est sanctum Evangelium*. Astipulatur Metaphrasti Equilinus lib. II, cap. 7. Athanasius quoque in Synopsi Caio tribuit ejus Evangelii scriptionem: tametsi in eo minus audiatur quod Caium illum dicat fuisse dilectum Apostolorum, qui tamen non quidem C. Prochorus, sed C. Oppius fuit, ut alibi fuse docuimus. Cæterum ipsum quoque Prochorum res gestas Joannis Evangelistæ scripsisse, Acta ipsa testantur, quæ in Bibliotheca veterum Patrum exstant; quamquam alicubi ab Hæreticis corrupta, ea tamen recipiunt multi et graves auctores.

A. C. 94. L. Magnus Julianus civis Toletanus et martyr in pretio habetur. A. R. 845.
Octogessæ in Hispania S. Agathoclia martyr viriliter passa.
S. Theodosius II Barcinonensis episcopus VI kalend. Februarii.
95. In Carpetania Pydnæ vel Pyotii S. Alexander martyr. 846.
Aquis Quintianis in Gallæcia Hispaniæ sancti Christi martyres Julianus, Dativus, Vincentius, et alii 27 socii eorum.
S. Ovidius civis Romanus episcopus Bracarensis succedit S. Basilio; hic vero
S. Petro kalendis Novembris.
In Arsa Mariana Hispaniæ patiuntur Aquila et Priscilla.

BIVARII COMMENTARIUS.

4. *L. Magnus Julianus*, etc. Hoc totum integrum A denominata. Erant enim et Aquæ Sextianæ, quas S. Juliani nomen, de quo satis multa dicta sunt, nunc de miraculis et fama post victoriam mentio fit.

5. *Octogessæ*, etc. Erat Octogessa, teste Morali lib. VIII Hist. Hisp. cap. 28, oppidum non ignobile ad Iberi situm confluentem, quinque distans leucis a Lerida; in Ilergetibus, quo loci nunc exstat, vel prope. Hic illustrissimum confecit sub Domitiani imperio martyrium S. Agathoclia, cujus adhuc nobilis exstat memoria, diesque festus 17 Septembris a Latinis in Romano Martyrologio celebratus his verbis: *Eodem die Sanctæ Agathocliæ ancillæ cujusdam mulieris infidelis, quæ longo tempore verberibus, aliis ærumnis ab ea vexata, ut Christum negaret, oblata demum judici, et sævius laniata, cum in confessione fidei persisteret, excisa lingua, in ignem projecta est.* Græci in Menologio fusius hæc narrant, ipsa die. Dabo quæ apud card. Sirletum translata reperi: *Eodem die Natalis S. martyris Agathocliæ servæ* (sic eam vocat). *S. Agathoclia serva Nicolai cujusdam Christiani hominis, et Paulinæ uxoris, cum esset* B *Christiana, et Deum timeret, quotidie cruciabatur ab hera infideli muliere, idolorum cultrice, quæ Agathocliam octo annis asperis lapidibus verberabat in vertice, eamque nudis pedibus ambulare cogebat in hyeme et frigore ad ligna colligenda, per totos octo annos studens illi persuadere, ut adoraret idola: quod cum omnino recusaret, laniata est, et excisa lingua, et in carcerem conjecta, fame affligebatur; postremo injecto in collum igne præsentem vitam cum æterna commutavit.*

6. *S. Theodosius*, etc. Fuit S. Etherii discipuli S. Jacobi in Barcinonensi sede successor, de quo inferius ad annum 100, n. 8, ait Dexter non minus profecisse Barcinonenses Christianos gloria miraculorum, virtute doctrinæ ac exemplis S. Theodosii episcopi, quam Toletani doctrina et miraculis S. Eugenii. Quare quod hoc loco inquit VI kal. Februarii, non ad mortem referendum est, quasi hoc anno acciderit, sed appositive legendum, ut sit sensus: *S. Theodosius II Barcinon. episcopus* (supple floret) *qui tamen celebratur VI kalend. Februar.*

A. C. 95.—1. *In Carpetania*, etc. Græcis veneranda fuit olim memoria S. Alexandri martyris in Pydna, ut ex Menologio liquet, celebraturque 14 die Martii, in qua Molanus etiam illum habet. *Pidne* vero in Carpetania oppidum fuisse paulo corruptiori voce dictum *Pyotium*, suo tempore, Dexter asseverat, nisi quis credat verbum illud *vel Pyotii* recentioris esse alicujus, qui ad marginem explicationis ergo illud appinxerit, unde ab alio quopiam imperito textui permixtum est; quod non negarim proterve, cum præsertim id novitas vocis suadeat. Sed de hoc lectori esto judicium. Nunc dicitur Pyoz, vel si Dextri textui credatur, non est incredibile eo tempore cœpisse jam vocem corrumpi, et pro Pydna Pyotium dici. Fuit etiam Pydna Macedoniæ urbs, quam in Pyeria locat Ptolomæus.

2. *Aquis Quintianis*, etc. Ponuntur Aquæ Quintianæ a Ptolomæo in Seburris, Gallicorum Lucensium populis, quo loci nunc *Oviedo*, aut prope. Moletius et Millius contendunt nunc vocari *Aquas Caldas*. Multa olim in Hispania exstiterunt oppida ab Aquis D Aquæ Calidæ, nunc *Orense*; rursus Aquæ Cellenæ, vel Gallinæ, ut vocat Antonini Itinerarium, oppidum non longe ab *Orense*, versus Tudem, hodie *los Vanos de Melgazo*, vel *Pregigueiro* in ditione Monasterii S. Mariæ de Melon, nostri Cisterciensis ordinis. Item Aquæ Duræ juxta Osset, de quibus M. Maximus agit anno 506, et Morales in suis Antiquitatibus, verbo *Italica*, asserit olim dictam Constantiam Juliam, prope Italicam. Fuerunt etiam Aquæ Calidæ Ptolomæo in Autetanis Cathaloniæ, olim etiam Vicus Aquarius (Villanovano auctore) appellatæ, hodie *Vich*, episcopali dignitate præditæ: sed et Aquæ prope Toletum vocabatur quod nunc *Talabara* dicitur, Toletanæ diœcesis nobile oppidum. Cæterum sanctorum martyrum Dativi, Juliani, Vincentii et sociorum, quorum hoc loco fit mentio, exstat adhuc in Romano Martyrologio specialis memoria ad diem 27 Januarii his verbis: *Item sanctorum Dativi, Juliani, Vincentii, atque aliorum 27 martyrum*, quo die etiam Beda eos celebrat, nisi quod loco Dativi, corrupte habet, *Doti*, quem Galesinus imitatus est in suo Martyrologio.

3. *Sanctus Ovidius*, etc. Si S. Ovidii, quo floruit, tempus, atque Dextri institutum spectemus, illum crediderim fuisse, qui Cæsonio Maximo in exsilium a Nerone acto comes spontaneus fuit, qua de re Martialis duo dedit epigrammata in lib. VII, quæ nos cum de Cæsonio egimus ad ann. 66 transcripsimus; cujus etiam Natales Apriles in lib. IX bis cecinit. Primum, epigr. 52:

Si credis mihi, Quinte (quod mireris)
Natales Ovidi tuas Apriles,
Ut nostras amo Martias kalendas.
Felix utraque lux, diesque nobis
Signandi melioribus lapillis!
Hic vitam tribuit, sed hic amicum,
Plus dant, Quinte, mihi tuæ kalendæ.

C Item alio epigrammate, videlicet 53, quod incipit, *Natali tibi Quinte*, etc. Ad ipsum quoque datur epigramma 85 lib. I, et epigr. 99 libri IX. Cum jam Braccarensis esset episcopus, ad fidem martyriumque perduxit sanctas Marinam, Quiteriam, et sorores; cujus rei exstat elegans hymnus apud episcopum Tudensem et Pampilionensem Sandovalem in libro episcoporum Tudensium, ubi inter alia hæc lego:

Gaude, sacerdos Ovidi,
Tu Braccarensis pontifex,
Qui meruisti filias
Tot ad polos transmittere.

Dabimus eum ad ann. 136.

Iterum de S. Ovidio agitur inferius anno Domini 110.

4. *In Arsa Mariana*, etc. Irrepsit mendum in M. S. Martyrologio, ut pro *Arsa* scriberetur *Asia*, quo semel admisso, verbum *Mariana*, cum non cohæreret cum Asia, facile versum est in *Minori*, et sic legunt impressa pene omnia; Romanum, Adonis, et Usuardi, ad diem 8 Julii. *In Asia Minori sanctorum Aquilæ et Priscillæ uxoris ejus, de quibus in Actibus Apostolorum scribitur.* Cæterum Galesinus, doctus sane ac diligens vir,

A. C. 95. Oppidum Accatucci [*Al.* Attuvi] in Bætica gloriatur Natali S. Juliani martyris, A. R. 846.
quem passum diximus Aquis Quintianis.

100. Per hoc tempus (ut scribunt aliqui) S. Marcellus, civis Romanus, cognomento Eugenius, Neroni charissimus, S. Petri discipulus, ex familia domoque Cæsaris, prius Simonis Magi discipulus, M. Marcelli præfecti filius; peregrinationum S. Petri individuus comes, Romæ floret : qui a S. Clemente Romano pontifice, S. Diony- 851.

BIVARII COMMENTARIUS.

non legit *in Asia*, sed in *Africa minori*, non alio sane nisi quia repererat non in Asia obiisse : tamen eos in Africam transferendi certam causam non habuit. Et certe moris fuit Romano Martyrologio urbes quibus sancti quieverunt designare potius quam latissimas regiones, confusam Geographiæ notitiam relinquendo. Sed quid mirum ignorasse urbem, qui martyrium horum sanctorum ignorarunt? et quos nesciebant in Hispania martyres, confessores in Asia Minori fecerunt. Sane Græci in Horologio 13 Febr. martyres eos celebrant, his verbis, quæ ipse Galesinus Latinitate donavit : *Sanctorum Martyrum Aquilæ et Priscillæ. Hi conjuges a B. apostolo Paulo verbo veritatis instructi, tum baptizati se ei comites, quocumque proficisceretur adjunxerunt, unaque cum illo multa incommoda et labores pro fide adierunt. Post ejus autem martyrium, cum hi numquam a Christi prædicatione desisterent, ab idolorum cultoribus comprehensi, primum acerbe crudeliterque torti, denique capite præciso palmas tulerunt.* Erat olim in Marianis Bæticæ montibus (hodie *Sierra Morena*) oppidum non ignobile, *Arsa*, quod Scipio Viriatum persequens accepit, ut Appianus Alexandrinus affirmat et Morales lib. VII, cap. 53, unde a montibus illis *Asia Mariana* dictum est. Cum illuc Aquila et Priscilla verbum Dei disseminantes pervenerunt, pro veritate quam prædicabant necati sunt. Docuerat Dexter in superioribus anno 70, S. Aquilam (haud dubium cum conjuge Priscilla) missum ad Hispanias a Paulo apostolo, sedisse Heracleæ prope fretum Herculeum, inde vero facile fuit Marianos montes Evangelii lumine perlustrare. Ambrosius Morales erudite credit Arsam esse quæ nunc *Azuaga* nuncupatur, non longe a *Fuente Obejuna*, quæ Cordubæ vicina est; quo loci antiquitatis magnæ urbis vestigia non modica reperiuntur. Meminit *Arsæ* Plinius dum de Bæturia agit lib. III.

5. *Oppidum Accatucci*, etc. Crediderim legendum esse *Araductæ in Brœcara*, pro *Accatucci in Bætica;* Ptolomæus enim Araductam in Brœcariis Lusitaniæ constituit, inter Durium et Minium, quo loci nunc *Porto* nobilis urbs est, quæ Portugaliæ nomen dedit; nisi *Attuvi* esset oppidum Plinio lib. III, in Bætica, Romanis *Claritas Julia* dictum, hodie *Villa de Espejo* prope Cordubam. Quare hinc existimo oriundum S. Julianum comitem sanctorum Dativi, Vincentii et sociorum, quos Aquis Quintianis passos diximus supra numero 2. Aliis forsan *Aruci* legendum videbitur in Bæturia, hodie *Villa de Aroche* juxta Cazallam in Bætica, Ambrosio de Morales teste, verbo *Bæturia*, fol. 101, ibi inter alia Romanæ antiquitatis monumenta ejusmodi lapidis inscriptio perseverat.

M. ATTERIO. PAVLINO. M. F. QVI TVMVLTVARIO. BÆTICÆ. BELLO. ASSVRGENTE. MVLTA. PRO. REP. ARVCITANA. BELLO. RETINENDA. FORTISSIME. GESSERAT. ARVCITANI. VETERES. ET. IVVENES. OPT. CIVI.

Sed in hoc cuique suum esto judicium.

A. C. 100. — 1. *Per hoc tempus*, etc. Primam a Christo nato centuriam absolvit auctor, et pergit jam quæ deinceps consecuta sunt enarrare : et primo omnium, quæ prius breviter quasi in limine secundæ tumultuario de sancto Marco Marcello scripserat, nunc jam per singula capita recenset, edisserens de genere, nobilitate, disciplina ipsius, quæ omnia testimonio sanctorum Nerei et Achillei cognita habemus. Refertur siquidem in eorum Vita (apud Surium tom. 3) quod dum in Pontia insula relegati, plebs a Furio et Prisco Magiæ deditissimis adduceretur, ut Simonis Magi doctrinæ assensum præberet, Petrum autem apostolum rejectaret : *Opponebant se illis Nereus et Achilleus, dicebantque hominibus in insula illa degentibus : Marcellum nostis Marci præfecti filium? Responderunt illi : Ecquis vero illum ignoret? Nereo rursus et Achilleo dicentibus : Admittetisne hujus de Simone et Petro testimonium? aiebant : Nimis ille delirat, qui tanto viro fidem adhibere non vult. Nereus et Achilleus dixerunt : Date ergo hoc saluti vestræ, ut donec illi nos scribamus, et ille nobis respondeat, ab horum vos doctrina subducatis.* Quod et factum est : epistolas autem ipsas dedimus in superioribus, dum ad annum 91 de eisdem martyribus ageremus : ex quibus liquet M. Marcellum præfecti urbis filium, ac proinde de domo Neronis, unumque de illis, quorum salutes Paulus Romæ Neronianis vinculis detentus Philippensibus miserat, inquiens : *Salutant vos omnes sancti, maxime qui de domo Cæsaris sunt*, primum quidem Simonis Magi, deinde S. Petri disciplinis se totum tradidisse. Quod vero in peregrinationibus suis ipsum comitatus sit, docuimus cum de adventu Petri in Hispaniam egimus. Jam quod Dexter nunc inquit, *Romæ floret*, non sic est accipiendum, quasi hoc ipso 100 Domini anno Romæ adhuc esset; sed *per hoc tempus* floruisse, hoc est paulo ante, vel postea, de quo jam ad annum 93 dictum fuerat, quo scilicet Roma cum Dionysio exiit : nec tamen Toleti constitit usque ad hunc ann. 100 utpote (quod modo Dexter ait) post longas peregrinationes in Italia, Gallia, Hispaniaque peractas.

Cum addit nunc, *Qui a S. Clemente Dionysio in Gallias eunti comes datus*, modernam opinionem excludit aientium S. Eugenium seu Marcellum discipulum fuisse S. Dionysii, cum tamen ejus condiscipulus fuerit, et a S. Clemente designatus comes ejus prædicationis. Ita prorsus ex Methodio in Vita sancti Dionysii accipio, qui inter alia addit : *Socii S. Dionysii erant Saturninus, Marcellus, et Lucianus, cum eo hac de causa conjuncti, ut ex ore duorum aut trium testium Christiana fides nesciis regionibus traderetur.* Petrus quoque de Natalibus lib. IX, cap. 41 in hanc sententiam inquit : *Dionysius post aliquod tempus a B. Clemente in Franciam destinatur, sancti quoque Saturninus et Marcellus episcopi et Lucianus presbyter comites adjunguntur.* Nec mirum, quia eorumdem Apostolorum discipuli ambo erant, et sub Hierothei disciplina uterque theologica elementa didicerat, ut jam dicam. Hoc uno discipulus Dionysii dici potuit; quod ab ipso in urbe Arelatensi episcopus ordinatus, ab eo in Hispaniam inde missus est, ac tandem de multis eruditus in libris quos ad illum dedit, de quibus paulo post fuse disseremus. Quare verba illa Dextri : *Arelatæ episcopus factus*, non eo tendunt ut significent, Arelatensem fuisse creatum episcopum, sed Arelatæ ordinatum : nam illico subditur : *ad Hispaniasque missus.* De his agens Methodius ait : *His igitur una congressis atque iter facientibus, in portum Arelatæ civitatis venerunt. Tunc S. Dionysius Marcellum in Hispanias misit, ut istic sermonem vitæ Christi Ecclesiis commendaret.* Equilinus vero : *Qui omnes venientes Arelatum verbum Dei*

A. C. 100. sio Areopagitæ in Gallias eunti comes datus; post longas peregrinationes in Ita- A. R. 851.
lia, Gallia, Hispaniaque obitas, legatus S. Clementis, a B. Dionysio Arelatæ episcopus factus, ad Hispaniasque missus, Toleti tandem constitit.

S. Romulus Trajani Cæsaris præfectus, patria Italicensis, Hispanus, in Hispaniam ab eodem relegatus, in Celtiberia patitur.

BIVARII COMMENTARIUS.

prædicare cæperunt. Tunc Dionysius, auctoritate summi Pontificis fretus, Marcellum in Hispaniam direxit.

Sed unde monstrabimus Marcellum hunc fuisse Eugenium, et non alium quempiam Dionysii discipulum? Joannes Mariana lib. IV Hist. Hisp., cap. 4, cum hoc non novum et inauditum dicat, sed a multis jam olim creditum, refert tamen aliis placuisse, ut Eugenius esset Philippus Philotheus, non autem M. Marcellus; ipse vero quid horum verum sit sub dubio reliquit. Verba ejus sunt: *Sunt qui putent Philippum quemdam a Clemente in Hispaniam episcopum amandatum, aut certe Marcellum, quem Philippo socium Dionysius adjunxit ex Gallia, ut Michael Syngellus est auctor, Eugenium ipsum fuisse; atque hoc quidem nomen ab ingenita nobilitate manasse, alterum autem a parentibus accepisse.* Moveri autem eos inquit, quod nulla mentio Eugenii exstet in antiquorum scriptis, quod tamen non magis de Marcello, quam de Philippo convincit. Ego quidem non inficior, eam solum rationem non convincere. Cæterum ex his, quæ ipse Mariana concedit, et certa apud omnes sunt, satis deducitur, Eugenium nostrum non fuisse Philippum, sed Marcellum. Fatentur omnes (et ipse illis astipulatur) Philippum non fuisse a Dionysio, sed a Clemente in Hispanias directum. Marcellum vero illum esse quem Dionysius in Hispanias misit; id quod vel Methodius ipse vetustissimus actorum S. Dionysii scriptor refert, cujus jam dedimus verba. De Eugenio autem nihil notius, quam a Dionysio ex Galliis in Hispanias amandatum fuisse. In antiquo Toletano Breviario juxta Romanæ Ecclesiæ ritum edito exstat hymnus, cujus initium est:

Nova resultent gaudia.

Et in eo inferius sic legitur:

Doctus alumnus Græciæ
Misit hunc Dionysius,
Ut esset solis radius,
In tenebris Hispaniæ.

In hymno etiam Breviarii secundum sancti Isidori regulam, legimus alium in honorem S. Eugenii, qui incipit: *S. Eugenii digna memoria*; et in eo S. Dionysius pater ejus nuncupatur, cujus nimirum ipse erat in ordine episcopali filius seu creatura;

Doctor Hispaniæ revisit Galliam,
Docti præsentiam Doctoris Galliæ (Dionysii)
Fideli captans pectore.
Patrem desiderat, votum prosequitur, etc.

Ad hæc, martyrologium proprium Broniensis monasterii, in quo sancti Martyris corpus diu requievit, cujus suo Usuardo clausulam Molanus inseruit, hæc habet: *Ipso die S. Eugenii archiepiscopi, et martyris Toletanæ sedis, qui a B. Dionysio ordinatus, et directus fuit ad prædicandum sanctam Trinitatem gentibus.* Ac demum quotquot vitam S. Eugenii scriptis mandarunt, seu de eo egerunt, Equilinus lib. X Catalogi, cap. 62, Vincentius Belvacensis lib. X Speculi Histor., cap. 35, Marinæus Siculus lib. V Historiæ Hispanicæ, Morales lib. IX suæ cap. 26, Garibaius lib. XII, cap. 9, Marieta I p. lib. I a cap. 17, Cianca lib. III de S. Secundo, cap. 10, Illescas lib. VI Pontificalis Hist. cap. 15, Sanctoro Villegas, et Truxillo die 15 Novembris, Blasius Ortiz in descriptione templi Toletani cap. XI, Antonius de Ribera in lib. de A Translatione S. Eugenii, Padilla, et Alcocer; omnes una voce testantur præcipuum, unicumque Hispaniæ Doctorem, quem Dionysius in Hispanias misit esse Eugenium. Quare cum omnino constet, missum a S. Dionysio Marcellum fuisse, necessum est asseveremus Marcellum et Eugenium unum et eumdem prorsus esse. Præsertim quoniam Philippus diversum omnino nomen sibi acquisivit, nimirum *Philothei*: nomen vero *Eugenius*, quod nobilitatis eximiæ indicium est, propriissime M. Marcello adaptatur, utpote præfecti urbis filio, nobilissimoque Romano. Si quis quæsierit cum S. Marcellus Eugenius Roma exierit cum Dionysio, ab eoque in Hispaniis prædicandi potestatem acceperit, cur nunc vocetur a Dextro S. Clementis papæ legatus, facile quiescet, si diversitatem temporis notaverit, prius enim a Dionysio missus, postmodum a Clemente legationis munus, et potestatem plenariam accepit, nimirum statim atque Clemens de ejus in Hispanias profectione certior factus fuit.

B 2. *Romulus*, etc. Ejus martyrium breviter ac dilucide Romanum Martyrologium ad 5 Septembris his enarrat. *Eodem die S. Romuli, aulæ Trajani præfecti, qui cum sævitiam imperatoris in Christianos detestaretur, cæsus virgis, capite truncatus est.* Hæc brevius Græci in menologio, qui tamen præmittunt, undecim millia Christianorum in remotas regiones relegatos ab eodem Trajano propter fidem Christi; quod sane ad id respicit, quod de Romulo Dexter scribit, prius in Hispaniam a Trajano relegatum, et postmodum in sententia persistentem, capite atrociter plexum in Celtiberia fuisse. In quo, haud dubium, Metaphrastes delusus est, dum asserit ad ipsius Trajani præsentiam adductum, interrogatum, et judicatum, si contendit Romæ passum; quamquam facile adduci possit ejus narratio, ut præmittens quæ gesta sunt in præsentia Trajani, nihil de loco et tempore exsecutionis sententiæ dicat. Nempe vere dicitur rogatus ab imperatore de fide, et vere
C accepisse ab eo capitalem sententiam; inter hæc vero et decapitationem intercessit exsilium in Hispaniam. Fallitur etiam dum ait, illam Christianorum multitudinem in exsilium relegatam, in Armeniæ urbem Melitanam amandatam fuisse a Trajano; quod enim Græci simul eodem die, eademque martyrologii sui periodo agant de Romulo et Eudoxio, Zenone, Marchario et aliis 1104; et isti, scilicet Eudoxius cum cæteris passi sint Melitinæ in Armenia sub Diocletiano, inde eos confundit cum Romulo, et undecim millibus a Trajano relegatis: cum tamen in menologio omnia distincte constent, sicut in Martyrologio Romano. Non igitur socii S. Romuli in Melitinam Armeniæ relegati sunt, sed Eudoxius et socii ipsius; Romulus vero in Hispaniam, quam non ingrate accipio vocatam in menologio, nomine remotarum regionum. Romulus igitur primus fructus fuit, quem ab Trajani persecutione Hispania percepit; Hispanus et Italicensis, ab imperatore pariter Hispano, et Italicensi, primum ob amorem pa-
D triæ ad præfecturam imperialis aulæ sublimatus, demum ab eodem privatus dignitate, cingulo simul et capite. Heu! talis impiorum solet esse fides.

Fuisse quidem Trajanum Hispanum Italicæ quæ Turdetaniæ provinciæ est urbs in Bætica natum, nemo est qui ignoret; negat solus Aurelius Victor, et ejusi assecla Onuphrius, qui tametsi asserant inde genus traxisse, aiunt nihilominus Tuderti in Italia ortum. Sed, ut vides, pro Italica Italiam, et pro

A. C. 100. S. Marcus Marcellus Eugenius, qui Presbyter Paulum ad Hispanias venientem secutus est, jam pontifex iterum Toleti prædicat. A. R. 851.

Rufus Thebis reversus ad Hispanias Dertosæ pontifex sedet.

Syrmi in Hispania sancti martyres Montanus presbyter et Maxima, clarissimi Christi martyres.

BIVARII COMMENTARIUS.

Turdetania Tudertum legerunt, urbem ex provincia, et provinciam ex urbe confingentes : quibus tamen Appianus Alexandrinus, Eutropius et Eusebius, et antiquiores a Morale et Baronio relati, et pro veritate adducti manifeste reluctantur. *Trajanus* (ait in Chronico Eusebius, anno 100) *Agrippinæ in Galliis imperator factus, natus Italicæ in Hispania.* Cyriacus Anchonitanus auctor est Marguessæ in Hispania columnam repertam, egestis ruderibus ædificandi gratia, cum ejusmodi inscriptione. Adducunt etiam eam Morales, lib. IX, cap. 28; Onuphrius, lib. II de Fastis, p. 218, Lipsius in Plinium comment.124 :

IMP. CÆS. NERVÆ, TRAIANO. AVG. GERMANICO. DACICO. PARTHICO. PONT. MAX. TRIB. POT. V. COS. VI. PP. DE. ROMANO. IMP. DE. PATERNA. ET. AVITA. HISPANIÆ. PATRIA. ET. DE. OMNI. HOMINVM. GENERE. MERITISS. POPVLARES. PROVINCIÆ. AREVATVM. OPT. PRINCIPI.

Quod inquit de Hispania optime meritum fuisse, Martialis testis oculatus, postquam in patriam redierat, hæc ait de Trajano, lib. XII, epig. 9 :

Palma regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina jugo :
Ergo agimus læti tanto pro munere grates :
Misisti mores in loca nostra tuos.

3. *S. M. Marcellus*, etc. Acta S. Eugenii membratim relaturus Dexter, cum numero 1 hujus 100 anni præmisisset ipsum Toleti constitisse, nunc num. 5 de ejus prædicatione agit : acturus de ejus miraculis num. 7, et de fructu prædicationis num. 8, semper tamen aliquid novi affert; hic quidem venisse jam presbyteratus ordine insignitum, quando cum Paulo accessit ad Hispanias; sed et notitia ejus accessus noviter adducitur, solum namque egerat de adventu cum Petro; quare trini adventus mentionem facit. Primi cum Petro anno 50, secundi cum Paulo an. 64, ac tertii cum a Dionysio missus est ann. 100.

4. *Rufus*, etc. Celebrat ejus memoriam Roman. Martyrologium die 21 Novembr. *Eodem*, inquit, *die natalis B. Rufi, de quo S. Paulus apostolus ad Romanos scribit.* Usuardus habet, *Natalis B. Rufi*, etc. De eo etiam Ado et Beda. Equil., l. x, cap. 92. Fuit Simonis Cyrenæi filius, et frater Alexandri, de quibus Marcus in Evangelio mentionem facit cap. 15. Prius quidem factus est Thebarum episcopus, ut auctor est Dorotheus in Synopsi, Ado et Equilinus; inde tamen prædicandi gratia accessisse in Hispanias, ac tandem Dertosæ (hodie *Tortosæ*) constitisse, Ecclesia ejusdem urbis profitetur, quæ 12 Novembr. festum ejus celebrans, in lectionibus Breviarii, traditione id majorum acceptum profitetur, ejusque historiæ narrationem habent Morales, lib. IX, c. 11; et Marieta, de Sanctis Hisp., I. part. lib. V, c. 75, et IV part. lib. XXII, titulo *Tortosa*; Vincentius Dominicus, de Sanctis Cathaloniæ; et alii qui res ejus principatus prosecuti sunt. De Alexandro ejus fratre Carthagine cum Zosimo et Candido passo aget Dexter inferius ad annum 112. Braulio, seu Heleca, in suis ad Maximi Chronicon additionibus, hæc ait : *Sanctorum Rufi et Alexandri memoria Simonis Cyrenæi (quibusdam Niger est) filiorum, celebris est. Venit cum filiis Simon in Hispaniam comitatus S. Paulum, ubi prædicavit; quam prius adierat comitatus D. Jacobum, et ibi prædicavit tunc : quem dicitur consecrasse cum aliis S. Petrus in episcopum, obiisseque Hierosolymis, colitur prima Decembris.* De Simone legimus in Actis Apost. cap. XIII : *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ et doctores : in quibus Barnabas, et Simon qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis*, etc. Hilarius, Ambrosius, Beda et Leo, quos Maldonatus refert, asserunt Simonem (et filios consequenter) fuisse gentilem; ipse vero Judæum credit, sed absque fundamento, quod enim Marcus vocet eum *fratrem Alexandri et Rufi;* quasi notorum hominum, non probat Judæum fuisse; nam quando Marcus Evangelium scripsit, multi ex gentilitate conversi erant notissimi.

5. *Syrmi*, etc. In Romano Martyrologio ad diem 26 Martii sic legimus : *Syrmii sanctorum martyrum Montani presbyteri, et Maximæ, qui ob Christi fidem in flumen demersi sunt.* Hieronymus in suo Martyrologio, quem Equilinus sequitur, lib. III, cap. 233, non in fluvio, sed in mari mersos scribit, idemque B Usuardus affirmat : *Montanus presbyter et Maxima virgo*, ait Hieronymus, *in oppido Syrmio passi sunt : qui dum Christum Dominum viva voce confiterentur, ab infidelibus tenti, et vinculis ferreis colligati, ambo in mare mersi sunt*, 6 *kalend. Aprilis.* Usuardus vero, *In Syrmio sanctorum martyrum Montani presbyteri et Maximæ in mare mersorum.* Addunt Rabanus et Notherus in suis Martyrologiis, S. Maximam uxorem fuisse B. Montani presbyteri, eorumque corpora postmodum nono ab urbe lapide inventa fuisse, quo videas mendum in Martyrologio Romano irrepsisse, dum pro mari flumen habet. Sed quorsum hæc? Ut quo loci orbis Syrmium istud sit, deducamus. Nam et in Lombardia Transpadana urbs ejus nominis est, hodie *Sirmio Castello* dicta, et in Pannonia inferiori, seu Ungaria, alia ad Savum fluvium sita, et alia demum in Hispania, quæ Floriano de Ocampo hodie est *Motrill*, Villanovano vero *Velezmalaga*, nonnullis Fregeliana in regno Granatensi, in qua S. Petrus Epænetum constituit episcopum. *Venit Petrus*, ait C Metaphrastes, *Syrmium civitatem Hispaniæ, in qua cum Epænetum constituisset episcopum*, etc. Sive autem Syrmium hoc dixeris *Motrill*, sive *Velezmalaga*, sive Fregelianam, ad mare Mediterraneum Baticæ versus Africam situm est; quare Metaphrastes ordinate refert, Apostolum Syrmio Hispaniæ profectum, Carthaginem Africæ devenisse; *Venit*, ait, *Syrmium civitatem Hispaniæ : in qua cum Epænetum constituisset episcopum, devenit Carthaginem civitatem Africæ.* Ita verum vero consonat. Nunc igitur cum ex Hieronymo, Usuardo, et Equilino, constet sanctos martyres Montanum et Maximam in mare demersos fuisse, inter urbes autem Syrmii nomenclatura insignitas sola Hispaniensis ad mare sita sit, nam Syrmium Pannoniæ et Lombardiæ valde intra continentem exstat; necessario fit, ut hi Christi Martyres Syrmii Hispaniæ coronati fuerint, ut Dexter hoc loco asseverat. Errat proinde Galesinus, qui credens solum reperiri Pannoniæ Syrmium, mare mutavit in D flumen (facili miraculo) et nomen fluvii ipsius qui Pannonicum Syrmium præterfluit *Savum* nuncupavit; et quod difficilius erat, a Diocletiano occisos scribit. Utrumque tamen sine auctore, ac proinde in neutro audiendus, quinimmo confundit hunc Montanum socium S. Maximæ virginis, cum alio comite S. Irenæi episcopi, et Demetrii diaconi, ac Pollionis lectoris, qui diverso mortis genere sub Diocletiano passi sunt; nam (uti Equilinus scribit lib. IV, cap. 94) Irenæus et Montanus in flumen præcipitati, De-

A. C. 100. Ad Castrum altum prope Tugiam prædicat S. Secundus pontifex, S. Jacobi discipu- A. R. 851.
lus, martyr ultimus sociorum.

M. Marcellus, excellens poeta et orator, ad quem Persius inscripsit quartam satyram; amicitiis Juvenalis, Persii et Senecæ, Galli, Statiique præclarus; miraculis crebris floret.

Toletani vehementer profecerunt doctrina S. M. Marcelli; ut Barcinone proficiunt Christiani gloria miraculorum, virtute doctrinæ ac exemplis Theodosii episcopi.

Maxima Toletanorum cum Barcinonensibus necessitudo contrahitur : ex quo civitatem illam ego Dexter biennio rexi ; et in Tabulariis ejus verbis multa scitu digna reperisse me fateor.

Celebris est Toleti memoria M. Marcelli Romæ præfecti, qui tempore Claudii, fuit in Citeriori Hispania quæstor quinquennalis, et murum Carthaginis Spartariæ refecit.

Dionysius Areopagita dicat Eugenio Marcello, dicto propter ingenii excellentiam Timotheo, libros de Divinis Nominibus.

BIVARII COMMENTARIUS.

metrius capite plexus, Pollio flammis exustus est, tametsi quod ad Irenæum spectat, Romanum Martyrologium 25 Martii asserat, non quidem suffocatum, sed abscisso capite consummatum fuisse.

6. *Ad Castrum altum*, etc. Tugiensem saltum, alias argenteum montem illum fuisse, quem vulgus *Sierra de Aloaraz* nuncupat, ex præcipuis Geographis, Carolo Clusio, Arnoldo Millio, Abrahamo Orthelio, et Guilielmi Gansonii tabulis accipimus, ubi adhuc oppidum perseverat *Castro* nomine. Fuit Castrum altum insigne cæde Amilcaris, de quo Titus lib. XIV, et ex eo Mariana, lib. II, cap. 7, ac Florianus, lib. IV, cap. 16, eo usque prædicationis semina jaciens pervenisse dicitur S. Secundus, qui tamen S. Abulæ pro Christo jugulum præbuit, novissimus S. Jacobi discipulorum, cujus interventu non solum in ea civitate, verum etiam in vicinis oppidis ac civitatibus multa Deus miracula præbuit. Lege de ea re Thesaurum Concionatorum, to. II, die 1 Maii. Vidit denuo lucem S. Secundi corpus anno Domini 1519, in Ecclesia quam ipse Salvatori erexerat, ac dicaverat, et jam D. Luciæ vocem acceperat, subtus terram, magno Dei beneficio, et Abulensium civium, ac Hispaniæ universæ gaudio repertum : annuloque insignitum aureo, sapphiro splendenti, litterisque in eo incisis, SANCTUS SECUNDUS. Repertus est cum sacro corpore calix, cui insculptus titulus, *Andrea Petruci orto da Siena fece questo cal.* ; eoque utpote moderni Italici idiomatis innuitur, non longo ante tempore fuisse revisum et ornatum. Demum anno 1594 in cathedralem ecclesiam solemnissimo cultu et apparatu translatum est ab illustriss. et reverendiss. D. D. Hieronymo Manrique Abulensi episcopo, Deo translationem crebris miraculis honorante, quæ Antonius de Cianca refert, speciali ea de re edita historia.

7. *M. Marcellus*, etc. De nobilissimo Romano ac ingenio præstanti par est credere, oratoriæ ac poesi in juventute sedulo incubuisse, quando præsertim et ipse Romani imperii moderator Nero in utroque excellere cunctos gloriabatur. Sane is ipse Marcellus Eugenius martyrium S. Dionysii elegantissimo cecinit carmine, ut Hilduinus in Vita sancti Dionysii (cui Morales astipulatur) testis est : et quod apud se exstabat opus illud. Agit de hoc Dexter in Chronico ad ann. 130. Prosæ autem nonnulla indicia sunt epistolæ illæ ad SS. Nereum, et Achilleum, de quibus supra actum est. Nec mirum, si charus fuerit Persio, Juvenali, Senecæ, Catullo (alias Galbo) et Statio, utpote sui sæculi celebrioribus poetis, in urbe una cum ipso commorantibus.

Multa autem miracula in prædicatione sua Toleti edidisse non solum Toletana Ecclesia, sed et aliæ multæ in Hispania quotannis die ipsi festo legerunt, inter cæteras autem Palentina in Breviario proprio hæc recitabat : *Gentilem populum Toletanæ provinciæ exemplo, honestate vitæ, catholica prædicatione, miraculorum confirmatione, ad fidem Christianam convertit.* Truxillus itidem hæc ait : *Toleti diu mansit, perseverans in prædicatione sua, et multis coruscans miraculis : atque hoc modo innumerabiles ad fidem Christi convertit.*

8. *Toletani*. Vide superiorem annotationem ; et quæ de sancto Theodosio episcopo Barcinonensi ad annum 94 diximus.

9. *Maxima Toletanorum*, etc. Promit venas hujus purissimi fontis Toletana tabularia, quæ sexcentos post annos revolvit Julianus archipresbyter S. Justæ, ibique se quoque multa scitu digna reperisse fatetur, ut epistolas illas pharisæorum ad Toletanos Hebræos, et alia ejus generis. Quod ait auctor, « Civitatem illam biennio rexi, » ita intelligo ut Toleti fuerit duumvir : duumviratus vero biennio terminaretur, quod quovis anno ex duumviris unus eligeretur, et ita fieret, ut quilibet eorum biennio gubernaret urbem. Maximi sane Toletum facere debet, tantum virum agnovisse gubernatorem, qui Theodosii imperatoris electione Orientis ipsius præfectura fructus fuit.

10. *Celebris est*, etc. Ejus M. Marcelli quæsturæ meminit Possidonius, qui scribit (teste Ravisio in Cornucopia) ipsum exegisse tributum ex Celtiberia Hispaniæ ad talenta DC. Infert Budæus : *Ex quo conjecturam facere est, Celtiberinam gentem numerosissimam fuisse, et pecunia abundantem.* Catullus Celtiberum quemdam vocavit *cuniculosæ Celtiberiæ filium*, quod auri argentique fodinis, ceu cuniculorum creberrimis antris scateret.

11. *Dionysius*, etc. Et hoc hactenus inauditum. Quis enim nescit Dionysium libros suos Timotheo Ephesiorum episcopo Pauli discipulo dedicasse? immo vero eos præ se ferre ejusmodi inscriptionem, *ad Timotheum episcopum Ephesiorum?* Verum hinc narrationem incipiamus. Non inficiar in nonnullis Dionysii codicibus excusis ejusmodi inscriptionem haberi, sed quod sit ab auctore posita; quippe cum a librario imperito de suo sit addita ; germana enim librorum *de Divinis Nominibus* inscriptio hæc est : *Compresbyterio Timotheo Dionysius presbyter* ; eam siquidem D. Thomas in suis Commentariis, eam Sixtus Senensis lib. II Bibliothecæ sanctæ, litt. D., eamque novissime Lansellius in suis Areopagiticis cudit : facile quoque deducitur ex aliorum librorum inscriptionibus de Hierarchiis cœlesti et ecclesiastica, et de mystica theologia, quos ad eumdem Timotheum scripsit ; omnibus namque præmittitur, *Compresbytero Timotheo Dionysius presbyter :* ut dubium non sit libro quoque de Divinis Nominibus ejusmodi inscriptionem præmitti. Id quod etiam ex dicendis evidentius inferetur.

BIVARII COMMENTARIUS.

Fatemur etiam multos eosque gravissimos viros credidisse, Timotheum hunc, cui libros suos dicavit Dionysius, illum esse ad quem Paulus quoque duas dicavit epistolas, Ephesoque episcopum dedit: inter quos vel maximus fuit sanctus ille Maximus, qui libris Dionysii Græcas annotationes adjecit, a Lansellio in lucem editas. Mirum autem esse non debet si facili errore involuti sunt, dum Timotheum audientes, et tempora minime distinguentes, primus ille Pauli discipulus omnium celebrior sibi in mentem venerat: cum tamen dubium non sit eos ipsos nihil minus crediturос, si animadverterent (quod difficile non erat) Apostoli discipulum martyrio jam sublatum, cum Dionysius hos libros dictabat; et alia multa quæ idipsum tam manifeste convincunt, ut non relinquatur ansa dubitandi, quod tandem cardinalis Baronius fassus est ad annum 109, tomo II Annal. Sed quæ illa sunt? S. Timotheus Ephesiorum episcopus martyrio sublatus est sub Domitiano principe; quo tempore S. Joannes apostolus in insulam Pathmos relegatus fuit, ut minimum priusquam ipse ab exsilio solutus Ephesum rediret. Ita ejus discipulus Polycrates, et ex eo Metaphrastes apud Surium tom. I, 24 Januarii, testatur, aitque, cum Joannes Pathmum relegatus est, reliquisse Ephesi Timotheum: *quamquam nec ipsum quoque in sede longo tempore vivere permisit inimicus*: quando autem exsilio solutus fuit, reperit eum ad Deum migrasse, quare cum alias constet, Joannem Apocalypsim suam Pathmi vidisse, Evangelium autem post reditum scripsisse Ephesi (ut auctores sunt Irenæus lib. V, prope finem, Epiphanius hæresi 51, Dorotheus in Synopsi, Abdias lib. VIII Historiæ Apostolicæ, Athanasius in Synopsi, Hieronymus de Scriptoribus Eccles. in Joanne, Eusebius in Chronico, et lib. III Hist. Eccles., cap. 18, et Nicephorus lib. II, cap. 24, et lib. III, cap. 9), fit ut prius e medio sublatus esset Timotheus, quam Joannes scriberet Evangelium, et apud Ephesum Apocalypsim suam publicaret, quam ad finem Domitiani imperii, quod Irenæus asserit, seu (quod in idem recidit) anno illius 14, ut habet Eusebius, Pathmi viderat. Atqui D. Dionysius tam Evangelii quam Apocalypsis Joannis sæpe in suis libris inserunt testimonia; quis ergo non videt eum scripsisse post Joannem, et multo magis post Timothei Epheseni episcopi mortem? Citat autem Joannis evangelium lib. de Cœlesti Hierar. cap. 4, in fine, et cap. 2 et 15, et lib. de Ecclesiast. Hierarchia, cap. 2, parte 2, illud: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem*, etc., et parte 1 illud: *Sermonem meum servabit, et ad eum veniemus*, etc., et alibi, Apocalypsim vero lib. de Cœlesti Hierarchia, c. 2 et 15 novies: de Ecclesiastica autem cap. 1 et cap. 3, parte 3, quo loci ait, *Sive arcanam illam et mysticam omnino visionem dilecti discipuli*, etc., et lib. de Divinis nominibus, cap. 5, illud Apoc. I: *Qui est, et qui erat, et qui venturus est.*

Accedit quod c. 4 de Divinis nominibus citat S. Ignatium ex Epistola ad Romanos dicens, *scribit enim et Divinus Ignatius, Amor meus cruci fixus est*: quam quidem Ignatius Romam contendens in vinculis, et ad martyrium properans scripsisse ex ipsa constat; in ea siquidem Romanis ait, *De Syria usque Romam pugno ad bestias, in mari et terra, nocte et die ligatus cum duodecim leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt*, etc. Id vero sub Trajano factum Martyrologium ipsum testatur 1 Februarii, et Hieronymus libr. de Scrip. Eccles. in *Ignatio*, secutus Eusebium in Chronico affirmat quod Ignatius passus est undecimo Trajani anno, Christi vero 110 vel 111: quapropter fateri consequenter debemus post S. Ignatii martyrium scripsisse Dionysium librum de Divinis nominibus, quo tempore ipse in Galliis prædicabat; et ante annos ut minimum 15 vel 16 S. Timotheus lapidibus obrutus fuerat. Cardinalis Baronius, qui hactenus nobis astipulatus fuerat, hoc præsertim Ignatii motus testimonio, a se ipso discedens jam occurrit, credendum esse id ab aliquo post Ignatii obitum libro Dionysii insertum; quæ solutio nescio quo pacto tanto viro placuerit, si enim liceret nobis sine alicujus antiqui codicis testimonio, proprio Marte illud Ignatii a libro Dionysii abradere, nescio qua fronte negaremus posse in alio quolibet fieri: quo uno dato nihil in sanctorum scriptis certum haberemus. Standum igitur consonantiæ omnium codicum Latinorum pariter et Græcorum qui id habent. At neque hoc solo haberet Baronius intentum, sed necessum esset a triginta et amplius locis librorum D. Dionysii testimonia ex Evangelio, et Apocalypsi Joannis petita abradere, quippe cum et hæc post mortem Timothei scripta sint: cum vero hæc totius orationis nervi esse constent, et ipsi quoque libri destruerentur; quod absit.

Tria adhuc ejusdem argumenti suppetunt principia ab ipsis petita libris. 1° quod sexcenties alloquens illum Timotheum cui libros dicat, refert sententias utriusque Epistola S. Pauli ad Timotheum, libro de Cœlesti Hierarch. cap. 2 et lib. de Divinis nom. cap. 5, illud I ad Timoth. I: *Regi sæculorum invisibili*, etc., et lib. de Divinis nominibus cap. 7, et de Cœlesti Hierarch. cap. 2, parte II, illud I ad Timoth. II: *Qui vult omnes homines salvos fieri*, etc., et libr. de Divin. nom. c. 8, illud et ad Timoth. II: *Fidelis permanet Deus, negare se ipsum non potest*; et alias sententias refert tum de Cœlest. Hierar. cap. 2, part. I, tum in epistola ad Demophilum, et sæpe alibi. Ergone si Ephesino Timotheo loqueretur, numquam vel simul cum citat Epistolas Apostoli ad ipsum scriptas diceret; recte tibi Paulum hoc vel illud scripsisse? numquamne vel leviter innueret ei quidquam ex illis scriptum? Id mihi incredibile videtur. 2° quod semper vocat ipsum *filium* libro de Ecclesiast. Hierar. cap. I; *Sanctissime fili Timothee*: et ad calcem ejusdem libri, *Ista fili tam multa*, etc. et lib. de Cœlest. Hier. cap. 2, *Tu autem, o fili*, etc., et libro de Divin. nom. c. 2, parte. I. Nemo autem sanæ mentis sibi persuadebit, Dionysium filii nomine umquam illum magnum Timotheum vocitasse, qui ipso Dionysio antiquior discipulus, et Ephesinus episcopus erat; quem ita nimirum Paulus honoraverat, ut sex epistolas sub suo, et ipsius simul nomine inscripserit, inquiens, *Paulus et Timotheus*, etc., videlicet II ad Corinthios, unam ad Philippenses, alteram ad Colossenses, duas ad Thessalonicenses, et unam ad Philemonem. Ergone quem Paulus sibi in prædicationis ministerio comparem fecit, Dionysius inferiorem diceret? Vidit S. Maximus olim difficultatem, et in scholiis ad lib. de Divin. nom. dixit: *Quomodo magnus Dionysius Timotheum vocet filium quærendum? Aut enim, sicuti existimo, hoc ait, velut provectior ipso annis, et in philosophia excellentior; aut quia imitando Dominum diceret: Pueri numquid pulmentarium habetis? vel quoniam eos qui simplicitatem quæ secundum Deum est exercent pueros appellabant.* Cæterum quis non videt omnes has expositiones duras et extortas? et semel ad summum Dionysius eo loquendi genere uteretur si improprie, et per quemdam tropum loqueretur, nunc vero semper eum filium vocat; præsertim quia etsi Timotheus conversus fuit in juventute, attamen quo tempore Dionysius scripsit, senissimus esset, si mortuus non fuisset.

3° Vide iterum quam longe a Dionysio fuisset sanctum illum Timotheum, nec semel filium appellare. Dubium quidem apud nullum esse debet, majoris auctoritatis virum semper fuisse apud discipulos Timotheum, quam Titum, utpote quem Paulus plus honoraverit; cum autem Dionysius ad Titum scribit (nam ad ipsum quoque dat epistolam, quam Tri-

themius inscribit, *liber de Symbolica Theologia*), vocatne eum filium? immo verum summum sacerdotem, *ad Titum summum sacerdotem* est epistolæ seu libri inscriptio; et in ipsa *honestissimum Titum*, eum non filium vocat, sic enim incipit, *Sanctus quidem Timotheus, honestissime Tite*, etc. Qui ergo tam reverenter alloquitur minoris æstimationis (apud Paulum) discipulum majoris gradus et meriti, filium nuncuparet? sed et illud animadversione dignissimum, quod Timotheus (quisquis ille sit ad quem hi libri scripti sunt) a Dionysio edoctus fuit, in hunc enim finem tot libros ipsi scribit. Rursus tam ipse quam Dionysius sub disciplina divini Hierothei aliquamdiu fuerunt, ut ex libro Divinorum nom. liquet, ut illud cap. 3 : *Cum enim inclytus præceptor noster Hierotheus*, etc., *a quo post D. Paulum instituti sumus*, etc.; et illud cap. 7 de Divin. nom. : *Mirabiliter intelligens vir ille re viva, Divinus communisque noster nostrique præceptoris sol ait : Quod stultum est Dei sapientius est hominibus* (1 *Corinth.* 1). Nemo autem sanæ mentis credet Timotheum illum Apostolorum comparem, qui Pauli ad ubera nutritus, et lacte doctrinæ perpetuo dum ille vixit edoctus, eo de medio sublato, disciplinæ Dionysii deditum fuisse, ejusque factum discipulum, et vivente quoque Apostolo, Hierotheum Athenis primum, deinde in Hispania, docentem sedulo audiisse. Quare cogimur alium Timotheum inquirere, cui hæc omnia conveniant, ut ipsum fuisse fateamur, cui Dionysius suas lucubrationes dicavit.

Cardinalis Baronius suspicatus est, hunc illum fuisse Timotheum, qui filius S. Pudentis senatoris exsistens, frater quoque fuit sanctarum Virginum Pudentianæ et Praxedis, cujus etiam mentio fit in Rom. Martyrologio ad diem 25 Junii; constat enim fuisse Dionysio coævum; Apostolorum auditorem, ac presbyterum, sicut eum Dionysius appellat perpetuo, inquiens, *Compresbytero Timotheo Dionysius*. Sane non levis esset conjectura, si conjecturis dumtaxat agendum esset; nunc vero habemus Dextri gravissimum testimonium a quo resilire sine manifesta ratione non licet; is vero testatur Timotheum illum fuisse M. Marcellum Eugenium ab ipso Dionysio Timotheum propter ingenii excellentiam (addo et ob generis nobilitatem, qua Eugenius, id est, nobilis dictus) vocitatum. Ejusmodi Græcorum nominum impositio, neque nova, neque inusitata videri debet : immo vero cum eo tempore Latina lingua vulgaris esset Romanis, apud doctos Græca erat classica, eumque fere locum habebat, quem modo apud nos Latina, unde cognomina meritis quorumdam exigentibus ab eis imposita, Græca erant. Quapropter, Eugenius vocatus est a Dionysio *Timotheus*, quod sonat honor Dei, quia nimirum ingenio et nobilitate generis Ecclesiæ infantiam honorabat. In eo quoque (ne gratis vel in hoc credamus Dextro) conveniunt omnia quæ in vero Timotheo desiderantur; ipse siquidem condiscipulus Dionysii fuit sub Pauli disciplina, cum quo et in Hispaniam profectus est, ut jam diximus; et sub Hierothei magisterio, quem Athenis itidem valuit convenire, et audivit, utpote qui ab splendidissimo Atheniensium genere ducebat originem ex matre, ut paulo inferius Dexter docebit : et postea in Hispania convenire potuit, Segobiæ. Insuper hic quoque notissimus Dionysii discipulus fuit, quod in ejus vita fatentur omnes, et convenit Breviarium S. Isidori in hymno martyrii ipsius, dum inquit :

> Doctor Hispaniæ (Eugenius) revisit Galliam,
> Docti præsentiam Doctoris Galliæ,
> Fideli captans pectore.
> Patrem desiderat (Dionysium) votum prosequitur, etc.

Si autem, quis filius Dionysii diceretur, inquiramus (cui enim libros dicat filium nuncupat), Eugenium inveniemus, de quo dicitur : *Patrem desiderat*, etc., et præter eum nullum : hic vero non solum disciplina filius, sed multo magis creatione, seu ordinatione (nam ordinatum Eugenium a Dionysio jam vidimus) dicebatur. Adde Timotheum, quem Dionysius alloquitur episcopum fuisse, quo uno (ut de cæteris taceam) omnino excluditur Timotheus ille frater SS. Pudentianæ et Praxedis, qui presbyter solum fuit. Sed unde episcopatum deducimus? Ex ipsa sane librorum inscriptione : *Compresbytero Timotheo Dionysius presbyter* : eo enim sensu presbyter intelligi debet Timotheus, quo et ipse Dionysius presbyterum se vocat, nam compresbyter, est simul, eodemque genere cum alio presbyter : certum est autem presbyteri nomine intellexisse Dionysium episcopalem ordinem et dignitatem, cum eo temporis in Galliis episcopus prædicaret. Quare compresbyter Timotheus episcopus etiam erat, ut Eugenius, quo sensu Paulus ad Titum ait : *Et constituas per civitates presbyteros* : harum qualitatum : *Si quis sine crimine est, vnius uxoris vir*, etc., ubi necessario episcopos intelligit, ut notavit eo loci Theophylactus; nam reddens rationem quare tales sint eligendi presbyteri, subdit, *oportet enim episcopum sine crimine esse*, etc.; et eodem modo loquitur I ad Timoth. IV, cum ait : *Noli negligere gratiam quæ data est tibi, cum impositione manus presbyterii*, ubi Theophylactus ait, *hoc est, episcoporum*. Demum ex lib. de Divin. nom., cap. 3, habemus Timotheum illum, quem filium vocat, absentem quidem tunc fuisse a Galliis, ubi Dionysius erat, sed non valde distantem, utpote inter quos frequens esset communicatio; loquens enim Dionysius Timotheo de libro Hierothei, quem Timotheus ipse a Dionysio acceperat, et remiserat, ut quæ ille Divinus, venerabiliter exponens divina, compendioso stylo mysteria insinuaverat, ipse copiosius declararet, ait : *Præterea et ipse ad idem sæpe nos exhortatus es, librumque ipsum, ut supra modum excellens quiddam misisti*. Sane si sæpe ipsum exhortatus fuit, non longe degebant; et si misit librum eidem, non erant præsentes sibi invicem. Facile vero omnia constant si Dionysius in Galliis, Timotheus vero in Hispaniis ageret.

Atque hinc facile causa assignari poterit, cur in notitiam Eusebii et Hieronymi libri Dionysii non venerunt, si dicamus, quod in Hispaniis adhuc, quo missi fuerant retinebantur : ubi tamen Dexter utpote Hispanus legit ipsos; Hieronymum vero, et Eusebium latuerunt. Et tamen si Romam, et ultra missi fuissent, haud dubium, quin Hieronymus in eos incideret, de eisque ageret in libro de Script. Ecclesiast. Quod enim quidam respondent, Hieronymum eo libro solum egisse de auctoribus quorum opera apud Eusebii bibliothecam exstabant, gratis dicitur, et contra Hieronymi intentum, et Dextri petitionem, ut ex prologo ipsius liquet. Unum tandem non sileam, verba illa Dionysii in epistola ad Titum : *Sanctus quidem Timotheus, honestissime Tite, nescio an aliquid scripserim de theologicis signis, cujus ipse ignarus abscesserit;* non solum non favere adversariis, sed et nostrum intentum comprobare : de alio siquidem qui ejus discipulus non esset, non id diceret; insinuat vero amicum ejus fuisse, atque in ejus manibus libros legisse suos. Ego de Eugenio id lego inferius apud Dextrum ann. 220 : *Titus cognomento justus* (sane is qui Paulum Corinthi susceperat, nam Actor. XVIII dicitur : *Intravit in domum cujusdam nomine Titi justi colentis Deum*), *episcopus factus, secutus primo S. Paulum, mox Evangelium prædicat in Carpetania, ubi ejus memoria magnitudoque miraculorum celebratur*. De hoc suo loco agendum; nunc vero inibi in Dextro et hoc legendum : *Exstat quædam epistola quæ circumfertur ad M. Marcellum Tolctanum præsulem, quem vocat filium, et Timotheum, id est, Deo honoratum; nam alter Timo-*

A. C. 100. Flavia Domitilla Sabina uxor Fl. Clementis consulis pro fide occisa est. A. R. 851.

Mirabiliter fides Christi per totas Hispanias dilatatur : crescit numerus fidelium, nec persecutionis gladius debilitatur.

Olcadibus in Carpetania Hispaniæ Tarraconensis, sed non procul Valentiam, translati sunt (ut quidam volunt) et ibidem passi, Alexander miles et Antonina virgo, III idus Aprilis, qui de Constantinopoli huc venerant, et coluntur Constantinopoli, ut cives, licet alibi passi sint illustre martyrium; quorum acta passim habentur, ut publica fide facta.

BIVARII COMMENTARIUS.

theus cui epistola hæc est scripta jam in vivis esse desierat. Haud dubium quin ejusmodi epistola Divi Dionysii esset, nam quis alter filium vocasset M. Marcellum ? Sed hæc cum multis ejusdem S. Doctoris operibus deperiit, videlicet cum libro *Divinorum hymnorum*, cujus exstat memoria c. 7, de Cœlesti Hierar.; et cum libro *de Symbolica Theologia* citato, cap. 15 de Cœlest. Hierar., et cap. 1 et 13 de Divin. nom., et cap. 3 *de Mystica Theologia*, et in Epist. ad Titum: et cum libro *de Intelligibilibus, et Sensibilibus*, citato in cap. 1 et 2 Cœlest. Hierar.; et cum libro *de Legali, seu sacerdotali Hierarchia*, citato cap. 3 Eccles. Hierar.; et cum libro *Theologicarum Hypotyposeon*, relato cap. 1 et 2 de Divin. nom. et cap. 3 Mysticæ Theolog., et cum lib. *de Anima*, quem refert cap. 4 de Divin. nom., et cum lib. *de divino justoque judicio*, ex eodem c. 4. Quid mirum si epistola illa cum tot tantisque mercibus naufragium fecerit? Exstat nihilominus liber ejusdem Dionysii de passione B. Eutropii socii sui, quem Calixtus papa II Constantinopoli Græce sonantem repertum Latinitate donavit. Exstat vero apud Vinc. Belvac. in Specul. Histor. lib. x, cap 18, titulo *De codice passionis S. Eutropii*. Reddam Vincentii verba cum capite codicis, quod in eo perspicue asseveret Dionysius fuisse Athenis natum, et nihilominus Parisiorum esse episcopum : *Hic B. Dionysius* (ait ille) *B. Eutropii consocius, ac Parisiorum præsul, passionem ejus litteris Græcis scripsit : et parentibus suis* (id est, consanguineis) *in Græcia qui jam in Christo credebant, per manum B. Clementis papæ misit; quam scilicet passionem Calixtus papa II Constantinopoli in schola Græcorum in quodam codice passionum plurimorum sanctorum martyrum olim reperit, et ex Græco in Latinum edidit; ita incipiens :*

Reverendiss. Patri Clementi Dionysius antistes, prosapia Græcus, Sal. in Christo. Eutropium, quem mecum in his oris ad prædicandum nomen Christi misisti, martyrii coronam per manus gentilium apud Xantonas urbem vobis notificamus, pro Domini fide accepisse. Quapropter Paternitatem vestram humiliter exoro, ut hunc passionis ejus codicem consanguineis meis, et notis, et amicis fidelibus in Græciæ oris, Athenis præcipue, quam citius poteritis, mittere non differatis; quatenus illi, qui a B. Paulo novæ regenerationis lavacrum una mecum acceperunt, cum audierint gloriosum martyrem pro Christi fide crudelem necem subiisse, gaudeant se tribulationes et angustias pro Christi nomine substulisse.

Ad calcem monere necessum est, non ideo hoc anno 100 egisse Dextrum de libris Dionysii, quasi eo anno scripti sint : constat enim post 100 martyrio S. Ignatii celebrem scriptos fuisse : sed quia semel de Dionysio, et Marcello Eugenio sermonem inierat, placuit hoc de illis inserere; præsertim quia non dixit hoc anno id accidisse, sed *per hoc tempus*, nimirum principio secundi centenarii annorum Christi Domini.

12. *Fl. Domitilla*, etc. Egimus de illa ad annum 91, cum de ejus nepte Domitilla sermonem institueremus. Addit hoc loco Dexter alterum hujus Domitillæ Fl. Clementis consulis uxoris cognomen, scilicet *Sabinam*, quo ab alia distingui queat.

13. *Mirabiliter*, etc. Cum de miraculis S. Eugenii Agimus, satis superque de fidei dilatatione per Hispanias dictum. Facile etiam deduci poterit, si magnos illos pugiles, ac magistros fidei, qui his temporibus prædicationi insistebant in Hispania consideremus, Titum videlicet, Onesimum, Saturninum, Philippum, Philotheum, Firminum, Paulum Sergium, Probum Paternum, Ruffum, Alexandrum, Secundum, Theodosium, Ovidium, de quibus jam diximus suis locis.

De persecutione in Christianos toto orbe degentes quæ tertia fuit in ordine, a Trajano, initio imperii sui cœpta agit Plinius secundus lib. x Epist., epist. 97, ad ipsum Trajanum dum ait : *Christianorum, qui a fide desciverant, alios ante triennium* (id est, initio Trajani imperii, ut Baronius exponit) *alios vero ante annos plures* (sub Domitiano) *plures etiam ante biennium* (Neronis persecutione adhuc durante) *ad facinus perpetrandum adductos fuisse.* Quare errat Eusebius, dum anno 10 Trajani tertiam persecutionem initium sumpsisse contendit. De ipso Plinio secundo, qui pro Christo etiam passus creditur agit, Dexter ad ann. 220.

14. *Olcadibus* etc. T. Livius, lib. XXI, auctor est Annibalem Carthaginensem Saguntinos oppugnaturum, in Olcadum fines prius induxisse exercitum; ibique de Olcadum finibus ac situ sic ait : *Ultra Iberum ea gens in parte magis, quam in ditione Carthaginensium erat. Carteiam urbem opulentam caput gentis ejus expugnat, diripitque : quo metu perculsæ minores civitates, stipendio imposito, imperium accepere;* subditque : *Vere primo in Vaccæos permotum bellum : Hermandica, et Arbacala Cartheiorum urbes, vi captæ. Ab Hermandica profugi, exsulibus Olcadum cum se junxissent, concitant Carpetanos : adortique Annibalem regressum ex Vaccæis haud procul Tago flumine, agmen grave præda turbavere. Carpetanorum cum appendicibus Olcadum, Vaccæorumque centum millia* (hi ex Helmandica ut plurimum erant, quam nunc Salmanticam dicimus, ex Turnebo l. III Animadvers. cap. 18 et Godelevo in Notis ad Livium) *fuere; invicta acies, si æquo dimicaretur campo.* Licet hinc inferre, Olcades sicut etiam Vaccæos Carpetanis finitimos fuisse, utpote qui in fugam ab Annibale dati ad Carpetanos transfugerint, haud dubium quin confines suos. Nebrisensis existimavit Olcades ad eam partem Carpetanorum exstitisse, qua nunc *Ocana* est, eumque secuti sunt Mariana in Historia Hispaniæ et Lud. Nonius in sua Hispania c. 47, et quod cæteris præstat, habemus præsens Dextri testimonium, quo Olcades pars Carpetaniæ dicuntur. Consentiunt Livio Plutarchus et Polybius lib. III, solus displicet Stephanus Byzantinus Cartheiam Olcadum caput, illam esse existimans, quæ non longe a nova Carthagine sita est, cum longe diversæ sint inter se.

In Olcadibus igitur, teste Dextro, sancti martyres Antonina virgo, et Alexander miles pro Christo passi sunt, licet alii existimant Constantinopoli occisos, quo loci festa dies quotannis ipsis celebrabatur, velut concivibus suis. Mirum autem esse non debet, quod inibi nati, in Hispania occisi sint; id enim persecutionis tempore sæpe contigit, ut Christiani hinc inde migrarent : de quo satis multa dicta a nobis sunt in superioribus. Exstant ipsorum acta apud

A. C. 100. L. Sabinus Probus conversus a Paulo in agro Laminitano Hispaniæ, Rabennæ pontifex discessit. A. R. 851.

Claudia Paphensis Candida Romæ fit martyr.

Lucia Macedonica sub præside Rucio cum aliis pluribus patitur.

BIVARII COMMENTARIUS.

Surium tomo 3, quæ in Rom. Martyrologio per epitomen referuntur dum dicitur die 3 Maii : *Constantinopoli sanctorum martyrum Alexandri militis, et Antoninæ virginis, quæ sub præside Festo ad lupanar damnata, et ab Alexandro, qui pro ea ibi remanserat, mutato habitu clam educta, cum eo postmodum jussa est torqueri : et ambo simul, præcisis manibus, in ignem pro Christo injecti, egregio peracto certamine coronantur.* Hic tamen cum Constantinopolim audis non locum martyrii, sed celebritatis intelligas velim; illuc siquidem corpora tandem magna ex parte delata fuisse, ex menologio Græcorum colligimus VI idus Junii. Irrepsit vero non leve mendum in Romano Martyrologio, dum passi referuntur in persecutione Maximiani : Acta siquidem solum habent : *Cum esset temporibus illis persecutio* : quæ autem illa fuerit, seu a quo principe excitata prorsus non declarant; sicut nec Molanus in Additionibus ad Usuardum die eodem : omnes autem sub Festo præside agonizasse scribunt; cujus tamen non in Thracia, ubi Constantinopolis est, sed in Hispania, nec tempore Maximiani, sed Domitiani exstat memoria, in Oleadibus in ponte Alcantare, ubi Vespasiano, Tito, et Domitiano Augustis titulum istum erexit, qui hodieque in eo videtur marmori incisus : B

IMP. CÆSAR. VESPASIANO AVGVSTO. PONT. MAX.
TRIB. POT. X. IMPER. XX. PP. COSS. IX.
IMPERATORI. TITO VESP. CÆSAR. AVG. F. COSS. VI.
. . . . . (*Deleta fuit Domitiani memoria*
. . . . . *ex senatusconsulto, teste Suetonio.*)
CALPETANO RANTIO QVIRINALI.
VALERIO FESTO LEG. AVG. PR. PR. etc.

Erat igitur Valerius Festus legatus Augustorum Titi, et Domitiani, et proprætor Hispaniæ quo tempore a Dextro passi referuntur Alexander et Antonina : quare cogimur fateri in persecutione Domitiani occubuisse circa annum Domini 99 vel 98; eo enim tempore lapis ille erectus fuit, ut notavit Morales lib. IX, cap. 25. Cui consonat quod Dexter asserit hoc anno 100 translatos fuisse sanctos martyres, non occisos; translatos, inquam, a fovea in quam admisto igne obruti fuerant, ut habent Acta, quæ subjungunt : *Festus illico obmutuit, et oppressus a dæmone septimo die expiravit. Compleverunt autem martyrium sancti Christi martyres Alexander et Antonina, 5 nonas Maii, hora 9 die Sabbato.* Sed placet audire menologium die 8 Junii. *Certamen sanctorum martyrum Alexandri et Antoninæ. Hi sancti martyres fuerunt ex Castello Cardemo. Beata quidem Antonina pudice et sancte vitam degebat; comprehensa vero a Festo præside, cum persuasionibus nullis flecti posset, ut Christum abnegaret, et dæmonibus serviret, meretricia domo includitur, ubi cum triduo jejunio detenta esset, nocte effulsit lumen in carcere, et facto tonitruo fores carceris diruptæ sunt, et vox a cælo demissa, quæ hortabatur ut surgeret et cibum sumeret. Quo sumpto corroborata astitit præsidi, cumque denuo persuaderi non posset, ut idolis victimas offerret, prostrata, plagis cæsa, iterum meretricium diversorium demittitur; quo Divina revelatione excitatus Alexander, ingressus (facile autem, propter juvenilem ætatem, erat enim annis natus decem et octo, videri poterat ad inhonestum facinus accessisse) clam sanctam virginem e domo illa eduxit, chlamyde capite contecto, ipse vero pro ea illic remansit. Paulo post cum res ipsa innotuisset per milites, qui ad sanctam illam violandam accesserant, ductus ad præsidem Alexander, verberatus, utrique* C *extremæ manuum et pedum partes sunt amputatæ; postremo in foveam ignis dejecti, liquida pice toto corpore uncti beatum finem, Christo adjuvante, sunt assecuti. Eorum natalis celebratur Constantinopoli, ubi sanctæ et pretiosæ illorum reliquiæ reconditæ sunt : ex quibus multorum morborum curationes scaturiunt.* D

15. *L. Sabinus Probus*, etc. Incipit hinc Dexter agere de præstantissimis quibusdam Pauli discipulis, quos in Hispania et alibi habuit, deque eorum ad Deum migratione. Ac primum quidem de Probo, quem cum conjuge sua Xantippe Laminii ad fidem pertraxerat : deinde de ejus socera Claudia Xantippe, deque uxore sua Q. Marcella Xantippe, Claudiæ ejusdem filia, ac S. Eugenii Toletanorum pontificis sorore, ejusque socia Polyxena : et quibusdam aliis. Probus Ravennæ sedit pontifex, miraculisque clarus in cœlum migravit; cujus anniversaria memoria in Rom. Martyrologio celebratur die 10 novembr. his verbis : *Ravennæ S. Probi episcopi miraculis clari.* Et apud Molanum in suo Usuardo nobile ejus elogium habet Equilinus lib. X, cap. 45 : *Probus* (inquit) *episcopus Ravennatum apud eamdem civitatem claruit. Hic enim mitis et pius, fide religiosissimus, clarus in specie, fulgidus in opere, sapiens eloquio, plenus gratia Spiritus sancti, omnes languidos ad se venientes, quacumque detentos ægritudine curabat, spiritusque immundos de obsessis expellebat. Qui postquam suæ ad occasum vitæ instante tempore angelica conspexit agmina, statim elapsa est de corpore ejus sancta anima, IV idus Novembris; sepultusque a filiis suis in Ecclesia suo nomini dedicata; ubi in miraculis, et virtutibus vivit.* Consule Rubeum lib. I Histor. Ravennatum, qui tamen valde aberrat in tempore sedis ejus assignando.

16. *Claudia Paphensis Candida*, etc. Dicebatur Paphensis quod a Papho esset urbe Cypri, ubi ad fidem conversa a Paulo dicitur, cum Lucio marito suo, et proconsule Paulo Sergio, et aliis multis, visa cæcitate quam apostolus Elymæ Mago immisit. Multos enim tunc cum proconsule fidei nomina sua dedisse, testatur Metaphrastes in commentario de Perigrinationibus Petri et Pauli. Candida vero cum marito suo Lucio Romam contendit, et cum Rogato et Casiano martyrio coronati sunt. Eorumque anniversaria memoria assignatur in Martyrologio Rom. ad diem I Decembris, tametsi Beda de Candida sola agat.

17. *L. Macedonica*, etc. Nomen Græcum Λυδία in Latinum *Lucia* errore mutatum est υ upsilon in *u* Latinum, ut sæpe assolet, mutato. Nonnulli corruptius *Luceiam* vocant ex δ facientes ει. Hanc vero fuisse Lydiam purpurariam civitatis Thyatiræ, cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo, dum Philippis prædicaret, eo constat, quod ipsa sit Macedonica, et Pauli discipula, cujus conversio, refertur Actor. XVI, cum visione Paulo ejus gratia facta, ab illis verbis : *Visio per noctem Paulo ostensa est; vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam adjuva nos*, etc. quæ inibi quivis inveniet sub nomine Lydiæ purpurariæ. Fit de ea mentio in Rom. Martyrologio 3 Augusti; crediderim tamen eamdem esse cum ea Lucia quæ cum viginti duobus Romæ passa dicitur die 29 Junii. Baronius credit esse, cujus Vitam Equilinus scripsit lib. VI, cap. 4; quod si ita esset, consequenter asserere cogimur, cum ex Dextro constet sub Rucio præside martyrium sustulisse, et alias temporibus Diocletiani reperiatur quidam Riccius Varus marty-

A. C. 100. Xantyppe et Polyxena in Hispania mera fide Deum laudavere. A. R. 851.

M. Lupus Philippus, Lucius maritus Candidæ, palmam martyrii consecutus est.

Q. Marcella Xantippe M. Marcelli Romæ præfecti filia, M. Marcelli Eugenii Toletanorum pontificis soror fuit : quam S. Paulus visis in ejus fronte litteris aureis, ad fidem Laminii convertit redeuntem ex Italia ad Hispanias : morientem S. frater Marcellus sepulturæ mandavit. Ejus mater Claudia Xantippe, civis Romana, et de genere splendidissimo Atheniensium, fuit corpore supra justam staturam procero; in quam jocatur Martialis.

S. Vincentius episcopus Meviæ, vel Mevaniæ prope Urcem, Hispaniæ urbem, in confinio Bæticæ et Tarraconensis, petit Italiam; et a Capitolino judice reductus in Hispaniam, et Carthagine Spartaria tortus Meviam reducitur; et a C. Porphyrio successore Capitolini dilaceratus est. Ejus episcopatus Mevaniensis [*Al.* Meviensis] Azotum postea est translatus, quæ Erotus paulo corruptiori vocabulo cœpit nominari. Nunc corpus S. martyris, et episcopi jacet in oppido Deltano, vulgo Totana, non procul Elisræa, inter Postellam et Leviniam (nunc Lebrella dicta est) XLIV. M. passuum a Carthagine.

BIVARII COMMENTARIUS.

rum persecutor, inde errorem Equinilum suscepisse, ut crederet Luceiam passam temporibus Diocletiani; sufficeret tamen perpendere Ricciovarum longe diversum nomen esse a Rucio, et illum minime martyres Romæ excarnificasse; sed in Gallia, ut ex SS. Crispini, et Crispiniani martyrio, et aliis multis constat. Cæterum longe alterius eo loci scripsisse Vitam credo, quia ea Luceia, de qua agit, martyrii tempore erat virgo, et pulcherrima, quam Aceia quidam barbarus rex deperibat, cum quo solo postmodum Romæ necata est; nihil vero horum Lydiæ et sociis convenire poterit.

18. *Xantippe*, etc. Cum Pauli prædicationem in Hispania Dexter annotavit anno 64, egit de conversione Xantippæ, et anno 71 de adventu Polyxenæ ejus sororis cum Onesimo ab Achaia, nunc de morte ipsarum agit. De eis ulterius numero 10 dicemus.

19. *M. Luppus*, etc. Difficile creditu est, quatuor hæc nomina Marcus, Luppus, Philippus, Lucius, unius ejusdemque hominis esse; nimirum Lucii mariti Candidæ. Crediderim potius tres esse insignes martyres, Pauli discipulos, videlicet M. Luppum, de quo Græci in menologio 23 Augusti, et cum eis Rom. Martyrologium ipsa die, Philippum Philotheum, qui ab Hispaniis in Italiam, unde erat oriundus, rediens, firmi in Piceno tandem episcopus factus jugulum pro Christo præbuit, 22 Octobris, qua ejus festum inibi colitur, memoria in Rom. Martyrologio servata; ac tandem Lucium Claudiæ Candidæ Paphensis maritum, cujus cum uxoris nomine nomen legitur in Rom. Martyrologio, 1 Decembris.

20. *Quinta Marcella*, etc. Et hoc maxime ad rem facit; cum enim de Xantippe loqueretur, et esset in animo multa in commendationem S. Eugenii scribere; nunc aperit quod hactenus celaverat, Eugenium et Xantippem fratres fuisse; utpote M. Marcelli, et Claudiæ Xantippæ filios, e quibus ille Romæ præfectus, hæc vero de nobilissimo Atheniensium genere procreata fuit. Uterque filius paterni nominis participium tulit, nam vir Marcus Marcellus, femina vero Quinta Marcella dicti sunt, quæ tamen a matre quoque cognomen Xantippæ sortita est. Proceritatem matris notavit Martialis lib. VIII epigr. 59, solito sale inquiens:

Summa Palatini poteras æquare colossi,
Si fieres brevior Claudia sesquipedem.

Meminit ejusdem Paulus ad Timotheum II Epistolam scribens cap. ult. dum inquit : *Salutant te Pudens, Linus, Claudia, et fratres omnes.* Porro Sancta Xantippe filia ipsius obiit in Hispania, et a fratre suo sepulta est.

21. *Sanctus Vincentius*, etc. Nobilissimi martyris et episcopi memoriam habet Galesinus in suo martyrologio 6 die Junii his verbis : *Meviæ S. Vincentii episcopi, qui, superatis cruciatibus, et feris quibus objectus est mansuefactis, ad præmium pro pietatis victoria migrat in cœlum.* In notis autem dum locum martyrii elucidare conatur toto cœlo errat, ait enim, *Meviæ; fortasse Mediæ, quæ urbs est Thraciæ.* Mirandum magis hoc Italo viro accidisse, qui Mevaniam in Italia notam habere debebat (si semel Mevaniam Hispaniæ ignorabat) Umbriæ oppidum, quod vulgo *Bevagna* vocatur, ut Leander Albertus, et Arnoldus Milius in sua Geographica synonymia testantur. Cæterum Itali errorem corriget Italus alter, Equilinus episcopus, qui, lib. V Catalogi, cap. 93, vitam mortemque S. Vincentii civitatis Meviæ, seu Mevaniæ, per omnia Dextro consonam scribit, ut jam vides : *Vincentius episcopus Meviæ civitatis, tentus a quodam Capitolino Rectore Tusciæ, qui episcopos Christianos ferro vinctos Perusii congregaverat puniendos, cum fratre suo Benigno diacono, adductus est ad templum Martis, ut diis immolaret. Cum autem orasset, omnia idola subversa sunt, et dæmones ululantes exeuntes, multosque paganorum cædentes, sexcentos ex eis verberibus occiderunt : omnesque Christianos, qui ferro vincti erant, Christi virtute compulsi solverunt. Quo miraculo plurimi gentilium fidem perceperunt, inter quos quidam Mavertius, comes prius crudelissimus, qui et de vicinis locis episcopos congregaverat, conversus est.* Hactenus dicta Perusii in Italia accidisse etiam Dexter asseverat cum ait : *Petit Italiam.* Subdit Equilinus : *Cum autem Christiani cum episcopo ad locum alium se transferentes, psallerent; misit Capitolinus, et inde sublato Vincentio, cæteros gladio occidi fecit. At Extasius quidam religiosus corpus Benigni diaconi ex cæteris rapiens, non longe a Portulio sepelivit, kalendis Maii. Post dies aliquot Capitolinus productum Vincentium, et diutius tortum, atque lapidibus contusum, distentum in equuleo, et flammis adustum, carceri mancipavit : ubi januis divinitus patefactis, lux cælica sibi refulsit. Quod præses audiens jussit eum in mare mergi : qui in æquore missus ab angelo ad littus reductus est. Unde et qui eum demerserant, hoc cernentes conversi sunt, et usque ad civitatem suam Meviam illum humeris reportarunt.* Hæc Carthagine Spartaria in Hispania perpetrata contendit Dexter, et bene, nam Portulium (hodie *Portela*) ubi ejus frater Benignus sepultus est, non in Italia, sed prope Carthaginem situm est : præterquam quod si Perusium reduceretur, seu Mevaniam Italiæ, quæ juxta Perusium exstat, non posset in mare præceps dari, cum utraque urbs in Mediterraneis sit, longe a mari undequaque sejuncta : Carthago vero ad littus ipsius.

A. C. 100. Mevania quædam insula est prope Carthaginem Spartariam, unde quidam exeuntes condiderunt in Italia civitatem dictam Mevaniam, prope Insulam non longe dissitam a Britannia. A. R. 851.

Antima Maximilla conjux Ægeæ Patrorum in Achaia proconsulis, a B. Andrea conversa, in antrum se abdidit, mortem post mariti. Fuit hæc Novocomensis, Plinii Junioris consanguinea; post nupsit C. Fonteio Capitoni, inque Nicomediam delata pro Christi fide 4 Maii patitur.

Stacteus Zotici, vel gentilis filius (qui Ephesi negotiorum causa morabatur) mortuus, a Joanne ad vitam revocatur. Convertitur Zoticus, et Symphorosa cum filiis ad fidem; qui reversi ad Italiam passi sunt.

BIVARII COMMENTARIUS.

Quare quod Equilinus dicit, Christianos cum episcopo ad locum alium se transtulisse, de eorum in provinciam Carthaginensem profectione intelligendum omnino est: quo Capitolinus etiam properavit, cœptam persecutionem complens; vel quia facultatem habebat persequendi toto orbe (ut de zelo imperatoris par est credere) dispersos Christianos, vel quia ira percitus, et rubore perfusus erat, et auxilium a rectoribus Hispaniæ sibi præsto affuturum sciebat. Pergit Equilinus; *Interea mortuo Capitolino a Porphyrio ejus successore detinetur, ferisque subjicitur, sed ab eis minime læsus, in fovea aquæ maxima necari jubetur: verum aperiens se terra aquas absorbuit, et decem et octo fugientes aquas deglutivit. Vincentius vero ad cellam suam rediit, et subsequenti die Dominico celebrata Missa coram populo spiritum emisit, octavo idus Junii. Cujus corpus matrona quædam Luceria, a gentilibus pretio redemptum, qui illud rapuerant exurendum, in prædio suo, quod vocatur Campus salutis, sepelivit, inter Portulium et Levaniam, milliario ad urbe* XLIV, *ubi et jacet miraculis clarens.* Vide nunc cum Dextro consonantiam, ut in dubium verti non possit, juxta Carthaginem passum et sepultum esse. *Meviam reducitur, et a C. Porphyrio successore Capitolini dilaceratus est. Nunc corpus S. martyris et episcopi tacet in oppido Deltano (vulgo Cotana) non procul Elisræa, inter Postellam et Leviniam (nunc Lebrella)* XLIV M. *pass. a Carthagine.* Exstant quidem ad præsens oppida illa prope Carthaginem, a septentrione ejus Lebrella, seu *Lebrilla*, a meridie Portella, nunc *Portilla*, et pro Campo salutis quem Dexter vocat *Cotona*, seu Totana, exstat *la Venta Cotana*, inter utrumque oppidum sita. De Assoto prope Carthaginem, quo S. Vincentii episcopatus dicitur translatus, egimus anno 54 occasione S. Euphrasii, qui illic prædicavit.

22. *Mevania*, etc. Insula hæc illa videtur, quæ nunc *Islagruesa* dicitur, prope Carthaginem. Mevania vero Italiæ (ut jam diximus) juxta Spoletum in Umbria exstat, vulgo *Bevagna*. Insula autem in Britannico mari quæ ibi dicitur ab Hispanis habitata inter Angliam et Hiberniam sita est, nunc quidem *Man*, olim vero Mevania dicta, ut auctor est Hunfredus Luyd, apud Milium cum Ortelio cusum; tametsi apud hunc corrupte Menavia pro Mevania legatur. Juxta hanc vero insula illa Mona sita est quæ Druidum antiquorum sedes fuit, hodie vero, eisdem auctoribus, vocatur *Anglesey*, de qua Dexter agit inquiens: *Prope Insulam non longe dissitam a Britannia;* seu Anglia, quod idem est.

23. *Antima Maximilla*, etc. Ejus memoria celebris exstat in martyrio S. Andreæ, ab episcopis, et clericis Achaiæ conscripto; ipsa enim corpus Apostoli aromatibus conditum optimis sepelivit. In Equilino lib. I, cap. 8, cum legitur: *Uxorem etiam Ægeæ proconsulis, et Maximillam senatricem, et multos de populo ad Christum convertit*; legendum est sine copulatione: *Uxorem etiam Ægeæ proconsulis Maximillam senatricem*, etc. ne ex una duæ Andreæ discipulæ confingantur. Ejusdem sub nomine Antimæ celebratur martyrium apud Græcos die 4 Maii, et etiam apud Latinos, ut videre est in Romano, Usuardi, Bedæ, et Adonis martyrologiis, nisi quod pro *Antima*, quidam legunt Antonia, quidam vero Antonina. Irrepsit etiam in Equilino lib. II, cap. 123 mendum, ut eam vocaret virginem, cum nec Græci, nec Rom. Martyr., nec Beda, nec Usuardus, nec cæteri virginem dicant. Audi Rom. Martyrologii narrationem de ejus martyrio: *Nicomediæ natalis S. Antoniæ* (lego Antimæ) *martyris, quæ nimium torta, et variis afflicta cruciatibus; altero brachio tribus diebus suspensa, et in carcere biennio detenta* (cæteri habent, *et in carcerem biennio detrusa*) *ad ultimum a Prisciliano præside in confessione Domini flammis exusta est.* Agitur de ea sub nomine Antoniæ Maximillæ ornatissimæ feminæ in vita Plinii Junioris, quæ præmittitur ejus operibus. Quæ verba excerpta ex ipsius Plinii lib. X, epist. 5, sunt; ubi ad Trajanum ait: *Item, rogo, des jus Quiritium libertis Antoniæ Maximillæ ornatissimæ feminæ.* Et in epistola sequenti: *Ago gratias, Domine,* (ait) *quod jus Quiritium libertis necessariæ mihi feminæ sine mora indulsisti.* Necessarium autem affinem seu cognatum significare sæpius notissimum est: quo vere Maximilla dicatur a Dextro Plinii consanguinea.

24. *Stacteus*, etc. Narrat Procorus in Joannis apostoli actis Stactei miraculosum ad vitam reditum, ab Apostolo Ephesi patratum; ex quo hæc habet Equilinus lib. II, cap. 7: *Cæpit Apostolus contra divitias multa prædicare. Contigit autem Stacteum quemdam juvenem, qui 30 diebus ante, uxorem duxerat, deferri mortuum tumulandum; quem Apostolus matris viduæ, et parentum* (videlicet parentum Stactei, et suæ uxoris) *precibus et lacrymis, compassione motus, orans a mortuis suscitavit*, etc. Parentem Stactei vocari quidem Getulium, martyrologia omnia testantur; Zoticum vero apud Diaconiam S. Angeli in foro Piscario Romæ legimus, ubi corpus ejusdem cum Symphorosa uxore, Stacteo et reliquis filiis, Tyburre illuc translatis requiescit, cum ejusmodi inscriptione, *Hic requiescunt corpora sanctorum martyrum Symphorosæ, viri sui Zotici, et filiorum ejus*, etc. exstat apud Baronium in Notis ad diem 18 Julii quæ eorum martyrio in omnibus martyrologiis dedicata est. Scripsit eorum gesta Africanus a Mombritio cusus tom. II et brevissime Equilinus lib. VI, cap. 3, ubi inquit, ex fratribus septem *Stacteum* quidem lanceis multis in terra confossum occubuisse, *Crescentem* in gutture transfixum, *Julianum* in pectore, *Nemesium* in corde, *Primitivum* per umbilicum, *Justinum* membratim scissum, *Eugenium* a pectore usque ad inferiores partes divisum: matrem vero *Symphorosam* primo alapis cæsam, deinde crinibus suspensam, novissime in flumen præcipitatam. *Zoticus* jam obierat Romæ via Salaria, cum Cæreali, et aliis flammis exustus, et semivivus fustibus capite collisus, die 10 Junii, ut in martyrologiis videre est. Lauream tulerunt omnes sub Adriano imper. qui habenas imperii accepit anno Domini 119.

A. C. 101. Domitianus succedit Tito, huic Nerva Cocceius, Nervæ succedit Trajanus. Nerva, decreto senatus, curante Trajano filio, inter deos relatus est. A. R. 852.

104. Trajanus de Dacis et Scythis hoc anno triumphat. 855.

105. Anno sequenti, idem devicto Decebalo, Daciam facit provinciam. 856.

S. Joannes scripserat ad Drusiam feminam Electam secundam epistolam; quæ velut Ecclesiæ illius civitatis parens, mira largitione, et charitate tunc florebat.

Undumeni (quod oppidum nunc prope Valentiam Unda dicitur) S. Victorius ut creditur episcopus Valentinus.

S. Quartus Apostolorum discipulus bis Hispaniam peragrat, semel post Jacobum, iterum relictus a Paulo; Berelæ (quæ nunc Bætyrus, aliis Bætica, vel Gonciolum in Hispania dicitur) in Bætonibus miraculis nunc claret.

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 101. — *Domitianus*, etc. Recapitulat more suo Dexter Cæsares qui ab Domitiano ad Trajanum usque successerunt in Romano imperio. Et quidem anno Domini 86 dixerat Vespasiano Titum, Tito autem Domitianum fratrem successisse, nunc vero ab ipso Domitiano narrationis filum reassumit, et terminat in Trajano. Regnavit Domitianus annos 15 et occisus est anno Domini 98; successit Nerva Coccius, qui brevi gessit principatum, annum 1, menses 4, dies 9, obiitque initio anni 10, kal. februarii. Celebraverat in Hispania Martialis ejus exordium lib. XII, epigr. 6, cujus initium:

Contigit Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
Nerva, *etc.*

facundiamque ipsius, et in Poetica præstantiam lib. VIII et IX pro dignitate extulerat. Cæterum Nerva *consulturus Romano imperio* (ait Dio) *nulla habita ratione sibi sanguine conjunctorum, quem putavit virum frugi, dignumque ad habenas imperii moderandas, M. Ulpium Trajanum, Hispanum hominem, agentem* B *tunc in Germania cum exercitu, adoptavit in filium, ac Cæsarem nominavit.* Quid mirum si Martialis, Hispanus et ipse, Hispano desiderasset imperium? cum libr. X, dixit, epig. 34:

Di tibi dent quidquid, princeps Trajane, mereris,
Et rata perpetuo, quæ tribuere veliut, *etc.*

quibus ejus sic æquitatem, et justitiam magni facit, ut lib. XI, epigr. 6, asserat: si veteres Patres Romani, Elysium nemus deserentes, redirent, se pro votis in Trajani electionem consensuros; in eo siquidem Camillus libertatis defensorem, Fabricius incorruptum judicem, Brutus ducem strenuissimum reperisset, ipsique Sylla, tametsi cruentissimus, cederet; Crassus etiam donaret opes suas:

Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris,
Si Cato reddatur Cæsareanus erit.

Errore denique detentus suo Trajanus, hoc anno 101 grati animi opus effecit, Nervam in deorum C numerum cooptando.

A. C. 104.—*Trajanus de Dacis*, etc. Verba simul cum sententia ex Chronico Eusebii transcripsit.

A. C. 105.—1. *Anno sequenti*, etc. Et hoc quoque ab Eusebio petitum est, qui tamen multa alia Trajani facinora refert inquiens: *Trajanus, victo rege Decebalo, Daciam facit Provinciam, Iberos, Sauromatas, Asroenos, Arabes, Bosphoranos, Colchos in fidem accepit, Seleuciam et Ctesiphontem, ac Babylonem occupavit: et tenuit in mari Rubro classem, et instituit ut per eam Indiæ urbes devastarentur*, ut videas quantum Trojano debeat Roma, quantum suum dilataverit imperium. Memoriam ejusmodi Martialis libro XII, occinit, cum dixit, epigram. 8:

Terrarum dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil, et nihil secundum,
Trajani modo læta cum futuros
Tot per sæcula computaret annos;
Et fortem juvenemque Martiumque
In tanto duce militem videret;
Dixit, præside gloriosa tali,
Parthorum proceres, ducesque Serum,
Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,
Possum ostendere Cæsarem: venite.

Porro Dacorem regem nonnulli Decebalum, ut Xiphilinus et Eusebius, alii Diurpaneum vocant, ut Orosius lib. VII, cap. 10.

2. *S. Joannes*, etc. Exstat inter Canonicas sub hoc titulo: *Senior Electæ Dominæ, et natis ejus;* et licet olim dubitatum sit Joannisne apostoli essent, an alterius Joannis dicti Senioris; et Hieronymus lib. de Script. Eccles. in Joanne apostolo dixerit: *Joannis presbyteri asseruntur, cujus et hodie alterum sepulcrum apud Ephesum ostenditur*; et in Papia, *Apparet ex ipso catalogo nominum* (cujusdam testimonii Papiæ) *alium esse Joannem qui inter apostolos ponitur, et alium Seniorem Joannem. Hoc autem diximus propter superiorem opinionem, quam a plerisque retulimus traditam, duas posteriores epistolas Joannis, non apostoli esse, sed presbyteri.* Cæterum Dexter meliorem secutus sententiam, id olim scripsit de auctore secundæ epistolæ Joannis, quod longo post tempore Tridentinum concilium decrevit, sessione quarta, decreto de Canonicis Scripturis. Vocat vero eam feminam Apostolus *Electam*, propter fidei eminentiam, et quia *velut Ecclesiæ Ephesinæ parens* (quod Dexter affirmat) *mira largitione, et charitate tunc florebat;* proprium autem nomen ejus Drusia seu Drusiana erat, ut a Procoro in vita Joannis accipimus; qui etiam refert quod *cum* Apostolus in reditu sui exsilii *ingrederetur civitatem, Drusiana ejus discipula quæ adventus ejus desiderio fuit fatigata efferebatur mortua; flentibus et lamentantibus graviter tam parentibus quam pauperibus, orphanis et viduis, quibus indigentibus ministrabat. Apostolus ergo jussit feretrum deponi, et corpus solvi* (a ligaturis), *eamque proprio nomine vocans, mandavit ut surgeret, et domum rediens, refectionem sibi præpararet. Quæ statim quasi non de morte, sed de somno vocata surrexit, et jussa perfecit. Ad quod miraculum multi conversi sunt.* Hæc ex S. Procoris scriptis episcopus Equilinus transcripsit lib. II Catalogi, cap. 7.

3. *Undumeni*, etc. Episcopus Equilinus lib. II, cap. ult., numer. 313, astipulatur Dextro, nisi quod pro *Undemini* habet *Unduni;* aitque, *Victorius episcopus, et confessor Unduni quievit, quinto idus Novembris*, hoc est, 9 die ejus mensis. Fuit quidem alius Victorius episcopus Cenomanensis, de quo in Martyrologio Rom. agitur 1 Septembris, sed valde diversus a nostro Victorio, qui, ut vides, floruit anno Domini 105, quievitque Unduni, vel Undumeni prope Valentiam Hispaniæ; ille vero coævus fuit S. Martini Turonensis, temporibus Theodosii, ut ex Bedæ Martyrologio et aliis constat. Fuerit autem Valentinus episcopus S. Victorius, an alterius urbis, non constat, quod tamen Dexter asseverat ab aliquibus affirmari. Cæterum Unda prope Valentiam, illud oppidum crediderim quod ad undam maris, et fluminis situm est, vulgo *Grao*, aut non longe ab ipso.

4. *S. Quartus*, etc. Quidquid ad hunc locum spectare potest, dictum a nobis est ad annum Domini 50, quando de adventu S. Petri in Hispanias egimus cum Dextro. Consule eo loci dicta.

A. C. 105. Nathanael, unus de 70 Domini discipulis, requiescit in urbe Treuga, prope legionem septimam geminam. Aliis dicitur ad Trigundum oppidum prope Brigantium in Gallæcia jacere, nunc vero turrestrium ignobile. A. R. 856.

Post aliquot annos ab adventu suo in Hispanias sanctus Eugenius, M. Marcellus, rem Primatus Hispaniæ confert cum viris sanctis, et primariis, Epitecto Cæsaraugustano, et Philotheo socio peregrinationis suæ, Legato etiam S. Clementis,

BIVARII COMMENTARIUS.

5. *Nathanael*, etc. Felix ille qui chronistam suarum virtutum meruit Joannem (c. 1 et ult. sui Evangelii) laudatorem autem ipsum Jesum, qui de eo dixit apostolis: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Si hoc de ipso ante Christi speciale magisterium, quid post consummatam ejus disciplinam dici potuit? Sane de Nathanaele varie auctores senserunt; quibusdam enim placuit, hunc ipsum fuisse sanctum illum Ursinum, qui ab apostolis in urbem Bituricensem episcopus directus est, quod Vincentius Belvacensis in Speculo hist. et Equilinus lib. I, cap. 9 ex quorumdam aliorum mente referunt; quibusdam vero fuisse Simonem Chananæum, quod Græci in menologio affirmant VI idus Maii: Ruperto vero fuit S. Bartholomæus, quem Cornelius Gansenius secutus est in Concordia Evang. et tamen neutrum satis probabile est, cum ex multis aliis, atque ex loco ipso sepulturæ diversus a cæteris probetur satis. Ursinus etenim Bituricis confessor sepultus fuit, Simeon apostolus in Ægypto prædicavit, in Persideque martyr occubuit: Bartholomæus in India et prædicavit, et passus est, quæ omnia ex martyrologiis Rom. Bedæ, Adonis, et Usuardi constant. Nathanael vero in urbe Treugensi, seu Treuga Hispaniæ sepultus fuit; haud dubium quin in Hispaniarum provinciis prædicationi instanter incubuerit. Audi Equilinum idipsum ex Vincentio mutuatum edidisse. *Nathanael discipulus de oppido Cana Galilææ unus fuit ex 72 Christi discipulis*, etc. *Corpus hujus Nathanaelis apud Treugensem civitatem requiescit*, etc. *Post expletum prædicationis officium in Deo feliciter requievit, pridie kalendas Decembris.* Treuga autem creditur esse quam Ptolomæi codex vocat corrupte Turiga, et locatur ab ipso juxta Legionem Septimam-geminam (hodie *Leon*), si gradus situationis recte perpendantur, ut Michael Villanova fecit in tabulis veteris Hispaniæ, Ptolomæo additis. Addit Dexter, alios contendere in Gallæcia apud Trigundum (suo jam ævo ignobile turrestrium, seu oppidulum) prope Brigantium quievisse, non alio sane ducti, quam quadam nominum similitudine Treugæ et Trigundi. Quare ipse priori insistit sententiæ. Ruperti placitum explodit docte Baronius tomo I Annalium, et Maldonatus ad 1 cap. Joannis, solum enim nitebatur conjecturis, quod videlicet inter evangelistas, qui Nathanaelis meminit, siluit Bartholomæum, quod Joannes fecit, et qui Bartholomæum introduxit, nec verbum de Nathanaele fecerit; quod Matthæus, Marcus, et Lucas fecerunt. Rursus quod utrumque Philippo socium faciant. Obstant tamen Augustinus et Gregorius, quos Baronius affert, et communis Ecclesiæ sensus. Græcis solum videtur prodesse, quod Simon dicatur Chananæus, et similiter Nathanael; sed quis non videat duos ex eodem oppido discipulos Christi plerumque fuisse? Sed de his satis.

6. *Post aliquot*, etc. Præmiserat hoc Dexter anno 91 cum dixit: *Aulo Cornelio Palma cive Toletano, duumviroque Christiano M. Marcellus Toletum venit, ibique sedem primariam totius Hispaniæ, ut in ejus meditullio constituit.* Nunc autem suo loco de erectione ejusdem Toletanæ Ecclesiæ in primatem ex instituto agit, docetque quo usus fuerit consilio S. Eugenius in ea constituenda, quam mature id primum tractaverit, ut eam ob causam concilium episcoporum et fidei magnatum coegerit. Nominat A vero inter omnes sex, episcopos duos, martyres duos, et principes duos. De Epitecto Cæsaraugustano antistite non semel in superioribus egimus, et totidem de Philippo Philotheo, episcopo, et legato S. Clementis. Sanctus Vitalis fuit primus archypresbyter in Toletana Ecclesia, de cujus martyrio cum Felicula et Zenone mox dicemus ad ann. 110. S. Avitus ad Fortunatas insulas (*Canarias*) profectus prædicandi Evangelii gratia, pro Christo martyrio coronatus fuit, quod itidem Primus Cabilonensis episcopus in sua Topographia SS. Christi martyrum his verbis dixit: *Canaria insula in Oceano Atlantico, huc dilatata est Christi fides; hic Avitus martyr.* Forsan ille Avitus quem Martialis sæpe alloquitur lib. I, epigr. 16, lib. IX, in principio, et lib. X, epigr. 96. De duumviro priore A. Cornelio Palma nonnulla diximus. P. Turacus, seu Turanus ille mihi est ad quem Martialis lib. V, epigramma scripsit 78, cujus principium est:

B Si tristi domicenio laboras
Turani, potes esurire mecum, etc.

Vide quanta eum colat reverentia, et amicitia, post multa enim subdit:

Parva est cænula, quis potest negare?
Sed finges nihil, audiesve fictum,
Et vultu placidus tuo recumbes, etc.

Tantis ergo ad se viris ascitis S. Eugenius primatem Toletanam constituit sedem; non quidem ut episcopus ejus Ecclesiæ peculiaris, sed legatus S. Clementis papæ, cum alio ejusdem legato Philotheo, et eo præsente et assentiente, qui Hispaniæ primatum ob civitatis suæ merita poterat sibi exigere, S. Epitectum loquor Cæsaraugustanum episcopum, cujus Ecclesiam speciali prærogativa S. Jacobus apostolus dotaverat, utpote de sanctissima Deipara bene meritam.

Sed videamus quæ olim pro assignandis primatiC bus regulæ ab Apostolis datæ sint, ut inde de concilio S. Eugenii judicium ferre valeamus. Olim siquidem S. Petrus docuerat, Primates Ecclesiarum in ea urbe constituendos, unde cunctis ejusdem provinciæ civitatibus leges accipere consueverant. Qua de re agens S. Anacletus papa in epistola 2 ad episcopos Italiæ (refertur a Gratiano d. 99 c. *Provinciæ*), sic ait: *Provinciæ multo ante Christi adventum, tempore divisæ sunt, maxima ex parte, et post ab Apostolis et B. Clemente prædecessore nostro ipsa divisio est renovata.* Et ulterius: *Ubi dudum primates sæculi erant, ac prima judiciaria potestas, ad quos qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam imperatoris vel regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugiebant pro oppressionibus, vel injustitiis suis, ipsosque appellabant quoties opus erat, sicut in lege eorum præceptum erat. Ipsis quoque in civitatibus vel locis nostros patriarchas, vel primates (qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina) leges divinæ et ecclesiasticæ poni, et esse jusserunt: ad quos episcopi si necesse fuerit confugerent, eosque appellarent, et ipsi primatum nomine fruerentur, et non alii. Reliquæ vero metropolitanæ civitates quæ minores judices habebant, licet majores comitibus essent, haberent metropolitanos suos, qui prædictis juste obedirent primatibus, sicut et in legibus sæculi ordinatum erat: qui non prima-*

A. C. 105. Vitalique, et Avito, qui profectus post ad insulas Fortunatas martyr fuit; Aulo Cornelio Palma, et P. Turano, duumviris Toletanis catholicis viris; multisque Carpetaniæ, et aliunde episcopis coactis. A. R. 856.

110. Haud multo post S. Dionysius Areopagita Hispanias invisit, ut legatus a B. Clemente totius Occidentis ordinatus. 861.

BIVARII COMMENTARIUS.

tum, sed aut metropolitanorum, aut archiepiscoporum nomine fruerentur. Subdit deinde in epistola 3 in aliis civitatibus in quibus comites exsistere solebant, constituendos episcopos, et in modicis urbibus, oppidis, et villis presbyteros. Idipsum Lucius apud Stephanum I epistola 2, cap. 5, docuit, refertur vero dist. 80, cap. *Urbes*, his : *Urbes et loca quibus primates præsidere debent, non a modernis, sed etiam multis ante adventum Christi sunt statutæ temporibus; quarum primates etiam gentiles pro majoribus negotiis appellabant, in ipsis vero urbibus post Christi adventum apostoli, et successores eorum patriarchas, vel primates posuerunt.*

Hinc jam dubium oriebatur de urbe deligenda primatis : non enim tota Hispania uni eidemque urbi hactenus paruerat; sed pro diversitate partitionum, quas diversis temporibus passa fuit, diversos gentilium appellabant primates. Aliquando penes divisionem Hispaniæ in citeriorem et ulteriorem, habito ad Iberum respectu, duo a Romanis designabantur proconsules, proprætores, legati, quæstores, aut gubernatores; pro citeriore unus, alter vero pro ulteriore. Licinius Larcius sub Vespasiano, L. Albinus sub Domitiano, Celer sub eodem, Q. Rufinus Galerius sub Adriano, solam citeriorem gubernarunt, aliis pro ulteriore moderanda designatis. Secundum eam vero divisionem qua Hispania in tres provincias dividebatur, Tarraconensem, Bæticam et Lusitaniam, totidem gubernatores mitti ad eos solebant, a Claudio Umbonius Silio ad Bæticam missus est, similiter Aulus Cæcina a Nerone, a Domitiano Cæcilius Classicus, a Trajano Bævius Massa, et paulo post Herenius Senecio, Bæticus ipse natione. Lusitaniam gubernavit Validius, Tarraconensem Valerius Julianus, ut cæteros omittamus. Non ergo omnes Hispaniæ provinciæ uni eidemque urbi intra Hispaniam obediebant, quo secundum B. Petri legem primatus Hispaniæ collocaretur. Præsertim quia non una omnium nobilissima civitas Hispaniæ erat, sed in quavis Hispaniæ parte aliquæ, quæ cum cæteris de præstantia ac nobilitate decertabant; namque, ut Pomponius Mela hujus temporis et patriæ scripsit lib. III, cap. 6 : *Urbium in mediterraneis clarissimæ in Tarraconensi fuerunt Palantia, et Numantia, nunc* (id est ævo suo) *Cæsaraugusta; in Lusitania Emerita; in Bætica Astigis, Hispalis, Corduba.* Aut igitur plures primates constituendi erant, pro multitudine provinciarum, aut si unus, non videbatur generalis S. Petri regula servari posse.

Cæteroqui aliam philosophandi viam suscipere potuerunt Patres illius concilii, aut synodi pro deligenda primate Hispaniæ Ecclesia congregati, quam S. Clemens ad Jacobum apostolum in prima epistola scripsit : *In illis civitatibus in quibus olim apud Ethnicos* (ait) *primi Flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, episcoporum primates poni, vel patriarchas B. Petrus præcepit. In illis autem civitatibus in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines, quos tamen minores tenebant, quam memoratos primates, archiepiscopos institui præcepit.* Debuit ergo attendi religionis destruendæ primas, et inibi catholicæ Ecclesiæ Hispaniæ primas constitui; cum vero in gentilitatis cultu non esset ab una aliqua urbe cæterarum dependentia, inter viventes autem ad præscriptum legis Moysi cæteræ a Toleto dependerent, quod illic esset celeberrima totius Occidentis synagoga (de qua multa in superioribus diximus ann. Domini 34 et 37); hinc fieri quivit, ut ea permotus ratione S. Eugenius sedem primariam Toleti statueret, quatenus unde vetus lex, inde Dei verbum et Evangelii gratia exiret, juxta illud S. Clementis : *Ubi primi legis Doctores erant, episcoporum primates poni, vel patriarchas B. Petrus præcepit.*

Denique id maxime movit quod Toletum umbilicus Hispaniæ sit, *in meditullio*, uti Dexter semel dixit, constitutum; oportebat autem ad primatem quasi ad centrum omnes e circumferentia respectum habere, ut inde sine magno dispendio omnes judicium exspectarent. Ut ut sit de motivis, de facto dubitari non licet, postquam Toletana sedes amplitudinis suæ atque primatus non solum ab scriptoribus, verum etiam in foro contentioso multoties victoriam de Tarraconensi, ac Braccarensi Ecclesiis reportavit. Nunc tandem maximi ducendum est, Dextrum Barcinonensem scriptorem, nequaquam Tarraconensis primatus meminisse, cum tamen nemo dubitare posset, si aliter decretum olim ab Apostolis vel eorum discipulis de primatu fuisset, nullatenus Tarraconi suæ adempturum, quem Toleto dedit. Accedit quod Constantinus Magnus, metropoles iterum dividens in Hispania, Toletanam primariam fassus est, dum eam primo loco inter cæteras nominat, ejus ditioni 19 episcopos immediate subjiciens. Quod apud Lucam Tudensem, et archiepiscopum Loaysam videre quivis potest, qui multa de primatu Toletano luculenter edisserit in Notis ad decretum Gundemari. Quare cæteris respondere possumus illud Aniceti papæ in epistola ad episcopos Galliæ : *Nulli archiepiscopi primates vocentur, nisi illi qui primas tenent civitates, quarum episcopos Apostoli et successores Apostolorum regulariter primates et patriarchas esse constituerunt.*

Qui tam accurate de primate egerunt, haud dubium quin de cæteris metropolibus tractaverint : quare cum primus omnium in Hispania S. Jacobus non paucos constituisset episcopatus, et inter eos Toletum, Braccarum et Tarraconam, ubi Elpidium, Petrum et Agathodorum episcopos constituit; rebus fidei multo uberius propagatis, Eugenius et Philotheus in commodiorem ordinem Ecclesias disposuerunt, quod de Eugenio docuit Dexter ann. Domini 91 vel 93.

A. C. 110. — 1. *Haud multo post*, etc. In excuso codice pro *Haud* erat *At*, sed corruptissime. Novum forsan alicui videbitur Dionysium a Dextro in Hispanias adduci : deponet tamen admirationem, si meminerit non solius Galliæ (tametsi in ea plus laboraverit, et mortuus fuerit), sed totius Occidentis constitutum fuisse legatum a S. Clemente : quare ipsi incumbebat præcipuam quoque inter omnes Occidentis provincias aliquando invisere, eo præsertim tempore, quo S. Eugenius, charissimus ejus filius ac quodammodo discipulus, Ecclesiarum metropoles ac primatem constituebat, et res illarum serio pertractabat. Habemus etiam pro hac veritate gravissimum S. Methodii testimonium, qui in Vita ipsius sic ait : *Sanctus vero Dionysius, Spiritus sancti calore accensus atque apostolica auctoritate repletus, quæcumque a S. Spiritu una cum S. Clemente divina oracula gentibus desseminanda acceperat, fideliter omnibus Hesperiis plagis distribuit.* Quis autem nesciat Hispaniam a Græcis Hesperiam dictam, et a Latinis non semel, ut apud Martialem videre est (ut alios omittam) qui de Corduba loquens lib. IX, epigram. 61, cujus initium, *In Tartessiacis*, inquit :

A. C. 110. S. Petrus episcopus Braccarensis, et martyr ad oppidum Ratem in Bracariis, non procul a Bracara Augusta, qui pro fide Christi anno Domini 45 martyrium illustre subierat, frequentissimis et clarissimis miraculis clarior habetur; cui succedit Basileus, et postea Ovidius civis Romanus. A. R. 861.

S. Firminus Pamphilionensis civis et episcopus, discipulus S. Saturni, S. Petri similiter auditoris, Ambiani sub Juliano præside patitur; prius tamen per Hispanias Toletum usque prædicans, provinciam longe lateque pervasit.

BIVARII COMMENTARIUS.

Et linit Hesperium bractea viva pecus.

Addo Breviarii Gothici Toletani sacrum hymnum, quo ejusdem S. Dionysii Areopagitæ asseritur in Hispanias adventus. Incipit, *S. Eugenii digna memoria.* Postea vero:

Alumnus Græciæ visit Hispaniam;
Doctor Hispaniæ revisit Galliam,
Docti præsentiam Doctoris Galliæ
Fideli captans pectore.

Sensus est: Areopagita ille Dionysius, Græciæ alumnus visit Hispaniam; Eugenius vero Hispaniæ Doctor e converso revisit Galliam, ut Dionysium Galliæ Doctorem conveniret, de quo postea agemus. Dionysium igitur vocat Græciæ alumnum, quo nomine in alio hymno alterius Breviarii Toletani secundum morem Romanum notatur, dum dicit, Dionysium misisse Eugenium in Hispanias:

Doctus Alumnus Græciæ;
Misit hunc (*Eugenium*) Dionysius,
Ut esset solis radius,
In tenebris occiduis.

Hoc loco in codice excuso Cæsaraugustæ apponitur hæc clausula: *Triginta scilicet scriptores catholici contra blasphemias Pophyrii philosophi scripserunt;* sed hoc non quidem anno 110, sed 310 apponi deberet, ut in codice meo est, de quo suo loco.

2. *S. Petrus*, etc. Multa de eo a nobis in superioribus dicta invenies ad annos Domini 37 et 66, quæ tu consulas. De Basileo etiam nonnulla diximus ibidem, de Ovidio vero ann. 95 et iterum dicemus ad ann. 138, cum de sancta Marina et sororibus sermonem Dexter instituat.

3. *S. Firminus*, etc. Pampilionensem civem fuisse tradunt quotquot ejus gesta conscripserunt, præsertim Equilinus l. VIII, c. 119, Morales lib. IX, cap. 15, Trugillus, Sanctorus, et Villegas ad diem 25 Septembris, Mariana lib. IV Hist. Hisp., cap. 3, Marieta de Sanctis Hispaniæ 1 part., lib. I, cap. 16 et alii; idque Ecclesia ipsa Pampilionensis in Officiis Ecclesiasticis ejusdem sancti profitetur, legitque patre Firmo senatore natum, a B. Saturnino S. Petri discipulo ad fidem conversum, adhuc juvenem, eruditum in sacris litteris a S. Honesto presbytero, a S. autem Honorato episcopo episcopum ordinatum; ac tandem Ambiani pro Christo trucidatum. Consentiunt his per omnia S. Saturnini Acta, quæ superius ad ann. 76 exstare diximus Hortæ in codice ms. Roderici archiepiscopi Toletani, ubi inter cætera, Fortunatus atque Faustinus, nobiles Pampilonenses, ad fidem conversi dicuntur simul cum Firmo ejus urbis senatore S. Firmini parente, opera S. Saturnini B. Petri Apostolorum principis discipuli. Post quæ subditur: *Firmus igitur cum jam totus Christi subditus esset dominio, et maximus haberetur in comitatu Pampilionico, tradidit filium suum primogenitum Honesto præfato presbytero Saturnini clientulo: et doctus est ab illo omni litterali judicio, omnique fidei commercio: Et multo post tempore episcopus est ordinatus ab Honorato Toletano præsule, Saturnini successore. Qui Firminus, triginta transacto annorum curriculo, Agonensem urbem adiit, et cum Astaio quodam præsbytero, magnum acquisivit ibidem populum Christo. Postmodum, multum alumnicorum populum* (id est, Pampilionensium, qui erant sui alumni) *convertit ad Dominum. Vigerium postea transmeans amnem, Andegavinam perrexit ad urbem, et magnam ibi Deo militare fecit gentilium plebem. Germanicam tandem iens in partem, Belvacensem ingressus est civitatem: ibique manens episcopus electus a credentibus multos revocavit ab idolorum cultura. Ambianensium vero deinde vadens ad oppidum, ter millenas Deo sociavit animas. Ad ultimum decollatus est in carcerali ergastulo.* Hactenus Acta. Mire variant auctores dum S. Firmini judicem ac trucidatorem designant. Usuardus sub Ricciovaro passum dicit, consequenter Rom. Martyrologium addidit accidisse Diocletiani tempestate: *Ambiani* (inquit) *in Gallia B. Firmini episcopi, qui in persecutione Diocletiani sub Ricciovaro præside post varia tormenta capitis decollatione martyrium sumpsit.* Quod quam a vero alienum sit, norunt omnes, qui discipulum S. Saturnini ipsum fuisse sciunt. Equilinus contendit primo quidem Belvaci a Valesio præside sæpe ob Christi confessionem usque ad mortem pene flagellatum, et a Sergio Valesii successore in tetro carcere detentum, populi vero furore solutum, Ambiani a Longino et Sebastiano præsidibus timore populi non palam, sed in carcere decollatum. Trugillus in thesauro Concionat. Longinum dumtaxat et Sebastianum cognoscit fuisse ejus præsides martyrii: nunc vero Dexter sub Juliano præside passum dicit. Quid ergo in tanta caligine sentiendum? Sane Dextro potius assentiendum: de Valesio quidem et Sergio, quorum opera cœpit quidem pati, sed martyrium non consummavit quæstio non est: Longinum vero et Sebastianum existimamus non fuisse præcipuos præsides provinciæ, sed lictores, præsidem vero Julianum fuisse. Favet autem Dextri placito, quod de multis aliis ejus temporis martyribus in Gallia invenimus sub Juliano perpessos fuisse martyrium; ut de S. Jona discipulo S. Dionysii ipsum Martyrologium Romanum profitetur 22 Septembris, et de S. Luciano (cum sociis ipsius) ejusdem Dionysii socio Equilinus scribit lib. II, cap. 55; et hoc maxime favet nobis, quippe cum Belvaci martyr occubuerit Lucianus, ubi sanctus Firminus pati cœpit, et pluries usque ad mortem flagellatus fuit. Mos etiam fuit Juliano huic, lictores hinc inde mittere ad martyres pertrahendos, ut scribit ipse Equilinus citato lib. II, cap. 55 et l. VIII, cap. 106, ex quo credere quivis facile queat, Longinum et Sebastianum lictores ejusdem fuisse. Quod ad Ricciovarum attinet, forsan præses vocabatur Riccius Julianus, nam de Riccio hujus temporis præside diximus cum de Lydia Macedonia ageremus: postea vero errore creditum fuit, Riccium et Ricciovarum unum et eumdem fuisse. Ut ut sit, S. Firminus civis fuit et episcopus Pampilionensis, et Toletum usque prædicando prædicavit, ut Dexter hoc loco profitetur. Cui primus Cabilonensis episcopus astipulatur in sua Topographia, verbo *Pompiliona*, inquiens: *Pompelon, civitas Hispaniæ, Navarræ metropolis. Hic nascitur Firminus, qui ordinatus presbyter a S. Honorato Toletano episcopo, Ambiani prædicat in Gallia, et ibi episcopus et martyr migrat.* Hinc autem necessario deducimus, Dextrum non agere hoc anno 110 de eo quasi nunc martyrium passus sit, sed quia virtutibus et prædicatione florebat adhuc juvenis, alias autem S. Honoratus non fuit Toleti episcopus, nisi post passionem S. Eugenii.

A. C. 110. Hispali floret sanctus M. Bolanus Florentius, civis Hispalensis. A. R. 861

Fl. Rutilius fugiens venit Cordubam Hispaniæ, sed tandem in Africa patitur.

S. Vitalis primi Toletanorum archipresbyteri (ex his quos venisse scimus) qui cum Zenone et Felicula venerat Toletum, Romamque ex Chersoneso reversi mirificum certamen fuit, quod ad Ecclesias totius Occidentis scribitur.

Marcellus fratris S. M. Marcelli filius, vir pius, charus est sicut et patruus imperatori Hadriano : cui quondam Sylvam, ut viro doctissimo, Papinius Statius dedicavit.

S. Arcadius Ursaonæ in Bætica patitur 12 die Januarii.

BIVARII COMMENTARIUS.

4. *Hispali floret*, etc. Floruerunt olim Hispali Florentii duo, præcipua sanctitate perspicui, sed diverso tempore et mortis genere sublati. Vetustior fuit Rustici Bolani filius, viri consularis Hispani, qui anno Domini 113 consulatum Romanum gessit cum Calpurnio Pisone, ut Cassiodorus et Onuphrius habent, et iterum an. 118 cum Trajano. Florentius ejus filius, qui integro nomine M. Bolanus Florentius dictus est, ab apostolis ad fidem conversus in Castro *Tile*, sive *Silæ*, vel *Asila*, in Turditanis Bæticæ prope Hispalim, quo loco *Asila* ponitur a Ptolomæo et Villanova, in tabula veteris Hispaniæ, tandem pro Christo jugulum præbuit die 27 Octobris, ut Romanum martyrologium, Beda, Usuardus, Ado, et Galesinus testantur, et Equilinus lib. XI cap. ultimo, numero 304, anno autem Domini 116 apud Dextrum. Alter S. Florentius confessor quievit in pace anno 485, cujus vetustum epitaphium hæc habet : *Sanctus Dei Florentius quievit in pace* XXIII *Februarii, vixit autem* LIII *ann. et fuit sepultus* XV *Martii, anni Domini* CCCCLXXXV. Ita Trugillus et Villegas ea die, qua etiam habetur in Rom. martyrologio his verbis 23 Februarii : *Hispali in Hispania B. Florentii confessoris.* Addit Trugillus, eo loci traditione haberi, fuisse Hispanum, claro et nobili genere natum. Cæterum cum hoc ab Ecclesiæ Hispalensis traditione acceptum sit, in ea vero non celebretur festum de confessore mense Februario, sed de martyre in Octobri, ut liquet ex kalendario sanctorum Hispanorum, de quibus festa fiunt, non quidem de S. Florentio confessore intelligendum est, sed de S. M. Bolano Florentio Christi martyre, cujus nobilis prosapia nota est. Utriusque præclaro quidem elogio meminit M. Maximus in Chronico anno 612, dicens : *Floret memoria per Hispanias utriusque Florentii Hispalensis : prioris, qui dictus est Rusticus* (ob patris nomen) *ad quem scripsit Plinius secundus, martyris sub Trajano passi : alterius, confessoris, sub Zenone episcopo Hispalensi.* Agit de Zenone ipse anno 483, asseritque Felicem papam designasse eum legatum a latere in Hispania. De S. Florentio martyre iterum cum Dextro inferius ann. prædicto 116.

5. *Fl. Rutilius*, etc. Hoc anno agitur de ejus fuga in Hispaniam, anno vero 116 de ejus martyrio. Ejusdem meminit Tertullianus lib. de Fuga in persecutione cap. 5 : *Rutilius*, inquit, *sanctissimus martyr cum totiens fugisset persecutionem de loco in locum : etiam periculum, ut putabat, nummis redemisset, post totam securitatem quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus, et præsidi oblatus, tormentis dissipatus* (*credo pro fugæ castigatione*), *dehinc ignibus datus, passionem quam vitarat, misericordiæ Dei retulit.* Quæ fere verba Martyrologium Romanum sibi assumpsit die Aug. 2, illo Tertulliani errore dempto, *credo pro fugæ castigatione dissipatus*, quo Montanistam agens asserere falso conatus fuit, non licere fidelibus tempore persecutionis fugam inire; cum tamen Christus Dominus expresse dixerit, *Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.*

6. *S. Vitalis*, etc. Præripuit laborem, laureamque illustrissimus DD. Sanctius de Avila primum quidem Giennensis, deinde Seguntinus, ac demum Placentinus episcopus, non minus doctrina et scriptis, quam sanguinis claritudine decoratus; cum Gienni degeret A præsul, in lucem edidit specialem librum de Vita martyrioque S. Vitalis primi Toletanorum archipresbyteri, sub S. Eugenio I Toletano antistite, quem quoque, lector candide, perlegas. Ibi præsenti Dextri testimonio narrationem suam confirmat. Agunt de S. Vitali presbytero, cum Zenone et Felicula sociis, Rom. Martyrologium, Usuardus, Ado, Beda, Galesinus, Wandalbertus, die 14 Februarii, et Equilinus lib. XI cap. ultimo, numero 64. Is cum Toleti aliquamdiu quievisset, ex Chersoneso (hoc est peninsula seu peniscola Valentiæ) solvens, Romam cum sociis contendit, ubi martyrii palmas acceperunt.

7. *Marcellus*. etc. Exstat P. Statii Papinii lib. IV Sylvarum, ad Marcellum dicatus. Existimavit Petrus Crinitus hunc fuisse Marcellum Victorium, ad quem Fabius Quintilianus libros suos misit de oratoria Institutione. Sed si tempora quibus hic et ille floruit trutina pendantur exacta, fateamur necesse est Marcellum Victorium, cui Quintilianus libros dedit circa B annum Domini 90 patrem fuisse hujus cui Statius Sylvam dicat anno 110, nam de juventute ipsius, litteris ac viribus florida, multa Statius canit. Incipit quidem :

> Curre per Euboicos non segnis epistola Campos,
> Hac ingressa vias, qua nobilis Apia crescit
> In latus.... (*Jubet ut Romam eat, nam* :)
> Illic egregium formaque animoque videbis
> Marcellum, et celso præsignem vertice nosces.

Laudat Oratoriam ipsius :

> Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges,
> Et pacem piger annus habet, messesque reversæ
> Dimisere forum; nec jam tibi turba reorum
> Vestibulo, querulique rogant exire clientes.
> Qua tibi sublimi jam nunc celeberrima famæ
> Eminet, et juvenes facundia præterit annos.

Laudat ingenium :

> Felix curarum, cui non Heliconia cordi
> Serta, nec imbelles Parnassi e vertice laurus,
> Sed viget ingenium, et magnos accinctus in usus.

C

Et post pauca :

> At tu, si longi cursum dabit Atropos ævi,
> Forsitan Ausonias ibis frenare cohortes,
> Aut Rheni populos, et nigræ littora Tyles.

Audi de fortitudine :

> Nec etenim tibi sola potentis
> Eloquii virtus; sunt membra accommoda bellis,
> Quique gravem tardi subeant thoraca lacerti.

Sed quid de stirpe?

> Surge agedum, juvenemque puer deprehende patrem,
> Stemmate materno felix, virtute paterna.
> Jam te blanda sinu Tyrio sibi gloria felix
> Educat, et cunctas gaudet spondere Curules, etc.

D Quo videas an charus fuerit Hadriano tunc quidem Cæsari designato, non multo post imperatori, homo Hispano-Romanus, Hispano-Romano principi, erudito eruditus ac nobilis, si quis Romæ alius.

8. *S. Arcadius*, etc. Ejus egregium certamen nobili elogio prosecutus est S. Zeno Veronensis epi-

A. C. 112. S. M. Marcellus Eugenius Toleti concilium ex episcopis Carpetanis, et aliis habet A. R. 863. de rebus fidei, ac morum.

Jonas, discipulus Dionysii Areopagitæ, invisit S. M. Marcellum Eugenium, Dionysii magistri sui condiscipulum.

Astæ in Hispania Bætica sancti Christi martyres Honorius, Eutychius, Stephanus, viri quidem Apostolici.

S. Eutychius S. Pauli discipulus, ipso prædicante, de fenestra præcipitatus, et in vitam revocatus (qui secutus est S. Joannem Evangelistam) Telæ passus in Vaccæis, in Hispania, completo martyrio gloriosus migrat ad Dominum.

BIVARII COMMENTARIUS.

scopus, cujus concionem habent Lipomanus tom. II, et Surius tomo I. De eo Martyrologium Romanum, Beda et Usuardus die 12 Januarii, his : *Eodem die, S. Arcadii Martyris genere et miraculis clari.* Petrus Equilinus lib. II, cap. 67, breviter cuncta ejus acta recensuit inquiens : *Arcadius martyr, ut scribit Zeno episcopus Veronensis, gloriosa passione coronatus est, cujus tam illustre martyrium fuit, ut in uno corpore tot fuerint supplicia, quot videntur et membra. Nam cum propter persecutionis rabiem* (haud dubium, Trajanæ) *ex urbe aufugiens latitaret, comprehensus a paganis, adducitur ad judicem; et dum Christum confitetur, excogitato novo supplicii genere, ab articulis manibus et cruribus abscissis vivus dimittitur, sicque in suo sanguine volutatus, dudum cruciatus emisit spiritum pridie idus Januarii.* Debemus Dextro loci tanti martyris sanguine consecrati notitiam. Fuit quidem Ursaona, aliis Ursao dicta, aliis Ursuna, nobilis Turditanorum urbs in Bætica, hodie *Ossuna*; Ptolomæo Urbona. Morales lib. VIII, cap. 43, asserit a Romanis vocatam *Geminam Urbanorum.* Agit etiam de ea lib IX, cap. 32, et lib. VII, cap. 48, Ludovicus Nonnius in sua Hispania cap. 15 et alii. Inibi quoque martyrio coronatus est S. Leo cum sociis anno 115, ut inferius dicemus cum Dextro.

A. C. 112. — 1. *S. M. Marcellus*, etc. Quartum ordine inter Hispana concilia, de quibus aliqua vel tenuis exstat memoria, hoc præsens est : I quidem fuit Iliberritanum illud, de quo Dexter ann. 57 ait : *Nonnulli discipulorum S. Jacobi, dum ad concilium Iliberri conveniunt, sub Aloto Neronis judice flammis exusti coronati sunt;* II Chersonense sive Peninsulanum, de quo idem ad ann. 60 : *Cum convenissent*, ait, *in Chersonensi urbe prope Valentiam, in Hispania concilii causa SS. pontifices, discipuli S. Jacobi, Basileus Carthaginensis, Eugenius Valentinus*, etc., *sub eodem judice necati sunt;* III pro divisione Metropolitanarum Ecclesiarum et Primatia designanda a S. Eugenio Toleti; IV etiam Toleti, in quo coactis Carpetaniæ episcopis, et aliis de rebus fidei, et moribus Christianis, eodem præsidente Eugenio tractatum est, hoc anno 112. Non dubito quin alia celebrata sint a sanctis apostolis et eorum discipulis, dum in Hispania prædicationis gratia detinebantur, sed memoria eorum exstat nulla.

2. *Jonas*, etc. Consule quæ de eo diximus ad annum 86. Iterumque de ipso agemus cum Dextro anno 130.

3. *Astæ*, etc. Ptolomæus meminit urbis Astensis in Bætica non longe a Nebrissa in Turdetanis populis. Fuit sane Romanis in pretio, qui coloniæ Romanæ privilegiis eam decorarunt, et, ut Plinius auctor est, nuncuparunt *Astam regiam.* Refert etiam Titus Livius lib. XXXIX, C. Cathinium post fusos Lusitanos in agro Astensi, Astam expugnasse, sed cum incautus muros ascendit, ictum, post dies paucos obiisse. Suspicati sunt Moletius, Milius ac Nonius, hic quidem cap. 13 suæ Hispaniæ, illi vero apud Ortelium in locorum Synonymia, Astam nunc esse *Xerez de la Frontena*, constat siquidem prope æstuarium Bætis fluminis, Mnestæi portum Straboni, quibusdam *Puerto de S. Lucar de Barrameda*, sitam fuisse. Cæterum verum locum Astæ Ambrosius de Morales in suis Hispaniæ antiquitatibus, verbo *Asta*, reperit, qui nunc mensa Astæ, vulgo *la mesa de Asta* ab incolis dicitur, sita est inter nobilem urbem *Xerez de la Frontena*, et portum S. Mariæ : eique convenit distantia quam a Gadibus ad ipsam usque designat Antoninus in itinerario, in itinere Gadibus Cordubam. Hanc igitur urbem suo martyrio egregie illustrarunt tres fortissimi Christi martyres, Honorius, Eutychius, ac Stephanus, uti archidiaconus de Ronda, D. Laurentius de Padilla in suis Sanctis Hispaniæ, ac Vasæus in Chronico Hisp. testantur, ex quibus id desumpserunt Morales lib. X cap. 28, Marieta, I part. lib. II, cap. 36, et Trugillus die 21 Novembris, qui ait : *In Bætica civitate Astensi nobilissima, Romanorum tempore, ut referunt archidiaconus de Ronda et Vassæus, passi sunt olim hi tres gloriosi martyres, quorum festum celebratur die 21 Novembris.* Meminit eorumdem Martyrologium Romanum ipsa die : *In Hispania, sanctorum martyrum Honorii, Eutychii, et Stephani.* Sequentem quoque notam consule.

4. *S. Eutychius*, etc. Celebris admodum in Actis Apost. cap. XX, est Eutychii adolescentis suscitatio, Troade a Paulo facta : *Sedens autem*, ait Lucas, *quidam adolescens nomine Eutychius super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus est mortuus; ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, et complexus dixit* (astantibus) : *Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati sunt non minime.* Post Pauli necem adhæsit S. apostolo Joanni, in ejus disciplinam se tradens, quod Græci in Menologio profitentur, ex quibus Martyrologium Romanum, Molanus in additionibus ad Usuardum, et Galesinus id habent die 24 Augusti. Narrant etiam Græci quod prædicationis causa multas peragratus sit provincias ac regiones, in eisque idolorum templa prece ad Deum fusa protriverit, et ob id carceres, verbera et ignes perpessus, ab omni tamen periculo divinitus ereptus, sancte mirificeque factorum gloria clarus obdormiverit in Domino : quare Rom. Martyrologium sic habet : *Eodem die S. Eutychii discipuli B. Joannis Evangelistæ, qui ob Evangelii prædicationem in multis regionibus carceres, verbera, et ignes perpessus in pace tandem quievit.* Miror cur Baronius in correctione Martyrologii titulum martyris raserit, cum Græci a quibus testimonium hoc mutuatum est, non solum martyrem, sed Hieromartyrem eum appellent, quod etiam Molanus ab eis accepit, cum dixit : *Die 24, S. Hieromartyris Eutychii discipuli S. Joannis Theologi.* Et nihil minus Dexter scribit : *Telæ passus in Vaccæis in Hyspania, completo martyrio gloriosus migrat ad Dominum.* Quare cum ab omni periculo ereptus dicitur, non est intelligendum quod multum temporis postmodum in pace transegerit.

Dubitari autem merito potest, an is ipse sit ille S. Eutychius cujus festum in Hispaniis agi die 11 Decembris Ado, Beda, Usuardus, Galesinus, et Romanum Martyrologium affirmant, præsertim quia de

A. C. 112. Paternus domo Toletanus, civis Bilbilitanus (Romæ tamen M. Martiali familiaris, A. R. 863
et charus) floret.
Pantheon Romanum templum de cœlo tactum.
Tres Gallatiæ civitates terræmotu magno dirutæ.
Plinius Secundus Novocomensis, orator clarus habetur.
S. Saturninus episcopus Tolosanus secundo Toletum invisit.
Carthagine Spartaria S. Alexander frater Rufi primi Dertosanorum episcopi in Hispania Tarraconensi, filius Simonis Cyrenensis, qui post Christum ejus crucem bajulavit; patitur cum Candido et Zosimo et sociis martyrium. In religione sequitur Simon filios, nec fraudatur debita mercede portatæ post Christum crucis; nam post multa bona opera Hierosolymis placide quiescit.

BIVARII COMMENTARIUS.

eo quidam scribunt, fuisse confessorem, ut Petrus Equilinus lib. XI, cap. 130, num. 5, qui ait: *Eutychii confessoris cujus gesta habentur* (*ut dicit Ado*), *cujus festum in Hispaniis agitur* 3 *idus Decembris.* Romanum Martyrologium martyrem eum vocat; Beda, Usuardus, et Galesinus neutrum apponunt, sed solum aiunt: *In Hispaniis, S. Eutychii, cujus gesta habentur.* Et Trugillus asserit ex Martyrologiis neutrum constare. Videmus igitur hæc omnia S. Eutychio apostolorum Joannis et Pauli discipulo ad unguem convenire, nam et de ejus fine et laureola varie sentiunt auctores: ipse est cujus gesta habentur præsertim apud Græcos in Menologio, ut Baronius notavit die 24 Aug. atque in Hispaniis ipse celebratur, nimirum quoniam Telæ prope Palentiam passus fuerat. Quod si ipse non sit, nescitur quis iste tertius Eutychius sit, et mirum esset a Dextro prætermitti. Baronius videtur illum confundere in Eutychio Honorii ac Stephani socio, ait enim prope Gades passum fuisse, est autem Asta urbs Honorii et sociorum prope Gades; alii sine delectu vellent esse tres Eutychios: quibus, si novum aliquid attulerint, non contradicam. Interim autem Eutychium de quo agitur 11 Decembr. non puto diversum a discipulo Joannis qui colitur apud Græcos 24 August. Telæ passus; non enim novum est diversis diebus eumdem sanctum a Latinis et Græcis celebrari.

Ut ut sit, vetus illa Tela non ignobilis, nec ignota urbs olim fuit in Hispania, nam episcopum proprium multos annos habuit, quousque ejus sedes Palentiam anno 480, juxta Maximum translata fuit: et Ptolomæo quoque cognita fuit in Vaccæis prope Palentiam, diversa omnino a Tyle quæ juxta Hispalim fuit; tametsi in Ptolomæi codice pro Tela, corrupte legatur Gela; in characteribus autem antiquis *G* et *T* facilem transitum habent. De ejusdem sancti conservata memoria iterum agit auctor ann. Domin. 299.

5. *Paternus*, etc. Lege quæ de eo diximus ann. 91; dicemus iterum ann. 150.

6. *Pantheon*, etc. Consonat Eusebio in Chronico hoc ipso anno 112. *Pantheon*, ait, *Romæ fulmine concrematum.* Vide Baronium in Annalibus, tom. II, et Orosium.

7. *Tres Gallæciæ*, etc. Id quoque ex eodem Chronico mutuatum fuit, ubi ipsis pene verbis asseritur. Eadem habet Orosius lib. VII, cap. 12.

8. *Plinius*, etc. Eusebius sic: *Plinius secundus Novocomensis orator et historicus insignis habetur: cujus plurima ingenii opera exstant.*

9. *S. Saturninus*, etc. Consule quæ scripsimus ad annum 76, cum de primo ejus in Hispanias adventu egimus.

10. *Carthagine*, etc. De S. Rufo egimus cum Dextro anno 100, quo Dertosæ pontifex sedit, cujus quidem simul cum Zosimo meminit S. Polycarpus scribens ad Philippenses. *Rogo*, ait, *omnes vos insistere verbo justitiæ et patientiæ, quam oculate vidistis, non solum in beatissimis illis, Ignatio scilicet, Zosimo, et Rufo, sed in aliis qui ex vobis sunt* (non igitur erant ex Philippensibus Zosimus, et Rufus, sed prædicaverant illis dumtaxat) *et in Paulo, et in cæteris apostolis.* Quare si Zosimus, ut vides, comes Rufi fuit in prædicatione verbi, non mirum si cum ejus fratre Alexandro martyrii coronam acceperit: præsertim cum constet Rufum Dertosæ quievisse; tunc enim Alexander cum Zosimo Hispaniam verbo replentes Carthaginem usque novam pervenerunt, quam a multitudine Sparti Spartariam veteres dixere. Quod Dexter ait: *Alexander patitur cum Candido et Zosimo et sociis*, Ado in Martyrologio die 11 Martii, et ex eo Equilinus, lib. III, cap. 191, sic explanat: *V idus Martii Hiradus* (aliis Hiraclius) *Zosimus, Alexander, Candidus, Piperion, et alii eorum viginti socii martyres apud Carthaginem pro Christi nominis confessione passi, victoriæ triumphum a Domino consecuti sunt.* Irrepsit proinde mendum non leve in Romano Martyrologio, a cardinale Baronio correcto et aucto, sed hac in parte adhuc corrupto: nam pro S. Alexandro legit urbem Alexandriam; et Martyrum individuam societatem dissocians, ita dividit, ut quidam illorum Carthagine, quidam Alexandriæ passi dicantur: sic enim ait: *Carthagine, SS. martyrum Heraclii et Zosimi; Alexandriæ, passio sanctorum Candidi, Piperionis, et aliorum* 20. Cum tamen non solum Ado, sed etiam Beda, Equilinus, Usuardus additus a Molano, Galesinus et alii expresse contradicant, et socios eos omnes, atque Carthagine simul passos pariter fateantur. Quinimmo si Candidus, Piperion et 20 socii Alexandriæ passi fuissent, haud dubium apud Græcos eorum exstaret memoria, qua tamen omnino carent, et hoc non leve argumentum est apud Latinos occubuisse omnes, nimirum Carthagine. Certe non tanti faciendus esset codex ms. quem pro se Baronius affert, ut solus ille credatur correctus, cæteri vero auctores, quantumvis venerandæ antiquitatis, corrupti; in eo vero Galesinus audiendus non est, quod passos dicat sub Valeriano et Galieno imper., cum apud neminem reperiatur, sed de suo id addiderit. Nunc jam ab alio liberamur errore antiquiori, quo labuntur qui apud Bedam, Adonem, et Usuardum (a quibus Romanum quoque Martyrologium mutuo accepit) legunt die 18 Decembris: *Philippis in Macedonia, sanctorum martyrum Rufi et Zosimi, qui ex eo numero discipulorum fuerunt, per quos primitiva Ecclesia in Judæis et Græcis fundata est; de quorum felici agone scribit B. Polycarpus in epistola ad Philippenses;* creduntque Rufum et Zosimum ea die Philippis martyrio coronatos (nisi forsan cum *Philippis* dicitur, locus festi, non martyrii denotetur). Hæc certe memoria ex Polycarpo dumtaxat accepta est, qui tamen minime asserit Philippis occubuisse, sed multa passos prædicando, seu, quod idem est, multo labore et patientia Philippenses docuisse; quandoquidem æquiparat illis S. Ignatium, qui tamen non passus fuit Philippis, sed Romæ, et Paulum ac cæteros apostolos: hos solum prædicantes viderunt in omni patientia; idcirco dixit: *Rogo vos omnes insistere verbo justitiæ et patientiæ, quam occulta fide vidistis, non solum in beatissimis illis, Ignatio scilicet, Zosimo, et Rufo, sed in aliis qui ex vobis sunt,*

A. C. 115. Hispali in Hispania Bætica Macarius, Justus et Rufinus martyres, in eadem persecu- A. R. 866.
tione passi.
Ursaonæ in Bætica S. Leo martyr, et socii ejus.
Trajanus Armeniam, Assyriam, Mesopotamiamque facit provincias.
116. Terræmotus pene totam Antiochenam civitatem evertit. 867.
Judæi qui in Lybia erant contra contribules dimicant.
S. Marcus Bolanus Florentius, filius Rustici Bolani, consularis Hispani, discipulus sanctorum apostolorum, conversus in Tyle (nunc Sylæ) apud Hispalim passus est 27 Octobris.
Epistolæ S. Ignatii ad B. Virginem celebres habentur.

BIVARII COMMENTARIUS.

et in Paulo et cæteris apostolis. Credo et ipsos martyrologiorum auctores hac in parte leviter lapsos; etenim undecumque sanctos habere poterant, suis libris inserebant, ne memoria tantorum Patrum periret (qua de re innumera exstant exempla in Martyrologiis; multi enim ex sola epistolarum Pauli notitia inibi scripti reperiuntur 25 Junii, 4 Octobris, et alibi), cumque Zosimum et Rufum apud Polycarpum eximie laudatos legissent, et quod Philippis in Macedonia verbum justitiæ et patientiæ seminassent, et nullam aliam eorumdem notitiam invenirent, illico velut Philippis passos annotarunt. Nunc autem cum passos sciamus aliis locis, non est cur diversos hos ab illis credamus. Vide quæ de S. Simeone Cyrenensi et filiis in superioribus attulimus ann. 100, de Rufo agentes, ubi testimonio S. Braulionis, Cæsaraugustani episcopi, usi sumus.

A. C. 115. — 1. *Hispali*, etc. Hominum ac urbis horum sanctorum martyrum similitudo in causa, ut credo, fuit, oblivionis ejus qua hactenus sepulti sunt. Cum enim Justus et Rufinus nuncupentur, et Hispali passi dicantur, ubi celeberrimæ sunt SS. virgines et martyres Justa et Rufina, nihil mirum si pro confusione ævi illius omnia confusa sint. Verumenimvero perspicuum est solo nomine participare, cæteris autem differre, id est, tempore, sexu, et sociis, hi enim Macarium habent comitem coronæ, et (ut jam videbis) Theophilum: illæ comitem nullum habuerunt: hi mares, illæ feminæ; hi sub Trajano, anno, ut vides, 115 passi fuerunt, illæ vero sub Diocletiano Cæsare et Diogeniano præside circa ann. 287, ut Trugillus notavit, seu potius anno 306, quo tempore in Hispania Diocletiani plus sævit persecutio: hi denique 28 Februarii celebrantur, illæ 17 et 19 Julii: Hispalensis quidem Ecclesia die 17 festum de eis agit, Martyrologium autem Romanum, Usuardus, et Beda, et Equilinus 19. De sanctissimis virginibus agemus cum ad Diocletiani tempora venerimus, nunc de viris agamus. Meminit eorumdem Equilinus lib. XI cap. 130 numero 80, dicens: *Macarius et Rufinus, Justus et Theophilus pridie kalendas Martii martyrio coronantur;* cum tamen lib. VI cap. 117 egisset fuse de SS. Justa et Rufina. Usuardus cum Molani additionibus: *Eodem die*, ait, *sanctorum Macarii et Rufini, Justi et Theophili;* qui tamen die 19 Julii agit de Justa et Rufina. Vetus Romanum Martyrologium sic: *Pridie kal. Martii, natalis sanctorum martyrum Macarii, Rufini, Justi et Theophili.* Baronius addit *Romæ*, sed de suo, et sine auctore, nam nullus aliorum urbem apposuit, cum tamen si apponenda esset, non *Romæ*, sed *Hispali in Hispania* dici oporteret. Galesinus Justi dumtaxat et Rufini meminit ad diem 27 Julii, et in Hispania passos fatetur, dicens: *In Hispania SS. [martyrum Justi et Rufini, qui in eadem persecutione ob Christi fidem capti, post diversas in tormentis quæstiones, quibus religionem præclare testificati sunt, ingenti admiratione cursum confecerunt martyrii.* Subdit in Notis hæc desumpsisse *ex libro et tabulis Nicolai monachi.* Excedit tamen cum sub Maximiano passos reputat, et multo magis dum ad diem 28 Februarii Justum et Machārium adjungit Cæreali, Pupulo et aliis, quos sine Justo et Machario Beda Alexandriæ passos asseverat. De Justa autem et Rufina bene ad dies 17 et 19 Julii egit.

2. *Ursaonæ*, etc. Solius Leonis martyris meminit Equilinus lib. XI cap. 130, num. 82 a S. Hieronymi Martyrologio mutuans, in hæc verba: *Leo martyr eodem die* (id est, kalendis ipsis Martii) *passus est.* Romanum Martyrologium ipsa die aliquos ejus socios ex nomine designat dicens: *Item natalis sanctorum martyrum Leonis, Donati, Abundantii, Nicephori et aliorum novem.* Et Baronius in Notis asserit restitutos fuisse ex veteri Martyrologio monasterii S. Cyriaci. De Ursaona diximus an. 110.

3. *Trajanus Armeniam*, etc. Ita ad verbum Eusebius et Hieronymus in Chronico.

A. C. 116. — 1. *Terræmotus*, etc. Etiam hæc habent prædicti anno ipso ex Xiphilino et Orosio.

2. *Judæi*, etc. Ipsi quoque, sed paulo uberius: *Judæi*, inquiunt, *qui in Libya erant, adversus cohabitatores suos alienigenas dimicant, similiter in Ægypto et in Alexandria, apud Cyrenem quoque et Thebaidem magna seditione contendunt; verum gentilium pars superat in Alexandria* (de his quoque Dio loquitur), et anno 118: *Judæis Mesopotamiæ revelantibus præcepit imper. Trajanus Lysiæ Quieto, ut eos provincia exterminaret; adversus quos Quietus aciem instruens infinita millia eorum interfecit, ob quod procurator Judææ ab imperatore decernitur.* Et anno 119 *Salminam urbem Cypri, interfectis in ea gentilibus, subvertere Judæi.* Hæc quidem sub Trajano acciderunt, nam quæ sub Hadriano in Judæos facta sunt, anno 121 designantur. Consule Orosium lib. VII cap. 12.

3. *S. Marcus Bolanus*, etc. Anno 110 egerat de ipso, quando nimirum florebat opinione nobilis sanctitatis, nunc de martyrio ejus, et patre. Vide quæ ad dictum annum annotavimus. Fuisse quidem in Bætica olim Rusticorum prosapiam nobilissimam, non leviter ex epitaphio marmori inciso Clodii Rustici deducimus, quod hodieque apud oppidum prope *Castro el rio* prope Cordubam exstare auctor est Morales lib. Hist. IX cap. 38 seu 39. Cecinit etiam Martialis funera Antistii Rustici lib. 9 Epigr. cujus initium (sub numero 30):

Cappadocum sævis Antistius occidit oris
Rusticus, o tristi crimine terra nocens, etc.

Cui Romæ degenti aliud epigramma dederat lib. VIII Epigr. 22:

Esse tibi videor sævus, etc.

4. *Epistolæ*, etc. Non unam, sed plures D. Ignatium scripsisse epistolas ad beatiss. Virginem Matrem Dei ex ea quæ nunc exstat manifeste deducitur; ait enim in ea Ignatius: *Scripsi tibi etiam alias, et rogavi de eisdem.* Plures quoque agnoscit, ac celebrat S. P. Bernardus serm. 7 in psalm. *Qui habitat*, ubi inquit, *Magnus ille Ignatius, discipuli quem diligebat Jesus auditor, martyr noster, cujus pretiosis reliquiis nostra ditata est paupertas, Mariam in pluribus, quas ad eam scripsit epistolis, Christiferam consalutat.*

A. C. 116. Rutilius ad Hispaniam missus fit martyr. Meminit ejus Tertullianus præclaro quidem elogio. A. R. 867.

120. Diocles agitator Lusitanus, ex oppido Laconimurgi prope Caparam, mirabilium agitationum operatione floret. 871.

BIVARII COMMENTARIUS.

Egregius plane titulus dignitatis, et commendatio honoris immensi. En ipsam epistolam, noviter ad fidem conversi plenius de ejus mysteriis instrui desiderantis.

CHRISTIFERÆ MARIÆ SUUS IGNATIUS.

Me neophytum, Joannisque tui discipulum confortare et consolari debueras. De Jesu enim tuo percepi innumera dictu, et stupefactus sum ex auditu. A te autem, quæ semper ei fuisti familiariter [Al. *familiaris*] *conjuncta et secretorum ejus conscia, desidero omnino* [Al. *animo*] *fieri certior de auditis. Scripsi tibi etiam alias, et rogavi de eisdem. Vale; et neophyti qui mecum sunt ex te, et per te, et in te confortentur.*

Rescripsisse quoque Deiparam ad Ignatium Dexter docet ad annum 430, ubi de ipsis suo ævo celeberrimis ait: *Epistolæ B. Virginis ad S. Ignatium, et ejusdem ad sanctissimam Virginem manibus fidelium nunc teruntur.* Ergo non solum de fama priscorum temporum, quod hoc anno 116 fecit, sed etiam de eo quod ipse suis oculis viderat (nam anno illo 430 scribebat omnimodam historiam) testimonium profert Dexter: eoque constat plures tunc temporis Deiparæ exstitisse epistolas, quas tamen dolemus periisse, hac una dempta.

IGNATIO DILECTO DISCIPULO HUMILIS ANCILLA CHRISTI JESU.

De Jesu quæ a Joanne audisti et didicisti vera sunt: illa credas, illis inhæreas, et Christianitatis votum firmiter teneas, et mores et vitam voto conformes. Veniam autem una cum Joanne te et qui tecum sunt videre. Sta, et in fide viriliter age, nec te commoveat persecutionis austeritas; sed valeat et exsultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.

Scio apud multos suspectam haberi fidem ejusmodi epistolarum, eo præsertim, quod Hieronymus, dum in lib. de Script. Eccl. egit de Ignatio, inter cæteras ejus epistolas harum non meminit; sed argumentum negativum obesse non potest, cum positiva testimonia nobilium auctorum adsunt. Ergone opera Dionysii apposititia sunt, quia Hieronymus eorum non meminit? absit. Quod si Hieronymus siluit, Dexter ejus coævus locutus est, locutus et Bernardus, qui apocryphis fidem numquam dedisse comperitur: suscipiunt gravissimi viri, Carthusianus, Marianus Victorius, Symphorianus Clamperius, Petrus Canisius, Æneas Sylvius, Sixtus Senensis, Franciscus Arias, et innumeri alii, quos longum esset recensere. Liquet vero ex ipsis epistolis sanctum Joannem convertisse ad fidem Ignatium, priusquam comitaretur Deiparam Ephesum: de quo cum Dextro egimus ad ann. 41, dum solus sine illa initio Evangelicæ prædicationis velut tonitrui filius celeres luminis Evangelici radios in Asiam immisit. Consule quæ de his iterum diximus ann. 86, ubi de epistolis ejusdem B. Virginis ad Messanenses et Florentinos datis disputavimus.

5. *Rutilius*, etc. In codice impresso pro *Rutilio* erat *Rusticus*, sed manifeste errat; nam Martyr ille cujus Tertullianus mentionem fecit, Rutilius vocabatur. Rursus quod hic legitur, *ad Hispaniam missus fit Martyr*, non sic accipiendum est, quasi in Hispania consummaverit martyrium, quia in Africa tandem ab Hispaniis dimissus passus est, ut Dexter ipse annotavit ann. 110, sed sensus est: Rutilius, qui missus ad Hispanias aliquando mansit Cordubæ, tandem fit martyr, videlicet in Africa. De eo Martyrologium Romanum die 2 Aug. et Marcus Maximus in Chronico anno Domini 612, quo ipse auctor floruit, duplici stemmate ejus memoriam (tunc celebrem in Hispania) annotatam reliquit: I. *Rutilii passi sub Trajano in Africa, qui profugus venit in Hispaniam, et mansit Cordubæ postea, celebris hic est memoria.* II. *In Africa celebratur memoria Rutilii martyris, cujus mentionem facit celebrem Septimius Tertullianus libro de Fuga.* Ejus verba dedimus ad annum 110, quæ tu consulas.

A. C. 120. — 1. *Diocles*, etc. Laconimurgi prope Caparam, seu Caparram, urbis non ignobilis, meminit Ptolomæus in tabula Lusitaniæ. *Caparra* conservat hodie nomen suum: situmque est hospitium ejus nominis in itinere quod Salmantica Emeritam tendit, non longe a Tago fluvio. Erat Laconimurgum, a lacu vicino sic, ut apparet, cognominatum, sicut Lacobriga quæ in regno Algalnorum, nunc a lacu, *Lagos* dicitur. Illic ortum suum habuisse gloriabatur C. Apuleius Diocles nobili equos agitandi arte notissimus, modo illi in curru, modo sine curru, modo bini, modo quaterni, seu aliis mille modis ducerentur. Exstant Romæ ejus insignes agitationes, quibus cunctos præcelluit marmori insculptæ, nobile tantæ antiquitatis monumentum in Campo Martio in domo equitum Cechinorum, quam inde transcripsere Philandrius in notis ad Vitruvium, Aldus in sua Orthographia, et auctor libri Antiquitatum Romanarum: ex quibus nonnihil scripsit Morales lib. IX, cap 6. Sed reddamus inscriptiones ipsas, quas nos ipsi in eadem domo legimus anno præterito 1623.

C. Apuleius Diocles agitator factionis Russatæ, natione Hispanus, Lusitanus, annorum xxxxij. mens. vij. d. xxiij. Primum agitavit in factione Albana, Auiolo et Corellio Pansa coss..... agitavit in factione eadem Albana, Acilio Glabrione, C. Bellicio Torquato coss... Agitavit in factione Prasina Torquato Asprenate 11, *et Annio Libone coss. primum vicit.... in factione Russata Lænate Pontiano, et Annio Rufino coss. summa quadriga agitavit annis xxiv, missus ostio iv. cclvij.... c. lxij. a pompa. cx. singularum, vicit ∞ lxiv. inde præmia majora vicit lxxxxij. xxx. xxxij. et his seiuges iij.xxxx. xxviij..... ij. lxxviiij. Inde septeiuge j. lxiij. Binarum vicit ccc. xxxx. vij. Trigas ad HS. xv. iiij. Ternarum vicit lj. Ad honorem venit ∞... secundas dccclxj. Tertias dlxxvj. Quartas ad HS. ∞. frustra exit ∞. cccij. ad Venetum vicit lx. Ad Albatum vicit lxxxx. Inde ad HS. xxxij.... viij. HS. ccc. lviij. lxiij. cxx. Præterea Bigas M. vicit iij. Ad Albatum I. ad Prasinum ij. Occupavit et vicit dcccxv. successit et vicit lxvij.... T. xxxvj. Variis generibus vicit xxxxij. Eripuit et vicit.... ij. Prasinis ccxvj. Venetis ccv. Albatis lxxxj. Equos ternartios feci N. viiij. et ducenarios, j.*

Insignia eius.

... to sibi, quo anno primum quadrigis victor extitit; bis eripuit, bis actis continetur Auilium Teren. factionis suæ primum omnium vicisse ∞ xj. ex quibus anno uno plurimum vincendo vicit.... primum centum victorias consecutus est victor c.iij. singularum vicit lxxxviij. Adhuc augens gloriam tituli sui, præcessit Thallum factionis suæ, qui primus in factione Russata... Diocles omnium agitator eminentissimus: quo anno alieno principio Victor cxxxiij. singularum vicit cxvij. quo titulo præcessit omnium factionum agitatores qui umquam.... circensium interfuerunt: Omnium admiratione merito notatum est, quod uno anno alieno principio, duobus introiugis Cottyno, et Pompeiano vicit lxxxxviiij. lx. j. liiij. x. j. xxx. ij.... factionis Prasinæ victor ∞ xxv. Primus omnium urbis conditæ ad

A. C. 121. Hadrianus imperator Judæos captivos dispergit. A. R. 872
Idem publica tributa laxans libertate donat.
122. Plutarchus Cherronensis, Agathobolus, Sextus, et Œnomaus philosophi, doctrinæ celebritate clari judicantur. 873.
Bellum atrox et crudele contra Sauromatas gestum est.
124. In Libyam, quæ a Judæis vastata erat, mittitur Colonia. 875
125. Hadrianus Atheniensibus leges petentibus jura dedit. 876
128. Hadriano Quadratus, discipulus apostolorum, et Aristides Athenienses libros obtulerunt pro religione Christiana. 879

BIVARII COMMENTARIUS.

HS. l. vicit vij. Diocles præcedens eum, introiugis tribus A
Abigeo, Lucido, Parato, l. vicissent x. vicit viiij... Omnunem, Venustum, Epaphroditum tres agitatores milliarios factionis Venetæ, ad HS. l. vicissent xj. Diocles Pompeiano, et Lucido duobus introiugis l. vicit... factionis Prasinæ victor ∞ xxv. et Fl. Scorpus victor ij. xlviij. et Pompeius Musclosus victor iij. diviiij. tres agitatores victores v. dcxxxij. ad HS. l. vicerunt xxviij.... eminentissimus victor ∞ cccc. lxij. l. vicit xxviiij. nobilissimo titulo Diocles nitet, cum Fortunatus factionis Prasinæ in Victore Tusco victor ccc. lxxxvj. l. vicit ix. Diocles.... R. c. l. ij. l. vicit x. lx. j. nouis coactionibus, et numquam ante titulis scriptis Diocles eminet, quod una die seiuges ad HS. xl. missis bis utrasque victor eminuit; atque amplius.... suisque septem equis in se iunctis, nunquam ante hoc numero equorum spectato certamine, ad HS. l. in Abigeio victor eminuit, et sine flagello aliis certaminibus ad HS. xxx..... visus esset his nouitatibus duplici ornatus est gloria. Inter milliarios agitatores primum locum obti- B
nere videtur Pontius Epaphroditus factionis Venetæ, qui Antonini Augusti Pij temporibus solus victor ∞ cccc. lxvij. singularum vicit dcccc. xj. At Diocles præcedens eum victor ∞ ccclxij, inter singulares vicit ∞ lxiiij. Iisdem temporibus.... et vicit cccc. lxvij. Diocles eripuit, et vicit dlj. Diocles agitator, quo anno vicit cxxvij. Abigeio, Lucido et Pompeiano introiugis tribus Victor ciij. inter.... eminentes agitatores, introiugis Afris plurimum vicerunt Pontius Epaphroditus, factionis Venetæ. In bubulo vicit cxxxiij. Pompeius Musclosus factionis Prasinæ.... cxv. Diocles superatis eis in Pompeiano Victor, clij. singularum vicit cxxxxiiij. Ampliatis titulis suis, Cotyno, Galata, Abigeio, Lucido Pompeiano introiugis quinque Victor cccc. xxxxv. singularum vicit ccc. lxxxxvij. Cætera desunt injuria temporis.

Vides, lector, Dioclem innumeras victorias reportantem de omnibus agitatoribus, qui hactenus in orbe fuerant in altera e quatuor factionibus; quæ, ut apparet, ex coloribus diversa sortiebantur cognomina, scilicet Albana, Veneta, Prasina, et Russata. C
Exstat identidem basis marmorea statuæ ipsius Dioclis, quam duo filii ejus in templo Fortunæ erexerunt, cum ejusmodi inscriptione :

C. Apuleio Diocli, Agitatori primo factionis Russatæ, natione Hispano: Fortunæ Primigeniæ D. D. C. Apuleius Nymphidianus, et Nymphidia V. filii. Exstat vero Prænestе in domo episcopi, eamque referunt Morales, lib. IX Hist. Hisp. cap. 6, Philandrius, et Aldus Manutius, et novissime Janus Grutterius, in lib. Inscriptionum antiquarum orbis Romani, sub titulo *Diis Dicatorum.*

Floruit etiam in eadem agitationis arte Fuscus Hispanus factionis Venetæ, qui Tarraconе in Hispania obiit, ubi extra civitatem, via quæ ducit ad divæ Virginis miraculorum, perseverat adhuc in base marmorea ejusmodi inscriptio :

D. M.
Factionis Venetæ Fusco sacravimus aram
De nostro certi studiosi et bene amantes :
Ut scirent cuncti monumentum et pignus amoris.
Integra fama tibi, laudem cursus meruisti;
Certasti multis, nullum pauper timuisti,
Invidiam passus semper, fortis tacuisti.
Pulchre vixisti, fato mortalis obisti.
Quisquis homo es quærens talem, subsiste, viator,
Perlege si memor es, si nosti quis fuerit vir;
Fortunam metuant omnes. Dices tamen unum;
Fuscus habet titulos mortis, habet tumulum mors,
Contegit ossa lapis, bene habet, fortuna valebis.
Fundimus insonti lacrymas, nunc vina, precamur
Ut jaceas placide: nemo tui similis.

ΤΟΥΣ. ΣΟΥΣ. ΑΓΩΝΑΣ. ΑΙΩΝ. ΛΑΛΗΣΕΙ.
id est, *Tuos agones sæculum loquetur.*

Ob artis et patriæ similitudinem placet tandem huc inserere Eutychetis Aurigæ epitaphium, quod exstat marmori incisum Tarraconе in hortis D. Antonii Augustini archiepiscopi, toto orbe ob egregiam eruditionem notissimi; est vero hujusmodi :

D. M.
Eutycheti Aurigæ annorum xxij.
Fl. Rufinus, et Sempronius Diophanis,
Servo B. M. Fr.
Hoc rudis Aurigæ requiescunt ossa sepulcro,
Nec tamen ignari flectere lora manu.
Jam qui quadrijugos auderem scandere currus,
Et tamen a bijugis non removerer equis.
Invidere meis annis crudelia fata,
Fata quibus nequeas apposuisse manus.
Nec mihi concessa est morituri gloria Circi,
Donaret lacrymas ne pia turba mihi.
Ussere ardentes intus mea viscera morbi,
Vincere quos medicæ non potuere manus.
Sparge, precor, flores supra mea busta, viator,
Favisti vivo forsitan ipse mihi.

Sed ad alia transeamus.

A. C. 121. — 1. *Hadrianus.* Eusebius hoc anno dixit : *Hadrianus Judæos capit secundo contra Romanos rebellantes :* anno vero 120, dixerat : *Hadrianus Trajani invidens gloriæ, de Assyria, Mesopotamia, Armenia, quas ille provincias fecerat, revocavit exercitus.* Obierat quidem Trajanus anno Domini 119, cum imperasset annos 19, mens. 2, dies 15, et prius in Cæsarem adoptasset Hadrianum consobrinæ suæ filium. Eusebius anno 120, sic ait : *Hadrianus Italicæ in Hispania natus, consobrinæ Trajani filius fuit;* ut videas errare eos qui Hadriæ in Piceno natum fabulantur, et qui Romæ ortum dicunt, tametsi nullus sit qui non affirmet ipsum genus suum ex Italica Hispaniæ deduxisse. Consule doctissimum Ambrosium Morales, lib. IX, cap. 31, qui in suum favorem citat Orosium, Eutropium, Aulum Gellium, etc., refertque Ælium Hadrianum, imperio semel accepto, aliquando Hispanias repetiisse, et Tarraconе pene a mancipio occisum fuisse.

2. *Idem Hadr.*, etc. Sic Eusebius : *Hadrianus reliquias tributorum urbis relaxavit, chartis publice incensis : plurimos etiam ipsis tributis liberos præstitit.*

A. C. 122. — 1. *Plutarchus*, etc. Eusebius hoc anno. *Plutarchus Cherroneus, et Sextus, et Agathobolus, et Œnomaus philosophi insignes habentur.*

2. *Bellum*, etc. Eusebius : *Bellum contra Sauromatas gestum.* Vide Orosium, libr. VII, cap. 13, et ejus illustratorem Marcoduranum in notis ejus capitis.

A. C. 124. — *In Lybiam*, etc. Eusebius in plurali : *Hadrianus in Lybiam* (Provincia est Africæ) D
quæ a Judæis vastata fuerat colonias deducit.

A. C. 125. — *Hadr.*, etc. Quid Eusebius? *Hadrianus Atheniensibus leges petentibus, ex Draconis, et Solonis, reliquorumque libris jura composuit.*

A. C. 128. — *Hadriano Quadra.*, etc. Id quoque

A. C. 130. Serenus Grannius, Legatus, vir doctus, et apprime nobilis, litteras misit ad Hadrianum, ostendens indignum esse populi clamoribus Christianos feris objici sine probatione criminis. Hadrianus his motus rescripsit, sine crimine reum non agi quempiam Christianorum, sola religionis objecta criminatione. A. R. 881.

Hoc anno S. Calocerus, S. Jacobi discipulus, et episcopus Ravennas, major centenario, miraculorum gloria clarus ad cœlum migrat.

S. M. Marcellus Eugenius, Toletanorum episcopus, S. Clementis Legatus, ad Gallias profectus, causa communicandorum cum Dionysio gravium negotiorum, Tolosæ prædicat, et ejus urbis episcopus creditur, post necem S. Saturnini ejus urbis episcopi et Martyris. Inde profectus sciens martyrium S. Dionysii condiscipuli sui, id ille celebrat elegantissimo carmine : et prope Lutetiam a satellitibus Trajani Hadriani, cui ipse charus fuit, pro fidei patrocinio jugulatur.

BIVARII COMMENTARIUS.

ab Eusebio acceptum tum in Chronico, tum lib. IV Histor. Eccles. cap. 3 et 8. Hieronymus etiam lib. de Script. Eccl. : *Quadratus*, ait, *apostolorum discipulus, Publio Athenarum episcopo substituitur, cumque Hadrianus Athenis exegisset hiemem, porrexit ei librum pro religione nostra compositum, valde utilem, plenumque rationis et fidei*, etc. De Aristide autem sic : *Aristides Atheniensis philosophus eloquentissimus, et sub pristino habitu discipulus Christi, volumen, nostri dogmatis rationem continens, eodem tempore quo et Quadratus Hadriano principi dedit; id est, Apologeticum pro Christianis, quod usque hodie perseverans apud Philogos ingenii ejus indicium est.* Dederunt autem hos libros Hadriano Athenis agenti duo isti Athenienses viri, quod eo tempore addictissimus ille esset suis idolis; et contra Christianos quisquis vellet insurgeret, obsequium credens se imperatori præstiturum. Consule de his etiam Orosium lib. VII, cap. 13. Agitur de S. Quadrato in Martyrologio Roman., Beda, Usuardo et aliis 26 Maii; de Aristide vero die 31 August., ubi eadem in ipsorum laudem referuntur. B

A. C. 130. — 1. *Serenus Grannius*, etc. Eusebius in Chronico sic : *Serenus Grannius legatus, vir apprime nobilis, litteras ad imperatorem remittit, iniquissimum esse dicens clamoribus vulgi, innocentium hominum sanguinem concedi; et sine ullo crimine, nominis tantum et sectæ reos fieri. Quo commotus Hadrianus, Minutio Fundano proconsuli Asiæ scripsit*, sine objectu criminum Christianos non condemnandos : *cujus epistolæ usque ad nostram memoriam durat exemplum.* Offert illud lectoribus idem auctor lib. IV Historiæ cap. 9. Incipit : *Epistolam a Sereno Grannio, viro præstantissimo, in cujus locum tu ipse subrogatus es, scriptam accepi.* Et post pauca : *At me Hercle, si quispiam, quos ros calumnietur id tentaverit, tu ejusmodi hominem pro nequitia et crudelitate severe arguito, atque adeo sedulo prospicito, ut debitas pœnas luat.* Cæterum hoc differt Eusebius a Dextro, quod ille in Chronico id refert ad annum 128 quo tempore de Quadrati et Aristidis libellis pro religione Hadriano porrectis agit; Dexter vero rescriptum Hadriani ad Minutium in annum 130 differt; et melius multo, quoniam constat tempus aliquod intercessisse inter epistolam Sereni, et rescriptum Hadriani, cum ejus successori datum sit, non vero ipsi Sereno. Galesinus cum de Quadrato agit hæc omnia in annum 134 rejicit, sed nullus ei antiquorum suffragatur. Lege de ea re Orosium, lib. VII cap. 13. C

2. *Hoc anno Calocerus*, etc. Egimus de ipso ad annos 37 et 44, quæ tu consulas. Ejus festa dies in Rom. Martyrologio est 11 Febr. De eodem Rubeus lib. I Historiæ Ravennæ, et Surius tomo VII, ac tabulæ Ravennates a Baronio citatæ. Sed reddamus Rubei verba ad annum 127 : *Calocerus*, ait, *Græcus, in Martiani locum Ravennatum archiepiscopus, columba cælitus super eum sedente, suffectus est. Qui cum rerum omnium sub Hadriano quietem fuisset natus, assiduo hortatu, Deo verbis efficaciam ac robur tribuente, omnes ferme Ravennates, relictis falsis diis, religioni sanctæ adhærere sic persuasit ut admodum pauci fuerint qui non acceperint cultum et cognitionem veri Dei.* Et paulo post : *Sub Telesphori pontificatu Calocerus, cum annum ætatis centesimum viridi senecta superasset, mortem cum vita commutavit 3 idus Febr. Sepelitur non procul ab Abderito* secundo Ravennatum episcopo : de quo asserit sic dictum fuisse, quia Abderæ natus fuit. Fuit vero ejus nominis urbs in Hispania Bætica, quam Villanovanus credit esse Almeriam : et alia in Thracia : cujus autem fuerit civis non constat.

3. *S. M. Marcellus*, etc. Satis multa de eo dicta a nobis habes ad annos 91, 100, 105, 110 et 112. Sanctissimum pontificis martyrium celebratur sacro hymno Breviarii Gothici Toletani, quem placuit hic inserere in gratiam ipsius.

Sancti Eugenii digna memoria
Rucurit (Socii) plaudat Ecclesia;
Exsultat Gallia, tanti martyrii
Sacro ditata pignore.
Alumnus Græciæ visit Hispaniam,
(*nimirum Dionysius, id est, Eugenius*)
Doctor Hispaniæ revisit Galliam,
Docti præsentiam Doctoris Galliæ
Fideli captans pectore.
Patrem desiderat, votum prosequitur,
Jam prope venerat, hostis irascitur,
Sanctus vir rapitur, quem ensis temerat,
Caput vellens a corpore.
In loco proximo corpus submittitur,
Custodi optimo pignus committitur
Recens, ut mittitur manet longissimo
Sub unda corpus tempore.
Hercoldus patitur, quem Dei visio
Ex hoc alloquitur in Dionysio :
Salutis pretio Sanctus redimitur,
Digno locandus decore.
Sit Patri gloria, sit honor Filio,
Virtus, potentia, laus, jubilatio;
Flamini socio surgat sors socia,
Ut pari constant robore. Amen.

Quod spectat ad carmina illa, quibus elegantissime martyrium S. Dionysii celebravit, Hilduinus in Vita S. Dionysii (quæ apud Surium exstat) asseverat, se illa habuisse. Quo autem pacto nunc discipulus, nunc vero condiscipulus dicatur, in superioribus explicuimus. Obiit S. Martyr nonagenarius, hoc Christi anno 130, si, ut æquum est, annum fere 30 agebat tempore necis apostolorum, sub quorum magisterio florentes annos exegerat. Historiam autem integram S. Eugenii, quomodo in Gallias tendens martyrii lauream adeptus est, ac in lacum Marcasium injectus, et inde, revelatione Hercolao nobili viro a S. Dionysio facta, præclaro signo sanitatis miraculose ipsi impertitæ, post 200 aquei latibuli annos, recens eductus, digno honore habitus fuerit, deque innumeris miraculis ad ejus tumulum fieri solitis, ac de translationibus variis tanti martyris,

A. C. 130. Jonas Dionysii Areopagitæ discipulus in Galliis prædicat. A. R. 881.

Aulus Altimus Paternus Toletanus civis factus a S. Saturnino Tolosatium episcopo, Elusatium pontifex, qui Eugenio Dionysioque charus fuit, in Gallia martyrium patitur. Idem etiam fuit episcopus Constantiensis, sed divagatus per Gallias, Apostolorum more prædicat verbum Dei.

Aquis prope Toletum, nimis Eugenii familiaris S. Pimenius, vir egregia virtute, multa pro Christo patitur.

BIVARII COMMENTARIUS.

multi multa scribunt. Videndi sunt Vincentius in Speculo lib. x cap. 35, Equilinus lib. x cap. 62, Marinæus Siculus lib. v, Trogillus, Sanctorus, Villegas, et Ribadeneira die 15 Novembris cum Martyrologiis Romano, Bedæ, Usuardi, Adonis, Maurolici, Galesini : insuper Garibay lib. XII cap. 9, Mariana lib. IV cap. 4, Marieta I part. lib. I a cap. 17, Morales lib. IX cap. 26, Maldonatus in Breviario Burgensi, Illescas lib. VI cap, 15, Ortizius in descriptione templi Toletani cap. 11, Antonius de Rivera in translatione ipsius, Cianca lib. III B. Secundi cap. 10. Ejus præclara gesta recognita olim fuere in concilio Leodiensi, et in Ecclesia jussa sunt legi, ut liquet ex actis S. Gerardi abbatis Bromiensis cap. 14 apud Surium tomo V. Sacra Eugenii pignora primum translata sunt ad Bromiense cœnobium, inde ad S. Dionysii Parisiense, deinde brachium unum Toletum allatum tempore Roderici archiepiscopi, cujus de Rebus Hispaniæ celebris exstat historia, ac demum agente Philippo II rege Catholico corpus totum ad Toletanam sedem suam translatum, decentissimo honore conditum, in capellam subtus altare majus regiis transportatum humeris fuit. Obiter annotarim, multis modis quosdam prædictorum auctorum in chronologia annorum S. Eugenii defecisse, quæ mihi longum esset per singula recensere, et facile cuivis ex dictis a nobis corrigere.

4. *Jonas*, etc. Vide, quæ de eo diximus ad annos 86 et 112. Crediderim hoc anno vel circa, passum in pago Castrensi, alias Castris Ceciliis in Lusitania.

5. *Aulus Altimus*, etc. Conversionem ipsius retulimus ad ann. 76, prædicationem Bilbilitanam ann. 94, famam sanctitatis ann. 112. Elusensium fuisse pontificem testatum reliquit Julianus archipresbyter S. Justæ in Chronico ad ann. 132, cujus eo anno verba afferemus. Fundavit deinde Ecclesiam Constantiensem, ubi pro Christi nomine martyrio vitam finivit, de quo Martyrologium Romanum die 23 Septembris : *In territorio Constantiensi, S. Paterni episcopi et martyris*. Meminit ejus Democares, de *Sacrificio Missæ*, asseritque fuisse primum episcopum Constantiensem.

6. *Aquis prope Toletum*, etc. Ptolemæus, in Carpetaniæ suæ tabula, prope Toletum ponit Liboram, quam Plinius vocat Eburam, aliis Elbora, et de ea Tit. Livius lib. XL, loquens : *Quint. Flaccus*, ait, *principio veris exercitum in Carpetaniam duxit, et castra locavit ad oppidum Eburam, modico præsidio in urbe posito*. Hinc ortum dissidium inter Bartholomæum Quebedum, et Resendium, de *Ebura*, dum Quebedus duplicem Eburam contendit, alteram in Lusitania, quæ hodie quoque nomen et famam retinet, alteram in Carpetania, vulgo *Talabera;* Resendius vero contentiose unam, eamque Lusitanam asseverat. Sed certe Livius illi manifeste, ut vides, refragatur. Suscitaverunt denuo litem veterem Mariana, et Mantuanus , et quod ille, lib. IV Hist. cap. 13, pro virili demonstrarat Talaberam olim Eburam Carpetaniæ vocatam, Livii testimonio munitus, hic contentiose refutat. Marianæ astipulantur Nebrissensis, Marius Aretius, apud Ludov. Nonnium, cap. 63 suæ Hispaniæ, Tarapha, Millius, Villanovanus, et Ambrosius Morales in Antiquit. Hisp., verbo *Ebura*, fol. 101. Ebura autem, quam Talaberam diximus, alio nomine Aquis vocabatur, ut testatur M. Maximus ad annum Domini 580. *Ebora*, inquiens, *quæ et Aquis in Carpetania*.

Cæterum S. Pigmenii, vel Pimenii, ut alii legunt, fit reverenda mentio in concilio Toletano XII, ubi actum est de abolendo titulo et dignitate episcopali, suasu Uvambæ regis paulo ante in Ecclesia S. Pimenii instituta ; et sic dicitur : *Dixit enim, violentia principali se impulsum fuisse, ut in monasterio villulæ Aquis, in qua venerabile corpus sanctissimi Pimenii confessoris debito quiescit honore, novam episcopalis honoris ordinationem efficeret*, etc. Quod vero Patres vocant confessorem sanctum Pimenium, non destruit id quod Dexter asseverat, *multa pro Christo patitur*, quia in his non asserit in passione ipsa vitam finiisse, sed quod multa passus fuit; in quo potius innuitur, non fuisse martyrem. Fuit sane alius Pimenius Dumiensis episcopus, qui subscripsit Toletano concilio VI, æra 676, seu anno Domini 638; et ejus nomen exstat 42 loco inter subscriptiones episcoporum, his verbis : *Ego Pimenius Ecclesiæ Dumiensis episcopus subscripsi*. Et ante 8 annos videlicet Christi 630, æra Cæs. 668, Pimenius Assidoniæ episcopus consecravit ecclesiam S. Jacobi, quæ *Medinæ Sidoniæ* eremitorium nunc est, ubi hæc in marmore servatur inscriptio :

DEDICATA EST HÆC BASILICA
XVII. KAL. JANVARIAS ANNO II. PONT. PIMENII,
ÆRA DCLXVIII.

Existimavit Ambrosius Morales, lib. XII, cap. 50 (quem Mariana, lib. VI, cap. 5 et 14, et Yepes centuria Benedictina 1, anno 563, et centuria 2, anno 675, et cent. 3, anno 682, sequuntur) Pimenium de quo Patres concilii XII Toletani meminerunt, non alium quam eum fuisse, qui Dumiensis reperitur episcopus, seu etiam Assidonensis. Sed dubio procul longe a vero aberrant, quia S. Pimenius non fuit episcopus, et a Patribus Toletani XII concilii solum vocatur confessor, et multo illis Pimenius vetustior est, quippe cum hic familiaris fuerit S. Eugenio Marcello, illi autem post 500 annos floruerint. Fallitur etiam Loaysa qui in margine ejus concilii XII Toletani hæc ait : *Erat Pimenius Dumiensis monasterii Abbas et episcopus*. Et quidem si credant, Dumiense monasterium et episcopatum fuisse in oppido Aquis , manifesto errore labuntur, cum Dumiensis sedis cœnobium in Gallæcia exstiterit, Aquis autem prope Toletum. Manifeste quoque adversantur concilio, quod fatetur unum dumtaxat episcopum Aquensem exstitisse, nomine Cuniuldum a rege Uvamba jussum ordinari devotionis gratia, quam ad sanctissimum confessorem Christi gerebat, qui tamen in eo concilio depositus est ; et sub abbate inter monachos redactus. *Hic tamen Cuniuldus* (en verba concilii) *qui videtur institutus fuisse episcopus, non ultra privilegio fretus, sed sub abbatis regimine, sicut hucusque fuit, erit modis omnibus mancipandus*. At Dumiense monasterium per multos annos dignitate episcopali honestatum fuit. Neque vero quia audis S. Pimenium jacere in monasterio villulæ Aquis, illico credas fuisse ejusdem monachum vel abbatem, sed quod post longum tempus in ejus tumuli honorem cœnobium fundatum sit, sicut non ex eo, quod villula nuncupatur Aquis, infertur, quod olim sub Romanis etiam villula fuit, et non potius nobilis urbs, sed solum quod tempore concilii XII parva erat, nimirum Gothico furore diruta.

A. C. 132. S. Honoratus natus Concanæ (ut quidam volunt urbe Celtiberorum, ut alii Cantabrorum) post discessionem S. M. Marcelli Toletanorum episcopi, Toleti prædicat, et ab eo secundus habetur. A. R. 882.

134. Salvius Julianus perpetuum edidit edictum. 885.

Hadrianus imperator Athenis Bibliothecam relinquit.

Decem mille martyres in Ararath magistro et socio Hermolao archiepiscopo Toletano.

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 132.—*S. Honoratus*, etc. In Diptycha episcoporum sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, quæ in Missali Gothico habetur, primo loco nominatur S. Honoratus, quia ibi non ponuntur martyres, sed confessores dumtaxat, e quibus primus fuit S. Honoratus successor magni martyris Eugenii. De eo loquens Julianus hoc ipso Domini 132 anno, sic inquit: *S. Honoratus, Conchinensis, Hispanus, succedit S. Eugenio Marcello. Post aliquot annos ad Gallias prædicandi causa proficiscitur; Paternum quem S. Saturninus Toleti converterat, et fecerat Elusensium episcopum invisit. Relictoque Hermolao successore* (de quo statim dicemus) *discedit 4 circiter anno a profectione sancti Marcelli.* S. Braulio, sive Heleca, in additionibus ad Maximum hæc ait: *Sanctus Honoratus in Hispania celebratur natione Cantaber, episcopus Toletanus: qui dum prædicat per diversas provincias, et ad patriam Conchanam prædicationis gratia revertitur, moritur confessor gloriosus 31 Decembris, anno Domini* 140. Accedit Primus Cabilonensis episcopus in sua Topographia Christi martyrum, verbo *Conchana*, quo loco hæc scribit: *Conchana Cantabrorum Civitas in Hispania. Hic Honoratus episcopus Toletanus nascitur, qui sacravit Firminum episcopum Ambiani martyrem, et hic migrat confessor.* Corrigendus propterea Equilinus lib. VIII, cap. 119, qui dum agit de sancto Honorato Toletano episcopo, ad quem S. Firminus profectus est, legit *Toletanum episcopum*, in quo ei non solum cæteri quos retulimus, reluctantur, sed etiam Tolosanorum antistitum catalogus, quandoquidem non reperitur aliquis eo tempore Tolosæ episcopus nomine Honoratus. Eodem errore implicitus fuit Trugillus, quem in eo pariter devita. Jam quod ad Conchanam spectat, videtur Dexter asserere esse urbem Conchensem, nunc vocitatam *Quenca*, quæ in Celtiberis sita est, et ad quam episcopatus Valeriæ translatus fuit: relinquit tamen sub dubio, fueritne potius Conchana quam Ptolemæus primam inter Cantabricas urbes nominat, cui, si situm a Ptolemæo designatum spectemus, successisse videtur *Cumana*, oppidum Vizcaiæ, olim Cantabria dictæ; sed unusquisque suo sensu abundet.

A. C. 134. — 1. *Salvius*, etc. Ita etiam Eusebius in Chronico hoc ipso anno. Quid autem sibi velint, cum asserunt Salvium Julianum perpetuum condidisse edictum, exponit Baronius ex Justiniano *de vetere jure enucleando*; ait siquidem, quod leges prætorum in provinciis erant annales, et cum suis auctoribus interibant: Salvius autem Julianus jurisconsultus scriptura statuit, debere omnes civitates leges Urbis et consuetudines sequi, non e contra, quo factum est, auctore Hadriano, ut edictum esset perpetuum.

2. *Hadrianus*, etc. Hæc paulo uberius habet Eusebius inquiens: *Hadrianus cum insignes et plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidit, bibliothecamque miri operis exstruxit.* Fuit sane doctissimus, et ob amorem philosophiæ multo tempore, ut vides, Athenis demoratus.

3. *Decem mille*, etc. Habet sanctorum decem millium crucifixorum nobilem memoriam Martyrologium Romanum die 22 junii, *In monte Ararath*, inquit, *passio sanctorum martyrum decem millium crucifixorum.* Horum Antesignanus fuit S. Achacius, et acta ipsorum e Græcis codicibus extracta latinitate donavit Anastasius bibliothecarius, quorum copiam legi in membraneo pervetusto codice bibliothecæ cœnobii mei Nucalensis, summamque ejus habent Petrus Equilinus lib. V, cap. 137 et Lipelous in II tomo Vitarum sanctorum. Nonnulli dubitarunt de fide illorum actuum, quod quædam in eis reperiantur creditu difficilia, præsertim quod in fidei mysteriis ab Angelo quodam instructi fuerint, non semel toti exercitui visibiliter apparente, et aliquando triginta dies continuos cum eis conversante, et quod ad Dominum oraverint, *ut cuncti eos in quacumque necessitate invocantes, petitionis suæ a Domino consequerentur effectum, et vigiliam passionis eorum cum silentio jejunantes indulgentiæ pro peccatis mererentur percipere annum unum.* Statimque voce de cœlo lapsa ad cœlestia regna vocati sunt. Quid hæc cum humilitate, qua sancti martyres præstantes fuerunt? Eapropter Molanus in notis ad Usuardi Additiones inquit; Doctis quædam displicere in eis actis. Rodulphus de Rivo alio excessit capite, nihil eorum credens quæ ibi referuntur, et fabulosum putat Achacium et decem mille socios omnia, quæ Christus, tormenta perpessos fuisse: ipsum tamen pro meritis insectatus fuit Baronius in Notis, quem tu consulas quæso, ne mireris, cum tot homines audis cruci simul affixos. Negare tamen non possum, nec volo, nonnulla inibi correctione digna reperiri, ea præsertim quæ notavimus, nam procul dubio ab aliquo vitiata fuerunt ejusmodi acta: sed gratias Deo, cujus nutu puram sinceramque horum martyrum historiam diu anxie quæsitam, inveni reservatam in Breviariis veteribus aliquarum Ecclesiarum Hispaniæ. Facem prætulerat Dexter inquiens Achacium et socios ad fidem perductos, et in martyrio corroboratos ab Hermolao Toletano archiepiscopo, eorumdem in passione et corona socio longe gloriosissimo: hic enim angelus illis evangelizaverat, multis quidem in Hispania, nonnullis in Armenia; quare oportebat in Hispaniis notitiam eorumdem asservari. Audiamus igitur scriptores Hispanos. Et quidem M. Maximus ad calcem sui Chronici sic ait: *Celeberrima est in Hispania memoria decem mille militum in Ararach passorum, magistro et socio Hermolao Toletano archiepiscopo, qui eos imbuit in fide et animavit.* Sed quid militibus Armeniam devastantibus cum Toletano archiepiscopo? aut Hermolao cum ipsis? subdit: *Erant isti sancti milites majori ex parte Hispani, quorum dux Heliades, et præcipui milites cum duce Agathius* (sive Achatius) *et Primicerius.* Audi Julianum in Chronico ad annum 134: *S. Hermolaus milites Christianos, quorum ille bonam partem prædicatione sua vel ad fidem converterat, vel in Hispania baptizaverat, relicto suæ diœcesis* (Toletanæ) *M. Pelagio Agrippa successore, Romam sequitur, et inde ad Armeniam, et in monte Ararach cum illis gloriosissimum plane martyrium subiit.* Additque anno 396 allatas tandem fuisse ejus sacras reliquias Toletum, et ab Audentio tunc episcopo Toletano digno honore reconditas. *Audentius* (inquit) *Toletanus episcopus sepeliri fecit cum dignitate reliquias S. Hermolai* VI *episcopi Toletani et martyris, qui convertit decem mille milites, et exsul eos in Armeniam sequitur.* Nec miraberis, lector, cum tot millia ab Hispania exisse audis, si quæ ethnici scribunt de Hispanorum militum fortitudine, vel leviter legeris. Cæterum quam in Breviariis antiquis Hispaniæ exstare diximus sinceram horum martyrum historiam, profero ex Breviario perantiquo Palatino, cujus mihi copiam fecit M. Ægidius Guldisalvi Davila regius historiographus. Igitur 22

A. C. 134. Metellini in Lusitania sancti martyres Eusebius Palatinus et alii novem pro Christi fide constanter passi. A.R.885.

135. Judæi arma arripientes, Palæstinam depopulati sunt, præside provinciæ Tynio Rufo, cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit exercitum. 886.

Favorinus et Palæmon rhetores insignes censentur.

136. Basilides hæresiarches, a quo Gnostici, in Alexandria celebratur. 887.

138. Marcus Hierosolymis primus ex gentibus episcopus creatur. 889.

Barcinonæ in Hispania S. Philetus Senator, et Læda uxor ejus et filii ejus, et alii quinquaginta quinque martyres.

BIVARII COMMENTARIUS.

die Junii in festo sancti Achatii et sociorum pro lectionibus matutinalibus hanc habet historiam : *Passio et memoria decem millium martyrum colitur* x *kalend. Julii, qui omnes una die interempti sunt sub Hadriano imperatore, et aliis* VI *regibus, qui venerunt in adjutorium ejus. Hi dum ad sacrificandum idolis compellerentur, dixerunt ei : Idolis surdis et mutis, o Imperator, thura non offerimus, sed sacrificium vivum et immaculatum, nosmetipsos offerimus Domino nostro Jesu Christo immaculato, qui de cœlis descendens dignatus est de Virgine nasci, et multis malis affligi : ad ultimum etiam voluit pro nobis crucifigi, quem tu Cæsar ignoras. Tunc iratus imperator jussit eos diu torqueri et multis malis affligi; et ad ultimum jussit eos crucifigi; et omnia tormenta quæ passus est Christus Jesus Dominus noster sunt eis illata; quæ illi forti animo et fide firmissima pro Domino sustinuerunt. Inter quos passus est Hermolaus archiepiscopus, qui eos baptizaverat.* (En quomodo non ab angelo, sed ab Hermolao archiepiscopo ad fidem perducti fuere.) *A quibus vero passi sunt hi sancti martyres fuerunt regum exercitus, triginta millia militum, qui Hadriano imperatori venerant in auxilium. Locus igitur in quo crucifixi sunt mons est maximus, et vocatur Ararach, distans a Civitate Alexandria* (Armeniæ, non Ægypti) *quasi* XV *stadiis. Hora vero sexta illius diei terræmotus factus est magnus, petræ scissæ sunt, sol etiam obscuratus est, et tenebræ factæ sunt; et omnia signa quæ in passione Domini apparuerunt, etiam ibi visa sunt.* Vide, quæso, sanctorum antiquorum fervorem in fide Christi divulganda, quomodo Hermolaus reliquerit sedem Toletanam, ut exercitum martyrum instrueret, eumque usque ad effusionem sanguinis, et profusionem vitæ sectatus fuerit. Nec mirum, cum ejusdem sedis præclaros antistites videret Eugenium et Honoratum in Gallias prædicationis causa profectos, sede aliis commendata.

4. *Metellini*, etc. Diximus alibi Metellinum, vulgo *Medellin* nuncupari, nomenque a Cæcilio Metello consule sumpsisse, uti Ambrosius Morales lib. VIII cap. 18 et lib. IX cap. 32 auctor est, et quod olim Colonia Metellinensis dicebatur. Sancti vero Eusebii Palatini, et sociorum novem celebratur passio in Romano Martyrologio 5 Martii die, ubi sic dicitur : *Eodem die passio sanctorum Eusebii Palatini et aliorum novem martyrum;* et pene iisdem verbis apponitur a Beda, Usuardo, et Equilino lib XI Catalogi sanctorum cap. 130, num. 84. Nemo autem locum martyrii designat, nisi Dexter. Errat proinde Galesinus, qui sine auctore, Antiochiæ passos dicit : eleganter tamen cætera : *Sancti*, inquit, *Eusebii Palatini et aliorum sociorum novem, quorum pro fide congressio et dimicatio in illa ipsa persecutione Trajana* (id est, a Trajano promulgata, et ab Hadriano continuata) *sicut præclara exstitit, ita victores suos Dominus ornavit egregii cœlestis præmii dignitate.* Porro S. Eusebium Palatinum dici existimo, quod aliquando homo Hispanus, imperatoris Hispani aulicus fuerit.

A. C. 135. — 1. *Judæi*, etc. Sic Eusebius in Chronico eodem anno : *Judæi in arma versi Palæstinam depopulati sunt, tenente provincia Tynio Rufo; cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit exercitum.* Fusius id recitat Dio, ex quo Baronius tomo II Ann. et Orosius lib. VII c. 13.

2. *Favorinus*, etc. Habes hæc ipsa verba in Chronico Eusebii.

A. C. 136. — *Basilides*, etc. Hæc etiam ab Eusebio accipit Auctor : *Et eo ipso anno, Cochebas, vel Barrochebas, dux factionis Judæorum, nolentes sibi Christianos adversus Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necat.* Cæterum anno sequenti 137 subdit : *Bellum Judaicum Palæstinæ finem accepit, rebus Judæorum penitus repressis; ex quo tempore etiam introeundi Hierosolymis licentia ablata.*

A. C. 138. — 1. *Marcus*, etc. Habet ipsa quoque Eusebius in Chronico. Sed cur hactenus nullus ex conversis a gentilitate Hierosolymis electus fuit episcopus? Severus II Hist. respondet, perseverasse ibi cultum legalium usque ad hoc tempus : iis vero e medio sublatis, Marcus primus omnium electus est.

2. *Barcinonæ*, etc. De his pretiosis Christi martyribus, tametsi urbis ac religionis nomine silentio obvoluto, agitur in Romano Martyrologio, die 27 Martii, his verbis : *Eodem die sanctorum Phileti senatoris, Lydiæ* (seu Ledæ) *uxoris et filiorum Macedonii et Theoprepidis, itemque Amphilochii ducis, et Cronidæ Commentariensis, qui pro Christi confessione cæsi sunt.* Credo Cronidam non fuisse Commentariensem eorum, qui carceris custodiam gerebant, sed militiæ Officialem. De quo vide Baronium in Notis. Qui tamen in eo minus bene se gessit, quod sequenti etiam die eorumdem memoriam iterum Martyrologio ingesserit; sic enim habet 28 Martii : *Item sanctorum Phileti et sociorum, qui sub Hadriano imperatore martyrium susceperunt.* Ipse autem in Notis ait : *Agunt de iisdem Græci in Menologio, ubi et nomina reliquorum habentur expressa, nimirum : Lydiæ uxoris ejus, Macedonii, et Theoprepidis filiorum, Amphilochii ducis, et Cronidæ Commentariensis.* Cum tamen, ut ex Dextro colligo, die 27 Martii de his agatur a Græcis et Latinis, die vero 28 quinquaginta quinque martyrum sociorum ejusdem Phileti, utpote die altera ab ipsius morte, passorum mentio fiat.

3. **Oscæ in Bætica*, etc. Celebrant festum diem Græci sanctorum martyrum Theodori et Philippæ ad 20 Septembris, nisi quod pro Ὄσχε, id est, Oscæ, seu Oschæ, corrupte moderni codices legunt πέργε, *Perge :* semel vero eo errore admisso, cum Perge sit in Pamphilia provincia, facile fuit addere, claritatis gratia, *Perge in Pamphilia.* De martyrio autem hæc legunt in Menologio : *Eodem die commemoratio S. martyris Theodori, qui imperatore Antonino, et præside Theodoto, ligno affixus, ac suspensus tribus diebus vixit, et postea migravit ad Dominum : cujus sanctas reliquias unguentis et velis religiosi quidam viri curantes insigni loco reposuerunt. Eodem die sancta martyr Philippa S. Theodori mater gladio consummatur.* Romanum Martyrologium ex Græcis eorum memoriam usurpavit, unde pro *Oscæ in Bætica*, quæ modo *Huescar* dicitur, habet, *Pergæ in Pamphilia.* Ait vero, *sanctorum Theodori et Philippæ ejus matris, ac sociorum martyrum sub Antonino imperatore.* Irrepsit etiam verbum illud, *ac sociorum :* neque enim in Græcis, unde Baronius hos desumpsit

* E textu excidisse videtur hæc pericope.

A. C. 138. S. Pelagius constituitur a S. Honorato Toletanarum episcopus, qui præest in sede To- A. R. 889.
letana viginti sex annis, et aliquot præterea mensibus. Vir vere pius et laudabilis.
Amphilochii in Gallæcia Hispaniæ S. Marina, vel Margareta virgo et martyr, pro fide
Christiana et pudicitia passa.

BIVARII COMMENTARIUS.

martyres, neque in Dextro, a quo Græci, ut ego opinor, desumpserunt, plures quam Theodorus et Philippa passi leguntur. Illud etiam quod ait, sub Antonino trucidatos, sic accipio, ut nondum ille imperator fuerit, sed Cæsar designatus ab Hadriano, qui anno sequenti obiit.

4. *S. Pelagius*, etc. Ejus veneranda memoria servatur in prima Toletanæ Ecclesiæ Diptycha, quæ sic incipit: *Pro spiritibus pausantium Honorati, Pelagii, Quintini, Vincentii, Paulati*, etc., ubi post S. Honoratum nominatur, cum tamen successerit S. Hermolao, qui in præfata Diptycha non ponitur, quia martyr est, ut Julianus Petri in suo Chronico affirmat, cujus sunt verba illa ad annum 134: *S. Hermolaus milites Christianos quos in Hispania baptizaverat, relicto suæ diœcesis successore M. Pelagio*, etc., quæ supra transcripsimus. Is ille Pelagius est, quem S. Saturninus ad fidem Toleti perduxerat. Vide quæ de eo diximus supra ad annum 76. Quod autem hoc loco Dexter asserit S. Pelagium constitutum fuisse episcopum a S. Honorato, non destruit illud Juliani: *S. Hermolaus, relicto suæ diœcesis successore Pelagio*; fieri enim potuit, ut priusquam ab Hispania Hermolaus exiret, Pelagius consecraretur a S. Honorato, qui ejusdem sedis episcopus fuerat, et adhuc in humanis erat.

5. *Amphilochii*, etc. S. Isidorus lib. IX Etymol. cap. 2: *Gallæci*, inquit, *a candore dicti, reliquis enim Hispaniæ populis candidiores existunt.* Nec mirum, cum Gallæcia Septentrionalior sit cæteris Hispaniæ provinciis; et noverint omnes, quo plus gens aliqua ad Septentrionem vergit, eo amplius a sole distare, et candidiorem cutem induere. Gallæcia vero a *gala, galactos*, quod Græce lac sonat, dicta est: nam *hi* (id est, Gallæci, subdit Isidorus) *Græcam sibi originem asserunt: unde et naturali ingenio callent. Siquidem post finem Trojani belli, Teucrum morte Ajacis fratris invisum patri Telamoni, cum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse, ibique urbem nomine antiquæ patriæ Salaminam condidisse; inde ad Gallæciam profectum, et positis sedibus, ex loco* (Septentrionali, et colore) *genti nomen dedisse*, etc. Hæc haud dubium mutuatus fuit Isidorus a Strabone lib. III Geogr. quo auctore, urbs Auriensis (vulgo Orense) ab Amphilocho Teuceri comite inibi diem extremum claudente, dicta fuit Amphilochium; et ea *Gallæciæ portio Amphilogi dicuntur*, ait antiquus historicus Justinus lib. XLIV, qui etiam præmisit: *Gallæci Græcam sibi originem asserunt.* Et hoc nec mirum, nec novum alicui videatur, cum alias quoque Hispaniæ civitates a Græcis conditas sciamus, uti Saguntum et Emporias, ut alias prætermittam. De Sagunto quidem ait Isidorus lib. XV Etymol. cap. 1: *Saguntum Græci ex Insula Zazinto profecti in Hispaniam condiderunt.* De Emporiis exstat adhuc vetus in marmore inscriptio, quam Morales in Antiq. Hispan. Villadamor, et Pujades lib. III Hist. Cathaluniæ c. 85 afferunt, videlicet: *Emporitani populi Græci hoc templum Dianæ Ephesiæ eo sæculo condidere, quo nec relicta Græcorum lingua, nec idiomate patriæ Iberæ recepto, in mores, in linguam, in jura, in ditionem cessere Romanam M. Cetego et L. Apronio coss.* Quod autem ad Amphilochium spectat, præstat videre Lud. Nonnium in sua Hispania cap. 53, qui refert Beutherum, et Albarum Gometium: quinimmo D. Athanasius S. Jacobi apostoli discipulus, in vita S. Petri Bracarensis sui condiscipuli (cujus fragmentum superius adduximus ad an. 37) auctor est, eumdem S. Petrum erexisse, instituisseque Ecclesiam Amphilochensem in Gallæcia.

His ita prælibatis de loco martyrii S. Marinæ, vel Margaretæ virginis et martyris (quidquid de loco Amphilochii vero asserendum sit, fueritne ubi nunc Orense exstat, an vero paulo a Minnio flumine remotior, ad montana vergens, quo loco, *Aquas sanctas*, dicto, corpus sanctissimæ virginis hodie servatur, et monumenta passionis ejus; de quo non multum discrucior), unum magni momenti nunc examinari oportet, de S. Marina Amphilochii Gallæciæ oppido passa, fueritne diversa a S. Margareta, cui cum dracone satanico in carcere certamen fuit, an vero una eademque cum illa. Video quidem Hispanos auctores Villegam, Sanctorum, Trugillum in eam ire sententiam, ut duas omnino fuisse asserat, alteram Græcam, alteram Hispanam, non alio tamen motos, nisi quod legant a Græcis Margaretam celebrari, et in Martyrologiis passim Antiochiæ passam dici, noverintque in Gallæcia Marinam Hispanam martyrium subiisse. Cæterum si mature rem, ut par erat, expendissent, nihil minus fecissent, facturosque deinceps confido quotquot hæc quæ modo dicturi sumus æqua lance perpenderint, et unam eamdemque omnimodis fuisse deinceps admissuros. Sane id Dexter manifeste asseverat hoc loco; dum enim asserit vocari Marinam vel Margaretam, ac pro fide et pudicitia passam fuisse Amphilochii Gallæciæ, procul dubio nomine solum differre docet, nec aliam esse Margaretam, quam Marinam; hanc vero non Antiochiæ, sed Amphilochiæ; non Græciæ, sed Gallæciæ occubuisse: *Amphilochii*, ait, *in Gallæcia S. Marina vel Margareta virgo et martyr, pro fide Christiana et pudicitia passa.* Inferius idemtidem ad ann. 300 inventionem corporis ejusdem assignans inquit: *In Gallæcia provincia Hispaniæ, repertum est corpus S. Marinæ vel Margaretæ virginis et martyris, ibidem passæ.* Quid vero in causa fuerit ejusmodi diversitatis nominum, itemque novum vetustissimi auctoris pro eadem veritate testimonium, accipe a M. Maximo, qui in Chronico suo ad annum 556 hæc inquit: *Maxime viget in Hispania memoria S. Marinæ virginis et martyris Hispanæ Gallæciensis* (*quam alii Margaretam vocarunt, alii Gemmam Marinam*) *passam ad urbem Amphilochium Gallæciæ sub Olybrio judice et Hadriano imperatore.* Adde Julianum Toletanum, qui ad annum 130 sui Chronici, nunc quidem Gemmam, nunc vero Marinam eam nuncupat, cujus mox verba afferemus. En totius æquivocationis fontes, nomen urbis Græcum, et nomen ipsius virginis; cum enim Amphilochia seu Amphilochium (quod idem est) nomen Græcum sit, hinc et ipsa quoque virgo Græca credita est; immerito tamen, nam multas in Hispania Græcas civitates fuisse ab ipsis Græcis fundatas, et inter eas Amphilochiam ex Strabone et Justino, aliisque docuimus. Et cum sancta virgo *Gemma marina* proprio nomine dicta fuerit, hinc nonnulli Margaretam, quæ gemmam marinam sonat (Hispane, *perla*), alii olim Gemmam marinam, quidam Gemmam dumtaxat, et multi brevitatis causa Marinam eam nuncuparunt. Imagines omnes quæ in Gallæcia, et tota Hispania in honorem Hispanæ Marinæ exstant (harum nonnullas antiquas valde vidi) dæmonem seu draconem ad pedes positum, et signum crucis in manu virginis habent, et hanc nullus dubitat propriam esse significandi formam S. Margaretæ. Sed et Molanus auctor est, persuasum esse Hispanis Margaretam esse Marinam suam, utpote ex

BIVARII COMMENTARIUS.

Antiochia Gallæciæ existentem; tametsi prave et ipse pro Amphilochia Antiochiam scribat. Et ut videas utrumque verum esse, oculos ad Græcos admove, scrutatorque an ipsi quidquam certum exploratumque de eadem virgine habeant. Quidam, quos Usuardus sectatus est, urbem in qua passa fuit, vocarunt Alexandriam, alii Antiochiam, quæ simpliciter dicta Syriæ urbem patriarchalem denotat, et his Beda subscripsit; demum alii Antiochiam Pisidiæ crediderunt. Nimirum ipsa eos varietas et inconstantia nominum ignorantiæ arguit: dum enim unam prædictarum urbium palæstram tantæ virginis fuisse nequaquam agnoscerent, aliam quærebant; Græcis vero facilis fuit errandi causa, nomen urbis ipsius, nam Ἀμφιλοχία parum ab Ἀντιοχία discrepat. Mirabile etiam est, et a nemine hactenus explicatum, cur Græci virginem hanc semper vocaverint Marinam, ut in Menologio, horologio, Simeone Metaphraste, et cæteris videre est, et fatentur Lipomanus, Molanus, et Baronius; et tamen inter Latinos auctores conveniat eam esse, quam Latini ipsi Margaretam nuncupant. Si Græca virgo est, et Græci nusquam illam vocant Margaretam, unde sciunt Latini (quæso) Margaritam suam, non aliam quam illorum Marinam esse? Immo vero Marina nomen Latinum est a mari derivatum; Margarita autem Græcum, idem ac gemmam marinam significans. Sed ad alia transeamus.

Rursus quidquid de Margarita in ejus historia dicitur, Marinæ Gallæcianæ omnimodis convenit; videlicet quod filia sit magnatis cujusdam idololatræ, quod educationis gratia tradita sit nutrici rusticanæ, quæ eam in fide Christiana informarit; quod ob castitatem et fidem servandam occubuerit; quod ab Olybrio judicata et morti addicta. Hæc omnia de Marina sua Metaphrastes refert, et in antiquis mss. codicibus reperimus, quos ego legi in variis bibliothecis, et aliis quos citat Baronius a se visos de Vita S. Marinæ vel Margaretæ a quodam Theotimo vel Timotheo, oculato teste descripta. Et nihil minus de Sancta Marina Gallæciensi legimus: ipsa siquidem reguli gentilis filia fuit; ipsa quod cum octo aliis sororibus uno partu edita fuisset, in flumen mergi jussa, pietate obstetricis in villulam adducta est, et rusticanæ nutrici commissa, a qua fidem Christi percepit: ipsa pro fide Christiana et pudicitia passa est, teste L. Dextro; ipsa sub Olybrio judice martyrii corona redimitur, ut M. Maximus docuit. Invenio autem Olybrium in occidentales Christianos moventem persecutionem, et in urbe Alisia non longe a Massilia S. virginem *Reginam* martyrio coronasse, et simili se modo gessisse cum ea, quo postmodum ad Gallæciam perveniens cum Marina, ait siquidem Equilinus in ejus Vita lib. VIII, cap. 47: *Dum Olybrius præfectus transiret de Alisia in Massiliam civitatem, videns puellam, et allectus ejus pulchritudine, ipsam sibi præsentari fecit*, etc. De Marina autem seu Margareta inquit lib. VI cap. 120: *Cum autem annos* XV *attigisset, et cum aliis virginibus oves nutricis suæ custodiret, præfectus Olybrius illac transitum faciens in ejus amorem exarsit, et concitos pueros, ut ad se illam adducerent destinavit*, etc.

Habeo ejusdem rei nobile testimonium, et sinceræ antiquitatis egregium monumentum, Palentinum Breviarium, in quo historia S. Margaretæ eadem prorsus est, quæ de sancta Marina Gallæciensi legitur, quam placuit hic inserere, quod sinceram ejus narrationem redoleat, ex punctis iis quæ minus vere, aut digne scripta apud Equilinum habemus. Cum igitur præfatum Breviarium egisset festum diem S. Margaretæ ad III idus Julii, seu 15 die ejusdem, celebrans postmodum S. Marinæ diem ad XV kalend. Aug. seu die 18 Julii, has habet lectiones matutinas: *Cum insania obtineret infelicium hominum mentes, et furor sacrilegus excandesceret, ut idola surda et muta colerent atque adorarent, ego Theotimus credens in Christo Jesu edoctus ingenio litterarum, gesta S. Marinæ virginis, quomodo contra antiquum hostem dimicaverit scribere disposui. Beata igitur Marina ex gentilibus parentibus orta, cuidam matronæ nutrienda tradita est, in civitate quadam stadia* XV *ab urbe Amphilochia distante* (vide nomen verum urbis sanguine S. Marinæ nobilitatæ), *a qua diligenter in Christi fide edocta, atque baptismi gratiam consecuta; audiens martyrum certamina, eorum particeps fieri vehementer desiderabat. Cum autem Olybrius præses Amphilochiam civitatem pergeret, ibi Marinam in itinere obviam habuit. Quam cum comprehendere jussisset, illa invocare Dominum cœpit dicens: Miserere ancillæ tuæ, Domine Jesu Christe, et ne perdas cum impiis animam meam. Vocavit igitur præses eam ad se dixitque ei: Ex quo genere es, libera, an ancilla? Marina respondit, Libera sum, et ancilla Christi. Tunc jussit eam in carcerem mitti, atque insequenti die eam ad se adduci præcepit; quam cum non posset a Christi amore separare, jussit eam suspendi, atque virgis acerrimis usque ad sanguinis effusionem laniari. Beata vero Marina virtute Dei confortata, nec suspiravit, nec gemuit, nec saltem vultum tristem ostendit. Et cum adhuc Dominum prædicaret, putans se præses irrideri, pectinibus ferreis jussit carnes ejus usque ad ossa sulcari, in tantum ut populus, atque ipse tyrannus compassione moveretur. Olybrius igitur ad eam dixit: Consule, puella, juventuti tuæ, et mihi assensum præbe, ne tuæ pulchritudinis florem amittas. Ad quem Marina: O male consiliator! Hæc cruciatio animæ est salvatio. O impudens canis, insatiabilis leo, tu in carnem potestatem habes, sed Christus animam servat, quam redemit. Ad hæc tyrannus: Jam, inquit, non parcam, jam non miserebor, consulentes sibi deludit, deos blasphemat, tormenta contemnit. In carcerem igitur recluditur obscurissimum, sed statim immenso lumine radiatur. Diabolus vero in forma draconis, quasi eam devoratura apparens, subito signo crucis opposito evanuit. Sequenti vero die virgo judici præsentatur, et præsentibus populis sacrificare nolens exuritur; et appositis ad latera facibus ardentibus, caro recens lacerata usque ad intima concrematur; ita ut mirarentur omnes, quomodo tam fragilis puella tanta posset tolerare tormenta; sed insanus judex cum videret eam tot cruciatibus non posse superari, ad ultimum decapitari jussit* XIII *kal. Augusti.* In altero ejusdem virginis festo sub nomine Margaretæ additur: *Altera die coram judice Olybrio sistitur, et lampades ardentes ejus lateribus apponuntur, et deinde manibus ac pedibus ligata in aquam mergitur; sed facta oratione liberatur, et populus clamavit: Magnus Deus Christianorum; unde ex eis quinque millia martyrio coronati sunt, Margareta capite cæditur.* Cujus quidem rei monumenta hodieque in loco suæ sepulturæ visuntur, clibanus parvulus super quem adusta, et fons ubi immersa fuit, *ut ex pœnarum commutatione cresceret vis doloris*, quod ait Equilinus; cujus tamen aquæ vim medicatricem febricitantes acceperunt ex contactu virginis, in hodiernum usque diem perseverantem, et e re nomine mutuato, *Aquas sanctas*, nuncupantur. Quod Metaphrastes ait, patrem Marinæ vocari Ædesium, fuisseque idolorum sacerdotem, errore librariorum, ut opinor, accidit, ut Ædesium pro Catelio; et idolorum sacerdotem, pro idolorum cultore, in aliquo corrupto codice legeret quis. Ex Ædesio aliqui fecerunt Theodosium; ita locorum et personarum nomina perpetua mutatione in corruptionem abeunt, quo tandem nesciat quis veram lectionem discernere, facie penitus vocis permutata. Plerique non idolorum sacerdotem, nec cultorem, sed gentilium patriarcham scribunt, quod maxime ad veritatem accedit, nam

A. C. 138. Wilgefortis, vel Liberata Catelii Lusitanorum reguli filia passa est Amphilochii. A. R. 889.

BIVARII COMMENTARIUS.

Græce patriarcha Latine primarium hominem denotat, seu potius provinciæ regulum, qualem patrem S. Marinæ fuisse constat, ut mox dicemus. De die martyrii ipsius non minor discordia est: Usuardus, Ado, et Beda die 18 Junii; nonnulli quos Equilinus refert, 13 Julii; Græci celebrant die 17 Julii. Hispani die 18 ejusdem, et Romanum Martyrologium 20 die ipsius. In eodem Martyrologio a Baronio correcto ad diem 18 Junii, qua Usuardus, Beda, et Ado agunt de Marina, hæc verba exstant: *Alexandriæ passio S. Marinæ virginis*, in quo illud in primis corrupte asseritur, quod passa sit Alexandriæ, cum constet legendum esse Amphilochiæ: nec satisfacit quod Baronius in Notis inquit, Marinam de qua hoc loco mentio fit, non fuisse martyrem, sed monialem illam, quæ in Vitis Patrum I p. cap. 44 asseritur inter viros sub virili habitu ac Marini nomine usque ad mortem perseverasse; illa enim non obiit 18 Junii, sed 16 Julii, ut ait Equilinus lib. VI cap. 108. Et in textu ipso Martyrologii contradicit verbum illud, *passio*, quod, velit nolit, martyrium sonat. Crediderim in diversis provinciis pro majori sua commoditate diversos dies festos in honorem S. Marinæ agi consuevisse, cum tamen verus obitus dies XIII kalend. Augusti fuerit, id est, 20 Julii, ut ejus habet historia, et Rom. Martyrologium. Plura de ea dicam, cum de cæteris ejus sororibus egero.

6. *Wilgefortis*, etc. Molanus die 20 Julii hæc scribit. *In Portugalia natalis S. Wilgefortis virginis et martyris, quæ amore castitatis et Christianæ fidei in cruce moriens, feliciter transivit ad Dominum.* Hinc Martyrologium Romanum eadem die legit: *In Lusitania S. Wilgefortis virginis et martyris, quæ pro Christiana fide ac pudicitia decertans, in cruce meruit gloriosum obtinere triumphum.* Addit Molanus in additionibus antiquæ seu prioris impressionis Martyrologii Usuardi, impressis Lovaniæ apud Welleum ann. 1568: *Item Wilgefortis virginis et martyris, filiæ regis Portugaliæ, quam nonnulli Latine Liberatam, Teutonice autem Ontcommeram agnominant.* Ubi fatetur eamdem esse Liberatam et Wilgefortem, nam quæ more patriæ Wilgefortis, Latine *Liberata* nuncupatur. Quo primo omnium videas, celeberrimam olim fuisse apud exteras etiam nationes hanc beatissimam virginem, quando Germani diverso eam nomine invocabant, Ontcommeram, alii Wilgefortem, alii denique Liberatam: sed quoniam Dexter nominis sui parentis hoc loco, ad annum autem 155 de sorore ejus Marciana agens, etiam aliarum octo sororum meminit, inquiens: *Toleti patitur S. Marciana filia Catelii reguli Lusitaniæ, sororque octo aliarum virginum;* placet omnium illarum simul historiam hic apponere, prout in antiquis venerandisque Breviariis Hispaniæ legi in divinis officiis consuevit, in festo S. Liberatæ; e quibus vidi Seguntinum et Palentinum, quæ hæc habent.

Fuit rex nobilis inter finitimos Occidentis, nomine Catellius, cujus regni caput Balchagia, alias Belcagia, vel Balchadia, *quæ postea Estuciana civitas vocata fuit, qui nobilem uxorem Calsiam nomine sortitus est. Accidit autem divina permissione, ut præfata regina multiplici sobole fecunda, una die novem filias peperisset. Quod cum compertum esset, regina maximo pudore acta, inhumano usu, omnes illas interficere cogitabat; ut hoc factum ad viri et populi notitiam non perveniret. Excogitato itaque malignitatis consilio, vocans ad se obstetricem, quæ sibi familiaris et secretorum ejus conscia erat, Sila nomine, jubet, ut totam illam parvularum turbam latenter et caute ad flumen deferat, et ibi nullo conscio omnes simul in profundum gurgitis demergat. O mulieris, immo diaboli adinventio! O femina omni fera ferocior, quæ filias quas vix in lucem ediderat, in ipso vitæ ingressu, morte horribili exstinguere cogitabat! Sed misericors Deus, qui de malis hominum actis bona consuevit elicere, de his infantulis aliter statuit; nam præfata obstetrix infantularum pietate, et Dei amore commota, opportunitate adinventa accessit ad vicum, qui in suburbio civitatis a Christianis habitabatur, et ibi quærens nutrices idoneas, singulas puellas singulis tradidit nutriendas. Quæ ipsas suscipientes sacri fontis lavacro illas regenerari fecerunt, nomina eis imponentes. Sunt autem nomina illarum hæc quæ sequuntur: Genibera, Victoria, Eumelia, Gemma* (hæc est Margarita), *Marciana, Germana, Basilia, Quiteria, et Liberata, quæ omnes tempore procedente, cum jam adolevissent, per Christianorum cohabitationem et collocutionem genus suum et ortum didicerunt. Cumque postea exorta esset a Romanis adversus Christianos sæva persecutio, et per omnes urbes satellites mitterentur, qui ad profana sacrificia fideles compellerent, beatas istas sorores in illo vico reperientes, ante regis patris sui conspectum crudeliter attraxerunt. Post multas autem interrogationes Genibera respondit. Si genus quæris, filiæ tuæ sumus; si conditionem, Christi famulæ. Non sine magno stupore reginæ uxoris suæ confessione ipsas filias suas rex esse cognoscens, blandis eas verbis commovens, ut a Christi cultura revocaret, datis induciis, ut sibi assentirent, admonitæ ab angelo omnes fugerunt, et consolantes se alterutrum, et orantes simul et flentes discesserunt ab invicem. Quæ omnes per diversa loca a persecutoribus comprehensæ martyrium consummarunt.*

Hactenus præfata Breviaria. Eademque reperiuntur in pervetusto Sanctorali ms. quod in bibliotheca Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ asservatur, et a colore externo smaragdinum nuncupatur. Ne vero quis incredibile reputet, quod in eis asseritur, omnes novem uno eodemque partu puellas editas fuisse, sciat non semel contigisse plurimas proles edi in lucem simul, nam Dacianus Asyrius in oratione contra Græcos affirmat duas mulieres triginta simul infantes peperisse: *Quid ad me*, inquit, *Peridymeni opus muliercula, quæ uno partu infantes 30 peperit, quod plerique miraculum putant? cum potius magnæ intemperantiæ fructus hic existimari deberet; et illa abominabilis videri, utpote similis Scrophæ Romanæ, quæ itidem propter eventum similem sacrum quemdam cultum consecuta fertur.* Quod vero hac in re omnem superat admirationem, illud est quod Gaufridus Villariensis monachus in epistola ad S. Idam refert; scilicet, Margaritam comitissam Hollandiæ, Florentii comitis filiam anno Domini 1276 parturiisse simul proles 364, cui quantumcumque prodigioso partui fidem facit incisa lapidi inscriptio, quæ in monasterio de Losduno ordinis Cisterciensis visitur. Nimirum:

Illustris Domini Florentii Comitis Hollandiæ filia, cujus mater fuit Mecthildis filia Henrici ducis Brabantiæ; fratrem quoque habuit Guillelmum Alemaniæ regem; hæc præfata domina Margareta anno salutis M. CC. LXXVI *ætatis suæ anno* XLII, *ipso die Parasceves, hora* IX *ante meridiem, peperit infantes vivos promiscui sexus* 364. *Qui postquam per venerabilem episcopum dominum Guidonem suffraganeum, præsentibus nonnullis proceribus, et magnatibus in pelvi quadam baptismi sacramentum percepissent, et masculis Joannis, femellis vero nomen Elisabeth impositum fuisset, ipsorum omnium simul cum matris, animæ ad Deum æternaliter victuræ redierunt, corpora autem sub hoc saxo requiescunt.*

Habetur Gaufredi epistola in Chronico Cisterciensi Bernardi de Brito lib. VI, cap. ult. Multi etiam norunt ante non multos annos Mariam Marcellam e fa

BIVARII COMMENTARIUS.

milia Gallorum in Lusitania, oppido Anelle ortam, diœcesis Bracarensis, septem masculos simul peperisse, non solum vivos, sed qui ad presbyteratum et parochialem dignitatem omnes pervenerint, qui in matris sepulcro in Capella S. Dominici oppidi de Chaves marmori insculpti fuerunt. Ejus rei multi testes sunt.

Sed ut ad Calsiæ partum redeamus, præter memorata Breviaria, id ipsum perspicuis verbis affirmat insignis noster chronologus Julianus ad ann. 130, nimirum: *Natæ sunt istæ divinæ sorores Genivera, Victoria, Eumelia, Germana, Gemma* (scilicet Marina), *Marciana, Quiteria, Basilissa, Wilgefortis, vel Liberata, uno partu, in civitate Gallæciæ dicta Balcagia, quæ nunc Baiona dicitur, prope civitatem dictam Tudensem.* Recipiunt etiam eamdem historiam multi et graves auctores, præsertim Marieta de Sanctis Hispaniæ 1 part. lib. IV, cap. 12, et Tudensis episcopus Sandovalius lib. de Ecclesia Tudensi, in S. Ovidio episcopo, qui eas instruxit uberius quam nutrices in fide. Celebrabatur olim ipsarum novem simul festum in Hispania die 18 Januarii, cum tamen quælibet suo martyrio diem dedicatum habeat, nimirum Genivera 1 Novembris, Victoria 17 ejusdem, Liberata cum Margareta sorore 20 Julii, Germana 19 Januarii, Marciana 12 Julii, Basilia 1 Novembris, Eumelia 1 Decembris. De iisdem agit Morales lib. x Hist. Hispaniæ cap. 27 et Villegas tom. I Floris Sanctorum.

Sed jam quid de unaquavis Illarum gestum sit inquiramus. I. S. *Genivera*, quæ prima inter sorores nominari consuevit, postquam nutu angeli Balcagiæ, seu Baionæ ab invicem separatæ sunt, Tude constitit, quo loci a persecutoribus tenta, cum a fide Christi nec minis, nec blanditiis avelli potuisset, martyrio coronata est. Ita refert Julianus anno 130 inquiens: Sancta Genivera patitur Tude 1 Novembris. Ibi celebre satis est nomen ejus, nam ipsius gratia feminæ multæ Geniveræ (vulgo Ginebra) vocari consueverunt.

S. *Victoria*, Acisclo juvene comite desumpto, Cordubam pervenit, et a Dione Baticæ proconsule post varia cum eo habita colloquia, crudeliter ambo virgis verberantur, et in teterrimum carcerem trusi, a quatuor angelis inibi multos dies refecti ac refocillati, in flumen Bætim ad colla gestantes gravissimos lapides præcipites dati, nec submersi, immo vero ab ipso Jesu Domino animati et liberati: inde in rotis, supposito lento igne, devincti, sed is facta oratione exstinctus, cum prius multos ex carnificibus exurcret, tandem Victoriæ mamillæ et lingua abcissæ sunt, pectus excarnificatum (mamillæ lac pro sanguine reddiderunt), et sagittis ad ultimum confossa celebri martyrio transiit ad sponsum; Acisclo vero caput amputatum fuit 17 Novembris. Celebrant eorum triumphum Prudentius hymno 4, Isidorus in hymno Breviarii Gothici, Trugillus, Villegas et Marieta. Perperam nonnulli eos recensent inter filios S. Marcelli Centurionis (hoc etiam probe notavit Baronius in Notis ad eam diem): qui sub Diocletiano principe passus est circa annum 300. Constat similiter non Marcelli, sed Catellii filiam fuisse S. Victoriam, et circa annum 130 floruisse, sic prorsus Julianus in Chronico eo anno Domin. 130, ubi de loco martyrii novem sororum agens, de Victoria ait: *Victoria passa dicitur Cordubæ cum Azisclo* (*vel Zoilo*) *juvène*. Quamquam si velit Zoilum cum Aziselo confundere, in eo audiendus non sit, cum sint valde diversi inter se. Agemus de Zoilo ad annum 300. Nec e quare Victoria et Acisclus fratres vocentur, dum semel filii S. Marcelli non sint: nullus etenim antiquorum eos fratres dicit, ut videre est in Beda, Adone, Usuardo et Equilino, et Breviario Palenti-

A no. Quare dubium non sit in Romano Martyrologio irrepsisse nomen *germanorum*, et idcirco ab ejus contextu auferendum esse.

Miram rem, perpetuumque miraculum quotannis die ipsorum festo videri solitum Cordubæ, ubi tamquam Patroni coluntur, narrat Ado, inquiens: *Ibique sepulti coluntur, ubi etiam ob commemorationem pretiosæ mortis eorum, eodem die ipsorum martyrii rosæ ortæ singulis annis divinitus colliguntur*, cum tamen hiberno tempore passi sint 17 Novembris, et nullo alio die ejusdem temporis colligantur. Vide Equilinum lib. x, cap. 70, et Usuardum 17 Novembris.

S. *Eumelia*, alio nomine Euphemia nuncupatur, ut a Dextro in præsenti, cum ait: *In eadem Gallæcia S. Euphemia virgo et martyr.* Deesse videtur nomen urbis Abobrigæ, ubi coronam martyrii accepit, ut legamus in Dextro: *Abobrigæ, in eadem Gallæcia S. Euphemia*, etc. Constat siquidem illic occisam fuisse, ita siquidem refert Julianus in Chronico, inquiens: *Colitur Eumelia in civitate Abobrigensi in Gallæcia* 1 B *Decemb.* M. Maximus ad annum Domini 531 auctor est, Abobrigam, seu Obobrigam (ut ipse scribit) esse, quam nunc Auriensem (vulgo Orense) dicimus, inquit enim: *Martinus post Dumiensis episcopus Ricciarium in fide instruit in urbe Auriensi, prius Obobriga dicta Regia.* Quare fateri oporteret juxta Maximi placitum eamdem urbem a Græcis quidem dictum Amphilochium, a Latinis Aquæ calidæ, ab Hispanis Obobriga, a Suevis autem Warmsee, hoc est lacus calidus, et a tractu ipso (quod alibi monstramus) Auriensem, nunc Orensem; et consequenter in eadem urbe, qua Marina Gemma, constitisse etiam Euphemiam, et martyrium inibi quoque pro Christo passam fuisse. Probabilius mihi est Abobrigam aliam fuisse urbem, cujus ruinæ hodieque permanent in Auriensi diœcesi in loco ab incolis nuncupato *Calles S. Eufemiæ*, quod certa traditione teneant inibi martyrio affectam: tametsi nonnulli urbem illam vocaverint (sed perperam) Calcedoniam. Corrigendi proinde sunt, qui C Calcedonensem cum Hispana Euphemia confundunt, Calcedoniam notissimam Bithyniæ in Asia urbem, ad Hispaniam transferre ausi. Eo errore implicitus fuit Ferdinandus Petri Guzmanius in suo Valerio scholastico, dum ait, prope Tudem ad Minii confluenta in Gallæcia sitam olim fuisse Calcedoniam. Addit Sandovalius, lib. de Tudensi Ecclesia, fol. 5: *Su sitio aun parece a una legua de riberas de la limia o lethes, en un gajo de aquella montanas muy asperas, que se llaman del Xerez, a la raya de Gallicia, en la parochia de S. Salvador de Marin, y a en el Obispado de Orense; junto al valle y rio caldo, llaman alli los de la tierra a este sitio, las Calles de santa Ofemea, porque en ellas, que son unos despenaderos muy altos y asperos; le dieron a la Santa los Tyrannos muchos tormentos.* Distat ab urbe Auriensi leucas decem; sed aliud est illic nostram Euphemiam martyrii palmam percepisse, quod valde probabile est; aliud vero illic Calcedoniam sitam fuisse. Certe non alio moti fuere isti D auctores, quam quod sanctam Euphemiam Calcedone occubuisse legerint, non distinguentes inter provincias et tempora æque distantia; altera siquidem in Gallæcia, altera in Bithynia; illa in Hispania, hæc in Asia; Hispana anno 138, vel 139, imperante Hadriano, Græca autem sub Diocletiano circa annum 300 passa est. Confusio usque ad nonnulla etiam Breviaria Hispaniæ irrepsit, nam in Compostellano, et Bracarensi Calcedonia in Gallæcia constituitur, unaque reputatur dumtaxat Euphemia. Cæterum Auriensis Ecclesia suum unicuique festum facit, et cujus corpus servat, celebrat 26 Julii, videlicet die sequenti octavam S. Marinæ sororis suæ, Calcedonensem vero 16 Septembris, quæ in universa Ecclesia colitur.

BIVARII COMMENTARIUS.

Post multa annorum curricula, anno videlicet 1153, in loco ubi S. Euphemia passa ac sepulta fuerat, innocens puella pastoritiam exercens artem, vidit inter saxa manum Euphemiæ annulo pulcherrimo exornatam; quo apprehenso subito loquelam amisit: sed ad patrem suum cum rediret, et signis utcumque quid sibi accidisset, innueret, itum est ad manum virginis, et restituuntur simul annulus et loquela. Audita est autem vox de cœlo: Hic jacet corpus S. Euphemiæ; cura igitur statim, ut hinc educatur, et honorifice sepeliatur in Ecclesia S. Marinæ, quæ in proximo erat. Obsecutus ille voci angeli, quæ sibi jussa fuerant exsequitur. Inde vero quod aliis cœlitus fuerat denegatum. Petrus Seguinus Auriensis episcopus impetravit precibus magnis et jejuniis, et in suam ecclesiam Cathedralem corpus S. Euphemiæ honorifice transtulit, atque in Capella quadam ad majoris dexteram sita, in deaurato sarcophago sub crate ferrea collocavit, ubi sæpius legi superscriptum: *S. Euphemia virgo et martyr.* Celebratur ejus translationis festum die 7 Augusti, cujus historiam ipse Petrus Seguinus, et Alphonsus ejus successor litteris commendarunt posteritati, et in lectionibus Breviarii proprii recensetur cum multis aliis miraculis. Vide Trugillum in Thesauro Concion., 16 Sept., qui ait, annulum virginis adhuc in pretio esse, et ægris adhiberi solitum in miraculum. Meminit ejusdem Euphemiæ Equilinus lib. XI, c. 130, n. 119: Euphemia virgo et martyr idibus Aprilis coronam percepit. Quod a Hieronymi Martyrologio mutuatum fuisse, initio illius capitis profitetur. Sed quantam in diebus festis dissonantiam in Euphemiam inveniemus? Julianus asserit coli suo tempore 1 Decembris, Equilinus occubuisse die 13 Aprilis, Ecclesia Auriensis colit festum 26 Julii, translationem vero 7 Augusti. Hæc sic concordiam accipient. Verus martyrii dies hactenus ignotus erat, quod tamen ex Hieronymo et Equilino jam constat, illum vero ignorantes ad sequentem octavam sanctæ Marinæ ejusdem virginis sororis transtulerunt, scilicet 26 Julii. Olim vero ad 1 Decembris ob majorem commoditatem, sed jam ad alia transeamus.

S. Germana, quando a sese invicem sorores nutu angeli discesserunt, mari transacto in Africam migrat, ibique pro Christi fide tuenda cum aliis octo sociis vitam posuit; eorum memoria in Romano Martyrologio asservatur die 19 Januarii, ubi hæc leguntur. *In Africa sanctorum martyrum Pauli, Gerontii, Januarii, Saturnini, Successi, Julii, Catti, Piæ et Germanæ.* Restituit eorum nomina cardinalis Baronius Romano Martyrologio, unde exciderant, ex antiquis mss. codicibus S. Cyriaci in Thermis: erat tamen solum Saturnini nomen cum novem sociis positum die 22 Martii, e qua hactenus in curia correctorum expuncti non sunt. Quod vero Germana hæc soror sit aliarum octo Gallæciensium, fatetur expresse Julianus in Chronico dicens: Sancta Germana soror harum Carthagine in Africa patitur. Sic in Martyrologiis die 19 Januarii, in Africa sanctorum martyrum Pauli, Gerontii, etc., Piæ et Germanæ.

S. Gemma Marina, seu Margareta. De ea satis superque actum est in superioribus. Cujus acta egregio poemate cecinerunt Bonad. Hieronymus Vida, et Baptista Mantuanus.

Sancta Marciana. Martyrologium Romanum die 12 Julii hæc habet: *Toleti S. Marcianæ virginis et martyris, quæ pro fide Christi bestiis objecta, atque a tauro discerpta martyrio coronatur.* Julianus vero in Chronico de novem sororibus agens: *Marciana*, inquit, *passa est Toleti anno 155, aliquanto post sorores, 12 Julii*, quo anno Dexter ejus meminit, et nos cum ipso quidquid ad ipsam pertinet elucidare curabimus.

S. Quiteria. Hæc inter cæteras sorores notissima est, utpote cujus res gestas multi Hispanorum descripserint, præsertim Marieta, lib IV, part. I, c. 17, 18 et 19; Villegas, Trugillus et alii, ejusque sacræ reliquiæ in Toletana diœcesi, oppido Marguelizza venerabiliter asserventur, et in ejus gratiam multæ in Hispania mulieres Quiteriæ nuncupentur. Julianus citato loco hæc de ipsa habet: *Sub hoc tempus S. Quiteria, Genivera, Marina, Marciana, Wilgefortis seu Liberata, et aliæ quatuor virgines et martyres, filiæ L. Catellii Bracarensis viri consularis, et Lusitaniæ reguli* (deest, *passæ sunt*, vel quid simile) *cum aliis sociis et Valentino episcopo, qui apud Vescetaniam cum Quiteria provinciam proximam Toletanæ, meridiem versus, oppido vero Adura, quod nunc Marguelizza dicitur, martyrium celebre in Hispania passus est die 22 mensis Maii, ubi sancta Quiteria in pretio habetur.* Pro Vescetania legendum est *Vetonia*, quæ est provincia Carpetaniæ proxima, ubi Molanus in additionibus ad Usuardum corrigendus est, dum Gasconiam pro Vetonia legit, in cæteris amplectendus, ait siquidem: *Undecimo kalend. Junii in Gasconia S. Quiteriæ virginis, quæ cum aliis multis egregium martyrium sustulit.* Nescimus vero quo consilio in Martyrologio Romano de sociis ejus nulla fiat mentio, dicitur enim dumtaxat: *In Hispania S. Quiteriæ virginis et martyris.* Ut autem veritas pateſiat, adducamus in medium brevem ejusdem virginis historiam, quæ in antiquis sanctæ Toletanæ Ecclesiæ monumentis asservatur, in vetusto admodum ms. Breviario, quod in Bibliotheca videre licuit; eademque habetur in Breviario Palentino:

Beata Quiteria licet parentibus a Christiana religione alienis, secundum communem tamen præsentis temporis æstimationem nobilissima stirpe orta fuit: genitor quippe ejus vocabatur Catillius, et mater Calsia, potentes et celsi florebant potestate regia, et civitas illius vocabatur Belcagia. Horum igitur proles B. Quiteria, dum pro more suo (post discessionem sororum ad invicem) *quadam die tota devotione sanctarum orationum intenta esset in cœlum, ecce angelus Domini subito advenit, et B. virginem alloquitur dicens: Virgo beata, benedicta tu, quoniam diademate immarcescibili in cœlestibus ornata, æterni Regis sponsa vocari mereberis: nunc ergo in montem Oriam me sequere. Ad hanc vero vocem beata virgo, angelo comitante, montem illum conscendit, ibique quotidie, Dominum precibus exorare non destitit. Et rursum angelus alloquitur ad eam: Surge, virgo. Benedictioneque ab eo accepta, de monte descendit, et in urbem rediit, ubi pater interpellat eam de nuptiis; at illa oravit ad Dominum, cujus nuptiis se devoverat. Continuo angelus advenit; eamque animavit dicens: Ne timeas, sed relicta terra nativitatis tuæ transi ad vallem Aufragiam, ubi Dominus destinavit tibi coronam martyrii, et in monte Columbiano ossibus tuis requiem, in basilica Sancti Petri apostoli. Surgens B. Quiteria, electis virginei sexus triginta comitibus, octoque præstantibus viris, ad præfatum locum pervenit, ubi rex Leutinanus*, al. *Lencianus, apostata imperabat. Qui pluribus sermonibus cum ea habitis, cum nec avertere eam a bono proposito potuisset, jussit eam mitti cum comitibus suis in carcerem; ubi ipsum regem ad Christum convertit, et multitudinem gentium sanavit ibi de diversis infirmitatibus. Dum hæc fierent, misit pater ejus Dumanum*, al. *Germanum, cum quo eam desponsare cupiebat, et præcepit ei, et militibus suis, ut qui eam prior invenisset gladio trucidaret. Cum autem invenisset eam Dumanus, interfecit eam cum multis aliis in prædicto monte; et postquam amputatum est ejus caput, illico B. Quiteria accepit illud in manibus suis, et portavit ad 72 stadia, usque ad prædictum sepulcrum, ubi jacet in civitate Adurensi.* Nunc Marguelizza vocatur, ad parvum redacta oppidum in regno Toletano. Addit auctor Thesauri Concionatorum martyrium B. Quiteriæ accidisse *circa annum Domini centesimum, in ipsis primordiis, quibus cœpit Christianismus in Francia, tempore B. Dionysii,*

non tamen in particulari designat annum ipsius, quod Dexter facit. Invocatur sancta Quiteria pro rabidis curandis morsibus canum; unde inter cæteras preces, quæ in ordine S. Bernardi diu super ejusmodi ægros consueverunt fieri, præsertim in cœnobio Sanctæ Mariæ Montis Salutis, diœcesis Conchensis, hæc collecta præcipuum locum habet et effectum saluberrimum: *Præsta, omnipotens Deus, qui B. Quiteriam virginitate et martyrio decorasti, ut sicut in tua virtute diabolum colligavit, et regem cum multa plebe convertit, ita et a rabie diabolica, et a cunctis infirmitatibus ejus assiduis precibus nos facias liberari. Per D.N.*, etc. Cum in Vita quam descripsimus, historia colligationis diaboli desit, cogimur asserere, eam pro brevitate in Breviariis affectata, prætermissam; quod tamen dum Quiteria degeret in solitudine montis Oriæ putamus contigisse.

Octava in ordine sororum fuit *S. Basilia*, seu *Basilla*, ut alii scribunt, quæ a sororibus nutu angeli discedens Syrmium civitatem pervenit, ubi pro temporali æternam vitam mercata est pretio sanguinis sui. Erat autem Syrmium Bæticæ civitas, ubi S. Petrus apostolus episcopum constituerat B. Epæne-tum. De eo et de urbe ipsa alibi multa diximus, annis 50 et 100. De eadem Basilla Equilinus, lib. XI, cap. 130, num. 232, inquit: *Basilla sancta in Syrmio ipso die obdormivit in Domino*, videlicet 29 Augusti. In Romano etiam Martyrologio agitur de ea, ipsa die, nisi quod pro Syrmio, corrupte legitur *Smyrna*: dicitur namque, *Apud Smyrnam natalis sanctæ Basillæ*. Mirum vero ab utroque nec virginitatis, nec martyrii ejus mentionem fieri. Julianus tamen virginem et martyrem agnoscit, sicut sorores ejus reliquas, dum ait: *Sub hoc tempus S. Quiteria, Genivera*, etc. *Basilia virgines et martyres, filiæ L. Catellii*, etc. Agnoscunt et antiqua Breviaria Hispaniæ, in quibus legimus: *quæ omnes per diversa loca a persecutoribus comprehensæ martyrium consummarunt*. Specialiter autem de martyrio S. Basiliæ agit Julianus paulo inferius, quamquam in ejus codice mendose pro *Syrmio*, habeatur *Syria*, ait enim: *In Syria* (lego in Syrmio) *sanctæ Basiliæ sororis S. Quiteriæ Hispanæ martyrium celebratur*. Hieronymus de la Higuera Syriam legens in codice suo, cecinit elegantem sacris hisce virginibus hymnum, a Sandovale Tudense episcopo in historia Tudensis Ecclesiæ typis cusum, in quo multis laudibus effert, quod omnes mundi partes sanguine istarum virginum ac sororum nobilitatæ fuerint; cum Basilia occubuisset in Syria Asiæ, Germana Carthagine Africæ, cæteræ vero in Europa; ait siquidem:

Te Syria, ô Basilia,
Colitque Germanam Africa:
Et Geniveram proxima
Tudensis urbs Oceano.
Eumeliamque Abobriga
Colit, caput Gallæcia;
Cultu frequentans annuo,
Cantu resultans debito.
Per Africæ, perque Asiæ,
Europæ per confinia,
Dispersæ nutu cœlico,
Orbem sacrastis sanguine.
O ter felix Hispania,
Tribus contenta partibus;
Tres partes suas conspicit,
Vestra rubentes purpura.

Fateor non mihi priscis illis, aureisque fidei sæculis, difficile admodum creditu videri, quod delicata virgo in Hispania orta, martyrium in Syria obiret, cum multa ejus rei in superioribus suppetant exempla: et nec mirum, nec novum esset devotionis ergo in Palæstinam peregrinari. Sed vero veriorem lectionem Syrmii reputo, et cum Syrmium in Hispania cognoscamus, non egemus in alienas, distantissimasque regiones sanctam Basiliam perquirere. Non desunt quibus arrideat, Basiliam nostram illam fuisse Basilissam, quæ conjux S. Juliani martyris Antiochiæ passi existens in virginitate perseveravit, cujus festa dies ad 9 Januarii agitur, et corpus una cum sponsi superioribus annis translatum fuit ad cœnobium S. Juliani de Samos: sed tamen chronologia temporum id non patitur, nam S. Julianus sub Diocletiano passus est. Sancta vero Basilia, non minus quam 160 annis prius: his scilicet diebus de quibus agimus. Ut interim sileam mortis generis et nominum ipsarum discrepantiam, altera siquidem martyrii palmam adepta est, altera in pace quievit, una earum Basilia, alia vero Basilissa nuncupabatur.

Non possum autem præfatum hymnum ob ejus elegantiam reticere. Dabo illum prædictis versibus resecatis.

O vos propago nobilis
Catillii, Lusiadæ,
Nobiliores ac fide,
Quam vos eratis sanguine.
Genivera, ac Eumelia,
Germana, et Basilia,
Felix quadriga virginum,
Et forte calcar martyrum.
(*Hic superiora repones.*)
Quibus sorores reliquas
Si quinque velles addere,
Cœtum beatum faceres
Novem etiam Pieridum.
Istæ novem Musæ optimæ
Nonne profanis melius,
Vatum sacrata pectora
Calore divo accenderent?
Non sic Olympus facibus
Irradiat fulgentibus:
Cum nox fœcunda subrigat
Artus sopore languidos.
O vos infractæ Martyres,
Et virgines castissimæ:
Signum vestris Virginibus
Tulistis ad martyrium.
Gaude, sacerdos Ovidi,
Tu Bracarensis pontifex,
Qui meruisti filias
Tot ad polos transmittere.
Adeste, sacræ virgines,
Nec vota supplicantium,
Voces, preces contemnite
Quas fundimus ex animo.
Favete veris lacrymis
Quas ante Christum fundimus,
Ut ille vestris precibus
Mitis det indulgentiam.

Ultima recenseri solet inter sorores *S. Wilgefortis* vel *Liberata*, de qua præcipue fere agit Dexter. Trugillus ait, post discessum sororum, *Liberatam quæ inter cæteras eminere videbatur in fide et religione, suo exemplo et sanctis verbis gentiles multos convertisse; dum enim degeret vitam solitariam in quodam deserto, concurrebant ad eam multi tum Christiani, tum etiam gentiles*. Duo vero dubitari queunt de ipsa, alterum tangit martyrii genus, alterum urbem in qua accidit. Molanus quem Baronius in Romanum Martyrologium transtulit, in crucem actam triumphasse contendit, Breviarium Seguntinum et Palentinum decapitatam profitetur; ait enim: *Dimissis igitur cunctis sororibus ad regna cœlorum, tandem B. Liberata multis tormentis cruciata; cum a fide avelli non posset, capitis abscissione migravit ad Dominum. Et sic liberata a fluminis submersione* (quando nata est), *liberata ab infidelitatis errore* (per baptismum), *liberata a corruptione carnis* (nam pro pudicitia servanda passa est), *liberata ab ergastulo corporis per martyrii triumphum libera pervenit ad Christum*. Sed utrumque passam probabile est, et alia plura tormenta; facile siquidem credi potest, primum in crucem actam, deinde cum in ea multo tempore Christum Deum prædicaret, ne populum totum ad ipsum perduceret, caput illi abscissum fuisse. Crucis etenim

supplicium mortem non illico inferre illud satis comprobat, quod Marcus ait cap. xv : *Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset*, post sex videlicet horas a crucifixione; et Andreas qui triduo in cruce vixit. Consuetum autem fuisse gladio tandem occidi semel in crucem actos, ex illo deducitur, quod in Joanne legimus cap. xix : *Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo; ad Jesum autem cum venissent, et viderent eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura*; nec tamen sine vulnere mansit, *sed unus militum lancea latus ejus aperuit.* Et si antiquorum monumenta evolvamus, inveniemus crucem, patibulum et furcam, quæ pro eodem supplicii genere habebantur, apud Callistratum l. capitalibus, § famosas, ff. de pœnis; et Isidorum, v lib. Origin., non fuisse ultimum supplicium damnatorum. Hoc Baronius in Notis ad 7 Aprilis colligit ex illo Suetonii in Nerone cap. 49 : *A Senatu judicatum, et quæri ut puniatur more majorum. Interrogavit, quale esset id genus pœnæ; et cum comperisset, nudi hominis cervicem inseri furcæ* (ecce primum in crucem agebatur reus, quid deinde?) *corpus virgis ad necem cædi; et* tandem *e saxo præcipitari*, etc. Non dissimiliter hodie in Anglia regiæ majestatis rei in crucem aguntur: fune deinde abscisso, semivivi gladiis conciduntur.

Et hæc dixerim pro his, qui sola lectione textus Martyrologii Baroniani contenti crediderint S. Liberatam veræ cruci affixam fuisse, quod ego tamen minime affirmaverim; constat quippe ex antiquissimis Hispanicarum Ecclesiarum monumentis, non quidem in crucem actam fuisse, sed cum multa tormenta invicto animo superasset, tandem capitis abscissione vitam finiisse. Quod vero de cruce dicitur, de equuleo intelligendum omnino est, quod sub illis verbis non est dubium comprehendi, *multis tormentis cruciata, cum a fide avelli non posset*, etc. Equuleum vero nonnumquam crucem vocari solitum a veteribus, ipse cardinalis Baronius in Notis ad 22 Januarii declarat inquiens : *Habes etiam equuleum formam quodammodo expressisse crucis, sunt hæc verba Theophili* (socii S. Dorotheæ) *pendentis in equuleo, Ecce modo Christianus sum, quia in cruce suspensus sum.* Addit vero auctor Vitæ S. Dorotheæ, id recte Theophilum dixisse, equuleus enim, inquit, crucis quamdam similitudinem gerit. Contendit itaque Baronius equuleum fuisse *erectum stipitem, validum et cochleatum, qui transversum habeat lignum, quod intendatur, ac remittatur, ad quod ligata membra distendantur, tortoris arbitrio* : juxta illud S. Romani martyris apud Prudentium in Peristephano hymno 10:

> Miserum putatis, quod retortis pendeo
> Extensus ulnis : quod revelluntur pedes;
> Compago nervis quod sonat crepantibus.

Vocabant igitur crucem omnem stipitem erectum ex quo reus pendebat. Unde Seneca lib. de Consol. ad Marciam, *Video*, inquit, *istic cruces, non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas, sunt qui capite in terram verso suspendant; alii per obscena stipitem agunt, alii brachia patibulo explicuerunt*, etc. Quod igitur Wilgefortis in equuleo suspensa sit, et in eo dilacerata, in causa fuit, ut in crucem acta dicatur : plerumque tamen martyres inde ablati gladio decapitabantur, ut de Theophilo prædicto, qui se in cruce suspensum clamabat, Martyrologium ipsum Romanum fatetur, inquiens : *Equuleo acerrime tortus, novissime gladio cæsus est.* Idipsum de sancta Dorothea asserit eodem die scilicet 6 Febr. Habeo totius rei appositissimum exemplum in S. Eulalia Barcinonensi, de qua Romanum Martyrologium 12 Febr. die, asserit in cruce gloriosam martyrii coronam accepisse : et tamen monumenta Ecclesiæ Barcinonensis, et Breviaria antiqua Palentinæ, et Asturicensis referunt, in equuleo a Deciano suspensam fuisse; et demum (quod in Thesauro Conciona-torum et in Equilino habes lib. I, cap. 54) extra urbis muros decollatam fuisse. Apud nullum autem auctorem præter Baronium legitur veræ affixa cruci : et Isidorum in Mozaravi Breviario, qui sic canit in ejus festo : *Ambiens crucis patronum, in cruce suspenditur*, quod tamen de equuleo intelligendum omnino est; ut suo loco in Comment. 3 an. 300 fusius demonstrabimus.

Quam autem urbem S. Wilgefortis, seu Liberata suo sanguine consecraverit, non convenit apud omnes. Julianus videtur asserere apud Castraleuca Lusitaniæ oppidum occubuisse, nam inquit : *Victoria passa dicitur Cordubæ, et Wilgefortis vel Liberata in Lusitania ad Castraleuca.* Ptolomæus in Lusitaniæ tabula ejus meminit in Celticis populis. Eruditus Gaspar Losada in ms. defensorio lectionarii Segun-tini pro virili contendit Castraleuca esse oppidum nobile in episcopatu *de la Guardia* sive Egitaniensi, hodie *Castelblanco* nuncupatum; nam Castraleuca est Latina-Græca dictio ex Castro, quod Latine Castellum, et λεύκοτον, leucoton, quod Græce album sonat. Unde Leucothea, Alba dea est. Subtilis admodum ratiocinatio, si non repugnaret Dextro, qui hoc loco expresse asserit passam fuisse Amphilochii, quæ urbs Auriensis est. Audiendus sane Dexter est præ Juliano. Addo quod Castraleuca cujus Ptolomæus meminit, nequaquam est Castelblanco, nam oppidum illud situm erat in populis Celticis, inter Ulissiponem et promontorium Sacrum, ibi enim a Ptolomæo ponitur; at *Castelblanco* superius multo est prope Egitaniam inter Durium et Tagum. Objicit tamen nobis Dextri verba ad ann. 308 aientis : *In Lusitania Civitate Callensi, quæ prope Castralælia sita est* (Al. sed corrupte, *dicta est*) *S. Wilgefortis floret, pro fide et pudicitia mortem passa*,, et contendit legendum esse Castraleuca, non vero Castralælia; ut legit Julianus. At ex his verbis in primis non habemus (etiamsi legamus Castraleuca), quod martyrium ibi passa sit, sed quod floruerit anno 308, quod quidem translato illuc corpore contigisse potuit. Quinimmo adhuc floruisse Castrisleucis non habemus, sed in civitate Callensi quæ propre Castraleuca est. Callensis autem civitas in Lusitania non alia quam *Porto* sedes episcopalis est; unde ex utroque nomine Portucalle dictum omnes sciunt, et expressit Mariana lib. I Hist. c. 4 inquiens, in ostio Durii quo defluit in Oceanum fuisse olim Callem urbem, nunc Caia, ex qua et Portu coaluit Portucalle, et a Portucalle Lusitania nunc Portucallia nuncupatur. Demus auctorem classicum Lusitanum, et quem ipse Loiada plurimi facit, Resendium : is vero in tractatu de municipio Eborensi ait : *Nobilissima Callensis urbs, hæc hodie Portugallensis dicitur.* Do itidem Carolum Elusium, et Arnoldum Millium idipsum asserentes in Synonymia locorum Geographica apud Ortelium. Fateri proinde oportet sanctam Liberatam Amphilochii post sororem Margaretam occubuisse, inde autem translatam in Callensem civitatem seu Portugallensem floruisse miraculorum fama anno Domini 308. Retineo autem in Dextro lectionem Castralælia, cum Castraleuca non sint prope Callensem civitatem, et certum sit, auctoritate T. Livii lib. xxviii Lælium illum tota antiquitate celeberrimum castra sua in diversis Hispaniæ partibus locasse, quando illic Carthaginenses et Phœnices debellaret. Unde sicut a Vicelio Castra Viceliana, et a Metello Castra Metellinensia, oppida quædam vocata fuere, sic a Lælio Castralælia alterum dictum fuit prope civitatem Callensem. Quare potius in codice Juliani mendum esse puto, et pro Castraleuca, Castralælia legendum.

Cæterum corpus sanctæ Liberatæ inde Seguntiam translatum fuit, de qua re hæc leguntur in antiquo Breviario illius Ecclesiæ : *Post martyrium S. Libera-*

A. C. 139. Hoc anno 6 Julii Trajanus Hadrianus moritur, illique successit in imperio Antoninus Pius ab illo adoptatus. A. R. 890

Aulus Victor episcopus Barcinonensis præest annis 38.

Uliæ in Bætica floret S. Quadratus episcopus.

Sancti Christi martyres Facundus et Primitius ex Cæa urbe Gallæciæ, ad Cæam amnem pro Christo cæsi sunt.

BIVARII COMMENTARIUS.

tæ, successu temporis, a Simone tunc Seguntino episcopo, in hac alma Ecclesia conditum est, cujus tempore a Regulari in sæcularem, auctoritate apostolica translata est anno Domini 120. *Deinde illustris Fredericus a Portugalli tunc Seguntiensis, ac demum Cæsaraugustanus sub hujus B. virginis nomine, regale Sacellum construxit, ubi sanctum corpus mira fragrantia, arca argentea, lapidea intro inclusa* 15 *Julii, anno* 1537, *editis miraculis honorifice translata (nam ejusdem virginis camisia adeo recenti sanguine perfusa erat, ac si hesterno die diffusus fuisset), simulque sanctorum Joannis et Thomæ apostolorum, Stephani, Ignatii, Blasii, Gamalielis et Sixti, et plurimorum martyrum, et confessorum, et virginum reliquiæ venerandæ : concurrentibus undique populis, ut eidem translationi interessent, et ut indulgentiam plenariam ab Hadriano* VI, *Clemente* VII, *et Paulo* III *Rom. tunc pontifice concessam, consequerentur : regnante in Hispania Christianissimo ac invictissimo Romanorum imperatore Carolo V.* Quod de indulgentia in gratiam translationis concessa a tribus Pontificibus dicitur, sic intelligo ut primum ab Hadriano adepta anno 1522, eo mortuo iterum a Clemente circa annum 1524, sed re dilata usque ad Paulum, cujus tempore translatio facta dicitur, tandem ab eo confirmata fuerit ad annum 1534. Quiescit virgo beatissima in sepulcro vario, ac mirabili jaspide perpolito, et ejus generis in Hispaniis præstantissimo. Celebraturque ejus festum ab Ecclesia Seguntina cum officio duplici I classis, et Octava, velut patronæ. Vide quæ de ea scripsit Albarus Lupus in suo Lusitano Martyrologio, etc. Alphonsus Chacon in lib. cc Martyrum Karadignæ, tametsi erret in tempore martyrii, quia sub Diocletiano passam suspicatur, cum certum sit sub Hadriano occubuisse : agnoscit tamen ipsam sororem fuisse sanctæ Quiteriæ.

Silentio demum indignum quod de *S. Sila* nutrice affert Julianus inquiens : *Cum Dominum Bernardum archiepiscopum Toletanum per Lusitaniam et Gallæciam comitatus sum, veni Jomarium* (ubi caput ordinis militaris Jesu Christi est), *ibi prope templum, erat S. Sila virgo et martyr, ubi corpus ejus servatur. Quæ creditur esse virgo, quæ creavit, et educavit novem virgines sorores, Quiteriam, Liberatam, et alias Lusitanas. Colitur anniversarius ejus martyrii dies kal. Novembr. Creditur passa non multo post quam virgines passæ sunt.*

Idem ipse Julianus testatur in Chronico in suam usque ætatem perdurasse cultum celebrem omnium simul sororum. *Ætate*, inquit, *mea colebantur magna religione S. Quiteria, et octo sorores ejus per Hispanias, quæ fuerunt filiæ L. Catellii Severi* [Al. *viri*], *consularis et præsidis Gallæciæ et Lusitaniæ, civis Bracarensis, et ejus terræ reguli.* Erat vero festus ipsarum dies 18 Januarii.

7. *In eadem Gallæcia S. Euphemia*, etc. Diximus satis de ea tertio inter sorores suas gradu.

A. C. 139.—1. *Hoc anno;* etc. De anno mortis Hadriani non convenit apud auctores : Eusebius quem Baronius sequitur, affirmat obiisse anno Domini 140, cum imperasset annos 20, mens. 11. Ambrosius vero Morales cum Onuphrio Dextro consentiunt. De die hæc Spartianus : *Mortuus est apud Baias* VI *idus Julias, sepultusque ad tempus in Villa Ciceroniana, Puteolis.* Inde vero Romam translatus est, Julio Capitolino et Dione testibus, qui omnes asserunt successisse illi Antoninum Pium, Romæ ortum, sic a A pietate denominatum, cum prius vocaretur Titus Aurelius Fulvius Boionius.

2. *Aulus Victor*, etc. Successit S. Theodosio, ejus sedis episcopo, de quo Auctor dixerat ad annum Domini 100. Utrum vero immediate non liquet.

3. *Uliæ in Bætica*, etc. Ambrosius Morales lib. VIII Hist. c. 35 docet Uliam nuncupari modo *Monte-Major*, distareque a Corduba quinque leucas. Et lib IX, c. 41 asserit in Montis-Majoris templo exstare adhuc columnam lapideam, quam Ulienses erexerunt imperatori Antonino Caracallæ, ut ex inscriptione ejus liquet. Agit de eadem in Antiquitatibus fol. 88. Ptolomæus meminit ejus urbis in Turditanis Bæticis, tametsi nunc in ejus codice corrupte legamus Julia pro Ulia. Errat vero Villanovanus ejus illustrator dum Veliam scribit, et asserit vulgo nunc vocari *Belia*, cujus tamen nominis in Hispania nulla urbs, aut oppidum est. Uliæ igitur seu Monte-Majori prope Cordubam floruit S. Quadratus episcopus, cujus festa dies agitur 21 Augusti in Romano Martyrologio, et in Additionibus Molani ad Usuardum : et apud Equilinum lib. VII, c. 90, qui tamen confundit hunc Quadratum cum Quadrato apostolorum discipulo Athenarum episcopo, qui Hadriano principi præbuit Apologeticum fidei : et de quo supra egit Dexter anno 128, et Hieronymus lib. de Script. Ecclesiast., cum tamen diversi omnino sint, ut ipse quoque Equilinus fateri cogitur, nam tamquam de diversis, de eis scribit; de discipulo apostolorum lib. V, c. 47, et de hoc nostro episcopo l. VII, c. 90. Quod autem subdit : *Scripsit et Parthicum bellum sub Severo principe gestum; et Avisii Casii vitam, et gesta scriptioni tradidit*, nequaquam convenire potest episcopo Atheniensi, et apostolorum discipulo, quandoquidem bellum Parthicum a Severo principe gestum fuit anno 200 Christi, quo tempore minus in vivis erat Quadratus ille, qui tempore Hadriani senex noscitur fuisse, utpote apostolorum discipulus. Quare liber de Parthico bello alterius necessario auctoris erit. Utriusque memoriam agit Martyrologium Rom. Atheniensis quidem 26 Maii, Uliensis vero 21 Aug. quamquam (quod in aliis plerumque accidit) nomen urbis reticeat. Sed cum alterius Quadrati episcopi ac sancti nullus meminerit, satis innuitur Uliensem esse, de quo ibi agitur.

4. *S. Christi Martyres Facundus*, etc. Perseverat hucusque oppidum et flumen Cæa non longe a cœnobio celeberrimo S. Facundi in Legionensi tractu, olim termino Gallæciorum Lucensium; longe tamen nobilissima reddita sanguine sanctorum Facundi et Primitivi fratrum. Narrant ipsorum gloriosum martyrium antiqua Hispaniæ Breviaria, ex quibus recentiores Villegas, Maldonatus, Sanctorus, Trugillus et alii accepere. Molanus et Galesinus hoc elogio illorum celebrant annuam memoriam die 27 Novembris, qua coronas immortalitatis perceperunt. *In Gallæcia juxta fluvium Cæam, natalis sanctorum Facundi et Primitivi martyrum quibus post multa supplicia superata, duæ coronæ ab angelis delatæ sunt. Quod Atticus prætor accipiens, Capita, inquit, amputentur, ne locus sit coronis.* Supplicia vero quæ prius dicuntur superasse, ejusmodi referuntur in antiquis Breviariis. Digitorum in primis amputatio, tibiarum in crassis compedibus compressis, carceris fœtor, et horror, ardens clibanus, in quo triduo illæsi perstiterunt, cibi veneno mixti, ungulæ ferreæ, et lateribus applicata flamma, super recentia vulnera; calx ardens in

A. C. 140. Antoninus Pius imperator, hoc anno pater patriæ appellatur. A. R. 891.
141. Hoc tempore florebat Romæ Galenus medicus Pergamenus. 892.
143. Justinus philosophus librum pro religione tradidit Antonino. 894.
145. Valentinus hæreticus agnitus, durat usque ad Anicetum. 896.
Concordiæ in Lusitania, quæ nunc Besulci dicitur, Sancti Christi martyres Donatus et socii ejus multa passi [*Al.* etiam].
149. Arianus philosophus Nicomediensis et Maximus Tyrius agnoscitur. 900.
150. Apollonius Stoicus Chalcidius natione, et Basilides Syropolitanus, philosophi illustres habentur, qui fuerunt Cæsaris præceptores. 901.

BIVARII COMMENTARIUS.

ora immissus, oculorumque crudelis effossio: et ad palum triduana ligatio et pensio, ac demum post pristinam sanitatem miraculo sibi restitutam crudelis excoriatio. *Cumque in hujusmodi tormento S. martyres versarentur* (aiunt antiqua monumenta) *quidam ex circumstantibus magna voce clamavit, dicens: Video descendentes de cœlo angelos duos cum duabus coronis, quas in manibus suis habent. Tunc Atticus jussit eis caput amputari, ne locus esset coronis; cum vero capita eorum amputarentur, lac simul cum sanguine emanavit.*

Quo autem tempore id acciderit, varie admodum scribitur. Nonnulli contendunt eos occubuisse Attico et Prætextato consulibus, videlicet anno Domini 242, non alio (ut credo) moti, quam quia legunt judicem occisorem vocatum Atticum, alii quod sub Heliogabalo imper. 222, Lucas Tudensis, et Trugillus propius ad veritatem accedentes, quod anno 168 sub M. Aurelio principe: Dexter vero, anno 139, initio imperii Antonini. Hi omnes ut minimum in eo conveniunt, quod multo ante principatum Diocletiani passi sint, quare dubium non sit falli Vassæum in Chron. et Marinæum Siculum lib. v, dum eos crediunt fuisse filios S. Marcelli centurionis legionensis, qui in persecutione Diocletiani pro Christo vitam impendere non dubitavit ad annum Domini 303. Et consequenter non recte Baronium in Martyrologio Romano apposuisse, quod neque Usuardus, neque Molanus, aut Galesinus habebant, et cui reluctantur Breviaria Hispaniæ antiquiora, et cum eis Morales lib. IX, cap. 40 et lib. X, cap. 19, et Antonius Yepes centuria Benedictina 3 anno 752, cap. 2, nimirum SS. Facundum et Primitivum filios fuisse S. Marcelli, et occubuisse Diocletiani tempore, ait siquidem, *In Gallæcia apud Cæam fluvium sanctorum Facundi et Primitivi filiorum S. Marcelli martyris, qui sub Diocletiano imperatore et Attico præside passi sunt.* Utrumque a textu Martyrologii resecari oportet.

A. C. 140.—*Antoninus*, etc. Tantumdem habet Eusebius in Chronico, et ex eo (ut apparet) Isidorus in suo, sive is sit Hispalensis, sive Cordubensis, quod suo loco examinandum erit, anno scilicet 384.

Hoc ipso anno perrexit in cœlum S. Honoratus olim Toletanus antistes, cujus memoriam S. Braulio celebrat in Additionibus ad M. Maximum, inquiens: *S. Honoratus in Hispania celebratur, natione Cantaber, episcopus Toletanus; qui dum prædicat per diversas provincias, et ad patriam Conchanam prædicationis gratia revertitur, moritur confessor gloriosus 31 Decembris, anno Domini* 140. Plura diximus ad ann. 132 et 138.

A. C. 141. — *Hoc tempore*, etc. Idipsum de Galeno scripsit Hieronymus in Chronico Eusebii, hoc anno, et Isidorus in suo. Agant de ejus gestis medici, quorum princeps est.

A. C. 143. — *Justinus*, etc. Tabulæ ipsæ ecclesiasticæ ejus rei mentionem faciunt ad diem 13 Aprilis, ut in martyrologio Romano videre est; quo die martyrii S. Justini philosophi mentio fit. Consule Paulum Orosium lib. VII, cap. 14. Circa annum vero quo ipse librum pro Religione imperatori porrexit, Baronius tomo Annal. II, existimat obtulisse illum Antonino Pio anno Domini 149, tametsi eumdem prius scripsisset anno 143. In martyrologio autem Romano asseritur, illud dedisse Antonini successoribus, nimirum Marco Antonino Vero, et L. Aurelio Commodo, quod post annum 163 contigisse oportet. Eusebio Dexter suffragatur, datum videlicet fuisse Antonino Pio anno Domini 143. Verum non unum dumtaxat, sed duos, eosque diversos libros scripsisse et obtulisse diversis Cæsaribus S. Justinum scribit Hieronymus lib. de Script. Eccles.; ait siquidem: *Pro Religione Christi plurimum laboravit, in tantum, ut Antonino quoque Pio, et filiis ejus, et Senatui, librum contra gentes scriptum daret, ignominiamque crucis non erubesceret: et alium librum successoribus ejusdem Antonini M. Antonino Vero, et L. Aurelio Commodo.* Cum vero Romæ libris et disputationibus strenue propugnasset, habitu philosophorum incedens, et Crescentem Cynicum, qui multa adversus Christianos blasphemabat, redargueret, gulosum, et mortis timidum, luxuriæque et libidinum sectatorem esse; ad extremum studio ejus, et insidiis accusatus, quod Christianus esset, pro Christo sanguinem fudit.

A. C. 145. — 1. *Valentinus*, etc. Totum hoc e Chronico Eusebii desumptum est. Dimicarunt contra Valentinum antiquiorem Patres; Tertulianus librum specialem contra ipsum edens, et lib. de Præscript. c. 30, Iren. lib. II, c. 4, Epiph. hæresi 31 et Theodor. postmodum lib. I hæreticarum Fabularum. Fingebat impius somniator XXX sæcula, et ex eis mares 15 et totidem feminas, et illorum commixtione ortum Christum, immissumque in ventrem Virginis, a qua (mentiebatur) non plus, quam a canale aqua susceperat.

2. *Concordiæ*, etc. Agnovit in Lusitania urbem Concordiam Ptolomæus, cujus situationi respondet oppidum Tomas, ubi S. Silam Quiteriæ et sororum nutricem requiescere diximus, propeque defluit *Beselga* amnis, a quo *Besulci* nomen accepisse videtur apud Dextrum. Celebrant vero memoriam sanctorum martyrum Donati et sociorum, ad diem 17 Febr. antiqua Martyrologia, Romanum et Usuardi, et ex recentioribus Galesini, diebus duobus, id est, prædicto, et 23 Martii, meminitque eorumdem Equilinus lib. XI Catalogi c. 130, num. 69; fuerunt vero socii S. Donati, Secundianus et Romulus cum sociis aliis 86. Romanum Martyrologium hæc de illis habet. *Concordiæ sanctorum martyrum Donati, Secundiani et Romuli, cum aliis octoginta sex ejusdem coronæ consortibus.* Cæteri fere eisdem verbis utuntur. In eo vero fallitur Galesinus, in Notis ad 17 Febr. quod suspicetur occubuisse sub Juliano Apostata, anno Domini 364, cum, ut vides, sub Antonino passi sint.

A. C. 149. — *Arianus*, etc. Ipsissima in Eusebii Chronico verba leges hoc anno.

A. C. 150. — *Apollonius*, etc. Ab eodem mutuatum hoc est, nisi quod exprimit Eusebius nomen Veri Cæsaris, cujus Præceptores fuisse dicuntur Apollonius et Basilides. Credit autem Baronius ad annum 189 Apollonium hunc Calchidium prius quidem ethnicum, postea vero Christianum, ac demum Christi martyrem exstitisse.

A. C. 155. Toleti patitur S. Marciana, filia Catellii Reguli Lusitaniæ, sororque octo aliarum virginum, Ælio [*Al.* Licentio], et Laterano coss. A. R. 906.

156. Sub Aniceto papa venit Romam S. Polycarpus, qui doctrina sua et exemplo vitæ mirabilis, multos ab erroribus liberat. 907.

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 155. — *Toleti patitur*, etc. Tota hæc sanctæ Marcianæ memoria librarii aut scriptoris oscitantia ad annum 255 in codice Cæsaraugustæ impresso translata erat. Constat autem in hunc locum reducendam esse, quod in ea de anno passionis virginis agatur, qui fuit 155 Domini, ut expresse fatetur Julianus in Chronico, non aliunde quam a Dextro id mutuatus, *Marciana*, ait, *passa est Toleti anno* 155, *aliquanto post sorores*, 12 *Julii*. Sane Marcianæ nostræ Toletanæ cum Martiana Africana contigit, quod Emeritensi Eulaliæ cum Eulalia Barcinonensi : nominis quippe et aliquarum passionum similitudo confusionem historiæ attulit; qua semel parta non defuit, qui pluralitatem negaverit, unam ex duabus conficiens. Sic in illis prorsus factum est; utraque Eulalia dicebatur, vulnera, equuleum, ungulas ferreas, facesque ignitas utraque perpessa est : additum deinde ab utriusque ore in columbæ candidissimæ speciem, evolasse animas in æthera. Hinc Equilinus de Emeritensi agens lib. I, c. 54, quæ IV idus Decembris celebratur, asserit Barcinonæ occubuisse, ex duabus unam conficiens. Nihil minus Marcianis contigit, nam præter nominis similitudinem, non dissimilibus martyriis cæsæ sunt, utraque enim feris objecta, a tauro dilacerata est. Quare Baronius in notis ad 12 Julii, unam dumtaxat credidit fuisse : reluctante tamen textu ipso Romani Martyrologii, qui alteram Cæsareæ Mauritaniæ in Africa, alteram Toleti occubuisse fatetur. De Africana inquit, *Quinto idus Januarii*, seu die 9 ejusdem, *in Mauritania Cæsariensi S. Marcianæ virginis, quæ bestiis tradita, martyrium consummavit.* De Toletana vero : *Quarto idus Julii*, seu 12 die ejusdem, *Toleti S. Marcianæ virginis et martyris, quæ pro fide Christi bestiis objecta, atque a tauro discerpta, martyrio coronatur.* Et reluctantibus etiam, ut vides, Dextro et Juliano, qui Toleti passam referunt, sororemque fuisse octo aliarum virginum et martyrum. Additque Julianus : *Mentio fit alterius Marcianæ in Martyrologiis, et licet obierit a tauro dilacerata, tamen hæc* (Toletana) *altera longe vetustior est.* B C

Mirum est quantis fuerit præconiis B. Marciana a Toletanis veteribus decantata : de ea siquidem proprium ac solemne officium exstat in Breviario gothico, ubi hymno sacro refertur, qualiter divino acta spiritu idolum supra fontem exactum contriverit; capta autem ac flagris cæsa, et lenonibus tertio tradita, miraculoso repente inter virginem et lenonem apparente muro, tertio etiam liberata; bestiis deinde data ad devorandum, a leone deosculata fuerit, a tauro ad papillas vulnerata, denique a leopardo modico morsu interempta evolarit ad sponsum. Audi, quæso, hymnum hæc dulcius personantem :

Sacræ triumphum martyris
Celebret vox Ecclesiæ :
Camœna sit cunctis una,
Marcianæ in laudem virginis.
Quæ passionis præmium,
Dum tendit, adipiscitur :
Ultro ad palæstram gloriæ
Audet prompta concurrere.
Hæc namque astantem dæmonis
Cernens, allisit effigiem :
Sub cujus larga perpetim
Fluebat unda gressibus.
Mox flagris cæsa trahitur
Celsa ad prætoris atria :
Atque ludis illicitis [*Al.* ædilibus]
Prosternit membra virginis.
Quam prædo pudicitiæ,
Dum inter umbras sequitur,
Oblata ex templo cœlitus
Secluditur maceria.
Vincta deinde stipite
Profana voce includitur :
Sed pœnas fert blasphemia,
Ruinas et incendia.
Emissa namque bestiis,
Leo percurrit percitus :
Adoraturus veniens,
Non comesturus virginem.
Taurus dehinc prosiliens,
Forma et mugitu horribili :
Sulcabat ejus teneras
Papillas ictu vulnerans.
At fera pernix corpore,
Et maculoso tegmine :
Lethali dente ad ultimum,
Membra puellæ laniat.
Post hos triumphos anima
Vinclis elapsa corporis;
Plaudens petit ad libera
Summi poli fastigia.
Deo Patri, *etc.*

Quod in sexto versu dicitur, *Sed pœna fert blasphemia, Ruinas et incendia*, ad id tendit, ut denotet blasphemum illum, qui eam ad feras tradi vociferavit, blasphemiæ luisse pœnas (vocabatur Budarius, natione Judæus), *nam ubi devotæ virginis spiritus exivit de corpore, eodem temporis puncto Budarii blasphemi domus, cum omnibus qui ibidem fuerant, divino arsit incendio. Frequenter a Judæis Budarii parentibus ædificari tentata est, et cecidit in ruinam, multique qui exinde ad structuram saxa collegerant, portare visi sunt sepulturam. Manet usque hodie de illa domo æterna martyris beatæ sententia, et in æternum mansura perdurat.* Hæc ad verbum desumpsi ex Vita S. Marcianæ, quæ in bibliotheca monasterii S. Bernardi extra muros Toletanos in codice membraneo ms. ac pervetusto asservatur, per omnia cum hymni historia concordante. Eadem brevius habet Equilinus lib. II, c. 58 sed sub nomine S. Marcianæ Cæsariensis. Quod vero sancta Marciana fecit, occasionem sibi martyrii quærens fracto idolo, prohibitum postea fuit a concilio Eliberritano can. 60 in hæc verba aiente : *Si quis idola fregerit, et ibidem fuerit occisus; quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub apostolis umquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum.* Quatenus vero id licuerit post latas a Constantino leges de idolorum destructione, docte exponit Baronius ad 9 Aprilis occasione S. Eusychii, qui ob eversum Fortunæ fanum a Juliano Apostata cæsus est. Nostra vero Marciana a lege canonis exempta conspicitur, quod ante concilium passa sit, Ælio et Laterano consulibus, ut Dexter docet. Irrepserat codici impresso Dextri mendum, ut pro *Laterano* legat *Licencio*, cum tamen constet ex Onuphrio et aliis anno Domini 155 consulatum gessisse L. Ælium Aurelium Cæsarem, Pii Augusti filium, et Sextilium Lateranum : atque hinc manifestum fit, nequaquam martyrium Marcianæ Toletanæ virginis rejiciendum in annum 255, ut idem codex habebat, sed in ann. 155, uti ex consulibus convincitur. D

A. C. 156. — 1. *Sub Aniceto*, etc. Si Chronologiam Romanorum pontificum Baronianam sectaremur, omnino cogeremur a Dextri sententia resilire, cum enim ille asserat, Anicetum sedere cœpisse anno Domini 137, quo per martyrium S. Pius ejus prædecessor sublatus fuerat, ex ejus sententia fieri non potuit, ut anno 156, Polycarpus venerit

Blandæ in Hispania patiuntur S. martyres Bonosus et Maximianus.

A. C. 160. Carthagine Hispaniæ Modestus et Julianus florent.

Interamnii Flavii Domnina virgo cum sororibus egregiis Christi martyribus.

Pelagio Toletano pontifici succedit Patruinus, vir fidelis, præsidet in illa sede annos 29.

BIVARII COMMENTARIUS.

Romam, sedente jam Aniceto, Cæterum reluctantur Baronio B. Irenæus, D. Hieronymus, et Eusebius; ille siquidem, nimirum Irenæus Lugdunensis lib. III, cap. 3 inquiens, *Is enim est* (scilicet Polycarpus) *qui, sub Aniceto cum venisset in Urbem, multos ex his quos prædiximus hæreticos convertit ad Ecclesiam Dei, unam et solam hanc veritatem annuntians ab apostolis percepisse se, quam et Ecclesia tradit.* Hieronymus quoque libro de Script. Ecclesiastic. in Polycarpo hæc ait: *Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones, sub imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in Urbe regente Aniceto, Romam venit, ubi plurimos credentium Marcionis, et Valentini persuasione deceptos, reduxit ad fidem. Postea vero, regnante M. Antonino, et L. Aurelio Commodo, Smyrnæ igni traditus est.* Profecto si sub Aniceto venit, et Antoninus Pius eo tempore regnabat, Anicetus ante annum Domini 163 sedere cœperat, quo tamen ipse Antoninum mortuum affirmat; unde nullatenus pontificatus Aniceti differri poterit ad annum 167, ut ipse contendit. Eusebius vero per omnia consonat Dextro, ait enim in Chronico: *Anno* 156, *Anicetus* X *Romanæ ecclesiæ episcopatum tenet, sub quo Polycarpus Romam veniens multos ab hæretico errore correxit.* Adde Ambrosium Moralem exactissimum Chronographum, qui ab anno Domini 153 asseverat S. Anicetum sedere cœpisse; cui Dominicus Tempesta Romanus subscripsit in Vitis Summorum Pontificum Romæ editis anno 1596, cum figuris.

2. *Blandæ in Hispania*, etc. Additum est *in Hispania*, ad differentiam alterius urbis ejusdem nominis in Lucænia, seu *Basilicata*, regni Neapolitani provincia existente, cujus meminit in tabulis Italiæ Ptolomæus; qui in Hispania similiter Blandam cognoscit in Lalætanis Tarraconensibus; nunc vocatam *Blanes*; auctoribus Floriano de Occampo, Villanova, et Arnoldo Millio. Hic igitur martyrio coronati sunt sub Antonino principe Sancti Christi martyres Bonosus et Maximianus, quorum memoria cum benedictione permanet in Martyrologiis die 21 Augusti, ubi Ado affirmat etiam actus martyrii ipsorum exstare. Usuardus similiter inquit: *Eodem die sanctorum martyrum Bonosi et Maximiani, quorum actus habentur.* Equilinus lib. XI, cap. 138, num. 218 ait, *Bonosus et Maximianus martyres passi sunt* XII *kalend. Septembris; quorum gesta Ado dicit haberi.* Galesinus vero Bedam quoque ipsorum meminisse refert, et ait: *Hoc ipso die sanctorum martyrum Bonosi et Maximiani, quorum res pro fide fortiter actæ leguntur.* In Romano Martyrologio nihil de actis dicitur, quoniam, ut Baronius in Notis animadvertit, jam excidisse (proh dolor!), cum dispendio gloriæ sanctorum videntur, nusquam enim repertæ sunt, sed dabit Deus ipsis actis aliquando lucem, ut confidimus. Vide ejusdem nominis alios ad annum 308.

A. C. 160. — 1. *Carthagine*, etc. Suscitavit cardinalis Baronius memoriam sanctorum martyrum Modesti et Juliani Carthagine passorum, quæ librariorum incuria a Romano Martyrologio exciderat; et in antiquis mss. codicibus Romæ inventam sub his verbis expressit: *Pridie idus Februarii* (seu die 12 ejusdem), *Carthagine sanctorum martyrum Modesti et Juliani.*

2. *Interamnii Flavii*, etc. Deerat in excuso Dextro nomen urbis ubi sancta Domnina cum sororibus suis martyrii coronam percepit; legendum vero occubuisse *Interamnii Flavii* convincit S. Proculus, qui, ut omnes fatentur, in eodem ac ipsa oppido passus fuit, et teste Dextro inferius anno 175. Interamnii Flavii martyrium consummavit; ait siquidem: *Interamnii A Flavii in Hispania sanctus Proculus martyr.* Omnes vero eodem die passi sunt, nimirum Aprilis 14. Galesinus eodem die hæc habet: *Interamnii S. Proculi martyris, et sanctæ item Domninæ virginis, et sociarum, quæ ob præclaras fidei confessiones, martyrii coronis donatæ, æterna perfruuntur gloria:* citatque veteres mss. codices, et Bedam et Usuardum. Equilinus vero lib. XI, cap. 130, num. 121: *Proculus*, inquit, *martyr, et Domnina virgo cum sociis virginibus, ipso die Interamnii passi sunt.* Usuardus et Romanum Martyrologium sic legunt: *Interamnii B. Proculi martyris, item S. Domninæ virginis cum sociis virginibus coronatæ.* Consentitque Ado eodem die. Baronius credidit Interamnii in Italia passas fuisse, quasi non esset urbs alia ejus nominis in orbe. Sane Ptolomæus duas Interamnes in Hispania describit, alteram in tractu Asturiensi prope lucum Asturum seu Ovetum, alteram non longe ab ipsa Asturicæ urbe, quæ non solum Interamnii nomen, sed Flavii cognomen habuit, eo quod in Flavii Vespasiani honorem B erecta sit. Nam, ut auctor est Morales lib. IX Histor. cap. 25, multæ in Hispania urbes ab eo *Flaviæ* denominatæ sunt, ut Flaviobriga, Iriaflavia, Flavium Brigantium, et inter cæteras Interamnis Flavia: dicta quidem Interamnis seu Interamnium [aliis Interamnum] quod inter amnes duos sita fuerit. Existimavit Morales ejusmodi Interamnium Flavium esse oppidum *Fuente en Calada*, in episcopatu Asturicensi una leuca et dimidia a Nucalensi monasterio distans. Cæterum penitus a vero divertit, cum *Fuente en Calada* non sit inter amnes sita, et prope sit antiquissimum ac nobile oppidum *Benaventum*, non solum inter amnes existens, sed inter uberes ac magnos fluvios Ezlam, et Orbigum, hinc inde Benaventum non tam circumdantes, quam tangentes. Quare dubium non sit Benaventum olim nuncupatum fuisse Interamnium Flavium: ipsumque suo sanguine rubricasse sanctissimos Christi pugiles Proculum, Domninam et sorores. Et ne quis ultra dubitet, habemus Itinerarium Antonini imperatoris, ex quo enumeratis distantiis, id manifeste deducitur, nam in itinere Asturica Tarraconem transitus per Interamnium annotatur; transitur vero necessario per Benaventum, non vero per Fuentencaladam. Ibidem asseritur Interamnium Flavium 30 milliaribus ab Asturica distare: idemque asserit Antoninus in itinere Bracara Asturicam, cujus initium est Salabiana, et in alio cujus initium Lamia: repetit etiam idipsum in itinere Asturica Burdigalam: quæ omnia simul adduxi, ne quis putet in numero 30 milliarium mendum irrepsisse. Hinc autem manifeste intentum nostrum deducitur; quandoquidem ab Asturica usque ad Fuentencaladam non intercedunt 30 millia passuum, id est, leucæ decem, sed 18 milliaria seu leucæ sex: ab Asturica vero usque Benaventum 30 milliaria seu leucæ 10 reperiri certum est.

3. *Pelagio*, etc. Pelagio Toletano præsuli successisse Patruinum sive Paternum (al. *Patruinus*, al. *Patrinus*, dictus fuit) ex Chronologia Toletanorum D antistitum liquet, quam cum conciliis Gothicis in lucem ediditarchiepiscopus Loaysa. Mirum vero quam a vero aberraverit, cum dixerit ipsum interfuisse primo concilio Toletano, inibique subvertisse hæresim Priscilliani repullulantem. Illud siquidem celebratum fuit anno Domini 205, ut suo loco monstrabimus, quo tempore vel ipso Loaysa teste erat Toleti præsul sanctus Asturius, cujus nomen inter 19 episcopos qui illic astiterunt reperitur. Patruinus autem vel Paternus, qui primo loco recensetur, erat epi-

A. C. 162. Hoc anno nonis Martii Antoninus Pius mortuus est. Succedunt illi duo : unus M. Antoninus Verus, alter Aurelius Lucius Cejonius. A. R. 913.

165. L. Cæsari Athenis sacrificanti ignis in cœlo ab Oriente in Occidentem, nec sine miraculosa visione ferri visus est. 916.

166. Vologesus rex Parthorum provincias vicinas depopulatus est. 917.

167. Seleucia Syriæ urbs cum 300 millibus hominum est capta. 918.

Apud Pisas Peregrinus philosophus rogo, quem ex lignis compositis exstruxerat, vivum se superinjecit.

168. Masiæ in Hispania ad locum Dorotensem S. Pasycrates, mirabilis vir conversatione [*Al.* conversione], et omnibus operibus suis. 919.

BIVARII COMMENTARIUS.

scopus Bracarensis : quod inferius loco citato ostendemus, et in Commentariis ad annum 386. Et ipse Loaysa facile id animadvertere poterat, cum inter Patruinum et Asturium, qui anno 405 erat episcopus, intercessisse referat alios septem : Turibium, Quintium, Vincentium, Paulatum, Natalem, Olympium, et Audentium, quos annos multos in pontificio munere explevisse dubium non est. Quare nulla ratione fieri potuit, ut Patruinus Concilio illi circa annum 400 interfuerit. Immo vero floruit ante multos annos, seditque 29, videlicet ab anno 160 usque ad 179. Agemus de eo inferius ad annum 185, et 208.

A. C. 162. — *Hoc anno*, etc. Cardinalis Baronius differt Antonini Pii mortem in sequentem annum 163, sed Dextro suffragatur Eusebius in Chronico inquiens : *Anno Domini* 162, *apud Lorum villam suam*, 12 *ab urbe milliario moritur*, *anno vitæ suæ* 72. M. Antoninus, qui et Verus XIV Romanorum regnavit, et L. Aurelius Commodus, ann. 19 mens. 1. Imperaverat Pius annis 22, mens. 7, dies 26. Ambo Cæsares communicarunt in nominibus Ælii, Aurelii, Veri et Antonini, differebant tamen in prænominibus Marci, et Lucii. Hic vero L. dicebatur etiam Cejonius, et Commodus. De hac nominum diversitate, et concordantia agunt Julius Capitolinus in Pio, Dio in Hadriano, Justinus in Apologia ad Antoninum, Spartianus in Hadriano, Theophilus Antiochenus, et Galenus lib. contra eos qui de typis scripserunt, quos Baronius sequitur ac refert. Illud tamen animadvertisse placet, M. Aurelium ex paterna linea ab Hispanis originem duxisse, cujus nimirum atavus Annius Verus Hispanus fuit, id quod Jul. Capitolinus, et ex eo Morales annotavit lib. IX, cap. 28. Ipsi quoque multæ memoriæ in Hispaniis erectæ sunt; e quibus hodieque Malacæ durat columna marmorea cum inscriptione. *M. Aurelius*, *Antonius*, *Pius*, *Augustus*, etc. Barcinonæ alia, nimirum : *Faustinæ Aug. Imp.* : *M. Aurelii Antonini Aug. DD.* Denique de Antonini Pii morte et successorum ejus electione consonat Orosius lib. VII, cap. 14.

A. C. 165. — *L. Cæsari*, etc. Ita prorsus Eusebius in Chronico hoc ipso anno, et pene eisdem verbis, nam inquit, *L. Cæsari Athenis sacrificanti ignis in cœlo ab Oriente in Occidentem ferri visus est.*

A. C. 166. — *Vologesus*, etc. Hæc quoque habet idem Eusebius anno 166. Orosius vastasse inquit Armeniam, Cappadociam, Syriamque lib. VII, cap. 17. Contra Vologesum, bellum Parthicum destructum est, de quo multa Dio in Antonino, Misus primum Severianus dux Romanorum militum, gentes cum vita, telo confossus amisit ; L. vero Cæsar M. Aurelii Antonini filiæ desponsatus, victoria potitus est. Qua de re lege Xiphilinum et Julium Capitolinum in Antonino.

A. C. 167. — 1. *Seleucia*, etc. Adest in promontorio Syriæ Antiochenæ Seleucia olim a Seleuco Nicanore condita, teste Josepho lib. XVIII Antiq. cap. 16, quam S. Paulus peragrasse Lucas narrat Act. XIII, hodie *Soldino* dicta. Hanc Vologesus Parthorum rex cum cepisset, et circumjacentes provincias depopulasset, toti Syriæ formidini erat. Verum a Romano exercitu iterum bello capta duce L. Cæsare, cum trecentis millibus hominum, quod etiam cum Dextro narrat Eusebius hoc ipso anno : Orosius quadraginta millia capta refert.

2. *Apud Pisas*, etc. Habet eadem ipse Eusebius de Peregrino philosopho, sed anno sequenti.

A. C. 168. — *Masiæ in Hispania*, etc. D. S. Pasycrate agunt Martyrologia Bedæ, Usuardi et Romanum, ad diem 25 Maii, qui cum martyrio coronatum narrant cum S. Valentione et duobus aliis. Irrepsit vero codicibus ipsorum mendum, dum pro *Masia*, quidam Mœsiam, alii Mysiam legunt. Idque ex eo satis convincitur, quod tota Mysia, sive Mœsia nulla sit urbs seu oppidum, cui *Dorostorus* nomen. Ptolomæus quidem lib. III, c. 7 in Mysia Dorticum agnoscit (sed non Dorostorum) situm juxta Danubium amnem. Hinc accidit, ut ignorantibus loci nomen, non uno eodemque modo ab auctoribus nominetur. Theodoretus lib. III, cap. 6 vocat Dorostolum, et ipsum in Thracia constituit, videlicet extra Mysiam saltans : Cedrenus in Compendio historiæ, Distram, ut cardinalis Baronius notavit, ad ipsum diem 25 Maii lit. *b*. Nec mirum quod inveniri locus non posset, qui non erat. In Hispania vero non Mœsia, seu Mysia, sed Masia urbs fuit, de qua Plinius refert, quod Masiæ ulterioris Hispaniæ urbe lateres fiebant, qui siccati in aqua non mergantur. Stephano quoque Masia ad Tartesios, seu Bæticos pertinebat ; eoque nomine non urbs dumtaxat, sed et regio ubi circumfusa Masia nuncupabatur ; quod itidem Vitruvius aliquando fatetur, quamquam ipse per *x* scribat Maxiam : corruptius apud Ptolomæum prope Hispalim Maxilia vocatur. Villanova in tabula suæ veteris Hispaniæ hanc in Turdetanis Bæticæ juxta Termarium montem constituit : quo loci nunc argenti vivi fodinæ, *Almaden* vulgo, consistunt. Masiæ igitur Tartesiacæ in Hispania sanctum Pasycratem et ejus socios incolas fuisse, et inibi ad Dorotensem locum floruisse, non ambigo. Facilis sane apud Græcos auctores transitus fuit a Μάσια in Μοέσια, semel vero hoc errore admisso, facilius Μύσια scribi potuit, cum Pontica illa provincia utroque scribatur modo. Quo videas quantam historiæ ecclesiasticæ lucem Dexter afferat. De sancto Pasycrate et sociis egit etiam Petrus Equilinus lib. XI, c. 130, num. 151, consulto tamen a nomine urbis abstinuit, ob incertitudinem scripturæ.

Ejusdem urbis, provinciæ, et loci credendi sunt fuisse sancti martyres Christi *Julius* et *Hesychius*, quos Latina Martyrologia Bedæ, Usuardi, Adonis et Romanum celebrant, apud Derostorum (ut aiunt) in Mœsia passos : Julium quidem die 27 Maii, in hæc verba : *Dorostori in Mysia passio B. Julii*, *qui tempore Alexandri imperatoris*, *cum esset veteranus et emeritæ militiæ*, *comprehensus ab officialibus*, *Maximo præsidi offertur : quo præsente cum idola exsecraretur*, *et Christi nomen constantissime profiteretur*, *capitali sententia punitus est. Cum autem* (addit Equilinus lib. V, cap. 56) *ad passionem duceretur*, *Hesychius quidam miles Christianus sibi amicissimus*,

A. C. 169. Marcus hæreticus Hispanias petit; præmoniti vero Hispani a Petro epistola II, et A. R. 920.
sæpius a Paulo, cum Carpetaniam adiit, Toleto pulsus; volensque Valentiam Lusitanorum corrumpere, in ea provincia male tractatus, nonnullas mulierculas corrupit, ab aliis vero irridetur.
L. Cæsar cum fratre Commodo de Parthis triumphat.

BIVARII COMMENTARIUS.

dum se suis orationibus commendasset, eumque osculatus fuisset, a militibus tentus et ipse post dies 20 *passus est, ut infra dicetur* XVII *kalend. Julii*, videlicet libro V, cap. 119, ubi iterum de Hesychio: *In carcere* (inquit) *diebus pluribus maceratus, tandem in confessione Christi gladio cædente, martyrio coronatus est.* Illud autem non leve ejus rei argumentum est, quod de SS. martyribus Julio et Hesychio mentio nulla fiat in Menologiis Græcorum; cum tamen si Mysiæ, provinciæ Græcæ, martyres essent, nequaquam eorum memoriam prætermitterent. Cum vero a Latinis dumtaxat celebrentur, dubio procul Latini martyres sunt. Hoc autem semel dato, Masia alia assignari nequit in Europa, quam suis illustrarint passionibus præter Bæticam nostram, de qua egimus. Nihil minus de *S. Dasio* episcopo et martyre sentio, cujus memoria fit in Romano Martyrologio die Novembris 20, *Cum nollet in festo Saturni impudicitiis ejus consentire, sub Basso judice cæsus est.* Siquidem Dorostori in Mysia dicitur passus, non aliter quam prædicti: ostendimus vero in Mysia nullam umquam fuisse urbem Dorostorum. Et de Dasio quidem Græci, cum ejus memoriam colunt, ignorare videntur quis fuerit; aiunt enim in Menologio fuisse militem juventute ac pulchritudine florentem, cum tamen ex tabulis Romani Martyrologii constet episcopum fuisse; nisi velles mendum potius irrepsisse Romano quam Græco Martyrologio. De sancto quoque *Æmiliano* martyre, qui tempore Juliani Apostatæ sub Capitolino præside, quod idola fregisset, martyrii palmam accepit, Romanum Martyrologium die 18 Julii crematum inquit, siquidem Dorostori in Mysia; verum Menologium Græcorum aliter habet, Durostuli in Mysia: ejusque memoria celebris admodum fuit apud Græcos, nam et Basilius imperator ejus templum restituit aliquando, ut Cedrenus auctor est in compendio Historiæ, in Basilio.

A. C. 169. — 1. *Marcus*, etc. De Marco Valentini discipulo latissime egit Irenæus lib. I contra hæres. cap. 8 et 9; ubi hæc habet: *Marcus magicæ impostura peritissimus, per quam et viros multos, et non paucas mulieres seduxit.* Et inferius: *Maxime autem circa mulieres vacat, et hoc circa eas quæ sunt honestæ et circumpurpuratæ, et ditissimæ, quas sæpe adducere tentans, dicit blandiens eis: Participare te volo ex mea gratia; locus autem tuæ magnitudinis in nobis est, oportet nos in unum convenire. Sume primum a me et per me gratiam. Adaptare ut sponsa sustinens sponsum suum, ut sis quod ego, et ego quod tu. Constitue in thalamo tuo semen luminis; ecce gratia mea ascendit in te. Aperi os tuum et propheta. Cum autem mulier responderit: Numquam prophetavi, nescio prophetare: invocationes quasdam faciens denuo ad stuporem ejus, quam seducit, dicit ei: Aperi os tuum, et loquere quæcumque, et prophetabis. Illa autem seducta, et elata ab his, quæ, prædicta sunt, concalefaciens animam a suspicione, quod incipiat prophetare, audet et loquitur deliriosa, et quæcumque evenerint: omnia vacue et audaciter. Et exinde prophetidem seipsam putat, et gratias agit Marco, quod participavit ei suam gratiam: et remunerare eum gestit, non solum secundam substantiæ suæ dationem* (*unde divitiarum copiam magnam collegit*) *sed et secundum corporis copulationem, et secundum omnia uniri ei cupit.* Vidisti diabolici hominis imposturam, sancti Irenæi coævi ipsi vivis coloribus delineatam; sed numquid mulieres in Orientalibus contentus fuit seduxisse regionibus? minime, nam et in Occidentem quoque venisse testis est ipse Irenæus, qui de his quæ Marco et suis in Galliis juxta Rhodanum acciderunt, subdit: *Talia autem dicentes et operantes, et in his quoque quæ sunt secundum nos regiones Rhodanenses, multas seduxerunt mulieres; quæ cauteriatas conscientias habentes, quædam quidem etiam in manifesto exomologesim faciunt.* Cæterum quomodo aliæ restiterint ipse sic refert. *Jam vero quædam ex fidelissimis mulieribus, quæ habent timorem Dei, et non sunt seducibiles, quas similiter ut reliquas affectavit seducere, jubens eas prophetare, exsufflantes et anathematizantes eum, separaverunt se ab hujusmodi insano, qui se divinum spirare simulabat; pro certo scientes, quod prophetare non a Marco Mago inditur hominibus, sed quibus Deus desuper immiserit gratiam suam.* Hoc sane est quod Dexter narrat hoc loco ei accidisse Toleti et Valentiæ Lusitanorum; *Cum Carpetaniam adiit, Toleto pulsus, volensque Valentiam Lusitanorum corrumpere, in ea provincia male tractatus, nonnullas mulierculas corrupit, ab aliis vero irridetur.* Subscribit Irenæo Hieronymus in cap. LXIV Isaiæ, dum ait: *Gnosticos per Marcum Ægyptium, Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles feminas decepisse.*

Quod vero Dexter asserit, *præmonitos Hispanos a Petro epistola* II *et sæpius a Paulo*, Marco restitisse, non sic accipiendum est, ut soli ipsi admoniti credantur ab apostolis; sed quod legentes Hispani apostolorum Epistolas, Marci effigiem ad vivum expressam et exsecrandam propheticis litteris ac documentis invenerunt. Sane Petrus apostolorum Coryphæus totam fere secundam Epistolam contra futuros hæreticos, et clarissime contra istum Marcum conscripsit, videlicet cap. II inquiens: *In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur; et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat.* Et infra: *Hi vero velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem, et in perniciem, in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias, oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti, pellicientes animos instabiles;* et alia multa, quæ totis capitibus II et III prosequitur. Paulus vero tum aliis locis, tum in Epistola I ad Timoth. cap. IV idem monuit: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum* (en magiam Marci), *in hypocrisi loquentium mendacium*, etc. In Epistola autem II cap. III: *Hoc autem scito*, ait, *quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, voluptatum amatores magis quam Dei: et hos devita.* Quare? Vide Marcum: *Ex his enim sunt qui penetrant domos et captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis.* Quo nihil dici poterat clarius: neque defuit Apostolus in Epistola quam ad Hebræos Hispanos scripsit, eos de futuro Marci adventu præmonere, nam cap. ult. ait: *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci, optimum est enim gratia stabilire cor, non escis.* Quid igitur mirum si tot, tantisque admonitionibus edocti catholici Hispani, viri et mulieres, Marcum hæreticum pessimum irridentes e provinciis suis cum dedecore pellerent?

2. *L. Cæsar*, etc. Concinit Eusebius in Chronico pene eisdem verbis. Lege Orosium lib. VII, cap. 15.

A. C. 170. Persecutione orta in Asia, Polycarpus, Pioniusque patiuntur. A. R. 921.
Plurimi in Gallia, Hispaniaque ob Christi nomen interfecti.
171. Lues multas provincias invadit et Romam etiam. 922.
Romani contra Sarmatas, Dacos, Quados, Marcomanos pugnant.
S. Sother Romanam regit Ecclesiam satis afflictam.

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 170. — 1. *Persecutione*, etc. Idem Eusebius in Chronico sic ait : *Anno Domini* 170 *persecutione orta in Asia, Polycarpus et Pionius fecere martyrium, quorum scriptæ quoque passiones feruntur.* Fuit hæc a M. Aurelio excitata persecutio, quarta in ordine, si primam sub Nerone, secundam sub Domitiano, et tertiam sub Trajano fuisse dicamus, cum Dextero, ad ann. 86 de Domitiano asserente, quod *secundam contra Ecclesiam persecutionem movit.* Consonat Orosius citato c. 15 et Hieronymus nunc citandus. S. Polycarpi dies festus agitur in Romano Martyrol. die 26 Januarii, ubi acta ejus summatim referuntur, verbis Hieronymi lib. de Script. Eccles.: *Polycarpus*, ait, *Joannis apostoli discipulus, et ab eo Smyrnæ episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit : quippe qui nonnullos apostolorum, et eorum qui viderant Dominum, magistros habuerit et viderit. Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones sub Antonino Pio imperatore, Ecclesiam in Urbe regente Aniceto* (circa annum Domini 168) *Romam venit : ubi plurimos credentium Marcionis, et Valentini persuasione deceptos, reduxit ad fidem. Cumque ei fortuito obviam fuisset Marcion, et diceret : Cognoscis nos? respondit, Cognosco primogenitum diaboli. Postea vero regnante Antonino, et L. Aurelio Commodo, quarta post Neronem persecutione Smyrnæ sedente proconsule, et universo populo adversus eum in amphitheatro personante igni traditus est.* Agunt de eo Irenæus adversus hær. lib. II c. 3, et Eusebius lib. IV cap. 14 et lib. V, c. 24, et Gregor. Turon. de Gloria Martyrum cap. 86 et alii.

De sancti Pionii martyrio agitur in eodem Martyrologio 1 die Februarii sub his verbis : *Smyrnæ S. Pionii presbyteri et martyris, qui post Apologias pro fide Christiana conscriptas, post squalorem carceris, ubi multos fratrum ad martyrii tolerantiam suis exhortationibus roboravit; cruciatibus multis vexatus, clavis confixus, et ardenti rogo superpositus, beatum pro Christo finem sortitus est, cum quo et alii quindecim passi sunt.* Suspecta sunt mihi verba illa, *post Apologias pro fide Christiana conscriptas*, in Usuardo enim qui totam habet periodum deficiunt; et si Pionius Apologias scripsisset, non omisisset Hieronymus ejus inter Scriptores ecclesiasticos memoriam venerari et annotare scripta; et Eusebius lib. IV Hist. Eccles. c. 14 aut alibi scriptorum ejus meminisset. Difficilius est quod hoc loco a Dextro dicitur, in eadem persecutione, qua Polycarpus occubuisse; nam in ejus actis, quæ apud Surium exstant tomo I, die primo Februarii, in persecutione Decii passus legitur, Decio tertium, et Grato secundum coss., id est, anno Domini 254, non vero sub Lucio Vero, et M. Aurelio Commodo, et hoc potius probatur card. Baronio tum in Annal. tomo II, ad eum annum, tum in notis ad Martyrologium Romanum die 1 Febr. Cæterum quidquid de actis sit, Dexter subscripsit Eusebio, qui eadem fere scripsit verba in Chronico, et libro IV, Hist. capite 14, versus finem inquit, testimonio epistolæ Smyrnensis Ecclesiæ, Pionium eodem plane tempore quo Polycarpus martyrio coronatum fuisse. Quod licet Baronius interpretetur de eodem mense, aut die, ex his quæ in Chronico scribit constat non ad mensem, vel diem, sed ad tempus ejusdem persecutionis esse referendum, cum dicat, *Persecutione orta in Asia* (anno 170) *Polycarpus et Pionius Smyrnæ fecere martyrium.* Astipulatur Eusebio Petrus de Natalibus libro III Catalogi Sanctorum capite 68, ubi occisum fuisse docet, auctore Eusebio libro IV Hist., tempore Antonini imperatoris.

2. *Plurimi in Gallia*, etc. Cum quarta persecutio, quæ sub M. Aurelio et L. Vero ortum habuit, universalis toto orbe fuerit, certum est, Gallias quoque et Hispanias penetrasse, qui vero tunc pro fide Christi occubuerint, non liquet. Gerebant tunc in Hispania magistratum Valerius Julianus, Tarraconensis provinciæ præses, et Gallus Maximianus proconsul, cum Fabio Rustico, et Æmilio Pontiano, de quibus agit Ambrosius Morales lib. IX Hist. cap. 38. Julius quoque Atticus Accilianus sub eisdem principibus fuit proconsul, ut idem auctor narrat capite 40. His igitur actoribus martyres multi in Hispania in cœlum advolarunt. Cujus rei nobile testimonium præbet nobis Aurelius Prudentius, qui hymno sacro de Cæsaraugustanis martyribus affirmat non solum una vel altera persecutione multos fuisse in Hispania martyrio coronatos, sed in omnibus, tametsi ipse de Cæsaraugusta loquatur, inquiens :

B
Sævus antiquis quotiens procellis
Turbo vexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.
Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari vacuus cruoris,
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.

Vide ergo, in omni persecutione in Hispania non solum multos fuisse decoratos martyrio, sed quod eorum *numerus semper sub omni grandine crevit.*

A. C. 171. — 1. *Lues*, etc. Eusebius sic habet hoc ipso anno in Chronico. Lues multas provincias occupavit, Roma ex parte vexata. De pestilentia hac Tertulianus in Apolog. cap. 40 sic loquitur : *Existimant omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit; si fames, si lues : statim Christianos ad Leonem.* Scribit de eadem Julius Capitolinus in M. Aurelio, qui etiam affirmat Mauros eo tempore in- C valuisse, ac devastasse Hispanias, sed contra eos bellum per legatos gestum esse. Galenus etiam de simplicibus Medicam. cap. 9, et de Præsagiis ex pulsu lib. III, c. 3, et lib. III de Mortis vulgaris Ægritudine c. 1, et lib. VI, cap. 9. Consule etiam Lampridium, et Orosium lib. VII, c. 15. Grassatam fuisse luem istam totum pene orbem, durasseque usque ad annum 175 eo loco dicemus.

2. *Romani contra Sarmatas*, etc. Concordat Eusebii Chronicon hoc anno. De bello isto contra Sarmatas vel Sauromatas, Dacos, Quados, et Marcomannos agunt Romanarum rerum scriptores, et cum eis card. Baronius tom II Annal. anno 171. Dum ad eos debellandos tenderet L. Verus imperator apoplexia correptus occubuit, ut mox dicemus : *Sarmatæ* ad Septentrionem degebant, quo loco nunc Poloni, Rutheni, et Tartari habitant. *Daci* erant Danubio, silvæque Hercyniæ finitimi, quos olim Hungariæ partem habitasse plerique tradunt, et postea in Nor- D vegiæ loca maritima recessisse. *Marcomanni* interiores Germaniæ populi Hercyniæ silvæ accolæ, hodie Moravi dicuntur. *Quadi* denique Bohemorum olim gens, sicut et Marcomanni. De quibus aliquando Hieronymus scripsit : *Sarmatæ, Quadi, Vandali, et innumerabiles aliæ gentes, equorum, et vulpium carnibus delectantur.* Vide Orosium citato loco.

3. *S. Sother*, etc. Sancto Aniceto martyrii gloria coronato, vigente admodum persecutione M. Aurelii et Commodi, S. Sother XII post D. Petrum ad Romanæ Ecclesiæ regimen assumptus est : XII, inquam,

A. C. 172. L. Imperator prope Concordiam apoplexia corripitur. A. R. 923.
173. Asianus Sardicensis offert Antonino apologeticum. 924.
Apollinaris Hieropolitanus episcopus clarus habetur.
Et Dionysius Corinthiorum episcopus : et Pynetus Cretensis.
175. Tanta per orbem internecio fuit ex grassante pestilentia, ut totus pene exercitus 926.
Romanus deletus fuerit.
Interamni Flavii in Hispania S. Proculus martyr.

BIVARII COMMENTARIUS.

secundum Dextri, et Eusebii, et aliorum antiquorum opinionem, qui Cletum et Anacletum unum eumdemque existimant fuisse virum. Quo autem anno Sother electus fuerit, sub judice est. Cardinalis Baronius in eam sententiam inclinat, ut usque ad annum 175 non sit assumptus. Aliis placet, assumptum quidem anno 163, occisum autem anno 171 ; quod sequitur Onuphrius, Morales et Tempesta. Sunt qui ad annum 169 ejus assumptionem referant. Eusebius vero hoc anno 171 putat electum; ait enim in Chronico anno 171 : *Sother Romanæ Ecclesiæ episcopatum suscepit annos* 14. Inter tantam opinionum varietatem ea dexteritate Dexter usus est, ut solum diceret anno 171 Sotherem rexisse Ecclesiam, in quo plures conveniunt; utrum autem hoc ipso anno episcopatum inierit, vel antea susceperit, in quo est majus dissidium, minime definierit.

A. C. 172. — *L. imperator*, etc. Eusebius in Chronico sic ait hoc ipso anno : *L. imperator anno regni sui nono, sive ut quidam putant* 11 *inter Concordiam, et Altinum apoplexia exstinctus est, sedens cum fratre in vehiculo.* Susceperat in Marcomannos et Sauromatas rebelles expeditionem ; sed obiit in itinere positus, uti superius diximus. Est autem Concordia Venetiarum oppidum non procul ab Altino, et flumine Liquentiæ, de qua agit Plinius lib. III, c. 18, cujus nominis fuit alia in Hispania Bætica, unde Concordienses populi dicti ab eodem Plinio lib. 4, c. 22. Alibi de ea disputandum ad ann. 418.

A. C. 173. — *Asianus Sardicensis*, etc. Concinit Chronicon Eusebii fere eisdem verbis : *Antonino imperatori inclyto Asianus Sardicensis episcopus Apologeticum pro Christianis tradidit.* Fuit hic Melito nomine, Asianus natione, Sardicensis præsulatu. Quod autem dicitur Antonino Apologiam dedisse pro religione Christiana, non de Antonino Pio, sed de M. Aurelio Vero intelligendum est, qui etiam Antoninus dictus fuit. De Melitone hæc Hieronymus de Scriptor. Eccles. c. 34 : *Melito Asianus, Sardicensis episcopus, librum imperatori M. Antonino Vero, qui Frontonis Oratoris discipulus fuit, pro Christiano dogmate dedit, scripsit quoque et alia, de quibus ista sunt, quæ subjiciemus. De Pascha lib.* XI; *De Vita Prophetarum lib.* I, etc. *Hujus elegans et declamatorium ingenium Tertulianus in septem libris, quos scripsit adversus Ecclesiam pro Montano, dicit, unum a plerisque nostrorum prophetarum putari.* Eidem ascribitur liber de transitu Virginis, qui tamen inter apocryphos numeratur a Gelasio papa, distinctione XV, cap. Sancta Romana; sed utrum ejus fuerit, dubitatur.

A. C. 174. — 1. *Apollinaris*, etc. Eusebius itidem in Chronico id scribit, hoc ipso anno, vocatque eum Asianum. Hieronymus lib. de Script. Eccles. hæc habet de ipso, c. 36 : *Apollinaris Asiæ Hieropolitanus episcopus, sub imperatore M. Antonino secundo floruit, cui et insigne volumen pro fide Christianorum dedit. Exstant ejus et alii quinque adversus Gentes libri, et de Veritate duo, et adversum Cataphrygas tunc primum exortos, cum Priscilla, et Maximilla insanis vatibus, incipiente Montano.* Agitur ejus festa dies in Rom. Martyrologio ad diem 8 Januarii. De eo iterum Eusebius lib. V Histor. cap. 6 et lib. V cap. 15 et 18, et Hieronymus etiam epist. 84, ad Magnum.

2. *Dionysius*, etc. Eusebius in Chronico hoc anno sic habet, *Dionysius episcopus Corinthiorum clarus habetur* : agitque de ejus actis et scriptis lib. IV Histor. cap. 22. Hieronymus vero ejusdem cum laude meminit tum epist. 84 citata, tum etiam lib. de Script. ubi hæc leguntur capite 37 : *Dionysius Corinthiorum Ecclesiæ episcopus tantæ eloquentiæ et industriæ fuit, ut non solum suæ civitatis et provinciæ populos, sed et aliarum urbium et provinciarum episcopos, epistolis erudiret; e quibus est una ad Lacedæmonios, alia ad Athenienses, tertia ad Nicomedienses, quarta ad Cretenses, quinta ad Ecclesiam Amastrianam, et ad reliquas Ponti Ecclesias, sexta ad Gnossianos, et ad Pynitum ejusdem urbis episcopum ; septima ad Romanos, quam scripsit ad Sotherem episcopum eorum ; octava ad Chrysophoram sanctam feminam. Claruit sub imperatore M. Antonino Vero, et L. Aurelio Commodo.* Celebratur festum ipsius in Romano Martyrologio et Usuardo die 8 Aprilis. In Romano additur : *Romanos pontifices adeo coluit, ut eorum epistolas publice legere in ecclesia diebus Dominicis consueverit.*

3. *Pynetus*, etc. Eusebius in Chronico sic : *Clarus habetur Pynetus (vel Pynitus) Cretensis, vir eloquentissimus.* Hieronymus lib. de Script. Eccl. *Pynitus* (inquit cap. 38) *Cretensis Gnossiæ urbis episcopus, scripsit ad Dionysium Corinthi episcopum valde elegantem epistolam, in qua docet non semper lacte populos nutriendos, ne quasi parvuli ab ultimo occupentur die ; sed et solido vesci debere cibo, ut in spiritualem proficiant senectutem. Et hic sub M. Antonino Vero, et L. Aurelio Commodo floruit.* Agit iterum de eo Eusebius lib. 4 Hist. cap. 20 et 22, et Nicephorus libro IV, cap. 8. Ejus vero festa dies in Martyrologiis Bedæ, Adonis, et Usuardi assignatur 10 Octobris, qua nimirum Romanum hoc eum laudat elogio : *In Creta Insula B. Pyniti inter episcopos nobilissimi. Hic Gnossiæ urbis episcopus sub M. Antonino Vero, et L. Aurelio Commodo floruit; et in scriptis suis velut in quodam speculo, viventem sui reliquit imaginem.*

A. C. 175.—1. *Tanta per totum orbem*, etc. Eadem verba habet Eusebius in Chronico ad hunc ipsum annum. De eadem pestilentia egimus supra ad annum 171, quo cœpit grassari.

2. *Interamni Flavii*, etc. Superius in annotationibus anni 160 ostendimus Interamnum Flavium antiquam et nobilem urbem esse, quam nunc dicimus *Benavente*, nobilissimæ atque excellentissimæ stirpis Pimentelis comitatu notissimam, inibique S. Domninam virginem cum sororibus suis egregium sustulisse martyrium; nunc vero de S. Proculo martyre sermo fit, qui in eadem civitate coronatus est. Est autem non parva in scriptoribus confusio de S. Proculo Interamnensi. Reperiuntur siquidem tres Proculi in eadem urbe martyrio coronati, quo nodo card. Baronius minus feliciter se expedivit; nam cum tres sint omnino diversi, ipse duos dumtaxat credidit, ut patet ex notis ad Romanum Martyrologium die 14 Febr. et 14 etiam Aprilis, et 1 Decembris, quibus illorum memoriæ anniversario ritu coluntur. Inter hos Proculos primus, id est, qui 14 Febr. corona donatus est sempiterna, civis erat Atheniensis, Romæ vero existens cum concivibus suis Ephebo et Apollonio, a S. Valentino Interamnensi in Italia episcopo ad fidem perductus, paulo post ipsum martyrio Interamnæ coronari meruit. De eo Martyrologium Romanum ea die sic ait : *Interamnæ S. Valentini episcopi et martyris. Ibidem sanctorum Proculi, Ephebi*

A. C. 175. Orationibus Christianorum, Antonino ad Quados pugnante, internecionemque suorum A. R. 926.
180. timente, data est pluvia et victoria. 932.

Antoninus consortem imperii facit filium Commodum.

Utriculi, quæ (Bætis olim) civitas est in Bætica, prope Hispalim, natus Lucius, floret Romæ, ingenii laude præclari.

Hoc tempore omnes Hispaniarum Ecclesiæ, sicut etiam aliæ totius orbis terrarum, a paganis pacem mercatæ sunt.

BIVARII COMMENTARIUS.

et Apollonii martyrum, qui cum ad corpus S. Valentini vigilias agerent, jussu Leontii consularis comprehensi gladio cæsi sunt. Referunt ejus acta, cum Valentini Vita, Petrus in Catalogo lib. III, cap. 122, Mombritius tomo II, et Surius tomo I, et ante eos Rhabanus in Martyrologio XVI kalend. Martii. Alter etiam Proculus in eadem civitate passus fuit die 1 Decembris, de quo Romanum Martyrologium hæc ait : *Interamnæ S. Proculi episcopi et martyris, qui post multa egregia opera a Totila Gothorum rege jussus est decollari.* Habet ejus acta Petrus in Catalogo lib. I, cap. 15, asseritque de partibus Syriæ tempore Justini imperatoris Romam venisse, eumque presbyterum ordinatum a sancto Valentino Interamnensi pontifice, eidemque par martyrium sublato successisse in episcopatu, ac tandem jussu Totilæ decollatum. Existimo tamen hunc non fuisse episcopum Interamnensem, sed Narniensem, et Valentinum illum, cui successit in episcopatu, Narniensem pariter, non Interamnensem præsulem fuisse, irrepsisseque mendum, ut pro Narniensi, Interamnensis dicatur, occasione ab alio Valentino et Proculo ejus urbis accepta. Moveor autem ex eo quod Usuardus non legit *Interamnæ*, sed *civitate Narnia;* et in antiquis mss. Martyrologii Romani codicibus, præsertim in eo quod Romæ in Ecclesia S. Cyriaci omnium vetustissimum habetur, sic legitur : *Narnis natalis S. Proculi episcopi et martyris.* Quidquid de urbis nomine sit, certum est diversum Proculum fuisse a primo illo, quandoquidem ille sæcularis civis, hic episcopus, ille sub Romanis principibus Ecclesiam persequentibus, hic sub Totila passus est, multos post annos. Duos autem reperiri Valentinos episcopos et martyres, non mirandum, cum alias ex actorum et martyrii, ac temporum distantia valde diversos esse constet.

De alio S. Proculo martyre Interamnis passo festum agitur die 14 Aprilis simul cum S. Domnina et sociabus. Baronius ipsum cum altero, de quo nunc diximus, confundens episcopum fuisse existimavit : et usque ad Romanum Martyrologium mendum irrepsit ; cum tamen ante Baronianam illius correctionem titulus episcopi in textu deesset. Et sic prorsus legendum suadent cætera Martyrologia. Usuardus solum habet : *Interamnis B. Proculi martyris. Item S. Domninæ virginis cum sociis virginibus coronatæ.* Et eadem verba habent Beda et Ado, et consentit Petrus Galesinus, sic inquiens, *Interamnii S. Proculi martyris, item Domninæ virginis et sociarum*, etc. Petrus quoque Equilinus lib. XI Catalogi cap. 130, num. 121, hæc habet : *Proculus martyr et Domnina virgo cum sociis virginibus ipso die Interamnis passi sunt.* Quo videas nullatenus Proculum istum episcopum fuisse, sed dumtaxat martyrem, sicut Dexter hoc loco ipsum nominat, et quem prius Domnina et sorores illustraverant sanguine fuso nobilitarit. Alii igitur duo Proculi in Italia, hic autem in Hispania triumphavit. Vide quæ de eo et Domnina diximus ad annum 160.

3. *Orationibus Christianorum*, etc. Fusius hæc persequitur Eusebius in Chronico, anno Domini 176. *Imperator*, ait, *Antoninus multis adversum se nascentibus bellis sæpe ipse intererat, sæpe duces nobilissimos destinarat; in quibus semel pertinaciter exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppresso pluvia divinitus missa est : cum econtrario Germanos et Sarmatas fulmina persequerentur et plurimos eorum interficerent.* Exstant litteræ M. Aurelii gravissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus, impetrato imbre, sedatam testatur. Eam epistolam ex codice ms. Vaticanæ bibliothecæ reddit Baronius anno 176, et Onuphrius lib. II Festorum. Multi Romanarum rerum ethnici scriptores ejus miraculosæ pluviæ, et victoriæ meminerunt, sed tamen odio Christianæ fidei ducti, aliis gloriam attribuunt. Julius Capitolinus Marco ipsi Aurelio; Dio Arnuphi cuidam mago; nonnulli nescio cui Juliano mago. Cæterum recte Xiphilinus Dionem redarguit falsitatis, tum quia M. Aurelius numquam magos consuluit, aut eorum opere delectatus fuit, tum etiam quia nemo talis Arnuphis umquam meminit. De victoria vero ipsa ope Christianorum impetrata pluvia de Quadis ac Marcomannis reportata agunt Claudianus in VI Consulatu Honorii lib. I. Tertulianus Apolog. cap. 5 et ad Scapulam cap. 4, Eusebius iterum lib. V cap. 5, ex Apollinare Hieropolitano : de quo paulo superius egit Dexter. Exstat adhuc insigne tanti miraculi testimonium in Columna M. Aurelii, Romæ nunc *Sancti Pauli* nuncupata, ubi tota rei historia marmori incisa cernitur, cujus copiam Baronius extractam Annalibus suis inseruit. Legioni autem cujus ope victoria obtenta est, Fulminatricis nomen indidisse omnes scribunt. Cæterum milites in ea Hispanos exstitisse satis testatur inscriptio illa sepulcralis, quam Julius Ioschus ejusdem legionis miles Julio Secundo liberto suo posuit, et apud Moralem legimus sub his verbis lib. IX, c. 38 : *Julio Secundo qui vixit ann.* XXXIX. *Maii D. X. C. Julius Ioschus, legionis* XII. *Fulminatricis, liberto bene merenti fecit.* Consule Orosium lib. VII, cap. 15.

A. C. 180. — 1. *Antoninus*, etc. Consentit Eusebius, cujus hæc sunt verba hoc ipso anno : *Antoninus Commodum filium suum consortem regni facit.* Qua de re Lampridius in Commodo et alii. Antoninum istum non alium quam M. Aurelium intelligas. Consule Orosium, lib. VII, c. 15.

2. *Utriculi*, etc. Strabo, lib. III Geographiæ, inter præcipuas Bæticæ provinciæ urbes, quarto loco constituit *Bætim*, videlicet post Cordubam, Gades, et Ilispalim. Utrum autem ab eo Bætis fluvius et provincia tota Bætica dicta fuerit, an vero Civitas hæc a fluvio nomen acceperit, definire non audeo. Latini eam vocarunt *Utriculum*, quod quasi in medio uteri totius Bæticæ constituta esset. Hodie aliquantulum mutato nomine, *Utrera* dicitur, propeque Ilispalim existit. Hic igitur insignis ille Lucius, sui temporis in oratoria facultate præclarus natus, Romæ postmodum vehementer floruit, cujus cum magna laude meminit Lucas Tudensis in prologo sui Chronici, dum brevem illustrium virorum facit catalogum, qui in Hispania nati sunt.

3. *Hoc tempore*, etc. Potuisse Christianos vexationem, quam ab ethnicis patiebantur pecunia redimere, nervose et eleganter docuit S. Petrus Alexandrinus episcopus et martyr : idque constare ex Actis apostolorum cap. XVII probant nonnulli : nam ibi legimus, quod exorta Thessalonicæ seditione in discipulos, a Judæis vociferantibus : *Quoniam hi qui urbem concitant, et huc venerunt, quos suscepit Jason, contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Jesum. Concitaverunt autem plebem et principes civitatis audientes hæc.* Cæterum *accepta satisfactione a*

A. C. 182. Antoninus imperator plusquam centum leones exhibuit. A. R. 933.
Omnes Ecclesiæ orbis pacem ab ethnicis pecunia sunt mercatæ.
Smyrna urbs Asiæ terræmotu concussa ruit : ad cujus reparationem decennalis tributorum relaxatio data est.
Antoninus imperator in Pannonia morbo decessit.
Successit illi in imperio Romano Commodus filius.
185. Templum Serapidis celeberrimum in Alexandria incensum est. 936.
Irenæus episcopus Lugdunensis insignis habetur.
Flaviobrigæ in Hispania sanctus Victor martyr, et socii ejus, qui varia excruciamenta passi, necati sunt.
Plurima collegia juventutis per Hispanias ad clerum instituendæ, præsertim Cæsaraugustæ, Tarraconæ, Hispali, Carthagine, Toleti, Braccaræ Augustæ, Illiberri, præcipuis urbibus, præsulum diligentia criguntur.

BIVARII COMMENTARIUS.

Jasone et cæteris dimiserunt eos. Accepta, inquam, satisfactione pecuniaria a Jasone et cæteris, ut paululum quiescerent a vexatione : donec secreto Paulum et Silam dimitterent : unde subdit Evangelista. *Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum et Silam in Beræam.* De hujusmodi redemptione seu mercatione vexationis suo ævo fieri solita scribit Tertulianus lib. de Fuga in persecutione cap. 12 ; et c. 13 ait : *Parum denique est si unus aut alius ita* (pretio) *eruitur : massaliter totæ Ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt.* Si quo autem loco id factum fuisse credendum est, haud dubium quin in Hispania, ubi auri et argenti major erat copia, et Romanorum immensa ejus cupido. Facile vero fuit Tertuliano in Africa degenti Hispanæ Ecclesiæ pecuniariæ redemptionis notitiam habere, cum alias ex epistolis Cypriani et Augustini liquido constet, Hispanas et Africanas Ecclesias perpetuum inter se commercium et communionem habuisse.

A. C. 182. — 1. *Antoninus*, etc. Sic Eusebius in Chronico : *Antoninus* (id est, M. Aurelius Antoninus) *post victoriam* a Sarmatis, et Marcomannis reportatam, *adeo in editione munerum magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuerit*, videlicet populo Romano in ludis visendos.

2. *Omnes Ecclesiæ*, etc. Ita prorsus Tertulianus supra relatus cap. 13 lib. de Fuga, dum ait : *Parum est si unus, aut alius, ita* (pretio) *eruitur; massaliter totæ Ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt.* Massaliter, id est, non quælibet seorsim, sed omnes orbis Ecclesiæ in unum corpus et massam collectæ, pacem ab ethnicis pecunia mercatæ sunt. Lampridius ex Mario Maximo vetere historico scribit de Commodo imperatore, quod *vendidit suppliciorum diversitates et sepulturas.*

3. *Smyrna*, etc. Hæc quoque ex Chronico Eusebii mutuata sunt, ubi ait hoc ipso anno. *Smyrna urbs Asiæ terræmotu ruit; ad cujus reparationem decennalis tributorum immunitas data est.*

4. *Antoninus*, etc. Consonat etiam Eusebius in Chronico. *Antoninus*, ait, *in Pannonia morbo periit. Commodus XV Rom. regnavit ann.* 13. Lege Orosium, loco citato.

A. C. 185. — 1. *Templum Serapidis*, etc. Eusebius sic, *Templum Serapidis Alexandriæ incensum.* Colebatur ab Ægyptiis Serapis sub bovis imagine, alioque nomine Apis, et Osiris dici solebat : a Græcis Pluto. De eo Plutarchus libro peculiari de Osiride, et alii. Alia in Urbe incendia ejus tempore contigerunt; de quibus Orosius lib. VII. cap. 16, hæc habet : *Flagitia regis* (Commodi) *pœna Urbis insequitur; nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio Bibliothecam illam majorum cura, studioque compositam, ædesque alias juxta sitas, rapaci turbine concremavit. Deinde aliud incendium postea Romæ exortum, ædem Vestæ, et Palatium plurimamque Urbis partem solo coæquavit.* Hæc ille.

2. *Irenæus episcopus*, etc. Eadem habet Eusebius A verba hoc ipso anno Domini 185. Consonat Hieronymus de Scriptoribus Eccles., cap. 45, ubi fuse de eo agit, et testimonio Polycarpi martyris confirmat fuisse discipulum sancti Pothini episcopi et martyris Lugdunensis, cui in ejusdem Ecclesiæ regimine successit ; *Floruitque*, ait, *maxime sub Commodo principe, qui M. Antonino Vero in imperium successerat :* et qui in egregio commentario, quem de Monarchia scripsit ad Florinum, versus finem, significat se apostolicorum temporum vicinum fuisse. De concilio, quod super quæstione de die Paschæ, sub Victore papa Lugduni S. Irenæus celebravit, agit Eusebius lib. V Hist. c. 22. Coegisse autem ipsum circa ann. 190, ex tempore pontificatus Victoris convincitur, qui quidem sedere cœpit ab anno Domini 186, juxta Onuphrium, Moralem, et vetustiores : tametsi Baronius in ann. 194 rejiciat initium ejus pontificatus.

3. *Flaviobrigæ*, etc. Ptolomæus constituit Flaviobrigam in Autrigonibus Tarraconensis Hispaniæ populis, ad littus Cantabrici Oceani, quam nunc *Fuente rabia* dicimus, si Villanovano præbemus fidem. Joannes Mariana existimat esse *Bermeo*, vel non longe a *Bilbao* sitam fuisse. Hæc ille lib. IV Hist. Hisp. cap. 4. Longe alia urbs fuit Flaviumbrigantium, quod nunc in Gallæcia *Betanzos* nuncupatur. Igitur Flaviobrigæ martyrium subiit S. Victor cum sociis, imperante Commodo. Agitur eorum festus dies in Romano Martyrologio die 17 Octobris, ubi ejus socii vocantur Alexander et Marianus. Molanus etiam in Additionibus ad Usuardum, eorumdem meminit; Galesinus et alii recentiores Martyrologiorum auctores. Petrus Equilinus lib. XI Catalogi SS. cap. 130, num. 293, Victorem facit episcopum : nam ait, *Victor episcopus, Alexander et Marianus martyres ipso die passi sunt :* videlicet XVI kalend. Novembris, seu die 17 Octobris.

4. *Plurima collegia*, etc. Vetustissimus sane Ecclesiæ mos fuit Christianorum filios una collectos ad clerum erudire, quo nimirum in juventute catholicæ fidei rudimenta et sacras litteras, ac mores honestos imbiberent; et in his quæ ecclesiasticorum rituum sunt, imbuerentur. Hinc videmus plerumque contigisse, episcopos simul cum pueris martyrio coronatos fuisse ; nimirum cum pueris, quos sacras litteras et ecclesiasticos ritus edocebant. De S. Blasio Sebastensi episcopo ac martyre celeberrimo legimus in eis actis et Martyrologiis, quod una cum duobus pueris capite truncatus fuit : et de S. Eugenio Carthaginensi episcopo scribit Victor Uticensis de persecutione Vandalica lib. III, habeturque in Rom. Martyrologio ad 13 Julii, quod cum eo passi sunt plurimi lectores et infantuli : *Erant hi numero duodecim*, ait Victor, *qui nec blanditiis, nec minis cedentes, ne a catholica divellerentur Ecclesia, fortiter, viriliterque agentes, martyrii sunt adepti coronam : quos nunc Carthago miro colit affectu, et quasi duodecim apostolorum, chorum suscepit puerorum.* Idem pariter Hispania vidit Pampilonæ in Valente sanctis-

A. C. 185. Patruino Toletano episcopo, Turibius Toletanus præsul sufficitur, homo doctus, et eruditus : qui multa incommoda ob fidei patrocinium ab ethnicis patitur. Hic natus Romæ dicitur ad Hispanias pervenisse; ad quem S. Irenæus Lugdunensis episcopus litteris ejus provocatus, tamquam ad familiarissimum misit librum contra hæreses. A. R. 956.

BIVARII COMMENTARIUS.

simo episcopo, qui cum tribus pueris necatus est 21 Maii, de quibus suo loco cum Dextro dicturi sumus ad annum Domini 300. Inter collegia, quorum memoria exstat, ad juventutem erudiendam olim in Hispaniis erecta, celebre est illud quod Hispali S. Isidorus erexit, in quo S. Ildefonsus collega fuit. De eo Joannes Mariana lib. VI Rerum Hispan. cap. 10. *Ad eum*, inquit, *cultus ingenii capiendi studio Hispalim missus, in collegiumque cooptatus Ildephonsus, quod juventutis instituendæ ab Isidoro exstructum fuisse, dictum est, viro doctissimo expoliendum se, limandumque permisit : ab ejus latere non ante discessit, quam omni liberali disciplina excultus, disciplinarum orbem absolvisset.* Consonat Isidori vita, quæ in Ecclesiis Hispaniæ apostolicæ sedis calculo approbante in divinis officiis quotannis legi consuevit; ibi sic enim legimus : *Construxit monasteria et collegia ædificavit; in quibus studiis sacris et divinis lectionibus vacans, plurimos discipulos qui ad eum confluebant, erudivit, inter quos fuit B. Ildefonsus*, etc. Non dissimili zelo ductos constat vetustiores præcipuarum Ecclesiarum Hispaniæ præsules, quorum diligentia olim erecta fuisse collegia juventutis ad clerum instituendæ, satis verisimiliter docet hoc loco Dexter : quæ sane tunc temporis magis necessaria erant, quando persecutione grassante, non erat integrum cuivis Christianorum filios suos ubivis ad clerum erudire : tunc siquidem præcipuis in urbibus necessum videbatur pueros in collegia redactos instituere. De his iterum agit Dexter ad annum Domini 370, inquiens : *Collegia juvenum ad clericatum educandorum, negligentia temporum intermissa; diligentia S. præsulis Audentii Toletani, et aliorum pontificum redintegrantur.*

5. *Patrunio*, etc. Aliis Patruinus dicitur, et quibusdam corruptius Paternus. De ejus electione in Toletanum pontificem egimus cum Dextro ad annum 160, inde autem dubium non leve oriri videtur : nam ibi dicitur præfuisse annos 29, nimirum ab anno 160, in quo electus fuit. *Pelagio*, inquit, *Toletano pontifici succedit Patruinus, vir fidelis : præsidet in illa sede annos viginti et novem :* nunc vero anno Domini 185, asseritur, quod Patruino Turibius Toletanus præsul sufficitur, nimirum post viginti quinque duntaxat annos, qui intersunt a 160 usque ad 185. Et augetur difficultas, eo quod inferius anno Domini 208, inquit auctor : *Quinctius episcopus Toletanus succedit Patruino, præsidet in illa sede annis* 12. Ubi duo veritati minus consonare videntur; nimirum quod Patruino successerit Quinctius seu Quinctinus, cum tamen superius dixerit, Turibium ejus fuisse successorem : et quod Patruinus sederit in sede Toletana usque ad annum 208. Sic enim non sedisset 29, ut prius dixerat, sed 48, videlicet ab anno 160 usque ad 208. Ut hæc dubia solveret, posset quis existimare duos fuisse Patruinos in sede Toletana, sive mavis unum nuncupatum Patruinum, alterum vero Paternum : quorum unus præcesserit, alter subsecutus fuerit Turibium, et habuerit Quinctium successorem. Cum vero de priori illo dicitur sedisse annos 29, facile potuit mendum in scriptura intercedere, ut pro 25 legeret quis 29. Similitudo enim illorum characterum 5 et 9, decipere facile potuit lectorem seu scriptorem. Id tamen probabile sit aliis, dum mihi aliud probabilius videtur, quo omnia constant, et non multiplicantur Patruini sine necessitate urgenti. Existimo itaque Patruinum, cum sedisset Toleti annos 25, zelo prædicationis aut peregrinationis ductum, reliquisse Turibium successorem in sede Toletana; neque id novum, A imo vero usitatum videri debet ab ipsius prædecessoribus, ut de SS. Eugenio, Honorato, et Hermolao superius docuit Dexter : deinde post annos viginti in prædicatione et peregrinatione transactos, iterum rediisse Toletum, et Turibio cedente vel decedente, circa annum Domini 204, denuo sedisse pontificem annos quatuor; qui simul juncti cum illis 25, quibus primum præerat, complent numerum 29 a Dextro designatum. Atque ita fit, ut sedere inceperit anno 160, et quod anno 185 illi successerit Turibius : anno vero 208 habuerit successorem Quinctium; et toto hoc tempore solos 29 Toleti pontificem sederit. Favet etiam nostræ sententiæ, quod si Patruinus, cui Quinctius successit, diversus esset ab eo, cui successit Turibius, diceretur a Dextro ejus nominis secundus, sicut inferius in Olympio secundo ejusdem Toletanæ sedis pontifice fecit anno 424, quod tamen penitus omisit, denotans unum eumdemque Patruinum fuisse.

B De Turibio Toletano pontifice mentio habetur in chronologia præsulum Toletanorum, quam in tomo Conciliorum Hispaniæ cudit Loaysa pariter Toletanus archiepiscopus : ponitur que in ea Patruini successor et præcessor Quinctii. Sed in chronologia annorum, qua designatur floruisse post annum Domini 396, errat toto cœlo, quod alibi monstravimus, videlicet ad annum 160. Qualis autem, quantusque vir fuerit, solus Dexter docuit.

Quod autem asserit, S. Irenæum misisse ad illum quinque libros suos contra hæreses, novum proculdubio multis videbitur; nec mirum, cum solus Dexter (quod sciamus) id scripserit. Verum quamquam id ipsius Irenæi testimonio manifeste demonstrari non possit, id tamen nequaquam scriptis ejus repugnat; quæ sine nomine illius ad quem dicati fuerunt, circumferuntur, quin potius ex eis satis verisimiliter assertio nostri auctoris deducitur. Scripsit siquidem libros hosce Lugduni in Galliis ad ripam Rhodani, ut in prologo primi fatetur, inquiens : *Non* C *autem exquires a nobis qui inter Gallos degimus, et in barbarum sermonem plerumque avocamur, orationis artem*, etc. Mittit vero eos ad doctum et gravem virum, in alia regione commorantem, quæ Gnosticorum fæcibus infecta fuerat, non aliter atque provincia Lugdunensis, de qua Irenæus lib. I, cap. 9 : *Talia*, inquit, *dicentes et operantes, et in his quoque quæ sunt secundum nos regiones Rhodanenses, multas seduxerunt mulieres*, etc. Quæ autem provincia similiter ab eis depravata fuerit, ac Lugdunensis, Hieronymus declarat in cap. LXIV Isaiæ, ubi affirmat, *Gnosticos Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles feminas decepisse, miscentes fabulis voluptatem, et imperitiæ suæ nomen scientiæ vendicantes.* Et in epistola ad Theodoram laudat viri ejus Lacini pietatem, quod vastantibus Hispanias Basilidis principis Gnosticorum hæresibus, nequaquam susceperit Armigil, Barbelon, Abraxas, Balsamum, et ridiculum Leusibaram, cæteraque magis D portenta, quam nomina, quæ ad imperitorum et muliercularum animos concitandos, quasi de Hebræis fontibus hausta essent, impudenter jactabant. Et super cap. III Amos, Iberas ineptias vocat Balsamum, et Barbelon. Erat proinde aliquatenus Hispania infecta Basilidis, Valentini, et Marci hæresibus, ac proinde Irenæi egebat medicamine, qui nimirum in Oriente exactissime ineptias illorum calluerat, et in sua diœcesi pro viribus debellaverat. Cui vero arma sua Irenæus commodius inter Hispanos prælatos committeret, quam Turibio Hispania-

A. C. 186. Thermæ exædificatæ sunt Romæ jussu Commodi imperatoris. A. R. 937.

190. Apollonius egregius Christi cultor et senator senatui Romano librum pro fidei defensione obtulit, et capite truncatur. 941.

193. Commodus egregia populo Romano spectacula præbuit. 944.

195. Commodus imperator sceleratus in domo Vestiliani necatur. 946.

Successit in imperio Romano Ælius Pertinax, menses VI.

Pertinax obsecrantem senatum, ut uxorem suam Augustam, filium Cæsarem appellaret, repulit dicens, satis esse quod ipse nolens imperium Romanum suscepisset et regeret.

Pertinax occiditur in Palatio, scelere Juliani jurisperiti, quem postea Severus apud Milvium pontem interfecit.

Severus, qui et Pertinax, succedit, Juliano imperatori.

197. Clemens Alexandrinus presbyter, et Panthenus Stoicus philosophus, in disputatione pro fide nostra fortissimi censentur. 948.

BIVARII COMMENTARIUS.

rum primati? præsertim cum ejus urbem Toletanam Marcus hæreticus inficere tentaverit, uti Dexter in superioribus affirmat ad annum Domini 169. Frequens quoque litterarum et librorum Irenæi transmissio ad eum, cui opus suum dedicat, argumento nobis esse potest, nullatenus ad Orientalem aliquem antistitem illud dicasse, sed ad aliquem non longe a sua provincia commorantem; quoties siquidem librum aliquem ex quinque, in quibus totum de hæresibus opus digestum est, terminabat, statim ad ipsum transmittebat: sic in prologo 3: *Misimus*, ait, *tibi libros, ex quibus primus quidem omnium illorum* (Gnosticorum) *sententias continet, et consuetudines et characteres ostendit conversationis eorum. In secundo vero destructa sunt et eversa, quæ ab illis male docentur; in hoc autem tertio ex sacris Scripturis inferemus ostensiones, ut nihil tibi ex his quæ præceperas desit; sed et præterquam opinabaris, ad arguendum et evertendum eos, qui quolibet modo male docent, occasiones a nobis accipias.* In prologo libri IV: *Hunc quartum librum*, ait, *dilectissime, transmittens tibi, operis quod est de detectione, et eversione falsæ cognitionis, (quemadmodum promisimus) per Domini sermones ea quæ prædiximus confirmavimus; uti et tu sicut postulasti, undique a nobis accipias occasiones ad confutandum omnes hæreticos, et eos omnino retusos, non longius sinas in errores procedere profundi, neque ignorantiæ præfocari pelago; sed convertens eos in veritatis portum, facias suam percipere salutem.* Ac tandem in prologo 5: *Traductis diligentissime omnibus hæreticis in quatuor libris, qui sunt tibi ante hunc a nobis editi, et doctrinis illorum manifestatis in hoc libro* V, *ex reliquis doctrinis Domini nostri, et ex apostolicis Epistolis conabimur ostensiones facere, quemadmodum postulasti a nobis, obedientibus tuo præcepto*, etc. In quibus obiter contemplari placet, quanti apud Irenæum Turibus noster habebatur, cujus præcepto obedientiam se præstare profitetur. Commendat quoque eruditionem ejus et sapientiam, id quod in præfatione ad I librum Irenæus eidem scribit: *Ea quæ tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies, et ipse augeas ea penes te, ut magis idoneus, quam nos. Et quemadmodum elaboravimus nos olim quærenti tibi discere sententiam eorum, non solum facere tibi manifestam, sed et subministrationem dare, uti ostenderemus eam falsam: sic et tu efficaciter reliquis ministrabis secundum gratiam quæ tibi a Domino data est, ut jam non abstrahantur homines ab illorum suadela.* Sed hæc pro instituto videntur sufficere.

A. C. 186. — *Thermæ*, etc. Eusebius in Chronico hoc ipso anno sic inquit: *Thermæ Commodianæ Romæ factæ.*

A. C. 190. — *Apollonius*, etc. Narrat egregium sanctissimi viri facinus Eusebius lib. V, cap. 20, et Hieronymus, libro de Scriptoribus Eccles., c. 52, cujus verba in Romanum Martyrologium translata sunt ad diem 18 Aprilis, ubi festum martyrii ipsius ponitur, videlicet: *Romæ B. Apollonii senatoris, qui sub Commodo principe, et Perennio præfecto, a servo proditus, quod Christianus esset, jussus, ut rationem fidei suæ redderet, insigne volumen composuit, quod in senatu legit, et nihilominus sententia senatus pro Christo capite truncatus est.* Agunt de eo Beda, Usuardus et Ado eodem die, Equilinus, lib. IV, cap. 62. Incidisse autem sancti Apollonii senatoris martyrium in annum Christi 190 idem Eusebius auctor est in Chronico, tametsi card. Baronius illud rejiciat in annum præcedentem.

A. C. 193. — *Commodus*, etc. Sic Eusebius hoc anno: *Commodus multos nobilium interficit, et spectacula populo Romano præbet insignia.* Consule Orosium lib. VII, cap. 16.

A. C. 195. 1. — *Commodus imperator sceleratus*, etc. In tanta prorupisse scelera Commodum scribit Lampridius in ejus Vita, ut publico populi clamore appellatus fuerit, *Nerone crudelior, et Domitiano impurior.* Sed tandem scelerum suorum meritas luit pœnas in domo Vestiliani strangulatus: sic enim scribit Eusebius in Chronico hoc ipso anno: *Commodus*, inquit, *strangulatur in domo Vestiliani.* Deerat hæc clausula in Dextro Cæsaraugustæ excuso, sed error typographi in pagina correctionum ejusdem impressionis notatus est.

2. *Successit*, etc. De Ælio Pertinaci agunt Romanarum rerum auctores, et ex eis Baronius ad annum 195, ex cujus computu sedit dies tantum 82; sed Eusebius in Chronico inquit regnasse menses sex.

3. *Pertinax*, etc. Hæc sic in Chronico Eusebius annotat: *Pertinax obsecrantem senatum, ut uxorem suam Augustam et filium Cæsarem appellaret, contradixit, sufficere testatus, quod ipse regnaret invitus.* Digna sane non ethnico, sed Christiano principe vox.

4. *Pertinax occiditur*, etc. Et hoc ipsissimis Eusebiani Chronici verbis, scribit Dexter. Consule Orosium lib. VII, c. 16, Xiphilinum, et Eutropium, et Capitolinum.

5. *Severus*, etc. Ælio Pertinaci Didius Salvius Julianus successit, qui menses fere septem imperii rexit habenas, juxta Orosium lib. VII, cap. 16. His diebus arripuerant simul, sciderant potius Romanum imperium Pescenninus Niger in Syria, et Albinus in Britannia; sed tandem Albinus Severo cessit, qui ob memoriam Ælii vocari quoque voluit Pertinax, auctore Spartiano, uti fornix triumphalis Romæ ad radices Capitolii eum nuncupat. Cœpit imperare anno 196 ut Eusebius in Chronico auctor est.

A. C. 197. — *Clemens Alexand.* etc. Corruptissime in Cæsaraugustæ excuso Dextro pro voce *et Panthænus*, Espannensius legebatur: cum tamen omnino Panthænus legendum sit, qui Clementis Alexandrini in litterarum sacrarum interpretatione

A. C. 198. Polycrates, et Bachylius Asiæ provinciæ episcopi clari censentur. A. R. 949.
199. Sub Victore papa gravis de Paschate quæstio exoritur. 950.
200. Judaicum et Samariticum bellum resumptum. Severus imperator Parthos et Adyabenos superavit; Arabesque pene ad internecionem delevit. 951.
202. Severo imperatore, Romæ septizonium et thermæ exstructæ. 953.

BIVARII COMMENTARIUS.

magister fuit. Eusebius in Chronico sic de utroque scribit, anno 197 : *Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, et Panthænus stoicus philosophus in disputatione dogmatis nostri disertissimi habentur.* Præponitur Panthæno Clemens, discipulus magistro, forsan propter scriptorum majorem evidentiam : alias autem Panthænus sanctorum Catalogo ascriptus est, die 7 Julii in Martyrologio Romano sub hæc verba : *Alexandriæ natalis S. Panthæni viri apostolici, et omni scientia adornati ; cui tantum studii et amoris erga verbum Dei fuit, ut etiam ad prædicandum Christi Evangelium gentibus, quæ in Orientis ultimis secessibus reconduntur, fide et devotione succensus profectus sit, ac demum Alexandriam reversus sub Antonino Caracalla* (Severi filio) *in pace quievit.* Hieronymus lib. de Script. Eccles. cap. 46 hæc habet : *Panthænus stoicæ sectæ philosophus, juxta quamdam veterem in Alexandria consuetudinem, ubi a Marco Evangelista semper ecclesiastici fuerunt doctores, tantæ prudentiæ et eruditionis, tam in Scripturis divinis, quam in sæculari litteratura fuit, ut in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis, a Demetrio Alexandriæ episcopo mitteretur : ubi reperit Bartholomæum de duodecim apostolis adventum Domini Jesu juxta Matthæi Evangelium prædicasse, quod Hebraicis litteris scriptum, revertens Alexandriam secum tulit. Hujus multi quidem in sacram Scripturam exstant Commentarii, sed magis vi a voce Ecclesiæ profuit. Docuitque sub Severo principe, et Antonino cognomento Caracalla.* De Clemente vero cap. 48 ejus libri de Script. ait : *Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, Panthæni, de quo supra retulimus, auditor, post ejus mortem Alexandriæ Ecclesiasticam scolam tenuit.* Enarratis autem librorum ab eo scriptorum titulis, subjungit : *Constat Origenem hujus fuisse discipulum. Floruit autem Severi et Antonini filii ejus temporibus.* Iterum de Panthæno multa Eusebius lib. IV Hist., cap. 10, et Hieronymus epist. ad Magnum, Nicephorus lib. 4, cap. 32 et lib. V, c. 10, Beda, Ado et Usuardus die 7 Julii, Equilinus lib. VI, c. 65.

A. C. 198. — *Polycrates*, etc. Corrupte impressus Dexter habebat *Polycarpus*. Eusebius in Chronico hoc anno sic ait : *Polycrates, et Bachylus Asianæ provinciæ episcopi insignes habentur.* D. Hieronymus de Script. Eccles. cap. 54 : *Bachylus*, ait : *Corinthi episcopus, sub eodem quoque Severo principe clarus habitus, de Pascha, ex omnium, qui in Achia erant episcoporum persona, plenum eruditionis librum conscripsit.* De Polycrate vero cap. sequenti : *Polycrates*, inquit, *Ephesiorum episcopus cum cæteris episcopis Asiæ, qui juxta quamdam veterem consuetudinem cum Judæis 14 luna Pascha celebrabant, scripsit adversus Victorem episcopum Romanum epistolam synodicam, in qua docet se apostoli Joannis et veterum auctoritatem sequi.* Adducto autem in medium ejusdem epistolæ fragmento subdit : floruit temporibus Severi principis. Petrus Equilinus agit de Polycrate lib. XI Catal. cap. 16, et de Bachyllo cap. 81.

A. C. 199. — *Sub Victore*, etc. Eusebius in Chronico aliquanto fusius rem hanc prosequitur : *Quæstione*, inquit, *orta inter episcopos, an secundum legem Moysi mensis Pascha observandum esset, Victor Romanæ urbis episcopus, et Narcissus Hierosolymorum, Polycrates quoque et Irenæus, et Bachyllus, plurimique Ecclesiarum pastores, quid eis probabile visum fuerit litteris ediderunt.* Hoc ipso anno Victor concilium congregavit Romæ ejus rei gratia, multaque alia concilia alibi celebrata sunt, alterum videlicet in Galliis, cui præfuit S. Irenæus ; alterum Cæsareæ, cui Theophilus episcopus, cujus meminit Beda lib. de Æquinoctio vernali ; aliud Ponti, cui Palmas episcopus : aliud Corinthi, cui Bachyllus; aliud denique in provincia Osroænorum, de quibus agit Eusebius lib. V Hist. cap. 22. Horum omnium sententia una fuit, S. Pascha celebrandum esse quotannis Dominico die. Adversus hos Polycrates in Asia concilium coëgit, ubi decrevit quartadecima luna sicut Moyses in Lege præceperat, esse celebrandum, cujus dogmatis sectatores Quartadecimani vocati sunt. Sed de re notissima parum dixisse sufficiat. Victoris festa dies agitur in Martyrologiis Rom., Usuardi et aliorum, quinto kal. Augusti, id est, 28 Julii, quo martyrii coronam sub Severo promeruit. Agit de eo sanctus Hieronymus de Scriptor. Eccles. cap. 44, Eusebius lib. V cap. 22, August. epistola 165, Optatus Milevitanus lib. II contra Parmen.

A. C. 200. — 1. *Judaicum*, etc. Card. Baronius qui anno uno, Eusebii perpetuo chronologiam præcedit, bellum Judaicum in annum præcedentem, id est, 199 rejicit; sed Dexter Eusebio consonat; Eusebii autem verba sunt anno Domini 200, *Judaicum et Samariticum bellum ortum vel resumptum.* Agunt de eo bello Dio et Spartianus, meminitque Tertullianus in Apologetico cap. 21. Rebellarant siquidem Judæi vectigalium improba vexatione gravati, et ea de causa Pescennium Nigrum, qui Romanum imperium tyrannizaverat, in Syria peremerunt. Clodius Albinus Pescennium secutus Judæam et Syriam incursavit, sed a Severo ad mortem quæsitus alio aufugit.

2. *Severus*, etc. Putat Baronius Severum imperatorem victoriam reportasse de Parthis, anno Domini 205; sed Eusebius quem perpetuo sequitur Dexter, hoc anno 200 sic ait : *Severus Parthos et Adyabenos superavit, Arabesque interiores ita cecidit, ut regionem eorum Romanam provinciam faceret : ob quæ Parthicus, Arabicus, et Adyabenus cognominatus est.* Exstant Romæ veteres Severi Pertinacis inscriptiones, quibus Parthicus, Arabicus, et Adyabenicus cognominatur. Et Malacæ in Hispania Marti templum exstructum fuit, cujus inscriptio apud Ambr. Moralem hæc est, *Imp. Cæs. L. Septimio Severo, Pio, Pertinaci, Aug. Parthico, Arabico, Adyabeno, Pacatori Orbis et Fundatori Imp. Rom. in honorem ejus Resp. Malac. Templum Marti DD.* Est vero Parthia Mediæ provinciæ contermina, cujus incolæ olim arcu plurimum valuerunt, quo vel fugientes hosti plurimum detrimenti afferebant : pertinacissimi sane Romani nominis hostes, qui Crassum insidiis circumventum cum universo exercitu ad internecionem ceciderunt. Adyabena regio olim Mesopotamia et Asia dicta, in sacris litteris celeberrima, quam Plinius lib. V describit. Straboni lib. XVI Geogr. Adyabeni populi sunt inter Euphratem et Tigrim, eorumque regio orientali lateri Assyriæ adjacet. Arabiam vero quam interiorem vocat Dexter, eam intelligo, quæ alio nomine deserta dicitur, et Mesopotamiæ contermina est. Agit de ea victoria Osorius lib. VII, cap. 17.

A. C. 202. — *Severo*, etc. Eusebius in Chronico sic habet eo ipso anno : *Severo imperante Thermæ Severianæ apud Antiochiam et Romam factæ, et septizonium exstructum.* Lego *septizonium*, quod septem ordinum columnarum ædificium sonat, pro *septizodium*, quod antea legebatur.

A. C. 204. Persecutio in Ecclesiam mota est, in qua Leonides Origenis pater glorioso martyrio coronatur. A. R. 955.

206. Alexander ob confessionem fidei celebratur. 957.

208. Clodio Albino, qui se Cæsarem in Gallia fecerat, apud Lugdunum occiso, Severus bellum movet Britannis. 959.

Carthagine in Hispania, Geta et Plautiano coss.

Gudenes Virgo patitur XV kal. Sextilis [*Al.* Quintilis].

Blitabri prope Segobiam ad juga Carpetana in provincia Tarraconensi S. Auditus martyr 1 Novembris.

S. Andeolus peragratis Galliis et universa Carperania in Hispaniis prædicat ad urbem Nivariam Carpetanorum finibus conjunctam, et sub Severo patitur.

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 204. — *Persecutio*, etc. Idem habet hoc anno Eusebius in Chronico, ubi inquit: *Persecutione in Christianos facta, Leonides Origenis pater gloriosa martyrii morte transfertur.* In lib. vero VI Hist. cap. 2 et 3 refert Origenem 17 annorum adolescentem misisse Leonidi patri in carcerem epistolam in hæc verba: *Obfirma te, Pater, martyrium fortiter sustine, nec aliud quidquam nostra causa molire.* Timebat siquidem ne in gratiam uxoris et filiorum septem, quos relinquebat pauperes et orphanos, mortem perfidia redimeret. Agitur Leonidis festiva quotannis memoria in Martyrologio Rom. ad diem 22 Aprilis, ubi Beda, Ado, Usuardus et cæteri ejus meminerunt. Iterum de ejus martyrio Eusebius lib. VI, cap. 11, Nicephorus lib. V, cap. 2, Hieronymus lib. de Script. in Origene, Suidas et alii. Fuit hæc persecutio sub Severo quinta inter illas quas Ecclesia ab ethnicis passa est, ut Orosius fatetur lib. VII, cap. 17.

A. C. 206. — *Alexander*, etc. Fuit Alexander hic Cæsareæ in Palæstina primum, deinde Hierosolymorum episcopus, S. Narcissi successor; ejusque festa dies a Græcis agitur in Menologio 15 Maii: a Latinis vero 18 Martii, ut apud Bedam, Adonem et Usuardum videre est, et in Rom. Martyrologio hæc de eo habentur: *Cæsareæ in Palæstina natalis B. Alexandri episcopi, qui de Cappadocia ex propria civitate* (id est Cæsarea Cappadociæ) *ubi erat episcopus, sanctorum locorum desiderio Hierosolymam veniens, cum Narcissus ejusdem urbis episcopus jam senex Ecclesiam regeret, divina revelatione ejus gubernacula suscepit: postmodum vero in persecutione Decii, cum longævæ ætatis veneranda canitie præfulgeret, ductus Cæsaream* (Palæstinæ) *et clausus in carcere, ob confessionem Christi martyrium complevit.* Ejus res gestas narrat Eusebius lib. VI Hist. cap. 8 et 32, Niceph. lib. V, cap. 9 et 10, et Hieronymus de Scriptoribus Eccles. cap. 72, ubi de Epistolis ejus ad Antinoitas, ad Antiochenses, ad Origenem, et pro Origene, etc.

A. C. 208.—1. *Clodio Albino*, etc. Consonat hoc anno Eusebius in Chronico, sic inquiens: *C. Albino qui se in Gallia Cæsarem fecerat apud Lugdunum interfecto, Severus in Britannos bellum transfert, ubi ut receptas provincias ab incursione Barbarica faceret securiores, vallum per 132 millia passuum a mari ad mare duxit.* Consule Orosium lib. VII, cap. 17.

2. *Carthagine in Hispania*, etc. Sanctissimæ virginis Gudenis nobile martyrium brevi summa complectuntur Martyrologia omnia iisdem pene verbis, nimirum: *Carthagine S. Gudenis virginis, quæ jussu Rufini proconsulis ob Christi confessionem quater diversis temporibus equulei extensione vexata et ungularum horrenda laceratione cruciata, carceris squalore diu afflicta, novissime gladio cæsa est.* Hæc Romanum Martyrologium, cui Beda, Ado, Usuardus et Equilinus ad verbum consonant, nisi quod pro eo quod Romanum ait, *carceris squalore diu afflicta*, alii, inter quos est Equilinus lib. VI, cap. 112, legunt, *diutius afflicta*; alii vero, ut Usuardus et Galesinus, *diutissime*. Quo videas non solum sævissime, horrendisque cruciatibus fuisse beatissimam Christi virginem afflictatam, sed longo tempore vexatam et cæsam, id quod etiam satis innuitur, cum dicitur non semel, sed quater, idque diversis temporibus, equulei extensione vexata, et ungularum horrenda laceratione cruciata. Qua autem Carthagine occisa fuerit, Africanane an Hispana, quod cæteri prætermiserunt, Dexter exposuit, cum dixit: *Carthagine in Hispania*, ne quis deinceps Africanam eam fuisse putet. Dextro etiam consonat proconsulis nomen, a quo cæsa est, id est, Rufini, constat enim his diebus citeriori Hispaniæ, cujus urbs est Carthago nova, præfuisse Quintum Rufinum Galerium, ut probat, tametsi alio intentus, Ambrosius de Morales lib. IX Hist. Hisp. cap. 35. Gettæ autem et Plancianí consulatus, sub quibus passa dicitur, incidit in annum Christi 205, ut ex Cassiodoro recte probat cardinalis Baronius tom. II Annal. et in Notis ad Roman. Martyr. Anno igitur 205, S. Gudenes Carthaginensis virgo passa est, ponitur autem a Dextro paulo post, eo quod simul memoriam agit omnium martyrum in hac Severi et Commodi persecutione pro Christo passorum. Tandem quod in Dextro excuso dicitur passa XV kal. Quintilis, corrigendum est, omnia enim Martyrologia occisam dicunt XV kal. Augusti, qui Sextilis, non Quintilis dictus est: eo quod a Martio veteris anni capite sextus sit.

3. *Blitabri*, etc. Refert Ambrosius Morus lib. VII Hist. cap. 13, Flaminium Hispaniæ citerioris proconsulem jure belli subegisse urbem Blitabrum, seu Litabrum, Corribilone ejus domino in vincula redacto. Fuit vero Litabrum situm ad Carpetania juga, ut Dexter asseverat, fitque de eo mentio in concilio Toletano II, in epist. 2 Montani archiepiscopi Toletani, ubi simul cum Segovia, et Cauca (hodie *Coca*) nominatur; quare Loaysa in Notis Blitabrum fuisse docet prope Segoviam. Hic igitur pro Christo Domino cervicem dedit S. Auditus, cujus solemniter ævo Dextri celebrabatur festa dies prima Novembris.

4. *S. Andeolus*, etc. In designanda urbe martyrio S. Andeoli insignita non omnes auctores conveniunt; quidam enim Nivariam, seu quod ab ea denominatur Nivariense territorium legunt; alii Vivariam aut Vivarium, et Vivariense territorium: hoc posterius nonnulli codices Martyrologiorum habent, ut in Adone Surii, et Usuardo Molani videre est: illud vero multi alii retinent, ut Petrus episcopus Equilinus lib. IV, cap. 111, et Maurolicus. Cum autem Vivarium oppidum sit Galliæ Narbonensis, quod vulgo *Viviers en Vivarets*, nuncupatur, hinc est quod creditus a multis sit in Galliis occubuisse; quare explicationis gratia addiderunt textui Martyrologiorum, verbum in Galliis, unde in Romano sic legimus 1 Maii: *In Gallis territorio Vivariensi B. Andeoli subdiaconi*, etc.; cui existimationi ansam præbuit, quod apud omnes in confuso sit, S. Andeolum in Galliis prædicasse, missum ab Oriente a S. Polycarpo ejus rei gratia. Quicumque autem retinent lectionem Nivariæ, cum Dextro sentire debent; quandoquidem in

A. C. 208. Lucius Barcinonensis episcopus præest annis quatuor. A. R. 959.

Quintus episcopus Toletanus succedit Patrino, præsidet in sede annis XII.

In Hispania ab apostolicis temporibus frequens imaginum sacrarum usus, et cultus; in quibus apud nos postrema fuit a passione sancti Christophori gigantis imago.

Secundus Astensis floret in Hispania, passus in Bætica, prope flumen Tanagrum, alias vocatum Lethem.

BIVARII COMMENTARIUS.

tota Gallia nulla civitas umquam fuit eo nomine insignita; Antonio autem Nebrissensi et Carolo Stephano in suis dictionariis historicis auctoribus, Nivaria Hispaniæ urbs fuit inter Salmanticam et Compluticam, a perpetua nive, ut credo, cognominata, quemadmodum una ex Fortunatis Insulis, nunc *la Gomera*, olim a perpetua nive Nivaria quoque nuncupata fuit, de qua Plinius lib. VI, cap. 32. Nivaria ergo quæ inter Salmanticam et Compluticam sita fuit, ea proculdubio est, quæ (apud Dextrum) Carpetanorum finibus conjuncta erat, cum constet Carpetanæ provinciæ fines illuc pertinere. Quod vero in Galliis prædicarit, non tollit quin postmodum Hispanias sua prædicatione lustraverit; ibique in urbe Nivaria inter Vettones et Carpetanos populos martyrii coronam acceperit. Standum igitur Dextro, utpote vetustiori omnium auctori, et Nivariæ lectio retinenda.

Sed quanta pro Christi nomine S. Andeolus passus est? Ado ex quo cætera Martyrologia id desumpserunt, hæc habet: *S. Andeoli subdiaconi, quem misit ab Oriente S. Polycarpus cum B. Benigno, et Andochio presbyteris, et Tyrso subdiacono, ad prædicandum verbum Dei in Galliam; cujus prædicatione Cæsar Severus comperta* (dum Andeolus Novariæ Carpetanæ esset) *spinosis fustibus crudelissime flagellatum in carcerem trudi præcepit, et alia die productum, cum videret superari non posse, jussit ad similitudinem gladii de ligno durissimo ensem fieri, et in crucis modum caput ejus scindi; quod cum factum fuisset, eliso in terram cerebro, gloriosa morte translatus est.* Ita fere Martyrologia Romæ, Usuardi et Bedæ, Galesini et Maurolici.

5. *Lucius*, etc. Jure optimo dubitabit aliquis, sitne hic ipse Lucius, quem ante 28 annos, videlicet Christi 180, Dexter dixerat natum Utriculi prope Hispalim, et Romæ præclari ingenii laude floruisse: nam et nomen et tempus consonant.

6. *Quinctius*, etc. Superius ad annum 185 exposuimus, quo pacto intelligendum sit, quod Quinctius Patruino successerit in Toletana sede, cum Turibius inter utrumque mediaverit. Consule quæ ibi dicta sunt. Hoc tamen annotare placet, quod lectiones illas diversas propriorum nominum, quæ in antiquis codicibus ad marginem erant scriptæ, sciolus quispiam in textum ipsum induxit, unde corruptissime in Dextro excuso plerumque duplicatæ lectionis nomina habentur: et hoc præsertim loco, ubi sic habetur: *Quinctus, vel Quinctianus episcopus Toletanus succedit Patruino, vel Paterno*, cum tamen altera lectio in textu, altera ad marginem collocanda esset. Quæ autem earum verior sit, dum alii oppositum demonstrant; probabilius mihi, Quinctium et Patruinum vocatos.

7. *In Hispania*, etc. Sacrarum imaginum usum ab apostolis duxisse originem, multis in Nicæna synodo II probatum est; et a sancto Joanne Damasceno in orationibus de imaginibus. Certum est autem usum et venerationem ipsarum, non minus in Hispania, quam in aliis totius orbis provinciis ab apostolis introductum fuisse; cum ubique eosdem cultus et mores per omnia similes prædicaverint. Consonant his ea quæ ad annum 50 Dexter præmiserat: D. Petrum detulisse imagines sacras ab Antiochia ad Hispanias: et quæ ad eum locum notavimus. Quod de imagine S. Christophori additur, *In quibus apud nos postrema fuit a passione S. Christophori gigantis imago*, corruptum est in codice, et nescio quid sibi velit, postremam esse a passione. Hoc unum certum sit, verba hæc non esse ad tempus de quo nunc agimus referenda, cum S. Christophorus post 50 annos occisus sit sub Decio imperatore; sed per quamdam præoccupationem a Dextro dicta sunt; et cum dicat *apud nos* postremam esse, satis liquet ad tempora ipsius Auctoris esse accommodanda: quasi dixerit celeberrimam suo tempore in Hispaniis fuisse S. Christophori martyris imaginem: quod quidem abunde comprobat usus sacræ ipsius imaginis, qui in omnibus Ecclesiis Hispaniæ semper observatus reperitur: nullum enim antiquum templum est, quod ejus imagine careat. Ex sancto etiam Eulogio lib. II, cap. XI Memorialis Sanctorum, patet Gothorum tempore exstitisse Cordubæ insigne monasterium sancti Christophori martyris, cujus postea nonnulli monachi sub Arabum tyrannide martyrio coronati sunt. In Breviario Toletano S. Isidori exstat pervetustus hymnus, quo S. Christophori acta canuntur. Ejus principium est:

O Beate mundi auctor atque rerum conditor;

ibique Toleti ejus sacras reliquias decenter venerari asseritur. Et quod ad giganteam staturam attinet, quæ a nonnullis ad allegoriam deducta est, hæc habet:

Elegansque statura mente elegantior,
Visu fulgens, corde vibrans, et capillis rutilans,
Ore Christum, corde Christum Christophorus insonat.

Et huic consonant antiqua Hispaniæ Breviaria; in Palentino legitur, *statura procerus, habens terribilem visionem:* in Asturicensi vero, *corpore procerus, vultu terribilis.* Equilinus ex vetustis mss. codicibus lib. VI Catal. c. 135 sic, *vultu terribilis, et procerissimæ staturæ.* Nec de hac re dubitare permittunt reliquiæ quæ in Asturicensi Ecclesia hodieque ejus sancti martyris magno honore venerantur; nam pars mandibulæ molares habet dentes amplitudinis dimidiæ nucis. Ad extremum, fatetur card. Baronius in notis ad diem 25 Julii, quod olim *frequens erat, ac religiosus in Hispaniis Christophori martyris cultus.*

8. *Secundus Astensis*, etc. Duæ olim fuere urbes Astæ nomenclatura insignitæ, altera in Liguria Italiæ provincia, altera vero in Bæticæ Hispaniæ, et utraque notissima apud antiquos scriptores. De Hispanica agit Pomponius lib. III, Ptolomæus in tabula Bæticæ, ab ea æstuarium Astæ denominatum inter sacrum promontorium et Herculeas columnas, nomenque urbis solum remanens, *la mesa de Asta*, veterum sustinet inibi memoriam factorum (consule quæ diximus de sanctis Eutychio et Honorio agentes, ad annum Domini 112). Asta Ligurica hodieque nomen *Asti* servat, inter Januam et Mediolanum. Sed in qua harum pro Christo Secundus martyr Astensis occubuerit, non videntur convenire auctores: nam in Martyrologio Romano die 24 Martii, et in Additionibus Usuardi a Molano in lucem datis solum dicitur, *in urbe Astensi sancti Secundi martyris.* Itali volunt Italum esse, et Astæ Liguriæ obiisse, Dexter autem (si textus corruptus non est) in Bætica ad confluentem Lethis fluvii, qui hodieque *Guadalete* nuncupatur; quod sonat *fluvius Lethæ.* Cæterum si vera sunt, quæ in ejus Vita referuntur, prout exstat apud Petrum Equilinum lib. IV, cap. 12, et apud Mombritium tom. II. Vit. sanctorum, in Vita S. Mar-

A.C.208. Floret Tertulianus Afer filius centurionis proconsularis viri. A. R. 959.
211. Origenes Alexandriæ in studiis omnibus celebratur. 962.
212. Fulta episcopus Barcinonensis ad annos XII. 963.
213. Severus imperator moritur Eboraci in Britannia. 964.
214. Asclepiades episcopus Antiochenus mire floret. 965.
217. Antoninus Thermas suo nomine Romæ ædificat. 968.
218. Antoninus tam inusitatæ libidinis fuit, ut Juliam novercam suam in uxorem ducere decreverit. 969.
219. Antoninus occiditur anno suæ ætatis 44 prope Carras. 970.

BIVARII COMMENTARIUS.

tiani, et quæ leguntur in martyrio SS. Faustini et Jovitæ lib. III Equilini, cap. 127, et S. Caloceri lib. eodem, cap. 208, vehementer suspicor mendum irrepsisse codici Dextri, et pro *Italia* legi *Bætica*. Omnes etenim sancti, quos modo retulimus socii, fuerunt et amici S. Secundi Astensis, et sub eodem judice Sapritio in persecutione Hadriani imperat. martyrii palmas perceperunt: et tamen omnes illi in Liguriæ et aliarum provinciarum Italiæ urbibus passi sunt. Martianus Dertonæ, Faustinus et Jovita Brixiæ, Calocerus Albinguani, quæ urbs Liguriæ est non procul a Monaco, et Secundus Astæ. Consonant quæ Dexter annotat de Tanagro seu Tanaro flumine ad cujus confluentem S. Secundus passus est; hoc enim præterfluit Astam Italiæ, non vero Hispaniæ, et hodie Taner dicitur: *Cum extra civitatem Astensem equitaret, columba super caput Secundi advolans, insedit: et cum ad flumen Tanarum venisset, vidit Secundus angelum super aquam ambulantem, et ipsum in fide confortantem.* Hæc vero contigisse in Italia ex subjectis est manifestum: *Post hæc Secundus Mediolanum ivit, ad quem angelus Faustinum et Jovitam de carcere eduxit.* Et infra: *Rediens autem Secundus cum jam nox esset, et ad ripam Padi venisset, angelus frenum equi ejus accipiens, super aquam illum transvexit, et usque ad Dertonam perduxit, atque ad Martianum in carcerem intromisit.* Et inferius additur: *Et Secundum clauso carcere eduxit, et usque ad Astensem civitatem deductum*, etc. Ubi tandem a Sapritio coronatus est. Accedit quod Astæ Italiæ post multos annos repertum fuit S. Secundi venerandum corpus, ejusque inventionis, et translationis scripta authentica missa fuerunt card. Baronio, ut ipse refert in Notis ad diem 29 Martii. Ac tandem M. Maximus ad calcem sui Chronici sub anno Domini 612 hæc scribit: *Celebratur memoria S. Secundi Astensis in Italia, in urbe Asta Hispaniæ, coloniæ Romanorum, et sub apostolicis temporibus sede episcopali:* quo non solum asseritur Secundus Astensis in Italia passus, sed quod celebrabatur etiam Astæ Hispaniæ eo quod esset Romanorum militum colonia, in memoriam Astæ Italiæ ab ipsis erecta, cujus videlicet erant cives. De ejusdem martyris memoria itidem Astæ Bæticæ conservata, iterum agit Dexter ad annum 300.

Sed quod ait Tanarum seu Tanagrum alias vocari solitum Lethem, constat revera Lethem amnem in Africa esse circa extremum Surtium cornu Berenicem urbem alluentem: verum quoniam terræ hiatu absorptus, et occulto meatu per aliquot lapsus millia circa Berenicem magna aquarum copia erumpit, persuasum fuit accolis ab inferis eum emergere. Sunt tamen et alii ejus nominis fluvii, quos Strabo lib. X et XIV recenset, ut ille qui circa Magnesiam in Asia, et alter in Creta, qui non procul a Gortyne fluit: et in Lusitania Limia, qui ab eodem Strabone et aliis Lethe nuncupatur. De eo agens Pomp. Mela lib. III, cap. 1, ait: *Tagi ostium, Nœbis, Minius, et cui oblivionis cognomen est Limia;* in Bætica autem alius nomen retinet adhuc *Guadalete*, qui *filius Lethe* interpretatur (nam *Guada* Arabum lingua flumen sonat) et Astam veterem rigat. Sed et Tanarum Italiæ olim etiam et vocatum fuisse Lethen oportet asserere; Astenses vero novam in Hispania coloniam construentes, sicut urbi nomen Astæ, sic et flumini Tanagri, aut Tanari, ac Lethis nomen indidisse, in memoriam urbis ac fluminis natalis sui Italici: quod itidem fecisse plerumque Hispanos in orbe novo satis constat.

9. *Floret Tertulianus*, etc. Idem reperire licet in Chronico Eusebii, et Hieronymi ad annum Domini 210. Hieronymus autem lib. de Script., cap. 63, hæc ait: *Tertulianus presbyter nunc demum primus post Victorem et Apollonium Latinorum ponitur, provinciæ Africæ, Civitatis Carthaginensis, patre Centurione proconsulari*, etc. Sed de viro omnibus notissimo, cujus apud omnes auctores multa passim lector reperiet, parum dixisse sufficiat.

A. C. 211. — *Origenes*, etc. Eusebius anno 212 sic habet: *Origenes Alexandriæ studiis eruditur.* De eo Hieronymus lib. de Script. Eccles. c. 64 et alii.

A. C. 212. — *Fulta*, etc. Successit hic Lucio in episcopatu hoc ipso anno; nam superius dixerat Dexter ad annum Christi 208 quod Lucius Barcinonæ sedisset annis quatuor, qui quidem hoc anno 212 completi sunt. Sane Barcinonensium antistitum plerumque meminit Dexter; nec mirum, cum Barcinone patria sua scribens ad manum haberet episcoporum ejus sedis catalogum.

A. C. 213. — *Severus*, etc. Habet eadem verba Eusebii Chronicon hoc ipso anno, concordatque card. Baronius. Sedit annos 17, menses 8, dies 3. Consule Orosium auctoris nostri amicum lib. 7, c. 17.

A. C. 214. — *Asclepiades*, etc. Eusebius in Chronico, et lib. VI, cap. 10 et 15, asserit fuisse novum Antiochenæ sedis episcopum. Hieronymus de Script. Eccles. cap. 48 in Clemente Alexandrino: *Exstat*, inquit, *Alexandri Hierosolymitarum episcopi, qui cum Narcisso postea rexit Ecclesiam, epistola, super ordinatione Asclepiadis confessoris ad Antiochenses congratulantis eis.* Subrogatus fuit Serapioni Antiocheno episcopo, cujus memoria colitur die 29 octobr.; Asclepiadis autem festa dies celebratur in Martyrologiis Romano, Bedæ, Adonis, et Usuardi, 18 Octobris, qua nimirum martyrium passus fuit. Sed de tempore martyrii lis est: Usuardus enim et Ado sub Decio passum volunt, Romanum vero Martyrologium sub Macrino. Cui card. Baronius subscribit, eo quod id ex scriptis Eusebii citatis et Nicephori lib. IV, c. 19, et lib. V, c. 10 et 26, satis deducatur.

A. C. 217. — *Antoninus*, etc. Huic Caracallæ cognomen a vestimenti genere quo utebatur desumptum est auctore Spartiano. Tradit Dio discissam esse vestem, et multis consutam partibus. Consule quæ de Caracalla veste habet Beda lib. I de Gestis Anglorum, cap. 7, dum de sancto Albano scribit. Eusebius in Chronico hoc anno agit de thermis Antonini.

A. C. 218. — *Antoninus*, etc. Sic idem Eusebius anno præsenti: *Antoninus tam impatiens libidinis fuit, ut novercam suam Juliam uxorem duxerit.* Spartianus ejus scelera referens: *Hic tamen*, inquit, *omnium dirissimus, et (ut uno complectar verbo) parricida, et incestus; patris, ac fratris, ac matris inimicus.* Consentit Orosius lib. VII, c. 18.

A. C. 219. — 1. *Antoninus occiditur*, etc. Carræ

A.C. 219. Macrinus creatur imperator. Imperat anno uno. A. R. 970.
220. Circensibus Vulcanaliorum Romæ amphitheatrum incensum. 971.

Exstat quædam epistola, quæ circumfertur ad M. Marcellum Toletanum præsulem, quem vocat filium, et Timotheum, id est, Deo honoratum. Nam alter Timotheus, cum epistola hæc est scripta, jam in vivis esse desierat.

Titus cognomento Justus, episcopus factus, secutus primo S. Paulum, mox Eugenium, prædicat in Carpetania, ubi ejus memoria, magnitudoque miraculorum celebratur. Is Titus converterat ad fidem Plinium Juniorem ex Bithynia, Pontoque

BIVARII COMMENTARIUS.

civitas fuit Mesopotamiæ trans Edessam, Crassi et Romani exercitus olim inibi cæsi, cruore nobilis, cujus meminit Plinius lib. v, c. 24, et Lucanus cum dixit: *Assyrias Latio maculavit sanguine Carras*: Antonini etiam Caracallæ nece insigniores redditæ sunt. Hic enim, ut Rufus consularis scribit, intra Euphratem apud civitatem Edessam periit, cum levandæ vesicæ gratia ex equo descendisset. Occiditur vero a Martiano centurione, opera Macrini, qui tamen ipsum postmodum inter deos retulit, eique templum erexit, et Salios ac sodales assignavit, ut Spartianus auctor est. De ætate qua fuit occisus non convenit inter auctores, nam Dio ad ann. 29 dumtaxat ascendisse scribit, Spartianus ad 43; sed tamen Eusebius 44 ætatis suæ egisse notat in Chronico, inquiens: *Antoninus interficitur inter Edessam et Carras anno ætatis suæ* 44; quod sequitur hoc anno Dexter.

2. *Macrinus*, etc. Gerebat præfecturam prætorii Opilius Macrinus a Cæsarea Mauritaniæ oriundus, quando Caracalla occiso ab exercitu Romano imperator salutatus est cum Diadumeno filio; sed et ipsi post annum occisi sunt, anno scilicet Christi Domini 220. Ita prorsus ex Dione, et Julio Capitolino, ac Eusebio in Chronico convincitur: quibus Orosius subscribit citato cap. 18.

A. C. 220. — 1. *Circensibus*, etc. Habet ipsissima verba Eusebius seu Hieronymus in Chronico hoc ipso anno. Erant Vulcanalia festa Vulcano dicata, Augusti mense fieri solita, ut ex Columella colligitur, lib. xi de Re rustica, cap. 3. Circenses vero ludi, certaminis currulis genus, in honorem consiliorum Dei primum instituti; qua de re videndus est Gellius lib. iii, c. 10.

2. *Exstat quædam epistola*, etc. Cum ad annum Domini 100 de M. Marcello Eugenio incidit sermo, de hac etiam epistola egimus Commentario 2 quam tamen desiderari adhuc, non parvo eruditorum incommodo, cum aliis S. Dionysii Areopagitæ operibus, doluimus; ejus enim procul dubio hæc erat epistola: nec enim aliter S. Eugenium vocaret filium; quo etiam nomine in libris quos ad ipsum sub Timothei cognomine dedit, sæpissime eum nuncupat, ut eo loci probavimus. Meminit vero hoc anno ejus epistolæ, non quod eo tempore scripta sit, sed quia celebris habebatur.

3. *Titus cognomento*, etc. De cognomine *Justi*, quod habuit Titus, exstat celebre in Actis apostol. testimonium, cap. xviii, ubi de Paulo Corinthum adventante dicitur: *Intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi, cujus domus erat conjuncta synagogæ.* Quod ad cætera, quæ hic referuntur de Tito, spectat, Petrus Equilinus episcopus, in cujus opere, velut in totius vetustatis apotheca, immensum mihi thesaurum semper invenio, libr. vii Catal., cap. 118, dum vitam sancti Titi, Pauli apostoli discipuli scribit, illud inter alia narrat, quod *Paulus Titum Cretensem episcopum ordinavit, ipsumque Cretæ dimittens abiit. Post duos autem annos Titus ad Paulum Romam accessit, cum quo et fuit usque ad interfectionem ejus a Nerone: corpusque ipsius una cum Luca Evangelista sepelivit.* De Cretæ pontificatu idem accipimus ab Apostolo in principio Epistolæ, quam ad ipsum Titum dedit: *Hujus rei* (inquit) *gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Quando vero Titum Cretæ reliquerit, non satis constat; videtur tamen probabilius id accidisse, cum a Cæsarea Romam vinctus perduceretur, quod Cæsarem appellasset: tunc siquidem adnavigasse Cretam Lucas comes ipsius auctor est, Act. cap. xxvii, quo loci Paulus voluit hyemare, multo prius tempore inibi peracto. Nam ait: *prohibente nos vento adnavigavimus Cretæ juxta Salmonem, et vix juxta navigantes venimus in locum quemdam, qui vocatur Boniportus, cui juxta erat civitas Thalassa. Multo autem tempore peracto, et cum jam non esset tuta navigatio, et cum aptus portus non esset ad hyemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent devenientes Phœnicen, hyemare, portum Cretæ respicientem ad Africum et ad Corum.* Tunc igitur Titum Cretæ reliquit episcopum, ad quem postmodum litteras dedit, vocans eum ad se, c. iii. Duo vero anni illi de quibus dicit Equilinus, *post duos annos Titus ad Paulum Romam accessit*, illos intelligo, quos Paulus Romæ in vinculis insumpsit: de quibus Act. ult. dicitur, *Mansit autem biennio toto in suo conducto.* Jam vero quod Equilinus addit: *Cum quo* (Paulo) *et fuit usque ad interfectionem ejus a Nerone*, illuc tendit, ut probemus Titum cum Paulo Hispanias adiisse: nam si Titus numquam deinceps post biennium illud, ab Apostolo separatus est, necessum est ut, quocumque Paulus tenderet, tenderet etiam Titus; Paulum vero completo illo biennio Hispanias invisisse, multorum Patrum testimonio in superioribus comprobatum relinquimus, præsertim Chrysostomi, cujus sunt aurea illa verba: *Cum igitur biennium Romæ exegisset in vinculis, tandem dimissus est; deinde in Hispaniam profectus*, etc.; et Theodoreti: *Duobus annis primum Romæ per se degit, habitans in suo conductu; cum autem illinc profectus fuisset in Hispaniam, et illis etiam divinum Evangelium tradidisset, reversus est.* Addit vero Dexter, Titum iterum ad Hispanias reversum in Carpetania cum Eugenio prædicasse. Id vero non leviter deduci potest ex eo quod ad annum Domini 100 Comment. 2 probavimus, S. Dionysium Areopagitam libros suos S. Eugenio Toletano dicasse; eo enim semel, quod tunc præstitimus, stabilito, id quod de Tito intendimus, itidem deducetur. Nam Titum hunc familiarem fuisse illi, cui libri Dionysii dicati sunt, et sæpe ad ejus colloquium admissum, epistola ejusdem Dionysii ad Titum demonstrat, dum ait: *Sanctus quidem Timotheus* (id est, Eugenius), *honestissime Tite, nescio an aliquid scripserim de theologicis signis, cujus ipse ignarus abscesserit*, etc. Insinuat etenim Titum legisse libros, quos Dionysius Eugenio Timotheo dicaverat, eorumque doctrinam alterum alteri ad manus et frequentes collationes communicasse; Titum vero inde occasionem sumpsisse quædam ab eodem Dionysio interrogandi, quæ ipse in epistola illa pertractat. Cum autem Dionysius tunc temporis esset in Gallia, et Eugenius in Carpetania Hispaniæ, consequens est, ut Titus etiam in Carpetania ad tempus prædicaverit.

Sed unde habemus, in Creta Plinium Secundum Juniorem ad fidem perductum opera S. Titi? Ex actis ipsius, quæ Zena legisperitus et Apostoli disci-

A. C. 220. redeuntem, in Creta insula, ubi jussu Trajani Jovi templum erexerat. Nec desunt qui putent septima Sextilis ad Novocomum esse passum. A. R. 971.

222. Vincentius episcopus Toletanus succedit Quinctio Toletano pariter antistiti: præest annis XXIII. Obiit Meviæ. 973.

Hipponæ in Carpetania sancti Christi martyres Cyricus et Julita sub imperatore Alexandro lauream consequuntur.

BIVARII COMMENTARIUS.

pulus, scripsit, refertque Equilinus citato loco, ubi cum Zena cum præmisisset Titum in Cretam, iterum reversum, multos ad Christi fidem perduxisse, ordinasseque presbyteros et diaconos, subdit: *Cum die quadam transiret ante Palatium, quod Secundus proconsul* (is erat Plinius Secundus Junior) *jussu imperatori in Jovis nomine construebat, maledixit illud; et statim opus funditus dissipatum est.* Nonne id dixerat Dexter illis verbis: *Is Titus converterat ad fidem Plinium Juniorem in Creta insula, ubi jussu Trajani Jovi templum erexerat?* Subjiciunt acta: *Tunc Secundus venit ad Titum cum lacrymis rogans, se indemnem ab opere conservari. Cui Titus imposuit, ut opus in nomine unius Dei Christianorum inciperet, et sic opus perficere posset; quod et factum est: completo vero opere, Secundus cum filio suo baptizatus est.* Fuit hic nepos ex sorore C. Plinii Secundi, cujus de Natura Rerum exstant insignes commentarii; ipsius vero Plinii Secundi Junioris exstat liber Epistolarum, et Panegyricus Trajano Cæsari dictus, quo gratias agit consulatus ejus auspiciis adepti. Is etiam Hispanis nonnulla contulit beneficia, nam Quintiliani filiam pauperem dote juvit, et Martialem poetam ab urbe in Hispaniam secedentem, viatico prosecutus est, ut ipse in epistolis testatur. De martyribus sub Trajano passis agit ipse lib. I, epist. 97. Cæterum ipsum tandem Novocomi patria sua martyrium subiisse, inde nonnulli putant haberi, quod die 6 Augusti seu Sextilis cum aliis quinque reperitur in Romano Martyrologio inter alios martyres, quidam nomine *Secundus*, nam in eo sic legimus: *Novocomi passio sanctorum martyrum Carpophori, Exanthi, Cassii, Severini, Secundi, et Licinii, qui in confessione Christi capite truncati sunt.* Meminit ipsorum martyrum Galesinus ex veteribus monumentis Ecclesiæ Mediolanensis, Bergomensis, et Aquileiensis. Ignorarunt sane historiam istam Comenses cives, dum anno Domini 1498 pro foribus ædis B. Virginis sui concivis Junioris Plinii marmori incidi curarunt hujusmodi inscriptionem sine martyris titulo, quam Volaterranus refert lib. 18:

C. Plinio Cæcilio Secundo,
Qui consulatu, auguratu, militiæ gestis,
ac orandis causis, poematibus, et historiis conficiendis,
Cæsare Trajano Augusto luculentissime laudando,
afficiendaque immensa liberalitate patria sua,
eidem immortale contulit ornamentum;
Ordoconiensis concivi suo desiderabili, honore accepto,
monumentum posuit.
M. CCCC. LXXXX. VIII.
Kal. Maii.

Functus eram, sed tum veteri præclarus honore,
Vivebam, perii: nunc quoque vita mihi est.

E latere dextro hujus, memoria exstat alia C. Plinii Secundi Senioris, quam tu, lector, apud eumdem Volaterranum legere poteris.

A. C. 222. — 1. *Vincentius*, etc. Magnus in excuso codice Cæsaraugustano error irrepserat; nam scissura inintelligibili hæc verba truncabantur in hunc modum:

Vincentius episcopus Toletanus succedit Quincto, [*vel Quinctino.*
Toletano pariter antistiti; præest annis 23, *obiit* [*Meviæ.*

A quasi Toletano esset alius antistes a Quinctio; cum tamen eadem sit, unaque sententia ut nos descripsimus in textu. Habetur Vincentii nomen inter archiepiscopos Toletanos, in Catalogo quem dedit Loaysa, sedisseque dicitur post Quinctium, tametsi in anno quo sedem ascenderit, similis intersit error atque in Quinctio, et prædecessoribus; de quo satis suis locis diximus.

2. *Hippone*, etc. Nobilis Hipponensis in Carpetania urbis mentio habetur apud Livium, lib. XXXIX, in hæc verba: *Eodem anno in Hispania, prætores C. Calpurnius et L. Quinctius, cum primo vere ex hibernis copias eductas in Beturia junxissent; in Carpetaniam, ubi hostium castra erant, progressi sunt. Haud procul Hippone et Toleto urbibus, inter pabulatores pugna orta est.* Exstat quoque memoria ejus in Ptolomæi Geographia, ubi tamen corrupte legitur Hispinon, et corruptius Ispinum, prope Liboram et Toletum. Ex situ autem satis liquet esse quam nunc paulo mutato nomine *Hiepes* dicimus, non procul a Toleto et Libora, seu Talabera. Edocendus hac in re est Glabrius in scholiis ad Titi Livii testimonium, dum asserit: *Nemo, quod sciam, in Carpetanis Hipponis meminit.* In Notis vero ad lib. XXV: *Multa sunt* (inquit) *nomina urbium apud hunc auctorem, præsertim Hispanarum, quæ non temere apud alios reperias, corruptis temporum injuria codicibus. Hoc in universum uno verbo dicere volui, ne lector nimium se torqueat; quemadmodum stulto mihi accidit.* Sed parcendum homini extero, et rerum Hispanicarum prorsus ignaro. Agit de Hippone Morales in suis Antiquitatib. Hisp. verbo *Beturia* fol. 101, tametsi se ignorare profiteatur verum locum veteris Hipponis. Fuit in Africa celebris ejus nominis urbs, cui D. Augustinus præfuit.

Cæterum quod ad patriam SS. martyrum Quirici et Julittæ spectat, non una, eademque sententia omnium est; multi enim volunt fuisse ex Iconio Isauriæ civitate, quod in menologio Græcorum legimus, idibus Julii, et nonnulli codices manuscripti habent quos Petrus Equilinus sequitur lib. VI, cap. 101. Hispani autem scriptores Hispanos fuisse contendunt, ut Damianus a Goes eruditus ac nobilis auctor in Hispania sua, quæ in Hispan. illustrata exstat: sequunturque Vasæus in Chronico, et Marinæus Siculus lib. V. Sequitur etiam Primus Cabilonensis in sua Mappa mundi spirituali littera I, dicens: *Iconium civitas Hispaniæ. Hinc fuit Quiricus puer trienis, cum Julitta matre anno Domini* 630, *Julii* 15, *sub Alexandro imperatore martyrium passus.* Igitur corrigendi sunt vetusti codices, et pro eo quod habent *ex Iconio Isauriæ*, legendum est, *ex Hippone Hispaniæ* civitate: ut hoc loco Dexter legit. Jam vero ad Tarsum Ciliciæ sanctos martyres ob persecutionem vitandam confugisse, ita Marinæus intelligit, ut ab Hispania ad Asiam transmigrarint, ait enim: *Ante conspectum denique præsentata præsidis, Julitta, et ab eo requisita cujus esset provinciæ, vel civitatis, et quæ ei proprii cognitio nominis, ita respondit: De Hispaniæ quidem provincia: et de primoribus civitatis Hipponiorum, ad Ciliciæ, tuas de itans persecutiones, loca demigravi: Tharsique sum commorata; et cum sim vere Christiana, mihi nomen est Julitta.* Id tamen ex apocryphis desumptum esse Dexter convincit, qui Hippone in Carpetania, non Tharsi in Cilicia palmas accepisse scribit. Semel vero de Hippone Hispaniæ, Iconio Isauriæ facto, facile fuit Tarsum Ci-

A. C. 224. Antoninus occiditur Romæ in tumultu militari. A. R. 975.

228. Ulpianus jurisconsultus, assessor imperatoris Alexandri insignis, eo tempore nimium floret. 979.

229. Romæ exædificatæ sunt thermæ dictæ Alexandrinæ. 980.

230. Gemianus presbyter Antiochenus, et Hippolytus, et Beryllus episcopus Arabiæ Bostrenus, clari scriptores censentur. 981.

In Lusitania urbe Salaria, quæ urbs imperatoria dicitur, celebrantur egregiis laudibus Gracilianus et Felicissima martyres.

BIVARII COMMENTARIUS.

liciæ adjungere, et fugam cum aliis inibi coagmentatis mendaciis fingere; certe si fugiendum esset Julittæ cum tremulo filio, ab Hippone, potius legerem in codice Tartessum, quam Tarsum, utpote ejusdem Hispaniæ urbem; difficillimum enim esset nobilem ac teneram feminam, cum tenerrimo infantulo tam longum subire iter, ut ab Hispania in Ciliciam pergeret. Facit etiam pro nobis adversorum discordia; quidam enim pro Tarso Ciliciæ habent Antiochiam, ibique occisos fuisse scribunt, quod Usuardus et multi Latinorum sequuntur: quod non leve indicium est, incerta utrosque proæpsisse. Adhæc horum beatorum martyrum corpora in Hispaniis servata sunt, et Quirici pueri in Ecclesia sui nominis Burgensis urbis, Abbatiali infula decorata, cum magno honore requiescit: et multis in urbibus Hispaniæ Ecclesias habet, paululum mutato nomine vocatas, *S. Quirce*, qualis est monasterii Cisterciensium monialium Valisoletanarum.

Quod autem acta quædam habent, corpora SS. Quirici et Julittæ ab Oriente in Gallias adducta fuisse a S. Amatore Altisiodorensi episcopo, ejusdem farinæ est, ac cætera quæ passim inibi miscentur. Constat siquidem Gelasium papam in Romano concilio, cujus decretum exstat dist. 15 cap. Sancta Romana, inter apocrypha rejecisse historiam seu acta SS. Quirici et Julittæ, in quæ quidem ego incidi, dum pervetustum bibliothecæ Nucalensis codicem evolverem. Incipiunt acta, *In illo tempore sub præside Alexandro*, etc. Continent vero horrenda et incredibilia tormenta sanctorum, pueri cum dæmone visibiles conflictus, ac præter ætatis capacitatem colloquia, et responsa; quod matrem titubantem in fide confirmarit, quod septem obeliscos ignitos puero carnifices confinxerint, duos in oculis, duos in auribus, duos in ore, et reliquum in corde, *et facti sunt* (inquit) *tamquam glacies*, et alia præter omnem fidem ac morum ædificationem. De his grave tulit judicium Canus lib. de Locis. Vera tamen historia illa est, quam ex Simeone Metaphraste, et Theodoro quodam episcopo conscriptam, Martyrologium Romanum amplectitur, illis verbis ad diem 16 Junii: *Sanctorum martyrum Quirici et Julittæ matris ejus, sub Diocletiano imperatore: quorum Quiricus triennis puerulus cum matrem quæ ante Alexandrum præsidem nervis durissime cædebatur, implacabili luctu lugeret, ad gradus tribunalis illisus interiit: Julitta vero post dira verbera et gravia tormenta, martyrii sui cursum obtruncatione capitis implevit.* Illud tamen correctione eget, quod sub Diocletiano passi dicantur, cum sub Alexandro imperatore peremptos fuisse sciamus: et quod Alexander præses vocetur, non vero imperator: utrumque Dextro repugnat; utrumque etiam sincerissimæ veritatis historiæ, quam Equilinus ex veteribus codicibus transcribit lib. VI, cap. 101, asserens sub Alexandro imperatore occubuisse, circa annum Domini 230, in quo tamen auctore cum dicuntur Alexandro præsentati, nomine Alexandri imperatoris, legatus ipsius intelligendus est. De inventione ipsorum agemus infra ann. 300.

A. C. 224. — *Antoninus*, etc. Hic ille Antoninus fuit, qui M. Aurelius Antoninus Heliogabalus vocabatur, Antonini Caracallæ filius, Euseb. in Chron. scribit; et ex eo card. Baronius, qui imperasse vult annos 3, mens. 9, dies 4. Ejus impurissimos mores copiose A Lampridius, et Herodianus, lib. V, describunt. Consule Orosium, lib. VII, c. 18.

A. C. 228. — *Ulpianus*, etc. Heliogabalo successerat Alexander, qui doctissimos quosque consiliarios quæsivit, et assumpsit, videlicet Fabium Sabinum sui temporis Catonem nuncupatum, Domitium, Ulpianum jurisperitissimum, Julium Paulum, cl. Venetum et alios Papiniani discipulos. Ulpianus in Christianos infensissimus legem tulit, quæ exstat l. 3. ff. de officio Præsid., l. VII ff. de officio Proconsul., l. IV ff. famil. herciscun. qua severe animadverti voluit in sacrilegos, deos et templa ipsorum spernentes, vetuitque libros propheticos, quos etiam magicos vocat. Agunt de eo hoc ipso anno Eusebius et Isidorus in Chronicis. Præfuit neci S. Quiriaci Ostiensis episcopi et sociorum, quorum memoria agitur die 23 Augusti.

A. C. 229. — *Romæ*, etc. Eusebius hoc anno sic habet: *Thermæ Alexandrinæ Romæ exædificatæ.* De Alexandro inter cætera inquit Lampridius; *Aruspicinæ quoque peritissimus fuit*, ὀρνεοσκόπος *magnus, ut et Vascones, et Hispanorum, et Pannoniorum augures vicerit.*

A. C. 230. — 1. *Gemianus*, etc. Alias vocatus Geminus: de eo Hieronymus, lib. de Script. Eccles., cap. 75, *Geminus*, ait, *Antiochenæ Ecclesiæ presbyter pauca ingenii sui monumenta composuit, florens sub Alexandro principe, et episcopo urbis suæ Zebenno.* De Hippolyto vero cap. 71 hæc inquit: *Hippolytus cujusdam Ecclesiæ episcopus* (*nomen quippe urbis scire non potui*), idcirco etiam a Dextro omittitur, *rationem Paschæ temporumque, canones scripsit, usque ad primum annum Alexandri imperator. et sedecim annorum circulum, quem Græci* ἑκκαιδεκαετηρίδα *vocant, reperit*, etc. Quibus catalogus librorum ejusdem continetur. De Beryllo autem hæc scribit cap. 70: *Beryllus Arabiæ Bostrenus episcopus, cum aliquanto tempore gloriose rexisset Ecclesiam, ad extremum lapsus in hæresim, quæ Christum ante incarnationem negat; ab Origene correptus scripsit varia opuscula, et maxime epistolas, in quibus Origeni gratias egit*, etc. *Claruit sub Alexandro Mammeæ filio, et Maximino, et Gordiano, qui ei in imperium successerunt.* De eisdem tribus Scriptoribus agit hoc anno Eusebius in Chronico, iisdem fere verbis atque Dexter.

2. *In Lusitania*, etc. Tres olim urbes fuere in Hispania *Salaria* nuncupatæ, quarum altera in Oretanis supra Oreton Germanorum sita fuit, altera in Bastetanis ad confinia regni Valentiæ. Utriusque meminit Ptolomæus in tabula Tarraconensis Hispaniæ. Fuit et alia in Lusitania, quæ in codice Ptolomæi Salatia vocitatur, et fuisse dicitur ad littus Oceani infra Barbarium promontorium, non longe ab ostio Callepodii fluminis, quo loci nunc *Setubal* conspicitur. Hic igitur testimonio Dextri, illustre subiere martyrium Gracilianus et Felicissima, quorum celebris est memoria apud Usuardum die 12 Augusti, sub his verbis: *In urbe Phalari passio SS. Graciliani et Felicissimæ virginis, quorum primum ora pro Christo lapidibus contusa, dehinc gladio percussi, optatam martyrii suscepere palmam.* Equilinus libro XI, cap. 130, num. 213, eorumdem meminit inquiens: *Gracilianus et Felicissima virgo in urbe Phalari passi sunt pridie idus Augusti*, id est, die 12 ejusdem. Cæterum mendum irrepsit in

A. C. 234.	Alexander imperator egregie pius in matrem Mammeam.	A. R. 985.
235.	Origenes ex Alexandria ad Cæsaream Palæstinæ abiit.	986.
237.	Alexander imperator occiditur Maguntiaci tumultu militari.	988.
238.	Maximinus miles gregarius sine auctoritate senatus eligitur.	989.
239.	Maximinus in Ecclesiam catholicam persecutionem movet.	990.
240.	Maximinus a Pupieno Aquileiæ in Italia occiditur.	991.
241.	Gordianus eligitur imperator, occisis Pupieno et Gabino Romæ.	992.
243.	Gordianus nimis adolescens Parthorum acies exsuperat	994.
244.	Philippus præfectus prætorio Gordianum prope Romam necat.	995.

BIVARII COMMENTARIUS.

utriusque codicibus, dum pro urbe Salaria, urbem Phalarim habent, quod in causa fuit, ut quidam legerent *Falari in Piceno*, cujus scilicet Plinius meminit libro III, cap. 13; sed cum id minus aliis placeret, pro Falari, seu Phalari, posuerunt *Faleriæ*; quod primus omnium Petrus Galesinus fecisse videtur in suo Martyrologio : sed in Notis solum citat Usuardum, qui tamen non ita scribit; et nihilominus fatetur codices mss. carere urbis nomine. Ei subscripsit card. Baronius, et in Romano Martyrologio de novo scripsit, *Faleriæ in Tuscia passio SS. Graciliani*, etc., non alio motus, quam monumentis Ecclesiæ Castellanæ in Tuscia (ubi sanctorum martyrum pignora servantur) quæ habent Faleriæ, et non Falari, nec Salariæ. Sed vero cum non sit quo probetur illorum monumentorum certam esse et infallibilem lectionem, non possumus Dextri vetustissimum rejicere testimonium. Quinimmo eo ipso, quod sanctorum martyrum corpora minime Faleriæ servantur, sed in ejusdem provinciæ civitate Castellana, satis convincitur, non occubuisse Faleriæ, sed in alia longe posita regione; corpora enim sanctorum non transferuntur facile de loco in locum, nisi ut serventur tutiori, tempore generalis provinciæ devastationis, aut persecutionis : quemadmodum de sanctis Hispaniæ in Sarracenorum clade factum fuit : et tunc etiam credimus translatos fuisse SS. Gracilianum, et Felicissimam ab urbe Lusitaniæ Salaria in Castellanam Tusciæ. Sed vero Hispaniæ Salaria eversa et in oblivionem data, codices mutati sunt, et martyres apud Faleriam occisi crediti, utpote notam civitatem, qui tamen longe admodum positi, Salariæ cœlo nati fuerant. Certe si Faleriæ martyres essent, aliquando a Castellana urbe repetiisset Faleria depositum suum; quod tamen nullatenus fecisse cognoscitur; quinimmo ignoravit semper esse suos. Congaudendum igitur Dextero est, qui lucem in tanta nobis attulit caligine.

A. C. 234. — *Alexander*, etc. Non multum discrepant hæc ab Eusebii verbis, qui in Chronico hoc anno sic habet : *Alexander in matrem Mammeam unice pius fuit, et ob id omnibus amabilis.* Collegia instituit, in quibus Mammenæ puellæ, et Mammeani pueri in memoriam matris alerentur, ut Lampridius scribit anno Urbis 984; ædificavit etiam Mammeum pontem super Anienem fluvium, qui hodieque *Ponte Mammolo* vocatur, tertio ab Urbe lapide : de quo loquitur Cicero lib. de claris Oratoribus. Fuisse vero Mammeam Christianam testatur Orosius lib. VII, cap. 18, inquiens : *Cujus mater Mammea Christiana Origenem presbyterum audire curavit*, quod itidem innuere videtur Hieronymus infra citandus.

A. C. 235. — *Origenes*, etc. Meminit ejusdem itineris Origenis Eusebius hoc anno in Chron. et Hieronymus lib. de Script., c. 64 : *Cum jam*, inquit, *mediæ esset ætatis Origenes, et propter Ecclesias Achaiæ quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiasticæ epistolæ, Athenas per Palæstinam pergeret, a Theoclisto et Alexandro Cæsareæ et Hierosolymorum episcopis presbyter ordinatus*, etc. Et inferius : *Quantæ autem gloriæ fuerit, hinc apparet, quod A Firmilianus Cæsareæ episcopus cum omni Cappadocia eum invitavit, et diu tenuit : sed et illud quod ad Mammeam matrem Alexandri imperatoris religiosam feminam rogatus venit Antiochiam, et summo honore habitus est.*

A. C. 237. — *Alex.* lisdem pene verbis scribitur in Chronico Eusebii, cui Baronius subscribit, dum asserit hoc anno Alexandrum occisum, cum imperasset annos 13, dies 9, occubuisseque Maguntiæ, nobili Germaniæ urbe, quæ Maguntiacum a Cornelio Tacito, Ammiano, Alexandrino, Ptolomæo, Orosio et aliis vocitatur.

A. C. 238. — *Maximinus*, etc. Quod hic dicitur *miles gregarius*, Eusebius latinitate donatus a S. Hieronymo, *ex corpore militari*, exponit, sic enim ait : *Maximinus primus ex corpore militari sine Senatus auctoritate, ab exercitu imperator electus est.* Id vero ex Lampridio et aliis satis constat.

A. C. 239. — *Maximinus in Eccles.*, etc. Eusebius in Chronico hoc ipso anno sic habet : *Maximinus B adversus Ecclesiarum sacerdotes persecutionem facit.* Fuit hæc sexta in ordine earum, quas Ecclesia catholica perpessa fuit, ut ipse fatetur Dexter inferius ad annum Domini 260. Consule Orosium cap. 19, lib. VII.

A. C. 240. — *Maximinus a Pupieno*, etc. Ita quoque scribit Eusebius anno præsenti, a quo multa eorum, quæ ad imperatorum historiam pertinent, Dexter mutuo accepisse conspicitur. Ducebat Pupienus antiquam originem a Gadibus Hispaniæ, ut ex vetustioribus notavit Morales ad annum Christi 239.

A. C. 241. — *Gordianus*, etc. Consonant his, quæ scribunt Julius Capitolinus, Paulus Orosius lib. VII, cap. 19, et Eutropius item lib. VII. Eusebius quoque in Chronico, cujus sunt illa verba : *Gordiano Romam ingresso Pupienus, et Galbinus* (Alias *Balbinus*) *qui imperium arripuerant, in palatio occisi sunt.*

A. C. 243. — *Gordianus*, etc. Id etiam Eusebius testatur hoc ipso anno. Gordianus Saporem Persa- C rum regem vicit, Syria expulit, Antiochiam recepit, Carras et Nisibim subegit; qua de re scribunt Orosius, Capitolinus et Eutropius superius citati.

A. C. 244. — *Philippus*, etc. Nonnulli quos card. Baronius sequitur, sex annos Gordianum imperasse docent, videlicet ab anno Domini 239 quo in Africa imperium arripuit, usque ad 246 quo a Philippo occisus occubuit. Cæterum Dexter solum de Gordiano egit ab ejus electione, quando nimirum sublatis de medio Pupieno et Galbino solus regnare cœpit; incidit autem electio in annum Domini 241. Ejus autem mortem non in annum 246, sed in annum 244 incidisse, præter Dextrum docet Eusebius in Chronico. Erat Philippus prætorio præfectus, cum occidit Gordianum a cæde Parthorum in patriam revertentem; fuitque ad Christi fidem conversus cum filio suo Philippo a S. Pontio martyre, qui ad Gallias postmodum prædicationis gratia profectus, Niciæ martyrium passus fuit. Ascivit autem Philippus in regni consortium filium itidem Philippum dictum D anno Domini 247, ut Eusebius in Chronico annotatum reliquit.

A. C. 245. Pomp. Paulatus, episcopus Toletanus, Vincentio quoque Toletano succedit ; vir eloquens et pius , sedit annos XXXVI. A. R. 996.

246. Oscæ in Vescetania sancti Christi martyres Orentius , et Patientia patres sancti martyris , et archilevitæ Laurentii , Romæ passi ; et S. Orentii confessoris , et episcopi Auxitani. 997.

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 245. — *Pomp. Paulatus*, etc. Successisse Paulatum Vincentio in prima sede Toletana habemus ex Catalogo episcoporum ipsius a Loaysa edito in tomo Concil. Hispaniæ : tametsi ibi non assignentur anni, quibus uterque sedit; ut hoc Dextro deberemus, sicut et nomen Pomponii. Hoc igitur anno 245 mortuum fuisse Vincentium Toletanum antistitem constat, ex eo quod iniit pontificatum anno 222; sedit autem annos 23. Quod vero Dexter superius notavit obiisse Meviæ, idcirco credimus accidisse, quod ob reverentiam S. Vincentii episcopi Mevitani, et insignis ac primi ejus nominis in Hispania martyris, sæpe Meviam invisere consueverit, ut cujus nomenclatura insigniebatur, meritis fulciretur. Egimus de S. Vincentio Mevitano ad annum 100. De Pomponio Paulato addit Maximus in Chronico ann. 612 : *Celebris est memoria Pomponii Paulati Toletani pontificis per Hispanias, ad quem scripsit sanctus Cyprianus Carthaginensis, magnusque fuit usus amicitiæ et consanguinitatis cum Narcisso* (Bracarensi episcopo, de quo postea). De genere autem Paulati hæc subinfert : *Fuit hic apprime nobilis, frater Pomponii Bassi consularis, bis consulis : patruus alterius Pomponii Bassi, etiam consularis.* Habet Cassiodorus Pomponium Bassum iniisse consulatum cum Aurelio Fusco anno Urbis 1010, Christi 259. De Paulato iterum inferius ad annos 285, 286 et 430. Irrepserat codici Dextri hoc loco mendum, quo Pomponius vocaretur Paulatus, vel *Palmatius;* cum tamen Palmatius longe alius pontifex fuerit, qui sedit Toleti post Sintitionem anno 472, de quo M. Maximus in Chronico.

A. C. 246. — *Oscæ*, etc. Fulget hodieque Oscensis urbs in regno Aragoniæ, qua parte olim Ilergetes Vescetanis, sive Autetanis, confines erant : quod fuit in causa, ut Osca quibusdam in Vescetanis vel Autetanis, ut Dextro, nonnullis vero in Ilergetibus, ut Ptolomæo, fuisse videatur. Præstanda potius fides Dextro, qui non longe natus fuit. Hodie *Huesca* nuncupatur, academia perillustri, et sede episcopali ornata ; multo tamen nobilior sanguine civium suorum SS. Orentii et Patientiæ, ac sacris beatorum conjugum pignoribus : et quod gloriam humanam omnem superat, natali magni illius toto orbe martyris celeberrimi, Romanæ Ecclesiæ archilevitæ Laurentii Oscæ siquidem in Vescetania natus est, parentibus sanctis martyribus Orentio et Patientia, fratremque habuit patris sui nomine insignitum, qui in Galliis civitati Auxitanæ episcopus præfuit, et sanctitate clarus, confessoris titulum adeptus, festivis gaudiis celebratur in terris kalendis Maii ; qua die in Martyrologio Usuardi et Romano nomen ejus legitur. Romanum sic habet : *Auscii sancti Orentii episcopi ;* Usuardus paulo locupletius, *Apud civitatem Auscium sancti Orentii episcopi, qui virtutibus ornatus, sancto fine quievisse scribitur.* Agit de eodem Ado in Martyrologio, sed falso putat eum fuisse episcopum Tolosanum. Quod ad Laurentii, et Orentii parentes spectat, nonnulli ipsorum ignorantes martyrium, de eis sub confessorum titulo festum celebrarunt. Dextri vero testimonio constat martyrium passos fuisse anno Domini 246 in persecutione Maximini et Gallieni. Idque Romanum Martyrologium profitetur, quod eisdem Maii kalendis hæc habet : *Oscæ in Hispania sanctorum martyrum Orentii et Patientiæ.* Ubi Cardinalis Baronius ait : *In flore sanctorum Hispaniæ ex veteribus monumentis Oscensis Ecclesiæ, leguntur hi parentes fuisse sancti Laurentii martyris.* Auctor thesauri Concionatorum ad diem 10 Augusti de sancto Laurentio inquit : *Fuit natione Hispanus, ex civitate Oscæ ex regno Aragoniæ, cujus parentes, videlicet Orentius et Patientia sancti fuerunt, de quibus etiam prædicta Ecclesia officium celebrat.* De eisdem agunt Morales, Marieta et alii.

Jam quod ad Laurentium spectat, in Vita sancti Laurentii olim in Ecclesiis legi solita, quam ex vetustissimis mss. codicibus Surius excudit (horum duos in membrana descriptos legi in Vaticana bibliotheca pluteo 27 numeris (ut reor) 1192 et 1194), sic legimus : *Dixitque ei Cæsar, Edic nobis genus tuum? B. Laurentius respondit : Quod ad genus attinet, Hispanus sum, Romæ autem nutritus, et eruditus, atque a cunabulis Christianus, doctus omnem legem sanctam et divinam.* Eadem prorsus verba habet Ado in suo Martyrologio die 10 Augusti. Equilinus vero lib. VII, cap. 43 : *Hic* (inquit) *genere Hispanus et Beati Sixti II discipulus fuit.* Hieronymus Vida in hymno S. Laurentii, cujus initium, *Tantane te juvenum*, sic ait :

Prosequererque tuas non ficto carmine laudes,
Ut genere haud humili terra prognatus Ibera
Parvulus et dulcem patriam, charosque parentes
Liqueris, Italiæ captus florentis amore, *etc.*

Dum vero ad martyrium tenderet :

Ibat ovans, cupidus ceu pactæ it conjugis olim
In thalamos juvenis primæ ad nova gaudia noctis.
Si quando tamen in ripa subsistit amœni
Tibridis, aspectans auras, cœlique profunda
Solis ad occasum versus, Non te amplius, inquit,
Aspiciam, dives regnis Hispania opimis,
Nec vos, o patriæ fluvii charique parentes,
Qui spem forte mei reditus agitatis inanem.

Accubiturum super craticulam dixisse :

Rursus ait, cœlum aspectans, solemque cadentem :
Ardua cœli equitans sol, splendorque alme diei,
Quandoquidem properas te gurgite tingere Ibero,
Quos nunc longinquis Hispania dividit oris, *etc.*

Ac demum in hymno qui incipit, *Huc ades*, etc., Laurentium alloquitur, ut veniat :

Seu Tagus te nunc, patriæque fines
Detinent dulcis, *etc.*

Qua vero occasione Romam adierit, refert S. Vincentius Ferrerius in serm. de eodem martyre, inquiens : *Dico primo, quod B. Laurentius sicut arbor bona in horto sanctæ Ecclesiæ plantata fecit fructum de abstinentia personali, quia semper abstinuit a vitiis et peccatis, et a vanitatibus mundi, in tribus locis : primo in civitate Oscha, secundo in Cæsaraugusta, tertio in Roma. De primo sciendum est, quod ipse fuit de Oscha natus, de magno genere ; et licet in domibus magnorum fuisset nutritus. Secundo abstinuit in Cæsaraugusta, quia quando habuit discretionem, dimissa domo patris abiit ad Cæsaraugustam ad studendum. Tertio ivit Romam; et ecce S. Sixtus papa vadens ad celebrandum concilium Toletanum, fecit transitum per Cæsaraugustam, et audita fama B. Laurentii vocavit eum, et scita sua sanctitate duxit eum secum*, etc. Vincentio autem mire consonat Petrus Rossetus Gallus scriptor, et sui temporis poetarum facile princeps, dum ejus heroico, elegantissimoque carmine Vitam scripsit, sub Laurentiadis nomine ; inter alia vero scripsit :

Talia quærenti posita formidine lethi,
Ocius hæc stabilis reddit Laurentius heros;

A.C.248. S. Melchiades, qui postea fuit Romanus pontifex, in Hispania nascitur. A.R.999.

249. Regnantibus Philippis fuit Romæ millenarius annus, ob quam celebritatem innumerabiles in circo bestiæ occisæ, et ludi theatrales tribus diebus, ac noctibus, populo pervigilante, cum magno apparatu et hilaritate civium Romanorum exhibiti. 1000.

252. Philippus Senior Veronæ, Romæ vero Junior occisus est. 1003.

BIVARII COMMENTARIUS.

Terra mihi primos Hispania præbuit ortus,
Sacrorum antistes fidei dum fœdera nostræ
Ultima in Hesperia Sixtus clamore referret,
Quem nuper gladio insontem pressistis acerbo.
Insignem Christum novi, cultusque salubres
Atque olim sacri laticis caput abluit unda,
Ille huc me puerum postremis duxit ab oris,
Hesperiæ : ætatem pariter regnante Philippo
Egimus. Antistes Sixtus pia Maximus aris
Thura dabat, *etc.*

Idem vero Rossetus in Panegyrico Salazariorum, Tristando Salazario archiepiscopo Senonensi dicato, testatur illustrissimam Salazariorum in Hispania progeniem olim Numantiæ floruisse, et gloriose Romanis restitisse; inde vero in magnam crevisse gentem, habuisseque præ cæteris stirpis suæ filium B. Laurentium:

Præterea ipse Salazaria de gente requiras, *etc.*
Post ingens crevit genus; hinc Laurentius ortus,
Qui prunas in crate tulit.

Sed unde id acceperit, non prodit. Constat vero Salazarios præcipuum semper tutelarem præ cæteris habuisse S. Laurentium, nonnullosque vetustiorum de ejus consanguinitate gloriari.

Nec silendum, quod Marinæus Siculus lib. v refert: *Cujusdam*, ait, *Hispaniæ ducis filium fuisse ferunt, quem dæmon infantulum e cunis in nemus asportaverat; sed B. Sixtus pontifex, cum in eadem provincia prædicaret, sub quadam arbore lauro divinitus inveniens eum, Laurentium vocavit, et diligenti cura nutriri, ac doceri jussit, quem adultum secum Romam perduxit : ubi postea factus pontifex constituit eum archidiaconum.* Lege Vaseum in Chronicis, ut cæteros omittam Hispanicarum rerum scriptores. Quid plura? Mihi dubium non est, quin et Prudentius in hymno sacro meminerit urbis patriæ S. archilevitæ, cum ad calcem illius, Martyrem alloquens, dixit :

Ceu præsto semper adsies,
Tuosque alumnos urbicos,
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.

Nam subdit :

Hos inter, o Christi decus,
Audi et poetam rusticum, *etc.*

Atqui poeta tunc temporis non erat inter Romanos, sed inter Hispanos; nam Paulo ante dixerat :

Nos Vasco Hiberus dividit,
Binis remotos Alpibus.

Sed de re apud omnes compertissima satis hæc dicta sint.

A. C. 248. — *S. Melchiades*, etc. Novum alicui videbitur, quod magnum illum Melchiadem Romanæ, et universalis Ecclesiæ pastorem, quem omnes hactenus Afrum scripsere, Dexter in Hispania natum proferat. Sed aliud est Afrum fuisse origine, aliud vero in Hispania ortum : utrumque vero inferius Dexter fatetur, dum ad annum Domini 299 inquit : *Melchiades genere Afer, in Hispania urbe Mantua Carpetanorum ortus; floret Romæ gloria sanctitatis et doctrinæ.* Quod igitur Melchiades ab Africa originem suam traxerit non negamus : simul tamen asserimus ortum in Hispania fuisse, videlicet Mantuæ, quæ olim nobilis provinciæ Carpetanæ urbs fuit (ut in tabula Tarraconensis Hispaniæ apud Ptolomæum videre est), nunc vero totius caput Hispaniæ, et

A Hispanicæ monarchiæ, a Sarracenis mutato nomine *Madrid* seu Matritum nuncupatur, in quam rem universitas modernorum scriptorum conspirat, tametsi Julianus Petri in suo Chronico reluctetur; loquens enim de obitu S. Isidori Agricolæ recens in numerum sanctorum ascripti, ait : *Anno Domini* 973. *Hoc anno moritur Mageriti* (sic Matritum nuncupat) *quod a quibusdam falso dicitur Mantua Carpetanorum, sanctus Isidorus Agricola, vir pius et charitate fervens,* 28 *Novembris, vivens, mortuusque, miraculis multis celeberrimisque tota Hispania clarus.* Ipse nihilominus Julianus ad annum 245 quod spectat ad Melchiadis patriam omnimodis Dextro subscribit; *Miltiades*, ait, *qui postea fuit papa, nascitur in Hispania* (*sed patribus Africanis*) *apud urbem Mantuam Carpetanorum.* Habemus etiam pro eadem veritate R. P. Alphonsum Chaconium in vita ejusdem pontificis : et eruditum admodum virum, et amicum nostrum Ægidium Gundisalvi Davila regium chronologum, in speciali, quam nuper
B cudit, Madritia historia. Sed ne suspicio aliqua oriri possit ex prædictorum auctorum patria, et ne ob Hispaniæ amorem id scripsisse putentur, cum omnes Hispani sint; dabo etiam pro eadem Gallum auctorem certe gravissimum, et omni suspicione carentem; Primum Cabilonensem episcopum, qui in sua Mappa mundi spirituali, dum de Mantua Carpetana agit, hæc scribit : *Mantua Hispaniæ Tarraconensis mediterranea civitas. Hic Melchiades papa ortus, Romæ sub Maxentio martyr.* Addam et siculum auctorem, ne Italia veritatem hanc siluisse videatur. Is est Franciscus Maurolicus in topographia Christi martyrum suo Martyrologio subjuncta, ubi verba Primi Cabilonensis refert, et amplectitur. Fuisse inter Hispaniam et Africam olim frequentem admodum navigationem et communicationem multa sunt quæ convincant; nam ab urbe Hispaniæ Legionensi in Africam abductus S. Marcellus centurio, martyrium passus fuit Cæsareæ Mauritanæ : a Cæsarea
C vero eadem sancti martyres Felix, et Cucuphas Hispaniam adeuntes Gerundæ pro Christo necati sunt. S. Paschasius cum sociis Salmanticæ natus, in Africa sub Genserico rege Ariano cervices obtulit. Mitto S. Fulgentium Ruspensem antistitem in Africa. Toleti tamen in Hispania natum : de quo suo loco cum M. Maximo Dextri continuatore dicturi sumus. Mitto causam Felicis et Basilidis Hispanorum, quæ a S. Cypriano Carthaginensi agitata est; et magnos illos Augustini discipulos Paulum Orosium, Eucharium presbyterum, Hectorem Ferrandum et alios, quoniam inferius de eis acturi sumus. Dum tamen illud certum sit, et omnibus probetur, multos ex Africa olim in Hispaniam commigrasse, sive commercii gratia, sive alterius negotii, quod inter vicinas provincias mutuam civium translationem causare potest : inter alios autem, non minoris notæ, fuisse sancti Melchiadis parentes, qui Mantuam Carpetanorum profecti, tanti filii nativitate donati fue-
D runt.

A. C. 249. — *Regnantibus Philippis*, etc. Peculiari Dei providentia effectum est, ut Roma millenarium conditionis suæ sub Christianis principibus celebraret. Qua de re lege cardinalem Baronium tomo II, et Eusebium in Chronico, qui pene eisdem verbis atque Dexter, rem istam narrat. Lege etiam acta S. Pontii martyris apud Surium tomo VII die 14 Maii.

A. C. 252. — 1. *Philippus*, etc. Refert Eusebiu

A. C. 252. Decius in Pannonia inferiore, Eudaliæ natus imperat. A. R. 1003.
In odium Philipporum Christianorum Decius persecutionem movet.
Antonius post monachorum patriarcha in Ægypto nascitur.
Hoc tempore Romæ amphitheatrum flammis exustum est.
255. Romæ in Ecclesia Romana Fabiano succedit Cornelius. 1006.
Felix presbyter Vallatæ urbicuæ in Vaccæis, scribit ad Cyprianum Carthaginensem episcopum, in causa Basilidis Asturicensis episcopi, illumque de maximis accusat criminibus.

BIVARII COMMENTARIUS.

mortem Philipporum in annum sequentem : Equilinus vero inter martyres utrumque Philippum recensendum putat libro XI, cap. 92, eo quod a Decio, quem ipsi Cæsarem constituerant, in odium fidei Christianæ necati sint. Cum enim Decius ex Galliis victor Romam rediret, Philippus Senior Veronam usque honoris causa, ei occurrit; Decius vero indignum asserens Romanos deos ab imperatoribus despici, ac vilipendi, quibusdam ad defectionem reductis, de consensu illorum, imperatorem in stratu suo quiescentem crudeliter trucidavit; Veronaque discessit, ac Romæ alterum Philippum pari nequitia et dolo tenuit, et in Christi confessione necavit. Vide quæ de re hac latius prosequitur auctor : ubi de thesauris, quæ Romanæ Ecclesiæ dono dederunt, agit, quæ postmodum S. Laurentio palmam attulere. In Regia Toletana exstat hæc Philipporum memoria : *Imp. Cæs. M. Julio, Philippo, Pio, Fel. Aug. Trib. pot. PP. consuli. Toletani devotissimi Numini, majestatique ejus, DD.* Hæc vero Ulisipponæ : *Imperatori Cæs. Julio Philippo, Pio, Fel. Aug. Pont. Max. Trib. pot.* II. *PP. Cons.* III. *Fel. Jul. Olisippo.* Notavit in his solerter Ambr. Morales posteriorem Olisipponensem memoriam Philippo jam Christiano erectam, quod in ea ablatum sit verbum illud, *Numini majestatique ejus*, quæ in priori Toletana, et fere in ceteris gentilium imp. inscriptionibus poni solebat.

2. *Decius*, etc. De successione Decii in imperio Philipporum, lege cardinalem Baronium, et quotquot Romanorum res attigerunt, Eusebium quoque in Chronico Dextro verba præbentem anno Domini 254. Vocabatur Q. Herennius, Ethruscus, Mesius, Decius, ut ex lapide Valentiæ in Hispania Morales notat.

3. *In odium*, etc. Idem pariter in Chronico Eusebii videre est anno 254. Fuit hæc sævissima persecutio in ordine septima earum quas Ecclesia ab ethnicis passa est, ut communis fert opinio, et asseverat Dexter paulo inferius ad annum 260. Lege Equilinum, lib. II, cap. 92.

4. *Antonius*, etc. Hoc etiam ex Eusebii Chronico mutuatum est. Cæterum natum fuisse hoc anno 253, inde deducitur, quod obiisse constat anno 21 imperii Constantii, videlicet Christi 358, ut Hieronymus in Chronico docet; cum Antonius quintum et centesimum annum ageret; ipso Hieronymo auctore in lib. de Script. Eccles. in Antonio : et Athanasio magno in ejus vita.

5. *Hoc tempore*, etc. Ita quoque Eusebius habet in Chronico.

A. C. 255. —1. *Romæ in Ecclesia*, etc. Sederat S. Fabianus papa in pontificatu annos 14, menses 11, dies 11, qui coronam martyrii tulit anno 254. Vacavit sedes anno uno; quo fit ut S. Cornelius, qui Fabiano sufficitur, anno 255 ordinatus fuerit. Card. Baronius vult ejus electionem incidisse in annum 254. Sed jam superius monstratum a nobis est, hunc auctorem anno uno perpetuo fere dissentire a Chronographia Eusebii et Dextri. De prædecessoribus S. Fabiani consule Catalogum Dextri inferius ad ann. Domini 260, num. 3.

2. *Felix*, etc. Magnam ac frequentem communicationem Ecclesiarum Hispanæ et Africanæ, tempore S. Cypriani, causa Basilidis Asturicensis, et Martialis Emeritensis episcoporum, satis superque manifestat. Flagrante Decii persecutione duo prædicti episcopi, metu perterriti instantis necis, idolis gentium (proh dolor!) immolant, collegia et convivia ethnicorum frequentant, in blasphemiæ crimen ruunt; ac tandem mortuos Christianos (quod minime licebat) cum mortuis gentilium communibus sepulcris sepeliunt. Hac de causa a clero et plebibus suis deponuntur, et catholici hac strenui fidei pugiles Felix, et Sabinus in eorum sedes provehuntur : et pro approbatione electionum ac depositionum istarum ad Ecclesiam Africanam mittuntur noviter electi Sabinus et Felix, cum litteris alterius Felicis presbyteri, et plebium Legionensis et Asturicensis, atque Ælii diaconi et plebis Emeritensis. Cum Carthaginem magnam Africæ urbem adventassent, S. Cyprianus ejus sedis tunc temporis episcopus metropolitanus triginta quinque alios antistites accersiri fecit; hisque omnibus in unum convenientibus, et provinciale concilium ea de causa celebrantibus, epistolæ Felicis presbyteri, ac trium Hispaniæ Ecclesiarum apertæ sunt, et publice coram omnibus lectæ : et re mature considerata, Basilidem et Martialem jure optimo depositos, Felicem autem et Sabinum canonice electos fuisse judicatum est : atque ex nomine omnium episcoporum concilii communes litteræ responsive datæ sunt ad Felicem presbyterum, et tres prædictas plebes Hispaniæ. Exstant hujusmodi litteræ apud Cyprianum lib. I, epist. 4, alias in editione Pamelii epist. 68, quibus tota hæc historia continetur.

Hinc ab errore illo facile liberabimur, quo innumeri irretiti existimarunt, in causa Basilidis et Martialis, dedisse speciales litteras ad episcopos Africæ, Felicem quemdam episcopum Cæsaraugustanum. Moventur vero quod legant in codicibus impressis Cypriani, hæc verba : *Utque alius Felix, de Cæsaraugusta, fidei cultor et defensor veritatis litteris suis significat; Basilides et Martialis nefando idololatriæ libello contaminati sunt.* Ita inter alios sensit Martinus Carrillo abbas Montaragonensis, in Catalogo Antistitum Cæsaraugustanorum Carali impresso anno 1611 ubi asserit : *Anno Domini* 255, *S. Felix episcopus Cæsaraugustanus. Hunc S. Cyprianus fidei cultorem, ac veritatis appellat defensorem.* Idque Murillus in historia Cæsaraugustæ sectatus est : et alii rerum Aragoniæ scriptores. Sed quod magis miror est, doctos pariter ac circumspectos viros Ambrosium Moralem, et Cæsarem Baronium idem sensisse : illum quidem lib. IX, c. 45, ad annum 255; hunc vero tomo II Annal., anno 258. *His quoque*, ait Baronius, *et suas privatas* (litteras) *in eadem causa scriptas addidit S. Felix Cæsaraugustanus episcopus, de quo hæc præclare idem S. Cyprianus : Felix de Cæsaraugusta*, etc. Sed in primis quidquid sit de lectione illa, *Felix de Cæsaraugusta*, de qua statim; gratis omnino, et absque fundamento Felix ille asseritur episcopus Cæsaraugustanus, qui nusquam episcopus fuit : quandoquidem omnes prædicti auctores nullibi præterquam in hac Cypriani epistola memoriam ejus reperiunt : ex ea vero si attente legatur, minime habetur quod episcopus sit : nam solum dicitur : *Felix de Cæsaraugusta fidei cultor, ac defensor veritatis suis litteris significat*, etc. Ubi nihil prorsus de episcopatu reperitur; quin potius in epistola eadem nuncupatur expresse *presbyter*, quod miror non

A.C.255. In hoc tempore in urbe Belsinia in Carpetania, prope Bellicam, et nunc Cuminaria dicitur, Numia-varia Veneris sacerdos, mulier præstantissima opibus, et auctoritate floret. A.R.1006.

Item hoc eodem tempore (licet alii sub imperatore Pio Aurelio malint) in Hispania apud Turbulam Batestanorum, in populis Marsis S. Victoria, aufugiens Roma ad

BIVARII COMMENTARIUS.

attendisse tot viros doctos. Sed ubinam requires? Sane in epistolæ aditu, et inscriptione, dicitur enim: *Cæcilius Cyprianus, Primus, Polycarpus, et cæteri,* omnes numero 36. *Felici presbytero, et plebibus consistentibus ad Legionem, et Asturicæ. Item: Ælio diacono, et plebi Emeritæ consistentibus fratribus in Domino salutem. Cum in unum convenissemus, legimus litteras vestras, fratres charissimi, quas ad nos per Felicem et Sabinum coepiscopos nostros, pro fidei vestræ integritate et pro Dei amore, fecistis*, etc. Ubi vides, primum omnium a concilio illo Carthaginensi 36 episcoporum, rescribi *Felici*, non quidem episcopo, sed *presbytero:* deinde plebibus Legionensi et Asturicensi, ac demum Ælio diacono Emeritensi, et plebi ejusdem Ecclesiæ. Nec negabit quis ideo litteras has datas fuisse Felici presbytero, et plebibus Legionensi et Asturicensi, quia S. Cyprianus, et Patres ejus concilii litteras ab ipsis acceperant: et quod omnes illi, qui concilio scripserant, in causa Basilidis et Martialis, nominati fuerint in capite epistolæ; nam dicitur: *Legimus litteras vestras, quas ad nos fecistis.* Quare cum inferius dicitur: *Quapropter cum sicut scripsistis, fratres charissimi* (scilicet plebes Asturicæ, Legionis, et Emeritæ), *et ut Felix, et Sabinus collegæ nostri asseverant* (scilicet verbotenus, utpote episcopi illarum litterarum latores, de quibus in principio dixerant consilii Patres; Legimus litteras vestras, quas ad nos per Felicem et Sabinum coepiscopos nostros, pro fidei vestræ integritate fecistis), *utque alius Felix de Cæsaraugusta fidei cultor, et defensor veritatis litteris suis significat*, etc. Cum, inquam, hæc dicit, proculdubio de illo Felice loquitur, qui litteras synodo scripserat, et eapropter ipsi nunc rescribitur, cum dicitur: *Felici presbytero et plebibus*, etc. Presbyter igitur erat et non episcopus. Nolim vero confundi a quibusdam cum Felice illo episcopo, qui cum Sabino pariter episcopo lator fuit litterarum Felicis presbyteri, et plebium Legionensis et Asturicensis, etc.; satis enim a Cypriano distinguuntur.

Quod autem spectat ad nomen Ecclesiæ cujus erat presbyter, corruptissime in codicibus Cypriani legitur *Cæsaraugusta*, cum legendum sit *Vallata Urbicua*, ut Dexter habet; erat enim parva urbs, ideo *Urbicua* dicta, aut quia ad confluentem Urbicui fluminis sita erat: *Vallata* tamen et muris non leviter cincta; utpote quam olim Fulvius Flaccus citerioris Hispaniæ prætor debellare agressus obsedit, ut ex Tito Livio, lib. XL, refert Morales lib VII, cap. 18, tametsi ignoret ipse ubinam fuerit. Certe non longe ab Asturica sitam satis ostendit Urbici fluminis nomen (hodie *Orbigo* dictum) quod ab Urbica Vallata acceptum est, vel eidem nomen indidit (ejus meminit Carolus Stephanus in suo Dictionario littera V) ut reor; nunc *Vaneza*, seu forte *Puente de Orbigo* est. Nam et Antoninus imperator in suo Itinerario, Vallatam collocat XVI millibus passuum, seu quinque leucis ab Asturica distantem versus Orientem: ut videre est apud ipsum in itinere ab Asturica Tarraconem et in itinere ab Asturica Burdigalam: qui tamen situs est ille, quem nunc Vaneza obtinet. Consonat etiam id rei de qua agebatur, quæ erat causa Basilidis Asturicæ episcopi; hunc siquidem accusare debebat Asturicensis territorii presbyter, nam Cæsaraugustanus longe distans ægre poterat peccata illius ad unguem callere; et se illi viriliter opponere; præsertim magnæ illius persecutionis tempore, quam Decius in Ecclesiam movebat. Ipse etiam Cyprianus in capite epistolæ sicut Ælium diaconum adjungit plebi Emeritensi, utpote contra Martialem episcopum suum scribentem; ita quoque Felicem presbyterum adjungit Asturicensi et Legionensi plebibus, eo quod contra Basilidem episcopum Asturicensem scriberet; ait enim, *Felici presbytero, et plebibus consistentibus ad Legionem et Asturicæ*, innuens Felicem hunc territorii Asturicensis esse presbyterum. Vide, quæso, lector, a quantis nos tenebris eruat Dexter.

3. *In hoc tempore in urbe Belsinia*, etc. Plinius, lib. XIX, cap. VIII, auctor est, olim Carpetaniam tum copia, tum probitate cuminorum celebrem fuisse, unde Cuminarium Vicum exstitisse, quo loci nunc eorumdem cuminorum feracissima existit Villa, *Sancta Cruz de la Zarza*, prope *Voles*. Sensit eruditus Aurelius de Frias, vir de Hispaniæ antiquitatibus vestigandis optime meritus, ut refert Morales lib. IX, cap. 34. Congruit situs Itinerarii Antoniani, ubi in itinere ab Emerita Cæsaraugustam per Lusitaniam XVIII millibus passuum ante Titulciam, quæ est *Vayona de Aranuez*, collocatur vicus Cuminarius: ubi nunc Sancta Crux sita est. Cæterum Cuminaria de qua Dexter, nequit esse *Sancta Cruz de la Zarza*, cum illa sita fuerit prope Belsiniam, seu Belsinum, hodie *Borja* nuncupatam, teste Villanova in notis ad Ptolomæi tabulas geographicas. Corrupte in codice impresso Dextri scribitur *Vestinia*. Erant quidem Vestini in Italia populi, Sabinis, et Picentibus vicini, de quorum laudatissimis caseis Martialis lib. XIII:

> Si sine carne voles jentacula sumere frugi,
> Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

De eisdem agit Plinius lib. III, cap. 5. In Hispania vero Belsinos, non Vestinos legimus. Non longe a Belsinia erat Bellica, quæ in tabulis Villænovæ falso legitur Tullica; eamque existimo, quam modo *Belillam* dicimus, cymbalo miraculose sæpe pulsato magnorum eventuum portento, celebrem: nam tam Belsinia quam Bellica, non longe a Turiasona a Ptolomæo collocantur. Plinius Bellicam municipium Cæsaraugustanæ jurisdictionis asserit. Differt vero Dexter a Ptolomæo, quod ille in Carpetania, hic vero in Celtiberia utramque urbem constituat. Qua in re Dextro assentiendum, utpote Hispano auctori de rebus Hispaniæ scribenti. Fuitque Ptolomæo facilis deceptionis ansa, quod Carpetania Celtibericæ proxima sit, et termini utriusque non facile assignari queant.

Hæc de urbibus hoc loco assignatis. Quæ autem esset mulier illa Veneris sacerdos, de qua loquitur Dexter, cum inquirerem; occurrit Lucilla præpotens et pecuniosissima femina, quæ in Ecclesiam Carthaginensem Majorinum intrusit contra Cæcilianum, de qua agunt Augustinus lib. I contra Parmen cap. 3, et contra Gresconium lib. III, cap. 27, 28 et 29, et Optatus Milevitanus lib. I contra Parmen. Favetque quod in Numidiæ provincia illa degebat; hæc vero Numia Varia dicitur, nescio an corrupte *Numia* pro *Numida*, femina, quæ Varia vocaretur, aut pro Numidia, ubi illa vitam degebat. Sed quod illa nunc in Hispania, nunc in Numidia esset, non est unde omnino conjiciam, nec quare ejus majori cognitione multum discruciemur.

4. *Item hoc eodem tempore*, etc. Celebris admodum virgo hæc beatissima fuit apud antiquos, ejusque vitam eleganti carmine cecinit Althelmus Occidenta-

A. C. 255. Hispanias, ubi prædia erant ejus sponsi, venit; postque tempus aliquod, 23 die A. R. 1006.
Decembris, virginitatis lauream martyrii laude pro Christi fide passa egregie cumulat.

In Lusitania urbe Vectonum Valentia passi sunt sancti Christi martyres Felix, Fortunatus, et Achilæus a S. Irenæo missi ad prædicandum contra hæreticos Gnosticos 23 Aprilis.

BIVARII COMMENTARIUS.

lium Saxonum episcopus lib. II de Laude Virginitatis, quem Surius in tomum VI transtulit ad diem 23 Decembris, ejusdem virginis natalem. Satis de ea scribit Adon, idemque apud Equilinum legimus lib. I, cap. 83. Romæ quidem orta, et Eugenio Pagano desponsata, a sorore sua S. Anatholia ad virginitatem servandam adducta est visione angeli prænonita. Cum vero nubere nollet, Eugenius timens, ne bona ipsius confiscarentur, si publice Christianam accusaret, egit cum Decio imperatore, ut extra urbem in exsilium mitteretur ad prædia sua. Idipsum Anatholiæ contigit, quæ Tito Aurelio nobili Romano desponsata erat. Eo tempore occiso immanissimo dracone Turbulanam urbem ad Christum convertit, et virginitatis centesimum fructum disseminans chorum 73 virginum aggregavit; quibus multa doctrinæ et miraculorum gratia illustrata præfuit; quousque Eugenio sponso machinante, martyrii coronam accepit, corde gladio percusso, ut habet Usuardus, et Romanum Martyrologium ipso die 23 Decembris.

Atque in his omnes consentiunt: in designando autem loco et provincia, ubi S. Victoria martyrium passa est, non minima est dissensio. Nam Equilinus, cui multi recentiorum subscripsere, scribit in Tibulana civitate XVI lapide ab urbe Roma accidisse, cui accedit quod in populis Marsis passa dicatur, qui tamen in Italia fuere, non in Hispania. Cæterum Dexter ab his dissentiens, Turbulæ in Bastetanis Tarraconensibus accidisse contendit; id quod mihi verisimillimum facit Althelmus, qui Tribulam urbem legit, dum ait:

Interea Romam linquens Victoria virgo,
Exsul in exsilium Tribulanæ ducitur urbis.

Quod certe nomen propius ad Turbulam accedit, quam ad Tibullim, præterquam quod nomen Italicæ urbis priscum et germanum Tibur fuit, non Tibuli, ut vulgo recentiori vocabulo nuncupatur, quod apud omnes probatos auctores videre est. Sane Turbula Ptolomæo teste in Bastetanis Tarraconensibus Hispaniæ sita fuit, eo loco quo nunc *Tervel* visitur. Fallitur sine dubio Villanovanus dum contendit Tervel fuisse *Thyarjuliam*, non vero Turbulam; constat siquidem ex suismet antiquæ Hispaniæ tabulis Thyarjuliam non longe a Tarracone sitam fuisse, et mari fere proximam: cum tamen Tervel distet a Tarracone leucas plus 40, et a mari ad 24, qua videlicet positione Turbula exstitit. Nec obest, quod dicatur S. Victoria Romana ad prædia sponsi deducta, ut præterea existimetur prope Romam locum prædiorum fuisse; quippe cum Romani Ilispania subjugata prædia etiam illius possiderent.

Pari modo accidit nomen urbis S. Anatholiæ sororis Victoriæ quærentibus. In Adonis manuscriptis codicibus legitur passa in civitate Thyro, et similiter in excuso; cujus verba sunt: 7 *idus Julii in civitate Thyro passio sanctorum Anatholiæ et Audacis sub Decio imperatore: quorum Anatholia Christi virgo diversis generibus plagarum vexata, novissime gladio transverberata est in oratione. Audax quoque in custodiam datus, nec mora capitali sententia coronatur.* Cæterum cum crederetur in Italia occisa, pro Thyro a nonnullis lectum est Thyre, et ab aliis Thurium, et in Romano Martyrologio additum est ad lacum Vulsinum, ut ita in Tuscia passa assereretur. Tandem card. Baronius relatione et hortatu Curtii Franci Canonici S. Petri, verbum illud, *in civitate Thyre ad Lacum Vulsinum*, abrasit, et ejus loco scripsit, *in civitate Thora ad lacum Velinum*; quasi liberum sit unicuique sanctam Anatholiam huc illucque movere. Crediderim potius, quod ex ejus historia colligitur, non longe a sancta Victoria occubuisse in urbe *Tyar*, Ilercaonum Tarraconensis Hispaniæ, a qua Thuria, fluvius nomen videtur accepisse, qui Valentiam præterfluit. Unde in actis S. Anatholiæ legitur Thurium.

Quando vero S. Victoria apud Dextrum, et S. Anatholia apud Equilinum dicuntur passæ in populis Marsis, non intelligendum est de illis populis qui specialiter Marsi, nuncupati sunt, et Samnitibus (nunc Abrutio) vicini erant in regno Neapolitano, ubi namque nec Thyre, neque Thora, neque Thurium existunt; sed quicumque serpentum morsu infestatis salvia sua medebantur, Marsi dici solebant; ut inter alios Carolus Sthephanus in Dictionario notavit, aut saltem illi qui cum serpentibus bellum gerebant, quales eos fuisse constat, quos Victoria et Anatholia ad Christum converterunt, magnis quibusdam serpentibus necatis atque in eo sensu accipi debere satis constat ex Althelmo, cujus illa sunt:

Nec non et Marsum, qui torvam carmine dypsam
(*hoc est, serpentem*)
Efferet, ardebat, sanctos et belva lacertos
Dentibus horrendis, et rictu rodat aperto;
Curavit subito, disrumpens vincla Chelidri.

Et rursus:

Qui prius in spira Marsum sinuarat inertem,
Idcirco cursim pergebat credere Christo,
Agnoscens propriam tanta virtute salutem.

Quod Romanum Martyrologium de S. Victoria agens præmittit, *Romæ S. Victoriæ*, etc., certum est non idcirco dici *Romæ*, quod inibi passa sit, cum constet apud omnes alibi quam Romæ passam fuisse; sed quia inibi festa dies agitur civi Romanæ.

5. *In Lusitania*, etc. Sanctorum Felicis et sociorum acta exstant apud Surium tomo II, 23 Aprilis, qua die Usuardus et Romanum Martyrologium breviter eorum acta perstringunt, his verbis: *Civitate Valentia natalis sanctorum Felicis presbyteri, Fortunati, et Achillei diaconorum, qui cum maximam partem supradictæ urbis ad fidem Christi convertissent, a duce Cornelio in carcerem trusi sunt; deinde diutissime verberati, cruribusque confractis circa vertiginem rotarum astricti, fumum quoque in equulei suspensione perpessi, ad extremum gladio consummati sunt.* His Beda et Ado ac cæteri consentiunt. Illud vero valde controversum est, quæ sit illa urbs *Valentia*, sanctorum sanguine decorata; multi namque Galliæ urbem fuisse docent, et ita in Romano Martyrologio scriptum est, nec mirum cum in Usuardo quoque et Adone idem reperiatur. Dexter vero Ilispaniæ fuisse contendit; idque multis aliis placuit, præsertim episcopo Equilino lib. IV, cap. 83, ubi inquit: *Felix presbyter, Fortunatus et Achilleus diaconi, et martyres a S. Irenæo episcopo Lugdunensi ad urbem Valentiam quæ est civitas Hispaniæ ad prædicandum missi*, etc. Idem legitur in Chronica regis Alphonsi, et subscribunt graves auctores, Joannes Vassæus in Chronico ad annum Domini 200, Beuterus, qui affirmat Setavi in regno Valentiæ exstare templum horum sanctorum martyrum, et a civibus velut ipsorum apostolos venerari, et Laurentius Padilla. Et verisimiliter deducitur ex iis quæ superius diximus S. Irenæum libros suos contra Gnosticorum hæreses scripisse ad

A. C. 255. Pestilens morbus multas provincias orbis miserabiliter infecit, maxime Alexandriam, A. R. 1006.
et Ægyptum : ex Dionysii Cyprianique de mortalitate justo volumine scripto.
256. Lucius papa tenet, regitque Ecclesiam Romanam. 1007.
Gallus et Volusianus profecti contra Æmilianum necantur.
257. Valerianus in Rhetia ab exercitu fit imperator. 1008.
259. Cyprianus primum Carthagine rhetor, mox presbyter, postremo Carthaginensis episcopus, martyrio consecratur. 1010.
260. Mota in Christianos persecutione, Valerianus a Sapore, rege Persarum, captus, miserabilem servit servitutem. 1011.
Vianæ in Gallæcia prope Tudem Civitatem passi sunt sancti martyres Theophilus,

BIVARII COMMENTARIUS.

Toletanum episcopum, ut haberent Hispani, quid Gnosticis objicerent, qui suos fines intraverant.

In eumdem itaque finem discipulos suos Irenæus ad prædicandum misit in Hispaniam. Servantur quoque ipsorum sacra corpora non in Gallia, sed in Hispania in monasterio S. Georgii de Azueolo ordinis S. Benedicti in regno Navarræ, prout testatur Yepius centuria 6 Chronici Benedictini ad annum 1052, cap. 10. Sed cum in ea multæ fuerint urbes eodem Valentiæ nomine nuncupatæ, non omnibus de urbe Valentia a sancto Felice et sociis illustrata, una eademque mens fuit. Beuterus et alii quidam volunt, ut illa sit quæ speciale regno Valentiæ nomen dat : Dexter autem ut in populis Vettonibus fuerit, non in Tarraconensi, sed in Lusitania, quæ nunc *Valentia de Alcantara* dicitur. Est et alia prope Tudem in Gallæcia, quædam prope Bilbao, et alia, quæ alias Coyanca, nunc *Valentia de Don Juan* nuncupatur, de quibus in præsenti sermo non est, sed de ea quæ in Vettonibus exstat.

6. *Pestilens morbus*, etc. De pestilentia his diebus in orbem grassante egere Orosius lib. VII, cap. 71, Nyssenus in oratione de Gregorio Thaumaturgo, Eusebius lib. VII, cap. 17, et in Chronico anno Domini 255, S. Pontius in Vita S. Cypriani : et ex ethnicis Eutropius in Gallo, et Volusiano. Scripsit ejus occasione librum de mortalitate S. Cyprianus, et Dionysius Alexandrinus litteras de eadem re, quas Eusebius affert, citato cap. 17. Cœpit morbus serpere in Æthiopia, et inde per totum orbem dilatatus est, duravitque annos 10.

A. C. 256. — 1. *Lucius*, etc. Nonnulli pontificatum S. Lucii, qui S. Cornelio successit, cœpisse volunt ab anno 253, et terminum accepisse anno 255 die 4 Martii, qua a Martyrologiis celebratur : alii vero quibus Baronius subscribit, cœpisse ab anno 255, 14 Septembris, qua Cornelius martyrio sublatus est usque ad annum 257, die 4 Martii. Hos cum Dextro sentire constat, qui anno 256 Lucium rexisse Ecclesiam docet ; at non asserit tunc temporis pontificatum iniisse, aut absolvisse.

2. *Gallus et Volusianus*, etc. Fusius aliquanto hæc prosequitur Eusebius in Chronico : *Gallus et Volusianus*, ait, *cum adversus Æmilianum, qui in Mysia res novas moliebatur, ex urbe profecti essent, in foro Flaminii, sive, ut alii putant, Interamnæ interfecti sunt.* De eisdem Eutropius ubi supra. Quo tempore autem imperarunt, arripuerat Hispanias Hostilianus, cujus memoria perseverat Valentiæ marmori incisa, ubi nuncupatur *C. Valens, Hostilianus, Messius, Quincius.*

A. C. 257. — *Valerianus*, etc. Ita etiam Eusebius in Chronico, et pene eisdem verbis.

A. C. 259. — *Cyprianus*, etc. De vero anno mortis S. Cypriani non una omnium mens est : Pamelius quem Baronius sequitur, existimat martyrio laureatum anno Domini 261, eo quod in quibusdam actis martyrii ejusdem occisus dicatur, Fusco et Basso coss., quorum consulatus in eum annum incidit : et quia Cyprianus ipse supervixit S. Xisto II pontifici, utpote cujus martyrium narrat epistola ad Successum (in editione Pamelii num. 82), quem tamen asserunt produxisse vitam in pontificatu usque ad dictum annum 261. Cæterum alii antiquiores martyrium S. Cypriani in annum 259 rejiciunt, ut Eusebius in Chronico, qui cum Dextro in verbis etiam consentit : idemque S. Hieronymus sensisse, credendus est, cujus in rebus Latinorum majori ex parte Chronicon illud est. Huic accedit, quod Onuphrius, Morales, Tempesta et alii communi satis consensu docent S. Xistum martyrio sublatum fuisse hoc ipso anno 259, die Aug. 6 ; et tamen omnes fatentur S. Cyprianum solum supervixisse Xisto ad 40 dies, qui a die martyrii istius ad 14 Septemb. diem, videlicet martyrii Cypriani, intercedunt. Quod de consulatu Fusci et Bassi adducitur, obesse non potest, nam acta illa usque ad Pamelii editionem cognita non erant, nec constat de eorum auctoritate ; et ut minimum tanta non est, ut sententiæ tantorum virorum præjudicare possit. Quod si in cæteris consonant passioni a S. Pontio diacono scripta in iis audienda sunt ; quo tamen non obstante ab aliquo sciolo addi potuit consulatus. Sed de his satis. De fama S. Cypriani Hispanias replente agit Dexter inferius ad annum 285.

A. C. 260. — 1. *Mota*, etc. Eusebius in Chronico hoc ipso anno pene eisdem verbis : *Valerianus*, inquit, *in Christianos persecutione commota, statim a Sapore, Persarum rege, capitur, ibique servitute miserabili consenescit.* Agunt de hoc mirabili Dei judicio Trebellius Pollio, Aurelius Victor, Eutropius, et Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. VII, cap. 9. Quinimmo Constantinus Magnus imperat. in oratione ad sanctum Cœtum : *Quia tu, Valeriane*, ait, *eamdem crudelitatem in Dei famulos ostendens justum sanctumque Dei judicium ante oculos omnium statuisti ; dum captivus prehensus eras, et vinctus ducebaris, purpura et reliquo apparatu regio indutus, tandem a Sapore, rege Persarum, jussus excoriari, saleque conditus sempiternum tui infortunii tropæum ante omnium oculos statuisti.* Captus quidem fuit proditione Macriani ducis dum contra Persas Romanum duceret exercitum.

2. *Vianæ in Gallæcia*, etc. Exstat ejus nominis urbs in Portugallia, ad Oceanum sita, et exterarum nationum commercio celebris : ad septentrionem autem ejusdem, antiquioris Vianæ ruinæ visuntur supra montem, de qua hoc loco scribit Dexter. Ejusdem etiam olim meminisse Festum Rufum Avienum, cujus opera in bibliotheca de Sculiari mss. exstant, affirmat Sandovalius Tudensis episcopus in libro de Episcopis Tudensibus fol. 45, dum agit de sanctis martyribus Saturnino, Theophilo, et Revocata. Agunt de eisdem martyribus Martyrologium Romanum, Galesinus, Additiones Usuardi apud Molanum die 6 Februarii, sed sine nomine urbis. Romanum ait, *Eodem die SS. martyrum Saturnini, Theophili, et Revocatæ.* Baronius notat consentire his etiam vetera manuscripta. Petrus Equilinus lib. XI, cap. 130, num. 52, inquit : *Saturninus, Theophilus et Revocata martyres eodem passi sunt die.* Fallitur Galesinus dum præmittit nomen *Romæ*, inquiens,

A. C. 260. Saturninus, et Revocata virgo, sub Julio Minervio, in persecutione imperatoris Valeriani, quæ septima est eademque quæ sub Decio : sexta vero sub Maximino Cæsare, anno a natali Domini CCXXXIX. A. R. 1011.

In sede Petri succedit Zephirino Callistus, Callisto autem urbanus, urbano Calpurnius Pontianus, Pontiano Anteros, Antero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus. Stephano autem Xistus, Xisto vero S. Dionysius.

Sub Xisto patitur Romæ Laurentius Oscensis Hispanus.

Toleti sub Xisti papæ legato concilium contractum est.

263. S. Celerina in Lusitania, abneptis L. Pompeii Celerini, quæ exceptis in Portu Senensi S. Torpetis sub Nerone martyris sacris reliquiis, fuit egregia Christi martyr..... 1014.

BIVARII COMMENTARIUS.

Romæ item sanctorum martyrum Saturnini, etc. Sed huic auctori mos est Romæ ascribere, quos ex Romano Martyrologio sanctos sibi legit, ut in multis aliis quorum urbes in Romano reticentur videre est.

Persecutionem Valeriani eamdem dicit Dexter, quæ sub Decio cœpta est, atque adeo septimam ordine : alii tamen quibus diversa videtur, octavam nuncupant. Certe Hieronymus lib. de Script. in Methodio, et in vita Pauli primi Eremitæ, et Optatus lib. 3 unam eamdemque asserunt sub Decio et Valeriano; qua de re lege Baronium in notis Romani Martyrologii ad 10 Augusti lit. *b*. Quæ in textu sequuntur de sexta sub Maximino, videlicet ortam fuisse anno 239, corrupta nimis erant in codice Dextri impresso; ibi enim legebatur: *Anno a Natali Domini ducentesimo trigesimo, Septembris secunda;* cum tamen omnino legendum sit, *anno a Natali Domini* 239 ; nam Dexter ipse id in superioribus fatetur.

3. *In sede Petri*, etc. Instituit hoc loco seriem Romanorum pontificum ab anno 199, quo de Victore Zepherini prædecessore egerat usque ad Dionysium, qui his temporibus regebat Ecclesiam: consonat vero series hæc omnimodis his quas cæteri auctores conficiunt Vitas Summorum Pontificum describentes, quos consulas velim, nam de re facili, et certa nihil scribere libuit.

4. *Sub Xisto*, etc. Non est sensus, quod hoc anno 260 martyrio coronatus sit S. Laurentius, sed cum de S. Xisto mentio fieret, ejus occasione de sancto Laurentio scriptum est. Neque enim dicit: *Hoc anno patitur*, vel absolute, *Patitur S. Laurentius*, etc., sed, *sub Xisto patitur*, etc., ut hæc verba superioribus sic conjungantur, *Xisto vero S. Dionysius. Sub Xisto patitur S. Laurentius*, etc.; et similiter sequentia : *Toleti sub Xisti papæ legato Concilium contractum est.* Nam eo ipso quod hæc sub Xisto facta sunt, fit, ut ante annum 260 acciderint. Quod vero dicitur Laurentius passus sub Xisto, ita intelligi oportet, ut sub ejus episcopatu ante successoris electionem occisus fuerit; non tamen quod illius vita durante Laurentius vitam cum morte commutaverit. Vide etiam a Dextro definitum, Laurentium sub Valeriano passum, non sub Decio, in quo multi hallucinati multa scripsere. Sed de ea re abunde satis, ac subtiliter scripsit card. Baronius in Notis ad 10 Aug. Romani Martyrologii, ubi Catalogum conficit eorum qui S. Laurentii martyris laudes cecinerunt: quas ut notissimas prætermitto. Consule quæ de ejus parentibus scripsimus in superioribus ad annum 248, ubi de concilio illo Toletano ex auctoritate S. Vincentii Ferrerii et aliorum nonnulla notavimus.

A. C. 263. — *Sancta Celerina*, etc. Subintelligi oportet, aut forsan in codice deest, *floret miraculorum gloria*, aut quid simile, cum enim in textu vixisse dicatur Neronis tempore, manifestum est, nequaquam esse referendam ejus mortem ad hæc tempora, scilicet ad annum Domini 263, sed memoriam et gloriam miraculorum ipsius. Celebris est A memoria S. Celerinæ in Vita S. Torpetis, quam habet Mombritius tom. II, et Rabanus in Martyrologio IV kal. Aprilis ejus conversionem et acta fuse prosequitur. Equilinus lib. v, cap. 8, post narrationem martyrii S. Torpetis, apud Pisas Tusciæ urbem, subjungit: *Ejus corpus in navicula cariosa cum cane et gallo in mare exponitur, ut vel a bestiis roderetur, vel in mare mergeretur; angelo tamen duce navicula ad Hispaniam devenit. Et a senatrice Christiana Celerina nomine, quæ regni dimidium obtinebat, in somnis divinitus admonita, corpus sancti reperitur in portu qui dicitur Sinos: et juxta littus honorifice sepelitur* XVI *kalend. Junii. Ubi postmodum Ecclesia desuper suo nomine fabricatur. Festum ejus die ipsius depositionis ibidem celebratur.* De sanctitate vero Celerinæ hæc habet Galesinus in Martyrologio, die 17 Maii : *In Hispania sanctæ Celerinæ, quæ illius provinciæ regina* (regulam seu senatricem intelligo) *studio inflammata Christianæ religionis, cum alta pie egit, tum regiis apibus templum* B *mirifico opere exædificatum B. Torpetis martyris nomine Deo dicatum, perpetuum suæ pietatis monumentum, reliquit.* Præmiserat : *Pisis in Tuscia S. Torpetis, cujus dies natalis* III *kal. Maii, hoc autem die translatio quæ in Hispaniam admirabiliter, eo ipso anno, quo martyrium obiit, facta est, celebratur.* In Notis vero asserit passum fuisse anno Domini 64. Dexter præter Celerinæ pietatem, martyrio tandem obiisse annotat; estque satis verisimile, quod nobilis mulier, quæ tam publice Christianam fidem profitebatur, urgente Neronis persecutione, ad supplicium raperetur, quandoquidem nulli parcebatur Christiano, et multo minus nobilibus, utpote qui fidem promovere poterant.

Quod ad nomen Celerinæ spectat, fuisse olim in Gallæcia supra Gronnicos, et Braccaras, quosdam populos qui Celerini nuncupabantur, auctores sunt Plinius lib. 3, et Ptolomæus in tabula Hispaniæ Tarraconensis, qui asserit eos ad Avum fluvium (hodie *Avia* dictum) habitasse. Dicta propterea videtur Celerina ab L. Pompeio Celerino, cujus erat abneptis, sic dicto, ut credo, a perdomitis Celerinis. Fuisse vero Pompeiorum stirpem in Hispania illud convincit, quod Plinius de Sexto Pompeio narrat, quod nimirum cum Hispaniæ citerioris princeps existens horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua, levatusque siccatis pedibus mirabili modo, eo postea remedio usus est. Primus Pompeiorum qui in Hispaniam trajecit fuit Q. Pompeius contra Numantinos missus, ab eisque superatus turpem et ignominiosam pacem fecit, ut refert Florus lib. II. Ejus nepos fuit Cn. Pompeius Magnus, qui contra Sertorium in Hispaniam profectus Metelli copiis sese conjunxit, eumque cum tota factione sustulit. Cujus filius Cn. item Pompeius apud Mundam Hispaniæ urbem terrestri prælio superatus fuit. Pompeiorum igitur fausta proles S. Celerina fuit, quæ reliquias S. Torpetis Sinis excepit. Exstat hodieque in Lusitania oppidum D ipsum, nomen antiquum retinens, ad oram maris Oceani, portu et piscatione satis celebre.

A. C. 268. Calydonio [*Al* Caledonio, *seu* Caldonio] Bracarensi, ad quem scribit S. Cyprianus, A. R. 1019. succedit Narcissus.

Gallienus imperator corruptissimus exstitit : quo imperante, Germani Ravennam usque pervenerunt.

Germani, vastatis Galliis, in Italiam iterum venerunt.

Tarraconæ in Hispania sancti Christi martyres Eulogius ejus urbis civis, Fructuosus civis et episcopus, et Augurius una pro Christi nomine martyrium passi sunt.

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 268 — 1. *Calydonio*, etc. Exstant ejus litteræ ad S. Cyprianum scriptæ inter epistolas hujus num. 19, alias lib. v, epist. 15, quibus zelus ejus erga catholicam fidem satis enitet, tenoris sequentis; agit in eis de lapsis a se reconciliatis : *Cypriano et compresbyteris Carthagine consistentibus, Calydonius salutem. Necessitas temporum facit, ut non temere pacem demus : sed oportebat vobis scribere, quoniam ii qui posteaquam sacrificaverunt, iterato tentati extorres sunt facti, videntur mihi abluisse prius delictum, dum possessiones et domos dimittunt, et pœnitentiam agentes Christum sequuntur. Ergo Felix, qui presbyterium subministrabat sub Decimo, proximus, mihi vicinus (plenius cognovi eumdem Felicem) et Victoria conjux ejus, et Lucius fideles extorres facti, reliquerunt possessiones, quas nunc fiscus tenet; sed et seu per se, seu per eosdem mulier nomine Bona, quæ tracta est a marito ad sacrificandum, quæ conscia non commissi, sed quia tenentes manus ejus ipsi sacrificabant, sic ipsa cœpit dicere contra : Non feci, vos fecistis, sic ipsa extorris facta est. Cum ergo universi pacem peterent, dicentes : Recuperavimus fidem quam amiseramus, pœnitentiam agentes, et Christum publice sumus confessi; quamvis mihi videantur pacem debere accipere, tamen ad consultum vestrum eos dimisi, ne videar aliquid temere præsumere. Si quid ergo ex communi consilio placuerit, scribite mihi. Salutate nostros, vos nostri : opto vos felicissimos bene valere.*

Rescripsit ad interrogata Calydonio Cyprianus, et tametsi non exstet ipsum rescriptum, meminit tamen ejusdem Cyprianus ipse in epistola 20, inquiens : *Sed et quid mihi Calydonius collega pro integritate fidei suæ scripserit, quidve ego scripserim, utrumque ad vos legendum transmisi.* Insuper cum Novatus schismaticus insurgeret in Ecclesiam, missus fuit Calydonius ad montes contra ipsum, ut constat ex epist. Cypriani 38 : in epistola vero 39 continetur sententia quam adversus quosdam lapsos tulit, missa ad Herculanum et socios, videlicet : *Abstinuimus communicatione Felicissimum, et Augendum, item Repostum de extorribus, et Irenem Rutilorum, et Paulam Sarcinatricem, quod ex annotatione mea scire debetis. Item abstinuimus Sophronium, et ipsum de extorribus, Soliassum Burdinarium*, etc. Denique tanti factus est Calydonius, quod orto Romæ novo schismate Novatiani contra S. Cornelium in Ecclesia Romana, missus fuit ad illud sedandum cum Fortunato episcopo, ut ex litteris Cypriani constat 42 et 45. Neque vero quis existimet, ex eo quod tam familiaris Cypriano fuerit Calydonius, inferri posse contra Dextrum, ipsum in Africa fuisse episcopum, non Braccaræ in Hispania (nam de episcopatu ipsius dubitari nequit, cum a Cypriano epist. 20 vocetur *collega* suus) : multam etenim Hispanos antistites amicitiam et familiaritatem cum Cypriano et Africanis habuisse superius in causa Basilidis monstravimus, et iterum suo loco in Orosio, et aliis ostendemus. Quamquam eo etiam dato, quod vivente Cypriano Calydonius esset episcopus in Africa, fieri potuit, ut promoveretur inde ad sedem Braccarensem, post litteras a Cypriano scriptas : præsertim si, ut erat zelo fidei ipse repletus, ad Hispanias prædicandi gratia accessit, quod tum in aliis sæpe, tum in ejus successore S. Narcisso videmus ; qui A Braccarensis existens episcopus in Rhetia nihilominus prædicavit, inde ad Hispanias regressus, Gerundæ martyrium passus est. De eo iterum inferius agendum nobis est ad annum 277, quo fuit suo sanguine laureatus. Solum adverterim hoc loco ab anno præsenti 268, quo Calydonio successisse dicitur, usque ad 277, quo in persecutione Aureliani necatus occubuit, intercessisse decem tantum annos; ne quis putet discrepantiam temporis Narcissi obstare potuisse episcopatui Braccarensi, a Dextro asserto. Porro Caledonium episcopum fuisse Braccarensem, scripsisseque S. Petri Ratistensis vitam, primi scilicet ejusdem sedis episcopi, ac S. Jacobi discipuli, liquet omnino ex epistola Hugonis episcopi Portucallensis ad Mauritium Braccarensem, quam inter Dextri elogia dedimus ubi fragmentum ejus vitæ continetur.

2 *Gallienus*, etc. Ejus tanta fuit in acceptis cladibus patientia, ut in his etiam jocari consueverit (in tantam abierat morum corruptionem) : nam cum B accepisset Ægyptum ab imperio Romano descivisse, *Quid enim*, inquit, *sine lino Ægyptio esse non possumus?* Perdita Gallia ridens, *Et non est*, inquit, *tuta Respublica sine trabeatis sagis?* Asia Alemanorum, et Scytarum incursionibus vastata, *Quid*, inquit, *sine Aphonitis esse non possumus?* De his cladibus late agit Orosius, qui lib. VII, cap. 22, inter alia multa hæc ait : *Solvuntur repente undique permissu Dei, ad hoc circumpositæ, relictæque gentes, laxatisque habenis in omnes Romanos fines invehuntur. Germani Alpibus Rhetia, totaque Italia penetrata Ravennam usque perveniunt* (en Germanorum in Italiam irruptionem, de qua hoc loco disserit Dexter) : *Alemani Gallias pervagantes, etiam in Italiam transeunt.* Hoc etiam asserit Dexter num. 3 : *Germani vestatis*, etc. Erant Alemani Germanorum quædam portio occidentalior ad Rhenum degens, unde commode in Gallias, et in Italiam transire potuerunt. Germani vero orientalior natio, prope Asiam facilem in ipsam Asiam, et C in Italiam usque Ravennam transitum habebant. De eisdem cladibus lege Eusebium in Chronic. ad ann. 264, qui tamen ad annum 266 subdit : *Germanis Hispanias tenentibus Tarracon expugnata est.* Qua de re Orosius loco citato hæc ait : *Germani ulteriores abrasa potiuntur Hispania*; et post pauca : *Exstant adhuc per diversas provincias in magnarum urbium ruinis parvæ et pauperes ædes, signa miseriarum, et nominum indicia servantes; ex quibus nos quoque in Hispania Tarraconem nostram ad consolationem miseriæ recentis ostendimus.* De his iterum Dexter ad annum 424.

3. *Germani*, etc. Consule notationem præcedentem.

4. *Tarraconæ*, etc. Celeberrimum fuit SS. Fructuosi, Augurii, et Eulogii martyrium, non solum in Hispania, sed etiam in Africa, et ubique fere terrarum, ut S. Augustinus demonstrat in serm. 101 de diversis in eorum solemnitate habito. Horum acta anotariis accepta et publica fide probata exstant in D antiquissimis manuscriptis codicibus, et ex eis apud Surium tomo I, et apud Baronium tomo II Annal. ad ann. 262, et Monbritium tomo I; eademque olim Prudentius speciali hymno celebravit in Peristephano, cujus initium est,

Felix Tarraco, Fructuose vestris, *etc*,

A. C. 268. In imperio Gallienum præcessit Valerianus, hunc Decius, Decium Philippi, pater et filius primi christiani Cæsares : hi Gordianum, Gordianus Balbinum, Balbinus Maximinum, Maximinus Alexandrum : hunc Macrinus, hunc Caracalla, Caracallam Aurelius, Aurelium Severus, Severum in imperio præcessit Antoninus. A. R. 1019.

Uxamæ Barchæ in Autrigonibus Hispaniæ populis, S. Fortanus insignis Christi martyr, et 28 cum eo.

Ambratiæ in Lusitania S. Epitecti [*Vel* Epictriti] ejusdem civitatis civis et pontificis, et martyris Christi florea memoria.

BIVARII COMMENTARIUS.

Et breviter ea perstrinxerunt in suis Martyrologiis Beda, Ado, Usuardus, et Romanum, cujus illa sunt verba, 21 Januarii, *Tarraconæ in Hispania, sanctorum Fructuosi episcopi, Augurii, et Eulogii diaconorum, qui tempore Gallieni primo in carcerem trusi, deinde flammis injecti; exustis vinculis, manibus in modum crucis expansis, orantes martyrium compleverunt : in quorum die natali S. Augustinus sermonem ad populum habuit.* Conveniunt omnes auctores et Martyrologia nunc allata, martyrium complevisse sub Gallieno imperatore; et Prudentius consentit inquiens :

Damnes, si sapias, anile dogma :
Jussum est Cæsaris ore Gallieni,
Quod princeps colit, hoc colamus omnes.

Primus quoque Cabilonensis in sua Mappa mundi spirituali, verbo *Tarracon*, inquit: *Tarracon Hispaniæ Tarraconensis civitas; hic Fructuosus episcopus, Augurius et Eulogius diaconi, sub Æmiliano præside, imperante Gallieno, martyres.* Legi in Breviario vetere Salmantino acta eorum martyrum, quæ per omnia consonant his quæ Surius evulgavit; fiebatque de eis olim festum in Breviario S. Isidori, cum officio proprio et hymno Prudentii. Mirabilis sane fuit constantia S. Fructuosi episcopi, quem cum lictores apprehenderent sine calceis, nihil immutatus respondit ; *Eamus, aut si vultis, calceo me.* Postmodum ut discalceatus intraret rogum, et Augustalis lictor vellet eum discalceare. *Ego*, ait, *me discalceo: fortis, et gaudens et certus de Dominica promissione.* Ipsius ac sociorum animas apertum cœlum ovantes intrare ex astantibus viderunt non pauci. Fuit et alius Fructuosus in Hispania Segoviensis civis, nunc patronus, qui circa annum Domini 690 floruit, cujus festa dies Segoviæ agitur 25 Octobris. Sed et S. Fructuosus Bracarensis episcopus, qui interfuit concilio Toletano x, celebratur Bracaræ 16 Aprilis, quo die in Rom. Martyrologio memoratur. Illud denique animadverterim soli Dextro Tarraconenses cives debere, quod asserat SS. Eulogium, et Fructuosum concives fuisse suos; nemo enim alius, quem viderim, natalis soli illorum meminit.

2. *In imperio*, etc. Quod in Romanis pontificibus fecerat ad annum 260, nunc in Romanis imperatoribus facit; id est, seriem eorum conficere tredecim imperatorum : et tametsi illorum omnium speciatim suis locis meminerit, nunc per epilogum successionem perpetuam ipsorum enarrat, a recentioribus ad præcessores procedens. Desunt vero nonnulli transcribentium incuria, ut par est credere, nimirum inter Valerianum et Decium desunt Gallus et Volusianus, et Æmilianus; et cum Balbino scribendi erant Maximus et Pupienus : inter Alexandrum et Macrinum desunt Diadumenus, et Heliogabalus. Aurelium vocat Antoninum Gettam fratrem Caracallæ, qui M. Aurelius Antoninus Getta vocabatur. Antoninus vero quem Severi prædecessorem facit, alio nomine Pescennius Niger dictus est. Id sane auctori oscitantiæ imputari non debet, cum eorum omnium suis locis perspicue meminerit.

3. *Uxamæ Barchæ*, etc. De Uxama Barcha, quæ Autrigonum urbs fuit, egimus in superioribus ad annum 91, diversamque ostendimus esse ab ea quæ nunc Osma nuncupatur; et existimavimus esse *Ordunam*. Porro S. Fortunati et 28 sociorum ejus nobilis memoria fit in Martyrologio Rom. ad diem 26 Februarii illis verbis : *Item SS. martyrum Fortunati, Felicis, et aliorum viginti septem :* ubi alterius e 28 sociis nomen scribitur, nimirum Felicis. Baronius in Notis asseverat, quod cum librariorum incuria a Martyrologio descivissent, tandem ex veteribus manuscriptis codicibus restituti sunt. Fuerunt et alii martyres eisdem nominibus insigniti, sed in diversis Hispaniæ urbibus occisi, de quibus suis locis cum Dextro agemus.

4. *Ambratiæ*, etc. Ambratiam eam fuisse urbem quam nunc Placentiam dicimus, erudite notat Tudensis episcopus Sandovalius de rebus Tudensibus, dum agit de sancto Epitatio, seu Epicteto, qui primum quidem Tudensis episcopus a S. Petro Bracarensi, cujus erat discipulus constitutus fuit, deinde Ambratiæ apostolus et antistes. Exstat nunc parva turris intra Plasentiam quæ nomen Ambratiæ retinet, vulgo *Torre de Ambroz :* quo loci forsan vetus civitas erat constructa, inde postmodum Plasentiam translata; notanda sunt illa verba Sandovalii : *Ambracia cahia en los terminos de la antiqua Lusitania, como parece por piedras y memoriales que se hallan en su sitio antiquo, montes y riberas de su contorno; y entre los naturales esta muy recivido, ser poblacion de Griegos como la de Tuy; y a esos como a gente de su nacion* (erat enim Ambratiæ civis, ut Dexter notat) *y sangre, fue S. Epitacio Obispo de Tuy a predicar, y convertir los de Ambracia, o Plasencia; y hasta hoy reconocen en Plasencia a S. Epitacio por su apostol, y primer predicador de la fe, por laqual fue martyrizado en aquella ciudad.* Hactenus ille : quod autem inquit Ambratiam a Græcis fundatam, consonum videtur ei quod in Ptolomæo, Strabone, et Plinio leginus, in Epiro Græciæ provincia urbem olim exstitisse nomine Ambratiam (nunc *Larta*), et sinum maris ab ea Ambraticum nuncupatum; constat vero Græcos in Hispaniam trajecisse, inibique urbes non paucas ædificasse, nominibus suarum urbium novis inditis, quo patriæ memoriam utcumque conservarent.

Jam quod ad S. Epitatium spectat, exstat ejus insignis memoria in Missali, ac Martyrologio Placentino manuscripto anno 1357, ubi 23 die Maii in Calendario quidem hæc leguntur : *S. Epitatii primi episcopi Tudensis, et Ambratiæ.* In Martyrologio vero hæc : *In Hispania sanctorum episcoporum Epitatii et Basilei, illius nostri, Tudensisque episcopi, Petri Bracarensis episcopi discipuli.* Consonat Romanum Martyrologium, dum utrumque condiscipulum una die celebrat inquiens : *In Hispania sanctorum martyrum Epitatii episcopi, et Basilei.* Quo loci Baronius ait : *De his etiam vetera manuscripta, et recentiores, nec non Flos sanctorum Hispaniæ*, id est, Alphonsus de Villegas, Basilius Sanctorus, et Marieta. Habetque eadem verba Molanus in Additionibus Usuardi. *In Hispaniis*, inquit, *Epitatii episcopi et Basilei :* addit in margine Epitatium alibi legi Epictetum. Sed in eo deficiunt Romanum, et Molanus quod solum Epitatium vocant episcopum; melius Equilinus lib. xi Catal., cap. 130, num. 148 utrosque episcopos nuncupat : *Epitatius*, inquit, *et Basileus episcopi in Hispania clarent* x *kalend. Junii*; at in eo ipso cum

A. C. 268. Init sedem Ilerdensem S. Licerius vir sanctissimus, ad quem misit litteras Paulatus episcopus Toletanus. A. R. 1019.

S. Marinus [*Fort.* Marcellus], Hispanus natione, patitur Cæsareæ Mauritanæ.

Carthagine in Hispania sub Gallieno, et Valeriano imperatoribus Heraclius et Zosimus insignes fiunt pro Christo martyres.

270. Flaviobrigæ in Hispania sub Marciano præside S. Julianus adolescens martyr. Hæc civitas aliis dicitur Flavias. 1021.

BIVARII COMMENTARIUS.

Molano deficit, quod martyrium utriusque silentio involvunt: quod tamen cum Dextro Martyrologium Romanum expressit ex antiquis mss. De eisdem dedimus in superioribus nobilem memoriam, quæ in fragmento operum S. Athanasii reperitur, sanctorum Basilei et Epitatii; ibi siquidem de Sancto Petro Bracarensi D. Jacobi apostoli discipulo agens ait: *Hic vir apostolicus venit Bracaram; epistolas apostolico plenas spiritu scripsit ad Ecclesias in quibus episcopos constituit, ut Iriensem, Amphilochensem, Eminiensem, Portuensem, ubi S. Basileum condiscipulum posuit, qui illi per martyrium sublato successit in sede Bracarensi, Epitatium in Tudensi. Isti viri divini* (Petrus scilicet, Basileus et Epitatius) *planeque apostolici, instar apostolorum, non in una semper urbe morabantur; sed ubi rapiebat illos Spiritus sanctus ferebantur, ut Epitatius, qui non solum in Tudensi districtu, sed in urbe Lusitaniæ Ambratia prædicavit; qui signis, et varietate linguarum prædicationem illustrabant; nec soli ibant prædicatum, sed multis discipulis comitati, ut fecit Christus, Petrus, Jacobus, et apostoli cæteri.* Porro eumdem Petrum Ambratiæ quoque verbi Dei semina jecisse, auctor est S. Caledonius in ipsius Vita; cujus fragmentum inter elogia Dextri transcripsimus ex epistola Hugonis. De S. Basileo II Bracarensi episcopo, et S. Jacobi apostoli discipulo satis diximus suo loco ad annum Domini 37. De eodem S. Epitatio iterum Dexter ad annum 277, ubi de tempore martyrii hæc ait: *Creditur passus gravissima tormenta sub principio Neronis.* Habemus itidem Juliani testimonium in Chronico ad ann. 252, ubi inquit: *Tude et alibi floret memoria S. Epitatii primi Tudensis episcopi et martyris:* et ad annum 584: *Ex ruinis Ambratiæ ubi S. Epitatius primus episcopus Tudensis passus est, Neufila episcopus Tudensis, Tudem reliquias transtulit. Anastasius episcopus ædem illi consecravit.* Tandem animadverterim textum Cæsaraugustæ excusum fuisse depravatum, dum habet, *Ambratiæ in Lusitania S. Epictetus ejusdem civitatis civis, et pontifex, et martyr Christi;* cum tamen alii codices habeant, ut nos præmisimus, *floret memoria*, et ita legit Sandovalius. Ut minimum constat hoc anno non accidisse S. Epitatii martyrium, quem floruisse scimus sub Neronis imperio.

5. *Init sedem Ilerdensem*, etc. Habemus in tabulis Romani Martyrologii memoriam S. Licerii Ilerdensis in Hispania episcopi, ad diem 27 Augusti, sub his verbis: *Ilerdæ in Hispania Tarraconensi S. Licerii episcopi:* ubi Baronius: *Agitur*, inquit, *de eo in Ecclesia Ilerdensi; ex cujus monumentis etiam mentio habetur in Flore sanctorum Hispaniæ*, videlicet Alphonsi de Villegas. Porro Dexter asseverat fuisse primum ejus sedis episcopum; hoc enim significat illis verbis, *Init sedem Ilerdensem*, etc. Et manifestius inferius ad annum Domini 311 inquiens: *S. Licerius Episcopus Carensis* [Al. *Carinensis*] *in Hispania, Ilerdæ celebratur, quo translatus fuisse dicitur cum sede.* Erat igitur primum Carensis episcopus, et inde Ilerdam (nunc *Lerida*) sedem transtulit. Meminit Antoninus oppidi *Care* in itinere inter Liminium et Cæsaraugustam; Plinius, lib. III, cap. 3, asserit Carenses populos in Hispania Complutensibus proximos esse, sed hi longe ab Ilerda siti fuere, alio nomine Caracitani dicti, nunc Guadalaxarenses. Appianus *Careon* urbem Hispaniæ fuisse asserit. Agit etiam Plinius, lib. II, cap. 104, de Carrinensi Hispaniæ agro, *in quo duo*, inquit, *scaturiunt fontes, alter omnia respuens, alter absorbens.* Quid Paulatus S. Licerio scripserit in litteris, de quibus hoc loco Dexter, divinare non possumus, cum eas videre non licuerit; crediderim super translatione sui episcopatus datas fuisse, nam ad ipsum ut ad primatem res illa spectare dignoscebatur. Iterum de eodem Paulato Toletano antistite, qui hoc tempore florebat, agemus cum auctore paulo inferius ad ann. 283.

6. *S. Marinus*, etc. Quis hic sanctus Marinus fuerit, dum solerter perquirerem, occurrit primum sanctus ille martyr ac miles Marinus Cæsareæ occisus 3 die Martii, cujus nimirum corpus capite truncatum, cum Asterius senator subjectis humeris, et substrata veste, qua induebatur, exciperet, honorem quem martyri detulit, continuo ipse martyr accepit. Verum hunc non in Mauritania, sed in Palæstina occubuisse omnia Martyrologia proclamant; et Eusebius (ejus urbis episcopus) lib. VII, c. 14, ex quo Nicephorus lib. VI, c. 13 et 14. Concurrunt tamen in eo quoad tempus martyrii, quod scilicet in Valeriani persecutione occisus, et quod Palæstinæ miles fuerit; ex quo saltem probabiliter infertur quod fuerit Hispanus; nam Romanorum præsidium in Palæstina Hispanorum militum manum fuisse ostendimus. Quare suspicor in Dextri codice additum fuisse verbum illud *Mauritaniæ*, aut ab aliquo pro Palæstinæ verbo commutatum. Poterit etiam suspicari quis, hunc nostrum Marinum illum esse, qui in Africa occisus cum Januario, et aliis sociis die 10 Julii celebratur a Beda, Adone et Rom. Martyrologio. Sed quo tempore hi fuerint pro Christo occisi, non proditur.

7. *Carthagine*, etc. De Heraclio et Zosimo sanctissimis martyribus Carthagine pro Christi confessione occisis agit Romanum martyrologium, Ado et Beda ad diem 11 Martii: addit Galesinus passos fuisse Valeriano, et Gallieno imperatoribus fidei hostibus, quod Dexter hoc loco notavit. De eisdem agit Equilinus lib. III, cap. 191: sed in eo omnes varie senserunt, an habuerint alios suæ coronæ socios, Alexandrum, Candidum, et Piperionem et alios viginti, necne? Ado enim hos tres reputat Heraclii et Zosimi consortes; Galesinus Candidum et Piperionem et viginti, uno relicto Alexandro, idque Molanus sequitur in Additionibus ad Usuardum; sed tamen Romanum Martyrologium pro Alexandro martyre legit Alexandriam civitatem, et in duas distinguit periodos hoc pacto: *Carthagine sanctorum martyrum Heraclii et Zosimi. Alexandriæ passio sanctorum Candidi et Piperionis, et aliorum viginti.* Id quod Baronius docet in antiquis mss. codicibus reperiri; et nos omnimodis verum existimamus, utpote Dextri testimonio corroboratum, qui Carthagine solos Heraclium et Zosimum occisos scribit, non quidem Africana, sed Hispana, Spartaria nuncupata.

A. C. 270. — 1. *Flaviobrigæ*, etc. Meminit Flaviobrigæ in Autrigonibus Tarraconensis Hispaniæ Ptolomæus, in confinibus Cantabrorum quam Villanova credit nunc esse *Fuenterabia*, Tarapha vero *Bilbao*; sed Bilbao, Carolo Stephano et aliis Flavionavia dicebatur. Assentior Joanni Marianæ lib. IV Rerum Hispaniæ, cap. 4, qui ex ruinis satis asserit convinci exstitisse prope Bermeo: sic nuncupatam in erectione sua credit

A. C. 270. Carthagine in Hispania S. Hippolytus ejusdem urbis episcopus, quocum passi sunt alii quoque martyres. A. R. 1021.

Gallienus imperator ignavus Mediolani occiditur.

Gallieno sufficitur in imperio Romano Claudius.

Claudius Gothos, Illyricum, et Macedones depopulantes superat : ob quod clypeus aureus in Curia et in Capitolio statua collocatur.

Claudius non multo post morbo Firmi decessit.

273. Q. Quintillus Claudii frater imperator appellatur a senatu. 1024.

Aurelianus, Tetrico exercitum prodente, Gallias recipit.

276. Eusebius Laodicenus episcopus insignis censetur. 1027.

Aurelianum Romæ triumphantem præcesserunt Treticus et Zenobia, postea Treticus corrector Lucaniæ fit; Zenobia vero postea Romæ in maximo honore fuit apud gentiles.

BIVARII COMMENTARIUS.

Morales lib. IX, cap. 25, a Flavio Vespasiano imperatore; dictam quoque brevitatis causa Flaviam, seu Flaviadem asseverat hoc loco Dexter. Sed quod ad sanctum adolescentem Julianum spectat, inibi passum, habemus actorum ejus epitomen apud Equilinum lib. V, c. 142, quam hic inserere placuit, quod alibi (ut credo) non reperiatur: *Julianus*, ait, *martyr juvenculus annorum* XVIII *in Flaviade civitate passus est, tempore Decii Cæsaris, sub Præside Martiano; quem præses detentum ad sacrificia suadebat, et sacrificare abnuentem fustibus cædi jussit, iterumque in equuleo levatum graviter flagellari; et inde depositum in carcerem immitti fecit. Et Asclepiodora matre juvenis accersita, hortabatur illum præses, ut filium ad deorum immolationem suis exhortationibus induceret : quæ trium dierum inducias postulavit, in quibus mater filium in Christi confessione corroborabat. Elapso vero triduo, cum Julianus jussu præsidis eductus a custodia diis sacrificare contemneret, fecit præses adduci saccum cum serpentibus, et arena, martyremque Christi in ipso consui, ac in pelagus mitti* (est enim Flaviobriga ad mare Cantabricum sita), *ut sic tam aquarum præfocationibus, quam ferarum morsibus interiret. Cujus corpus ab undis jactatum ad insulam quæ dicitur Proconessus* (una Sporadum est in Propontide non longe a Constantinopoli, de qua Plinius lib. V, cap. ult.), *a Christianis ibidem habitantibus inventum, in monte ipsius terræ sepultum est : ubi multo tempore sine aliqua veneratione quievit. Post multos vero annos, æstatis tempore, maris procella intumescente, pars montis, ubi arca sita fuerat, a mari diruitur, et arca saxea in mare mittitur, quæ divino nutu super procellas enatans, ab undis ad portum Ariminensis civitatis* (ad mare Adriaticum sitæ) *adducitur, et in littus jactatur. Quod cives admirantes, qui ad portum venerant, et luce superinfusa arcam super aquas natare conspexerant, tumulum cum sacro corpore plaustro imposuerunt, et ad Ecclesiam majorem illud deferre volentes, ipsum inde amovere nullatenus potuerunt, sed neque arcam aperire aliqualiter valuerunt. Tandem post dierum plurium orationes et jejunia, Joannes abbas monasterii S. Petri extra civitatem siti, sepulcrum cum corpore ejus vehiculo impositum faciliter movit, et ad Ecclesiam suam adduxit. Et patefacto leviter tumulo, corpus S. Juliani martyris una cum vestibus omnino incorruptum invenit. Passionis quoque epitaphium conscriptum ibidem repertum coram omnibus legit. Erantque in ipsa arca septem capita martyrum ignotorum. In ipso igitur loco corpus cum arca depositum ad præsens usque quiescit; passus est* IX *kal. Julii*, id est, die 23 Junii. Quod sub Decio passus dicitur eodem modo interpretari oportet, ac illud quod in Laurentii martyrio legimus; id est, quod persecutione Decii occubuerit; quæ a multis eadem habita est cum persecutione Valeriani.

2. *Carthagine*, etc. Sancti Hippolyti passi cum SS. Felice et Symphronio festa dies agitur in Romano Martyrologio ad 3 Februar. Exstatque eorum A memoria in vetustissimo codice manuscripto monasterii S. Cyriaci in Thermis, ut Baronius notavit. Cæterum perperam crediti sunt in Africa passi, cum constet ex Dextro in Hispania Carthagine Spartaria martyrium subiisse. Inde tamen credimus existimasse nonnullos Africanos fuisse, quod legerint Carthagine occisos. Quod vero S. Hippolytus Carthaginensis episcopus fuerit, solus Dexter annotavit.

3. *Gallienus*, etc. Ita etiam Eusebius in Chronico, hoc anno.

4. *Gallieno*, etc. Et hoc etiam Eusebio consonat, et cæteris.

5. *Claudius Gothos*, etc. Hoc habet Eusebius anno Domini 272, nec discordat Dexter, qui inter 270 et 273 id enarrat.

6. *Claudius*, etc. De Claudii morte, quæ hoc anno Firmi accidit, agit Trebellius cum aliis, et Eusebius in Chronico anno 272.

A. C. 273. — 1. *Quintillius*, etc. Eusebius hoc anno sic ait : *Quintillius Claudii frater a senatu Augustus* B *appellatus, decimoseptimo Imperii sui die, Aquileiæ occiditur*. De eodem Trebellius in Claudio.

2. *Aurelianus*, etc. Id ex Vopisco desumptum. Eusebius in Chronico hæc habet : *Aurelianus Tetrico apud Catalaunos prodente exercitum suum, Gallias recipit*. Vocabatur Domitius Valerius Aurelianus, cujus in eo liberalitas præsertim enituit, quod tunicas viritim per populum dederit, itemque frumentum, oleum et vinum : ex Sexto Aurelio. De Tetrico duce exercitus in Gallia et Hispania hæc Claudius imper. in litteris ad S. P. Q. R. datis : *Gallias, et Hispanias, vires Reip. Tetricus tenet*. Porro Aurelianum in Hispaniis aliquandiu demoratum narrat Equilinus lib. III, c. 42, de S. Sabiano martyre agens. Exstat Barcinione nobilis Aureliani memoria, cujus meminit Morales ad annum 276, in qua vocatur L. Domitius Aurelianus.

A. C. 276. — 1. *Eusebius Laodicenus*, etc. De eodem agit alter Eusebius, scilicet Cæsariensis, tum C hoc anno in Chronico, tum lib. 7 Hist. Eccles., c. 10.

2. *Aurelianum Romæ*, etc. Narrat Trebellius Pollio, Palmirenorum reginam Zenobiam (est vero Palmyra Syriæ regio, sic dicta ab ejus nominis urbe inter Romanorum ditionem sita, ex Ptol. lib. V, cap. 15, et Plin. lib. V, cap. 25) post Odenati viri sui mortem, in Syria Romanorum rexisse imperium; unamque ex 30 Tyrannis fuisse, qui tempore Gallieni orbem usurparint : separatam tandem ab Aureliano in triumphum deductam fuisse, eique principis clementia Tybure possessionem concessam, ubi honeste ageret. Additque ea castitate fuisse præditam, ut nec cum viro suo, nisi prolis gratia congrederetur : regali alioquin pompa Persarum fere modo adorari solitam a suis, et ad concionem galeatam procedere, cum limbo purpureo, gemmis dependentibus; voce clara, moribus severis; Græci, Ægyptiique sermonis peritissimam, Latini non ignaram, Orientalem, Alexandrinamque historiam epitomasse. Subjungit

A. C. 277. Aurelianus Romæ Soli templum ædificat; et Romæ muros diuturnitate temporis collapsos in melius reparat. A. R. 1028.

S. Narcissus episcopus Braccarensis martyr, qui prædicat in Rhætia, Gerundæ patitur.

BIVARII COMMENTARIUS.

Eusebius, ab ea hodieque Romæ Zenobiam familiam nuncupatam. Cum Aureliano a senatu objiceretur quod de femina triumphasset, multa in ejus laudem elocutus dicitur. Baronius quod Judæa et singulari castitate, multisque aliis prædita virtutibus dicatur, suspicatur Christianam fuisse: nam Christiani Judæi nuncupari solebant a Gentilibus. Claudius in litteris ad Senatum datis, scripsit: *Omnes Sagittarios (quod pudet dicere) Zenobia possidet.* De Tetrico in eumdem triumphum ab Aurelio ducto, iidem scribunt auctores.

A. C. 277. — 1. *Aurelianus*, etc. Consonat in utroque Eusebius in Chronico, seu potius D. Hieronymus, qui res Romanas in Eusebii Chronicon immisit; ex Vopisco qui de muris urbis hæc ait: *Aurelianus muros urbis sic ampliavit, ut quinquaginta prope passuum millia murorum ejus ambitus teneant.* Idem quoque de templo Soli ab Aureliano erecto.

2. *S. Narcissus*, etc. Irrepserat codici Cæsaraugustæ impresso mendum ingens, librariorum, et transcribentium oscitantia, ut anno Domini 86 passus legeretur; cum constet passum fuisse Gerundæ, non quidem in persecutione Domitiani, sed Aureliani. Fuisse quidem Bracarensem episcopum, Caledonii successorem jam pridem Dexter annotarat ad annum 268. Marcus Maximus ad calcem sui Chronici, fuisse ait Scallabitanum in Lusitania civem, indeque ad sedem Bracarensem assumptum: divinitus dein admonitum, relictis Bracarensibus Vindelitiam petiisse, et Rhætios ad fidem perduxisse: demum cum in Hispaniam rediret, Gerundæ tentum a L. Cæsonio Macro Lucillo Rufiniano viro consulari, Hispaniæ citerioris præside, et tribus acceptis vulneribus in gutture, in ore, et crure tandem cum archidiacono suo Felice consummatum fuisse, Aureliano Augusto II et C. Julio Capitolino coss., qui fuit annus Christi 276. En verba hujus auctoris: *Per hæc tempora celebris erat memoria S. Narcissi episcopi Bracarensis, in Hispania, apostoli Rhætiorum, in urbe Gerunda passi sub Aureliano. Fuit hic civis Scallabitanus, in Lusitania; qui divinitus admonitus, relictis Bracarensibus, Vindelitiam petiit. Passus est Gerundæ sub L. Cæsonio Macro Lucillo Rufiniano viro consulari, Hispaniæ citerioris præside; L. Domitio Aureliano Aug. II et C. Julio Capitolino coss. Narcissus, tribus acceptis vulneribus in gutture, et in ore, et crure, tandem cum archidiacono Felice consummatus est. Succedit Narcissus Calydonio, ad quem scripsit S. Cyprianus, cujus epistolas transmittit ad omnes Hispaniæ metropolitanos.* Ei quoque Amicitiæ et consanguinitatis vinculis colligatum Pomponium Paulatum Toletanum antistitem fuisse idem M. Maximus inferius edocet. Sunt qui velint S. Narcissum Gerundæ natum, ejusdemque urbis civem: quibus veteres Augustani Breviarii lectiones suffragantur, et antiquæ memoriæ Gerundenses; sed hoc non tollit, quin aliquamdiu Scallabi degeret, et Bracarensis electus fuerit episcopus; unde Rhætia ab ipso peragrata, patriam suam tandem repeteret, Gerundam: ubi episcopi gerens totos tres annos munus, dum sacrum ageret cum diacono suo Felice trucidatus est. Quibus libenter assentior; dum tamen nolint sub Diocletiano passum fuisse, sed sub Domitio Aureliano, ut Rom. Martyrologium exprimit. Codex antiquus ms. Baronii, cujus ipse meminit tom. II, ann. 303, pro Domitio, levi errore Domitianum habet; parum vero feliciter a Baronio correctus est: qui legendum putat Diocletianum, a Velsero admonitus: quibus nihilominus vetus sepulcri S. Narcissi Epitaphium consentit, quod passum asserit anno Domini 297; sed multo vetustiores sunt Dexter et Maximus, quos sequimur. Constat ex gestis S. Afræ Augustanæ nobilis martyris, Narcissum hunc ipsam meretricantem ad fidem et ad meliorem mentem convertisse; idque testatur Molanus in appendice ad Martyrologium Usuardi. Exstant acta S. Afræ apud Surium tomo IV, die 5 Augusti, et apud Vicellium in Hagiologio; consentiunt Vincentius Belvacensis lib. VII speciali Histor. cap. 28; S. Antoninus I part., tit. VIII, c. 1, § 18; P. Antonius Beuterus, et Vassæus in Chron. Hisp., et alii recentiores, Villegas et Ribadeneyra in Flore sanctorum Hispaniæ. Ex quibus errasse convincuntur, qui Narcissum Afræ prædicatorem, et Rhætiorum apostolum, non hunc Gerundensem, sed Hierosolymitanum episcopum referunt: qui tamen ante multos annos obierat. Assentitur etiam tum Baronius, tum Galesinus, qui in Martyrologio suo sic ait: *S. Narcissi episcopi et martyris. Hic in Rhætia novam familiam Deo lucratus; inde novem post mensibus Gerundam in Hispaniam profectus, multos ab impietatis erroribus triennio ad Christi fidem convertit: quo in munere una cum Felice diacono martyrii coronam accepit.* Denique id etiam asserit in Breviario Augustano Romæ impresso anno Domini 1570. Otho Truhses cardinalis et episcopus Augustæ Vindelicorum, ubi festum ipsius tamquam patroni et apostoli colitur die 29 Octobris. Rom. Martyrologium Narcissi et Felicis diaconi sui meminit ad diem 18 Martii. Est quidem Rhætia nobilis Germaniæ provincia (nunc Grisoniorum) Alpibus et Danubii fontibus contermina, eique ab Oriente adjacet Vindelitia, cujus caput Augusta est, Ausburg nunc dicta, ubi S. Afra a Narcisso ad fidem conversa est.

Quod spectat ad S. Felicem S. Narcissi in corona socium et diaconum in officio, existimavit card. Baronius in Notis ad 18 Martii hunc ipsum esse Felicem, qui frater S. Cucuphatis martyris Barcinonensis, Gerundæ passus est die 1 Augusti, qua in Martyrologiis Adonis, Bedæ, Usuardi, Romani, Galesini et aliorum celebratur. Cæterum ex his quæ inibi referuntur, duos Felices Gerundæ pro Christo martyrium perpessos fateri cogimur: alter enim sub Aureliano anno Domini 276 vel 277, alter sub Diocletiano anno 300; ille quidem a Lucillo Rufiniano, hic tamen a Daciano præside cæsus est, ut Romanum Martyrologium exprimit; rursus alter 18 Martii, alter 1 Augusti coronam martyrii consecutus est. Illud tamen in suspicionem posset adducere, quæ de duobus Felicibus dicta sunt, quod legamus in actis S. Felicis, non solum Gerundæ passum, sed Scyllitanum genere fuisse; et tamen de S. Narcisso episcopo, qui Felicem diaconum socium habuit, scimus (ex M. Maximo) Scallabytanum fuisse; ex quo facile credi possit, Felicem ejus diaconum Scallybitanum pariter exstitisse: pro *Scallabytano* vero legi perperam *Scyllitanum*. Quod autem inde Cæsaream studiorum causa profectus sit, nihil obesse potest, cum ex Lusitania in Africam frequens eo tempore transitus fieret, ut superius non semel monstravimus. Quamquam id forsan non de Cæsarea Mauritaniæ, sed Cæsarea Augusta intelligi posset: unde facilis in Gerundam profectio iniri potuit. Sed vero dubium nullum sit duos satisque diversos Felices fuisse Gerundæ occisos, quorum alter Cæsareæ natus in Mauritania, an. Dom. 300 occisus est, de quo ad eum annum inferius agemus Comment. 3, num. 6, testimonio sancti Eulogii, et Breviarii S. Isidori: alter diaconus S. Narcissi episcopi, de quo impræsentiarum actum a nobis est. Miraculum muscarum e tumulo S. Narcissi prodeuntium, regum Siciliæ et Galliæ exercitum infestantium pro tuenda Gerunda, quam obsederant, narrat Zurita in Annalibus, et alii res Hispanicas prosecuti.

A. C. 277. Aurelianus persecutionem in Christianos movet; nec multo post inter Constantinopolim et Heracleam occiditur. A. R. 1028.

Succedit illi in imperio Tacitus. Et post hunc Florianus.

Post hos iniit imperium Probus, quod regit annos 6.

Floret memoria Tude sancti sui primi episcopi, discipuli S. Petri Braccarensis. Creditur passus gravissima tormenta sub principio Neronis.

280. Anatolius Laodicenus episcopus, philosophusque plurimum laudatur. 1031.

Insana Manichæorum hæresis in commune malum exorta.

Probus Galliis et Pannoniis vineas habere concessit.

285. Probus Syrmii tumultu militari comprehensus occiditur. 1036.

Carus imperio Romano senatus jussu præficitur.

Olcadibus Hispaniæ Alexander, et Antonina virgo passi celebrantur.

Carmoniæ [*Quæ* Carmena *dicitur*] in Carpetania Justina virgo et martyr fit; patitur vero ultima die Novembris.

Varinus et Armentarius Romani scripserunt ad Paulatum Episcopum Toletanum, de Martyribus Chrysanto, et Daria.

BIVARII COMMENTARIUS.

3. *Aurelianus persecutionem*, etc. Hoc narrat Eusebius in Chronico ad annum 278, asseritque persecutione ab Aureliano in Ecclesiam excitata, fulmen juxta eum, comitesque ruisse, et non multo post inter Constantinopolim et Heracleam occisum. Fuit hæc Aureliani persecutio octava, juxta doctrinam Dextri datam anno Domini 260. Vide Vopiscum de morte Aureliani.

4. *Succedit illi*, etc. Ita etiam Eusebius, et cæteri ex Vopisco.

5. *Parthos*, etc. Consonant iidem auctores. Vocabatur M. Aurelius Valerius Probus: iniit principatum anno Domini 279: nam Tacitus et Florianus fratres qui octo dumtaxat menses habenas imperii rexerunt, eodem anno occisi sunt.

6. *Floret memoria*, etc. Loquitur de S. Epitatio, seu Epicteto, de quo satis elocuti fuimus ad annum 268.

A. C. 280. — 1. *Anatolius*, etc. Inseruit nomen ejus magna cum laude S. Hieronymus Catalogo de Scriptorib. Ecclesiast. inquiens: *Anatolius Alexandrinus Laodiciæ Syriæ episcopus, sub Probo et Caro imperatoribus floruit. Miræ doctrinæ vir fuit, in arithmetica, geometria, astronomia, grammatica, rhetorica, dialectica*, etc. Fuit etiam sanctitate conspicuus, utpote cujus festa dies agitur 3 Julii in Martyrologiis Usuardi, Adonis, et Romano. De eodem agit Eusebius in Chronico hoc ipso anno et lib. VII Hist. cap. 26, Nicephorus lib. VI c. 36, et alii.

2. *Insana*, etc. Eadem habet verba Eusebius anno 281. D. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6 auctor est, Manetem, a quo Manichæi dicti, sub Probo imperatore cœpisse impietatem disseminare. Idemque asserit S. Leo papa serm. 2 Pentecostes, et Cassiodorus in Chronico, et Epiphanius hæresi 66. Dissentiunt Beda, qui, libro de sex ætatibus, sub Tacito cœpisse affirmat, et Zonaras III par. Annal. qui sub Caro: sed vetustioribus assentimur.

3. *Probus Galliis*, etc. Eusebius in Chro. ad annum 282: *Probus*, inquit, *Gallos et Pannonios vineas*, etc, et subdit: *Almumque et aureum montem militari manu consitos Provincialibus colendos dedit.*

A. C. 285. — 1. *Probus Syrmii*, etc. Eodem anno hæc habet Eusebius in Chronico: *Probus tumultu militari apud Syrmium, in turri, quæ vocatur Ferrata, occiditur.* Præfuit imperio annos sex: Baronius quinque dumtaxat supputat. Rebellarant contra Probum Bonosus in Hispania natus, ex Anglia oriundus, et quidam nomine Saturninus. De quibus vide Ambrosium Moralem lib. IX, c. 49, qui affirmat extare adhuc Probi memoriam Granatæ in Regia *Alhambra* dicta.

2. *Carus*, etc. Idem quoque habet Eusebius, seu Hieronymus in Chronico.

3. *Olcadibus*, etc. Satis de S. Antonino, et Alexandro diximus in superioribus ad annum 100, ubi de Olcadibus disseruimus.

4. *Carmoniæ*, etc. Ergo duæ urbes fuerunt olim in Hispania Carmoniæ nomine insignitæ, altera prope Hispalim, cujus Ptolomæus meminit in Turdetanis, altera de qua nunc Dexter loquitur, in Carpetania. Ejus sane memoria exstat in Appiano Alexandrino de rebus Romanis, dum agit de Galba: nam cum Galba Prætor Hispaniæ existens, a Lusitanis in fugam actus, e Lusitania cum nonnullis equitibus egrederetur, pervenisse primo Carmoniam seu Carmenam, asseverat. Egredientibus vero e Lusitania antiqua, Carpetaniæ urbes primo occurrunt, non vero Turdetaniæ, ea præsertim parte, qua Hispali proxima Carmonia adjacet. Perseverat usque hodie inter Toletum et Torrijos, eodem fere nomine insignitum oppidum *Carmena*, ubi S. Justina dicitur passa, ultima die Novembris, qua a Martyrologio Romano, Molano, Galesino, et Equilino lib. II, cap. 130, num. 1, ponitur, tametsi omnes genus martyrii, et nomen loci ipsius subticeant, et solum asserant esse virginem et martyrem, eo die coronatam. Baronius asserit nomen ipsius etiam in antiquissimis mss. codicibus Rom. Martyrologii reperiri.

5. *Varinus*, etc. Acta sanctorum Chrysanti et Dariæ virginis, et conjugis ejus, quorum festa dies in Martyrologiis latinis agitur die 25 Octobris, et in Græcis 19 Martii, habentur apud Surium tom. V, et Lipomanum tom. VII, a Metaphraste Græcis addita; Latinis vero in mss. codicibus multarum bibliothecarum; ubique autem legimus scripta fuisse a Varino, et Armentario, sub his verbis, quæ ex passione Latina Molanus recitat: *Hæc autem omnia sicut gesta sunt scripsimus, Varinus et Armenus fratres, a sancto Stephano in sede apostolica facti presbyteri, et direximus ad omnes Ecclesias per Orientem et Occidentem.* Hinc vero inferre licet, direxisse etiam ea acta ad Ecclesiam Hispanam, quæ in Occidente nobilis admodum erat; inter Hispanos autem antistites primas Toletanus primum locum tenebat; unde et ad ipsum dirigenda erant acta martyrum. Eo sane tempore Toletanam sedem regebat Pomponius Paulatus, ut vides, ne quid desit veritati assertæ a Dextro. Et martyres quidem passi sunt sub Numeriano imperatore, ut omnes testantur; Numerianus vero anno 284, teste Baronio, iniit et reliquit imperium; scriptores ordinati sunt presbyteri a sancto Stephano Papa, qui anno 260 martyrium passus est: et anno 285 scribunt acta martyrum. Egimus de Paulato supra ad annum Domini 245, et iterum agemus inferius ad annum 286. Porro Varinus et Armentarius illi ipsi videntur fuisse, qui sponsi fuerant sanctarum virginum et martyrum Rufinæ et Secundæ: conveniunt siquidem tempus,

A.C. 285. Cyprianus episcopus Carthaginensis opinione doctrinæ et sanctitatis plurimum eo tempore apud Hispanos floret. A.R.1036.

Turigii [*Vel* Tigurini] in Celtiberia Hispaniæ sancti Christi martyres Felix et Regula, quorum sacræ reliquiæ religiosa populorum finitimorum frequentia coluntur.

Theodosius Barcinonensis episcopus clarus habetur.

S. Præcellius Romæ passus civis Hipponensis Hispanus, mirifice clarus habetur gloria martyrii 25 Maii.

Barcinone S. Severus ejusdem urbis episcopus et martyr.

Dejobrigæ in Hispania sancti martyres Lupus et Saturninus.

BIVARII COMMENTARIUS.

patria et nomina, quod facile quivis deprehendet ex actis illarum apud Surium tom. IV, die 10 Julii, et Equilinum, lib. VI, c. 78.

6. *Cyprianus*, etc. Percrebruit S. Cypriani fama post ejus martyrium, præsertim in Hispaniis, ut Prudentius luculenter notavit hymno 13, inquiens :

Nec Libyæ tantum populos regit, exitusque in ortum
Solis et usque obitum, Gallos fovet, imbuit Britannos;
Præsidet Hesperiæ, Christum serit ultimis Iberis.
Denique doctor humi est, idem quoque martyr in supernis,
Instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.

7. *Turigii*, etc. Joannes Molanus in additionibus ad Usuardum, meminit sanctorum martyrum Felicis, et Regulæ Turigii seu Turego passorum sub his verbis : *Turego natale Sanctorum Felicis et Regulæ*. Est autem Turegum (hodie *Torrijos*) in Celtiberia situm, duodecim millibus passuum, seu quatuor Hispanis leucis distans a Bilbili, seu *Calatayud*, notum satis oppidum. Ibi hodieque celeberrimi habentur sancti Christi martyres, Regula et Felix, et eorum reliquiæ pie asservatæ venerantur non modico finitimorum populorum concursu : et fons seu lacus perdurat, ubi incolæ, traditione a majoribus accepta, referunt martyres, ut cruciarentur, immissos. Et id ego a fideli admodum cive accepi, cum illac Romam iter dirigerem anno 1621. Reperitur in sancti Notkeri Martyrologio hæc nobilis ipsorum memoria 3 idus Septembris : *Nativitas sanctorum martyrum Felicis et Regulæ sororis ejus. Prædicti martyres de consortio Mauritii et sociorum ejus per vasta eremi quæ Darona vocatur tendentes in partes.... devenerunt, et in quodam loco juxta fluvium... subsistentes, vigiliis precibusque cum omni pietatis studio operam dabant. Dum hæc a sanctissimis agerentur germanis, adsunt nuntii ab impiissimo Maximiliano directi, ut sanctos Dei vel idolis sacrificare compellerent, vel tormentis eos variis punire non differrent. Beati igitur martyres sacrilegis petitionibus fiducialiter resistentes, in ferreas rotas igne candentes alligantur, et ineffabilibus insuper tormentis excruciantur. Ac B. Regula super ferventem picem imposita est, cui etiam bulliens plumbum ad potandum a carnifice dari est præceptum. Cumque nullis suppliciorum acerbitatibus a Christo divelli potuissent, jussa sunt eorum capita amputari. Quo facto truncati martyres, abscissa capita suis manibus bajulantes, a loco ubi decollati sunt, cubitis quinquaginta deportaverunt.*

8. *Theodosius*, etc. Hic ille (ut reor) Theodosius est, cujus Dexter in superioribus ann. 100 memineraat inquiens : Barcinonenses profecisse gloria miraculorum, virtute doctrinæ atque exemplis S. Theodosii episcopi, non aliter quam Toletani doctrina S. Eugenii, cujus erat æqualis et amicus. Et anno 94, asserit S. Theodosium fuisse secundum episcopum Barcinonensem, utpote S. Etherii discipuli S. Jacobi apostoli successorem, celebrarique 6 kalend. Februarii.

9. *S. Præcellius*, etc. De Hipponensi urbe in Carpetania, cujus S. Præcellius erat civis, egimus ad annum 222, hodie *Hiepes* nuncupata.

10. *Barcinone sanctus Severus*, etc. Diu et multum A hæsitarunt auctores inquirentes, fueritne unus dumtaxat Severus episcopus Barcinonensis et martyr, aut duo ; sed nunc jam exploratum habemus duos omnino diversos esse : alterum initio persecutionis Diocletiani passum, alterum tempore Constantini imperatoris ; illum quidem a gentilibus, hunc a Gothis Arianis ; prioris meminit hoc loco Dexter; posterioris vero inferius anno 352, inquiens : *Barcinone sanctus Severus religionis causa ab hæreticis Arianis, cum eam sedem recte pieque regeret, patitur*. Subscripsit ei Heleca in additionibus ad Maximum : *Hoc tempore*, ait, *duo Severi Barcinonenses episcopi martyres, cum gloria miraculorum et signis dicuntur clarere ; senior sub Diocletiano claruit, alter sub Constantino*. De seniori agunt Vasæus in Chron. ann. 306; Laurentius Padilla, Thesaurus Concionatorum, et Villegas 6 die Novembris : junioris vero in Romano Martyrologio dies celebratur, sub his verbis : *Barcinone sancti Severi episcopi et martyris, qui ob fidem catholicam clavo in capite confosso, martyrii coronam accepit*. Juniorem vero esse, qui clavo in capite confixo occubuit, satis deducitur ex Molano in additionibus ad Usuardum, nam in priori impressione inquit : *Fuit hic unus* 70 *episcoporum, qui leges Gothicas in Hispania condiderunt. Hic a barbaris Gothicis, qui Catalauniam incolebant, clavo capite confosso martyrio coronatur anno Christi* 685. Fallitur tamen in designando anno ejus martyrii, ut ex Dextro et Maximo vidimus. In posteriori vero impressione Usuardi solum dixit : *Barcinone natalis sancti Severi episcopi et martyris, qui a Gothis clavo capite est confossus*. Idem habet Galesinus die 6 Novembris. Accidit tamen ut ex similitudine nominis unus idemque reputatus, diceretur tum in Diocletiani persecutione, tum etiam clavo confixus capite coronatus : et ita usque ad lectiones Breviarii Barcinonensis mendum irrepsit. Prior habuit quatuor clericos, et agricolam unum, nomine Emiterium, comites coronæ, et in quodam loco prope Barcinonem Castro Octaviano nuncupato martyrium subiit, eorumque simul corpora requiescunt in ecclesia sancti Cucuphatis; posterioris caput clavo confossum in ecclesia majori asservatur. De eisdem scribit Trugillus in Thesauro Concion., et Marieta 1 p., lib. I, cap. 23; Morales, lib. X, cap. 4, et novissime Yepes in Chronico Benedictino, cent. 3, ad annum Christi 778, cap. 1. Visitur hodieque Barcinone domus S. Severi, ut credo, junioris.

11. *Dejobrigæ*, etc. Sive mavis *Deobrigæ*, ut alii habent. Duas hujus nominis urbes olim in Hispania exstitisse, auctor est Ptolomæus; alteram quidem in Vettonibus veteris Lusitaniæ non longe a Tago flumine, et Alcantam; alteram in Autrigonibus Navarræ populis, quo loci nunc *Taffalla* est, aut prope, si Ptolomæi situatio aliquid valet. In qua vero earum martyrio coronati fuerint SS. Lupus et Saturninus, non ausim affirmare, cum id Dexter non expresserit. Festa tamen eorum dies in Romano Martyrologio agitur ad 14 Octobris, ubi licet non vocentur expresse martyres, ponuntur nihilominus inter martyres. Et id Equilinus expressit libro XI, cap. 150, numero 288, his verbis : *Saturninus et Lupus martyres passi*

A. C. 286. Diocletianus imperator cœpit sævire in Ecclesiam. A. R. 1037.

Pomponius Paulato [*Al.* Pæviato] episcopo Toletano Melantius vir sanctus, et egregius postea Christi confessor, succedit.

BIVARII COMMENTARIUS.

sunt pridie idus Octobris. De Lupo solum agit Beda; sed bene Baronius annotavit in antiquissimis mss. codicibus de utroque simul agi; idque Molanus in additionibus Usuardi secutus est.

A. C. 286. — 1. *Diocletianus*, etc. Furor ac rabies persecutionis a Diocletiano excitata, in annum præcipue 300, usque ad ann. 306 incidit : non tamen prius fuit imperator, quam Christianos persequeretur : præsertim de Hispania constat, nonnullos martyrii laurea decoratos, incipiente Diocletiani imperio; ut de sanctis virginibus Hispalensibus Justa et Rufina in ipsarum actis asseritur, occisas initio imperii Diocletiani anno Domini 287, quod refert Thesaurus Concionatorum 19 Julii. Sed de his postea. Cœpit imperare anno 284, ex Baronio.

2. *Pomp. Paulato*, etc. Satis multa de Pomponio Paulato Toletano antistite a nobis in superioribus dicta sunt. Illud tamen non facilem habet explicationem, quod Dexter asseverat, anno Domini 245 Paulatum pontificatum suum iniisse, sedisseque annos 36; nunc vero affirmet Melanthium illi successisse anno 286, videlicet post annos 40. Responderi tamen potest, vacasse Toletanam sedem annos quatuor, ferventè persecutione, nec contraire videtur auctor : non enim asserit hoc anno 286 obiisse Paulatum, sed Melanthium Paulato successisse, aut forsan numeri errore turbati sunt, ut pro XL aliquis scripserit XXXVI. De Melanthio ejus successore, qui concilio Eliberitano interfuit, dicemus inferius, si prius advertamus Catalogum Loaysæ hac in parte valde a vero abfuisse, dum Melanthium collocat anno 313, Paulatum vero anno 396, quasi septimum Melanthii successorem : cum tamen prædecessor ipsius fuerit, ut ex dictis liquido constat. Sed tota fere chronologia ejus Catalogi erroribus referta est.

DE SANCTO TYRSO MARTYRE ANNOTATIO.

Hunc sibi locum vendicat magni illius martyris Tyrsi, Toletanorum patroni memoria; quod nimirum sub Paulato pontifice Toleto exierit adhuc Catechumenus, et militiæ sacramentis astrictus in Græciam contenderit, ubi Apolloniam præclaram urbem, fuso pro Christi fide sanguine clariorem reddidit. Sed cum hæc multis sint parum agnita, visum est mihi nonnihil in iis demonstrandis subsistere. Græci scriptores originem Tyrsi Hispanam ignorantes, Græcum dumtaxat martyrem prædicant; indeque nonnulli Græcam illi astruunt progeniem, ut in auctore vitæ ejus, quæ exstat apud Metaphrastem, videri potest. Nocere tamen Toletanis nequit Græcorum ignorantia, cum ipsis veterum auctorum testimonia suffragentur. Julianus siquidem archipresbyter S. Justæ, qui recuperationi Toletanæ urbis ab Alphonso ejus nominis VI, Castellæ ac Legionis rege, de Maurorum potestate factæ adfuit, bis in suo Chronico ejus rei meminit: nam anno Domini 252, hæc ait : *S. Tyrsus civis Toletanus catechumenus Toleto egreditur : in urbe Apollonia Græciæ sub Decio fidei illustrissimum testimonium dat.* Anno vero 775 : *A Cyxillane conditum est sancti Tyrsi templum Toleti, civis Toletani in Apollonia Græciæ passi. Exivit Toleto sanctus vir sub Paulato præside Toletano, catechumenus : et idem Cyxilla præsul ei composuit carmen.* Inierat Paulatus episcopatum (ex Dextro) anno Domini 245, et usque ad 286, quo obiit, illum obtinuit. Exstat autem hymnus ipse in Breviario Gothico sancti Isidori, ubi acta sancti martyris purissime concinuntur, cum officio ecclesiastico proprio in ejus laudem, festo ipsius die cani solito, et in eo quoque hymno, Cyxillane auctore, a Toletanis vocatur *Patronus vernulus*, quod sonat naturalis et concivis, nam inter cætera habet :

> Te martyr lacrymis vernule, poscimus,
> Per te omnipotens conditor ocius
> Durum, quo premimur, hoc jugum auferat, etc.

Et paulo inferius :

> Templum hoc, Domine, Cyxilla condidit,
> Dignam hic habeat sortem in æthera.

Exstat itidem epistola Silonis regis Ovetensis in Hispania, ad eumdem Cyxillanem Toletanum antistitem data (regnabat hic in Asturiis tempore Sarracenæ tyrannidis, sub anno Domini 777), qua petit hymnum in honorem S. Tyrsi Toletani ab eo recens compositum, et gratulatur de templo tunc Toleti erecto; quam hic inserere placet, quia non solum confirmat quod intendimus, sed multa alia quæ suis locis cum Dextro narravimus, de sanctis martyribus Philiberto et Fabriciano abbatibus, Titulciæ passis, et de SS. Vincentio et Læto æque martyribus Toletanis, Libysocæ occisis, et non semel eam promisimus. Est vero barbaro tempore digna.

Sanctissimo et Deo amabili Cyxillani, Ecclesiæ Toletanæ archiepiscopo, Silo rex Oveti et Praviæ S.

Per manus Elipandi archidiaconi, et Petri diaconi vestrorum, accepi litteras Paternitatis tuæ, et fidelium in civitate tecum panem doloris comedentium. Dolet me quod hic sic miserabiliter vitam transeatis, et habeo magnam de vobis compassionem; quod tanta mala sufferatis inter istos biothanatos Sarracenos : qui non contenti mittere super vos tam desaforatos vectigales, quotidie quærant vos ad mortem; et quod ibi fueritis in magno periculo vestrarum vitarum, quia ibi cœpistis ædificare ecclesiam sancti Tyrsi martyris prope Melchitam majorem : et Alguazellus Zuleima Juseph Abenabdil, qui regit Toletum, voluit vos occidere; sed appellantes ad Judicem Mahomad Abenramin jussit dimitti vos; et dedit licentiam ædificandi ob pecuniam, quæ illi dedistis. Isti Mauri nihil faciunt, nisi prætextu lucri, tamen ad illum scribo gratias agens ob favorem quod dedit vobis; et rogo ut vos foveat; et rogo illum ut det facultatem revertendi ad vos, Argerico quondam abbati Agaliensi, qui mihi sæpe dixit, nullam se habere causam, quod Mahomad Abenramin voluit eum occidere, cum erat Alcaydus Toleti; nam cum sanctus Nicolaus martyr Ledesmæ, ibi natus apud vos, filius Alcamani et frater Galafri, factus est Christianus, non erat ille in illo oppido; et quod suspicione tantum hujus rei, Abenramin patruus dicti Nicolai voluit eum interficere. Si non potuero cum illo illum adjuvando, sanctum et refovebo. Soror ejus Sarra bona femina obiit in Pravia, et ego feci eam sepeliri cum honore, ut sancta mulier merebatur.

Benedictionem vestram quam misistis ad reginam Adosindam accepit illa de bona voluntate, insimul et reliquias, quas ponemus in ecclesia de Oveto, cum perfecta fuerit. Ego cum regina me puto sepelire in ecclesia S. Joannis de Pravia. Nunc autem regina mittit pro nova vestra ecclesia S. Tyrsi martyris, quam jam audivi quod absolvistis, quædam munuscula : calicem argenteum et patenam : cum aquamanili, et cum suo naso, et in operculo corona nostri regni, cum nomine tuo et meo per compendium sic, C. S.; serviet ad dandum sanguinem Domini populo.

Audivi quod composuistis hymnum in dedicatione sancti Tyrsi martyris et civis Toletani, ut retulerunt mihi tuos legatos : et de sancto Vincentio et Læto Toletanorum, qui passi sunt, ut illos mihi dixerunt, sub Cæcilio Apollinare præside Hispaniarum in urbe Liby-

soca, alium composuistis. Mittat tua Paternitas illos ad me, ut nostri clerici habeant quid cantent. Mittimus ad vos hymnum de sanctis martyribus Philiberto et socio ejus, passis in urbe Titulcia (quos audivi esse Toletanos) sub M. Aureliano Valentiniano, anno 283, *cum esset Melanthius archiepiscopus Toleti. Misimus etiam ad vos Arcarium et Magnum abbates viros honore dignos, qui vos consolentur, et os ad os de nostris et vestris negotiis loquantur, tractate illos cum humanitate, et charitate. Orate pro me, et pro regina. Deus vos custodiat. Amen. In Pravia,* 24 *Februarii æra* 815. Fuit is annus a nato Domino 777, quo nimirum durissimo Sarracenorum jugo Hispania premebatur.

Post multa vero sæcula, nostris temporibus, dum regale xenodochium prope summam D. Virginis ædem Toleti ædificaretur, templi S. Tyrsi jam olim diruti, muri et ruinæ subtus terram comparuere, et inter rudera, non sine Dei nutu, repertum est operculum aqualis, quem Silonis regis uxor ad Cyxillam miserat, cum corona regni, et initialibus litteris

utriusque sub hac forma. Quo indicio compertum est inibi præfatum fuisse Cyxillanum templum S. Tyrsi Toletani civis ac patroni. Rediit tunc temporis ad memoriam eorumdem S. Tyrsi protectio; et quo rex catholicus Philippus ejus nominis II, novæ lætitiæ particeps fieret (nam inventio hæc incidit in annum Christi millesimum quingentesimum nonagesimum quintum), D. Alphonsus de Carcamo urbis gubernator regius, misit ad eum aqualis operculum recens repertum, simul cum epistola Silonis regis, et clausula hymni S. Tyrsi a Cyxilla compositi. Nonnulli nihilominus subdubitare cœperunt de fide epistolæ, et martyris patria (tam varia sunt hominum ingenia): minime siquidem, aiebant illi, fieri potuit, ut Silo rex scripserit ad Cyxillam pontificem, nam hic obierat anno 750, nono sui episcopatus, teste Joanne Vasæo in Chronico Hispaniæ; Silo vero non iniit regnum usque ad annum 774, quo successit Aurelio regi. Notabant quoque ex epistola ipsa non haberi quod fuerit scripta ad Cyxillam, sed Cyxillanem; et tamen Toletanus antistes non vocabatur Cyxillanus, sed Cyxilla. De Tyrso vero addebant, minime ex hymno convinci fuisse Toletanum; cum enim dicitur: *Te martyr lacrymis vernule poscimus;* vox *vernule*, non debet conjungi (aiebant) cum martyre, quasi *vernule* in vocandi casu ponatur; sed cum verbo *poscimus*, ut sit sensus, *Nos vernulæ*, qui in domibus ipsis nostris nascimur servituti Sarracenorum addicti, te poscimus lacrymis, o martyr, etc., unde subditur: *Per te omnipotens Conditor ocius, durum quo premimur hoc jugum auferat*, etc. Vernula enim est diminutivum a *verna*, quod servum domi nostræ natum significat; uti apud Martialem lib. XIV videri potest, dum de Crepitacillo ait:

Si quis plorator collo tibi (vernula) pendet,
Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

A Vernam vero servum significare testes sunt Plautus in Mil. et Amph., Tibullus lib. II elegia 1, Horatius lib. I Serm., Festus et Cœl. cit., et, ut cæteros omittam, Paulus leg. *servis urbanis*, 97 § *si alii*, *ff de legat.* 3.

Hæc quoque ad Philippum regem missa sunt, qui viris doctis eam rem discutiendam commisit, præsertim Alfonso de Villegas, Floris sanctorum auctori, et Stephano Garibay suis scriptis notissimo; quorum una fuit sententia, præfatas objectiones nihil obstare, quominus S. Tyrsus Toletanus fuerit, et epistola Silonis germana. Legi ego litteras utriusque vernaculo idiomate ad regem ea de re scriptas, quas præfatus D. Alfonsus de Carcamo typis cudere fecit. Inter cætera Villegas aiebat: *A mi se me pidio pareçer sobre ello, y haviendo bien mirado lo que ambas partes allegavan, dixe y digo que creo certissimamente haver sido S. Tyrso martyr natural de Toledo: assi por el hymno de S. Isidoro, y carta de Silo a Cyxilla, como por otros razones que di y allegue*, etc. Perperam sane B Vasæus asseruit Cyxillanem iniisse pontificatum suum anno Domini 741 et obiisse 750, cum ex catalogo et chronologia Toletanorum antistitum, quam cudit Loaysa, certum sit Cyxillanem successisse Urbano anno Domini 775, et obiisse 784, quo fuit electus in ejus locum Elipandus, cujus in concilio Francofordiensi frequens est mentio. Silo vero regium diadema suscepit æra 812, anno Christi 774, uti Sebastianus episcopus Salmanticensis in Chronico suo testatum reliquit, his verbis: *Æra* 812 *post Aurelii finem Silo successit in regno.* Vixit irrefragabilis hic testis illis fere temporibus, nimirum sub Alphonso Silonis successore. Silo vero mortuus est æra 829, seu anno Christi 791, cujus rei testem habeo privilegium Alphonsi Casti ejus successoris, concessum monasterio S. Vincentii de Monteforti in regno Gallæciæ, ubi dicitur; *Æra* 829 *consecratus est rex Alphonsus* 14 *Septembris.* Quo videas regnum Silonis cum Cyxillæ pontificatu coincidere: nam ille cœpit esse rex anno C Domini 774, hic vero episcopus anno Domini 775. Litteræ autem datæ sunt sub æra 815, seu anno Domini 777, id est, anno Silonis 4 et Cyxillæ 3.

Quod de Cyxillæ nominis flexione objiciebatur, ex ignoratione flexionis veteris nominum gothicorum, quæ finiuntur in *a* manasse dictum est; nam tametsi per primam inflecti ab aliquibus soleant, olim tamen flectebantur per tertiam, exempli gratia, Wamba, Wambanis, Egila, Egilanis, Cyxilla, nis, ut in conciliis gothicis, et eorum temporum scriptoribus manifestum apparet.

Insuper distorte interpretatur versus hymni, *Te martyr lacrymis vernule poscimus;* cum a consueta significatione penes quam perpetuo in hymnis ejusdem gothici Breviarii accipitur, ad alios sensus distrahatur: idem significat quod *vernaculus*, quæ vox nativum vel naturalem denotat; quo pacto vernaculam linguam dicimus, et saporem vernaculum, ut Cicero in Bruto, *et crimen domesticum, ac vernaculum;* Cicer. in Verr. 6, *et putationem vernaculam*, id est, D regioni nostræ consuetam; Plin. lib. XVII qui etiam lib. XIV cap. 2 potissimam nobilitatem dixit, *vernaculam Italiæ.* Hac igitur significatione utitur idem breviarium voce *vernulus, a, um*, adjective accepta, tum in hymno S. Leocadiæ Toletanæ virginis, ex primaria nobilitate ejus exortæ, cum ait:

Tu nostra civis inclyta,
Tu es patrona vernula:
Ab urbis hujus termino,
Procul repelle tædium.

Tum etiam in hymno S. Jacobi apostoli, specialissimi ac fere naturalis Hispaniæ patroni:

O vere digne sanctior apostole,
Caput refulgens inclytum Hispaniæ;
Tutorque nobis, et patronus vernulus, etc.

Quo etiam sensu proculdubio accipi oportet vocativum illud *vernule*, in hymno S. Tyrsi. Sed reddamus illum integrum in gratiam devotorum, quorum in Hispania magnus est numerus; nam et ab eo vulgatissimum nomen feminarum Theresiæ deductum fuit, ut bene notavit Villegas in prædicta epistola ad regem Catholicum.

A

Hymnus in laudem S. Tyrsi martyris a Cyrillane Toletano præsule compositum.

Exsulta nimium turba fidelium;
Solemne hodie martyris inclyti
Est festum; modula carmine fortiter,
In laudem Domini atque potentiam.
Cœlestis patriæ gaudia cogitat,
Tyrsus vir pepulit omnia sæculi,
Sanctus cum minime crederet in Deum;
Afflatus subito flamine sancto est.
Sævum conspiciens judicem, increpat:
Cur sanctos Domini (inquit) atrociter
Pœnis discrucias valde crudelibus?
Infelix Erebi igne cremandus es,
Illico rabidus tempora presserat
Hostis Gombritius; membra colentium
In terra Dominum; multa perempta sunt
Sanctorum nitida millia martyrum.
Sanctus pro Domino Leucius nititur,
Electam animam tradere promptior,
Diversa genera pertulit innocens
Pœnarum: capiens præmia cœlica.
Athleta pedibus impiger, ambulans
Tyrsus, ubi regem reperit impium,
Apprendens tenuit, admonet, et docet,
Jam falsa ut colere desinat idola.
Tum læto simulans ore, locutus est:
Te, Tyrse, cupio consilio meo,
Assensum tribuens, sacrifices diis.
Ut magnas capias copias mulierum.
Sanctus, perspicuum est, ait, impie,
Quod totus habitet ille nequissimus
In te, nunc coluber pravus, et invidus;
Cum tali pereas principe horrido.
Gustrum perniciter adfore præcipit,
Plenum lympha, caput martyris suffocat,
Corpus quod superest, fustibus cædere
Nodosis acrius pestifer imperat.
Sed servus Domini voce pissima,
De vase miserum Judicem increpat;
Agnosce Dominum lubrice et invide,
Cum cernis opera magna et inclyta.
Terra construitur alta et eminens,
Per gyrum gladiis fixis in ordine,
Almo fastigio positus, decidens
Ense ut suscipiat membra fidelia.
Magnus tu, Domine, es, præ diis omnibus,
Multum mirificus in te credentibus;
Pravis muscipula fit: sanctus in æthera
Christi glorificat omnipotentiam.
Victus non destitit insatiabilis
Fera terribilis, sed nova cogitat
Tormenta, sitiens vincere martyrem,
Sed Sanctus Dominus conterruit malum.
Ne, Tyrse, timeas, sic ait angelus,
Directus ego sum a Domino Deo
Ad te, ut supplicia auferam omnia,
Hostemque poteris vincere pessimum.
Exaudi, Domine: Cogitat impius
Inferre onera, vincula omnia,
Fervens oleum, plumbum, et ungulas,
Ut sanctum superet martyrem, et necet.
Cernens proficere nil suis viribus,
Sanctum præcipitem in mare præcipit
Jactari: videant ne oculi hominum,
Ter dena stadia a littore longius.
Quam mira, Domine, sunt opera tua!
Adducunt manibus angeli martyrem,
Et dulci resonant carmine canticum,
Judex non meruit cernere angelum.
Debemus penitus facta retexere,
Quæ Sancti meritis reddiderit bona;
Tribus judicibus culpa latentibus,
Quos terra repulit mortuos sæpius.
Exorant populi martyrem, inquiunt:
Oramus, Domine, præcipe protinus
Terra ut suscipiat corpora judicum,
Qui escam dent putridam vermibus funditus.
Clementer lacrymans, oraculum accipit,
Designans locum ubi corpora condere
Debeant; veniam da, pie poscimus,
Martyr, nos humiles credimus in Deum.
Lætentur omnium corda volentium
Cœlestis patriæ quærere gaudia;
Et parvi faciant ulla nocentia,
Quæ venti a facie, ut stipula pervolant.
Te, martyr, lacrymis, vernule, poscimus,
Per te omnipotens conditor ocius,
Durum quo premimur hoc jugum auferat,
Et lætos faciat sæcla per omnia.
Jam, summe Domine, respice saucium,
Delicti populo dele chirographum,
Et nostrum gemitum cerne propitius,
Dans nobis auxilium tempore congruo.
Defunctis requiem omnibus, optime,
Concede; tempora prospera tribue.
Victum pauperibus, subsidium viduis,
Omnes percipiant, quod pie postulant.
Templum hoc, Domine, Cyxilla condidit,
Dignam hic habeat sortem in æthera:
Cum summis civibus cantica præcinat,
Gaudens perpetuis sæculis omnibus.
Te nostra jubilet gloria perpetim,
Qui solus Dominus trinus et unus es:
Jugi imperio sæcula continens,
Et cuncta dominans, omnibus imperans.
Præsta, Ingenite, per Unigenitum,
Regnans qui perpetim cum sancto Spiritu,
Olympum contines jugi judicio,
Sustentans aridam perenni imperio.
Amen.

B

Afferent huic historiæ lucem multam quæ in officio ejus diei proprio a Gothica Ecclesia recitabantur, ex quibus hæc placuit adducere:

Capitula. *Auctor lucis, fons luminis, et immensi claritas splendoris, Christe, Ingenili Patris unigenita proles; qui athletæ tuo Tyrso, perenni fontis lavacrum sitienti, portitorem luminis Nuntium cœlis destinasti, ut*
C *ille eum interius illuminaret, quem intus accenderas; ut fieret lucerna pedibus, qui esset illustrator mentis assiduus: arde, quæsumus, in mentibus nostris, almo ignis tui fervore, quem te arce missurum tuo es pollicitus ore; ut flagrans interius ad exurenda vitia lustret, exteriusque ad capienda præmia sempiterna; piissimus Pater noster qui es in cœlis*, etc.; *sed libera nos.* — Benedictio. *Christus Dei filius quo beatissimus martyr Tyrsus ante est passione fruitus, quam lavacro, ipse nos munificet dono æternitatis; ut muneret præmio sempiterno benedictionis.* Amen. — *Et qui illum mari projectum angelis vehentibus reportavit ad littus, vos secum associet in polorum sedibus lætabundos.* Amen. — *Ut illum semper invocetis Deum et Patrem, quem idem martyr Tyrsus etiam sub aquis libera invocavit voce.* Amen.—Oratio. *Venientes ad te, Domine*, etc., *quæsumus ut sicut martyrem tuum sectoribus serra non permisisti secari, ita nos ejus suffragio a gremio matris Ecclesiæ nulla nos patiaris occasione divelli*, etc.

D Acta sancti Tyrsi et sociorum ejus Leucii et Calinici, Apolloniæ consummatorum, reperiuntur integra apud Metaphrastem, ex quo ea susceperunt Lipomanus tomo V, et Surius tomo VI, ad diem 14 Decembris, quo eos Græci celebrant, cum tamen apud Latinos 28 Januarii celebrentur, Bedam, Adonem, Usuardum, Martyrologium Rom. et Equilinum lib. III, cap. 39. Porro ne lector decipiatur, sciat multos alios martyres Tyrsos esse a nostro longe diversos, quorum quidam Augustodini in Galliis passus est, cum sociis Andochio et Felice, 24 Septembris; alter cum Saturnino Alexandriæ, 31 Januarii; et alius cum Projecto 24 ejusdem, ubi tamen Baronius lapsus est, dum credidit hymnum Breviarii Gothici S. Isidori agere de Tyrso et Projecto, cum manifestum sit de Tyrso, Leucio, et Calinico agere. Sed de his satis.

A.C.286. Carus imperator, occupatis aliquot Parthorum urbibus, Cocle, et Ctesiphonte, super Tigri fluvio castra ponens, et rem feliciter prosequens, fulmine percussus obiit. A.R.1037.

Carinus imperator prælio victus, apud Murgum occiditur.

290. In Campania Italiæ, S. Vitalis Hispanus, ex oppido Thermeda in Carpetania, pater SS. martyrum ad Complutum passorum Justi et Pastoris; conversus ad fidem monitis S. Sebastiani, cum aliis patitur. 1041.

In Octaviola Vezozabiæ, sancti martyres Maximus et Dadas.

BIVARII COMMENTARIUS.

3. *Carus*, etc. Sic Eusebius in Chronico hoc ipso anno : *Carus Narbonensis cum omni Parthorum regione vastata, Cochlem et Ctesiphontem, nobilissimas hostium urbes cepisset, super Tigrim castra ponens, fulmine ictus interiit.* Exstat memoria Cari imperat. Tarracone in Ecclesia S. Michaelis, a M. Aurelio Valentiniano citerioris Hispaniæ legato erecta, de quo vide Ambr. Moralem, et de alia in insula Ibycæ exstante.

4. *Carinus*, etc. Ipsissima verba habet Eusebius in Chron. anno 287. Porro Carinus et Numerianus filii fuerunt Cari imperatoris. Carini vero marmori insculpta memoria exstat Tarracone, et altera Muro Veteri, seu Sagunti : de quibus Morales lib. IX, cap. 49.

Hoc ipso anno 287 martyrio coronatæ sunt sanctissimæ martyres ac Christi virgines Justa et Rufina, 19 die Julii : quarum acta habentur in hymno sacro Breviarii S. Isidori, ubi et officium proprium ipsarum legitur (dabimus hymnum ipsarum inferius ad ann. 300), et in Lectionibus Hispalensis Breviarii, et apud Moralem lib. x, cap. 16; Marietam lib. IV, cap. 11; Villegam, et Sanctorum 19 Julii. Et prius apud Belvacensem lib. XIII Speculi hist. cap. 34, Equilinum lib. VI, cap. 117, et Trugillum in Thesauro Concion. Passæ sunt sub Diogeniano judice, earumque festum celebre est in omnibus Martyrologiis die prædicto. Fuerunt olim duo alii martyres earumdem nominibus insigniti, in eadem urbe occisi, videlicet Justus et Rufinus, cum Macario comite, anno Domini 115, ubi de eis Dexter, consule inibi dicta. Cæterum mirum non sit unum Dextrum omnium omnino Hispanorum martyrum non meminisse; homines enim sumus, et primis scriptoribus veniæ dandum est si quid in illis desit, quod postea a recentioribus super labores illorum ædificantes, repertum est.

A. C. 290. — 1. *In Campania*, etc. Exstat in actis S. Sebastiani (apud Surium tomo I, die 20 Januarii) vetus ac nobilis S. Vitalis martyris memoria, quem nimirum ad fidem Christi convertit, cum sanctis Marco et Marcelliano, et aliis eorum amicis; eosque omnes a sacro fonte levasse scribitur ipse Sebastianus, et S. Polycarpus baptizasse; nomina vero amicorum Marci et Marcelliani hæc sunt : Aristion, Crescentianus, Eutychianus, Urbanus, Vitalis et Justus. Notat Molanus in Martyrologium Usuardi ad diem 2 Julii, in actis S. Sebastiani per Livinum editis pag. F. 8, exprimi S. Vitalem, Aristionem et socios in Campaniam missos exsilii causa, et ibi martyrio coronatos : id quod habet Ado in Martyrologio ad diem 2 Julii, et ex eo Equilinus lib. VI c. 42 his verbis : *Aristo, Crescentianus, Eutychianus, Urbanus, Vitalis, Justus, Felicissimus, Felix, Marcia, et Symphorosa martyres : omnes apud Campaniam pro fidei veritate et Christiani nominis assertione, glorioso martyrio coronati sunt* VI *nonas Julii, ut ait Ado ex Hieronymi Martyrologio.* Eadem fere verba habet Usuardus, Beda et recentiores. Romanum Martyrologium assignat tempus passionis, videlicet, *cum Diocletiani persecutio desæviret.* Porro Martia mater fuit SS. Marci et Marcelliani fratrum, cæteri vero amici, et cognati ipsorum. Cæterum quos ad S. Vitalem spectat, par est credere, ipsum, utpote nobilem, militiæ operam dedisse, et eapropter ab Hispania in Italiam profectum. Habemus sanctissimi Martyris nobilem memoriam, epigramma Valderedi episcopi Cæsaraugustani, qui tempore Sergii I papæ sub Egica rege interfuit conciliis Cæsaraugustano III, anno Domini 691, et Toletano XIV, miseratque ad Toletanum XIII, sub Ervigio rege celebratum, Freydebadum abbatem, qui concilii actis assentiret. Exstat vero prædictum epigramma sub hoc titulo :

Valderedi Cæsaraugustani episcopi pro sancto Vitali martyre, patre sanctorum martyrum Complutensium Justi et Pastoris.

Salve, Vitalis, martyr fortissime Christi,
Qui quoque martyribus diceris esse parens.
Patria Complutum, sed Thermeda rustica sedes,
Justum, et Pastorem te genuisse ferunt.
Vos eadem rabies correptos intulit astris :
Non locus est idem, sed prope tempus idem.
Nam paucis annis genitor prope Fundia perfert,
Anterior natis; palma sed una tribus.
Gaude sorte tua, Vitalis, sorte tuorum
Felix natorum, jure beatus eris.
Te modo victorem binis amplectitur ulnis
Arcobriga, hæc Capuæ proxima terra solo.
Ter tua membra loco direpta fuere, ter ipsa
Antiquam sedem cœlitus acta petunt.
Inibi terra tenet Hispani martyris ossa,
Invidet Hispanus hoc decus Italiæ.
Ora pro nobis, Vitalis, splendide martyr,
Esto memor patriæ, ceu memor Hispaniæ es.

Venerandæ certe antiquitatis monumentum hoc mirum in modum Dextri testimonio consonat, dum S. Vitalem Thermeda oriundum prope Complutum, patrem sanctorum Martyrum Complutensium, ipsumque prope Fundanam urbem in Campania Italiæ (nunc Terralaboris et regni Neapolitani provincia) pro Christo occisum asseverat; addit autem martyrii locum, et sepulcri; et magnum illud sacrorum pignorum miraculum : quod nimirum membratim discerptum ejus corpus atque in diversas vias projectum, iterum membra omnia cœlitus mota in locum pristinum redierunt; et hoc ipsum miraculum tertio repetitum. Sic intelligo illud, *Ter tua membra loco direpta fuere*, etc. Meminit Thermedæ Ptolomæus in Carpetanis, quam Valderedus rusticam Compluti villam facit; eamque ipsam existimo, quam Appianus Alexandrinus Termantiam nuncupat, ubi Pompeius devictis Numantinis se recepit; nam Numantiam non longe sitam fuisse, quo loci nunc Pons Garay est, ad urbem Soriam, doctiores historici affirmant, et cum eis Moralius in Antiquit. Hispan. verbo *Numantia*, fol. 104, tametsi ipse Thermantiæ situm ignoraverit.

2. *In Octaviola*, etc. Erat non longe a Bermeo olim Octaviola, cujus meminit Ptolomæus in Cantabria, sic dicta, ut nomen indicat, ab Octaviano Augusto, qui illic exstiterat ad Cantabros devincendos. Cæterum quod Dexter addit, Octaviolam in Vezozabia sitam fuisse, illuc tendit, ut patrium ejus provinciæ nomen assignet, id est, Vezozabiam, quam nunc paulo corruptiori vocabulo Vizcaiam dicimus, a Romanis Cantabriam nuncupatam. Igitur in eo oppido martyrium subierunt sancti Christi martyres Maximus et Dadas, quorum memoria a Græcis agitur in Menologio die 13 Aprilis, asseruntque simul cum ipsis occubuisse pro Domino S. Quintilianum, his verbis : *Eodem die sanctorum martyrum Maximi, Quintiliani, et Dadæ, Maximiano et Diocletiano imperatoribus gladio percussorum.* De iisdem agitur in

A.C. 290. Telæ Hispaniæ urbe, SS. martyres Eleutherius Persa, Theodosius, Zoilus. A. R. 1041.
Romæ, sanctorum martyrum Zenonis, et mille ducentorum duorum martyrum Hispanorum ex Celtiberia gloriose passorum.
Senagis episcopus Braccarensis floret, interfuitque Illiberitano.
Cluniæ, quæ olim Celtiberiæ finis fuit, trecenti quinquaginta quinque martyres, socio S. Saturnino.

BIVARII COMMENTARIUS.

eodem Martyrologio die 18 Julii, at in Romano Martyrologio ad diem 13 Aprilis, asseruntur que in persecutione Diocletiani passi. Edidit eorumdem acta Metaphrastes, et ex eo Lipomanus, et Surius tomo II; eorum initium est: *Quo tempore imperabant Maximus et Maximianus*, etc. Summa autem actorum est, quæ a Galesino in suo Martyrologio his verbis contrahitur: 13 *die Aprilis, sanctorum martyrum Maximi, Quintiliani, et Dadæ. Ii Maximiano, et Diocletiano Ecclesiam Dei vexantibus comprehensi, in judicio institutis quæstionibus se Christianos esse libera voce confessi, in custodia includuntur; ubi noctu in somnis Satanæ astu contra a se dici vident, at e somno excitati, ad eamdem confessionem angeli admonitu, cum vehementius sese confirmassent, postridie mane ab impiis non modo non potuerunt a proposito amoveri: sed fidentiori animo ac liberius Christi religionem professi, primo verberibus cæsi, mox in carcerem iterum conjecti, demum aliis superatis cruciamentis, gladio percussi, palmam martyrii tulerunt.* Additur in actis sanctos martyres Maximum, Quintilianum, et Dadam fratres fuisse: Maximum officio lectorem; occisos vero in oppido Ozobia. *Cum autem* (inquiunt) *pervenissent martyres ad eum locum, cujus nomen est Ozobia, et Christi signo corpora signavissent, a carnifice securi percussi sunt.* Legendum tamen ex Dextro Ozobia, seu integre Vezozabia, ut ex dictis patet. De iisdem agit Molanus in Additionibus ad Usuardum. Exstat in Placentina Diœcesi oppidum *Vezocana* nuncupatum; nec deerunt qui inde sanctos hos martyres fuisse velint; at si de Octaviola prope olim existente constiterit, non reluctabor: quam tamen inibi exstitisse adhuc assecutus non sum.

3. *Telæ*, etc. Vide de Tela Vaccæorum urbe quæ superius annotavimus ad annum Domini 112. De martyribus autem Eleutherio, Theodosio et Zoilo agunt Græci, a quibus Galesinus hæc mutuatus est: *Eodem die* (id est, 13 Aprilis) *beatorum martyrum Eleutherii Persæ, Theodosii, et Zoili, qui pro Christo dimicantes, concertationis, quam fortiter susceperant, confectæ præmium adepti sunt.* Porro quod Eleutherius nuncupetur *Persa*, nihil obest, quo minus Telæ in Hispania passus sit, nam in vastissima Romani imperii amplitudine sæpissime hinc inde milites præsidii causa mittebantur; et sicut multos Hispanorum in aliis remotissimis mundi regionibus occisos legimus, mirum non erit si unum Persam in Hispania decapitatum audiamus.

4. *Romæ*, etc. Beatissimorum martyrum Zenonis et sociorum decem millium ducentorum trium Romæ sub Diocletiano pro Christo occisorum, celebris est memoria in omnibus Latinis Martyrologiis, Romano, Adonis, Bedæ, Usuardi, Maurolici, Galesini, et in Equilino, lib. VI, cap. 75, cujus ex Adone verba sunt: *Zenon, et alii decem millia ducenti et tres martyres Christi, Romæ ad Guttam jugiter manantem, martyrium passi sunt. Qui per diversa supplicia trucidati, Christum Dominum in suis corporibus glorificantes, coronas triumphi cœlestis obtinere de manu Domini meruerunt.* Consonant tam in numero, quam in loco martyrii prædicta omnia Martyrologia. Gutta vero jugiter manans illa est, quæ alias *ad aquas salvias* locus dicitur, ubi nimirum Paulus apostolus decollatus est, et sanctorum Vincenti et Anastasii monasterium, alias trium fontium vocari consuevit. Quo videas mendum irrepsisse codici Usuardi apud Molanum, dum alterius cujusdam judicio, et charactere diverso, quod dixerat Usuardus, Romæ ad Guttam jugiter manantem, ita expositum fuit, ut adderetur, *quæ alias dicitur Ecclesia S. Mariæ fontis olei trans Tiberim.* Prave quidem, cum longe alia Ecclesia hæc ab illas sit: et alias ad Guttam præfatam adhuc celebre sit sanctorum martyrum Zenonis et sociorum sepulcrum. Notat Baronius in actis S. Marcelli papæ, ad annum 298, Diocletiani et Maximiani jussu, omnes ubique positas legiones lustratas fuisse, et eos, qui in eisdem reperti Christiani milites fuerunt, exutos militia, ac penitus exarmatos in vinculis Romam perductos, et veluti servos ascriptitios thermarum operibus fuisse mancipatos; thermis vero absolutis, eos qui constantes in Christi confessione, nullis fracti laboribus perstitissent, ne laborum opere alleviati (quod ingens esset illorum numerus) aliquid in imperium molirentur, omnes pariter capitis sententia condemnatos: numerumque eorum repertum fuisse decem millium ducentorum trium. *Qui omnes*, ait ille, *una cum Zenone tribuno, qui inter eos dignitate excellere videbatur, extra Urbem, porta Trigemina ducti sunt, et in convexo vallis, in loco dicto Gutta jugiter manans ad aquas salvias, ad unum omnes necati sunt 7 idus Julii.* Subdit vero: *Quod igitur sudoribus Christianorum militum eorumdemque confessorum, ac denique martyrum, immensa illa Thermarum* (Diocletiani) *moles exstructa sit, Dei beneficio effectum est, ut integra manens* (*cum cæteræ thermæ pene collapsæ, et ignobiles sint*) *sit nunc ecclesia S. Mariæ Angelorum.* Quod ad numerum spectat, in codice Dextri, qui exstat, solum legimus Zenonis socios fuisse numero mille ducentorum duorum, cum tamen prædicta omnia Martyrologia, et auctores habeant, decem millium ducentorum trium. Nonnullis visum est, deesse in Dextri codice verbum *decem*, ut non quidem solum mille, sed *decem mille* legendum sit; quod vero dicantur rursus *ducenti duo*, vel ducenti tres parum interesse, cum ea variatio pendeat ex eo, quod Zeno ipse numerum cum cæteris faciat, vel extra cæterorum numerum referatur. Probabilius autem mihi est, sanctum quidem Zenonem socios habuisse XMCCII; hos autem non omnes Hispanos milites fuisse, sed MCCII; cætera novem millia ex aliis fuisse regionibus, si vera sunt quæ ex Baronio retulimus. Dexter assignat etiam provinciam S. Zenonis et sociorum, fuisse Celtiberiam, quæ a Carpetanis Cæsaraugustam usque tendebatur.

5. *Senagis*, etc. Nominatur Senagis quinto loco inter Patres Illiberitani concilii, de quo postea; corrupte tamen in quibusdam codicibus legitur episcopus Epagrensis, et in aliis corruptius Biguerrensis, cum ex Dextro constet fuisse tunc temporis Bracarensem. Qua de re inferius iterum erit sermo ad ann. 300.

6. *Cluniæ*, etc. Fuit olim Clunia urbs Hispaniæ nobilissima, utpote quæ coloniæ et conventus privilegiis nobilitata exstitit. Ptolomæus coloniæ testimonium perfert; quod vero ad conventum seu tribunal causarum pertinet, Vasæus in Chronico auctor est, Cluniæ, non ante multos annos inter urbis ruinas inventum sigillum cum inscriptione CONVENTUS CLUNIENSIS, quod apud Cluniensem comitem asservatur. Meminit Suetonius in Galba sacerdotis Jovis Cluniensis, cujus magni habebantur vaticinia; ipsumque Galbam ait confirmatum fuisse ad imperium capessendum secundis auspiciis: tanto magis, quod illa carmina sacerdos Jovis Cluniæ ex penetrali somno

A. C. 296. Compluti, sancti Christi martyres Justus et Pastor, filii S. Vitalis. A. R. 1847.
Carthagine in Hispania, S. Carithina virgo et martyr sub Diocletiano sextum et Crispino nobilissimis Cæsaribus coss.

BIVARII COMMENTARIUS.

munitus eruerat. Perstant adhuc non pauca vestigia veteris Cluniæ, sexto ab Uxama Hispano lapide (leucas vocant) cum Romano amphitheatro, in rure heremitorii S. Mariæ de Castro; et prope eum locum, oppidum Cluniæ fere nomen retinens, vulgo *Coruna*. Falluntur plane qui eam confundunt cum urbe Gallæciæ regia, ubi nunc conventus causarum est; et Moletius qui asserit nunc dici *Ciudad real*, cum tamen ambæ longe distantes sint ab Arevacis, ubi Clunia a Ptolomæo statuitur. Consonant nostræ sententiæ Morales, lib. VIII Hist. Hispan. cap. 23; Vasæus, Florianus de Ocampo; Mariana et Nebricensis. Quod autem Dexter asserit Cluniam fuisse olim Celtiberiæ finem, eo tendit, ut doceat terminos Celtiberorum et Arevacum suo tempore fuisse mutatos, ita ut urbs, quæ olim finis Celtiberorum erat, jam intra Arevacos sit, hoc est Clunia. Porro sancti Saturnini et sociorum martyrum inibi pro Christo occisorum memoria in Romano Martyrologio celebratur ad diem 16 Octobr., alterius e suis nomine etiam recensito sub his verbis: *Item sanctorum Saturnini, Nerei, et aliorum trecentorum sexagintaquinque martyrum.* Consonant vetera manuscripta, quæ Baronius allegat; Molanus in additionibus ad Usuardum, et Equilinus lib. XI, cap. 30, num. 291, qui Saturninum fuisse presbyterum affirmat: nam ait: *Saturninus presbyter, et Nereus, cum aliis trecentis sexagintaquinque passi sunt 18 kal. Novembris.* Deesse igitur videntur in codice Dextri decem martyres, nam prædicti auctores omnes legunt CCCLXV, inibi vero solum CCCLV.

A. C. 296. — 1. *Compluti*, etc. Beatissimorum Christi infantum, ac nobilium martyrum Justi et Pastoris celebrant diem omnia Martyrologia 6 Augusti, Bedæ, Usuardi et Adonis, Romanum, sub his verbis: *Compluti in Hispania sanctorum martyrum Justi et Pastoris fratrum: qui cum adhuc litteris imbuerentur, projectis in schola tabulis, sponte ad martyrium cucurrerunt; et mox a Daciano præside teneri jussi, et fustibus cæsi, cum se mutuis exhortationibus constantissime roborarent, extra civitatem perducti, a carnifice jugulati sunt.* Eadem fere habet Equilinus lib. VII, cap. 32, qui tamen addit: *Eorum animas etiam ipsi gentiles ab ipso Christo concinentibus angelis ad cœlum deferri viderunt: corpora vero a Christianis in eo, quo passi fuerant loco, tumulata sunt, multis clarentia signis.* De eisdem summa cum laude egit S. Eulogius in Memoriali Sanct. lib. I, et Morales ibi, cum cæteris Hispanicarum rerum scriptoribus. Et ante omnes Prudentius in Peristeph. hym. 4, inquiens:

Sanguinem Justi, cui Pastor hæret,
Ferculum duplex, geminumque donum,
Ferre Complutum, gremio juvabit
Membra duorum.

Ipsorum acta ex Marinæo Siculo edidit Surius tomo I. Habeo ego vetustiora, quæ in Ecclesiis olim recitabantur, et ab antiquo Palentinæ Ecclesiæ Breviario, ubi sub officio proprio celebrabantur, extraxi, quæ in gratiam complutensium hunc in locum ponere non gravabor:

In diebus illis, dum crudelissimus Dacianus per civitatem Complutensem transitum faceret, et ejus tremendam opinionem pene cuncta civitas cognovisset; hoc cognito duo infantes sanctissimi, Justus et Pastor, relictis scholæ tabulis, in quibus eorum teneræ litteris imbuebantur ætates; jam non ad studium sæculi istius, vel doctores, ire cœperunt, sed quasi probati Christi discipuli, ad spectaculum proprii martyrii alacri devotione cucurrerunt. Cumque solliciti cernerent, et intento caperent corde, quid Daciani dementis præmitteret furor, nunciatum est Daciano, quod hi duo infantuli Christiani essent, et a parentibus Christianis orti fuissent, et per hoc ad spectaculum venerunt, ut si a vestra clementia facta fuerit requisitio Christianorum, ipsi se sponte offerant puniendos. Cumque hoc crudelissimus Dacianus diligenter advertisset, statim indignationis ira commotus, inauditos eos jussit comprehendi, et cædi præcepit, timens ne dum ad interrogandum ad ejus præsentiam perducerentur, aliorum circumstantium ad confessionem Christi animas præpararent, aut ne, dum eis non prævaluisset, suam prospiceret malitiam ab infantibus superari. Cumque comprehensi fuissent, priusquam supplicium paterentur, sic se sancti martyres, aspirante angelo Dei, læti invicem confortabant. Justus dixit: Noli, frater Pastor, hanc temporalem pertimescere mortem, noli cædentium ictus in tuo tenerrimo corpore devitare; noli incumbentem gladium formidare; quia si annuente Deo isthic exire contigerit, nos ad ipsius gloriam properantes, digniorem in futuro sæculo ejus suscipiemus fortitudinem, quæ non minuat nostram parvitatem, sed ad perfectiorem martyrum et angelorum perducat ætatem. Cui sanctissimus Pastor dixit: Digne quidem, frater Juste, sic te decet hortari, ut justitiam, quam in tuo nomine portas, simul cum fratre tuo Pastore suscipias. Leve enim fit nobis pro confessione Domini nostri Jesu Christi corpusculum jugulari, et sanguinem fundi, ut in cœlesti sacrario Christi divinum corpus, et pretiosum sanguinem ejus liceat adorare. At ubi qui directi fuerant violenti carnifices, illos audissent unanimiter talia loquentes, nuntiant Daciano, quid de eis præciperet, quos audierant sic se pro nomine Dei audacter consolantes. Quo audito Dacianus stupefactus ait: Non sunt digni illi conspectibus nostris sisti, qui nec infantiæ suæ tenerum robur lucrari voluerunt, nec deorum nostrorum venerabilem maluerunt adorare culturam. Statim jubet eos procul a civitate gladio trucidari. Passi autem sunt circa annum Domini 298. Hactenus Palentinum Breviarium.

Porro durissimum saxum, quo capita beatorum martyrio coronanda præcepit, teneram ipsorum fortitudinem reveritum, molle redditum est, et capita in se recipiens, imagines eorumdem reddidit, et longo tempore ubertim oleum profudit. Utriusque miraculi patentissima vestigia sæpius Compluti in sanctorum sacello veneratus sum. De inventione reliquiarum sanctorum Justi, et Pastoris, et templo ac sede episcopali a S. Serrano super ipsas erecto agemus inferius cum Dextro ad annum 423, ubi hymnum ab eodem compositum in laudem eorumdem sanctorum martyrum dabimus.

2. *Carthagine*, etc. Sextus Diocletiani consulatus, teste etiam Baronio, incidit in annum Christi 296, ut Dexter asseverat: socius vero ipsius Constantius Cæsar fuisse scribitur a Cassiodoro, Idatio episcopo Lamacensi, Onuphrio et aliis; quare mendum (reor) irrepsit codici Dextri, qui habet Crispinum. Cæterum sanctæ virginis ac martyris Charitinæ, quæ Carthagine multa pro Domino eo anno passa est, habemus acta olim scripta, et a Metaphraste Græcis reddita, nunc autem diligentia Aloysi Lipomani iterum latinitate donata, tom. VI, et a Surio in suo V excusa, quorum initium est: *Dominatum aliquando obtinuit impietas*, etc. Præcipua ipsorum capita his verbis Galesinus recensuit in suo Martyrologio ad diem Octobr. 5: *S. Charitinæ virginis et martyris, quæ Diocletiano imperatore, fidei Christianæ accusata apud præfectum, libere se Christum Deum colere professa, primum capite raso, candentibusque carbonibus*

A.C. 296. In sede Christi et Petri Romana, Sixtum Dionysius, Dionysium Felix, Felicem Euty- A. R. 1047.
chianus, Eutychianum Caius, Caium Marcellinus pontifex sequitur.
Heracleæ in Hispania prope fretum Herculeum, sanctissimi Christi martyres Felix et Januarius.

BIVARII COMMENTARIUS.

consperso, tum ingenti lapide e collo ejus appenso in mare abjicitur; unde divino auxilio emersa, præfecto se ipsa ostendit. Quæ postquam omnes, qui aderant, rei admirabilitate attonitos reddidisset, vulsis dentibus, præcisisque manuum ac pedum digitis, ad palmam martyrii pervenit. Eadem habet fere Rom. Martyrologium; *et sub Domitio consulari passam narrat.* Legendum tamen puto *sub Decimio*, constat enim eo tempore Decimium Germinianum Bæticæ proconsulem fuisse, idque hactenus incisum legitur Cordubæ in lapide, quem Morales refert lib. IX, c. 26. Illud Galesino vitio vertendum est, quod dixerit, *in Græcia sanctæ Charitinæ*, etc., quasi eo ipso quod a Græcis celebretur, in Græcia certum sit occubuisse. Consultius Romanum Martyrologium a nomine patriæ abstinuit, quod ignorabat, sicut etiam menologium Græcorum abstinuit, cujus die 5 Octobr. verba sunt: *Natalis sanctæ martyris Charitinæ, quæ fuit sub Diocletiano imperatore, et Domitio* (lego Decimio) *comite, Claudii cujusdam serva. De qua cum comes audivisset, scripsit ad ejus dominum, ut ad se illam mitteret inquirendam, ut Christianam. Quare tristatus est dominus, et sacco indutus illam deflebat, ut citò morituram. Quem serva ipsa consolans dicebat: Domine, ne tristeris, ad gaudia siquidem pro meis et tuis delictis victima Deo accepta reputabor. Illo vero dicente: Memento mei apud cœlestem Regem, missa est ad comitem: ad quem perducta, et Christum confessa, raso capite, super ardentes carbones strata est, postea saxo gravi alligata projecta est in mare. Ex quo egressa apparuit comiti, a quo multis aliis tormentis cruciata post unguium manuum et pedum abscissionem Deo spiritum commendavit.* Hæc ibi.

3. *In sede Christi*, etc. Recapitulat eos Romanos Pontifices, qui a S. Sixto II, B. Laurentii magistro, in sede Petri sederunt usque ad præsens tempus. Hi sunt Sixtus, Dionysius, Felix, Eutychianus, Caius, Marcellinus. S. Dionysius quidem obiit 26 Decembris anni Domini (si Baronio credimus) 271, cum sedisset annos 11, mens. 3, dies 14. S. Felix occisus est pro Domino 20 Maii anni 273, cum sedisset annos 2, menses 5, diem unum. S. Eutychianus 8 Decembr. passus est anni Domini 283. S. Caius martyrio coronatus fuit 22 Aprilis ann. 296, postquam sedisset ann. 12, mens. 4, dies 4. Huic demum successit Marcellinus 26 Aprilis occisus, de quo iterum inferius.

4. *Heracleæ*, etc. Ostendimus ad annum 70 Heracleam Hispaniæ urbem e regione Gaditanæ Insulæ sitam fuisse. De sanctis autem martyribus Felice, et Januario illic occisis hæc habet Usuardus die 7 Januarii: *Civitate Heraclea, Felicis et Januarii.* Equilinus vero, lib XI, cap. 130, num. 18: *Felix*, inquit, *et Januarius in civitate Heraclea passi sunt 7 idus Januarii.* Romanum autem Martyrologium hac ipsa die: *In civitate Heraclea sanctorum martyrum Felicis et Januarii*, eisque consonare antiquos manuscriptos codices, testis est Baronius in notis. Agunt etiam de eis Græci in Menologio additis sociis Fortunato et Septimio ad 16 Aprilis, ex quibus Galesinus hæc habet: *Sanctorum martyrum Felicis episcopi, Januarii presbyteri, Fortunati et Septimii; promulgatis Diocletiani et Maximiani Cæs. edictis de concremandis ubique terrarum Christianæ fidei libris, cum eos tradere, tum idolis immolare præcise constanterque negarunt; quam ob causam varie excruciati, cervices pro Christi gloria libentissime dederunt.*

A. C. 298. — *Fausto et Gallo coss.* Subiit pro Christo martyrium S. Marcellus Trajanæ Legionis centurio, Tingi in Mauritania, quo ab urbe Legionensi, cujus erat civis, adductus fuerat. Exstant ejus acta apud Surium et Baronium, quorum exordium: *In civitate Tingitana procurante Fortunato præside*, etc. Coronatus fuit 30 Octobris, qua die a Romano Martyrologio, Beda, Usuardo, Adone et cæteris celebratur. Huic ex S. Nonia uxore nati sunt sanctissimi Christi martyres Claudius, Lupercius et Victoricus, qui apud Legionem; Emiterius et Cheledonius, qui Calagurri; Servandus et Germanus, qui Emeritæ; Faustus, Januarius et Martialis, qui Cordubæ pro Christo Domino occisi sunt, quorum memoria in omnibus Martyrologiis et historicis rerum Hispanicarum celebris est. Consule Ambrosium Moralem, lib. X Hist. cap. 20, usque ad 24; Marietam, 1 p. lib. II, a cap. 41; Villegam, Trugillum; Sanctorum, et cæteros. Cæterum quid fuerit in causa, ut Dexter eorumdem non meminerit, divinare non possum; facilius mihi persuadeo eorum nomina transcribentium incuria relicta fuisse: non enim est credibile, tot ex celebrioribus Hispaniæ martyres Dextrum ignorasse.

Celebrabantur olim eorumdem natales cum officiis aut hymnis propriis in Breviario Gothico S. Isidori; ubi in honorem SS. Emiterii et Chelidonii canebatur hymnus (3 Martii) ab Aurelio Prudentio compositus, cujus initium: *Scripta sunt cœlo duorum martyrum vocabula*, qui exstat in principio Peristephani; sed illud silendum non est, quod post medium asserit, annulum et orarium ipsorum in cœlum cunctis videntibus assumpta fuisse.

Illa laus occulta non est,
Nec senescit tempore,
Missa quod sursum per auras
Evolarunt munera,
Quæ viam patere cœli
Præmicando ostenderent.
Illius fidem figurans,
Nube fertur annulus,
Hic sui dat pignus oris,
(Ut ferunt) orarium,
Quæ supremo rapta flatu
Lucis intrant intimum.
Per Poli liquentis axem,
Fulgor auri absconditur,
Ac diu visum sequacem,
Textilis candor fugit:
Subvehuntur usque in astra,
Nec videntur amplius.
Vidit hoc conventus adstans,
Ipse vidit carnifex,
Et manum repressit hærens,
Ac stupore oppalluit,
Sed tamen peregit ictum
Nec periret gloria.
Jamne credis, bruta quondam
Vasconum gentilitas,
Quam sacrum crudelis error
Immolavit sanguinem?
Credis in Deum relatos
Hostiarum spiritus?

(*Narratis deinde miraculis ad tumulum sanctorum martyrum crebro fieri solitis, subdit:*)

Hoc bonum Salvator ipse,
Quo fruamur præstitit,
Martyrum cum membra nostro
Consecravit oppido,
Sospitant quæ nunc colonos,
Quos Hiberus alluit.

De iisdem munusculis martyrum palam in cœlum sublatis agitur in benedictione præfati officii sub his verbis: Benedictio. *Omnipotens Deus, ad quem beatissimi Emiterius et Chelidonius martyres ob confessionis fideique signaculum, orarium atque annulum cælis*

A.C.299. Telæ in Hispania prope Palentiam Vaccæorum, urbem prævalidam, sanctissimi Eutychii martyris insignis memoria. A.R.1050.

Avitus Barcinonensis episcopus, vir egregie doctus.

Melchiades genere Afer, in Hispania urbe Mantua Carpetanorum ortus, floret Romæ gloria sanctitatis et doctrinæ.

300. Agauni in Gallia sanctæ virgines et martyres Fides et Sabina, domo genteque Hispanæ, ex urbe Civitatensi, sub Daciano passæ, Galliarum et Hispaniarum crudelissimo præside. 1051.

BIVARII COMMENTARIUS.

subvehenda miserunt, conservet vos utroque munere gratiarum. Amen. *Ut per eos et fidei et confessionis virtute pollentes, æterni cœlestis patriæ habeamini cives, quorum hodie geminum festum celebratis ovantes.* Amen. *Quo sicut alumna plebs de eorum gemina susceptione corporum gratulatur, sic tota Ecclesia eorum se tueri ac defendi patrociniis gratuletur.* Amen.

Quod spectat ad SS. Faustum, Januarium, et Martialem, reperitur itidem hymnus in eodem Breviario, quo ipsorum acta recensentur, quem similiter in gratiam eruditorum placet huc inserere:

Gaudet caterva nobilis
Dei repleta gratia,
Trium sanctorum martyrum
Est præclara solemnitas.
Templum beata trinitas
Perenne condidit sibi;
Ex quo novum depromitur,
Dulcissimumque canticum.
Hi tres viri concorditer
Ad passionem veniunt;
In Trinitatis nomine
Hostem vincere pessimum.
Faustus benignus primus est,
Affatur: hujus temporis
Condigna non est passio,
(Fratres) ad futuram gloriam.
Beatus Januarius,
Aperta, inquit, janua est:
Nobis..... gaudio,
Cœlo fruamur optimo.
En Martialis provehit
Ascensus almis omnibus
Sanctis Dei ad gloriam,
Gaudet lætus consortio.
Tunc Martialis orsus est:
Propter æternam gloriam
Debemus temnere idola,
Et judicis sævitiam.
Mox præses cœpit fremere:
Dentes, nares, auriculas,
Labra, sed supercilia,
Sanctis jussit abscindere.
Inquiunt almi martyres:
Judex inique, pessime,
Servos Dei cur afficis?
Cur falsos deos suspicis?
Furore tunc tyrannus est
Accensus, inquit, Mittite
In ignem istos, monita
Qui nostra audent temnere.
Intrant beati martyres
Læti caminum: concinunt
Hymnum Deo, et canticum
Novum piis concentibus.
Abjecta carnis sarcina
Mittunt in astra spiritum:
Christum vident, quem diligunt,
Sancti Dei cum Angelis. Gloria, etc.

Nec silenda videtur illa oratio, quæ ad nomina ipsorum martyrum respicit; nimirum oratio: *Faustus precibus suis faveat miseris, et oppressis: Januarius ductor egregius aperiet nobis januam vitæ cœlestis: Martialis obtineat quidquid plebs alumna mente devota, sibi fieri exoptat pro delictis.* Sed de his hactenus.

A. C. 299. — 1. *Telæ*, etc. De Tela urbe prope Palentiam sita satis diximus in superioribus ad annum Domini 112, ubi de S. martyre Eutychio egimus. Nunc ejus celebrem fuisse memoriam Dexter asseverat.

2. *Avitus*, etc. Prosequitur semel assumptum institutum de serie episcoporum Barcinonensium continuanda. Nec mirum, cum ipse Barcinone natus sit.

3. *Melchiades*, etc. Erat hic annus ætatis S. Melchiadis 51, utpote qui natus fuerat anno Domini 246, ad quem satis multa de ipso diximus, quæ hic desideraret quis: Non unus idemque Melchiades hic est cum eo de quo Hieronymus lib. de Script. Eccles. asserit scripsisse volumen præcipuum adversus Montanum, Priscillam, et Maximillam, et adversus gentes, Judæosque libros alios: nam hic sub Diocletiano, ille vero sub M. Antonio Commodo floruit, qua in re fallitur Equilinus lib. I, cap. 52, eos confundens. Nostri etiam Melchiadis eruditionis ac doctrinæ testimonium præbet abunde epistola ad Marinum, Leoncium, et Benedictum Hispaniæ antistites scripta, quæ adhuc exstat tomo I Conciliorum, ubi de qualitatibus episcoporum, et de Confirmationis Sacramento edisserit.

B A. C. 300. — 1. *Agauni*, etc. Annum Christi 300 inimus, qui plus cæteris coronis sanctorum martyrum abundavit; idcirco fusius a Dextro descriptus. Capit vero initium a sanctis sororibus Fide et Sabina, quæ in Hispania natæ, Agenni demum in Gallia Aquitanica passæ sunt, sub Daciano præside. Et quidem Fidis (seu Fidei) festa dies agitur ad 6 Octobris in Martyrologiis Romano, Bedæ, Usuardi, et Adonis, iisdem fere verbis, nimirum: *In Galliis civitate Agenno, natalis S. Fidis virginis, et martyris: cujus exemplo beatus Caprasius ad agonem martyrii animatus est.* Exstant ejus acta apud Mombritium tomo I, et Surium tomo VII quæ ad breve compendium reduxit. Equilinus lib. IX c. 26: *Fides*, inquit, *virgo et martyr apud Agennensem civitatem passa est sub præside Daciano. Quæ cum esset nobilis, virginitatem suam ab infantia Deo consecravit. Juvenis autem ætate, sed animo cana a Daciano præside in Agennensi urbe comprehensa; ut diis sacrificaret jussa, dum Christum confiteretur, super craten æream di-*
C *varicatis membris extensa, et substratis carbonibus, adipeque flammis injecto; dum sic coqueretur, multos suæ virtutis exemplo convertit, et ad martyrium animavit. Inter quos B. Caprasius divino signo firmatus, ad certamen roboratus est. Beata vero Fides post multos et Deo dignos agones, pro Christi nominis confessione capite cæsa, et in civitate Agennensi in tumulo honorifice deposita est pridie nonas Octobris.* Hæc ille. Tandem vero ad Hispanias adductum sacrum corpus, in monasterio S. Cucuphatis principatus Catalauniæ, honorifice conditum est, ut ex veteribus monumentis tradit Yepius in Chron. Benedictinis ad ann. 778. Et hæc quidem de Fide dicta sint. Quod autem ad sanctam Sabinam spectat, non solum Dexter, sed et archipresbyter Murciæ in Valerio suo lib. III titul. 3 cap. 5, quem refert Morales lib. X Hist. cap. 29, et Vasæus in Chronico ad ann. 306, testes sunt, sociam fuisse sanctæ Fidei; et utramque Emeritæ in Hispania ortam; dum persecutionem fugerent,
D tandem Agenni in Gallia, devicto Daciano, crudelissimo Christiani nominis hoste, triumphasse. Codex Dextri pro Emeritensi urbe, habet *Civitatensi;* sed uter veritatem attigerit, aut cui mendum irrepserit, divinare non possum; demum adverte, Dextrum Agauni, pro Agenni legisse. De S. Vincentio Agennensi mox agemus.

A. C. 300. Urenæ patitur Valerius episcopus Cæsaraugustanus 10 die Januarii, relinquens posteris constantiæ exemplum. A.R. 1051.

Mademarius episcopus Barcinonensis, excellens.

Hispali in Hispania Carpophorus, et Abundius martyres, ibidem nati, et educati, crudeliter pro Christo occisi.

BIVARII COMMENTARIUS.

2. *Urenæ*, etc. S. Valerii Cæsaraugustani episcopi nobilem reddidit memoriam S. Vincentius martyr, ipsius archidiaconus, in cujus actis multa de Valerio habemus. Ejus festa dies ad 28 Januarii agitur in Romano Martyrologio; in Breviario vero Toletano die sequenti : Dexter habet sublatum fuisse in cœlum die 10 ejusdem : et nisi mendum sit in codice, credendum est 28 vel 29 festum translationis agi. Quod ad genus mortis ejus spectat, hactenus confessorem vocarunt fere omnes, Dexter tamen passum fuisse scribit, nimirum quod in exsilio plenus ærumnis passus sit; et novum non sit, hoc genus mortis martyrium nuncupari. Id quod egregie notavit D. Ferdinandus de Mendoza pro concilio Iliberritano, cap. 4; et Romanum Martyrologium, assentiente Græcorum Menologio, septem fratres Armenos, Orentium, Heroim, etc., Satali multa passos, martyres vocat, cum tamen in exsilio quieverint in Domino, die 24 Junii. De loco passionis, seu mortis ejus, discordia etiam est inter auctores; nam Morales lib. x cap. 7, cum aliis in ea est sententia, ut asserat diem ultimum explevisse apud Annet, ad oram fluminis, cui Cinca nomen in saltu Ripagorzæ, sepultumque inibi in castello de Estrada; cui subscribit Marieta lib. v de Sanctis Hispaniæ cap. 23; at vero Dexter Urenæ occubuisse scribit. Est autem non ignobile oppidum Urena in veteri Castella, comitatus titulo insignitum : sed aliud videtur fuisse in Ripargoza, quo scilicet relegatus, et mortuus sanctus Valerius fuit, inde vero ad castellum de Estrada deductus, ac sepultus. Affuisse S. Valerium Iliberritanæ synodo inferius monstrabimus; ex quo liquet, quæ hoc loco de passione ejus dicuntur per anticipationem esse relata, nam abiit in cœlum circa annum Domini 206. Placet hic inserere additionem Helecæ ad Chronicon M. Maximi, in gloriam sancti Valerii, nimirum : *Cæsaraugusta felix putanda est, quæ duos sub Valerio pontifices habuit Vincentios; utrumque archidiaconi laude præstantem; alterum Oscensem ex Hispania, Agennensem alterum ex Gallia. Antiquior Agennensis, quem in Galliam misit prædicationis gratia sanctus Valerius. Ei successit junior Vincentius, qui præclarum virtutis, et innocentiæ præbuit specimen. Uterque passus in persecutione Diocletiani : hic anno* 287, *ille vero anno* 304. *Uterque postea sepultus in urbe Valentia Hispaniæ : prior allatus est ad promontorium sacrum; hic vero ad Gallias ad monasterium Castrense, anno circiter* 850; *Hispanus* 757, *obsidente Valentiam Abderragmene. Utrumque celebrat Prudentius; leviter Agennensem, cum dicit :*

Inde Vincenti tua palma nata est,
Clerus hinc etiam peperit triumphum.

Oscensem fusius cum ait : Nonne Vincenti peregre necandus; usque ad multos versus poematis. Habuere sanctissimi istii levitæ multas templorum sacras ædes in Hispania et Gallia. Toleti fuit a Gundemaro ædificatum in laudem S. Vincentii Hispani levitæ, et a Juliano archiepiscopo Toletano; alterum in honorem sancti Vincentii Agennensis, in edita parte Urbis regiæ, cujus devotissimus fuit, et fecit illi hoc carmen :

Vincenti, pateris, constans qui martyr Agenni,
Et Levita sacer sanguine ad astra volas.
Mucro tibi caput eripuit funestus, at illo
Laurea sacra tibi non moritura datur.
Gallia te genuit, docuitque Augusta ministrum,
Cæsarea, et Valerii sub pietate viges.
Gallia teque iterum recipit sacra verba docentem,
Maximianus inops mentis at ense necat.
Post cineres te, præsul amans, quoque Murila vectat,
Ipse Valentinus ad sua tecta vigil.
Tandem te ad patrios revocat, volventibus annis
Andualdus ovans, jussus et ipse lares.
Ora, pro nobis Vincenti, splendide martyr,
Cui Julianus opem postulat ipse tuam.
Qui tibi sub charo construxit pectore templum,
Et dedit exterius, quo venereris opus.

Hactenus Heleca, ex quo, ut vides, solvitur illa vetus quæstio inter Gallos et Lusitanos agitata de loco sepulcri S. Vincentii levitæ, et martyris, quem Aymo scribit translatum Valentiam ad monasterium Castrense; attamen ille non erat Oscensis, sed Agennensis. Porro festum S. Vincentii Agennensis martyris celebratur ad 9 Julii, ut ex Romano, Bedæ, Usuardi et Adonis Martyrologiis liquet. D. Gregorius Turonensis de gloria Martyr. cap. 105 scribit, historiam passionis ejus esse apud incolas Agennenses, de quo iterum agit lib. VII Hist. Francorum cap. 35 et Equilinus lib. XI cap. 130 num. 167, concilium Cabilonense cap. I et Venantius in epigr. de eodem. De Sancto Vincentio Oscensi inferius agemus.

3. *Mademarius*, etc. Successit hic Avito Barcinonensi, ut ex dictis superiori anno constat.

4. *Hispali*, etc. Sanctorum martyrum Carpophori et Abundii die 10 Decembris celebris est memoria in omnibus Martyrologiis, Romano, Bedæ, Usuardi et Adonis, ubi et ipsorum acta summatim referuntur. Aliquanto latius ab Equilino his verbis lib. I cap. 54 : *Carpophorus presbyter et Abundius diaconus apud Hispalim civitatem Hispaniæ passi sunt sub Diocletiani et Maximiani persecutione, agente præside Marciano. Qui ab eo comprehensi, primo fustibus cæsi sunt, deinde in carcerem pluribus diebus, negato omni cibo et potu, reclusi, inde miraculose per angelum educti sunt, et dum Christum populis annuntiarent, iterum tenti, ora eorum lapidibus contusa sunt : post hæc in equuleo levati, et diutius torti, rursumque diu in carcere macerati : novissime in confessione fidei gladio percussi sunt* IV *idus Decembris.* Acta habet Mombritius tomo I; ipse tamen et Bracchesius, qui ea edidit Camerini anno 1586 in eo sunt errore, ut credant hos sanctos martyres non Hispali, sed Spoleti in Italia passos; falli tamen eos demonstrat Beda, qui Hispali occisos docet. Usuardus et Ado legunt, *apud Hispolitanam civitatem* pro *Hispalitana.* Ilispalitanam autem ab Hispali dixerunt antiqui, ut Magnus Gregorius in prologo Moraliun; Spoletana vero civitas duabus primis litteris caret. Addit Baronius in Notis ad 10 Decembris : *Sed quod præstat his omnibus, catalogus episcoporum Hispalensium Carpophorum habet episcopum et martyrem.* Quasi non purus presbyter, sed etiam episcopus fuerit. Consentiunt Villegas in Flore Sanctorum, et Trugillus in Thesauro Concion., Vasæus in Chronico, et Breviarium Eborense a Vasæo citatum. Aufert denique omnem dubitationem, quod in actis eorumdem martyrum dicitur idem judex Martianus multis plagis affecisse eo tempore S. Bricium Martulæ episcopum : constat vero Martulam (quæ nunc Mertola dicitur) in Hispania esse, 30 leucas ab Hispali distantem; ut ad annum 308 monstrabimus : et tamen in Italia ejus nominis urbs non reperitur. Legi eruditam Thadæi Donnolæ tractationem de loco martyrii S. Felicis Spellatensis, ubi tamen martyres nostros contendit

A.C.300. Iliberri in Bætica concilium multorum episcoporum contrahitur; præest Felix episcopus Accitanus; cogitur jussu, mandatoque Melantii Toletani pontificis, et Hispaniarum episcopi primæ sedis. A.R.1051.

BIVARII COMMENTARIUS.

Spellatenses quoque fuisse; sed revera nihil hac in re adducit quod urgeat; immo et ipse concedit S. Bricii urbem in Italia non reperiri, sive dicatur Martula, sive Martana.

5. *Iliberri*, etc. Hinc illa vetus quæstio dirimitur de anno, quo Iliberritanum concilium coactum et celebratum est. Etenim non solum cum hæreticis a catholicis hac de re disceptatum est, sed etiam inter catholicos ipsos. Expugnavit Magdeburgenses feliciter Arnaldus Pontanus in sua Chronographia ad annos Christi 794, quod stultissime quadringentos annos antiquitatis a concilio demerent, asserendo celebratum fuisse circa annum Domini 700. Anglos vero debellavit Alanus Copus dialogo 4 de Anglis, quia videlicet ante quadringentos non amplius annos obiisse Patres ejus concilii affirmarent. Utrorumque vero deliramenta tam manifesta sunt legentibus concilii ipsius canones, et subscriptiones Patrum, ut non egeant expugnatore. Ergone Hosius qui ei interfuit, sub Constantino non floruit? aut Valerius Cæsaraugustanus a Daciano Diocletiani ministro vincula et exsilium perpessus; Melanthius Toletanus, qui sanctam Leocadiam sub Daciano martyrem sepulturæ mandavit; et Sabinus Hispalensis qui corpus S. Rufinæ ab eodem præside interfecto sepelivit (hi omnes concilio Iliberritano subscripserunt), ad annum 700 aut 1100 vitam protraxere? Ubi Christianorum ab idololatris persecutio, de qua frequens in canonibus concilii mentio fit? Ad catholicos redeo, qui parum inter se discordant.

Onuphrius Panuinus in Fastis asserit concilium Iliberritanum coactum fuisse anno Domini 313; Ambrosius de Morales lib. x Hist. Hisp. cap. 31, contendit celebratum anno Christi 324; Antonius Augustinus in epistola ad Hieronymum Blancam, anno sequenti, id est, Christi 325; Petrus Gregorius Tolosanus lib. XXII Syntagm. cap. 13, num. 12, rejicit illud ad annum Domini 336, et Joannes Vasæus in Chronico Hispaniæ ad 338. Nec desunt qui a designando certo ejus anno abstineant, ea affirmatione contenti, quod coactum sit circa tempora Nicæni. Ab his omnibus dissidet Baronius, qui celebratum contendit anno a Christo nato 305.

Quid igitur nobis certum in tanta opinionum discrepantia videtur? nimirum Dextro omnimodis assentiendum, qui proximus illis temporibus floruit; scribit vero accidisse anno Domini 300. Ex quo fit, ut sit antiquius omnibus conciliis, quorum canones exstent; id est, non solum Nicæno, sed etiam Neocæsariensi, Anzirano, immo Arelatensi. Probavit hoc singulari et admiranda eruditione D. Fernandus de Mendoza in egregio opere a se scripto sub titulo *Pro confirmando concilio Iliberritano ad Clementem papam VIII*; præsertim lib. I, cap. 1. Sane concilium ejusmodi celebratum fuisse vigente in Christianos persecutione, et consequenter sub imperatoribus Diocletiano et Maximiano, et ante imperium Constantini, tam manifestum est ex actis ipsius, ut probatione non egeat: multi siquidem canones agunt ea de re, ut can. 60, quo cavetur ne quis pro martyre colatur, si fregerit idola, et ea propter occisus fuerit: *Si quis*, inquit, *idola fregerit, et ibidem fuerit occisus, quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur ab apostolis umquam factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum.* Canone 25 agitur *de epistolis communicatoriis confessorum*, quas nimirum dabant Christi martyres in carcere existentes post publicam fidei suæ confessionem, et aliqua ut plurimum superata tormenta; unde et confessoriæ litteræ vocabantur, quasi datæ a confessoribus; quod nomen eo temporis iis duntaxat competebat, qui ad martyrium per publicam confessionem viam sibi paraverant. Et can. 58 disponitur examen ejusmodi litterarum, quoniam multi quæstus gratia litteras confessorum fingebant; jubeturque, *ut ubique, et maxime in eo loco ubi prima cathedra constituta est episcopatus, interrogentur hi, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recte habeant, suo testimonio comprobati.* Quod sane evidens signum est vigentis eo temporis persecutionis. Can. etiam 59 prohibetur: *Ne quis Christianus velut gentilis ad idolum Capitolii, causa sacrificandi ascendat, ut videat.* Canone 1 agitur *de his qui post baptismum idolis immolaverint;* can. 2 *de sacerdotibus gentilium post baptismum;* can. 15 *de conjugio eorum qui ex gentilitate veniunt;* et Can. 16 *de puellis fidelibus, ne infidelibus conjungantur:* ut alios ejusdem materiæ canones missos faciam.

Ex his igitur manifestum est, celebratum ante Constantini imperium, sub Diocletiano scilicet et Maximiano, quando persecutio vigebat, et idololatria regnabat in orbe. In conciliis vero Ancyrano, et Neocæsariensi, quæ Nicænum præcesserunt, nullum de persecutione fit verbum; quod apud card. Baronium argumentum irrefragabile est, celebrata non fuisse ante annum Domini 314, quando videlicet Maximiano tyranno in Oriente exstincto, mox celebrari frequentes episcoporum conventus cœpere. Quinimmo observat in Ancyrano actum esse de restitutione lapsorum per pœnitentiam in Neocæsariensi vero minime: eo quod Ancyranum illico post sedatam persecutionem celebratum fuit, in qua multi lapsi fuerant; Neocæsariense vero post restitutionem lapsorum, pace jam Ecclesiis data. Habemus etiam ejusdem rei nobile testimonium S. Innocentii I papæ in epistola ad Exsuperium, ubi, suppresso Iliberritani concilii nomine, celebratum procul dubio fuisse affirmat, cum crebræ erant persecutiones in Ecclesia. En verba tanti pontificis: *Et hoc quæsitum est, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo vitæ reconciliationem exposcunt? De his observatio prior, durior; posterior interveniente misericordia inclinatior est: nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est; concessa pœnitentia, ne totum negaretur. Sed postquam Dominus pacem suæ Ecclesiæ reddiderit, jam depulso terrore, communionem dari obeuntibus placuit.* Hæc Innocentius. Quæ est illa, quæso, prior aut vetus consuetudo, et observatio, qua Christianis incontinentibus etiam in morte communio denegata est; nisi ea qua Canone 7 concilii Iliberritani statutum fuerat: *Si quis forte fidelis post lapsum mœchiæ, post tempora constituta, acta pœnitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem.* Certe in nullo alio concilio id statutum videtur: quod tamen, quiete Ecclesiæ concessa, abrogatum fuit.

Quod spectat ad concilium Arelatense, eo argumento convincitur adhuc eo vetustius fuisse Iliberritanum, a quo septem Arelatense canones mutuavit, videlicet quartum *de agitatoribus;* 5 *de theatricis;* 6 *de his qui in infirmitate credere volunt;* 7 *de his qui magistratus gentilium gerunt;* 9 *de litteris confessorum;* 11 *de matrimonio infidelium;* et 23 *de apostatis.* Hos, inquam, ab Iliberritano accepisse Arelatense, inde deducitur, quod Arelatense jussu Constantini celebratum fuit anno 315, quando jam persecutio erat sopita et exstincta. Accedit, prius Hosium interfuisse Iliberritano, quam Arelatense celebraretur; nam a tempore Melchiadis papæ, ab anno ut minimum

BIVARII COMMENTARIUS.

Christi 312, Hosius adhæserat lateri Constantini, a quo per multos annos in rebus Ecclesiæ arduis extra Hispaniam occupatus, ad eum nisi post Constantini mortem accedere non valuit. Pugnat vero cum manifesta ratione, Iliberritani celebrationem post ejus mortem fuisse dilatam, ut interim taceam nullam de Arii blasphemia mentionem Iliberritanum fecisse, quod tamen nullatenus silentio involveret, si ea hæresis orta jam esset.

Occupatum autem Hosium per multos annos a Constantino fuisse sic probat D. Ferdinandus de Mendoza, citato loco, anno Domini 312, Constantino II et Licinio II coss. Scripsit Constantinus ad Cæcilianum Carthaginensem episcopum, ut 3000 folles pecuniæ reciperet, et ad arbitrium Hosii pauperibus distribueret : *Tu igitur*, ait, *quando prædictam pecuniæ summam recipiendam curaveris, omnibus qui in scheda ad te ab Hosio missa ante scripti sunt, has pecunias dispertiri jubeto.* Suggerebat ergo tunc bona pro pauperibus imperatori. Rursus anno Domini 313 Donatus de Cassis-Nigris damnatus fuit in concilio Romano sub Melchiade papa; et tunc causam suam per Annulinum Africæ proconsulem ad imperatorem detulit, ut auctor est Optatus Milev. lib. I contra Parmenianum. Eapropter Constantinus coegit concilium Arelatense, ubi ex Hispaniis, Gallia, Italia et Africa ducenti Patres affuerunt, anno Domini 315. Exstat apud Papirium Massonum in Melchiadis Vita, epistola Constantini ad Ælasium (legerem potius Annulinum), qua jubet ut Africani episcopi, transacto Gaditano freto, per Bæticam et Tarraconensem Arelatum accedant. Ibi iterum Donatus damnatus, iterum Cæsarem appellavit; qui tamen Hosio suggerente et dictante sub annum Christi 316, Sabino et Rufino coss., contra eum tulit sententiam, et a concilio latam confirmavit. Adhærebat igitur tunc temporis lateri imperatoris. Deinde anno sequenti, scilicet 317, Gallicano et Basso coss., orta contentione inter Arium et Alexandrum episcopum Alexandrinum, ad aures imperatoris causa perlata est, quo tempore (auctore Eusebio lib. II de Vita Constant. c. 63) exstincto Licinio imperii competitore, summa totius imperii ad ipsum devoluta, profectionem ad Orientem parabat. Eodemque anno Sardicæ existens constitutionem edidit, misitque ad Octavianum comitem Hispaniæ, Hosio Cordubensi dictante, mandans, *ut quicumque clarissimæ dignitatis virginem rapuerit, vel fines aliquos invaserit, vel in aliqua culpa seu crimine fuerit deprehensus, statim intra Provinciam in qua facinus perpetravit, publicis legibus subjugetur.* Ne videlicet prætextu suæ immunitatis, qua nobiles, nisi ab imperatoribus puniri non poterant, insolentes redderentur. Quæ constitutio, ut ex ipsa liquet, C. Theod. lib. I de Accus., ad Cordubenses specialius directa fuit, quos nimirum Hosius reformare satagebat. Ut autem Arii tumultus sedarentur, misit imperator eumdem Hosium Alexandriam, qui ejus rei gratia synodum Alexandrinam congregavit, et ut quæstionem de ratione celebrandi Paschatis, iis diebus in utraque Ecclesia, acriter agitatam decideret. Anno Domini 321 Constantinus edidit constitutionem de Manumissionibus in Ecclesia, Crispo II et Constantino II coss., quæ exstat C. Theod. lib. IV, tit. 7, et suggerente Hosio edita fuit. Multas alias pro instituendis et reparandis Ecclesiis, deque immunitate ipsarum et clericorum iis ipsis diebus edidit, nihil non ex Hosii consilio faciens; qui ab ejus latere, propter universarum Ecclesiarum commodum non separabatur, semper auribus principis, ejusque matris, bona christianitatis ingerens. Anno Domini 324, vel ut aliis placet 325 de mandato Constantini, et voluntate atque assensu Silvestri, et universalis Ecclesiæ, præfuit concilio Nicæno, ibique Ario condemnato, Symbolum, quod in tremendo Missæ sacrificio canitur, edidit. Tot igitur tantisque negotiis occupatus A Hosius, nullatenus ad Hispaniam redire potuit, toto fere tempore vitæ Constantini Magni. Inde vero perspicue educitur intentum nostrum, nimirum Iliberritanum concilium, cui Hosius interfuit, ante præfata tempora necessario coactum fuisse. Quibus accedit non contemnenda conjectura, nimirum si Iliberritana synodus sub imperio Constantini celebrata fuisset, haud dubium quin Hosius concilio præsideret, quando quidem ejus auctoritas tantum apud ipsum valuit, ut synodorum omnium præsidem eum constituerit, aut constitui fecerit, uti ea de re manifestum perhibent testimonium Alexandrina, Nicæna et Sardicensis ab ipso celebratæ. Iliberritanæ vero non Hosius, sed Felix Accitanus episcopus præfuit, tametsi inter 19 Patres ipsius Hosius secundo loco subscripserit.

Sed quid est quod sanctus Isidorus lib. VI Etymol. cap. 15 asserit, conciliorum canones a temporibus Constantini cœpisse? Forsan Iliberritani canones eo modo ac phrasi, qua nunc exstant, scripti non fuerunt in ipso concilio, sed postea : et hoc videtur B Dexter innuere inferius; nam postquam numero 5 egerat de celebratione ipsius concilii, subjungit post nonnulla alia num. 12, Sanctum Felicem archidiaconum Toletanum, cum S. Hosio Cordubensi episcopo collegisse, digessisseque canones concilii Iliberritani : quasi innuens ex scriptis fusius a concilio digestis, collegisse eos post modum breves canones, qui modo exstant, id vero fieri potuit post Nicænum. Sed ad eludendam objectionem sat est dicere cum Baronio, et D. Ferdinando, Isidorum solum loqui de canonibus generalium conciliorum : Iliberritanum autem provinciale dumtaxat fuit. Mihi certe non obesse videtur antiquitati Iliberritani, quod Isidorus dixerit, canones conciliorum a temporibus Constantini cœpisse, cum vivente jam Constantino celebratum sit : aut si de tempore imperii sermo sit, dici recte poterit ejus temporibus factum sub hac generalitate, quod circa ea tempora factum est.

C Occurrit Morales in vetustissimis mss. codicibus appositam esse æram 362 quæ incidit in annum Domini 324, ut videre est in codice Vigilano, et in Smaragdino, qui exstant in bibliotheca regia S. Laurentii in Excuriali; attamen ejusmodi codices gothicam vetustatem non excedunt. Unde æra ipsa a gothicis amanuensibus imperitis actis concilii præposita est. Cui nihilominus canones ipsi, ut vidimus, reluctantur. Sed de Patribus qui eo convenere aliquid dicamus.

Cum consedissent (aiunt acta) *sancti et religiosi episcopi in Ecclesia Iliberritana : hoc est :*

1° *Felix Accitanus.* Maximus sane vir, qui nimirum inter tales Patres meruit præsidis officio fungi : cum tamen merito suæ sedis (nunc Guadix dicitur) de minoribus esset : adessetque Metantius totius Hispaniæ primas, et tres alii metropolitani, ut de Hosio taceam, qui gravioribus synodis præfuit.

2° *Hosius Cordubensis*, de quo nunc satis multa dicta erunt; affuit cum eo Julianus presbyter D ipsius.

3° *Sabinus Hispalensis*, metropolitanus, cujus exstat celebris memoria in actis sanctarum Sabinæ et Rufinæ, quarum sepeliendis corporibus purpureo martyrii stemmate rubricatis, operam dedit. Scribit Loaysa in Notis hujus concilii duos fuisse olim ejus nominis antistites, quorum prior successit Marcello, posterior vero Martiano.

4° *Camerinus Tuccitanus.* Tucci nobilis Hispaniæ Bæticæ urbs, olim Romanorum colonia, et episcopalis sedes fuit, alio nomine Augustagemella dicta, hodie *Martos*, non longe ab urbe Giennensi, ut probat Ambrosius Morales lib. IX cap. 32. Sedes hæc ad Hispalensem metropolim pertinebat, sicut et Corduba.

5° *Senagris Braccarensis.* Egerat de eo Dexter ad annum 290. Ex quo manifestum est concilii hujus

codices correctione indigere, dum nonnulli Senagrim faciunt Epagrensem, alii vero Biguerrensem episcopum. Et quidem per se satis manifestum est, utramque lectionem esse corruptam, siquidem nullus fuit umquam episcopatus Epagrensis in Hispania, aut prope, cujus exstet memoria; Biguerrensis vero erat in Galliis longe distans ab Iliberri; constatque apud omnes ejusmodi concilium esse provinciale, ex episcopis dumtaxat Hispanis collectum; nec est probabile persecutione ingruente (sub qua celebratum est) integrum fuisse externis episcopis ad concilium accedere, quando non omnibus Hispanis id datum erat.

6° *Secundinus Castulonensis.* Quæ et ubi Castulo fuerit diximus in Comment. ad annum 66. Erat olim in ea urbe sedes episcopalis non ignobilis Toletanæ metropolis. Porro Secundini episcopi successor Anianus fuit, qui anno Domini 347 interfuit et subscripsit cum Hosio Sardicensi Concilio.

7° *Pardus* [Al. *Pantardus*] *Mentesanus.* Nonnulli existimarunt Mentesam fuisse urbem ipsam Giennensem seu *Jaën;* rectius tamen Morales contendit sitam fuisse prope Cazorlam in nemore S. Thomæ, id ruinis ipsis non leviter ostentantibus. Legatur Morales lib. VI Hist. Hispan. cap. 5. Erat olim sub Toletana metropoli.

8° *Flavius Iliberritanus.* Quidam codices habent Eliberritanus, sed parva est discordia; nam ea urbs, quæ olim ab Hispanis et Latinis Iliberris nuncupabatur, postea in Gothis Eliberris dicta fuit, ut notavit Mendoza superius citatus. Sedes ipsius erat suffraganea Hispalensis, et in ea concilium celebrabatur.

9° *Cantonius Virgitanus.* Alicubi dicitur Corsicanus, sed perperam; Corsica siquidem non est urbis nomen, quæ sedes episcopalis sit, sed insula, nec in Hispania aut ipsi proxima. Virgitanus episcopus Toletano parebat. Porro sinus Virgitanus ab ea urbe dictus manifestissimus omnibus est, qui nimirum inter Caridemum et Scombrarium promontoria, vulgo *cabo de Gattas* et *cabo de Palos*, interjacet. Consule quæ de ea diximus ad annum 54.

10° *Liberius Emeritensis.* Fuit hic pontifex suo ævo celebris admodum; ut qui non solum Iliberritanæ synodo, sed etiam Arelatensi interfuerit, et subscripserit; cum quo etiam affuerunt Arelate nonnulli presbyterorum suorum, et Florentius diaconus ipsius, qui in ejus locum succedens unus fuit Patrum concilii Sardicensis; ut ex ejus subscriptionibus comprobatur. Vide Moralem lib. x cap. 32 et 36.

11° *S. Valerius Cæsaraugustanus.* Hic ille vir sanctitate clarus, quem clarissimum fecit Vincentii archidiaconi sui gloria: cujus illustrissimum martyrium toto orbe canit, et miratur Ecclesia. Cum vero ejus sedis plures ejusdem nominis antistites ævo illo fuerint, credunt nonnulli, non interfuisse Iliberritano sanctum Valerium ejus nominis primum, cujus S. Vincentius comes fuit, sed secundum. Verum id e falso illo principio ortum habuit, quo auctores isti perperam credunt, concilium ipsum anno 324 Domini, vel circa celebratum, quo tempore S. Valerius ærumnis et angoribus confectus vitam cum morte procul dubio commutaverat: quod tamen quam longe a vero sit, in superioribus abunde monstratum est. Immo vero cum celebratum sit vigente Diocletiani persecutione, quod canones ejus ostendunt, non alius quam Vincentii magister illi affuisse dicendus est. Quapropter multi credunt inibi quoque præsentem fuisse S. Vincentium, nec abs re, cum nusquam archidiaconi suos desererent episcopos, et in conciliis juxta ipsos adstarent, ut ex Arelatensi et aliis liquet: quæ ratio in Vincentio fortius urget, utpote qui ob impedimentum linguæ quo S. Valerius detinebatur, lingua esset episcopi. Habemus ejus rei A celebre M. Maximi testimonium, in hympo de eodem martyre ita canentis:

Hinc prodis rutilans (*de sede B. Mariæ de Columna*)
fidei spectandus in armis,
Inde Valentino das documenta solo.
Inque Iliberritano das maxima cœtu
Signa tui infracti pectoris et fidei.
Tristis es, o Valeri, genitor fortissime, tanti
Pectoris; hoc socio prælia nonne subis?

Subscribit quoque eidem sententiæ D. Ferdinandus de Mendoza, citato loco.

12° *Decentius Legionensis.* Sedes hæc notissima est apud omnes.

13° *Melanthius Toletanus.* Crediderim hunc subscripsisse, non quod decimus tertius locus illi pro dignitate contingeret, cum potius jussu ipsius velut primatis concilium coactum fuerit, teste Dextro; sed quia, ut reor, hactenus subscripserant Patres, qui in B cornu felicis præsidis erant; et nunc Melanthius, velut caput alterius cornu, primus subscribit. Nisi velis tumultuario omnes, et sine respectu dignitatis subscripsisse. De Melanthio multa diximus ad annum 287, iterumque inferius dicemus ad annum 310. Affuit cum eodem S. Felix Toletanus archidiaconus, paulo post apud Hispalim martyrio coronatus, qui cum Hosio canones Iliberritani concilii digessit, de quo postea num. 12.

14° *Januarius de Caliabria*, seu Saliabria, urbe episcopali, Emeritensi metropoli subjecta, quæ fuit, ubi nunc est *Montanjes*, ut Moralio videtur lib. x, cap. 32. Corrigendi proinde codices conciliorum, qui habent *Salaria*, et alii *Sabaria*, nunc *Alcazar de la Sal*, sed perperam, cum ea non fuerit sedes episcopalis.

15° *Vincentius Ossonobensis.* Fuit olim ejus nominis urbs notissima, et cathedrali dignitate ornata, ac subjecta Emeritensi, non longe a sacro promontorio, C ubi nunc est *Estombar*, si Barrerio credimus, vel ubi *Selvas* urbs episcopalis, ut placet Moralio, Resendio, et Marianæ.

16° *Quintianus Elborensis.* Sic a Gothis vocata fuit Ebura nobilis Lusitaniæ civitas, cujus sedes Emeritensi subjacebat.

17° *Successus de Eliocrota.* Civitas fuit episcopalis sub Toletana metropoli, de qua in superioribus actum est ad annum 54, ubi suspicati sumus esse *Valladolid.* Affuit cum episcopo Successo Liberatus ejus presbyter.

18° *Eutychianus Bastetanus.* Nunc ea urbs dicitur *Baza*, et caret episcopo, quo tamen olim fruita est, spectabatque ad metropolim Toletanam.

19° *Patricius Malacitanus.* Habet itidem nunc episcopum, et vulgo *Malaga* dicitur: sub Hispalicensi metropoli.

Hactenus de episcopis et urbibus eorum, qui Iliberritanæ synodo interfuerunt, actum a nobis est; jam de presbyteris ibidem consistentibus dicamus, de D quibus acta concilii hæc habent:

Residentibus etiam viginti sex presbyteris, supple, *qui sunt*, vel quid simile:

1° *Restitutus presbyter de Elepel.* Ita a Gotho amanuensi scriptum fuit, cum tamen legendum sit, de Ilipula, quod oppidum sub Iliberritano episcopo erat, et ubi nunc Granata est, exstabat, unde et Mons sanctus in tabulis plumbeis ibi repertis nuncupatur Ilipulitanus. Porro S. Restitutus martyrio coronatus est, ut inferius cum Dextro dicemus, cum sociis Castore et Crispulo, qui etiam concilio interfuerunt.

2° *Natalis de Orsuna*, scilicet presbyter, quæ vox in cæteris quoque subintelligitur. Sed vero Natalis assumptus est ad Toletanam sedem post Melanthium, de quo suis locis multa. Orsuna ipsa est nunc *Ossuna*.

A.C.300. Histonii in Hispania reperta sunt corpora sanctissimorum Cyrici et Julitæ martyrum, A.R.1051. aliunde illuc quondam allata.

In Gallæcia provincia Hispaniæ repertum est corpus sanctæ Marinæ vel Margaretæ virginis et martyris ibidem passæ.

S. Justus Vicensis episcopus, sanctitate clarus, ad ann. 320.

Prope Lingonas Constantius Cæsar occidit uno prælio Germanorum sexaginta millia, quos delevit.

Galerius Maximianus victus a Narseo in prælio, ante currum imperatoris Diocletiani purpuratus cucurrit.

Veturius centurio Christianos milites graviter persequitur.

Felix archidiaconus Toletanus qui collegit digessitque canones concilii Iliberritani cum sancto Hosio Cordubensi, mire floret.

BIVARII COMMENTARIUS.

3° *Maurus de Iliturgi*, hodie Anduxar el Viejo. Consule annum 54.

4° *Lamponius de Carula*. Lego de Calduba oppido in Turdetanis Bæticæ.

5° *Barbatus de Adingi*. Melius Aurigi, nunc ex Moralio, in Antiq. Hispan. fol. 74, *Jaën*.

6° *Felicissimus de Atubi*, hodie *Villa de Espejo*, prope Cordubam, alias Claritas Julia : Morales, lib. 8, cap. 48.

7° *Leo de Accinippi*. Ptolomæo oppidum est in Bæticis Celticis.

8° *Liberatus de Eliocrota*. De ea consule dicta in notis ad Successum episcopum 17.

9° *Januarius de Lauro*. Hodie *Lora*, prope Ezijam.

10° *Januarius Barbæ*. Legendum puto *de Barbesola*, quæ fere nomen retinet in freto Gaditano.

11° *Victorius a Gabro*, alias de Egabro, urbe olim episcopali, quæ nunc *Cabra*.

12° *Titus a Vinc*. Ut reor, modo *Vilches* dicitur, in saltu Mariano.

13° *Eucharius a Municipio :* id est, Municipio Albensi, quod *Arjona* nuncupatur.

14° *Victor de Ulia*. Nunc *Montemajor* prope Cordubam, ex Moralio, lib. VIII, cap. 35.

15° *Silvanus a Sagalbina*. Lego *de Salambina*, nunc *Salobrena*, non longe a Malaca.

16° *Januarius de Urci*. Erat in ora Mediterranei, quo loci Tarraconensis a Bætica disterminabatur.

17° *Leo de Gemella*, nimirum *Augusta*, quæ alias Tucci, nunc Martos dicitur.

18° *Turrinus de Castelbona*. Rectius de Castulone diceretur, cujus etiam episcopus affuit.

19° *Luxurius de Drona*. Alias Urbona, in Bætica, Ptolomæo.

20° *Emeritus de Barca*. Videtur esse Uxama-barca, quæ nunc *Osma* dicitur.

21° *Eumantius de Solia*. Oppidum erat prope Granatam in Turdulis : alias Selia.

22° *Eumentianus de Ossigi*. Libentius legerem *Astigi*, quæ est *Ezija*, nam Ossigim nemo novit.

23° *Evexes de Carthagine*. Pro episcopo suo qui non aderat.

24° *Julianus de Corduba*. Comes fuisse videtur magni Hosii.

Desunt aliorum duorum nomina, e quibus nihilominus, si Dextro credimus, Juvencus notissimus inter Christianos poeta, unus fuit, nam inferius ad annum Domini 337, hæc habet : *Salmanticæ in Vectonibus S. Juvencus presbyter, qui juxta nonnullos interfuit concilio Iliberritano*. Vide, quæso, lector candide, quanta veneratione habendus sit Iliberritanus conventus, in quo nimirum tot Martyres Christi, totque egregii catholicæ fidei confessores professoresque convenerunt. Qua igitur fronte nonnulli minus reverenter de eo audent loqui? Sed hos commodius ad annum 311 perstringemus, quo loci Dexter concilium pro ejus defensione scribit Toleti fuisse congregatum. Aliud longe ab isto fuit concilium Iliberritanum sæviente Nerone celebratum, in quo multi discipulorum

A S. Jacobi apostoli martyrii coronam adepti sunt : de quo consule superius dicta ad annum Domini 57.

6. *Histonii*, etc. Sustulisse fortiter martyrium Cyricum et Julittam Hippone in Carpetania, docuit in superioribus Dexter ad annum 222, ubi nos quoque ejus placitum pluribus tutati, Hipponem diximus oppidum, quod nunc *Hieppes* nuncupamus. Cæterum post 80 annos corpora sanctorum martyrum reperta fuerunt Histonii, quo a fidelibus metu persecutionis allata fuerunt, et abscondita. Est autem Histonium, quod nunc *Histo* dicitur, prope S. Felicem, vulgo *Sahelizes*, et *Villascussa* in tractu Conchensi. Nunc vero S. Cyricus Burgis in Hispania quiescit, in Ecclesia suo nomine dicata, quæ ob ejus honorem abbatiæ titulo insignitur, ejusque abbas dignitatis sedem habet in metropolitana Ecclesia.

7. *In Gallæcia*, etc. Consule quæ de S. Marina notavimus ad annum 138, ubi pluribus monstravimus eamdem esse ac Margaritam, quæ hactenus Græca credebatur.

B 8. *S. Justus*, etc. Duo, teste Dextro, fuere Vicenses episcopi in Catalaunia Justi nomine insigniti : prior floruit anno 300, pervenitque usque ad 320; posterior vero anno 380. De eoque inferius ad annum 382, ad quem scripsit B. Ambrosius. Fuit et alter ejusdem nominis pontifex Urgelli, non longe a Vicense urbe (hodie *Viche*), qui interfuit concilio Toletano II, æra Cæsaris 565. Est is annus a Christo nato 327, ejus vero festa dies agitur in Romano Martyrologio 28 Maii.

9. *Prope Lingonas*, etc. Eadem fere verba habet Eusebius in Chronico hoc anno 300. Consule de his Eutropium lib. IX, et Sextum Aurelium, et Orosium, lib. VII, cap. 25.

10. *Galerius Maxim*, etc. Hoc etiam pluribus verbis apud Eusebium habes citato loco et anno. Eadem refert Orosius citato cap. 25.

C 11. *Veturius*, etc. Id scribit Eusebius ad annum 301, ejusque meminit Baronius ad annum 297, et Romanum Martyrologium ad diem 20 Februar. habet Veturium Diocletiani magistrum militum, Tyri in Phœnicia tot beatorum martyrum fecisse stragem, ut eorum numerum solius Dei scientia colligat. Non est autem inde deducendum, persecutionem Diocletiani ita cœpisse hoc anno 301, quod nullum prius Christi cultorem martyrio coronaverit, vel ejus ministri, sed quod majores vires eo anno persecutio acceperit, et ita imperatorem plus solito in Christianos excitarit. Quo non obstante certum etiam est, postmodum anno 306 supra modum persecutionem aggravatam; et eapropter eo anno accidisse ab Eusebio scribi : nimirum acerbissimam omnium. Sed Dexter nunc complectitur præcipuum persecutionis tempus ab anno 300 usque ad 307, simulque enumerat omnes martyres in ea passos, sine speciali annorum differentia.

12. *Felix*, etc. Hic ille sanctus Felix martyr, de quo agitur in Romano Martyrologio die 2 Maii, ubi asseritur, Hispali fuisse martyrio coronatum : qua-

A. C. 30. L. Valerius Hispanus Berosi fragmenta in quinque partes digessit. A.R.1051.

Mellaria urbe Hispaniæ Bæticæ, S. Firmus martyr, qui acerbissimis plagis affectus, lampadibus exustus, ac tandem succiso capite martyrium consummavit sub præside Hispaniæ M. Aurelio Vero, viro consulari; cujus etiam corpus decursu temporis Romam deportatum est; et prima die Julii maxime colitur.

Iriæ Flaviæ in Gallæcia sancta Susanna virgo et martyr.

Ad Cæam urbem Hispaniæ in Vaccæis sancta Antonina martyr.

BIVARII COMMENTARIUS.

propter vocari solet Hispalensis, sed nihilominus Toletanum diaconum fuisse scribit Marieta de Sanctis Hispaniæ lib. II, cap. 99. Exstat ipsius apud M. Maximum clara notitia in Chronic. ad annum Domini 612, ubi ait : *Floret memoria Sancti Felicis Hispali, Toletani diaconi, qui cum a sancto Melanthio, cujus archidiaconus erat, Hispalim mittitur ad sanctum Sabinum Hispalensem episcopum, 2 Maii Hispali patitur.* Habet de eo proprium officium Breviarium Toletanum sancti Isidori, cujus Capitula incipit : *Felix martyr tuus, Domine, ex nomine probatus, et munere consecratus : dum eum ex nomine vocas, et munere consecras*, etc. Diximus de eodem in superioribus, numero 5. Magnæ autem laudi dandum Dextro est, quod tanti viri memoriam immortalitati consecraverit, qui nimirum omnium primus canones conciliares in formam debitam digessit, hactenus per tot annorum curricula servatam ab omnibus conciliis. Quo vero Jure Hosium Cordubensem *Sanctum* vocet, inferius videndum est ad annum 360.

13. *L. Valerius*, etc. Berosus Chaldæus Babylonia oriundus 300 annis ante Christi Domini nativitatem historiam suam scripsit, teste Josepho lib. I Antiquit. Jud. et contra Appionem Gramm. quibus locis auctor est, ipsum omnem Chaldaicam deflorasse historiam, et veluti publicæ fidei notarium omnem antiquitatem transcripsisse, ac inter alia diluvii magni meminisse, nominasseque Noam et filios ejus. De eodem agunt Metasthenes in libro de Judiciis, et Diodorus Siculus lib. III. Addit Plinius libro VII, cap. 37. Berosum Atheniensem Græco idiomate docuisse disciplinas Chaldæas, præsertim astrologiam, et ea propter ipsos statuam illi inauratæ linguæ in publico gymnasio posuisse. Utrum autem germanus Berosi partus, quem Annius Viterbiensis in lucem edidit, adjunctis commentariis, an vero, ut multi autumant, suppositicius, mea non interest definire, solum enim apud Dextrum lego Berosi fragmenta in quinque partes digessisse olim. L. Valerium Hispanum; cujus tamen nomen in novo Beroso non invenio, tametsi numerus librorum consonet. Ut reor, fragmenta vocat Dexter, non quidem partes codicum suæ historiæ, sed ea quæ apud Metasthenem, Josephum, et alios auctores exstabant, quæ L. Valerius in uno volumine collegit.

14. *Mellaria*, etc. Hujus nominis duæ olim in Bætica urbes exstiterunt, altera in conventu Cordubensi, de qua Plinius, nunc, teste Morales in Antiquit. fol. 97 et 98, dicitur *Fuente obejuna;* altera juxta fretum Gadetanum, hodie *Bejar de la miel*, patria Pomponii Melæ, ut ipse testatur lib. II, cap. 6 sub finem, illis verbis : *Atque unde nos sumus, cingente freto, Mellaria.* Credat qui volet Carolo Stephano asserenti, Mellariam sic dictam ab aureis malis, quæ Hercules illuc e Libya attulit; neque umquam Malaria, ut oportebat, nuncupatam reperies, sed perpetuo Mellariam, nimirum a *melle*, cujus et probitas et copia inibi legebatur : et nunc quoque id nomen sonat. Porro sancti Firmi Mellariæ passi nomen, et martyrium a Græcis et Latinis colitur I Junii, ut in Menologio, et Martyrologio Romano videre est. Græca sic habent : *Eodem die sancti Firmi martyris, qui sub Maximiano imperat. pro Christi fide comprehensus, ductus est ad præsidem Magnum* [lege Marcum] *nomine; cumque persuaderi non posset, ut Idolis sacrificaret, nudus nervis cæditur; suspensus laniatur, totiusque corporis compage soluta; postremo capite obtruncatus certaminis coronam assecutus est.* Martyrologium Romanum sic : *Item S. Firmi martyris, qui in persecutione Maximini acerbissimis plagis affectus, lapidibus percussus, ac demum capite cæsus est.* Quæ fere ad verbum habet Dexter, nisi quod pro *lapidibus percussus*, consonantibus Græcis habet, *lampadibus exustus*, quod longe aliud martyrii genus est, et sæpissime adhibebatur suspensis in equuleo. De M. Aurelio Vero, sub quo S. Firmus occisus est, egimus ad annum 286.

15. *Iriæ Flaviæ*, etc. Quiescit sanctissima virgo et martyr Susanna in sancta Ecclesia Compostellana inter cæteras sanctorum reliquias, quibus ejus sacrarium refertissimum est. Transtulit corpus ejusdem sanctæ Susannæ ab Iria Flavia Compostellam (ut creditur) D. Didacus Ramirez primus Compostellanus archiepiscopus, dum corpora sanctorum martyrum Cucuphatis, et Silvestri, et aliorum, variasque reliquias in suam sedem hinc inde transferri curavit, circa annum humanæ salutis 1102, ut habent acta Compostellanæ historiæ. Nisi forsan tempore urbani papæ II et Alphonsi regis Casti cognominati, quibus agentibus sedes episcopalis Iriæ Flaviæ in Compostellanam translata est, reliquiæ etiam sanctæ Susannæ simul cum sede fuerint translatæ, anno scilicet Domini 1096. Non defuere qui sanctam Susannam Iriensem, de qua agimus, confunderent cum S. Susanna virgine pariter, et martyre Bracarensi sorore S. Victoris martyris catechumeni, nomine ac natione utriusque decepti, addiderintque eam Susannam, quæ Compostellæ quiescit, e Bracarensi territorio translatam esse, cum corpore S. Victoris. Ita ratus est P. Lobo ad calcem traductionis Lusitanæ Romani Martyrologii, die 12 Aprilis, cum de sanctis Lusitanis disseruit. Cæterum ex iis quæ ibidem ipse annotavit, oppositum satis convincitur, nam asserit anno 1590 mense Octobr. apertum esse sepulcrum S. Susannæ Bracarensis in Ecclesia Bracarensis territorii ejus nomini dicata, in præsentia D. Augustini de Castro Bracarensis archiepiscopi; et in eo reperta fuisse ossa sacra ejusdem virginis. Quare nequaquam inde translata fuisse credenda sunt : præsertim postquam Dextri testimonio diversitas utriusque Susannæ convincitur. Agit ipse de Bracarensi inferius hoc ipso anno, versus finem.

16. *Ad Cæam*, etc. Sanctæ Antoninæ martyris celebrem servant memoriam Græci in Menologio ad diem I Martii, unde martyrologium Romanum accepit, sub iisdem fere verbis, sic enim habet : *Eodem die S. Antoninæ martyris, quæ in persecutione Diocletiani cum gentilium deos irrisisset, post varios cruciatus in vase quodam inclusa, in paludem urbis Cææ demersa est* Græca sic habent apud card. Sirletum. *Eodem die S. Antoninæ. Hæc ex urbe Cæa, Diocletiano et Maximiano imperatoribus, propter Christi confessionem, et inanium idolorum irrisionem, graves, et varios perpessa cruciatus, postremo vase quodam inclusa, in paludem Cææ dejecta, spiritum Domino commendavit.* Porro Baronius in Notis existimavit in Cæa insula maris Ægæi notissima S. Antoninam occisam fuisse, eo motus quod ejus memoriam a Græcis coli viderit; sed vero in Hispania coronatam Dexter asse-

A.C.300. Per hoc tempus vehementius sævit persecutio Diocletiani. A.R.1051.

Concilium Suessanum in causa Marcellini papæ, qui Romæ thurificaverat, multis episcopis præsentibus; nonnullis præsulibus ex Gallia, Germania ac Hispania, etiam habetur.

Juliobrigæ in Hispania S. Lucia martyr, quæ a regione Campania venit in Hispaniam; et a Ritiovaro comprehensa, quem ad fidem convertit, relicta ab eo; et ab alio judice comprehensa, cum aliis etiam sociis patitur pridie nonas Julii.

In hac acerbissima persecutione Eburæ in Carpetanis SS. Christi martyres Felix, Luciolus, Fortunatus et Eusebius, qui præside Hispaniæ Asclepiade crucifixi sunt.

Iriæ Flaviæ in Hispania S. Cucuphas martyr Christi.

BIVARII COMMENTARIUS.

verat, ubi Cæam urbem, et fluvium ejusdem nomi- A nis in Vaccæis esse latius in superioribus ostendimus, cum de sanctis Facundo et Primitivo martyribus Cæis ageremus ad annum 139.

17. *Per hoc tempus*, etc. Vide quæ commentario præcedenti, num. 11, annotavimus. Sane hoc præmisit, ut sub hac sententia simul complecteretur quotquot in persecutione Dioclotiana, in Hispaniis martyrium perpessi sunt, præsertim usque ad annum 306, quo vehementius persecutio sævit, ut etiam habet Eusebius in Chronico.

18. *Concilium Suessanum*, etc. Notissimum fuit et apud omnes Scriptores celeberrimum actum Suessani concilii, quo sanctus Marcellinus sponte concessit, et a Patribus minime judicatus in se ipsum acriter judicium tulit. Consule cardinalem Baronium et Equilinum, libro IV, cap. 89, qui asserit 88 Patres Suessam Campaniæ urbem (nunc Sessa in regno Neapolitano) tunc temporis convenisse; ne quis minus credibile judicarit quosdam episcopos ex Hispania, Galliaque ac Germania (quod affirmat Dexter) illic B astitisse: nam tantus episcoporum numerus ex sola Italia congregari nequiret eo tempore. Neque vero quis persecutionem acrem impedimento fuisse existimaverit, quominus ab Hispania Suessam venire possent, nam sub communi habitu facile illis concedebatur accessus: et causa erat urgentissima. Crediderim inibi Hosium exstitisse, utpote Patrem conciliorum sui temporis. Sed de eo postea.

19. *Juliobrigæ*, etc. Meminit summa cum laude Græcorum Menologium sanctæ Luciæ martyris, ejusque sociorum, quorum hic mentio habetur, ex quo Romanum Martyrologium hæc habet ad diem 6 Julii, seu pridie nonas ejusdem: *Eodem die sanctæ Luciæ martyris, quæ natione Campana a Rixiovaro tenta et acriter cruciata, eumdem convertit ad Christum; quibus adjuncti sunt Antoninus, Severinus, Diodorus, Dion, et alii decem et septem, qui in passione collegæ, et in corona fuere consortes.* Græci pluribus prosequuntur eorum nomina his verbis: *Hæc* C *sancta Lucia non est eadem quæ ex Sicilia fuit, sed in Campana regione orta, detenta est a Rixiovaro. Cum cogeretur idolis immolare, idque constanter recusaret, sanguinem pro Christi nomine effudit: cumque ille Rixiusvarus ejus opera conversus ad Christi fidem, Antoninus, Severinus, Diodorus, Dion, Apollonius, Apamus, Papyranus, Cotyus, Oronus, Dapimus, Satyrus, Victor, et alii novem, coronæ fuerunt participes.* Cæterum quod ad urbem pertinet, ubi sanctissima femina passa est, Plinius, libro III, cap. 3, et libro IV, cap. 10, auctor est, Juliobrigam XL millibus passuum a fontibus Iberi fluminis distasse, unde Ambrosius Morales suspicatur inter *Santander* et *Bermeo* sitam fuisse, ad littus Oceani, unde et portus Juliobrigensis nonnulli meminerunt. Id vero mihi satis difficile apparet, cum Ptolomæus asserat urbem mediterraneam Cantabrorum fuisse. Quare magis assentior Villænovæ, et Orthelio, aliisque communi consensu affirmantibus Juliobrigam nunc *Logrono* nuncupari. Et satis consonat distantia Plinii a fontibus Iberi, D et quod sit urbs mediterranea. Nec obstat quod reperiatur *portus Juliobrigensis*, inferius cum agitur de S. Aza, et sociis martyribus, nam id contingere potuit ex eo quod urbs hæc, tametsi mediterranea, territorium eo usque extensum haberet. Fuit quidem in eadem maris ora Flaviobriga, sed vero Juliobriga in mediterraneis fuit.

20. *In hac acerbissima*, etc. De SS. martyribus Felice, Luciolo et sociis agit Beda in Martyrologio ad 3 Martii, astipulanturque vetera manuscripta, et Romanum Martyrologium, sub his verbis: *Eodem die passio sanctorum Felicis, Lucioli, Fortunati, Marciæ, et sociorum: item sanctorum militum Cleonici, Eutropii, et Basilisci, qui in persecutione Maximiani sub Asclepiade præside crucis supplicio feliciter triumpharunt.* De eisdem agunt Græci in Menologio, addunlque non solum crucis supplicium, sed multa alia tormenta prius ab Asclepiade pertulisse. *Hi cum Maximiano imperatore* (habent Græca) *militarent, delati quod essent Christiani, sub Asclepiade præside post multa tormenta, et crucem ipsam martyres effecti, migrarunt in cœlum.* Galesinus ex Beda hos omnes socios fuisse scribit; Felicem scilicet, Luciolum, Fortunatum, Marciam, Herodem, Antigonium, Januarium, Tertullam, Gavianum, Quiriulum, alium Felicem, Florianum, et Donatum. De Ebura civitate Carpetaniæ, quæ nunc *Talabera* dicitur, tantorum martyrum cohonestata trophæis, egimus anno 130, numero 6.

21. *Iriæ Flaviæ*, etc. Nonnulli ex duobus Cucuphatibus unum fecere, credentes Barcinonæ passum: duos tamen esse omnino distinctos, non solum ex Dextro convincitur, qui alterum Iriæ Flaviæ Gallæciæ satis noto oppido passum asseverat: cum tamen alterum Barcinonæ occubuisse nemo dubitet: verum ex eo fit manifestum, quod alter quiescit Compostellæ in Ecclesia Sancti Jacobi apostoli; alter vero apud Sanctum Dionysium Parisiis, quo e Barcinona delatus est: de eo Morales libro X, cap. 2, Marieta, I parte, libro 2, cap. 7 et 8. Flos sanctorum et Concionatorum Thesaurus, et cæteri Hispani auctores: cum omnibus Martyrologiis ad 25 Julii, et S. Eulogio, lib. I Memorialis Sanctorum. Quod spectat ad Cucuphatem Iriensem putavit P. Lupus in Martyrologio Lusitano ad 12 Aprilis, translatum fuisse Compostellam Bracara, simul cum sancta Susanna, et sancto Silvestro martyribus. Cæterum etsi verum sit eodem tempore omnes translatos a D. Didaco Compostellano archiepiscopo anno 1102, non tamen omnes Bracara delati sunt, sed solum sanctus Sylvester, de quo postea; Susanna vero et Cucuphas Iriæ Flaviæ quiescebant. Nisi quis velit hos duos primum Bracaram sedem suam Metropolitanam ex Iria adductos, inde tamen Compostellam simul cum corpore sancti Silvestri, quod non improbabile videtur. Porro sancti Cucuphatis Barcinonensis acta exstant apud Surium, tomo IV, 25 Julii, et apud Equilinum, lib. VI, cap. 136. Sed eadem felicius canuntur sapphico carmine, hymno sacro qui legitur in Breviario Toletano, et in gratiam eruditorum hic inserimus.

Barchinon læte Cucuphate vernans,

A.C. 300. Augustobrigæ in Hispania eodem tempore sancti martyres pro Christo necati (hi sunt A.R.1051. necati, illi jugati) Absalonius, Heraclius, et Largus.
Munobrigæ in Celtiberis S. Demetrius martyr.
Carthagine Spartiaria Philemon, et Domninus martyres.

BIVARII COMMENTARIUS.

Corporis sancti tumulum honora :
Et locum sacri venerans sepulcri
Sparge ligustris.
Munus hoc clarum tibi Scylitana
Civitas misit, dedit et beatum
Quoque Felicem populis Gerundæ
Sorte colendum.
Hi sequestrato tumulis honore,
Proprias sedes adeunt tuendas :
Hic Barcinonis celebratur aula,
Ille Gerundæ.
Hinc cruor hujus Cucuphatis almi
Factus est nostræ regionis hærens :
Inde hic nobis sua membra ponens,
Vivere præstat.
Hic fide plenus redamando Christum,
Lucis infestum patitur tyrannum :
Moxque bis seno teritur beandus
Milite tortus.
Cæde percussus nimia furentis,
Viscera fundit, quasi peritura :
Quæ reformata recipit in alvum
Sanus ad horam.
Missus in flammis, precibus minacem
Ignis admoti perimit vigorem :
Nequit ardere nimis in beato
Corpore flamma.
Cratis ignitæ facibus cremari
Jussus ardoris nutrimenta gliscunt;
Sed nihil flamma nocet....
Suppliciorum.
Sustinet posthinc prius ille cardos
Ferreos in se ferientes ictu :
Sicque decisi capitis in æthra,
Spiritus efflat.
Jam fave, Martyr, precibus clientum,
Instrue civem, populum tuere :
Et sacerdotum pia corda mulce,
Pacis amore.
Crimine dempto anima virescat,
Pane Cœlesti satiemur omnes,
Crimine lapsa vitiata membra
Spiritus ornet.

22. *Augustobrigæ*, etc. Notat Ambrosius Morales, libro VIII Hist. cap. ultimo apud Dionem quarumdam Coloniarum mentionem reperiri, Augusti nomine denominatarum in Hispania, id est, Augustobrigæ nomine : nam (quod alibi diximus) Briga veteri Hispaniæ idiomate, urbem significat : ut Augustobriga sonet Augusti urbem. Et quidem, eidem Moralio, una earum prope Numantiam exstitit, quo loci nunc est *Aldea el muro ;* ruinis ipsis magnitudinem veteris urbis attestantibus : alia juxta Burgos, et tertia non longe a Guadalupo, ubi nunc est *Villard el Pedroso*, quod etiam placuit Carolo Clusio. Priorum meminit Ptolomæus, et primam in Pelendonibus prope Numantiam, secundam in Vettonibus : quam Florianus de Ocampo putavit esse Burgensem civitatem, sed rejicitur ejus placitum à Nonio perspicuis rationibus, cap. 55 suæ Hispaniæ. Errat quoque Molecius dum putat Medinam Cœli dictam Augustobrigam. Vide etiam Moralem, libro IX, cap. 28. Quod vero spectat ad sanctos martyres Augustobrigæ passos (in qua illarum divinare nequeo) nimirum Absolonium, Heraclium, et Largum, celebrem habent diem 2 Martii apud Bedam, Martyrologium Romanum, Molanum, Galesinum, et alios. Quocirca non leve irrepsit mendum Romano, dum asserit eos Cæsareæ Cappadociæ occisos, eisque additur Lucius episcopus ; rejicitur vero Heraclius, qui cum aliis in Portu Romano occubuisse scribitur. Verba ejus sunt : *In Portu Romano sanctorum martyrum Pauli, Heraclii, Secundillæ, et Januariæ. Cæsareæ in Cappadocia sanctorum martyrum Lucii episcopi, Absalonis et Lorgii.* In quibus omnibus mire depravatam lectionem esse, probat Beda, ex quo in Romanum Martyrologium inducti sunt : nam ipse Heraclium cum Absalone, et Largo conjunxit, uti Dexter habet, separat vero cæteros sic, ut Paulus quidem in Portu Romano, Lucius, Cæsareæ Cappadociæ occisi dicantur; Absalonio vero, Heraclio et Largo non designetur locus martyrii. Bedæ consonat Molanus in additionibus ad Usuardum, ubi sic habet : *Item Lucii episcopi in Cæsarea Cappadociæ. Et sanctorum martyrum Absalonii, Lorgii et Heracli. In Portu Romano Pauli, Secundolæ, et Januariæ.* Et utrique Galesinus subscribit : *Eodem die*, ait, *sanctorum martyrum Absalonis, Hergli, et Largi*, et in notis, *sic Beda et manuscripti : alii vero Heracli, et Largi, alias Lorgii.* Certe antiquus Rom. Martyrologii textus consonabat, sed auctoritate nescio cujus codicis mutatus est a Baronio ; qui tamen legi debet in notis ad 28 Julii, sub littera F, ubi erudite disserit de genere illo atrocissimi supplicii, a Mezentio primum excogitati, quo nimirum vivorum corpora cadaveribus adversa adversis alligabat, atque constringebat, ita ut singulæ membrorum partes singulis essent accommodatæ, simulque tabescerent : cujus meminere Virgilius Æneidos VIII, et Valerius Maximus libro IX, cap. 2, de crud., exter. 10.

23. *Munobricæ*, etc. Variæ fuerunt olim in Hispania urbes ejus, aut pene ejus nominis. Ptolomæus tres Mirobrigas assignat, alteram in veteri Lusitania prope Eburam ; secundam in Turditanis Bæticæ, non longe ab Hispali, forte *Almaden ;* tertiam in Oretanis Tarraconensis juxta Oretum, et Libysosam in territorio Calatravæ. Morales, lib. IX, cap. 28, meminit Medobrigæ in Lusitania, et libro VIII, cap. 33, asserit in confinibus Lusitaniæ exstitisse. Cæterum idem auctor in suis Antiquitatibus, verbo Beturia, fol. 98, asserit Mirobrigam unam eo loco fuisse, quo nunc est oppidum *Capilla* prope *Fuente Ovejuna* in Bætica : libro etiam IX Hist. cap. 1, ex quadam inscriptione marmorea quæ in urbe Civitatensi conservatur, conjectatur inibi quamdam Mirobrigarum exstitisse. Quidquid tandem de prædictis sit, certum est Munobrigam, seu Munobricam Celtiberorum longe ab eis diversam esse, utpote quæ adhuc exstet in Celtiberia, XII a Bilbili lapide (id est, quatuor leucis a *Calatajud*) et parum mutato nomine *Muniebrega* nuncupatur. Porro sancti Demetrii inibi passi servatur adhuc memoria a Græcis, in Menologio, ad 15 Novembris, qua die etiam apud Galesinum hæc legimus : *Sancti Demetrii martyris. Hic Christianæ fidei accusatus, ad Publium præfectum perducitur; apud quem non solum magna dicendi libertate religionem Christianam professus, sed falsorum deorum superstitionem vehementer insectatus, illius jussu capite obtruncato, expetitam a se tantopere martyrii palmam tulit.* Porro Publium hunc, Dacianum intellige, qui Publius Dacianus vocabatur (ut ex aliis actis martyrum observavit Morales) et eo tempore martyrio sanctos in Hispania afficiebat.

24. *Carthagine*, etc. Celebris est memoria sanctorum martyrum Philemonis et Domnini in Romano Martyrologio ad diem 21 Martii, et in Menologio Græcorum, unde in Romanum translata est, sed neutrum passionis locum designat, quem tamen habemus ex Dextro. Certum illud satis convincit non fuisse in Græcia occisos, quod Græci ignorent occisionis locum : quo argumento alibi usi sumus.

A.C. 300. Eodem tempore Tude, vel Aquis-calidis, oppido insigni Gallæciæ, quod fluvius Minius præterfluit, sanctus Aza martyr passus fuit, et gloriosi ejus commilitones. A.R.1051.

Tarracone in Hispania coronæ sanctorum martyrum Domitii, Pelagiæque et Aquilæ, ac Theodosiæ.

Carthagine Hispaniæ sancta concessa martyr egregia.

In civitate Soliensi in Bætica sanctus Marcellus (ut creditur) Hispanus episcopus, vir egregie pius, et doctus.

Seori in Cantabria sancta Centolla civis Toletana, consulis Lucii Ragonis Quinctiani filia (Cathanæ passa est sub hujus patre L. Quinctiano fortissima virgo sancta Agatha) passa cum Helena vidua, in persecutione Diocletiani.

BIVARII COMMENTARIUS.

25. *Eodem tempore*, etc. Exstat in Græcorum Menologio die 19 Novembris insignis sancti Azæ et sociorum martyrum memoria, cum illorum actis ad breve compendium redactis. In eo tamen correctione digna sunt, quod regionem ipsorum vocent Isauriensem, seu Isauriam, cum potius Auriensis, seu Auria nuncupari deberet; nam Dextro teste, martyrio coronati sunt Tude vel Aquis Calidis, quæ in tractu Auriensi Gallæciæ sitæ sunt; et urbs quidem Tudensis in pago Auriensi jacet, qui adhuc significationem retinens ab incolis *Vega d'Oro* dicitur : Aquæ autem Calidæ civitas Auriensis est, vulgo *Orense*, quod inter alios notavit Ludovicus Nonius cap. 53 suæ Hispaniæ. Ea igitur civitas quæ a calidissimis fontibus, quibus in Burgo fruitur, Aquæ Calidæ nuncupatur, a regionis seu tractus situ, Auriensis dicitur. Facile vero Græci decipi potuerunt, cum inter nostram Iriam, et suam Isauriam parva sit vocum differentia, quando in regione Auriensi eos passos legebant; cum enim ipsi solam Isauriensem agnoscerent (hæc ad radices Tauri montis prope Ciliciam sita est) codici errorem, ut par est credere, imputarunt. Sed reddamus Menologii verba : XIX *die Novembris commemoratio S. Azæ : hic fuit ex regione Isauriensium* (lego Auriensium) *militans sub Diocletiano imperatore ; qui relicta militia eremum incolebat, multas curationes et miracula faciens ; delatus vero a quibusdam venatoribus, traditus est Aquilino tribuno cum centum et quinquaginta militibus, qui ad eum capiendum venerant, et ejus visis dum reverterentur miraculis, ad Christum conversi erant. Siquidem precibus aquam eduxerat, et sitientes recreaverat. Tribunus autem sanctum martyrem Azam ad terrorem multorum plurimis plagis supposuit, in rota suspensum ferreis unguibus laceratum, et ad caminum ignis injectum : cum vero flamma ipsa extincta esset, et Beatus martyr incolumis permansisset, tribuni uxor, et filia ad Christi fidem conversæ sunt. Tunc Tribunus centum quinquaginta militum capita abscindi, cum quibus uxorem et filiam obtruncari fecit ; postea sanctus martyr ense consummatus est.* De eisdem agit Rom. martyrologium, sed cum eorum memoriam a Græcis acceperit, inde est, quod habeat Isauriæ passos : in vetustioribus autem Romani Martyrologii codicibus, et in omnibus ante correctionem Gregorianam impressis desiderantur; quod argumento est, eos olim non agnovisse, sed a Menologio tempore correctionis ipsius, sicut alios multos, mutuasse. Inde similiter Galesinus hæc extraxit : *Sanctorum Azæ et sociorum martyrum. Comprehensus Azas (qui in solitudine delitescens, sanctissimæ vitæ, ac miraculorum laude nobilis erat) a militibus Diocletiani, tribunali sistitur Aquilini præfecti : cujus jussu de sublimi per capillos appensus unguibus ferreis excarnificatur. Deinde in fornacem ardentem conjectus, cum inde incolumis divina ope exisset, hocque miraculo conjugem, et filiam præfecti ad fidem convertisset, una cum eisdem, et militibus item, quos centum quinquaginta alio miraculo ad Christianam religionem perduxit, capitis damnatus est.* Corrigi etiam debet Dextri codex excusus Cæsaraugustæ, eo quod S. Azam corrupte vocet Aram, et feminam fuisse credat, cum ait : *S. Ara martyr passa est.*

26. *Tarracone*, etc. Græci in menologio die 23 Martii, festum de his sanctis celebrant : ex quo Romanum Martyrologium hæc habet eadem die : *Item coronæ sanctorum martyrum Domitii, Pelagiæ, Aquilæ, Eparchii, et Theodosiæ.* Ex quo constat in textu Dextri desse Eparchium.

27. *Carthagine*, etc. Sanctæ Concessæ martyris Carthagine occisæ meminit Beda die 8 Aprilis, quem Rom. Martyrologium, et alii recentiores secuti sunt.

28. *In civitate Soliensi*, etc. Dubium an legi debeat *Seliensi*, nam in codice Ptolomæi Selia urbs ponitur in Turdulis Bæticæ, non Solia. Sita vero fuit ad ripam Bætis fluminis, prope Ilipam magnam, seu *Martos*. Porro Marcellus hic videtur Ilispalensis ille episcopus, qui in catalogo episcoporum ejus sedis hoc tempore claruisse dicitur. De eo etiam Loaysa in Notis concilii Iliberritani : fuitque ejus nominis primus, cui Sabinus successit.

29. *Seori*, etc. Diversimode scribitur nomen hujus oppidi. Antiqua legenda sanctæ Centollæ habet *Sariæ*, idque amplectitur Morales lib. x cap. 17. Ptolomæus vero vocat Saviam; Dextri autem codex habet *Seorim*, nunc dicitur *Siero*. Quidquid sit de voce, constat in Pelendonibus populis Cantabricis situm fuisse. Cæterum quod ad sanctas martyres pertinet, habent earum acta Breviarium Burgense, Maldonatus, Trugillus, Morales, Villegas, et alii; sed quod cæteris præstat Ferdinandus Petri Guzamius in suo Valerio scholastico Historiarum lib. III tit. 3 cap. 5 affirmat sanctam Centollam Toleti ortam patre Regulo fuisse, inde Sariam Cantabriæ profectam, sub Eglisio præside in ipso Iberi confluente passam fuisse. Ita refert Morales lib. x cap. 17, et Venerus fol. 116, ex quibus Marieta lib. IV cap. 10 1 p. Quem igitur Valerius vocat Regulum, is ipse L. Ragonius Quinctianus nuncupatur a Dextro. Ipsarum sacra pignora post longa sæcula translata fuere tempore Alphonsi X [*Al.* Sapientis] in Ecclesiam Burgensem, quæ festum earumdem celebrat 13 die Augusti, qua etiam de eis agit Romanum Martyrologium. Et Centolla quidem virgo fuit, Helena vero ejus socia, vidua : quod inter alios notavit Trugillus. Hoc loco corruptissimus erat codex Dextri excusus; nam pro signo (dimidiæ parenthesis, legebat litteram C quasi nominis alicujus significationem, ex quo rursus sententiam lacerabat, et unam in duas nullum reddentes sensum dividebat. Cum tamen legendum sit per () totum illud (*Catanæ passa est sub hujus patre L. Quinctiano fortissima virgo sancta Agatha*), ita ut inferiora quæ agunt de S. Helena cohæreant cum superioribus, in quibus de S. Centolla agitur. Invenio Quinctiani nomen in Hispania iis ipsis temporibus usitatum, nam concilio Iliberritano interfuit Quinctianus episcopus Eboræ. Porro L. Ragonis Quinctiani consulatus (de quo hic agitur) incidit in annum ab Urbe condita 987, id est, Christi Domini 236, et socium habuit Severum, ex Cassiodoro, et aliis, et anno Domini 252, Decio III consule, occidit Catanæ S. Agatham virginem; et Ravennæ sub eodem Decio SS. Fuscam, et Mauram, ut ex Romano Martyrologio 5 et 13 Februarii liquet; quod si hic ipse pater S. Centollæ fuit, oportuit post aliquot annos a con-

A.C. 300. Volucæ prope Numantiam sancta Victoria cum sociis. A.R.1051.
Astæ in Hispania Bæticæ S. Secundus martyr colitur.
Oreti in Hispania Tarraconensi S. Spiridion, prius episcopus Toletanus, qui pro Christi nomine egregie pugnavit.
Ilipulæ in Hispania sanctus Restitutus (ut creditur) presbyter; magister Castoris et sociorum Cantabrorum Lapidicinarum. Hic et Crispulus Martyr, et Restitutus, de quo dudum dixeramus, interfuerunt concilio Iliberritano in Bætica.
Patavonii in Asturibus gloriosissimi Christi martyres Saturninus, Felix, Fortunatus, et alii socii martyres.
Urbe Heraclea in Calpe Hispaniæ sancta Lucia martyr.
Argenteolæ in Asturibus sancti Christi martyres Saturninus, Theophilus, et Revocata pro Christo passi.

BIVARII COMMENTARIUS.

sulatu illam Toleti genuisse, ne senem admodum ipsam virginem martyrii tempore faciamus. Sed nihil mirum si 60 annum ageus occideretur, nam de S. Apollonia notum est, senem satis occisam fuisse. Nihilominus crediderim patrem et filium eisdem nominibus insignitos, et consulatum patri ascribendum.

30. *Volucæ*, etc. Ejus urbis meminit Ptolomæus in Arevacis prope Numantiam, ut opinor *Berlanga*. Corpus vero beatissimæ virginis ac martyris Victoriæ debito honore quiescit in ecclesia metropolitana Burgensi. Errore autem vulgi hactenus credebatur una ex sororibus sanctæ Ursulæ, ac filia cujusdam reguli Siculi et S. Gerasinæ, quæ duo repugnant inter se. Nam sociæ S. Ursulæ omnes erant ex majori Britannia, seu Anglia, quæ longo a Sicilia distat intervallo terræ ac maris. Quare qui parentes dicuntur S. Victoriæ fuerunt simul in martyrio socii, de quibus agit hoc loco Dexter. Festum ipsorum ad diem 10 Novembris Burgis celebratur. Fuerunt et aliæ ejus nominis in Hispania, de quibus vide annotationes ad ann. 130 et 406.

31. *Astæ in Hispania*, etc. Consule quæ scripsimus ad annum 208.

32. *Oreti*, etc. Ptolomæus vocat Oreton Germanorum, a quo Oretani populi nuncupati : Strabo corrupte Oriam. Multi, in quibus Tarapha, Villanova, et Carolus Clusius existimarunt veterem Oreton nunc dici Calatravam, sed Morales in Antiquit. verbo *Oreton* erudite probat non ibi, sed prope Calatravam, exstitisse, quo loco nunc Ecclesiola in honorem B. Dei Genetricis videtur constructa inter Granatulam et Calatravam ad ripam Xabalonis fluminis, ruinis ipsis et eremitorii nomenclatura pariter attestantibus; nam dicitur *S. Maria de Oreto*, alias del Azuqueça. Difficilius nonnullis visum est quod de S. Spiridione asseritur, nimirum episcopum fuisse Toletanum, et egregie Oreti pro Christi nomine pugnasse. Nam Spiridion in Cypro episcopus fuit, ut Rufinus lib. I, cap. 5 Sozomenus lib. I cap. 11, Socrates lib. I cap. 8, et ejus acta apud Surium a Triphillo ejus discipulo edita manifestant. Cæterum si quis vellet duos Spiridiones asserere, Cyprium alterum, alterum Toletanum, non posset falsitatis manifeste redargui. Ego sane probabilius judico unum eumdemque Spiridionem fuisse, de quo Dexter, ac Rufinus scribunt, qui quidem in Cypro insula natus, in Hispaniam profectus, ob vitæ candorem factus sit Toletanus episcopus, ac demum in patriam post multos annos reversus, inibi episcopus Trimetuntinus electus fuerit, inde Nicæam ad concilium generale petierit, ac Sardicensi etiam interfuerit. Sic enim omnia consonant. Cui suffragatur, quod in martyrologio Romano de sancto Spiridione die 14 Decembris dicitur, quod nimirum *unus fuit ex illis confessoribus, quos Maximianus Dextro oculo effosso, et sinistro poplite succiso, ad metalla damnaverat*. Quis autem nescit præcipuas metallorum fodinas, quas Romanum habebat imperium in Hispaniis fuisse? Id nos alibi ex lib. Machabæorum, et aliis fuse monstravimus. A Igitur ad auri vel argenti fodinas Oretanas damnatus fuit sanctus Spiridion a Maximiano, cum jam Toletanam aliquamdiu rexisset Ecclesiam; et Oreti ad metalla damnatus egregie pro Christi nomine pugnavit. Sed a Constantino imperatore, agente Hosio Cordubensi absolutus, in Cyprum rediit. De cæteris consule ejus acta.

33. *Ilipulæ*, etc. Multæ hujus nominis urbes fuere prisco tempore in Hispania. Plinius trium meminit lib. XXVIII cap. 2, Ilipulæ Italicæ in Conventu Hispalensi prope municipium Axatitanum; et lib. I, cap. 3, Ilipulæ Laudis in Bastetanis, et Ilipulæ Minoris in Conventu Astigitano. Ptolomæus duarum, quarum alteram ponit in Turditanis prope Nebrissam, alteram cognomine Magnam in Turdulis. Assentior Ambrosio de Morales, qui in Antiquit. verbo *Ilipa* fol. 87 usque 90 erudite convincit ex Strabone et aliis, Ilipam magnam in Mariano saltu (*Sierra Morena*) exstitisse, quo loci nunc est *Penaflor*. Ilipam vero alteram, de qua aliquando Titus Livius, esse *Zalameam* B in Sereno saltu. Quod ad sanctos martyres Restitutum et socios spectat, agunt de eis Beda, et Romanum martyrologium ad 10 Junii sub his verbis. *In Hispania sanctorum martyrum Crispuli et Restituti.* Ado die sequenti. Solus Dexter meminit Castoris, et sociorum Cantabrorum. Restitutus presbyter Ilipulitanus (corrupte Elepelitanus) reperitur primus presbyterorum illorum, qui interfuerunt concilio Iliberritano, apud Loaysam, Zuritam, et Genebrandum. De damnatione Christianorum ad lapidicinas consule cardinalem Baronium in Notis ad diem 16 Februarii verbo, *ad metalla damnatis*. Certe Cantabriæ asperitas in causa est, ut in ea semper fuerint lapidicinæ, et ea gens ingenio ad lapides scindendos et poliendos polleret.

34. *Patavonii*, etc. Ptolomæus collocat Patavonium in Asturibus sub urbe Asturicensi; Morales lib. X cap. 33 existimat esse quam *Vaneza* nuncupamus. Ibi sane residebat Flaviæ cohortis tribu- C nus. Sanctorum martyrum Felicis, Fortunati, et sociorum meminit Petrus in Catalogo lib. XI cap. 130, num. 77, asseritque occisos pro Domino ad IV kal. Martii.

35. *Urbe Heraclea*, etc. Egimus de urbe Heraclea ad Calpem freti olim existente, in superioribus ad annum Christi 70.

36. *Argenteolæ*, etc. Meminit ejus urbis Ptolomæus in Asturibus, et Molecius apud Orthelium in sua Synonymia locorum, asserit nunc *Medules* nuncupari : sed, ut existimo, corrupte pro *Aviles* legit *Medules*. Sanctorum vero martyrum memoria exstat in Romano Martyrologio ad diem 6 Februarii his verbis; *Eodem die sanctorum martyrum Saturnini, Theophili, et Revocatæ*. Consentiunt vetera mss. et Equilinus lib. XI cap. 130 num. 52. Eadem nomina legimus ad annum 260 in Dextro, sed tamen temporum et urbium differentia diversos fuisse ostendit, hi namque anno 300 Argenteolæ in Asturibus, illi ann. 260 Vienæ in Gallæcia occisi sunt.

A.C. 300. In Orientali Hispaniæ parte, urbe Palemo, S. Sotera virgo et martyr; quæ more servorum, acceptis in facie alapis, illustre martyrium in Domino complevit. Quam ad exemplum pudicitiæ adducebat S. Monica digna Augustino parens. Hæc venit in Hispaniam peregrinationis causa ann. Dom. 304. A.R. 1051.

Gothi per Imperium grassantur, qui multas a Constantinopolitanis acceperant consuetudines, et inter illas sexta feria majoris hebdomadæ ærea cymbala pulsare ligneis instrumentis.

Hoc anno imperator Diocletianus Valerius Jovius novies, et septies Maximianus Valerius Herculeus consulatum inierunt.

Hoc eodem anno multi per Hispaniam passi sunt.

Antecedenti anno Diocletianus et Maximianus Augusti celebri pompa apparatuque Romæ triumpharunt, præcedentibus eorum rhedam Narsei conjuge, sororibus, liberis, et omni præda, qua imperatores Parthos spoliaverant.

Nec multo post iidem Augusti XI kal. Maii abdicant (purpuram).

BIVARII COMMENTARIUS.

37. *In Orientali*, etc. Magna tenebrarum caligine obducti moderni scriptores, varie de urbe ac regione, ubi S. virgo Sother pro Christo fuit passa senserunt. Legebant enim apud Bedam in Oriente occubuisse, et apud alios Romanam fuisse genere, ejus corpus Romæ asservari, et a Sergio juniori in titulum Equitii translatum esse; insuper S. Ambrosium non alibi quam Romæ passam significare, cum de ipsa loquitur lib. III et IV de Virginibus: inde factum, ut Baronius Romæ passam via Appia dixerit, in Notis ad 10 Februarii: adducitque lectionem Martyrologii cujusdam ms. monasterii Sancti Cyriaci, et Cassinensis, quæ habet, *Romæ via Appia passio S. Sotheris virginis*. Alii in Orientali aliqua provincia passam fuisse crediderunt, ut Equilinus lib. III cap. 3 qui habet: *Sothera virgo in Orientis partibus passa est*. Omnes tamen errore decepti sunt; et in primis sine sufficienti auctoritate, ac consideratione mutatus est Rom. martyrologii textus, qui olim perpetuo habuit *in Oriente*. Neque sufficit duo manuscripta nonnullæ antiquitatis aliter habuisse, cum omnes martyrologiorum auctores in contrarium stent, nimirum Beda, Usuardus, Ado, quibus consentiunt Galesinus, Maurolicus et alii, omnes hi concorditer habent: *In Oriente S. Sotheris virginis*, etc. Jam Dexter lucem attulit dubiæ fidei, ut quod olim in Oriente Romana virgo passa legebatur, non de Orientali Asia, sed de Orientali oppido Hispaniæ *Palamos* dictum credatur; quo nimirum virgo sancta persecutionem fugiens, pervenerat, cum ad supplicium rapta est. Forsan parentes ejus prædia in Hispania habebant, et illac ipsa proficiscebatur. Corpus tamen successu temporis Romam (sic de aliis occidit) delatum est, et primum via Appia sepultum (quod in causa fuit, ut a nonnullis via Appia passa crederetur), inde in titulum Equitii translatum. De ea Ambrosius in exhortatione ad Virgines ait: *At non Sotheris (ut domesticum piæ parentis proferamus exemplum) vultus sui curam gerebat? Quæ cum esset decora facie valde, et nobilis virgo majorum prosapia, consulatus et præfecturas parentum sacra posthabuit fide: et immolare jussa non acquievit, sed illi potuerunt quidem vultum ejus vibicibus exarare, faciem tamen virtutis ejus nequaquam exarare potuerunt.* Sed vero ad sororem suam sic ait idem Ambrosius: *Persecutionis ætate servilibus quoque contumeliis ad fastigium persecutionis evecta, etiam vultum ipsum, qui inter cruciatus totius corporis liber esse consuevit injuriæ, et spectare potius tormenta, quam perpeti, carnifici dedit; et tam fortis et patiens, ut cum teneras pœnæ offerret genas, prius carnifex cædendo deficeret, quam martyr injuriæ cederet. Non vultum inflexit, non ora convertit, non lacrymas dedit. Denique cum cætera pœnarum genera vicisset, gladium, quem quærebat invenit.* Item ille: *Quam persecutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera virgo dolori cederet, aut pudori. At illa ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, soli invelata, atque intecta martyrio; et volens injuriæ occurrit, vultum offerens, ut ibi martyrii fieret sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris.* Quam ergo Ambrosius virginibus sequendam offert, quidni ejus sæculi S. Monica in exemplum pudicitiæ afferret? Denique quod Dexter scribit anno Domini 304 martyrio coronatam, in actis S. Pancratii habemus, ubi legimus id accidisse Diocletiano IX et Maximiano VIII consulibus, quorum quidem consulatus in præfatum annum Christi incidit, ut Baronius loco citato notavit.

38. *Gothi*, etc. Lege de ejusmodi Gothorum grassatione S. Isidorum in historia Gothorum, Joannem et Olaum Magnos rerum Gothicarum scriptores. Quod autem hoc loco Constantinopolitanorum meminit Dexter, non eo sensu accipiendum, quasi iis ipsis diebus Constantinus nomen jam suum Byzantio dedisset, qui necdum ad imperium evectus fuerat, sed cum jam Dextri tempore Byzantium Constantinopolis vocaretur, potuit Byzantinos Constantinopolitanos nuncupare, cum unus idemque populus esset, quocunque censeretur nomine. Sed quonam pacto stare poterit, quod rursus asserit, Gothos a Byzantinis edoctos, pulsare solitos cymbala ærea ligneis instrumentis; si S. Paulinus Nolanus episcopus nolarum seu cymbalorum usum adinvenit, ut ab ejus urbe nomen inditum indicare videtur? At longe aliud Paulinus instituit, quam Gothi fecisse dicantur; nimirum turres, quas campanis in loco edito collocandis invenit; alias longe tintinnabulorum usum vetustissimum fuisse ex sacris litteris, et profanis auctoribus colligunt Hieronymus Magius, et Angelus Roca in libris quos de tintinnabulis seu campanis ediderunt; quos lector consulat.

39. *Hoc anno*, etc. Agit de anno Domini 304, sed correctione indiget, quod dicebatur *Diocletianus septies, et novies Maximianus* consulatum iniisse, cum certum sit e converso legendum, *Diocletianus novies, et septies Maximianus*. Ita siquidem ex omnibus fastis colligitur.

40. *Hoc anno*, etc. Innumeri sane fuere in Hispaniis hoc tempore a Daciano, et aliis præsidibus Diocletiani trucidati, quorum nomina sunt in libro vitæ. Sane apud Agredam notissimum Hispaniæ oppidum, est in magna veneratione ager quidam cum templo olim super eum erecto, ob memoriam et cultum multorum sanctorum martyrum, inibi pro fidei Christianæ defensione a Daciano occisorum, et a re *Ager Martyrum* nuncupatur. Ejus meminit Morales lib. X cap. 6.

41. *Antecedenti*, etc. Id refert Eusebius in Chronico ad annum Christi 305, ubi de hoc triumpho agit. Consule quæ de Narseo et ejus cum Maximiano conflictibus scribit inter alios Orosius lib. VII cap. 25.

42. *Nec multo post*, etc. Accidisse id anno Domini 307 testis est Eusebius in Chronico, et lib. VIII Hist.

A.C.300. Durat nihilominus atrox Diocletiani persecutio. A.R.1051.

Patiuntur Gerundæ in Hispania sancti martyres Felix et Maximus.

Rhodæ in Hispania Celtibera sancti martyres Dionysius et Ammonius.

Iturissæ in Vasconibus sancti martyres Socrates, Dionysius, Victor, Zoticus, Arcadius, Cæsarius, Severinus, qui sub Diocletiano varie torti martyrium compleverunt; quibus additi sunt Christophorus, Antonius, Theonas, qui varie torquentur.

In eremo Metellinensi in Lusitania Theodorus admirabilis.

BIVARII COMMENTARIUS.

Eccles. cap. 26 et 29, et Constantinus Magnus in oratione quam habuit ad Patres in Nicæna synodo congregatos, et Acta S. Menæ et sociorum, ubi asseruntur purpuram deposuisse eo dolore consternati, quod non potuissent contra Christi fideles prævalere. Eusebius affirmat, Diocletianum Nicomediæ, Maximianum vero Mediolani imperio ac purpura se abdicasse. Cæterum semel indicta toto orbe in Christianos persecutio nihilominus perseveravit.

43. *Patiuntur*, etc. De Sancto Felice Gerundæ passo agunt omnia martyrologia ad 1 Augusti; Usuardus brevi elogio sic scribit: *In Hispaniis civitate Gerunda natalis S. Felicis, quem jussit Dacianus judex, post illata tormentorum genera, ungulis detrahi, ac deinde usque ad ossa laniari, et tamdiu vulnera verberibus instaurari, usque dum invictum spiritum Christo reddidit.* Ejusdem meminit Prudentius in Peristephano hymno 4, S. Eulogius in Memoriali SS. Gregorius Turonensis de Gloria martyrum cap. 92, et in Breviario S. Isidori exstat hymnus vetustus, quo ejus acta narrantur; nimirum:

Hymnus de sancto Felice martyre Gerundensi.

Fons Deus vitæ perennis, lux origo luminis,
Aspice plebem canentem festa summi martyris,
Excipe vota precantium, sume laudum carmina.
En tui Felicis almi pangimus insignia,
Tu resolve vincla linguæ, dans sonora cantica,
Ut tua rite queamus promere magnalia.
Iste namque Cæsareæ urbis Mauritaniæ
Mundialis disciplinæ dum studeret litteris,
Artium famosa verba te sequendo deserit.
Audiens plecti fideles, mox Gerundam pervenit,
Præsidis jussu retentus truditur in carcerem,
Ferreis vinclis onustum colloquuntur angeli.
Sistitur aræ, cruentis ut litaret idolis,
Respuit infame factum, voce Christum profitens,
Perstrepit turba bisulcis ossa nudans ungulis.
Nempe mulis alligatus dissipatur artubus,
Fluctibus presso marinis, unda turgens subditur.
Angelus immistus, almis ora pandit cantibus.
Omnia tormenta forti percucurrit pectore,
Et post pœnas, et catenas, ungulas, et verbera,
Carnea claustra relinquens, migrat ad cœlestia.
O nimis Gerunda felix, o beata civitas,
Nil malorum tu pavescis freta tanto martyre;
Postulata promeretur, quisquis hic confluxerit.
Hic Dei virtute pressi lacinantur dæmones,
Verberantur, vinciuntur, et cremantur acriter,
Atque fumus, et favilla nil vigoris obtinet.
Hic salus optata fessis, sed cœlestis profluit,
Visio cæcis patescit, lingua mutis advenit,
Surdus aures hic receptat, atque claudus exilit.
Inde cuncti te precamur una summa Trinitas,
Martyris ut impetratu nostra tollas crimina,
Noxia cuncta repellas, et secunda impertias.
Clerus hic vita nitescat, et sacerdos floreat,
Plebs fidelis quod requirit impetrasse sentiat:
Omnis ætas, atque sexus hoc patrono. Gloria, etc.

De sancto Maximo ejus socio solus Dexter (quod sciam) scribit. Cæterum duos Felices Gerundæ martyrio coronatos fuisse, eosque valde distinctos (non unum, ut multi ex sola identitate nominis ducti crediderunt) satis convincitur ex litteris Berengarii episcopi, et cleri, ac populi Gerundensis datis 11 kal. Augusti ann. Domini 1087, ad congregationem S. Afræ Augustanæ civitatis, quæ exstant apud Velserum in vita ejusdem sanctæ, illis præsertim verbis: *Munus dirigimus, videlicet ex ossibus, et cruore terra mixtis, ac vestimentis sanctissimi doctoris nostri Felicis martyris Christi, scilicet illius, quem ut apostolum et prophetam habemus, non illius qui beatissimi Narcissi diaconus est dictus: quoniam ipse translatus est a piissimo rege Francorum Carolo, et apud Parisiorum civitatem honorifice requiescit.* Asservatur sacrum corpus sancti Felicis, de quo nunc Dexter agit, in cathedrali Gerundensi, caput vero in collegiali ecclesia ejus nomini dedicata. In nonnullis Ecclesiis Hispaniæ celebrabatur olim cum proprio officio, quod in Palentino Breviario legi. Consule quæ diximus ad annum 277.

44. *Rhodæ*, etc. Adhuc fere nomen retinet, vocaturque *Rueda*, ubi celebre adest cœnobium Cisterciensis ordinis, ad Iberi confluentem. Est alia ejus nominis urbs, sive oppidum in Hispania, quod nunc *Rossas* dicitur supra Barcinonam in ipsâ maris Mediterranei ora; cujus meminit Ptolomæus in Indigetibus sub nomine Rhodæ, et Strabo sub nomine Rhodopes, de ea etiam Morales, in Antiq., fol. 85, et Florianus de Ocampo, lib. II Hist. Hispan. cap. 4, et lib. III, cap. 27. At Dexter de Celtibera Rhoda loquitur, in qua SS. martyres Dionysium et Ammonium cervices pro Christo dedisse scribit: horum dies natalis in 14 Februarii incidit, ut apud Bedam, Adonem, et Usuardum videre est, sub his verbis: *Item sanctorum Dionysii et Ammonii decollatorum.* Perperam in Rom. Martyrologii correctione mutatum est adverbium *item* in *ibidem*, quod tamen sine auctore actum Martyrologia dictorum probant, nullibi enim leguntur *ibidem* passi, id est, Alexandriæ, ubi præcedentes martyres occisi fuerant, sed *item*, id est, similiter ipso die.

45. *Iturissæ*, etc. Ejus urbis meminit Ptolomæus in Vasconibus Tarraconensis Hispaniæ, quam Villanovanus in notis marginalibus, Carolus Stephanus et alii aiunt esse *Sanguessam* Navarræ. De eadem agit Pomponius Mela lib. III de situ Orbis; Plinius de Iturissensibus populis. Porro Græci in Menologio 19 Aprilis meminerunt sanctorum martyrum Socratis et Dionysii lanceis confossorum, et die sequenti sancti Victoris cum sociis reliquis. Rom. Martyrologium die 19 Aprilis hæc habet: *Eodem die sanctorum martyrum Socratis et Dionysii, qui lanceis confessi sunt:* et die 20 ejusdem hæc: *Eodem die sanctorum martyrum Victoris, Zotici, Zenonis, Acindini, Cæsarii, Severiani, Chrysophori, Theonæ, qui sub Diocletiano varie tentati martyrium compleverunt.* Quare non uno eodemque die martyrio affecti sunt, sed diversis, ut vides. Codex Dextri pro Chrysophoro habet Christophoro, litterula variata.

46. *In eremo Metellinensi*, etc. Hodie *Medellin*. Consule, quæ de ea urbe notavimus ad annum 134. Porro sancti Theodori admirabilis nomen et sanctitatis memoria apud Græcos celebratur 20 Aprilis, qua Martyrologium Romanum hæc inquit: *Eodem die S. Theodori confessoris ab aspera cilicii veste, qua tegebatur, cognomento Trichinas; qui multis virtutibus præsertim adversus dæmones claruit; ex cujus corpore unguentum scaturiens, ægrotis sanitatem impertit.* Id vero ex Græcis desumptum fuit, qui in Menologio habent: *Hic propter ærumnas, et vitæ duritiam cui se subjecit, frigore et gelu propter Christum vexatus, crassa, et aspera veste corpus tegebat, ex quo factum*

A.C. 300. Carthagine Hispaniæ Felix episcopus, martyr, et socii ejus. A.R. 1051.
Toleti et Hispali S. Felicis diaconi Toletani, Hispali passi sub Daciano præside totius Hispaniæ crudelissimo.
Cæsaraugustæ innumerabilis multitudo martyrum, omnis ætatis, conditionis, et utriusque sexus, passorum.

BIVARII COMMENTARIUS.

est, ut Trichinas cognomento appellaretur; ob idque contra dæmones potestatem accepit; cumque ita vixisset, et ad Dominum, quem desideraverat, migrasset, omnibus fidelibus sanitates confert, unguento ex sancto ejus sepulcro scaturiente. Sed quare Græci nomen loci ubi quiescit non promunt? non alio, nisi quia ipsum ignorabant, quem tamen Dexter exprimit, de quo fusius in Apologia pro auctore a nobis actum.

47. *Carthagine*, etc. Sanctorum Felicis, et sociorum viginti memoria habetur in Romano Martyrologio ad diem 23 Martii, ex Beda, et Uvandelberto: qui tamen crediti hactenus sunt in Africa martyrium pertulisse, quod Carthagine reperirentur occisi: utrum autem iidem sint, de quibus in Rom. Martyrologio colitur festa dies 3 Februarii, sub his verbis: *Ibidem sanctorum martyrum Felicis, Symphronii, Hippolyti et sociorum*, mihi non liquet.

48. *Toleti*, etc. De sancto Felice diacono Hispali passo agit Rom. Martyrologium die 2 Maii, qua etiam celebrari solitum fuit Hispali, et Toleti. Vide Marietam, lib. II, cap. 99. Multa de eo habentur in Breviario S. Isidori: recitatur siquidem in eo officium proprium ejusdem martyris, cum hymno de communi Martyrum: sed nihil dicitur quod ad historiam agonis spectet: ad nomen Felicis magis alludunt cuncta, ut illud cujusdam capitulæ: *Felix martyr tuus, Domine, et nomine probatus, et munere consecratus, dum eum ex nomine vocas, et ex munere consecras*, etc.

Ingeri potest hoc loco memoria sanctarum virginum *Justæ* et *Ruffinæ*, quæ in eadem urbe coronam martyrii percipientes Hispaniam totam illustrarunt. Sed quoniam acta ipsarum celeberrima sunt, et a multis descripta, solum dabimus hymnum in earum festo cani solitum in Breviario sancti Isidori.

Hymnus.

Adsunt punicea floscula virginum,
Cœlesti placido rore virentia:
Quarum vasa poli stigmate siderum
Cœli flammigero igne probata sunt.
Hæc primum olei imbribus illita,
Ignescit facibus cordis in æthera:
Noctis perfidia hostis et impetum
Vincens in fidei lumine optimo.
En Justa pariter, atque Ruffina est,
Quæ clarent meritis, moribus inclytis:
Discreto siquidem nomine virgines,
Uno sed studii nomine martyres.
Thesaurum Domini legibus inclytæ
Vasis fictilibus corporis unice:
Gestantes pretio vascula distrahunt,
Quo quæstu faciet viscera pauperum.
Sed his subsidiis callidus artifex.
Frangit testacea vascula mund....
Ne testa hominum scanderet æthera,
Et pulvis fieret gloria cœlica.
Hinc robusta fides fragmine fictili,
Gliscens martyrium corporis excipit:
Præstans fœmineo præmia sexui,
Quo celso valeant sidere illabi.
Ob hoc vita, salus, et via, veritas,
Te summis precibus, Christe, reposcimus:
Harum suffragio nos tibi consecres
Quarum tu fidei voce placatus es.
Mentis vos facite lampada, virgines,
Fluxu corporeo effici liberos:
Ut votis rigidis corda callentia,
Gestantes habeant regna cœlestia.
Te nostra jubilet gloria perpetim,
Qui solus Dominus trinus, et unus es:
Jugi imperio sæcula continens,
Et cuncta dominans, omnibus imperas.
Amen.

Celebratur festum sanctarum virginum ac martyrum Hispalensium in Rom. et aliis Martyrologiis die 9 Julii: quo die de ipsis scribunt Villegas, Sanctorus, Trugillus, Marieta, Maldonatus, et antiqua diversarum Ecclesiarum Breviaria. Egimus de ipsis ad annum 287, quo a nonnullis passæ referuntur.

49. *Cæsaraugustæ*, etc. Magnam illam sanctorum martyrum stragem apud Cæsaraugustam occisorum sub impiissimo Daciano, nomine *innumerabilium* consueverunt fideles celebrare 3 die Novembris, qua Usuardus, et Rom. Martyrologium iisdem verbis hæc habent: *Cæsaraugustæ sanctorum innumerabilium martyrum, qui sub Daciano præside mirabiliter occubuerunt pro Christo. Cum enim Dacianus* (inquiunt Vincentius Belv. et Equilinus lib. x, c. 17) *videret, quod quanto plus conabatur Christianos exstinguere, tanto magis eorum multiplicabatur fides, et collegium augebatur; simulata paci Ecclesiis reddita, misit edictum ficte ut Christianis latentibus liceret suis legibus uti. Quibus ad publicum prodeuntibus, et Christum laudantibus, eorum multitudine in prædicta civitate conveniente, congregavit exercitum Paganorum, januasque urbis claudi jussit, ne quis eorum evaderet. Omnes itaque Christianos ibidem repertos, armati gentiles ex abditis exeuntes gladiis trucidarunt. Corpora vero in acervos maximos collecta combusserunt, et cineres in ventum disperserunt.* Cæterum mirabili Dei providentia effectum est, ut cineres manserint candidiores nive; unde in globos collecti, *Massa candida* appellari meruerunt. De iisdem Prudentius hymno 6 Peristephani hæc habet loquens de Cæsaraugusta:

Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti;
Sola prædives pietate multa
Luce frueris.
Vix parens orbis populosa Pœni (id est, Carthago Africæ),
Ipsa vix Roma in solio locata,
Te decus nostrum superare in isto
Munere digna est.
Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis exclusit genus invidorum
Dæmonum, et nigras pepulit tenebras,
Urbe piata.

Et paulo post:

Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari vacuus cruoris
Martyrum, semper numerus sub omni
Grandine crevit.

S. Isidorus, lib. XV Orig. de Cæsaraugusta, *Illustris*, inquit, *est florens sanctorum martyrum sepulturis.* Legi in codice magno, pervetusto, Toleti in conventu nostro S. Bernardi extra muros, historiam innumerabilium martyrum Cæsaraugustanorum, cujus titulus est: *Passio sanctorum martyrum innumerabilium, quorum corpora sunt ante ecclesiam, quæ dicitur sancta sanctorum, sub Daciano præside*, etc., initium vero, *Priscorum mundialium gesta virorum*, etc. Continetur tribus magnis pergameni foliis sub num. 75, ubi illud certe valde notandum est, quod pia priscorum devotio ecclesiam eorumdem *Sancta Sanctorum* nuncupavit, ob tantorum pignorum reverentiam. Legi in Breviario Palentino lectiones eorumde m, ubi pass

A.C. 300. Ibidem S. Encratis virginis et martyris ex urbe Bracara Augusta. Item ibidem passi octodecim martyres. A.R.1051.

BIVARII COMMENTARIUS.

dicuntur sub anno Domini 291. De iisdem agunt Morales lib. x, cap. 6; Trugillus, Marieta, Vasæus, Villegas, et cæteri. A

50. *Ibidem S. Encratis*, etc. De ea Romanum Martyrologium ad 16 Aprilis. *Ibidem*, inquit (hoc est, Cæsaraugustæ), *S. Encratidis virginis et martyris, quæ laniato corpore, mammilla abscissa, et jecore avulso, adhuc superstes in carcere inclusa est, donec ulceratum corpus putresceret.* Prudentius cecinit ejus certamen in Perist. inquiens :

Hic et, Encrati, recubant tuarum
Ossa virtutum, quibus efferati
Spiritum mundi, violenta virgo,
Dedecorasti.

Et cætera lectu dignissima, quorum aliqua mox subdemus. Narratur ejus martyrium simul cum historia innumerabilium, in prædicto codice S. Bernardi Toletani; et in Breviario Salmantino legitur fuisse filia reguli cujusdam Portugalliæ, quodque a parentibus nuptui tradenda marchioni Rhodani ducebatur a Lupercio avunculo, et aliis 17 viris primariis. Virgo autem sancta, ut occasionem martyrii sibi quæreret, iter arripiens, Cæsaraugustam pervenit, ubi Dacianum aggressa, eum ad certamen provocavit. Subdit Breviarium præfatum, quod statim jussit Dacianus ipsam in ejus præsentia acerrimis flagris cædi, et cæsam ligatamque, et ad caudam equi tota civitate raptari, eo quod blasphemasset sacratissimos imperatores, ac deinde ejus sacro teneroque corpori cætera tormenta inflicta sunt, quæ Martyrologium narrat : et inter alia clavus in capite ejus sulfixus fuit, cujus foramen hodieque in cranio sacro videmus. Corpus vero sanctissimæ virginis post multa sæcula, anno Domini 1389, die 13 mensis Martii, in marmoreo sepulcro repertum est cum hac inscriptione : *Beatæ Engratiæ virginis et martyris sacrum corpus :* et cum testimonio Prudentii episcopi, qui ipsam sepulturæ tradiderat. De eadem Morales, lib. x, cap. 5; Marieta, lib. iv, cap. 3 et 4; et Yepius, centuria 2, anno Domini 657, cap. 1. Villegas, Trugillus et cæteri. Porro M. Maximus Cæsaraugustæ episcopus sic de eadem cecinit : B

Encratis ob niveos mores niveumque pudorem,
Et mage martyrii nomine chara polo est.
Christi sponsa placet superumque hominumque parenti,
Cæsareæque urbis fida patrona manet.
Sanguine nobilitat quam fuso, et corpore secto
Pectinibus, busto sola relicta suo.
Templa dicata sibi videt hæc in corpore degens,
Digna vigore animæ laurea, dignus honor.
Meaque meumque gregem sanctissima respice Virgo,
Qui tibi pro templis pectora nostra damus.
Hinc patrona tuis mala quæque a mœnibus arce,
Nosque salute bea, hostibus abde fores.

Porro quod Maximus inquit : *Templa dicata sibi videt hæc in corpore degens*, ad illud Prudentii respicit : C

Martyrum nulli remanente vita.
Contigit terris habitare nostris,
Sola tu morti propriæ superstes
Vivis in orbe.
Vivis et pœnæ seriem retexis,
Carnis et cæsæ spolium retentans :
Tetra quam sulcos habeant amaros
Vulnera narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis impensus, lacerata membra;
Pectus abscissa patuit papilla
Corde sub ipso.

Et infra :

Vidimus partem jecoris revulsam,
Ungulis longe jacuisse pressis :
Mors habet pellens aliquid tuorum
Te quoque viva.
Invidus quamvis obitum supremum
Persecutoris gladius negarit :
Plena te, martyr, tamen ut peremptam
Pœna coronat.

Ex quibus infert :

Hunc novum nostræ titulum fruendum
Cæsaraugustæ dedit ipse Christus :
Juge-viventis domus ut dicata
Martyris esset.

Quasi dixerit; hoc speciale præ cæteris urbibus privilegium dedit Christus Cæsaraugustæ, ut novo ecclesiæ genere frueretur (nam titulus ecclesiam significat) siquidem cum urbes cæteræ titulos erigant martyribus mortuis : Cæsaraugusta martyri juge-viventi, hoc est, martyri simul et viventi (mira et nova res!) domum et titulum exstruxit, nimirum S. Encratidi. Sanctorum vero 17 qui cum ipsa passi sunt celebre martyrium cecinit eodem hymno Prudentius, cujus initium est : *Bis novem noster populus sub uno*, etc. De eisque solemnis servatur memoria in Martyrologiis Bedæ, Usuardi, Adonis, Romano, et recentioribus, aguntque Vasæus et omnes auctores pro Encrate citati. Quod ad nomina eorum spectat, Romanum Martyrologium quatuordecim exprimit, et quatuor reliquos Saturninos inquit vocatos fuisse. En ejus verba : *Cæsaraugustæ in Hispania natalis sanctorum* 18 *martyrum : Optati, Luperci, Successi, Martialis, Urbani, Juliæ, Quintiliani, Publii, Frontonii, Felicis, Cæciliani, Eventii, Primitivi, Apodemii, et aliorum quatuor, qui Saturnini vocati esse referuntur : Hi omnes sub Daciano Hispaniarum præside simul pœnis affecti atque interempti sunt; quorum illustre martyrium Prudentius versibus exornavit.* Nomina et seriem ipsorum ab ipso Prudentio mutuavit, qui sic habet :

Ergo ter senis sacra candidatis
Dives Optato simul et Luperco,
Perge conscriptum tibimet senatum
Pangere psalmis.
Ede successum, cane Martialem,
Mors et Urbani tibi concinatur
Juliam cantus resonet, simulque
Quintilianum.
Publium pandat chorus, et revolvat
Quale Frontonis fuerit tropæum,
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Cæcilianus.
Quantus Eventi tua bella sanguis
Tinxerit, quatenus tua Primitive,
Cum tuos vivax recolat triumphos
Laus Apodemi.
Quatuor posthinc superest virorum
Nomen extolli, renuente metro,
Quos Saturninos memorat vocatos
Prisca vetustas.

Sed vero cæteri omnes auctores non solum seriem et ordinem nominum variant, verum etiam nomina omnium 18 exprimunt, et neminem ipsorum Saturninum vocari affirmant. Audi verba Usuardi, cui Ado, et Equilinus consentiunt : *Cæsaraugustæ sanctorum* 18 *martyrum, Quinctiliani, Cassiani, Matutini, Publii, Urbani, Martialis, Fausti, Successi, Felicis, Januarii, Primitivi, Eventii, Cæciliani, Optati, Frontonis, Luperci, Apodemi, et Julii. Hi omnes sub Daciano*, etc. Subscribit Marieta p. 1 lib. II cap. 103, et quod majoris ponderis est, vetustissimus ms. codex monasterii S. Bernardi Toletani supra relatus, idem habet ad verbum. Desunt igitur in Romano Martyrologio quatuor illorum nomina : *Cassianus, Faustus, Januarius*, et *Matutinus*, quos, ut Prudentius inquit, prisci *Saturninos* vocarunt; nimirum cognomine avito, aut alia quavis causa. Sed quid est quod Prudentius ait? D

Quatuor debinc superest virorum
Nomen extolli, renuente metro,

A.C.300. Item ibidem S. Lambertus, qui succisum caput manibus importans, angelo duce, A. R. 1051.
sanctorum martyrum numero sociatus.

BIVARII COMMENTARIUS.

Quos Saturninos memorat vocatos
Prisca vetustas.

Ambrosius Morales lib. x cap. 5 existimat ab eorum propriis nominibus Prudentium abstinuisse, quod ea leges metri Saphici non caperent : et hoc voluisse significare, cum dixit, *renuente metro.* Cæterum non placet in hoc, nam, ut bene notavit P. Lupus in notis ad Lusitanum Martyrologium, de Cassiano quidem et Fausto dubitari nequit, quin facili negotio Saphicam mensuram intrare queant, Januarius autem et Matutinus in vocandi casu. Quod igitur Prudentius asserit, longe aliud est, nimirum nomen, quo prisca vetustas sanctos illos quatuor vocat, id est, *Saturninos*, nequaquam in hoc genere metri locum habere posse, eo videlicet, quod quatuor simul syllabis longis constet, cum tamen prima illa syllaba *Sa* corripienda omnino esset, cum dicitur, *Quos Saturninos*, etc., primus enim pes trochæus est longa et brevi constans. Veniam proinde Prudentius petit : nec enim vulgare veterum tantorum martyrum nomen silendum esset, propter rigorosas metri leges : unde et subdit :

Carminis leges amor aureorum
Nominum parvi facit, et loquendi,
Cura de sanctis otiosa non est,
Nec rudis umquam.
Plenus est artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Christo,
Quas tenet cœli liber explicandus
Tempore justo.

Sub lite etiam est de altero ipsorum, fueritne mas, vel femina : nam nonnulli Prudentii codices, et Romanum Martyrologium apud Baronium *Juliam* vocant : vetustus autem Toletanus, Usuardus, et cæteri *Julium :* quod sequitur Equilinus. Utrumque probabile, neutrum certum. Corpora octodecim sanctorum prope corpus S. Engratiæ sepulta, et cum ipsa pariter reperta sunt, et in quodam sepulcro ejusmodi circumscriptio : *Corpus sancti Luperci, ejus avunculi martyris* ; avunculi scilicet S. Engratiæ.

51. *Item ibidem S. Lambertus*, etc. Quæ hic de sancto Lamberto referuntur trita sunt apud omnes Hispanicarum rerum scriptores ; ita sane referunt de eo Morales lib. x cap. 6, Villegas, Trugillus, Vasæus et cæteri. Erat quidem S. Lambertus agricola, cujusdam gentilis servus, a quo de fide coram judice accusatus, capitis abscissione donatus est, dum in agro boves ducens araret ; assumens dehinc caput manibus propriis, ducibus et bobus et angelis, ad sepulcra cæterorum martyrum proficiscitur : quo cum pervenisset, *Exsultabunt* (ait) *sancti in gloria ;* et a cæteris martyribus responsum est, *lætabuntur in cubilibus suis.* Quo dicto in consortium illorum se dedit. Vidi prope sepulcrum S. Engratiæ historiam hanc in marmore sepulcri ejusdem sancti Lamberti imaginibus incisam. De eodem consule Romanum Martyrologium ad 16 Aprilis. Cum prædictis martyribus passi quoque sunt sancti Caius, et Crementius, de quibus in hymno 18 Martyrum hæc habet Prudentius.

Additis Caio (nec enim silendi)
Teque Crementi, quibus incruentum
Ferre provenit decus ex secundo
Laudis agone.

Id Romanum Martyrologium die prædicta sic exponit : *In eadem civitate sanctorum Caii, et Crementii, qui secundo confessi, et in fide Christi perseverantes, martyrii calicem gustaverunt.* Quod secundo confessi, vel secundo laudis agone illustrati dicuntur, ad id tendit, ut in primo certamine defecerint, sed facti A pœnitentia ducti, secundo se certamini exhibentes, coronam adepti sint. Unde subdit Prudentius :

Ambo confessi Dominum steterunt
Acriter contra fremitum latronum ;
Ambo gustarunt leniter soporem
Martyriorum.

Cæterum quod incruentum martyrii decus tulisse dicantur, et leniter soporem ejus gustasse, ad id puto referendum, quod sine sanguinis effusione, funibus strangulati, aut in flumen præcipites dati fuerint.

DE S. VINCENTIO MARTYRE APPENDIX.

Hoc loco proculdubio in codicibus Dextri, quibus fruimur, deest memoria S. Vincentii Levitæ et martyris, qui in universa Ecclesia secundo post Laurentium loco celebris habetur. Nec enim notissimus omnium martyr uni Dextro occultari potuit, qui tamen singularem de Martyribus Hispanis notitiam præ cunctis mortalibus, quorum scripta exstent, habuisse B probatur. Transcriptori codicis potius culpæ dandum est, quod Vincentium prætermiserit, sed id etiam de Eulalia Barcinonensi fecisse convincitur, quam sane Barcinonensis scriptor (Dexter) Barcinone scribens, minime præteriret. Accedit S. Braulionem quasdam additiones ad Dextrum fecisse, quæ omnino supponunt memoriam sanctorum Vincentii, et Eulaliæ Barcinonensis minime prætermissam, nam ad annum Domini 304 quo uterque peremptus fuit, hæc habet : *Per hæc tempora catholici Valentini ad littus maris Saguntini nobile S. Vincentio sepulcrum erigunt, et intra sacrarii aram imam in profundo loco corpus invictissimi martyris religiosissime recondunt ; quod templum assidua visitatione frequentatur. Etiam ubi carcer, et ubi martyrium passus est loca frequentant, et religione quadam singulari percolunt.* Ad annum vero 312 hæc : *Barcinone* (ait Braulio) *S. Eulaliæ virgini martyri ac civi, suæque tutelari cives Barcinonenses ædem ad mare construunt.* Certe si Dexter C Vincentii et Eulaliæ nequaquam meminisset, Braulio non solum adderet erectionem templorum, sed multo magis eorumdem martyrum agones. De sepulcro super S. Vincentii corpus erecto, ex actis ejus hæc ait Equilinus lib. II cap. 3 : *Cadaver solutum in littus a fluctibus deductum est ; quod a quadam matrona vidua ipso revelante repertum est, et ab ipsa una cum quibusdam fidelibus in modica basilica sepultum. Cessante vero persecutione, corpus ad civitatem Valentinam deducitur, et juxta muros honorificentius tumulatur.* Habemus testimonio ejusdem Prudentii S. Vincentium non fuisse excarnificatum Valentiæ, sed prope Saguntina diruta mœnia in loco ignobili ; quod annotasse velim eos, qui oppositum senserunt : ait enim in hymno 18 Martyrum Cæsaraugustanorum, Cæsaraugustæ et ipse existens :

Noster est, quamvis procul hinc in urbe
Passus ignota dederit sepulcro
Gloriam victor prope littus altæ
Forte Sagunti.

D Cui consonat additio supra dicta S. Braulionis. Quod spectat ad locum natali S. Vincentii illustratum aliqua inter auctores controversia est ; nonnulli enim, inter quos est Morales lib. x cap. 8 vel 9 credunt Cæsaraugustæ ortum fuisse, alii autem Oscæ ; videtur illis favere Prudentius in eodem hymno, dum asserit Cæsaraugustanis 18 martyribus annumerari debere S. Vincentium, eo quod inde sanguinem duxerit :

Quin ad antiquum numerum trahentur,
Viva post pœnæ specimen puella ;
Morsque Vincenti, cui sanguis hinc est,
Fons et honoris.

A.C.300. Toleti sancta Leocadia virgo et martyr, quæ jam flagellata in horrendum carcerem detrusa fuerat: audito S. Eulaliæ Emeritensis martyrio, in oratione signato A.R.1051.

BIVARII COMMENTARIUS.

Horum autem sententiam omnino veram judico, A utpote quam potiores ac plures defendunt, et inter eos Heleca Cæsaraugustanus episcopus, cujus verba dedimus in superioribus, cum de S. Valerio episcopo ageremus. Certe Oscenses id certa traditione a suis majoribus accepta conservant, ostenduntque domum Eutychii, et Enolæ parentum S. Vincentii: et multa Hispaniæ breviaria diversarum Ecclesiarum consentiunt; inter quæ Salmantinum hæc habet: *Quoniam triumphum S. Vincentii notitiæ fidelium tradere disponimus, dignum est ut et generis ipsius nobilitas breviter intimetur. Exstitit enim patre Eutychio progenitus, qui fuit Agresti consulis notissimus filius; mater vero ejus Enola ex Osca urbe noscitur procreata*, etc. Huc accedit S. Vincentium ex eadem patria, cognatumque fuisse S. Laurentii, qui tamen Oscensis fuit, ut suo loco probavimus. Id luculenter expressit M. Maximus in epigrammate de eodem Vincentio, quod hoc loco placuit subjungere.

Vincenti egregiam referens ab agone coronam,
Atque Levitarum dulce Levita caput:
Sacra domus firmæ quæ nomen adepta Columnæ (*id est de Pilari*)
Hoc tibi victuro pulvis et umbra fuit.
Maxime de septem celebrata in sede ministris.

Hoc Prudentius dixit:

Exclamat hic Vincentius,
Levita de tribu sacra,
Minister altaris Dei,
Septem ex columnis lacteis.

Et Nebrissensis ita exposuit, ut episcopus Cæsaraugustæ septem habuisset diaconos more apostolico, non aliter atque pro sede Hierosolymitana ab apostolis olim instituti totidem leguntur Act. VI. Inter septem vero diaconos Cæsaraugustanus Vincentius erat prior. (Nil minus de aliis episcopis credo, nam et omnes archidiaconum habebant, id est, superiorem cæteris diaconis: unde de sancto Laurentio idem Prudentius in hymno ait:

Hic primus e septem viris,
Qui stant ad aram proximi:
Levita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior.)

Sic igitur ait: *Maxime de septem celebrata in Sede ministris*, quod prius dixerat: *Caput dulce Levitarum*:

Martyr ades votis, supplicibusque tuis.
Hinc prodis rutilans fidei spectandus in armis,
Inde Valentino das documenta solo.
Inque Iliberritano das maxima cœtu
Signa tui infracti pectoris, et fidei. (*Egimus de hoc in superioribus.*)
Testis es, o Valeri genitor fortissime, tanti
Pectoris: hoc socio prælia nonne subis?
Archilevita sacer, cui secretaria cordi
Sunt tibi, quæ constant agmina sacra doces.
Sanguis erat tuus ille potens Laurentius, ignes
Stinguere de tortis artubus, ille potens.
Ille tibi documenta dedit præclara micandi,
Ipseque dat aliis, estis in arte pares.
Ille parit Romæ, patriæ paris ipse coronam,
Patria utrique eadem, laurea, robur idem.
Respice nos præsens stellata in veste minister.
Atque tuos cives civis et ipse juva.

Quod autem Vincentius ex Cæsaraugusta sanguinem traxisse dicatur a Prudentio, non tollit, quin Oscæ natus sit, dum tamen quispiam ex suis Cæsaraugustanus fuerit. Multa de eodem S. Vincentio habentur in Breviario S. Isidori, et inter cætera hymnus, cujus initium:

Adest miranda passio
Levitæ sancti martyris:
Cui clara virtute flagrans
Corona vincenti datur, etc.

Et in Capitula: *Adest, Domine, testis tui solemne illud, atque famosissimum festum, quod annuis recursibus mortalium obtutibus præsentatur; in quo hic Vincentius martyr tuus, mirabiliter vincens, et solo* (id est, terra) *probatus et pelago, nec terrenis suppliciis vincitur, nec marinis gurgitibus compeditur*, etc. Et infertus vocatur *Prædicator luminis*. Longum esset singula prosequi, quæ sancti martyres de tanto martyre scripserunt; de eis consule Baronium in annot. ad 22 Januarii, et Molanum ibidem: et præcipue Rabani martyrologium, qui brevi epilogo agones omnes B. Vincentii describit.

52. *Toleti sancta Leocadia*, etc. De ea omnium martyrologiorum auctores, Beda, Usuardus, Ado, Romanum, ac cæteri: Vasæus, Laurentius de Padilla, Mariana, Marieta, Villegas, Trugillus, Maldonatus, Marinæus Siculus. In Breviario Palentino his B verbis ejus acta recensentur: *Impiissimi Diocletianus et Maximianus imperat. crudelissimum Dacianum præsidem, ad evitandam magis, quam ad gubernandam destinaverunt Dacianum præsidem, qui post multorum sanctorum cædes, Toletanam urbem ingressus est; ubi reperit Deo dicatam virginem Leocadiam de nobilissimo genere exortam; quæ non diebus, neque noctibus, pervigili cura, ab oratione cessabat. Qui quidem Dacianus, cum eam suis conspectibus præsentari præcepisset, ita affatus est: Cur te tam levis, et vana ludit circumven io, ut de tam præclaro genere nata, relinqueres cæremonias deorum nostrorum, et nescio cui Christo te offeras servituram? Beata vero Leocadia respondit: Non me tua suasio a proposito Christi revocabit; nàm illi me servituram devovi. Non illusio verborum tuorum, nec blandimenta natalium, quibus me suadere conaris, retrahent a servitute Domini mei Jesu Christi, qui nos pretioso sanguine suo redimens, magnam indidit libertatem. Furens itaque Dacianus præcepit eam trudi* C *in carcerem, arctissimis vinculis colligatam, donec excogitaret, quibus pœnis vel tormentis eam affligeret. Deinde profectus Elboram civitatem, multos sanctos sanguine fuso transmisit ad Dominum. Cumque in Toletana urbe ad B. Leocadiam horum fama percurrisset, genibus in oratione positis, in eodem loco quo reclusa tenebatur, completa oratione, suum Domino commendans spiritum misit ad cœlum.* In respons. 6, speciali notitiæ martyrii S. Eulaliæ tribuit, quod in lectionibus in communi de fama necis multorum martyrum ad aures Leocadiæ adventante dixerat. Consonant Salmantinum Breviarium et alia multa diversarum Ecclesiarum Hispaniæ. Cæterum quod a Dextro additur de lapide duro, cui S. Leocadia pollice suo signum crucis molliter impressit, verissimum esse ex hymno ipsius, quem in Palentino Breviario legi, manifeste habetur; sic enim habet:

Hæc cum corde puro
Deum intercessit:
In carceris muro
Pollicem impressit.
Pollex sic intravit
In lapide duro,
Quod crucem signavit
In molli butyro.
Sic, Christe, consigna
Corda nostra dura:
Ut te mente digna
Sequamur et pura.

In Breviario Toletano archiepiscopi Silicæi, parum mutatis verbis sic lego:

Pollex sic intravit
In prædura petra,

A.C. 300. (pollice virgineo) durissimo carceris saxo, signo crucis, et ibidem relicto in hanc diem digitorum et crucis signo; impollutum in oratione spiritum Deo reddidit. A.R.1051.

BIVARII COMMENTARIUS.

Quod crucem signavit
Ut in molli cera.

Exstat usque in hodiernam diem in antro carceris S. Leocadiæ, prope altare ipsius virginis ad cornu Evangelii in muro lapis ipse cruce ejus pollice signatus, sub crate ferrea custoditus, quem anno Domini 1621 Toleti existens veneratus sum: altare autem ipsum ex marmore alabastrite constructum, tribus distinctum historiis, totidem repræsentat acta martyrii S. Leocadiæ. In priori ad cornu Evangelii sistitur Daciano; in altera quæ in medio altaris est, crudeliter a satellitibus flagellatur; in tertia quæ ad cornu epistolæ vergit in carcere clausa, super nudam humum jacens, reddit spiritum. Quo videas eos omnes deficere qui sola carceris custodia credunt maceratam fuisse S. Leocadiam, et nullum aliud tormentum pertulisse. Sane hymnus in honorem ejusdem virginis cani solitus in Breviario Gothico correptam fuisse, id est, verberibus cæsam affirmat; quem hic placet inserere:

Sanctissimæ Leocadiæ
Solemne festum prodiit,
Quo vana terræ despuens
Ad regna cœli transiit.
Omnes venite supplices,
Cordis reatum pandite:
Gaudendo vota solvite,
Deoque grates reddite.
Hæc namque virgo nobilis
Exorta claro germine:
Confessa Christum fortiter
Pœnas libenter pertulit.
Correpta jussu præsidis
Uncis ligatur ferreis,
Ut vinculorum pondere,
Fides puellæ cederet.
Illic per abstinentiam
Christo placere cogitans:
Laudum rependit gratias,
Precumque refert victimas.
Sed mox ut S. Eulaliæ
Mortem sacratam comperit;
In carcerali vinculo,
Cœlo refudit spiritum.
Nunc, virgo sancta, quæsumus,
Et lacrymando poscimus:
Ut probra nostra diluas,
Et vota Christo perferas.
Tu nostra civis inclyta,
Tu es patrona Vernula:
Ab urbis hujus termino
Procul repelle tædium.
Non hostis hic prævaleat,
Non morbus, aut penuria:
Recedat omne noxium,
Et conferatur commodum.
Sic vita rebus affluat,
Ne corda luxu sordeant:
Cunctisque de criminibus
Donetur indulgentia.
Deo perennis gloria,
Et gratiarum copia:
Qui cuncta volut tempora,
Et regnat ante sæcula. Amen.

Accedit dictis, quod de eadem virgine in Breviario quoque Salmantino asseritur, *fremens Dacianus præcepit militibus multis tormentis eam affligere: properans itaque Elboram*, etc., quibus ut minimum innuitur, flagellis cæsam fuisse. Sed quod minime ferro vitam finierit, inde factum est, ut in officio ecclesiastico Gothici Breviarii perpetuo confessor nuncupetur; unde in eadem oratione dicitur: *Gloriosa facta est virgo tua, Christe, Leocadia, quæ consurgenti auroræ comparata, pulchra atque electa ut sol, probatur et luna; dum clariori rutilans lumine, et ut luna plena clarescit in confessione, et ut sol flagrans, atque imminutionem sui nesciens, sanctitatis persistit in opere? Da ergo nobis, ut per eam apud te pro votis indulgentiam mereamur, qui nunc pro delictis vel lacrymas fundimus, vel gemitus exhibemus. Amen.*

Hunc locum sibi vendicat additio S. Braulionis ad Dextrum; nimirum *anno Domini* 312, *Toletani fideles S. Leocadiæ martyri ac civi, sacram ædem ubi sepulta jacet, erigunt: quæ secunda domus sacra est in illa civitate, maximeque frequentatur.* Ibi siquidem nonnulla Toletana concilia celebrata sunt.

DE SANCTIS EULALIIS APPENDIX.

Obiter hoc loco de S. Eulalia Emeritensi mentionem faciens Dexter, videtur in originali suo, debito loco fusius de eadem, ac de ejus socia et convirginali S. Julia dixisse, deesse tamen dolemus id in codice nostro; sicut et memoria S. Eulaliæ Barcinonensis. Illud profecto mirabile admodum in utraque cernitur, quod non solum eodem nomine, eadem ætate et eadem persecutione participaverint, sed simillimis martyriorum generibus, paribusque miraculis in morte nobilitatæ sint; ut non sit mirum nonnullos auctorum externorum eas confudisse, ut Equilinus, lib. 1, cap. 54, fecisse convincitur, dum eam quæ a presbytero Donato edocta 10 Decembris celebratur, Barcinonensem fuisse existimat: sed falso et contra seipsum, nam ipse Equilinus ante 6 solum capita ejusdem libri, Eulaliæ Emeritensis meminit, agens de sancta Leocadia: unde postmodum sui oblitus utramque confudit. Et Eulaliæ quidem Emeritensis acta luculenter sacro hymno cecinit Prudentius in Peristephano, qui in Breviario sancti Isidori recitari solitus fuit in ipsius virginis festo: ad epitomen redacta sic ea expressit Ado in Martyrologio: *Apud Emeritam Hispaniæ civitatem natale sanctæ Eulaliæ virginis, quæ cum esset annorum* 13 *jussu Daciani præsidis* (lege Calpurniani, quem habent acta Daciani, ut reor, ministri) *plurima tormenta perpessa, novissime in equuleo suspenta, et exungulata, faculis ardentibus ex utroque latere appositis, hausto igne spiritum reddidit; et, cernentibus Christianis, in specie columbæ niveæ cœlum petiit. Cujus beatum corpus per triduum jussu præsidis pependit in ligno: sed cui humana fuerint obsequia denegata, cœlestia fuerunt munia concessa; nam nix desuper corpus puellæ adspersit, ut quod ab utraque parte appositus ignis ardoris sui incendio conflagraverat, nivali candore coopertum divina gratia dealbaret. Sicque a Christianis reverenter ablata, et devotione debita sub sacro altari deposita miraculorum gloria illustratur.* Hæc ille ex prædicto Aurelio Prudentio. Audi nunc, quæso, quæ Prudentius ipse de eadem martyre scribat in hymno, cujus initium:

Germine nobilis Eulalia,
Mentis et indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam,
Cujus ab ubere progenita est,
Ossibus ornat, amore colit.

De martyrio sic paulo inferius:

Nec mora carnifices gemini
Juncea pectora dilacerant:
Et latus ungula virgineum.
Pulsat utrimque, et ad ossa secat
Eulalia numerante notas.

Rursum cum in equuleo posita, lampadibusque ad latera appositis exusta, rogo nihilominus circumdata esset, subdit:

Flamma crepans volat in faciem,
Perque comas vegetata, caput
Occupat, exsuperatque apicem:
Virgo citum cupiens obitum,
Appetit, et bibit ore rogum.

Emicat inde columba repens,
Martyris os nive candidior
Visa relinquere, et astra sequi;
Spiritus hic erat Eulaliæ,
Lacteolus, celer, innocuus.
Ecce nivem glacialis hiems
Ingerit, et tegit omne forum,
Membra tegit simul Eulaliæ,
Axe jacentia sub gelido,
Pallioli vice linteoli.

Cætera, quod hymnus ipse præ omnibus sit, consulto prætermitto.

Verum totidem pene de Barcinonensi Eulalia narrat Quiricus Toletanæ sedis antistes S. Ildefonsi successor, in hymno, quem in ejus laudem edidit, et Toletano inseruit breviario. Præfuit hic consilio Toletano undecimo celebrato æra 713, id est, anno Dom. 675. Hymnus vero sic habet :

Fulget hic honor sepulcri martyris Eulaliæ :
Quæ sacro signavit idem passionis stigmate.
Huc vocat adesse cunctos, convenit occurrere.
Germinis hujus propago, vel caterva confluens,
Barcinon Augusta semper stirpe aucta nobili,
Civium florens corona, plebs fidelis inclyta :
Virginem videte vestram, quam sit index gloriæ,
Quæ fide probata terret sic furentem judicem;
Prædicans crucis honorem, vel salutis indicem.
Hæc enim catomata sistitur equuleo;
Cæditur, exungulatur, atque flammis uritur,
Terminum habere laudis inter ista nesciens.
Ambiens crucis patronum in cruce suspenditur,
Corpus illic ad honorem nix polorum protegit :
Sic calore plena sancto passionem sustulit.
Hujus ex ore columba cum solutis artubus,
Prosilit ire per auras, seu volatu percito
Virginem vicisse clamans in supernis sedibus.
Quæ tamen Dei puellam gestiens præcurrere,
Lege jam mortis peracta gaudiis attollitur,
Sicque risu rorat ora, corda mulcet flentium.
Lucida felix per orbem Barcinon attolleris,
Quæ sinu pignus retentas tam salubre, tam pium,
Scilicet tanti habendo corporis consortium.
O beata sponsa Christi, virgo clementissima,
Suscipe jam singulorum vota, vel suspiria;
Postulans Christum precatu, quo gementes audiat.
Solve quod tædet, quod arguit mortis ad perniciem,
Pestilens morbus recedat, mucro hostis subruat :
Vita sit tranquilla cunctis, sint quieta tempora.
Non iniquis serviamus mente factionibus,
Non caro jugum rebellis suave Christi renuat;
Sed Christi caloris omnes sanctitate fulgeant.
Civibus occurre civis, et salutem porrige,
Esto sic patrona nobis in relatu gratiæ,
Sicut es vicina cœlis ad favorem gloriæ.
Inter hæc admixtus ipse conquærit et Quiricus,
Qui tui locum sepulcri regulis monasticis,
Ad honorem consecravit sempiterni Numinis.
Ut mei post vincla carnis sis memor in æthera :
Et minus quod hic peregi, tu valenter suppleas,
Hæc tibi perlata vota vel camena consecrans.
Gloria Patri Natoque semper et Paraclito,
Laus, potestas, atque virtus, gratiarum copia,
Quem Deum cuncta fatentur sæculorum sæcula.
Amen.

Vide, quæso, lector, quam similes gemmas sol justitiæ in mari nostro genuit, ut sola civitate, et parentibus, ac passionis die differre videantur. Neque vero eo etiam differre quis putet, quod Barcinonensis in cruce, Emeritensis autem in equuleo interempta dicatur: nam de Emeritensi similiter legimus in oratione quadam Breviarii Gothici, quæ sic habet: *Domine Jesu Christe, qui beatissimæ virginis tuæ Eulaliæ corpusculum in cruce pendens suprema aspersione vestisti, ut et candor virginem, et refrigerium indueret martyrem.* Itidemque asserunt acta ejusdem beatissimæ virginis, quæ in ejus festo in Breviario Salmantino recensentur, nam habent : *Post hæc vero B. Eulalia diversis generibus tormentorum macerata, pendens in cruce super his omnibus gloriabatur*, etc. Sed vero mihi certum habeo, quod cum utraque in cruce suspensa dicitur, non de cruce rigorose intellecta A accipiendum est, sed de equuleo, qui formam crucis gerebat; nam quod Quiricus et Romanum Martyrologium asserunt, Barcinonensem in cruce suspensam spiritum emisisse; acta ejus quæ tum in codice vetustissimo monasterii Sancti Bernardi Toletani legi, sub initio : *In diebus illis Eulalia sancta Barcinonensis civis, et incola*, etc., tum in Breviario Palentino exstant; apertis verbis habent, in equuleo evectam efflasse animam. Emeritensis quoque crux luculenter exprimitur qualis fuerit, in quodam hymno Breviarii Gothici, quem postea dabimus, ibi enim dicitur :

Tunc in reciso stipite,
Ductis in altum brachiis,
Latus puellæ cæditur,
Nudaque flammis uritur.

Quæ procul dubio forma equulei fuit. Quod vero Salmanticum de Emeritensi dixit ex cruce cœlos in modum columbæ penetrasse, acta ejus quæ in præ- B dicto Palentino, asservantur, id de equuleo dictum asseverant. Consule quæ in hanc sententiam notavimus agentes de sancta Wilgeforte ad annum 138. Sed quoniam acta ipsa germana ac sincera hactenus edita numquam vidimus, placuit in gratiam eruditorum ea in medium afferre, prout in Breviariis Palentino, Salmantino, et Asturicensi asservantur.

VITA S. EULALIÆ EMERITENSIS.

Passio sanctæ ac beatissimæ Eulaliæ virginis, quæ facta est in civitate Emerita sub Calpurniano præside, IV *idus Decembris. In diebus illis virgo beatissima Eulalia sanctimonialis puella, patrem habuit Liberium Emeritensis urbis primarium. Cum esset annorum circiter tredecim, Deo timorata, mente et corpore casta, ac religione pudica, docebatur a quodam Donato presbytero, ab ejus infantiæ rudimentis, ut Christum fateretur. Quæ dum annos adolescentiæ fuisset ingressa, fidem quam sancta devotione conceperat, animo fortiore servabat. Igitur cum* C *B. Eulalia civis et incola provinciæ Lusitaniæ, in finibus provinciæ Bæticæ, ultra Emeritam, milliario fere 38, in villa quæ dicitur Pronciano, cum confessore Felice, et aliis sodalibus Deum timentibus moraretur, et in Dei laudibus permaneret; Calpurnianus ingressus est Emeritam civitatem persequens Christianos. Cumque nuntiatum esset B. Eulaliæ, venisse nuntios cum vehiculo publico, qui eam ad Emeritam ducerent, et cura parentis lateret domi, virgo tamen animosa nocte consurgens, protinusque in velocitate vehiculi, læta progrediens, toto animo ad martyrium properabat. Præstabat et comitatum Julia convirginalis ejus, et cum iter facerent dixit ei B. Eulalia : Notum sit tibi, domina soror, quia novissima vado, sed prior patiar. Cum autem Coloniæ Emeritensium urbi appropinquassent, B. Eulaliæ obviavit quidam Judæus, et dixit ei : Vade, thurifica, ut vivere possis. Cui sancta virgo respondit : Augeat tibi Dominus annos, nam ego mori pro Christo desidero. Deinde ad passionem ducta sic Calpurnianum præsidem urbis Emeritensis allocuta est.* D *Quid ingrederis urbem, inimice Dei excelse? Quid persequeris Christianos, et niteris perdere virginem Dei? Dominus me docet in veritate sua, nec auferes a me castitatem meam, quia non seduces adolescentiam meam. Calpurnianus præses dixit : O infantula, antequam crescas florem ætatis tuæ perdere quæris. Eulalia B. respondit : Ego annorum circiter sum tredecim; putasne infantiam meam tuo posse terrore turbari? Sufficit mihi hæc transitoria vita; et quia terrenæ vitæ blandimentis non delector, alteram futuram beatam exspecto vitam, qua beatior dono divinitatis efficiar. Calpurnianus præses dixit : Ista te vanitas misere non seducat; accede et sacrifica diis secundum præceptum imperiale, quo possis tormenta evadere, et honorari, et sponsum divitem promereri. B. Eulalia respondit : Habeo sponsum divitem immortalem Chri-*

A.C. 300. Sunt qui dicant, nunc allatas ex Perside in urbem Hispaniæ Bæticæ Cordubam, A.R.1051.
Patriciam appellatam, reliquias sanctorum Parmenæ et sociorum ejus, qui in Perside passi sunt.

Sancti Christi martyres Vincentius, Sabina et Christeta ejus sorores, qui nati in

BIVARII COMMENTARIUS.

stum, qui te tuosque perdet, et patrem tuum diabolum, A *qui dicitur Satanas. Tunc misit præses, ut in carcerem mitteretur. Prius tamen jussit eam vocari ad se, et blandis verbis ac deceptoriis persuadere volens dicebat: Considera infantiam tuam, aspice temetipsam, miserere tui: vade, thurifica, ut vivere possis. B. vero Eulalia fide plena, virtute firma, usque ad finem mortis operari non timens, ita respondit: Christiana sum, non facio. Tunc Calpurnianus turbido furore succensus, putans pudicam virginem more infantium a tergo corporis emendari, jubet per officium curatoris eam catomari. Cui B. Eulalia dixit: Corpus meum habes in potestate, animam vero meam in potestate habere non potest nisi solus Deus. Cumque catomaretur corpus ejus delicatum ac sanctum, illatæ cædis verbera æquo animo sustinebat; confidensque in magna gloria Dei, constanter et fortiter maledicebat regem Cæsarem cum diis suis. Angeli vero Domini protegebant B. Eulaliam. Cumque hæc præses audisset, et de sententia danda puellæ moram faceret, Eulalia virgo perseverans in constantia,* B *audacter plena fide, et libera voce, ita ut omnes audirent, dixit: Calpurniane, da sententiam; regibus enim tuis, ac diis eorum, ea quæ sæpius dixi, repeto, et maledixi, et maledico. His verbis auditis B. virginis, exacerbatus vehementer et accensus Calpurnianus furore nimio, jussit sibi sequenti die aptari tribunal in foro. Tum præcepit ex sententia B. virginem cruciari, et primo jussit eam cædi cum fustibus madefactis, et mammillas ejus candente oleo perfundi, et ipsam in calcem vivam demergi, et aquam desuper fundi, et liquatum plumbum in olla super eam poni. Ad ultimum vero Calpurnianus videns se victum, et confusum, jubet B. Eulaliam extra civitatem duci, et in equuleo suspendi et exungulari, et circa latera ejus lampades ardentes applicari, et vivam flammis cremari. Post hæc vero B. Eulalia diversis generibus tormentorum macerata, pendens in cruce super his omnibus gloriabatur, commemorans seipsam, in quibus se ab infantia præparaverat, omnibus etiam audientibus se dicebat: Credi oportet unum et verum Deum, Patrem cœlestem,* C *et Jesum Christum Filium ejus omnipotentem, cum Spiritu sancto adorandum, qui est benedictus in sæcula. Sicque beata et gloriosa in suo fine festinans ad Dominum, quo celerius iret properabat. Ergo flamma ignis de utraque parte apposita, aperto ore suo vim rapuit, et auxit incendium; quo facto ex ore ejus in specie columbæ, in conspectu omnium sanctæ martyris spiritus migravit ad Dominum.* Deest nivis miraculum, de quo jam diximus, et martyrium sanctæ Juliæ virginis sociæ ipsius. Ubi tamen quod asserit, jussam fuisse *catomari*, nihil est aliud, quam quod in humeris alterius levata, more puerorum in natibus vapulabat: nam κατωμαδὸν idem est quod in humeris aliquid imponere, ut recte Baronius notavit in Martyrologii notis ad diem 15 Junii, litt. b, ex Suida, Hippocrate et Josepho, et manifeste innuitur ex illis verbis actorum quæ modo recensuimus, *Putans pudicam virginem more infantium a tergo corporis emendari*, et mox subditur: *Jubet eam catomari*, et in idem recidit, quod de Eulalia Barcinonensi dicitur in hymno præfato, *Hæc etenim catomata sistitur equuleo.* Sic et sanctus Vitus puer, apud Adonem et Bedam legitur more puerorum catomis cæsus, et similiter sancta Barida et alii. Sed do tibi alterum Eulaliæ Emeritensis virginis hymnum, qui in Breviario sancti Isidori cani consuevit.

Laudes beatæ Eulaliæ
Puro canamus pectore:
Quam Christus inter martyres
Casto sacravit sanguine.
Quæ clausa duris postibus,
Interque fortes cardines;
Somni cibique nescia,
Christo canebat pervigil.
Custos tremendi numinis
Lucem stupet in vinculis:
In caceris angustia,
Mentis beatæ gaudia.
Judex furore turbidus.
Surgit cruentis faucibus:
Et increpat noctis moram,
Sanctam daturus hostiam.
Lætoque primo verbere
Christi puella cæditur:
Sed consecrare pernegat
Libamen aris impium.
Tunc in reciso stipite
Ductis in altum brachiis
Latus puellæ cæditur:
Nudaque flammis uritur.
Victor recedit spiritus,
Corpus relinquens pallidum:
Quod lege mortis perditum,
Perducat ad vitam Deus.
Gloria, etc.

53. *Sunt qui dicant*, etc. Nonnulli quos Ambrosius Morales refert lib. IX, cap. 48, existimarunt SS. Parmenam, Helimenam, et Chrysolitum presbyteros, Lutiumque et Mutium diaconos Cordubæ in Hispania martyrio coronatos fuisse; manifeste tamen deceptos acta ipsa convincunt, quæ simul cum actis SS. Abdon, et Senen Persarum, et præcipue sancti Laurentii martyris exstant apud Surium tomo IV, die 10 Augusti, ubi in Perside passi leguntur sub Decio imperatore ante S. Laurentium. Habent Persæ suam Cordubam, sive Corduenam: quam Equilinus lib. IV, cap. 79, corrupte Cordulam nuncupat. Asserit tamen Dexter illinc in Cordubam nostram his diebus reliquias delatas a nonnullis affirmari: quod si verum est, id effectum credi- C derim, quod aliqui Cordubenses Hispani (milites forsan) e Perside sanctorum martyrum corpora in patriam adducere curarint: sive e converso acciderit, quod Persæ ipsi Cordubenses cum reliquiis in Hispaniam demigrarint, et Cordubam versus jampridem ab ipsis ædificatam iter direxerint. Sane Persas olim in Hispaniam pervenisse cum suis coloniis, Plinius lib. III, cap. 1, ex M. Varrone refert.

Hoc loco in Dextro excuso erat S. Firmi memoria, cujus initium, *Mellaria urbe Hispaniæ*, etc., quam exclusimus ab hoc loco, quod paulo superius anno 300, iisdem verbis scripta sit, et hic, ab alio sciolo iterata.

54. *Sancti Christi martyres*, etc. Non semel annotatum reliquimus Elboram, seu Eboram Carpetaniæ eam urbem esse quam nunc Talavera nuncupamus; qua de re non modica inter Quebedum et Resendium fuit controversia, quæ in Hispania illustris exstat. Hanc ipsam adversus Marianam suscitavit D Mantuanus, sed immerito, et cupidine potius contradicendi, quam amore veritatis ductus. Certe Eburam quamdam in Carpetania fuisse, tam manifeste testimonio Livii convincitur, ut cæcutire in meridie videatur, qui id non videt. Nam libro XL agens de bello Q. Fulvii Flacci cum Celtiberis, inquit: *Principio veris exercitum in Carpetaniam duxit, et castra locavit ad oppidum Eburam, modico præsidio in urbe posito. Paucis post diebus Celtiberi*, etc. Porro constat ex actis SS. martyres Vincentium et sorores

A.C. 300. Eborensi oppido Carpetaniæ, Abulæ passi gloriosissimo martyrii genere de hoste triumpharunt. A.R. 1051.

BIVARII COMMENTARIUS.

Elboræ natos esse, inibique a Daciano captos : inde vero fugam Abulam usque arripuisse, ubi et interempti sunt. Quod autem Elbora illa non sint in Lusitania, sed inter Toletum et Abulam (quo loci Talavera est) satis probat iter ipsum, quod Dacianus et martyres confecerunt. Dicitur enim in actis Dacianus Toleti in vinculis colligasse Leocadiam, et inde Elboram profectus fuisse, ac tandem Abulam pervenisse. Id quod de sancto Vincentio et sororibus pariter asseritur. Quod si quis dixerit, Dacianum Toleto Lusitaniæ Elboram petiisse, et inde Abulam, distortum valde iter confecisse asseret ; obstantque antiquæ memoriæ, nam hodieque perseverat via, magna veneratione habita, qua sancti martyres Abulam ingressi sunt : hæc vero versus Talaveram et Toletum est in saltu illo quo Carpetania a Bastetanis populis secernebatur. At si ab Elbora Lusitaniæ venirent, nequaquam eam viam conficere potuissent. Huc accedit, Talaveræ existere, et magna haberi veneratione lapidem, qui a S. Vincentio calcatus, sacrorum pedum ad contactum mollis factus, imaginem expressit et retinet : ut in vita eorumdem legitur. Sed contendit Resendius alterum similem Eburæ in Lusitania pari honore haberi ; mihi vero contentionis gratia id dictum seu etiam factum videtur : et contentioni ipsum cessurum crederem, si datum esset ipsi præsens Dextri testimonium intueri, quo tota quæstio præsens dirimitur.

Quod ad sanctos ipsos spectat, celeberrimi toto orbe sunt, utpote quorum victoria ab omnibus celebratur. Usuardus die 27 Octobris sic inquit : *In Hispaniis civitate Abula, passio sanctorum Vincentii Sabinæ et Christetæ, qui primo adeo in equuleo sunt extensi, ut omnes compages membrorum eorum laxarentur. Deinde capita eorum lapidibus superposita usque ad excussionem cerebri validis vectibus sunt contusa, atque ita martyrium compleverunt, agente præside Daciano.* Pro *validis vectibus* legendum arbitror, *validis ictibus*, acta enim non vectibus, sed fustibus proferunt martyrum capita fuisse contusa. Usuardi verba retinent Ado, Beda, et Romanum Martyrologium ; de iisdem agunt omnes Hispanicarum rerum scriptores, Vasæus, Marinæus, Morales, Mariana, Marieta, Villegas, Trugillus, etc., et Equilinus lib. IX, cap. 114. S. Braulio ad annum Domini 314, hæc addit Dextro. *Abulæ templum etiam erigitur sacris martyribus Vincentio, Sabinæ et Christetæ, in loco ubi patiuntur.* Sed demus acta germana ipsorum, prout in Breviariis Palentino, et in codice ms. vetustissimo bibliothecæ S. Bernardi Toletani exstant sub num. 72.

In diebus illis, dum per multas civitates magnas cædes sanctorum Dacianus impius tyrannus perpetrasset, veniens Elboram, officium omne præmonet suum, ut quoscumque invenisset Christianos, suo conspectui præsentarentur. Statim adolescentem nomine Vincentium, cujus meritum nomen comitabatur suum, comprehensum ejus conspectui sistunt. Quem videns Dacianus, blandiendo eum decipere desiderans, ait : Cujus sectæ es? Vincentius, cujus jam spiritus cœlo hærebat, respondit : Christum colo, ex cujus nomine Christianus vocor. Dacianus dixit : Indulgeo juventuti tuæ, quod nondum ad solidum prudentiæ robur veneris : tamen consilium tibi erit, si me quasi patrem tuum audieris, et diis sacrificaveris. Vincentius dixit : Solido intellectu carent, qui relicto Deo vivo, lapides et ligna colunt. His et hujusmodi responsionibus Dacianus furore repletus dixit : Aut sacrificet deo Jovi, aut diversis pœnis addictus morte turpissima condemnetur. Cumque duceretur, ut deo Jovi sacrificaret, subito lapis, qui plantæ ejus subjacebat, divinitus ita mollitus est, ut pulverem esse crediderint circumstantes, et velut impressio cujuslibet metalli fit in cera, ita sigillum pedis ille demonstravit : quod prodigium usque hodie sic habetur. Territi tanto miraculo milites inquiunt : Nihil tale fecerunt cultores deorum nostrorum. Pro qua re eum domi custodiendum a Daciano petunt, quo concesso, triduo multi per prædicationem ejus animas suas Domino reddiderunt.

Tunc duæ germanæ ejus Sabina et Christeta cellam vinculorum ejus ingressæ, tales cum gemitu dabant voces : Cui nos perituras relinquis? Quis putas erit noster Dominus? aut quis virginitatem nostram tuebitur? Paulisper (germane) pacata aure audi lamentabilem suggestionem nostram simulque fugam arripiamus ; ut si fugientes a persecutoribus prævoccupati fuerimus, simul Deo animas tradamus : si autem evaserimus, quantum tecum cum pudore longam duxerimus vitam, tantum a Deo nobis cumulabitur sanctitas. Victus Vincentius gemitibus germanarum, ipse et sorores pariter fugam accipientes Abulam confugiunt ; quos persecutores assequuntur, et in dicta urbe repertos, crudeliter verberibus afflixerunt : ac sursum et deorsum in equuleo extensos, tandem fustibus et lapidibus cerebris excussis, martyrium consummarunt, ibique sepulti sunt circa annum 306. *Sed postea regnante in Hispania rege Fernando Magno, eorum corpora translata sunt (ut plurimorum testatur assertio) videlicet corpus sancti Vincentii in Legionem, sanctæ Sabinæ in Palentiam, et S. Christetæ in S. Petrum de Arlanza, sub æra* 1097. Non integra corpora ipsorum translata fuisse credenda sunt, sed bona eorum pars, cum adhuc Abulæ eorumdem sacræ exuviæ in veneratione magna sint.

Porro translationi huic fidem facit ejusmodi inscriptio marmori insculpta, quæ in muro Claustri Ecclesiæ S. Isidori Legionensis integra perseverat, illiusque temporis elocutionem barbaram redolet : ut egomet legi anno Domini 1621.

Hanc quam cernis aulam S. Joannis Baptistæ olim fuit lutea, quam nuper excellentissimus Ferdinandus et Sancia regina ædificaverunt lapideam. Tunc ab urbe Hispali adduxerunt ibi corpus sancti Isidori episcopi, in dedicatione templi hujus, die 12 *kal. Januarii, æra* 1101. *Deinde in æra* 1103, 6 *idus Maii adduxerunt ibi de urbe Abila, corpus S. Vincentii fratris S. Sabinæ et Christetæ.*

Quiescit vero corpus S. Vincentii (bona ex parte, ut dixi) in arcula argentea super altare majus ejusdem ecclesiæ cum hac inscriptione :

Arcula sanctorum micat hæc honore duorum :
Æra millena septena sub nonagena.

Erat olim simul cum sancto Vincentio bona pars mandibulæ S. Joannis Baptistæ, quapropter in honore duorum sanctorum arca micare dicebatur : sed ea postmodum inde ad devotionem populi extracta in sacrario asservatur. Astipulatur his omnibus Morales lib. x, c. 12. Porro in gratiam eruditorum subjungere placet hymnum, qui de his martyribus exstat in Breviario Mozarabi S. Isidori.

In festo sanctorum martyrum Vincentii, Sabinæ, et Christetæ hymnus.

Huc vos gratifice plebs pia convocat
Virtutum Dominus, testium atria
Conferre dapibus vota calentia,
Cœlorum locet in intima.
Juncti martyribus jungite gaudia,
Vincenti teneat munera vox pia :
Sabina recinat cœlica littera,
Christeta bona et hera.
Hi mundi misera, lucra per ardua,
Spreverunt hominum vafra dolentia.
Cedunt punicea colla per omnia,
Rex Christe, tibi laurea.
Simplex, ac Trinitas te Deus unitas

A.C. 300. Albæ prope Accim in Hispania Bætica sancti Christi martyres, Apollo, Isacius, A.R.1051.
Crotatonque eorum socius gloriosus.
Bracaræ in Lusitania sanctus Silvester pro Christo passus.
Cordubæ in Bætica sanctus Secundinus martyr, et civis Cordubensis, qui sub Diogeniano judice, per certaminum agitationes, superataque judicis sævitia, et multis cruciatibus fortiter toleratis, palmam martyrii reportavit.

BIVARII COMMENTARIUS.

Rogamus, precibus horum ut audias,
Quæ ipsi petimus, corda calentia
Immense, bene proroga,
Sit, trina Deitas, sit tibi gloria,
Qui unus retinens omnia judicas
Large continua perpetim sæcula
Sed ultra bona prosperas. Amen.

55. *Albæ prope Accim*, etc. Erat quidem Alba municipium, Albense Urgabonense dictum, quo loci nunc *Arjona* est, quæ ab Urgabona nomen accepit: inter Accitanum et Giennensem urbes (id est inter Guadix et Jaen). Ita Morales in Antiquit. verbo *Mentesa*, fol. 74, affirmans adhuc exstare Albæ sive Arjonæ lapidi insculpta inscriptione hac in honorem Hadriani imperatoris: *Imp. Cæsari. divi Trajani Parthici. filio : divi Nervæ nepoti : Trajano. Hadriano. Augusto. pontifici maximo trib. pot.* XIV. *PP. municipium Albense, Urgabonense, D. D.*

Porro sanctorum martyrum Apollinis, Isacii et Crotatis festam diem agit Romanum Martyrologium ad 21 Apirilis, sub his verbis: *Item SS. martyrum* B *Apollinis, Isacii, et Crotatis, qui sub Diocletiano passi sunt.* Eorumdem meminere Græci in Menologio, cujus verba sunt: *Eodem die certamen sanctorum martyrum Apollo, Isacii, et Crotatis, fame et ense consummatorum, sub Diocletiano imperatore, sub quo militabant;* sed Dextro soli urbis suæ notitia debetur.

56. *Bracaræ*, etc. In Lusitano Martyrologio Conimbricæ excuso anno Domini 1591, exstat memoria sancti Silvestri martyris in territorio Bracarensi sub Diocletiano coronati, ad diem 12 Aprilis. Ejus corpus translatum est in Ecclesiam Compostellanam anno 1102, a Didaco primo ejus sedis archiepiscopo, ut produnt Annales Compostellani.

57. *Cordubæ*, etc. Sancti Secundini Cordubæ passi meminere Usuardus, et Romanum Martyrologium ad diem 21 Maii. Vasæus affirmat in persecutione Diocletiani occisum. Acta ejus ex Cordubensi antiquo Breviario affert Roa in Sanctis Cordubensibus. Horum initium: *Quo tempore Diocletianus infensissime Ecclesiam et Hispaniam persequebatur*, etc. Summa C eorum est, Secundinum a judice comprehensum, varia cum eo iniisse colloquia, atque disputationes, quibus falsam deorum redarguit, et veri Dei majestatem monstravit: judicem inde mille viis a fide Christi militem ejus retrahere tentasse; sive pollicitationibus alliciendo, sive terroribus minitando, ac demum cum videret se verba frustra ventis jactare, gravissimis illum tentasse suppliciis, et mortem ipsam atrociter intulisse. Festum quotannis celebrat sui martyris Cordubensis Ecclesia, ipso die, id est, vigesimo primo Maii et Conchensis, aliæque ante Romani Breviarii reformationem celebrabant. Porro de Diogeniano sub cujus dominio passus dicitur, habetur etiam mentio in actis SS. Justæ et Rufinæ: erat enim Bæticæ sub Diocletiano præses. Meminit sancti Secundini summa cum laude sanctus Eulogius in Memoriali Sanctorum libro II, aguntque de eodem Morales lib. X, c. 25; Mariana. lib. II, cap. 28; Villegas et cæteri, et Equilinus, lib. III, D cap. 130, n. 145.

Sub præfato judice Diogeniano, uti temporum ratio convincit, glorioso martyrio Cordubæ coronati fuere viginti Christi martyres, quorum præcipuus sanctus Zoillus juvenis fuisse dignoscitur. Meminerunt eorumdem auctores omnium Martyrologiorum, Beda, Usuardus, Ado et reliqui, cum Roa mano, cujus hæc sunt verba, die 27 Junii: *Cordubæ sanctorum martyrum Zoilli et aliorum decem et novem.* Quo die Galesinus, *Cordubæ*, ait, *in Hispania sancti Zoilli martyris et sociorum* 19, *qui Diocletiano imperatore præclaris pro pietate dimicationibus, insigniter nobilitati coronantur.* Similia habet Equilinus, lib. VI. cap. 16. Porro sancti Zoilli egregia facinora et tormenta pro Christo quæ perpessus est recitantur in Breviariis Cordubensi, Palentino, Salmantino, et aliis; habetque ea Marieta de Sanctis Hispan. I p. lib. II; Flos Sanctorum Alphonsi de Villegas, Basilius Sanctorus, Thesaurus Concion.; et novissime Roa, lib. de Sanctis Cordubensibus: ut interim Moralem, Vasæum, Lucium Marinæum et alios prætermittam. Insuper Breviarium Toletanum S. Isidori hunc recitat in ejus festo hymnum, ex diversis Prudentii centonibus compositum, hymni in laudem 18 martyrum Cæsaraugustanorum facti, uti ex numeris ad marginem annotatis videre est.

In festo sancti Zoilli martyris hymnus.

Ex vers. 4:

Martyris gesta, Zoillique corona
Obviam Christo properanter ibit:
Civitas quoque pretiosa portans
Dona victoris.

Ex vers. 24:

Hoc colunt cives velut ipsa membra
Cespes includat suus, et paterno
Servet amplectens tumulo, beati
Martyris ossa.

Ex vers. 26:

Noster, et nostra prius in palæstra,
Arte virtutum, fideique olivo
Unctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.

Ex vers. 29;

Martyrum nulli, remanente vita,
Contigit terris habitare nostris:
Solus tu morti propriæ superstes
Vivis in orbe.

Ex vers. 15:

Solus occurrens, numerosiores
Actus virtutum Domino parasti;
Solus prædives pietate, multa
Luce frueris.

Ex vers. 19:

Patriam credas, martyris coronis
Debitam sacris, chorus unde surgens
Tendit in cœlum, niveæ togatus
Nobilitatis.

Ex vers. 20:

Inde, Zoille, tua palma nata est,
Clerus hinc tantum peperit triumphum:
Hic sacerdotum domus infulata
Celebrat votum.

58. *Gloria*, etc. Correxi eum aliquibus locis ad Prudentii collatum exemplaria. Inter alia quæ sanctus Zoillus fortiter tormenta perpessus est, illud fuit insigne, quod in extremo dorsi cæsa porta, renes illius et ilia crudelis tortor extraxit, et nihilominus aliquamdiu vivus in Dei laudibus perseveravit. Quapropter id quod de S. Engratia Prudentius cecinerat, *Martyrum nulli remanente vita*, etc., in præfato hymno merito de Zoillo quoque canitur. Non deest, qui cum velit confundere cum Acisclo

A. C. 300. Nertobrigæ in Celtiberia sanctorum martyrum Synesii, et Theopompi. Nec desunt A. R. 1051.
qui putent hos duarum civitatum Hispaniæ episcopos fuisse, quamvis non declarent quænam illæ fuerint.

Alexandriæ sancta Catherina virgo et martyr sub Maximino Augusto, superatis 40 philosophis, præmissa Augusta, Porphyrioque duce cum exercitu patitur.

In territorio Bracarensi S. Susanna virgo et martyr, pro fide passa; soror S. Victoris martyris catechumeni.

BIVARII COMMENTARIUS.

comite sanctæ Victoriæ Cordubensis, uti fecit Julianus in Chronico ad annum Domini 150, qui tamen multo ante, eo scilicet anno, pro Christo martyrium subierant.

Quid autem in causa fuerit, ut Dexter tanti martyris et sociorum ejus in Chronico non meminerit (nisi defectus codicis, et amanuensis lapsus notandus sit, quod facile credidérim) illud occurrit, sanctum Zoillum multos annos in sepulcro ignobili peregrinorum a paganis ejectum latuisse, quousque temporibus Sisebuti Gothorum regis, *Venerabili episcopo ejusdem civitatis, nomine Agapito, ex divina revelatione manifestatum, et ab eodem repertum, atque honore condecenti collocatum est.* Quæ sunt verba Adonis et Equilini. Narrat eam rem latius Marinæus lib. v de rebus Hispaniæ memorabilibus, quem Surius transcripsit tomo 7. Consentit Galesinus cit. loco. De Ecclesia vero S. Zoilli ab Agapito erecta, scribit S. Eulogius in Memoriali Sanctorum lib. II, cap. 6, quem ibi functum munere clericatus refert Albarus in ejus Vita. Non igitur mirum si Dexter ejus martyris non habuit notitiam; quamquam illud scrupulum ingerat, quod Prudentius Dextro coævus sancti Zoilli meminit in supradicto hymno. Cæterum fieri nihilominus potuit ut adhuc martyr lateret Dextrum, si ejusmodi hymnum non legit, quod non est improbabile, quandoquidem cum de aliis Prudentii libris egerit in hoc Chronico, hymnorum tamen non meminit. Denique anno 1070, Fernandus Gomezius, comes de Carrion, transtulit corpus S. Zoilli ad urbem suam, ibique sub ejus nomine ædificavit notissimum Benedictinorum cœnobium: nec omittam dicere R. P. Fr. Ildephonsum Truxillum nunc generalem procuratorem in urbe, socium et amicum charissimum, eleganti stylo bis millibus octonariis Hispani carminis gesta S. martyris cecinisse, aliquando in lucem edendis.

59. *Nertobrigæ*, etc. Duas hujus nominis urbes olim in Hispania fuisse testis est Ptolomæus; alteram quidem in Turditanis populis Bæticæ, quam nunc *Fregenal* dici ex lapide inibi existente, cum inscriptione NERTOB. probat Morales in Antiquit., verbo *Beturia*, fol. 100; alteram in Celtiberia, cujus meminit Appianus; de qua Dextro sermo est, et hæc quidem in eo loco sita fuit, ubi nunc *Almunia* videtur, uti auctor Dictionarii Geographici asseverat: nimirum ad confluentem Salonis, non longe a Biblili, versus Cæsaraugustam. Porro SS. Theopompi et Synesii martyrum memoria habetur in Romano Martyrologio ad 21 Maii: acta vero apud Equilinum, lib. v Catalogi, cap. 33: sed tamen cum Nicomediæ episcopum facit Theopompum, dilucide convincit card. Baronius in notis Equilinum errasse, quandoquidem Diocletiani temporibus, sub quo ille passus est, erant Nicomediæ episcopi, primum Cyrillus, ac deinde Antimus. Nec mirum, cum pro Nicomedia legendum sit, ut apud Dextrum habemus, Nertobriga. Rursus quod aliorum quoque martyrum actis accidit, in his accidisse certum est; nimirum quod imperator cujus jussu persecutio excitata est, quasi judex esset, inducitur martyres suppliciis interrogans: cum tamen non ipse, sed ejus minister fuerit exsecutor. Acta eorum correcta sic habent:

Theopompus episcopus Nertobrigæ passus est, cum quodam Synesio, sub Diocletiano Augusto. Cum enim Theopompus episcopus ad fanum eductus simulacra adorare noluisset, missus est in clibanum ignis, in quo die et nocte illæsus permansit. Nocte vero inde exiens, luce cœlesti prævia, ad palatium judicis devenit; omnibusque januis reseratis divinitus usque ad lectum suum accessit, seque viventem protestans ad clibanum rediit: in cujus medio mane psallens, et omnino inustus repertus est. Quod dum judex magiæ ipsius adscriberet, ut experiretur, canem in furnum mitti fecit, qui subito incensus est. Post hæc Theopompus diebus 22 in carcere sine ullo cibo detinetur, sed a Domino confortatus vultu hilari inde producitur. Tunc jussu judicis oculus sibi dexter effoditur; sed ipso ad carcerem redeunte, sibi a Domino restituitur. Quod dum ille iterum magicis artibus deputaret, accersito ad se quodam Ægyptio maximo mago, Theona nomine, induxit eum ad episcopum suis præstigiis occidendum, voluit tamen primo artem ejus videre. Qui taurum ferocissimum ad se ductum, dum in aure ipsius aliqua verba dixisset, subito in duas partes discerpsit, quæ in lance ponderatæ æqualiter pensaverunt. Tunc magus Theopompo obtulit spirulas farinales artis magicæ, et venenum in calice dæmoniis plenum. Et cum ille hæc omnia sine læsione gustasset, magus convertitur, et cum eo carceri traditus, ab eodem baptizatur, nomenque sibi Synesius imponitur. Inde sanctus eductus, et in terram supinus extensus, atque ad stipites ligatus, lapis magnus, vix ab octo viris portatus ventri ejus superponitur: sed elevatus lapis a se ipso, ultra quindecim cubitos prosilivit. Dehinc in eminenti suspensus pedibus, capite deorsum, saxoque ingenti ad ejus cervicem alligato; fune quoque quo tenebatur præciso, ut raptim tractus ad terram dirumperetur, sine ulla læsione in pedibus stetit. Novissime autem decollatus est. Synesius vero in defosso terræ positus, humoque opertus, equis superinductis ut calcibus terram premerent, migravit ad Christum. Quorum corpora Nertobrigæ in eodem tumulo sepulta sunt 10 kal. Junii.

Non defuere qui tempore Dextri affirmarint, Synesium quoque episcopum fuisse; quod si ita esset, necessum est, ut non simul occiderentur, sed Synesius aliquo tempore superviveret, et quod tandem Nertobrigæ quoque occisus fuerit.

60. *Alexandriæ*, etc. Quicquid hoc loco de S. Catherina Dexter scribit, in actis ejus a Metaphraste editis, et in Romano Breviario reperitur, sive de 40 philosophis ab ea superatis, aut potius 50, ut quidam referunt; sive de Faustina Augusta, et Porphyrio duce ab ea conversis, et ante ipsam martyrio coronatis. Eademque habet Equilinus, lib. x, c. 105, additis his quæ a Baronio notata sunt, videlicet non esse legendum fuisse sub Maxentio, sed sub Maximino tyranno occisam. Fuit sane B. Catherina magni habita semper in Hispaniis, atque idcirco ejus meminit Dexter inter Hispanos martyres, de quibus præcipue hoc loco loquebatur. Unde et paulo inferius, anno 309, iterum agit de ea, inquiens: *Ega attulit ex Oriente memoriam sanctæ Catherinæ in Hispaniam.*

61. *In territorio Bracarensi*, etc. Vasæus in Chronico, ad annum 306, agit de S. Susanna virgine, Bracaræ passa, quæ fuit soror S. Victoris martyris proprio sanguine baptizati. De ea etiam mentio fit in Lusitano Martyrologio, ad finem, inter sanctos

A. C. 300. Pompilonæ S. Valens Pompilonensis Hispaniæ episcopus et martyr, quo cum passi sunt tres pueri comites coronæ. A. R. 1051.

Cluniæ in Hispania fortissimi Christi martyres Melecius dux exercitus, et alii 2 diversis cruciatuum generibus Deum glorificaverunt, sanctæque illorum uxores Susanna, Marciana et Palladia, quæ cum pueris suis, confractis cervicibus, coronam adeptæ sunt.

Segisamonæ in Hispania sanctus Papius martyr, qui, verberibus cæsus, et in lebetem oleo ferventi, atque adipe liquescenti refertum conjectus; aliaque iis graviora perpessus, decollatus est.

308. Civitate Martula [*Vel.* Mertile] in Lusitania (ut ex Martyrologio constat Eusebii Cæsariensis, quod jussu Constantini imperatoris ille composuit) S. Bricius (ut creditur) episcopus Eborensis; qui comprehensus a Marciano Lusitaniæ præside, pro fidei confessione multa perpessus est; qui prædicavit etiam ad Castulonem prope fluvium Tagum qui illam urbem præterfluit; deinde rediens Segisamonem Vac- 1059.

BIVARII COMMENTARIUS.

Lusitaniæ, ad diem 12 Aprilis; et in Annalibus Compostellanis asseritur, D. Didacum Compostellanum archiepiscopum transtulisse corpus S. Susannæ virginis et martyris Bracarensis, e loco ubi prius sepulta fuerat, in sedem suam anno Domini 1102. Cæterum post 300 et amplius annos, videlicet 1590, D. Augustinus de Castro Bracarensis archiepiscopus iterum aperiri jussit ipsius sepulcrum, et non pauca ex ossibus S. virginis in eo reperta sunt; et comprobatum non fuisse totum ipsius corpus translatum Compostellam.

62. *Pampilonæ*, etc. In codice Dextri Cæsaraugustæ excuso *S. Valerius* legebatur, sed S. Valentem legendum esse Beda, Ado, Martyrologium Romanum, et antiqua mss. convincunt. Exstat festivitatis ejus memoria apud hos omnes ad 21 Maii, qua die Romanum Martyrologium hæc habet: *Eodem die S. Valentis episcopi, qui cum tribus pueris necatus est.* Molanus ex quodam Martyrologio addit, *Augia, quem lætis ducit per gaudia votis.* Quo videtur asserere in monasterio Augiensi, toto orbe celeberrimo, prope Constantiam, ejus festum celebrari; ut credo, quod corpora SS. martyrum Valentis episcopi, et puerorum a Carolo Magno imperatore Pampilona Augiam translata fuerint.

63. *Cluniæ*, etc. Quod Clunia vetus, moderna Coruna del Conde fuerit, non vero Coruna regni Gallæciæ caput, probavimus in superioribus anno 290, agentes de S. Saturnino, et sociis martyribus. De S. Meletio et sociis, uxoribus et filiis, hæc habet Romanum Martyrologium die 24 Maii: *Eodem die sanctorum martyrum Meletii ducis exercitus, ac sociorum ejus ducentorum, et quinquaginta duorum, qui diverso mortis genere martyrium compleverunt. Item sanctarum martyrum Susannæ, Marcianæ, et Palladiæ prædictorum militum conjugum, quæ una cum parvulis suis confractæ sunt.* In notis testatur Baronius de eisdem agi ipsa die in Menologio, ibique acta illorum pluribus referri, ubi 24 Maii hæc habentur. *Eodem die S. Meletii ducis exercitus, Joannis et Stephani comitum, et multitudinis eorum, qui cum ipsis certamen sustinuerunt, ducentorum quinquaginta martyrum cum mulieribus et pueris. Cum S. Meletius Christi fidem libere et constanter profiteretur, et idola exsecrabilia quæ in gentilium templis colebantur precibus suis everteret: a Maximo præside missi sunt milites, qui Meletium et qui cum illo erant detinerent. Ducti vero, cum immolare nullo modo passi essent, baculis silvestribus cæsi, lateribus laniati, et ferreis malleis contusi sunt, postremo in ligno clavis confixi. Rursus ferreis malleis eorum frontibus verberatis, S. Meletius in pinu suspensus atque confixus migravit ad Deum: Stephanus vero, et Joannes comites obtruncati pro Christi fide, ipsi quoque occubuerunt: milites vero qui cum S. Meletio erant, gladio percussi. Susanna vero, Marciana et Palladia sanctorum martyrum conjuges, cum suis infantibus, jussu præsidis, a carnificibus confractæ sunt; qui statim post commissum scelus animam efflasse dicuntur. Quin etiam in ætate valde puerili Cyrianus et Christianus interrogati a præside, utrum Jupiter an Christus illis videretur esse major, cum Christum majorem respondissent, obtruncati sunt. Eodem die certamen sancti martyris Serapionis Ægyptii, et eorum qui cum ipsis eodem tempore passi sunt. Hic una cum Callinico mago propter Christi fidem obtruncatus est. Festus autem, Faustus, Marcellus, Theodorus, Melecion, Sergius, Marcellinus, cumque his Felix, Fotinus, Theodoriscus, Mercurius, et Didymus, quorum alii erant comites, alii tribuni, alii principes, omnes in fornacem conjecti martyrio consummati sunt.* Hactenus in Menologio.

64. *Segisamonæ*, etc. Ptolomæus asserit Segisamam Juliam urbem fuisse Vaccæorum, et Villanovanus ejus scholiastes nunc dici *Simancas*. Collocat etiam Ptolomæus Segisamonculum in Autrigonibus, Cantabrorum populis, quo loci nunc est *Sancta Gadea:* atque hoc videtur esse Segisama illa, in cujus agro Augustus Cæsar castra collocavit, ut Cantabriam sibi subjiceret; quod ex veteribus refert Morales, lib. VIII, cap. 53. Quæ tamen harum fuerit urbs illa, quam S. Papius sanguine suo nobilem reddidit, licet modo non exprimat, ex his quæ inferius de S. Britio annotabit palam fiet; videlicet esse Vaccæorum Segisamæna, seu Segisamonem. Cæterum sancti Papii memoria exstat apud Græcos in Menologio 28 Junii, ex quo Rom. Martyrologium hæc desumpsit: *Eodem die Papii martyris, qui in persecutione Diocletiani flagris cæsus, et in lebetem oleo et adipe ferventi plenum injectus, aliaque horrenda supplicia perpessus, demum datis cervicibus coronatur.* Quæ omnino consonant iis quæ de ipso Dexter scribit. Galesinus eodem die sic inquit: *Sancti Papii martyris, qui Diocletiano et Maximiano imperatoribus, pro Christo post multa quæ invicto animo sustinuit supplicia, eaque dictu horrenda, demum datis cervicibus coronatur.* Græci autem sic: *Hic sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus, inde usque a majoribus, Christi Domini fidem sequens et prædicans fuit, pro cujus confessione flagris cæsus, et in lebetem injectus oleo et adipe ferventi plenum, septem dies permansit, indutus igne sicut vestimento; quæ res stuporem omnibus attulit, et plurimos ad Christi fidem convertit.*

A. C. 308. — 1. *Civitate Martula*, etc. Multa de S. Britio reperies in actis sanctorum martyrum Hispalensium Carpophori, et Abundii apud Mombritium tom. I. De eo etiam Usuardus, Ado, Romanum martyrologium, Galesinus et recentiores agunt ad diem 9 Julii. Dabo Usuardi verba, quæ cæteri mutuati sunt: *Civitate Martula S. Britii episcopi, et confessoris: qui pro confessione Domini postquam est multa perpessus, et ab angelo sancto, et a B. Petro apostolo confortatus, magnas populorum credentium*

A. C. 308. cæorum urbem, ubi prædicaverat prius, et postmodum prædicavit ; peragrataque A. R. 1059.
tota ferme Hispania, Martulam reversus, a præfato judice comprehenditur. Deinde in equuleo torquetur ; post in carcerem conjicitur ; ac deinde suborto gravi per urbem terræmotu, pariete corruente Marcianus deprimitur. Deinde sanctus Bricius a Petro (quidam putant) episcopo Bracarensi, et ab angelo exhilaratus, a custodia publica educitur ; longeque ac late per Bæticam, Lusitaniam, et Terraconensem prædicans, ad suam urbem reversus, septimo idus Julii plenus dierum, et sanctorum operum ad cœlum victor commigrat : astantesque confirmant ejus animam instar candidissimæ columbæ pulcherrimis meritis locupletatam evolasse.

Serpæ in Bætica florent sancti martyres Proculus, et Hilarion, quos etiam Græci celebrant ob sanctitatis gloriam ; qui sub Trajano imperatore, M. Aurelio præside, passi sunt. Proculus primo facibus in humeris et ventre aduritur, deinde telis frequentibus vulneratus obiit ; Hilarion vero post varios cruciatus, tandem capitis abscissione martyrium consummavit.

In Lusitania civitate Callensi, quæ prope Castralælia sita est, sancta Uvilgefortis floret, pro fide et pudicitia mortem passa.

Urgabonæ in Bætica sub præside Daciano Bonosus et Maximinus martyres.

Carthagine Spartaria sub Daciano, præside Hispaniæ et Galliarum, sanctæ Christi

BIVARII COMMENTARIUS.

multitudines omnipotenti Deo lucrifaciens, quievit in pace. Roman. Martyrologium exprimit judicis nomen inquiens : *Sub Marciano judice in confessione Domini multa passus*, etc. Equilinus fusius ejus acta prosecutus lib. VI, cap. 74 : *Britius* (ait) *episcopus in civitate Martula claruit ; qui dum Christum Dominum prædicaret, a judice Marciano comprehensus est, cui jussit præses os lapide diu contundi : deinde in equuleo ipsum levari, et crudeliter torqueri ; et cum in Dei confessione perduraret, in carcerem trusus est. Nocte vero facta præ maximo terræmotu civitas tota concutitur, et ruente pariete Marcianus opprimitur. Britius autem ab angelo, et a B. Petro apostolo visitatus, de carcere eductus est. Qui deinde multo tempore Christi Evangelium circumquaque prædicans, magnasque populorum multitudines omnipotenti Deo lucrifaciens, septimo idus Julii quievit in pace. Cujus animam astantes viderunt in specie columbæ niveæ cœlos agiliter advolantem.* Pene in omnibus Dextro Equilinus consonat ; nec mirum si ita in actis prædictis reperiantur ; quæ sane illa esse credimus, quæ agente Constantino magno imperatore Eusebio Cæsariensi ab Hispania missa fuerunt cum cæteris, ex quibus vastum opus collegit de Martyrum gestis, quod Græce scriptum in regia bibliotheca S. Laurentii in Excuriali dicitur reperiri : et etiam Martyrologii primus auctor exstitit, ut Beda expresse testatur lib. Retractationum in Acta apost. tomo VI et lib. II in Marc. cap. 26, et Hilduinus in præfatione ad Vitam S. Dionysii, et S. Notcherus in Martyrologio suo VII Kal. Maii, et late docteque probat Molanus lib. de Martyrologiis cap. 2 sub titulo, *De Martyrologiis Eusebii, et Hieronymi* : et fassus est Pamelius ab ipso citatus : quidquid sit de epistola ad Chromatium et Heliodorum, quæ sub Hieronymi nomine circumfertur ante Usuardi martyrologium ; quam tamen recipit Cassiodorus de Divinis Institut. cap. 32 ; sed eas ex professo inferius propugnabimus ad annum Domini 384.

Jam quod ad urbem Martulam attinet, imprimis in Hispania non longe ab Hispali esse satis ex actis sanctorum Carpophori et Abundii deducitur, qui sub eodem Marciano judice apud Hispalim passi sunt. Ea sane est quæ nunc *Mertula* in Lusitaniæ finibus, ad confluentem Annæ fluminis sita est, non procul a *Beja*, juxta oppidum *Alcotin* ; olim a Plinio lib. VIII, c. 22, et a Ptolomæo in Lusitaniæ tabula, Myrtilis, seu Julia Myrtilis dicta. Fallitur Villanova dum Juliam Myrtilim vult nunc esse *Bahenam*, quæ tamen non in Lusitania, ut omnes Mytilem ponunt, sed in Bætica inter Cordubam et Alcala Regiam sita est. Sane multa loca Hispaniæ Juliæ cognomen a Julio A Cæsare recepisse certum ac notum est ; et observavit Morales lib. IX, cap. 32 : ejusmodi sunt in Bætica Julia claritas, Julia virtus, Julia contributa, Julia concordia, etc. Denique notarim, quod alii D. Petro apostolo de Britio liberato a vinculis tribuunt, Dextrum D. Petro Bracarensi episcopo, ex aliorum relatione tribuisse ; tum quia Britius erat Eborensis in Lusitania antistes, tum quia Petrus etiam ille a Lusitanis vocabatur apostolus, ut Patres concilii Bracarensis sub Pancratiano episcopo vocaverunt. Consule acta concilii hujus quæ dabimus ad annum 423.

2. *Serpæ*, etc. Sanctorum Hilarionis et Procli Trajani imp. tempore occisorum memoria exstat in Romano martyrologio ad 12 Julii, qua die a Græcis in menologio hæc leguntur : *Sanctorum martyrum Procli et Hilarii. Primum S. Proclus, Trajano imperatore comprehensus, in judicio sistitur, fidemque apud Maximum præfectum libere professus, illius jussu statim facibus in humeris et ventre aduritur ; post saxo pedibus alligato, sublimis appenditur in ligno, deinde telis densissimis vulneratur, quibus confossus abiit ad Dominum. Deinde Hilarius B. Procli consobrinus, Christianum se esse confessus, suspensus verberatur ; et ad tria millia tractus, abscisso capite, cum S. Proclo depositus est.* Consule Petrum Galesinum hac ipsa die, qui de S. Hilarione ait : *Post varios in fidei confessione cruciatus, tandem datis cervicibus coronatur.* Quod etiam habet Dexter. Cæterum quænam, aut quo loci Bæticæ *Serpa* civitas sita fuerit indagare non potui. Erant quidem Cæpori populi Hispaniæ Citerioris, Plinio, lib. IV, cap. 20 ; sed an a Serpa dicti non liquet. Fortassis nunc dicitur *Sequia*, prope *Alcala la Real.*

3. *In Lusitania*, etc. Consule quæ ad annum 138 notata relinquimus ; interim pro verbo *Prope Castralælia dicta est*, quod erat in excuso codice, sed perperam, lege *Prope Castralælia sita est.*

4. *Urgabonæ*, etc. Nunc *Arjona* dicitur, olim nobile municipium, ut testimonio Moralis nostri supra ostendimus, comment. 4 anni 300 num. 3, verbo *Albæ prope Accim.* Diversi quidem sunt martyres de quibus hic agitur, ab eis, de quibus supra anno 156 actum est, tametsi utrique eisdem nominibus nuncupentur : quamquam priores Bonosus et Maximianus ; isti autem Bonosus et Maximianus dicantur. Certe urbium et temporum diversitas diversos esse convincit, dum illi Blandæ, hi Urgabonæ, illi anno 156, hi vero 308 passi leguntur.

5. *Carthagine*, etc. Harum festa dies ex antiquis mss. codicibus designatur in Romano Martyrologio 10 Augusti his verbis : *Carthagine sanctarum vir-*

A. C. 308. virgines, sponsæ, et martyres Bassa, Paula, et Agathonica, quæ victrices duplicem lauream adeptæ sunt. A. R. 1059.

Titulciæ in Carpetania, prope Thermedam civitatem, sancti Christi martyres et monachi Philibertus, et Fabritianus, qui in confluenti Fenarii fluminis, Tagoniique monasterium Deo Opt. Max. et Beatæ Virgini dedicarunt.

Carthagine Hispaniæ sancta Candida virgo, et martyr, quæ plagis miserabiliter dilacerata, una cum Suzanna sacerdotis idolorum filia, et Martha tandem martyrium tulit.

Reliquiæ S. Luciani Belovacensis episcopi Vicum transferuntur.

A Jacobi prædicatione celebratur in Hispania festum immaculatæ et illibatæ Conceptionis Dei Genitricis Mariæ.

BIVARII COMMENTARIUS.

ginum et martyrum Bassæ, Paulæ et Agathonicæ. Dexter Cæsaraugustæ excusus pro *Bassa* habet *Beata*, sed corrupte. Agunt de his quoque Græci in menologio ad diem 23 Junii, ubi referunt, quod cum Romam profectæ forte adessent nobili martyrio S. virginis Agrippinæ, quæ sub Diocletiano agonizavit, corpus ejus clam susceptum in Siciliam transtulerunt; ubi multis postmodum claruit miraculis. Inde tamen ad Hispaniam transfretantes, ipsæ quoque cum essent Carthagine, martyrii palmas adeptæ sunt.

6. *Titulciæ*, etc. Ambrosius Morales in Antiq. Hispan. verbo *Carpetania*, fol. 77, affirmat veterem Titulciam eo loci sitam fuisse, quo nunc est oppidum *Bayona*, prope Regium Viridarium *Aranjuez* : idque paulo ante se Aurelium de Frias sensisse, virum sane in antiquitatibus Hispaniæ perquirendis diu et feliciter versatum; videbat enim uterque Ptolomæi situm congruere, et ex ruinis non parva vestigia : meminit ejus Ptolomæus in Carpetanis non longe a Mantua. Sed vero id quod ipsi subdubitantes protulerunt, nos jam Dextri ducatu illustrati sine dubitatione affirmamus : cum enim Titulcia eo loci sita fuerit, quo Fenario Tagonium conjungitur (vulgo *Henares y Tajuna*) ita ut in unum, eumdemque alveum concurrant; necessum est, ut vetus Titulcia locum modernæ Bayonæ olim occupaverit; quæ nimirum supra Aranjuesum sita est. Porro SS. martyrum pariter abbatum Philiberti et Fabritiani memoria in Romano Martyrologio fixa manet ad 22 Augusti, sub his verbis : *In Hispania SS. martyrum Fabritiani et Philiberti.* Celebrabatur vero in Hispania ipsorum festivitas non mediocri solemnitate, ut ex Breviario S. Isidori liquet, ubi prædicta die hæc rubrica legitur : *Sanctorum Fabritiani et Philiberti abbatum et martyrum : omnia dicantur plurimorum martyrum* IX *lectionum.* Meminit etiam eorumdem rex Hispaniæ Silo in epistola ad Cixillam Toletanum antistitem sub æra 815; ait siquidem : *Mittimus ad vos hymnum de sanctis martyribus Philiberto, et socio ejus, passis in urbe Titulcia (quos audivimus esse Toletanos) sub M. Aurelio Valentiniano, anno Domini* 283, *cum esset Melanthius archiepiscopus Toleti.* Dedimus integram Silonis epistolam, cum de Tyrso ageremus ad annum 286, ubi de M. Aurelio Valentiniano V. C. et Citerioris Hispaniæ proprætore nonnulla diximus : qui quidem ab imperatore Caro missus sub Diocletiano perseveravit aliquamdiu. Cum monachorum seu abbatum audis nomen, ne quæso veniat in mentem, institutum observasse Basilii, Augustini, aut Benedicti, qui necdum nati erant; sed illud monachorum genus, quod a sancto Marco sumpsit initium, et de quo S. Dionysius Areopagita in Gallia existens scripsit in libro de Ecclesiast. Hierarchia. Unde habemus in Hispania inductum fuisse monachorum genus antequam S. Antonius monachos colligere et instruere cœpisset, ut ex natali ejusdem, et anno martyrii SS. monachorum Fabriciani et Philiberti facile constat, quæ et nos supra notavimus.

7. *Carthagine*, etc. De S. Candida et sociabus ipsius agit Rom. Martyrologium ad 20 Septembris, A his verbis : *Carthagine S. Candidæ virginis et martyris, quæ sub Maximiano imperatore plagis toto corpore dilacerata, martyrio coronatur. Item SS. martyrum Susannæ filiæ Arthemii idolorum sacerdotis et Marthæ.* De duabus posterioribus agunt etiam Græci in menologio hac die : et de S. Candida celebrabatur olim festum in Ecclesia Cordubensi, ut ex ejus Breviario constat : ex cujus tabulis eam accepit Baronius, et Galesinus. Sed reddamus acta ipsarum, quæ Græci narrant : *Eodem die commemoratio S. martyris Christi Susannæ, filiæ Arthemii, sacerdotis idolorum, et Marthæ quæ genus duxerat a Judæis; hæc mortuis parentibus baptizata est a Sylvano presbytero, et Christi fidem edocta : postea facultates suas pauperibus distribuit, et, mundo relicto, monasterium adiit, monacha effecta, licet virili habitu pro femineo induta se Joannem vocari fecerit. Sed post ab alia quadam muliere accusata, quod in illam per vim egisset virilia, in habitu virili deprehensa est virgo : et inventa natura mulier accusatricem redarguit. Profecta vero Soliensem urbem, delata præsidi Alexandro, quod multis gentilibus persuaderet, ne adorarent idola, illam apprehensam vehementer cruciavit, et nihilominus tamen ejus ipsius miraculis multi ad Christi fidem convertebantur, postremo in carcerem injecta Deo spiritum tradidit.* Hæc ibi. Porro Sylvanus presbyter a quo S. Martha in fide Christi edocta est, unus fuit illorum presbyterorum qui Iliberritanæ synodo adfuerunt, ut ex subscriptionibus constat. Soliensis autem civitas non longe a Carthagine sita fuit, de qua diximus in superioribus. In textu Græco vocatur *Heliopolis* (quod sonat solis civitas), quo etiam pacto die 11 Novembris Græci agunt de S. Vincentio Levita Cæsaraugustano, et martyre, eumque passum dicunt *apud Augustopolim Hispaniæ*, ac si dicerent Augusti Cæsaris urbem, id est, Cæsaraugustam.

8. *Reliquiæ*, etc. 8 Januarii dies S. Luciano Bellovacensi sacra est in omnibus martyrologiis, Romano, Bedæ, Usuardi, Adonis; de eoque agunt Vincentius Bellovacens. in Speculo hist. lib. X, cap. 25, Antoninus tit. VI, cap. 26, §. 3, Equilinus lib. II, cap. 55. In eo tamen omnes defecisse videntur, quod eum vocent presbyterum, cum a B. Dionysio factus fuerit episcopus Bellovacensis, ut expressit Methodius in actis ejusdem Dionysii, de quibus suo loco multa diximus. Vicus de quo hic sermo est, olim quidem Vicus aquarius, nunc vero *Vich* vulgo vocatur in Cathalonia.

9. *A Jacobi*, etc. Præsens Dextri testimonium tam ingens scandalum quibusdam generavit, ut non solum falsum et commentitium astruxerint, verum etiam toti huic codici notam eamdem ascripserint, quasi ob hoc præcipue suppositum sit, ut immaculatæ conceptionis mysterium commendaretur Dextri gravissimi auctoris testimonio. Sed vero ut hoc primum dixerim, immerito spoliatur Dexter totius libri, ac tanti laboris honore, ob unam vel alteram in eo repertam sententiam; quasi quod per mille et fere ducentos annos in nulla sui parte vitiari potuerit. Dicerent igitur, suaderentque facilius codi-

BIVARII COMMENTARIUS.

cem hoc loco vitiatum, additamque ejusmodi clausulam ab aliquo immaculatæ conceptionis defensore, quam totum librum fictum esse, et ob id præcipue inventum. Cæterum quamvis pro immaculatæ Deiparæ conceptione multæ eæque gravissimæ sanctorum Patrum exstent sententiæ, de quibus in speciali libro alias egimus, typis Jacobi Cardon et Petri Cavellat Lugduni excuso hoc anno 1624, sub titulo: *Sancti Patres vindicati in causa Immaculatæ Conceptionis*: illud tamen mihi dubio procul est, præsens testimonium neque officere, neque prodesse alterius partis propugnatoribus; sed longe alio sensu, quam ipsi accipiant, a Dextro receptum fuisse; continereque tam certam veritatem, quod a nemine catholicorum inficiari possit; tantum abest, ut aliena a Dextri sententia censeri debeant, et parum sinceram vetustatem redolere credantur. Quid illud? nimirum sanctum Jacobum in Hispaniis instituisse immaculatæ Incarnationis Verbi Dei festum. Quis id neget Jacobum fecisse? Rudis admodum ille est qui nesciat Dominicam Nativitatem, Passionem, Resurrectionem, et Incarnationem pariter a sanctis apostolis celebratas et celebrari edoctas in universo christiano orbe. Ergo et Jacobus in Hispaniis, cum evangelicæ prædicationi insistebat, idem fecisse credendus est. Hoc igitur illibatæ et immaculatæ Conceptionis Dei genetricis Mariæ festum a Dextro nuncupatur; Conceptionis nomen non in passiva, sed activa significatione usurpans: id est, pro ea conceptione qua Deipara Virgo sine macula et labe Dei Filium in suis castissimis concepit visceribus, non pro ea qua a B. Anna concepta fuit. Neque vero quis putet, in alienum sensum nos verba prædicta contorquere, eo quod videat nunc temporis conceptionis nomen, cum B. Virgini tribuitur, in passivum accipi sensum; olim siquidem in activum accipi solitum, multa demonstrant argumenta: nam ut omittamus eo sensu acceptum a Domino, cum de peccati originalis pœna egit Genes. III illis verbis: *Multiplicabo conceptus tuos*, vel ut alia translatio habet, *conceptiones tuas*: præceptum sit, quod veteres ad denotandum conceptionis festum non utebantur verbo conceptionis Deiparæ, sed potius conceptionis S. Annæ. Sic Græci in menologio, die 9 Decembris, *Conceptio* (aiunt) *munda B. Annæ Dei et Domini nostri aviæ*. Pro eo, quod nos dicimus, conceptio S. Dei genitricis. Eadem prorsus phrasi utuntur Syri, qui in kalendario habent: *Conceptio Annæ justæ in Domina nostra genitrice Dei, die 9 Decembris*.

Lego etiam sanctos Patres sæpissime conceptionem Virginis, eam qua Deum ipsum concepit nuncupare; sic Bernardus, in Serm. 4 in vigilia Natalis Domini, *Attende* (inquit) *et conceptum invenis sine semine: quid gloriosius quam sancta et sincera conceptio, in qua nihil pudoris est, nihil sordis, nihil corruptionis?* Et Cyprianus seu ejus æqualis, de cardinalibus Christi operibus, Serm. de Nativit., *O Virgo justa et omni justitia plenissima, cujus conceptio singularis!* nimirum quia sine viri semine perfecta fuit; unde et subdit, *Spiritu sancto obumbrante incendium originale exstinctum est* (id est, libidinosus pruritus), *ideoque innoxiam affligi non decuit*, etc. Bernardus iterum hom. 4 super *Missus est*, conceptionem Baptistæ vocat conceptionem Elisabeth. Nec mirum, cum conceptio actionis nomen sit proprius quam passionis. Hunc certe sensum reddunt verba illa liturgiæ decimæ ex Græcis, quas Claudius Spencæus edidit: *Qui consecuti sumus gaudium in tuo conceptu, o plane immaculata, salutamus te cum angelo clamantes, Ave*, etc. Quæ tamen nonnulli immerito de passiva conceptione intelligi volunt, reluctante ipso contextu, qui de Annuntiatione Angelica planus est. Neque alium reddere credo verba cujusdam orationis, quæ in Breviario S. Isidori reperitur: *Domine Jesu Christe, qui sic Virginem matrem honorificasti, quousque conceptionis ejus gratia, eam coram te suffragatricem incomparabilem inventimus*, etc. Invenimus certe eam suffragatricem, dum Dei Verbum concepit, non vero dum concepta est. Insuper in idem recidit, si verum est quod ex Paulo Orosio Dextri coævo referunt Mauricius de Villaprobata in Corona, Mariana Serm. 16 et Bernardinus Busti Serm. 8 de Concept. par. 3 scripsisse videlicet in quadam epistola ad sanctam Eustochium Hieronymi discipulam: *Coram Deo novi, et in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, super quam devote Mariæ gratia imploratur, et dies conceptionis ejus celebratur*: quando nimirum sine pudore concepit, ut sine dolore pareret. Hæc enim erat Mariæ gratia periclitantibus puerperis congrua, ab ea quærere auxilium, quæ accepit in conceptione Filii gratiam, ut esset sine gravamine gravida, et sine dolore puerpera, ut Bernardus alicubi dixit.

Demum hinc jam canonem Apostolorum vindicabimus a difficili sensu, quo vulgo accipi solet, canonem inquam illum, qui in libris S. Ctesiphonis apostoli Jacobi discipuli, apud Montem Sanctum Ilipulitanum Granatæ repertus est cum venerandæ antiquitatis vestigiis; ait siquidem S. Ctesiphon, sanctos Dei Apostolos sub anathemate in quodam concilio definiisse, Virginem Deiparam in ipso conceptionis suæ momento præservatam fuisse ab omni primæ originis contagio, et liberam redditam ab omni labe peccati. Verba auctoris in libro de fundamento Ecclesiæ, ut vulgo circumferuntur, ex Arabico idiomate, quo scripta sunt, Latinitate donata, sunt hæc: *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præservata fuit a peccato originali in primo instanti suæ conceptionis, et libera ab omni culpa. Et qui ita non senserit non consequetur salutem æternam*. Non credo ad verbum translata fuisse, sed felicius adhuc et facilius transferri posse, nam verba illa: *præservata a peccato originali in primo instanti suæ conceptionis*, sunt recentissimi styli theologorum hujus ævi, et potius reddendum esset, *liberatum fuisse a malo primæ originis in momento conceptionis suæ*: vel quid simile. Sed quidquid sit de translatione, sensus facilis est et necessarius; videlicet sub interminatione vitæ, aut mortis æternæ ab omnibus catholicis amplectendum esse, et profitendum, Virginem Mariam in primo ipso suæ conceptionis momento, quando nimirum Dei Verbum virgo manens concepit, præservatam fuisse ab originali peccato; hoc est, a pœnis primæ mulieri, et cæteris in ea propter culpam originalem inflictis sub illis verbis: *Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos, in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui* (*Gen.* III). Usitatissimum namque esse in Scripturis et Patribus peccatum pro pœna accipere, negabit nemo, qui vel summis labiis eorum scripta tractaverit. Atque hunc quidem legitimum, et necessarium esse canonis sensum, anathema subjunctum ostendit, quis enim dicat homines sentientes contra id quod Apostoli docuerint, salvari? aut ipsos in canonibus edendis errare potuisse? et tamen multi hactenus salvi facti sunt sine fide mysterii conceptionis passivæ. Insuper, ut quid Apostoli canonem ederent de re neque necessaria, neque inter hæreticos sui temporis controversa? nam si necessaria esset ad salutem, Paulus cum ad Romanos de peccato originali latissime scripsit, utique ejus quoque meminisset. Longe ergo ab eo sensu abfuerunt Apostoli, quem nonnulli huic canoni tribuunt, et cum aliquid omnino ad salutem necessarium definierint, quale est conceptionis illibatæ mysterium, qua Verbum Dei, Spiritus sancti virtute homo effectum est, et omnia verba quadrare videantur, non est cur in alienos

sensus ea contorqueamus quæ cum vero consistere non possunt. In eo enim manifestam libris sanctis injuriam inferimus, et inter apocryphos, et nullius pretii rejici cogimus, cum tamen in id vires omnes intendere oporteret, ut doctrinam dumtaxat apostolis dignam in eis invenire liceat. Concilium, quo hic canon editus est, non aliud ego intelligo, quam illud, quod apostoli a se invicem discessuri celebrarunt, et in quo fidei Symbolum ediderunt; canonem vero non alium, quam ea verba Symboli: *Et conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine:* quem quidem S. Ctesiphon ad sensum excerpsit, forsan sub iis verbis, quibus ante Symboli formalem constructionem ab apostolis definitus est: nam priusquam formam fidei resolutissime conficerent, verisimile est fusius de ejus mysteriis ab apostolis actum, et plura alia verba quam sint in Symbolo locutos.

Nihil minus voluisse credo eumdem Ctesiphonem, dum alibi dixit, *Mariam non tetigit primum peccatum*: pœnam, inquam, primi peccati Evæ filiabus inflictam, nimirum quia neque cum ærumnis concepit, neque cum dolore parturivit. Quod ut ad purum explicetur, necessum est præcedentia hic subjungere verba, ex quibus S. Ctesiphonis mens facilius percipi queat. Cum in lib. I cujus titulus est, *Fundamentum Ecclesiæ*, universa Christianæ fidei dogmata ordinate prosequeretur, et jam de creatione et casu angelorum, ac de formatione primorum humani generis parentum, deque peccato eorumdem, quod in universos homines propagatum est, exactissime egisset; tandem ad redemptionem humanam exponendam accessit; et in v. 24 inquit: *Missus fuit Jesus in Mariam de domo David, sine viro; et fuit virgo post partum, sicut in ipso et ante ipsum.* Hoc ut explicet subdit immediate v. 25: *Adam creatus fuit sine genitoribus, et Eva ex patre sine matre, in gratia;* v. 26: *Ad perfectionem creaturæ* (alia versio habet, *creationis*) *creatus est Jesus in matre sine patre: quapropter prima culpa non apprehendit Mariam.* In hac translatione peritiores Arabes conveniunt; excepto quod loco illius particulæ *quapropter*, pro qua in textu Arabico originali est, *Hinda delique*, non nemo vertit, *tunc*; et pro verbo *apprehendit* quidam *comprehendit*, nonnulli etiam *tetigit* transferunt. Ut ut sit, omnia in idem recidunt. Namque quod S. Ctesiphon probandum sibi assumpserat v. 24, non erat præservatio Deiparæ a peccato originali in sua formatione, sed perpetua ejus virginitas, ut verba ipsa declarant, *Missus fuit Jesus in Mariam sine viro: et fuit virgo post partum, sicut in ipso, et ante ipsum.* Hoc vero quonam modo intelligi queat, exemplis suadet procreationum primorum parentum; Adamus siquidem factus fuerat sine patre, et sine matre, Eva vero de patre, id est, de costa viri, sine matris concursu; quid ergo mirum, si novus Adam Jesus factus fuerit de matre sola, sine patris ope? Quinimmo *ad perfectionem creaturæ*, seu *creationis* (ut alia habet littera) conveniens erat, ut novus aliquis homo ex matre sine patris ope formaretur; sic enim fieret, ut generationum omnes modi excogitabiles essent in mundo, id est, cum patre et matre, quo pacto nascimur omnes, aut sine patre et matre, uti solus Adam formatus est; aut ex patre dumtaxat, sicut Eva; aut tandem ex matre sine patre, quod Dominus Jesus sibi elegit soli. Quo argumento communiter theologi ex Patribus utuntur. Hinc vero rectissime et immediate infertur articulus ille catholicæ fidei, de perpetua Mariæ virginitate, quod erat auctoris intentum; nimirum quod concepit et peperit virgo: quod vero præservata fuerit a prima culpa, neque erat ad propositum, neque immediate inferebatur, sed remotissime; et quod majoris est ponderis, non de fide, cum tamen propositum sibi esset de solis fidei articulis agere. At nonne (ais) clarissime loquitur de prima culpa, quæ sine dubio fuit originalis? Fateor, sed tamen eo sensu de ea agitur, quo cum perpetua virginitate connexionem habet necessariam ejus carentia; nimirum ut nomine primæ culpæ, seu peccati primi et originalis, intelligatur sententia illa Evæ et filiabus suis universis olim a Deo inflicta: *Multiplicabo conceptus et ærumnas tuas, in dolore paries filios, et sub viri potestate eris* (*Gen.* III). Hæc sententia in toto, nec in parte comprehendit, nec tetigit Mariam, eo ipso quod sine viro Dominum concepit. Idque manifeste expressit, qui transtulit: *Et tunc prima culpa non apprehendit Mariam:* quandoquidem *tunc* in Verbi divini incarnatione non erat tempus contrahendi formalem originis culpam, sed pœnam et sententiam ipsi debitam. Quod si non *Tunc*, sed *Eapropter* vel *Quapropter*, seu quid simile vertamus (est enim *Hinda delique* particula illativa), nequit non reddere eumdem sensum: denotat siquidem hoc, quod Mariam non apprehenderit primum peccatum, necessario inferri ex immediate dictis, *Progenitus est Jesus in matre sine patre*, qui est articulus *Virginis Matris*, ex quo necessitate consequentiæ infertur, quod in Filii sui procreatione nullas passa sit ærumnas, in parturitione nullos dolores, et quod a viro constricta non sit, quod est dicere: *Quapropter Mariam non tetigit primum peccatum.* Cui accedit hanc eamdem prorsus sententiam sæpissime in aliis ejus sacri Montis libris reperiri, ut facile quivis intelligat, nihil aliud hoc loco S. Ctesiphonem sibi voluisse, nam in uno illorum asseritur, quod Mariam non comprehendit illa Evæ maledictio, *sub viri potestate eris*; et in altero, quod vexationes mulierum prægnantium longe fuerunt ab ipsa, de quibus in maledictione dictum fuerat, *Multiplicabo conceptus, et ærumnas tuas.* Quandoquidem, ut Bernardi verbis utar, *sine gravamine tulit, sine dolore Filium parturivit.* Denique in alio asseritur, quod nullatenus diceret ei angelus, *Ave, gratia plena*, etc., si primum eam peccatum comprehendisset. Ubi (ut vides) agitur de Maria tempore angelicæ Annuntiationis, quando nimirum originalis culpæ capax non erat, sed pœnæ. En genuinam sacrorum codicum interpretationem: juxta quam nihil illis cum præservatione Virginis ab originali peccato in sua conceptione, nihilque apostolicæ doctrinæ absonum illis imponitur.

Ut igitur ad Dextrum regrediamur, hoc certum deinceps apud omnes sit, nihil aliud voluisse hoc loco, quam Hispanos ab apostolo suo Jacobo festum Annuntiationis angelicæ recepisse. Cui etiam consonat, quod apud Augustinum, Rufinum et alios legimus, cum apostoli Symbolum ederent per partes, et Petrus præmisisset: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ;* et Andreas: *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum:* Jacobum nostrum tertio loco illam particulam subjunxisse: *Et conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine:* nimirum innuit, hoc mysterium sibi præ aliis dulcius semper fuisse, unde et in ejus honorem primum templum Cæsaraugustæ erigi curavit, ut egregie M. Maximus cecinit in hymno, quem de ipsius templi erectione edidit, ubi inquit:

Ostendit illi se hilarem (*Deipara Jacobo*)
Suoque natalitio
Conceptionis aureæ,
Templo manent encænia [*Al.* encomia].
Conceptionis hinc diem
Jacobus Hispanos docet;
Et prædicat, ceu cæteri (*apostoli*)
Ab omni labe liberam (*id est conceptionem sine semine factam*).

Quod vero de conceptione active accepta loquatur Maximus, satis convincitur ex eo, quod asserit,

A.C.308. Ulysippone in Lusitania SS. Christi martyres Verissimus, Maxima, et Julia, ejus- A. R. 1059.
dem martyris sorores, et consortes martyrii.

Ibidem etiam celebres sunt Anastasius presbyter, Placidus, et Genesius.

Securæ in confinio Bæticæ, quæ etiam Tader dicitur, S. Briena socia sanctæ Febroniæ, quæ veniens ad Hispanias, in Tarraconensique provincia passa, ibi celebrior habetur.

Apud Mundam civitatem Celtiberiæ sanctus Felicianus episcopus Malacitanus, et egregius Christi martyr.

Bæte urbe in Hispania Bætica (quæ Bætis Utriculum etiam dicitur) sanctus Christi martyr Straton, qui inter duas arbores alligatus, illisque dissolutis, pro Christi

BIVARII COMMENTARIUS.

eam conceptionem a Jacobo immunem a peccatis prædicari, quam cæteri apostoli liberam ab omni labe prædicarunt : et hanc nullus non videt esse activam Virginis conceptionem. Clarius adhuc ostenditur ex his quæ subjungit :

Hinc mos habet principium
Hunc celebrandi jugiter
Populis Iberis diem,
Qui durat usque hodie.

Cujus, rogo, conceptionis festum ab initiis Ecclesiæ catholicæ usque ad auctoris tempora, et deinceps duravit, nisi activæ? Et certe ejus propria sunt illa epitheta Dextri, *illibata*, et *immaculata*, utpote ab Ecclesia satis recepta, tam in illo hymno :

Memento, salutis auctor,
Quod nostri quondam corporis,
Ex illibata Virgine,
Nascendo formam sumpseris.

quam in responsorio : *Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus*, etc.

Demum ad idem credendum manuducimur, ex peculiari, ac præcordiali devotione, quam Hispani olim habuerunt ad virginalis conceptionis mysterium, in cujus venerationem communi et ecclesiastica festivitate 25 Aprilis non contenti, in x concilio Toletano instituta est iterata ipsius celebratio 18 Decembris, quod videlicet prior tempore quadragesimali accidat. Tam alte igitur hujus mysterii devotio cordibus Hispanorum reposita, arguit tum a magno illo suo præceptore acceptam, tum etiam et specialiter commendatam in Columnæ Cæsaraugustanæ erectione. Sed de his satis, nam dicta sufficere videntur ad intelligentiam Dextri.

11. *Ulysippone*, etc. Alias Ulysippone, ab Ulysse fundatore, vulgo *Lysboa*, non minus, immo multo magis sanctorum civium Verissimi, Maximæ, et Juliæ sanguine decorata, quam quotidianis Orientalis Indiæ thesauris illuc advectis. Occubuerunt vero sub Diocletiani ministris ipsis kalendis Octobris, quibus in omnibus Martyrologiis memorantur; de celeberrimis igitur martyribus ac fratribus non est cur fusum protrahamus sermonem, cum omnibus notissimi sint. Legantur Morales lib. x, cap. 14; Villegas, Trugillus et cæteri. Legi ego acta eorumdem in pervetusto membraneo, ac manuscripto codice Bibliothecæ S. Bernardi Toletani sub num. 64, et initio : *In temporibus illis, cum per universas provincias*, etc.

12. *Ibidem*, etc. Iterum de ipsis cum Dextro ad annum 353, nunc per anticipationem quamdam, obiterque de illis dictum credas, cum sermo esset de SS. martyribus Ulysiponensibus, quibus et hi concives erant. Unde verbum illud *celebres sunt*, non est referendum ad tempus de quo agitur in Chronico, sed ad tempora scriptoris.

13. *Securæ*, etc. Celebris est Securæ saltus (vulgo *Sierra de Segura*) in confiniis Tarraconensis et Bæticæ Hispaniæ, unde fluvii duo erumpunt, Bœtis versus Occidentem, et Tader versus Orientem; de

A hoc vero Hieronymus Paulus, libro de Hispaniæ fluminibus, sic ait : *Tader fluvius versus Novam Carthaginem funditur. Oritur in montibus quibus Bætis, et Murciam, Aureolamque* (hodie *Origuela*) *contingens, Ebusitano pelago, seu Iberico conditur, hunc vulgus Securam appellat.* Idem fere habet Morales in Antiquit., verbo *Mentesa*, fol. 72 et 81, verbo *Ilorci*. Agit de eodem Plinius lib. III, cap. 1 et 3, et Ptolomæo (si Villænovæ præstamus fidem) dicitur Terebis. Exstat adhuc prope fontes ipsius *Castel segura*, rusticorum oppidum veteris Securæ memoriam servans. Porro de S. Briena fuse agitur in Vita S. Febroniæ, a Thomayde utriusque discipula conscripta, a Metaphraste servata, et a Surio edita tomo III, ad 15 Junii, qua die de S. Febronia festum fit in Rom. Martyrologio, ubi sub Diocletiano passa memoratur. Desunt vero inde, quæ de S. Briena hoc loco Dexter scribit, forsan quia ad Thomaydis notitiam in Syria positæ, quæ in Hispania contigerant, ubi S. Briena passa est, pervenire nequiverunt. Ce-
B lebrem tamen semper fuisse in Hispania, id saltem convincit, quod multæ feminæ ab ea nomen mutuantes, parum mutata voce Briandæ nuncupantur.

14. *Apud Mundam*, etc. Celebrem admodum urbem Mundam toto orbe reddidit bellum illud quod Julius Cæsar cum Cn. Pompeio juniore iniit, in quo utrimque tanta edita est strages, ut Cæsar victor hostes qui fuga sese in urbem receperant, obsidens, congestis corporibus vallum exstruxerit; et non minus portentoso palmæ germine ex tunc inibi nato, teste Dione lib. XLIII, Plinius lib. XXXVI, cap. 18, affirmat, palmatos ibi lapides, quoties fregeris, reperiri. Quo etiam auctore Munda, Romanorum colonia fuit, idque in antiquis numismatis Morales observavit lib. VIII Hist., cap. 44. De ea aliquando Silius : *Et Munda Ematios iterum paritura labores*. Servat adhuc fere antiquum nomen, *Monda* nuncupata, ad pedes saltus de Tolox prope *Cartimam*, quinque Hispanis millaribus passuum a Murcia distans; in Bas-
C setanis Celtiberis conterminis, ut Ptolomæus vult, aut in ipsis Celtiberis, quod placet Dextro, nisi mavis Bassetanos inter Celtiberos connumerare. Lege Nonium in sua Hispania, cap. 28. Porro sancti Feliciani inibi passi exstat memoria in Romano Martyrologio ad 20 Octobris, et apud Molanum in additionibus ad Usuardum, in quibus tamen illud correctione dignum est, quod Mindam pro Munda legant, hoc modo : *Apud Mindam natalis sancti Feliciani episcopi, et martyris;* cum legendum sit, *Apud Mundam*, etc., quod etiam subodoravit Baronius in notis, quamquam defectu codicis Dextri non omnino assecutus fuerit veram lectionem. Sed jam illam ex Dextro habemus simul cum tempore martyrii, et nomine urbis cui præfuit, nimirum Malacæ. In veteri Cordubensi Breviario celebratur sanctus Felicianus martyr die 21 Julii, ejusque meminit Galesinus ea die, inquiens : *Cordubæ in Hispania sancti Feliciani martyris*. De eo item P. Roa in Sanctis
D Cordubensibus. Eum existimo a nostro episcopo diversum, ut ex urbe et ordine satis colligo.

15. *Bætæ*, etc. A flumine Bætis juxta perfluente

A. C. 308. nomine discerptus, ad cœlos evolavit. Ibidem sancti martyres et cives, et fratres A. R. 1059.
Rufinus, Rufianus, Artemidorus, et Severus.

Ispali prope Gallias in Hispaniæ montibus Pyrenæis sancti martyres Theodorus, Oceanus, Apellius, Lucas et Clemens.

Tucci in Hispania Bætica, quæ et Torisia nunc dicitur, sancti martyres Theodorus, Oceanus, et Julianus, qui, confractis pedibus, in ignem conjecti gloriose coronati sunt.

Tarracone in Hispania S. Maginus, qui, pluribus toleratis pro Christo cruciatibus, gaudenti animo ad gloriosam martyrii palmam evolavit.

In urbe Capara, urbe Lusitaniæ, sanctus Marcus, et ejus socii.

In Hispania, in portu Juliobricensi, sanctus Ananias martyr, et socii; qui pluribus cruciatibus toleratis evicerunt.

BIVARII COMMENTARIUS.

sic dicta (nisi a converso mavis flumen ab ipsa nomenclaturam recepisse): a situ vero provinciæ, quod quasi in umbilico seu in medio uteri Bæticæ sita sit, Utriculi nomen accepit; nunc inde *Utrera* nuncupatur inter Hispalim et Marchenam existens. Porro S. Stratonis ibi passi, Rufinique et aliorum festum celebrant Græci in Menologio, ad 9 Septembris, qua die Romanum Martyrologium hæc habet: *Eodem die passio sancti Stratonis, qui pro Christo ad duas arbores ligatus, atque discerptus martyrium consummavit. Item SS. martyrum Rufini et Rufiniani fratrum.* Lego *Rufiani* cum Græcis. Galesinus ex eisdem Græcis die 8 Septembris sic ait: *Sanctorum fratrum martyrum Rufini et Rufiani, qui pro confessione fidei gladio feriuntur. Sancti item Artemidori martyris: hic in flammam conjectus, admirandæ pietatis suæ ac fidei testimonium præclarum dedit. Sancti item Severi martyris, qui pro Christo omnem cruciatum perpessus, demum constantis animi virtute cervices præbuit.* Hæc Galesinus, fallitur tamen dum die 17 Septembris sanctum Stratonem Nicomediæ cum aliis passum dicit; quod tamen de suo, sine auctore posuit, nam Græci nihil tale afferunt, quorum verba sunt: *Natalis B. Stratonis, qui in duobus cedris ligatus, et in duas partes sectus, pro Christi confessione cum cœlestibus conjunctus est. Eodem die certamen sanctorum Rufi et Rufiani, qui cum essent germani fratres, pro Christianæ fidei confessione gladio percussi sunt. Idem passus est et S. Severus. Eodem die S. Artemidorus igne consummatus est.* Hæc illi die 9 Septembr. De aliis SS. martyribus Rufo et Rufiniano, ex urbe tamen Apollonia, agunt Græci ad 17 Junii, et 6 Julii. Unde diversos omnino a nostris esse convincitur.

16. *Ispali*, etc. Longe alia urbs hæc est a celeberrima illa Hispali Bæticæ provinciæ: hujus vero situm Orthelius ignorasse se fatetur in charta veteris Hispaniæ, sed Dexter illum designat. Sane Plinius Ispalensium populorum Tarraconensis Hispaniæ meminit lib. III, qui longe positi ab Hispali Bæticæ debent esse. De sanctis martyribus inibi passis agit Romanum Martyrologium ad 10 Septembr. his verbis: *Item sanctorum martyrum Apellii, Lucæ, et Clementis.* Græci in Menologio, et eos secutus Galesinus agunt 9 Septembr. de Theodoro et Oceano, *qui pro Christi fide in ignem positi* (verba Galesini sunt) *egregia veræ, divinæque pietatis testificatione ad æternam gloriam pervenerunt.* Consule sequentem notam.

17. *Tucci*, etc. Convenit inter omnes Scriptores urbem Tuccensem eo loco exstitisse, quo nunc *Pena de Martos*, prope Giennensem. Consulantur præ cæteris Morales lib. IX, c. 32, Orthelius, Clusius, Stephanus, et alii. Ptolomæus etiam ejus meminit in populis Turdulis Bæticæ. Fuit olim Romanorum colonia, et sub lege Evangelii sedes episcopalis ad Hispalensem metropolitanum spectans, ejus episcopus Camerinus interfuit Iliberritano concilio. Quod ad SS. martyres ibi coronatos spectat, agunt de eis Græci in Menologio ad 4 Septembris, et Romanum A Martyrologium his verbis: *Item SS. martyrum Theodori, Oceani, Ammiani, et Juliani, qui sub Maximiano imperatore dissectis pedibus in ignem conjecti martyrium consummarunt.* Uberius eorum cruciatus prosequitur Galesinus, cujus hæc sunt verba: *Sanctorum martyrum Theodori, Oceani, Ammiani, et Juliani. Hi Maximiano imperatore pro Christo Domino primum pectinibus excarnificati, deinde in ferventes balneas conjecti incolumes ope divina inde evaserunt. Post iterum comprehensi, et in vastam solitudinem abducti, præcisis singulis membris, cruribusque confractis, in ignem positi, Deum continenter precando, abierunt in cœlum.* Deducitur ex dictis deesse in codice Dextri sancti Ammiani nomen, qui ab omnibus auctoribus inter prædictos nominatur. Utrum autem Theodorus, et Oceanus Tucci passi, iidem ipsi sint cum Theodoro et Oceano Hispalensibus, de quibus nuper egimus, dubitari jure posset; sed quantumcumque conveniant nomine, ex diversitate urbium in B quibus occisi sunt, et testimonio Dextri satis liquet esse diversos. Ut interim sileam priores die 9 Septembris, posteriores autem 4 ejusdem martyrio coronatos fuisse. Quibus Græci quoque consentiunt, ut in Menologio videre est.

18. *Tarracone*, etc. De sancto Magino martyre (quem alii corrupte Magnum, nonnulli Maximum vocant) nobilis exstat memoria in Romano Martyrologio ad diem 25 Augusti illis verbis: *Tarracone sancti Magini martyris*, ubi nimirum festum ejus solemni ritu peragitur. Magister Ludovicus Icarte de rebus Tarraconensibus; quem Beuterus refert, et Morales lib. IX, cap. 43, asserit, quod dum in saltu *Bufagrana* VI ab urbe Hispano lapide, specum solitarius habitaret, comprehensus a præside, et Tarraconem adductus, in carcerem conjectus fuit; inde tamen divinitus ereptus, et pristino specui restitutus, iterum captus, varie tortus, ac tandem succiso capite victor migravit in cœlum. Falluntur tamen dum C pro Maximiano imperatore Maximinum legunt, et consequenter necem ejus rejiciunt in annum Domini 240, cum tamen ex Dextro constet sub Maximiano cæsum fuisse ad ann. 308. Reverentur adhuc fideles antrum sancti Magini, et pia devotione visitant, quod illud Deus quotidianis miraculis illustret, meritis sancti martyris suffragantibus. De eodem scribunt Marieta, lib. II partis I, cap. 43; Mariana, lib. IV, cap. 9; Trugillus, in Thesauro, et alii plures.

19. *In urbe Capara*, etc. Retinet nomen adhuc urbis locus et duplicato rr vocatur *Caparra;* de ea egimus supra ad annum 86. De sancto Marco martyre, et ejus sociis habetur honorifica mentio in Romano Martyrologio ad 3 Julii, his verbis: *Eodem die sanctorum martyrum Marci et Muciani, qui pro Christo gladio cæsi sunt: quos cum puer parvulus, ne immolarent idolis alta voce moneret, verberibus jussus est cædi; cumque vehementius Christum confiteretur, una cum quodam Paulo martyres exhortante, necatus est.* Uberius eadem acta prosequuntur Græci in Menologio.

20. *In Hispania*, etc. De Juliobriga et Juliobri-

A. C. 308. Pamiæ in Hispania Tarraconensi in oppido Vaccæorum ad fluvium Arlanconem, A. R. 1059.
passio sancti Antonini martyris.
Emeritæ Augustæ in Lusitania S. Lucretia virgo et martyr.
Ega attulit ex Oriente memoriam sanctæ Catherinæ in Hispaniam.
Apud Pacem Augustam Anæ flumini appositam, triumphus SS. martyrum Vincentii, Orentii, et aliorum; Pontio Paulino divinitus admonito, quorum corpora ministerio angelorum ad urbem Ebredunum constiterunt.
In sede Petri Caio successit Marcellinus; Marcellino Marcellus; Marcello Eusebius; Eusebio Melchiades domo natalibusque Hispanus, genere vero Afer: Melchiadi vero sanctus Silvester, sub quo, Augusto Constantino, felicitas et pax aurea rediit Ecclesiis.

BIVARII COMMENTARIUS.

gensi portu consule quæ diximus ad annum 300, A comment. 2, num. 3, agentes de sancta Lucia ejus urbis cive. De sancta Anania et sociis sacris martyribus multis agunt Græci in Menologio, unde Galesinus hæc suo Martyrologio inseruit ad 27 Januarii: *Eodem die sancti Ananiæ martyris, qui Diocletiano Cæsare apud Maximum præfectum Christianam fidem sponte professus, graviter in idolorum cultum invectus est. Itaque comprehensus, primum verberibus cæditur, deinde candentibus subulis perfoditur, post vulneribus, quæ sic acceperat, sale et aceto perfricatis, in custodiam includitur, ut in eo loco fame necaretur; sed divinitus factum est, ut per septem dies cibo cœlesti aleretur. Quod ubi animadvertit carceris custos Petrus, relicta impietate, Christianam complexus est religionem; quamobrem hic una cum eo præfecti jussu rotæ alligatus, in craticula uterque collocatur, succenso igne, quo derepente mirabiliter restincto, tortores, ubi rei admirabilitatem perspexerunt, Christum Deum libera voce profitentur: atque sic quidem, qui septem erant, et illi ambo Ananias et Petrus in mare* B *projecti ad martyrii palmam pervenerunt.* Hactenus acta apud Galesinum.

21. *Pamiæ*, etc. Altissimo sane moderni scriptores errore laborarunt, dum Palentinum civem, sanctum Antoninum Gallum ortu et genere credebant. Legebant siquidem in actis martyrii ejus, Pamiæ, seu Apamiæ natum et occisum; cum autem ejus nominis urbem in Hispania nescirent, in Gallia cognoscerent, illam martyri urbem consignarunt. Mirum quod Apamiæ Syriæ non addixerint, cum eadem utriusque sit nomenclatura, et celebrior Syra. Sed jam tenebras fugat Dexter, dum Pamiam in Vaccæis fuisse demonstrat, ad fluvium Arlanconem, quo loci nunc Palentia urbs existit: et Antoninum Pamiæ natum, et occisum; nec alibi quam ubi nunc jacet. Certe quamdiu Palentiæ jacuerit, memoriam hominum excedit, quando aliunde portatum nemo usquam novit; inventionem Ecclesia sua celebrat, translationem ignorat: subtus terram sepulcri sui C pro temporis injuria in Hispanica Maurorum clade, positus; iis subactis iterum repertus est cœlestis thesaurus. Sed et acta martyris, nomen Galliæ subticent. Notiora sunt, quam ut hoc loco repeti queant; habet ea sanctus Antoninus Florent., I p. Hist., tit. 8., cap. 1. Equilinus, lib. VIII, cap. 24; Mombritius, tomo I, et Palentinum Breviarium, a quo tamen expungendum est verbum *Galliæ*, et a Romano Martyrologio, nam vetera ejus mss. et Martyrologia Bedæ, Usuardi, Adonis, et modernum Galesini illo carent. Decepit Baronium error tabularum modernarum Palentiæ, quas ipse citat. Brevi epilogo Galesinus. *Apamiæ*, ait, *sancti Antonini martyris, cui in postrema Diocletiani imp. persecutione, caput pro Christo Jesu abscissum, et corpus membratim discerptum est.*

22. *Emeritæ*, etc. Notissima virgo est omnium decantata scriptis Hispanorum, Vasæi in Chronico, ad annum 306; Moralis lib. X, cap. 10; Marietæ, lib. IV, cap. 64; Trugilli, Villegæ et Sanctori, ad 23 Novembris: quo die Romanum Martyrologium: *Emeritæ*, ait, *in Hispania sanctæ Lucretiæ virginis et martyris, quæ in persecutione Diocletiani sub Daciano præside martyrium consummavit.* De eadem ait Usuardus ipsa die, et Equilinus lib. II, cap. 130, num. 330.

23. *Ega attulit*, etc. Consule quæ de S. Catherina superius notata a nobis sunt ad ann. 300, Comment. 3.

24. *Apud pacem Augustam*, etc. Sedavimus de situ hujus urbis veterem et obduratam controversiam in notis ad annum 64, probavimusque non esse *Bejam* Portugalliæ, sed *Badajcz* extrematuræ regni Castellæ; durum est omnia repetere. Porro SS. Vincentii, Orentii et Victoris sacra nomina scripta sunt in Romano Martyrologio die 22 Januarii, ubi in persecutione Diocletiani martyrio coronati referuntur; idque etiam habent Beda, Usuardus, et Ado. Acta vero ab Ætherio Ebredunensi antistite scripta edidit ex mss. codicibus Surius, tomo I, et Equilinus in compendium hoc redegit, lib. II, cap. 112: *Vincentius et Orentius martyres passi sunt apud Hispaniam, tempore Diocletiani et Maximiani imper. sub Rufino præside Hispaniarum.* (Rufinus iste sanctum Cucuphatem Barcinone coronaverat, Daciani Legatus existens.) *Hi fervore fidei accensi, se sponte judici offerentes, et Christum magnanimiter confitentes, jussu præsidis capitali sententia puniuntur. Quorum corpora Victor quidam Levita qui eos hospitio susceperat, sepelivit: propter quod et ipse a judice tentus, brachiis sibi a cubitis præcisis, in eodem loco ubi et illi passi fuerant, decollari jubetur. Quod videns pater Victoris, quia ipse Christianus erat, fugam arripuit, sed a conjuge, Aquilina nomine, hortatus, rediens una cum filio capite cæsus est. Horum omnium corpora Pontius episcopus, divina revelatione commonitus, plaustro imposita ad loca pristina Italiæ deferebat, donec juxta civitatem Ebredunensem pervenerunt; ubi bobus se figentibus, nullo modò ultra abire valentibus, corpora martyrum sepulta sunt, divina cognita voluntate.* Concordant omnia dictis Dextri. Quod in Martyrologiis dicitur, *Ebreduni in Gallia sanctorum martyrum*, etc., non de loco martyrii, sed sepulcri et festivitatis accipiendum est. In ipsis etiam desunt fratres S. Victoris, quos Dexter vocat socios sanctorum Vincentii et Orentii. Vide de his Moralium lib. X, cap. 14, et Marietam I p., lib. II, c. 39.

25. *In sede Petri*, etc. Quam anno Domini 296 Romanorum Pontificum seriem in Marcellino terminarat nunc ad sanctum usque Silvestrem prosequitur, qui sanctum Melchiadem patria Maravа Carpetanum, genere vero Afrum subsecutus est. De Melchiade satis egimus ad annum 248 et 299, et iterum agemus ad ann. 311. Porro sanctus Marcellinus martyrio sublatus est ann. 304, 6 Kalend. Maii, cum sedisset fere annos octo. Sanctus Marcellus occisus est pro Domino anno 309, post quintum sui pontificatus. S. Eusebius produxit suum usque ad ann. 311, et diem 26 Septemb. ipsius anni. S. Melchiades usque ad ann. 313, 4 idus Decembris, seditque annos 3, menses 7, dies 8. Tota hæc chronologia Baronii Annalibus congruit.

A.C. 310. Constantius Chlorus Augustus de Hispaniis quam optime meritus, post decimum sextum annum imperii in Britannia obiit. A.R. 1061.

Triginta circiter scriptores catholici contra blasphemias Porphyrii philosophi scripserunt. In his nonnulli Hispani.

Natalis episcopus Toletanus succedit sanctissimo confessori Melanthio, qui, ut illa ferebant tempora, multa passus est pro Ecclesiæ catholicæ contra hæreticos et gentiles defensione.

311. Concilium Toleti contrahitur in defensione Iliberritani. 1062.

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 310. — 1. *Constantius*, etc. Vopiscus et Eutropius cum de abdicatione imperii facta a Diocletiano et Maximiano loquuntur, *Ita*, aiunt, *divisum est imperium, ut Constantius Chlorus Galliis, Hispaniis, Italiæ et Africæ præesset; Galerius vero Illyrici, Græciæ et Orienti*. Sane Chlorum de Hispaniis optime meritum fuisse sedatio probat persecutionis, sub ejus enim principatu nullus legitur martyrio coronatus : quin potius (ut Eusebius scribit de Vita Constantini lib. I) eos, qui de Palatio suo negarunt se Christianos esse, cum essent, domo ejecit; eos vero qui fassi sunt, ut qui Deo fideles erant, fideles sibi reputans honoravit. Exstat Cordubæ incisa lapidi inscriptio hæc, quam Morales lib. x, c. 18, et alii afferunt : *Fortissimo et Indulgentissimo Principi Domino nostro Constantio Victori perpetuo, semper Augusto. Decimius Germinianus Vir Clarissimus Consularis Provinciæ Bæticæ, nomini majestatique ejus Dicatissimus*.

Quod ad tempus imperii Constantii attinet, nonnulli duos vel tres tantum annos illi consignant; cæterum Dextro sexdecim tribuenti Eusebius in Chronico astipulatur, qui hoc ipso anno Christi 310 hæc habet verba : *Constantius* XVI *imperii anno diem obiit in Britannia Eboraci, post quem filius ejus Constantinus*, etc.

2. *Triginta circiter*, etc. Errore transcribentium effectum erat, ut hæc clausula quæ ad annum 310 spectabat, in anno 110 collocaretur, quam et nos necessitate temporum ducti mutavimus. Vixit quidem Porphyrius, utpote Plotini discipulus et Origenis condiscipulus, Aureliani imperatoris temporibus, Eusebius vero et Apollinaris Laodicenus, Constantii et Constantini. Meminit Hieronymus, lib. de Script. Eccl., aliquorum ex his qui contra Porphyrium scripserunt, et de Eusebio ait in catalogo operum ejus : *Contra Porphyrium qui eodem tempore scribebat in Sicilia (ut quidam putant) libri triginta; de quibus ad me viginti tantum pervenerunt*. De Apollinari vero : *Exstant ejus adversus Porphyrium, qui inter cætera opera ejus vel maxime probantur*. De Methodio sic : *Methodius Olympi Lyciæ, et postea Tyri episcopus, nitidi, compositique sermonis adversus Porphyrium confecit libros*, etc. Sed proh dolor! quot priscorum nostrorum lucubrationes perierunt!

3. *Natalis*, etc. Habetur mentio de Natali in catalogo Toletanorum episcoporum, quem edidit Loaysa; in eo tamen deficit, quod eum Paulati faciat successorem, cum tamen post Melanthium episcopatum inierit. Ejus etiam nomen est in dyptichis Missalis sancti Isidori, post Melanthium. Purganda tamen excusio Ximenii Cardinalis, quod bis Melanthium nominet, cum posteriori loco Natalis scribendus sit, hoc modo : *Pro spiritibus Pausantium, Honorati, Pelagii, Quintini, Vincentii, Paulati, Melantii, Natalis, Georgii, Olympii*, etc. Interfuit Iliberritano, eique subscripsit secundus inter presbyteros illis verbis : *Natalis de Orsuna*, quibus innuitur eo tempore fuisse ejus urbis presbyterum.

A. C. 311. — 1. *Concilium*, etc. Hujus concilii nullus præter Dextrum quem viderim, meminit. Sed eo tempore synodum quamdam ab episcopis Hispaniæ his diebus celebratam, satis convincitur ex epistola S. Melchiadis papæ (exstat in tomo I Conc.) A qua respondet Marino, Leontio, Benedicto, et aliis Hispaniæ episcopis ad ea quæ ipsi interrogaverant, de episcoporum qualitatibus, et de sacramento extremæ Unctionis. Sub Datis Rubrio et Volusiano coss. quorum consulatus incidit in annum Christi 314. Consule etiam Moralem lib. x hoc ipso anno. Nihil tamen hæc cum illa commune habet, cum longe alia ad Melchiadem papam retulerint, quam a Dextro dicantur in ejusmodi Toletano concilio tractata.

Quæ vero illa fuerint ex ipsis Iliberritani actis deducere possumus, in cujus videlicet defensionem coactum est. Durissimum siquidem videbatur, alicui Christianorum denegari sacram communionem non solum longo tempore, sed etiam omnibus vitæ suæ diebus, et ipso in extremis viatico cœlesti privari; eo vel maxime quod pœna hac severissima mulctari a concilio jubebantur non solum idololatriæ, magiæ, et similium gravium criminum perpetratores, sed etiam ii qui post baptismum semel et iterum in mœchiæ contagium labebantur. Quod ex canone 7 liquet, ubi sic legimus : *Si quis forte fidelis post lapsum mœchiæ, post tempora constituta, acta pœnitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem*. Quæ pœna vigesies pro diversis criminibus in eisdem concilii canonibus imposita est. Quid igitur mirum si multis durum id visum fuerit, et, tumultuante plebe, necessum fuerit denuo super his concilium cogere?

Forsan et alia capita expositione, aut temperamento quibusdam indigere visa fuerant, ut quod Canone 34 stabilitum fuit : *Cereos placuit per diem in cœmeterio non accendi* : et quod sequenti Canone 35 additur : *Placuit prohiberi, ne feminæ in cœmeterio pervigilent* : et rursus quod can. 36 subditur : *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere*; quo sane non prohibebatur usus profanarum imaginum; sed, ut videtur, sacrarum, uti verba sequentia indicant, *Ne quod colitur, et adoratur, in parietibus depingatur*. His siquidem nobiles Christianitatis actiones prohiberi videbantur.

Inde illud contigisse reor, quod Augustinus narrat lib. I contra epistolam Parmeniani, Hosium videlicet, cujus in eo concilio zelus mirifice flagraverat, odio a quibusdam habitum, et de multis criminibus coram Hispanis episcopis per calumniam accusatum fuisse, eorumque voces tantum invaluisse, ut ab illis tandem sententiam damnationis acceperit : a qua tamen, invidia et malitia adversariorum patefacta, ab episcopis Galliæ (haud dubium quin in Arelatensi concilio congregatis, ut erudite contendit Mendoza) absolutus fuit; consentientibus itidem Hispanis Patribus in eadem absolutione. Sane prælibatam Hosii damnationem in hoc Toletano concilio factam fuisse, tempus et causa convincunt. Narrat rem gestam Augustinus citato lib., cap. 4, ea occasione, quod Donatistæ, quos olim in capite Hosius exagitaverat, utpote Cæciliani defensor existens, de Hosii condemnatione gloriabantur. En verba Augustini : *Quod enim dicunt de Hosio Cordubensi, flagitandum est ut probent, non solum talem illum fuisse, qualem dicunt* (nam hoc falsis conductis testibus probari poterat), *sed quod talis fuerit manifestum illis fuisse, quibus eum communicare asserunt : hoc enim nisi probaverint, frustra dicunt se scisse qualis fuerit : quia nescientibus*

Sanctus Licerius episcopus Carensis, in Hispania Ilerdæ celebratur, quo translatus fuisse dicitur cum sede.

BIVARII COMMENTARIUS.

obesse non potuit ; a quibus se isti innocentibus separando, propter istam separationis sacrilegam iniquitatem, innocentes esse non possunt. Hoc enim magis credibile est, si tamen Hosius ab Hispanis damnatus, a Gallis est absolutus, sic fieri potuisse, ut falsis criminatoribus Hispani circumventi, et callida insidiarum fraude decepti, contra innocentem ferrent sententiam : et postea pacifice in humilitate Christiana cederent sententiæ collegarum, quibus illius innocentia probata est. Et paulo inferius : *Numquam isti se tam aperte indicarunt, cur nec separati corrigi voluerunt, quam cum detestantur Hispanos, quod post sententias suas aliter prolatas, discussioni, posteriorique judicio cesserunt : quam enim hoc factum est de mansuetudine Christiana, tam illud de contentione diabolica.* Causam vero tanti odii ab adversariis in Hosium concepti, zelum ejus fuisse conjicio, quo in peccatores, et iniquos flagrabat; nam apud eumdem Augustinum lego cap. 8 libri prædicti, crudelitatis nota inustum ab inimicis, quasi suspicionibus ductus inauditos de more damnaret. *Conquestus est Parmenianus* (ait) *quod victi apud ecclesiasticos judices, ne apud ipsum* (Constantinum videlicet) *quæ dicebant probare potuissent, ad campum, hoc est, ad supplicium, ducerentur. Hoc enim eum tamquam immaniter jussisse, Hispano Hosio suggerente, criminabantur; suspicionibus videlicet suis, sicut semper, damnando inauditos.* Eum tamen sic excusat Augustinus : *quasi vero non humanius, ac probabilius alius crediderit, Hosio tamquam episcopo suggerente potius factum, ut in leniorem coercitationem, quamvis immanissimi sceleris, id est, sacrilegi schismatis sententiam flecteret imperator.* Hinc igitur conjectura est, apud Hispanos antistites Hosium de crudelitate accusatum, occasione ab austeritate pœnarum, quæ per illius Canones ab Hosio editos imponebantur, accepta : ubi tametsi in Hosii personam super nonnulla crimina sibi per calumniam imposita, sententia lata fuerit, Iliberritanæ nihilominus Synodi auctoritas integrata et illibata permansit.

Id vero non solum constat præsenti testimonio Dextri, sed ex eo quod in Ecclesia apud recentiores Patres et concilia perpetuo in usu et veneratione fuit. Et primo concilium Arelatense septem ex ea canones mutuatum est, videlicet quartum de *Agitatoribus* : 5, *de Theatricis;* 6, *de his qui in infirmitate credere volunt;* 7, *de his qui magistratus gentilium gerunt;* 9, *de litteris confessorum;* 11, *de matrimoniis infidelium;* et 23, *de apostatis.* Conc. vero Nicænum quinque, scil. : 5, *de subintroductis mulieribus;* 5, *de excommunicatis a proprio episcopo reconciliandis;* 10, *de hæreticis non ordinandis, et ordinatis deponendis;* 13, *de catechumenis peccantibus;* 18, *de Clericis usuras accipientibus.* Sardicense quoque accepit ab eo canonem 14, qui in Iliberritano est 21, ibi Hosius tacite de eo mentionem faciens dixit : *Memini superiore concilio fratres nostros constituisse, ut si quis laicus tres Dominicas dies non celebrasset conventum, communione privaretur.* In Toletano XI, sub Wambane rege æra Cæs. 713 celebrato, cap. 13, citatur canon 29 Iliberritani. In Suessoniensi, quod ann. Dom. 853 celebratum fuit, in actis actionis 6, ad finem ultimi canonis, refertur canon 75 Iliberritani. Wormaciense, sub Ludovico rege anno Domini 868, can. 39, admittit canonem 5 Iliberritani. Moguntinum sub Rabano episcopo, can. 22, suscipit canones 5 et 63 Iliberritani. Moguntinumque aliud sub episcopo Arnulpho, ann. 888, canone 26, refert admittitque canonem 13 ejusdem; eumdemque canonem laudat et innovat concilium Coloniense sub Carolo Crasso in canone 6 suorum. Item Arelatense II, apud Brucardum lib. XVII, cap. 53 et Ivonem IX p. Decret., cap. 103, et Romanum Pœnitentiale apud Antonium Augustinum tit. 1, cap. 27, citant ex Iliberritano canonem 63. Rabanus insuper in suo Pœnitentiali : Theodorus Græcus, Isidorus, et S. Martinus Bracarensis in suis Conciliorum Collectionibus; Gratianus, Ivo, et Brucardus in Decretis multa ab eodem Iliberritano mutuati fuerunt; et quod cæteris præstat, Hadrianus papa I, cap. 60, et 61 collectionis suorum Decretorum, citat canonem 52 et 75 Iliberritani. Quo videas quanta reverentia perpetuo in Ecclesia habitum sit, et quam parum circumspecte nonnulli, quos verecundiæ gratia non nomino, tantorum Patrum honori detraxerint.

Quod si dura illa pœna videatur, quam concilium ejusmodi inflixit, privans delinquentes viatico in extremis; pro temporis tamen injuria necessaria fuit, atque in hac parte sanctus Innocentius papa concilium tuetur in epistola ad Exuperium Tolosanum, cujus in superioribus verba dedimus. Cætera vero quæ ex eo objiciuntur non sunt ad rem, neque enim absolute prohibentur cerei in cœmiteriis accensi, sed superstitiosus eorum usus; quod scilicet rudis plebs per eos credebat sanctos martyres ad responsa reddenda revocari; nam subditur ratio prohibitionis : *Inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt :* quo pacto Samuel de morte revocatus ad Saulem dixit : *Quare inquietasti me* (I *Reg.* XXVIII)? Notari etiam oportet non cavisse concilium, quod super sepulcra martyrum cerei nocturnis horis accenderentur, sed dumtaxat *per diem*; nam dicitur in Canone: *Cereos per diem placuit in cœmiterio non incendi.* Quo sane alia superstitio detegitur, qua simplices fideles credebant, cereos incendi ad illuminandas animas mortuorum, qui in tenebris delitescebant, et non potius fidei vivorum significandæ gratia; permissum vero cereos noctu accendi, quod eo tempore vivi ipsi, qui ad sepulcra sanctorum excubabant, candelæ lumine indigerent. Cæterum succedente tempore, postquam plebes superstitionibus gentilitatis purgatæ sunt, cessavit prohibitio. Facilius est, quod de canone 35 objiciebatur, ita enim prohibitum fuit mulieribus in cœmiteriis pervigilare, ut causam ejus prohibitionis concilium subjungeret, *eo quod sæpe sub obtentu orationis, latenter scelera committant.* Non igitur vigilias ipsas prohibuit, quasi ex se illicitas : absit; sed quoniam eis nonnullæ mulieres prave utebantur. Idem judicium ferendum est de canone trigesimo sexto, quo non prohibetur absolute usus imaginum, sed quod non depingerentur in parietibus templorum, sive quia eo tempore, sæviente persecutione, plerumque remanerent cum templis in potestate gentilium, irrisioni eorum expositæ : sive quoniam murorum crustis facile diruptis, sanctorum imagines deformarentur, sive tandem quia in tanta reverentia eo temporis erant apud fideles sanctorum imagines, quod non in quavis materia visum fuit decere depingi; quæ omnia satis in causa prohibitionis a concilio subjuncta, intelligi dantur, *Ne quod colitur, et adoratur, in parietibus depingatur.* Sed hæc satis pro instituto nostro censeantur, quod si quis plura desiderat in expositionem horum Canonum consulat D. Fernandum de Mendoza libro citato, Alanum Copum dialogo 5, c. 16, et ex recentioribus theologis, Vazquez, Suarez, et Lorcam in Commentariis ad q. 25, III. p., D. Tho., art. 3 et 6.

2. *S. Licerius*, etc. Floruit S. Licerius anno Domini 268, quo de ipso egimus cum Dextro, qui tamen hoc loco de fama ac gloria nominis ejus agit. Porro Carensis urbis, cujus episcopus fuisse scribitur S. Licerius, meminit Antoninus in Itinerario inter Laminium et Cæsaraugustam. Scripsit etiam

A. C. 311. Ab anno 306, successerat in imper. gubernationeque Hispaniæ Chloro Constantio patri Constantinus filius cognomento Magnus, ex Helena femina primaria Britanniæ. A. R. 1062.

312. Hoc anno devicto Maxentio Tyranno, et ad pontem Milvium in Tybrim demerso, Constantinus Magnus, mirabili crucis signo admonitus, gloriosissime triumphat; maximaque tranquillitas Ecclesiis effulsit; nam templa diruta edictis imperatorum, curante præsertim Helena matre, et Hosio Cordubensi episcopo Hispano, per totum orbem terrarum, præsertim in Hispania, primum omnium restituuntur: ut provincia quæ primum viderat radios limpidissimæ lucis Evangelicæ, prima quoque beneficiis pacis et fructibus gauderet. 1063.

BIVARII COMMENTARIUS.

Plin., lib. III Natur. Hist., cap. 3, de Carensibus prope Complutum existentibus; sed eos cum Caracitanis confundit seu Caracensibus, sic dictis a Caraca, quæ nunc *Guadalaxara* nuncupatur.

3. *Ab anno* 306, etc. Vocat Helenam, non quidem concubinam, aut stabulariam, quod alii perperam fecere, sed quod res habebat, feminam primariam. Consonat his Baronius eodem anno 306, quo loco monet invidia factum, ut filia nobilissimi Britanni apud quem Chlorus hospitio susceptus est, *stabularia* vocaretur: *concubina* vero, quoniam ab eodem separata fuit, ut Theodoram Maximiani filiam conjugem acciperet; cum tamen vera uxor imperatoris esset, et ex legitimo thoro Constantinum Magnum susceperisset.

Quod spectat ad imperii hujus initium, concedunt omnes cœpisse anno Domini 306, ex quo Baronius existimat eo anno Constantium Chlorum patrem ipsius e vivis fuisse sublatum. Id tamen stare non potest cum Eusebii ejus temporis scriptoris testimonio, qui affirmat, obiisse anno Christi 310, ut Dexter posuit. Sed quonam pacto stare poterit, quod idem Eusebius scribit, Constantinum imperasse annos 30, menses 10, et diem clausisse extremum anno 337? Certe cum solo placito Dextri asseverantis, vivente patre, imperare cœpisse in Hispaniis Constantinum ab anno 306, a quo usque ad 337, triginta et unus fere intercedunt: atque inde proculdubio ortum habuit ejusdem cum Hosio Cordubensi necessitudo (adhærente præsertim matre Helena filio suo in Hispania), quæ tam antiqua fuit, ut anno Domini 312, in favorem ejus litteras dederit, de quibus jam dicam.

A. C. 312. — *Hoc anno*, etc. Rem gestam narrat pluribus Eusebius, lib. IX Hist., cap. 8, et de Vita Constantini lib. I, cap. 32, et in Panegyrico post victoriam: at in Chronico hoc ipso anno breviter: *Maxentius* (ait) *juxta pontem Milvium a Constantino superatus occiditur, anno imperii sui sexto*. Quod si ann. Christi 312 erat sextus ejus imperii, necessum est ut anno 306 inceperit, ut jam probavimus. Cecinit etiam victoriam hanc Crucis Prudentius libro priori contra Symachum cap. *de Potentia Crucis*, his verbis:

Hoc signo invictus transmissis Alpibus ultor
Servitium solvit miserabile Constantinus;
Cum te pestifera fremeret Maxentius aula,
Lugebas longo damnatos carcere centum;
Ut scis ipsa Patres, et sponsus fœdera pactæ
Intercepta gemens, duroque satellite rapta,
Immersus tenebris, dura inter vincla luebat.

Et post pauca:

Testis Christicolæ ducis adventantis ad urbem
Milvius, exceptum Tyberina in stagna tyrannum
Præcipitans, quanam victricia dederit arma
Majestate regi; quod signum dextera vindex
Prætulerit; quali radiarit stemmate pila;
Christus purpureo gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat; ardebat summis crux addita cristis.

Et infra:

..... Tunc ille senatus
Militiæ ultricis titulum, Christique verendum
Nomen adoravit, quod collucebat in armis.

A Post devictum, virtute crucis Constantino in cœlo monstratæ, Maxentium, totum se dedisse imperatorem ad ecclesiarum erectionem, et Ecclesiæ universalis pacem stabiliendam, auctor est Eusebius lib. I Vitæ ipsius, cap. 36, cujus illa sunt verba: *Porro Ecclesiis copiosa suppeditare subsidia, templa in sublime erigere, exædificataque adaugere; plurimis monumentis augmentata Ecclesiæ sacraria illustrare, varia pecuniarum largitione egentium inopiam sublevare*, etc. Dono dedit suasu Hosii, Melchiadi papæ Palatium Lateranense. Quod vero inter cæteras Orbis Ecclesias rescriptum dederit de Hispanis primum omnium restituendis, vel erigendis, inde deducitur, quod horum omnium consultor erat Hosius, qui proculdubio Cordubensis, aliarumve suæ provinciæ Ecclesiarum negotium ageret; præsertim cum Helenæ matri jam a multis diebus communicaret: id quod vel ipsi Ecclesiæ hostes fassi sunt, Evagrius, et Zosimus; hujus enim verba sunt: *Quidam Hispanus genere, cujus nomen esset Ægyptius* (Ægyptium B quasi magum, detractionis gratia vocabant Hosium) *Romam delatus, palatinisque mulierculis* (haud dubium Helenæ et suis) *familiaris factus, et ad Constantini colloquium admissus, sententiam doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum confirmavit*. Eis pene utitur Evagrius, nisi quod pro illis, *Quidam Hispanus genere, cui nomen esset Ægyptius*, habet, *Quidam Ægyptius ex Hiberia* (id est, Hispania) *venerat Romam*, etc. Exstat quoque epistola Constantini ad Cæcilianum Carthaginensem episcopum, in qua imperator: *Tu igitur* (inquit) *quandoquidem dictam pecuniæ summam recipiendam curaveris, omnibus qui in Scheda ad te ab Hosio missa ante scripti sunt, his pecunias dispertiri jubeto*. Nimirum quia ubique terrarum Hosii arbitrio Ecclesiis de pecunia pro fabrica et necessariis dividebatur.

Denique quod hoc loco de Evangelio primum omnibus Ecclesiis Hispaniæ prædicato dicitur, non eo C tendit, ut primatum Ecclesiæ in Hispania velit constituere, absit; sed ad prioritatem temporis Evangelii in ea prædicati; de qua re satis in superioribus actum est. De pace quoque a Constantino Ecclesiis Hispaniæ concessa, qui his diebus inibi scribebat Juvencus testimonium fert, dum in fine operis ait:

Hæc mihi pax Christi tribuit, pax hæc mihi secli,
Quam fovet indulgens terræ gubernator apertæ
Constantinus, adest cui gratia digna merenti;
Qui solus regum sacri sibi nominis horret
Imponi pondus.

Hoc anno 312, templum Barcinonense in honorem S. Eulaliæ, et Toletanum S. Leocadiæ exstructum testis est Braulio in additionibus. Et eodem auctore anno 314: *Cæsaraugustæ templum augustissimum B. Mariæ a B. Jacobo Zebedæi filio constructum, laxatis spatiis integratur, nec minore pietate ac fre-* D *quentia colitur. Abulæ templum etiam erigitur sacris martyribus Vincentio, Sabinæ, et Christetæ in loco ubi patiuntur; aliaque templa præter ea: et hæc sumptibus reginæ sanctissimæ Helenæ Augustæ ubique locorum ædificantur.*

A. C. 316. Synodus Ancirana 24 canonum, et etiam Neocæsariensis canonum 12, eodem tempore celebrantur. A. R. 1067.

317. Alexander vigesimus episcopus Alexandrinus, præest annos septem. 1068.

L. Cæcilius Lactantius Firmianus Hispanus, Crispi Cæsaris Constantini filii magister, pauper et abjectus Nicææ moritur.

324. Nicææ in Bithynia sancta et universalis synodus contrahitur 318 episcoporum contra Arium hæreticum. Pro Silvestro Hosius Cordubensis episcopus, egregius confessor (præest). Interfuerunt etiam episcopi Hispani Hispalensis, et Barcinonensis, et Natalis Toletanus, et alii plurimi ex Bætica et Tarraconensi provinciis. 1075.

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 316. — *Synodus*, etc. Celeberrima est utraque synodus, et notissima. De tempore quo celebratæ sunt, Baronius subodoratus veritatem, prius asserit celebratam Ancyranam, quam Neocæsariensem, quoniam in illa igitur de lapsis restituendis per pœnitentiam, quod ad tempus persecutioni proximum respicit; in Neocæsariensi vero nihil tale asseritur, utpote quod eo jam tempore de lapsorum restitutione actum fuerat. De anno autem habemus Dextri testimonium, quo tamen Baronius caruit, unde suspicatus fuit Ancyranam anno 314 celebratam, quæ post duos annos habita est.

A. C. 317. — 1. *Alexander*, etc. Hic ille magnus Alexander qui sancti Athanasii prædecessor existens, tantopere laboravit pro Ecclesia Dei, adversus Arium suæ Ecclesiæ presbyterum. Nonnulli in catalogo Alexandrinorum antistitum eum sub numero 19 constituunt, ut apud Equilinum lib. XI, c. 6, videre est; Dexter vero sub 20. Omnes autem conveniunt sedisse annos 7. Successit Achillæ.

2. *L. Cæcilius*, etc. De Cæcilio Lactantio Firmiano, cujus libri Institutionum exstant, agit Hier. lib. de Script. Eccles., de quo asserit fuisse Arnobii discipulum, qui sub Diocletiano florentissime rhetoricam docuit in Africa; inde Nicomediam perductum rhetoricam etiam docuisse; penuria vero discipulorum, ob Græcam videlicet civitatem, ad scribendum se contulisse: atque in ultima senectute magistrum fuisse Crispi Cæsaris filii Constantini in Gallia. De eo Eusebius: *Fuit* (ait) *vir omnium suo tempore eloquentissimus; sed adeo in hac vita pauper, ut plerumque etiam necessariis indiguerit, nedum deliciis.* Hæc ille in Chron. Nonnulli eum Africanum crediderunt, sed sine sufficienti fundamento; quod enim in Africa Arnobio discipulus adhæserit, non probat ipsum illic ortum; nam sub Augustino scimus Hispanum Orosium litteris operam dedisse in Africa. Audio igitur Dextrum, in Hispania Lactantium natum scribentem, ac neminem antiquorum reluctantem; quare ei omnimodis subscribere cogor. Quod vero his diebus Nicææ obiverit, mihi credere facit, ipsum jussu Constantini ad concilium Nicænum convocatum, et illic tandem, sive paulo ante, sive tempore celebrationis, diem clausisse extremum.

A. C. 324. — 1. *Nicææ*, etc. De tempore concilii Nicæni non omnium una mens est. Cassiodorus ann. 328 celebratum contendit, Eusebius ann. 324: a quibus novissime discrepans Morales, cujus sententiam amplectitur Baronius, illud in annum 325 rejicit. Dexter Eusebium sequitur, sed utrius sententia potior? Crediderim non multum inter omnes distare, si qua tamen inter eos discordia est, cæterorum quidem aliquam inter sese, sed cum Dextro nullam esse: nam aut loquimur de fine concilii et hoc pacto Cassiodorus in ann. 328 incidisse docet, credens triennium totum in eo a Patribus consumptum, quod etiam scribit Nicephorus lib. VIII, c. 26, qua ratione dicere oportet cœpisse ann. 324, versus fin. Alii vero finitam docentes ann. 325 consequenter affirmare coguntur, celebrari cœptum ann. 324, et hoc omnino verum existimo, utpote quod ex anno ipsius concilii ab Hosio apposito comprobatur, videlicet æra Cæsaris 363, qui est annus Dom. 325, Dexter et Euseb. de initio concilii loquuntur.

Sed quod dicitur a Dextro, *Pro Sylvestro Hosius Cordubensis episcopus præsidet egregius confessor*, non eodem sensu omnes accipiunt. Receptior est, Hosium legatum fuisse S. Sylvestri Romani pontificis, et uti talem concilio Nicæno præfuisse; sed nihilominus contendunt docti pariter ac graves scriptores, Didacus Valdesius Regius Valisoletani conventus consiliator, lib. de Dignitate Regum et Regnorum Hispaniæ c. 2, et D. Joannes de Salazar archidiaconus de Ubeda lib. de Adventu S. Jacobi, Hosium nullatenus fuisse Romanæ Sedis legatum in Nicæna synodo, sed nomine suæ provinciæ subscripsisse. Hoc siquidem ipsæ subscriptiones Patrum evidenter ostendunt, omnes enim nomen suæ provinciæ apponunt, et ex unaquaque provincia unus dumtaxat, tametsi plures adfuerint, subscribit, quod in episcopis Hispaniæ facile comprobatur; Eusebius enim non solum Hosium, sed cum aliis multis advenisse scribit verbis infra citandis (nonnullorum Dexter meminit), et tamen solus Hosius pro Hispania tota subscribit. Illud vero veterum scriptorum testimoniis comprobatur; omnes quippe uno ore attestantur, legatos S. Sylvestri fuisse Victorem, et Vincentium presbyteros, cum tamen de Hosio nullus id dixerit. Theodor. lib. I, c. 7, cum præmisisset Sylvestrum ob ætatis gravescentis magnitudinem assistere nequivisse, subdit: *Verum duos ille misit presbyteros, potestate illis concessa, actis illius concilii assentiendi.* De Hosio autem nec verbum. Idem scribunt Socrates lib. I, c. 3, Sozomenus lib. I, c. 16, et Cassiod. lib. II. Tripartitæ c. 1. Non dissentit Euseb. quin potius hæc in eamdem sententiam scribit lib. III, c. 7, cum de Patribus qui Nicæam accesserunt agit: *Ex ipsis Hispaniis unus nomine, et famæ celebritate insignis cum aliis multis, in consessu illo adfuit, et quamquam urbis illius penes quam imperium est* (Romæ scilicet) *episcopus, ingravescente ætate præpeditus abfuit, ejus tamen presbyteri, qui aderant, illius locum supplerunt.* Quid clarius? Certe si Hosius legatus Sylvestri fuisset, de eo diceret, quod Rom. episcopi locum suppleverit, quod tamen minime fecit; immo vero id de aliis affirmans, de Hosio manifeste negare visus est. Sed quid moramur, quando ipsimet Patres, concilio peracto ad Sylvestrum rescribentes Hosium et cæteros diversos omnino esse a legatis ostendunt? En verba epistolæ: *Beatissimo papæ urbis Romæ, cum omni reverentia colendo Sylvestro, Hosius episcopus provinciæ Hispaniæ, civitatis Cordubensis, et Macarius Ecclesiæ Constantinopolitanæ, et Victor, et Vincentius presbyteri urbis Romæ ordinati ex directione tua*, etc., prosequitur aliorum nomina Patrum. Non igitur Hosius dicitur ordinatus ex directione Sylvestri, sed duo illi presbyteri Victor et Vincentius. Idipsum ex ipsis subscriptionibus deducitur, nam presbyteri sic subscribunt: *Victor et Vincentius presbyteri urbis Romæ pro venerabili viro papa, episcopo nostro sancto Sylvestro, scripsimus ita credentes, sicut supra scriptum est.* Hosius vero sic: *Hosius episcopus civitatis Cordubensis provinciæ Hispaniæ dixit, ita credo, sicut superius*

A. C. 324. Natalis misit Constantino natales martyrum et tabulas.

Sub Natali Toletano pontifice, et præside, jussu Constantini, concilium Toleti con- A. R. 1075.
trahitur : episcoporum antiquæ sedes, quæ suos fines amiserant, receperunt.

330. Arnobius rhetor in Africa docens, clarus habetur. 1081.

335. Mortuo Sylvestro successit in sede Petri sanctus Marcus, et anno sequenti successit 1086.
S. Marco Julius.

337. Hic annus luctuosus et calamitosus fuit reipublicæ Christianæ : nam II kalend. Junii 1088.

BIVARII COMMENTARIUS.

scriptum est : quo etiam modo cæteri Patres suscribunt, v. g. *provinciæ Ægypti Alexander Alexandriæ magnæ*, etc. *Provinciæ Galliarum Nicasius Divionensis*, etc.

Sed illud omnes torsit, quonam pacto Hosius Nicænæ catholicæ synodo præfuit, si Rom. Pontificis legatus non erat? Præfuisse vero ipsa acta concilii monstrant, omnia enim tractanda proposuit et definivit consentientibus cæteris Patribus : Symbolumque fidei Nicænæ ipse condidit. Cæterum non tanti objectio habenda est, ut aliter quam res se habuit, nos cogat asseverare ; concedimus ingenue, si adesset, Sylvestrum concilio præsidere debuisse, et quod si ipse præsidem nominasset, ejus arbitrio et nominationi standum esset ; sed vero misit quidem presbyteros, qui actis concilii suo nomine præberent assensum, non qui episcopis præsiderent ; unde præsidentiæ auctoritas penes concilii corpus relicta est ; præsertim cum priscis Ecclesiæ temporibus, de veritate potius cura erat quam de antelatione. Ipsis autem Patribus justissimis de causis visum fuit (id quoque Constantino, qui præsens aderat, approbante) ut Hosius præsidis officio fungeretur, ob præclara ipsius doctrinæ et confessionis merita, sive quoniam ratio Christianitatis provinciarum habita est, quod gravibus ducti rationibus dicti auctores contendunt ; satis autem comprobatum a nobis est in superioribus primam omnium provinciarum gentilium ad fidem Christi perductam fuisse Hispaniam. Ego ad utrumque Constantinum, et Patres respexisse probabilius dueo. Unde quod auctor scribit, *Pro Sylvestro Hosius præfuit*, hunc reddit sensum : eam sedem in concilio occupavit, quam Sylvester haberet, si adfuisset.

2. *Natalis*, etc. Nunc ex isto Dextri testimonio infero, si primævam Natalium sanctorum nuncupationem respiciamus, idcirco fastos impios dies Natales appellatos, quod eorum tabulæ (kalendaria vocant) a Natali Toletano antistite primum omnium conscriptæ sint, tamen nomen postea accommodatum visum sit, ad mortem sanctorum significandam, qua *non quidem nascebantur in terra de carne* (quod Chrysologus dixit serm. 129), *sed de terra ad cœlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes, et stabiles, et æternas*. Seu quod S. Eucharius Lugdunensis (falso creditus Eusebius Emissenus) hom. 50 in Gen. : *Beatorum martyrum passiones, natales vocamus dies, quando eos martyrii vita, et gloriæ fides, dum ingerit morti, genuit æternitati ; et perpetua gaudia brevi dolore parturiit*. Sane si natales dies ita nuncupati fuissent a morte, quæ in veram vitam commutatur, sola illa sanctorum festa eo nomine fruerentur, quæ de morte martyrum et cæterorum beatorum agerent ; nunc autem aliter se res habet ; nam sexta Maii dies natalis S. Joannis evangelistæ a veteribus nuncupatur, et tamen minime in ejus mortis memoriam celebratur, sed miraculi quod ad portam Latinam accidit, unde Usuardus sic habet : *Natalis S. Joannis apostoli, quando ab Epheso jussu Domitiani Romam perductus, et præsenti senatu ante portam Latinam in olei ferventis dolium missus est, sed minime læsus*. Cathedræ etiam S. Petri dies, natalis vocatur ab Augustino in Serm. de ipsa ; et S. Leo dedicationem Ecclesiæ festum vocat Natalem in Serm. de eadem, uti Molanus ad A I Augusti notavit. Quare inde sic vocari cœptum credas, quia a Natali antistite tabulæ festorum ecclesiæ scribi et ordinari cœptæ sunt. Non aliter atque Petrus episcopus Equilinus (ut quibusdam placet) *Petrus de Natalibus* dici consuevit, quia de Natalitiis sanctorum opus vastum descripsit ; cum tamen Petrus de Venetiis proprio nomine vocaretur, ut ipse in prologo suo testatum reliquit. Adde SS. martyrum mortes nullatenus ante Natalis tempora, Natales vocari consuevisse, sed postea ; quod enim aliqui ex Origene afferunt hom. 3 super Job, non est ad rem, quia ibi solum ait : *Nos itaque non Nativitatis diem celebramus, sed mortis, quia non moriuntur hi, qui mori videntur* ; et multo minus D. Cyprianus, sive epistolam ejus 34 sive 37 spectes, quidquid Pamelius conetur.

3. *Sub Natali*, etc. De hoc Toletano concilio loquuntur Historia generalis Hispaniæ, quæ sub nomine Alphonsi X regis Sapientis circumfertur ; et historia urbis Toletanæ, ex quibus Morales, et ex B MS. codice vetustissimo Toletanæ Ecclesiæ : in eo autem concilio Constantini jussu Rom. pontifice (ut par est credere de rebus Ecclesiasticis ab eo imperatore factis) assentiente, de terminis antiquis metropolitanarum ac diœcesanarum Ecclesiarum actum est, et tota Hispania in quinque metropoles distributa : videlicet, 1° Toletum, 2° Tarraconem, 3° Bracaram, 4° Emeritam, 5° Hispalim : eo ordine dignitatis quo modo nominatæ sunt. *Toleto* 19 sedes episcopales consignantur : 1° Carthago Nova, 2° Oretum, 3° Castulo, 4° Mentessa, 5° Acci, 6° Basta, 7° Urgi [*Al.* Urci], 8° Ilici, 9° Valentia, 10° Setabis, 11° Valeria, 12° Dianium, 13° Segobriga, 14° Ercabica, 15° Seguntia, 16° Uxama, 17° Segobia, 18° Pallentia, 19° Eliocrota. *Tarraconi* decem, videlicet, 1° Ilerda, 2° Osca, 3° Cæsaraugusta, 4° Dertosa, 5° Orgalis, 6° Calagurris, 7° Empuriæ, 8° Barchino, 9° Ausona, 10° Gerunda. *Bracaræ* item decem, scilicet, 1° Asturica, 2° Tude, 3° Lucus, 4° Conimbrica, 5° Iriaflavia, 6° Britonia, 7° Visæum, 8° Lamecum, 9° Igædita, 10° Auria. *Emeritæ* octo, 1° Pax Julii, 2° Olysippo, 3° Evora, 4° Ossonoba, 5 Caliabria, 6° Abula, 7° Salmantica, 8° Cauria. *Hispali* autem novem, id est : 1° Italica, 2° Ilippa, 3° Corduba, 4° Astigi, 5° Malaca, 6° Iliberri, 7° Egabrum, 8° Assidona, 9° Tucci. Consule prædictum Moralem lib. x, cap. 3.

A. C. 330. — *Arnobius*, etc. De eo Hieronymus lib. de Script. Ecclesiasticis, asserit Siccæ apud Africam florentissime rhetoricam docuisse, scripsisseque adversus gentes, quæ vulgo exstant volumina. Sed cum dicat sub Diocletiano floruisse, necessum est, ut vel hoc anno solum agatur de ejus fama post mortem, aut ipsum ad magnam senectutem pervenisse. De eodem iterum Hieronymus in Chron. hoc ipso anno.

A. C. 335. — *Mortuo*, etc. Hoc anno cœlum pro terra S. Silvester commutavit ultima Decembris, cum sedisset, juxta Baronii computationem annos D 21, mens. 10, diem 1. In ejus locum sanctus Marcus electus est, anno 336, cujus etiam post ejus mortem S. Julius sedem apostolicam ascendit, ut Onuphrio, et Moralio, ac aliis placet, tametsi aliis placeat S. Marcum plures annos Romæ sedisse ; sed auctoris sententia communior.

A. C. 337. — 1. *Hic annus*, etc. Id multis probat

A. C. 337. imperator Constantinus, Pius, Felix, et Augustus, verusque religionis vindex, mortuus est Constantinopoli, tribus ejus filiis successoribus. A.R. 1088.

Salmanticæ in Vectonibus S. Juvencus presbyter moritur, qui juxta nonnullos interfuit concilio Iliberritano.

341. Ablavius præfectus prætorio, et multi alii sunt occisi. 1092.

344. Multæ Orientis civitates horribili terræmotu conciderunt. 1093.

347. Titianus vir eloquens, præfecturam prætorii tenens, ad Gallias abiit. 1098.

350. Magna fuit hoc anno facta quidem solis defectio. 1101.

352. Natali pontifici Toletano succedit Olympius, vir pius, et doctissimus, ad quem aliquotiens scripsit Gregorius Nazianzenus. Hic fuerat prius in Thracia episcopus : 1103.

BIVARII COMMENTARIUS.

Baronius hoc ipso anno ex Hieronymo, Socrate, Rufino, Sozomeno, et aliis; quem de rebus magnis a Constantino pro Dei Ecclesia factis, consulas, rogo. Ob ejus eximias virtutes a Græcis inter sanctos relatus, festivis colitur gaudiis 11 kalend. Junii, sive 12 kalend., ut habet Molanus : *Die* (inquiens) *vigesima prima Maii, sanctorum magnorum regum et Apostolis æqualium, Constantini et Helenæ.* Refertur et ab Equilino in suo Catalogo sanctorum lib. v, cap. 26, sub titulo, *de sancto Constantino imperatore.* Exstat prope Emeritam in Hispania vetus lapis cum ejusmodi inscriptione, quam Morales affert lib. x, cap. 36 : *Imp. Cæsar Flavius, Constantinus Aug., pacis et justitiæ cultor, pub. quietis fundator, religionis et fidei auctor. Remiss. ubique tributis finitim. provin. iter restitui fecit.*

Hæredes reliquit imperii tres filios suos, e quibus Constantino Hispaniæ, Galliæ et Germania obtigerunt; Constantio totus Oriens; Constanti vero Italia, Africa, et Illyricum.

2. *Salmanticæ*, etc. Durabit æternum cum præclarissimis ejus operibus, tanti viri fama; olimque pro meritis laudatus fuit a D. Hieronymo tum in Chronico ad annum 332, tum lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, ejus sunt illa verba : *Juvencus nobilissimi generis Hispanus presbyter, quatuor Evangelia hexametris versibus, pene ad verbum transferens, quatuor libros composuit, et nonnulla eodem metro ad sacramentorum ordinem pertinentia.* Prologus operis Evangeliorum incipit : *Immortale nihil mundi compage tenetur :* in conclusione vero innuit se scripsisse vivente adhuc Constantino imperatore. De eodem agit Equilinus lib. XI, cap. 121. Iterum a nobis sermo incidet de ejus fama ad annum Domini 407.

A. C. 341. — *Ablavius*, etc. Id ex B. Hieronymi Chronico mutuatum. *Ludus ac pila fortunæ nova semper molientis* nuncupatur ab Eunapio, quod infimo natus loco supra imperatoris potestatem ascenderit; sed ab Constantio occisus est. De eodem item Ammianus lib. XXII, et Zosimus lib. II, et prædictus Eunapius in Vitis philosopborum.

A. C. 344. — *Multæ*, etc. Et hoc etiam apud Hieronymum in Chronico leges.

A. C. 347. — *Titianus*, etc. Eadem habet Hieronymus in Chronico. Alius ab eo fuit Tatianus Christianus rhetor, qui libros *adversus Gentes*, a quibus ad fidem fuerat conversus, scripsit; de quo Eusebius libro IV hist., cap. 16, et Hieronymus ipse lib. de Script. Eccles. cap. 39. Ille enim sub M. Aurelio, hic sub filiis Constantini claruit : hic Titianus, ille Tatianus vocabatur.

A. C. 350. — *Magna*, etc. Legimus de eadem defectione hoc anno facta apud sanctum Hieronymum in Chronico.

A. C. 352. — 1. *Natali*, etc. Deus bone, quam debilis apud Toletanos sancti, ac vere magni sui pontificis Olympii memoria hactenus fuit? de quo tamen non minus deberent gloriari, quam de Irenæo Lugdunenses, de Cypriano Carthaginenses, de Ambrosio Mediolanenses, ac, ut uno verbo dixerim, de cunctis Ecclesiæ doctoribus urbes suæ, ac nationes. Nam si doctrinam desideres, eruditissimus fuit; si dignitatem, pontifex; si mores, sanctus; si denique antiquitatem, vetustissimus. Sola rerum Hispanicarum inconstans perpetuaque vicissitudo tantum sidus obnubilare quivit; sed gratias Deo, Dexter e latebris, quibus tot sæculis delituerat, prodiit; qui lucis radiis, omniumque oculis sanctum iterum revocaret Olympium, et Hispaniis doctorem suum, et Toletanis antistitem redderet.

Sed (quod magis miror) numquam satis Olympii lux a monumentis Hispanicis aberat, quin si qualis qualis diligentia adhiberetur, quidquid a Dextro nunc promitur de S. Olympio, in vulgus potuisset mitti. Comprobabo sigillatim cuncta ab eo notata. Inter Gregorii Nazianzeni epistolas quinque datæ reperiuntur ad Olympium : videlicet 40 cujus initium : *Iterum occasio*, etc. Et 41 : *Nobis princeps es, etiam post principatum :* ubi ait : *Non est nobiscum amplius magnus Olympius, nec rerum nostrarum gubernacula possidet : iterum posterior Cappadocia facti sumus, quam tu primam effeceras.* Et epist. 76, quæ incipit : *Hoc mihi ipsa ferme infirmitate gravius est.* Et 77, sub initio : *Et ipsa quoque cana senectus*, etc., et tandem 78 : *Iterum scribo cum ipse adesse deberem*, etc. Quibus innuitur Olympium ante episcopatum præsidem ac principem Cappadociæ fuisse. Sed utrum is ipse Olympius episcopus fuerit, ex solis epistolis haberi non potest : nisi aliunde quærantur adminicula.

Fuisse vero Olympium in Thracia episcopum civitatis Ænos, indeque cum Theodulo Trajanopolitano in Thracia pariter episcopo exsilio mulctatum, immo et ad necem quæsitum, quod Athanasio et rectæ fidei faveret; Ursatium vero ac Valentem, et Arianos persequeretur, narrat concilium Hierosolymitanum apud Sozomenum in historia Tripartita lib. IV, cap. 38, in epistola pro Athanasio, ubi de ejus adversariis loquens : *In tantum*, inquit, *invaluerunt, quæ de Athanasio dicebantur, ut eum ubicumque reperiretur, juberet* Constantius imperator *occidi; cum quo et Theodulum, et Olympium Præsules Ecclesiarum Thracensium.* Athanasius quoque in epistola ad solitariam vitam agentes. *Diodorum*, ait, *episcopum suis sedibus expulerunt; Olympium item ex Aenis, ac Theodulum ex Trajanopoli, ambos episcopos Thraciæ, bonos et orthodoxos viros, infensos hæresi, calumniis impetiverunt; semel quidem cum ad Eusebianorum calumnias Constantius imperator edictum misit : iterum autem cum illius rei memoria ab Eusebianis refricata est* (Eusebianos vocat Arianos, quod eorum signifer fuisset Eusebius). *Habebat autem edictum, ut non solum civitatibus, et Ecclesiis ejicerentur, sed et capitali pœna, ubicumque inventi essent, plecterentur.* Idem replicat in Apologia *de fuga sua.* Inde factum ut Olympius Hosio specialibus amicitiis jungeretur, in concilio præsertim Sardicensi, ubi ejus monitis legem, quam cap. 14 tulerat, de residentia perpetua prælatorum in suis Ecclesiis, a quibus tribus hebdomadis ad summum abesse possent; ita temperavit, ut ea non comprehenderentur qui vim perpessi de sedibus ejiciebantur. Unde

A.C. 352. relegatus in exsilium venit in Hispanias, et fuit electus a Toletanis loco Natalis, A.R. 1103. qui editis libris mire contra hæreticos sui temporis pugnat.

S. Orosius Orosii Tarraconensis patruus, Romæ floret.

Barcinone S. Severus religionis causa, ab hæreticis Arianis, cum eam sedem sancte pieque regeret, patitur.

Sancti Vincentius et Lætus, nati patre Turibio Toletano cive, et matre Severa

BIVARII COMMENTARIUS.

cap. 21, dicitur : *Hosius episcopus dixit, suggerente fratre, et coepiscopo nostro Olympio, etiam hoc placuit, ut si aliquis vim perpessus est, et effugiens pericula ad aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire possit, aut injuria ejus remedium acceperit.* Subscripsit etiam Olympius concilio Gangresi sub S. Silvestro celebrato anno Domini 324.

Soluto conventu Sardis congregato, Hosium comitatus Olympius, Hispanias adiit, quo tempore Athanasium illuc ab eodem adductum mox probabimus; et ipse Constantio scribens promiserat, inter cætera quidem inquiens : *Promisique* (Arianis) *me Athanasium, si in noxa reperiretur, omnibus modis ejecturum esse; quod si innocens deprehendatur, et vos ostenderit calumniatores, et æque illum recusaveritis, ego illi persuadebo, ut mecum in Hispanias veniat.* Similiter cum Olympio Athanasii in sententia compare, factum ab Hosio non ambigo. Utut ejus adventus in Hispanias acciderit, certum est, ipsum inibi denuo electum episcopum, editis libris hæreticos impugnasse; nam hoc ex S. Augustino accipimus lib. I contra Julianum Pelagianum cap. 3 et 7, ubi ait : *Olympius Hispanus episcopus, vir magnæ in Ecclesia et in Christo gloriæ, in quodam sermone ecclesiastico, si fides, inquit, umquam in terris incorrupta mansisset, ac vestigia defixa tenuisset, quæ signata deseruit, numquam protoplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in germine ut peccatum cum homine nasceretur.* Et paulo post : *Sanctus Olympius dicit; vitium de protoplasto in germine sparsum, ut peccatum cum homine nasceretur*, etc. O vere præ auro et divitiis omnibus æstimanda sententia ! o verba numquam satis magnificanda ! *Olympius episcopus Hispanus, vir magnæ in Ecclesia et in Christo gloriæ.* Quod vero hic Olympius, cujus testimonium refert Augustinus, ille sit, qui Thraciæ episcopus fuerat, dubitari non potest; cum de eo quem Hispanum vocat episcopum, dicat fuisse virum magnæ in Ecclesia, et in Christo gloriæ; quibus verbis denotat fuisse Olympium illum, qui his diebus erat vir magnus, et gloriosus in Ecclesia, utpote qui in omnibus generalibus synodis sui temporis subscripserit, et inibi excellentis doctrinæ gloria radiaverit; atque pro Christo exsilium et ærumnas multas et magnas perpessus, etiam ad mortem non minus quam Athanasius quæsitus fuerit. Sed o magnæ gloriæ virum ! Vis uno dicam verbo, quanti ab Augustino fuerit habitus ? Inter præcipuos maximosque Ecclesiæ Catholicæ Patres ac Doctores, ipsum enumerat lib. II contra Julianum Pelagianum cap. 10, inquiens: *Propter quam catholicam veritatem sancti ac beati, et in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, Irenæus, Cyprianus, Rethitius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Basilius; quibus addo presbyterum, velis, nolis, Hieronymum.* Iterum refert eosdem ipsomet ordine nomine servato, lib. III sequenti, cap. 17, vocatque eos *sanctos antistites Dei, memorabilesque doctores.* Consule Baronium tomo V, ad ann. 405, sub num. 58, et Gennadium, lib. de Script. Eccles., cap. 23, qui eum dicit fuisse natione Hispanum: *Olympius*, ait, *natione Hispanus, episcopus, scripsit librum fidei adversum eos qui naturam et non arbitrium in culpam vocant; ostendens non creatione, sed inobedientia insertum naturæ malum.* Crediderim ex Hispania Constantinopolim tempore Constantini negotiorum prætextu accessisse, atque inibi in Thracia (nam Constantinopolis in Thracia est) factum episcopum; sed inde in odium fidei ejectum, Hispaniam patriam suam, simul cum Hosio iterum petiisse. Quod Toleti episcopus factus fuerit post Natalem, manifestant tum Toletanorum præsulum indices, apud Loaysam, seu etiam bibliothecam sanctæ Toletanæ Ecclesiæ existentes, in quibus Olympius conspicitur successor Natalis; tum etiam diptychæ Breviarii Mozaravis S. Isidori, ubi in canone missæ inter cæteros Olympii nomen quotidie recensetur. De sanctitate vero ambigi nequit, cum Augustinus dicat : *Sanctus Olympius dixit*, et eum inter cæteros sanctos Ecclesiæ Patres debito loco inserat; et quod notatu dignum est, ejus nomen in Romano Martyrologio recensèatur die 12 Junii, his verbis : *In Thracia S. Olympii episcopi, qui ab Arianis sede pulsus, confessor occubuit.* Quo videant Toletani, seu Hispani omnes quanti deinceps habere debeant doctorem suum. Sed de eo iterum inferius anno 356.

2. *Sanctus Orosius*, etc. Scribitur de eo in actis sancti Eusebii presbyteri et martyris, apud Mombritium, tom. I; illius enim corpus S. Orosius sepelivit, una cum S. Gregorio eorumdem compresbytero; idque legimus in Romano Martyrologio die 14 Augusti. Quo loci card. Baronius de Ecclesia S. Eusebii inquit : *Asservantur illic veneranda corpora sanctorum Eusebii, Orosii, atque Paulini, multæque aliorum martyrum reliquiæ.* Vide etiam Equilinum in Catalog. lib. VII, cap. 62. Fuit vero S. Orosius patruus Pauli Orosii, ad quem Dexter præsens opus dedicavit. Obiit vero S. Orosius anno 366, ut suo loco dicemus, cum ante presbyteratum ex legitima uxore suscepisset alium Paulum Orosium, qui Carthagine decessit. Sed hæc inferius.

3. *Barcinone*, etc. Diversus hic Severus est ab illo, qui ejusdem urbis pontifex existens, martyrium passus fuit anno Domini 285, ut inibi Dexter notavit. De utrisque agit Heleca Cæsaraugustanus episcopus in additionibus ad M. Maximum his verbis : *Hoc tempore* (scilicet 310, quo ipse florebat) *duo Severi Barcinonenses episcopi martyres, cum gloria miraculorum et signis dicuntur clarere; senior sub Diocletiano claruit, alter sub Constantio.* De priori agunt Vasæus, in Chron. ann. 306; Morales, lib. X, cap. 4; Marieta, lib. I, part. I, cap. 23; Trugillus et Villegas, qui asserunt quatuor cum eo sacerdotes martyrio coronatos fuisse. Cæterum de posteriori agit Molanus VI Nov. inquiens : *Barcinone natalis S. Severi episcopi et martyris, qui a Gothis clavo in capite est confossus.* In Additionibus vero, teste Baronio in notis : *Fuit hic unus septuaginta episcoporum, qui leges Gothicas in Hispania condiderunt. Hic a barbaris Gothicis, qui Cathaloniam incolebant, clavo capite confosso martyrio coronatur anno Christi* 683. Jure tamen de horum fide Baronius dubitat, ignoraturque unde Molanus id desumpserit; cum præsertim Severi Barcinonensis nomen minime in conciliis Hispaniæ reperiatur, quæ frequenter priscis illis temporibus celebrabantur. Obstat etiam Dexter, qui hoc anno 352 occisum illum scribit, non vero post 300, et amplius annos. Passus vero est, non a Gothis, qui nondum ad Hispanias accesserant, sed ab Arianis. Quare in ultima Molani editione anni 1583, Antuerpiæ apud Philippum Nutium verba illa sublata sunt.

4. *Sancti Vincentius*, etc. Quæ ad Aquensem seu Eborensem urbem spectant satis diximus in S. Pi-

A.C. 352. Aquensi, vel Eborensi, prope Toletum in Carpetanis, gemelli, memoria mirabilium operum florent. A.R. 1103.

353. Julio defuncto succedit in sede Petri sanctus Liberius. 1104.

Gratianus episcopus Carthaginensis Hispaniæ, natus Bagæ prope Carthaginem (quæ dicta Thiar est quondam) consecrat Lybissossæ templum sanctorum Vincentii et Læti martyrum ibidem passorum.

Mantuæ Carpetanorum est in pretio Anastasius presbyter, Placidus, Genesius, et socii, qui postea sub Juliano passi sunt pro Christi fide illustre simul ibidem martyrium.

356. Hosius scribit ad Constantium Augustum litteras liberas. 1107.

BIVARII COMMENTARIUS.

gmenio ad ann. 130, et in SS. Vincentio, Sabina et Christeta ad 300. Porro SS. Vincentii et Læti martyrum festa dies Toleti juxta S. Isidori ritum seu Breviarium quotannis celebratur prima Septembris; eorumque nomina exstant in Rom. Martyrologio ipsa die sub illis verbis : *In Hispania sanctorum martyrum Vincentii et Læti.* Ubi Baronius legi potest. Major autem ipsorum notitia ex litteris Silonis regis Ovetensis ad Cyxillam Toletanum antistitem habenda est, quas in superioribus dedimus agentes de S. Tyrso; inibi enim asserit, prædictum Cyxillam hymnum in eorumdem martyrum honorem composuisse. *Audivi*, ait Silo, *quod composuistis hymnum alium de SS. Vincentio et Læto Toletanorum, qui passi sunt, ut retulerunt mihi tuos legatos* (talem tempus Latini idiomatis ferebat barbariem) *sub Cæcilio Apollinare præside Hispaniarum in urbe Lybisoca; mittat tua Paternitas illum ad me, ut nostri clerici habeant quid cantent.* De eisdem agit Marieta lib. II, cap. 102, et Basilius Sanctorus, Septembr. : erat vero Lybisoca quæ nunc *Lezuca* dicitur prope *Alcaraz.* Consule quæ de ea urbe notavimus ad annum 64.

A. C. 353. — 1. *Julio*, etc. Sunt qui Liberii electionem in annum Domini 351 rejiciant, Baronius in 352, sed Dexter in 353, cui subscribunt Onuphrius et Morales. Quod ad ejus sanctitatem spectat, rejiciendus est Equilinus lib. VII, cap. 62, et lib. XI, cap. 2, dum hæresis nota ipsum inurit; cum tamen ejus innocentia et sanctitas a magno Athanasio testata exstet in epist. *ad solitariam vitam agentes;* nec ipse Equilinus sibi constat, nam postmodum lib. XI, cap. 130, num. 258, eum inter sanctos recenset, quos ex selectissimis martyrologiis Hieronymi, Bedæ, Usuardi et Adonis excerpsisse testatur. Agitur etiam de eo a Molano in additionibus ad Usuardum, 23 Septembris, illis verbis : *Romæ sancti Liberii Papæ et confessoris;* quo mirari desinas in Dextro titulum *sancti*, quo eum honorat.

2. *Gratianus*, etc. Bagam eam urbem intelligo quæ nunc Baza dicitur, fere in territorio Carthaginensi.

3. *Mantuæ*, etc. Eorumdem martyrum supra meminerat auctor ad annum 300, occasione SS. Verissimi ac sororum Ulysbonensium; quod nimirum et hi similiter Ulysbonæ nati et educati essent; nunc vero de his agit; non quod hoc anno perempti fuerint, qui postmodum sub Juliano occisi sunt anno 362, sed quod Mantuam Carpetanorum petiissent, ibique mirabilium operum ac virtutum exemplo florerent tres illi singulares Christi pugiles, Anastasius presbyter, Placidus, et Genesius, quibus et alii in corona adjuncti sunt. Deperiere magno nostræ urbis regiæ dispendio acta tantorum martyrum, non tamen omnino illorum memoria; nam in Rom. Martyrologio die 11 Octobris sic legimus : *Item passio sanctorum Anastasii presbyteri, Placidi, Genesii et sociorum.* Ubi Baronius fatetur eadem in manuscriptis veteribus reperisse.

A. C. 356. — 1. *Hosius*, etc. Rem gestam et litteras ipsas ad verbum recenset S. Anastasius in epistola ad solitariam vitam agentes, quæ quoniam lectu dignissimæ sunt, placuit ad verbum referre. Ibi igitur post relatas a Constantio et cæteris Arianis Liberio Papæ illatas ærumnas, subinfert : *Tantis ac talibus sceleribus factis, nihil omnino se adhuc fecisse arbitrabantur, quamdiu magnus illé Hosius eorum malitiam expertus non esset. Nam in eum talem tantumque virum suam rabiem protendere studuerunt : neque quod pater esset episcoporum reveriti sunt; neque quod confessor erat, pudore moti sunt; neque quod sexagesimum annum, et eo amplius a confessione agebat, respexerunt;* utpote (quod hinc colligitur) anno Domini 294, vel prope a gentilibus tentus, et pro confessione Christi plagis et tormentis afflictus : *sed omnia simul vilipendentes, ad solam suam hæresim oculos intentos habuere; homines revera, neque Deum timentes, neque homines reverentes. Adorti igitur Constantium talibus verbis alloquuntur : Omnia quidem a nobis facta sunt : profligavimus in exsilium Romanorum Pontificem, et jam ante eum extorres fecimus quamplurimos episcopos, omnia loca terroribus implevimus; sed tamen pro nihilo sunt tanta tua opera, neque quidquam profecimus, quamdiu reliquus est Hosius. Quamdiu enim ille in suis agit, omnes in suis Ecclesiis agere videntur : potest ille et verbis, et auctoritate fidei suæ omnes contra nos inducere. Hic princeps est synodorum, et si quid scribit, ubique auditur; hic formulam fidei in Nicæna synodo concepit, et Arianos ubique pro hæreticis traduxit. Quod si ille in suo statu maneat, supervacaneum est cæterorum exsilium, hæresis enim nostra cedere cogitur. Incipe igitur et hunc persequi, neque illi ob annos parcendum putes : siquidem hæresis nostra non curat seniorum canitiem. Auditis ergo istorum verbis, non cunctandum sibi ratus Constantius, ut qui virum nosset, et quantæ auctoritatis senex ille esset, scribit et edicit ut ad se veniat, quemadmodum et Liberium initio tentavit. Venientem igitur rogabat hominem, et solitis suis verbis, quibus alios circumvenire pro more habebat, excipit, cohortaturque ut in nos subscriberet, et cum Arianis communionem haberet. Senex vero ejus rei vel auditum ægre ferens, mœstusque quod vel tinnitum eorum verborum sentiret, imperatorum magnis rationibus conterritum de sententia deduxit, atque ita in patriam suam, ac Ecclesiam rediit.* Cordubam intellige, ab ea enim accitus, ad eam iterum convicto Constante reversus est. Sed quanto, putas, tempore optata frui quiete permissus?

Verum cum Ariani denuo lamentarentur, imperatoremque irritarent, et eunuchi sermonibus subservientes eum majorem adhuc in modum exacerbarent, scribit denuo cum minis ad Hosium. Ille autem contumeliis quidem afficiebatur, sed tamen ob terrores illos de sententia sua non decessit, et decretum animi constanter retinuit, quippe qui supra firmam petram fidei domicilium suum ædificaverat, et liberrime contra hæresim, imbres et ventos, epistolarum minas arbitrans, locutus est. Subinde igitur Constantio scribente, et nunc quidem blandiente, patremque eum appellante, nunc interminante, et relegatos enumerante, et his verbis eum conveniente: Solusne etiamnum hostis hæreseos manebis? Obsequere et scribe contra Athanasium; qui enim

contra eum scribit, ille plane nobiscum Arianas sententias amplectitur: nihil ad ista expavit Hosius; quin inter contumelias quas patiebatur, istiusmodi epistolam scripsit, quam ipsi legimus, et sub finem adjecimus. At quam liberam!

HOSIUS CONSTANTIO IMPERATORI S. P. D.

Ego confessionis munus explevi, primum cum persecutio moveretur ab avo tuo Maximiano; quod si tu quoque persecutionem moves, etiam nunc ad quidvis potius sustinendum paratus sum, quam ut effundam innocentem sanguinem, et veritatem prodam, teque numquam probo talia scribentem, et istiusmodi minas denuntiantem. Desinas igitur istiusmodi scribere, neque sentias cum Ario, neque audias Orientales, neque Ursacio et Valenti fidem habeas; quæ enim illi dicunt, non ob Athanasium, sed ob suam hæresim dicunt. Mihi crede, qui tibi avus ætate esse possem. Fui ipse in Sardicensi concilio, cum tu, tuusque frater beatus Constans, nos omnes eo convocabat; ipseque ultro Athanasii inimicos provocavi, cum ad Ecclesiam ubi ego morabar advenissent, ut si quid contra eum haberent, ederent; promisique eis securitatem, neve quidquam aliud expectarent, quam rectum in omnibus judicium, idque non semel, sed bis feci; quod si nollent rem ab universa synodo disceptari, saltem me judice uterentur; promisique nos Athanasium si in noxa reperiretur, omnibus modis ejecturos esse: quod si innocens deprehendatur, et vos ostenderit calumniatores, et æque illum recusaveritis, ego illi persuadebo, ut mecum in Hispanias veniat. Athanasius autem his conditionibus obtemperavit, nihil contra obloculus, illi vero ad omnia æque dissidentes recesserunt. Athanasius deinde tuis litteris accersitus venit in castra tua, omnesque inimicos suos, qui Antiochiæ præsto erant, singulatim citari jussit, ut aut redarguerent, aut redarguerentur, et aut se præsentem commanstrent ea fecisse, quæ objecerant, aut ne absentem calumniarentur; sed ne te quidem hæc ipsis denuntiantem, sustinuerant, minime istiusmodi conditiones admittentes. Cur igitur nunc audis obtrectatores ejus? aut cur toleras Valentis et Ursacii criminationes, pœnitentia et scripto professos se calumniam fecisse? Confessi enim sunt suam sycophantiam, non vi adacti, ut ipsi causantur, cum nulli ibi milites incumberent, et tuus frater nesciret. Nihil enim tale sub ipso agebatur, qualia nunc fiunt; sed illi ultro Romam venerunt, et coram episcopo, presbyterisque ibi præsentibus confessionem suam scripto ediderunt, cum prius pacatas litteras et amicas ad Athanasium dedissent. Quod si iis libet vim causificari, idque pro malo habent, nec a te probatur, omitte igitur et tu violentiam tuam, nec litteras scribe, nec comites mitte, sed relegatos exsiliis libera, ne te de vi quærente, majorem illi vim sub tuo nomine exerceant. Quid enim tale a Constante actum est? aut quis ibi episcopus relegatus? aut quando judiciis ecclesiasticis interfuit? aut quis ipsius Palatinus vim adhibuit, ut contra aliquem scriptio fieret? ut idem Valens cum suis aliquid colligat, habeatque quod objiciat. Desine, quæso, et memineris te mortalem esse; reformida diem judicii, serva te in illam diem purum; ne te misceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea a nobis disce: Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit; et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita et tu cave ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiama, tum et sacrorum potestatem habes, imperator. Hæc quidem ob curam tuæ salutis scribo, et de iis quæ in epistolis scribis hanc meam sententiam accipe: Ego neque Arianis assideo, neque suffragor, sed eorum hæresim anathemate damno; neque Athanasii accusationibus subscribo, quem nos, et Rom. Ecclesia, et universa synodus innocentem pronuntiavit. Nam et tu quoque cum rem cognitam, perspectamque haberes, Athanasium accersivisti, feceris ei copiam, ut cum honore in patriam et Ecclesiam reverteretur. Quæ igitur causa est hujus tantæ mutationis, cum iidem inimici ejus sint qui antea fuerunt? et quæ nunc susurrant, nihil eorum, cum ille præsens esset, hiscere audebant, sed ea antequam accerseres Athanasium obmurmurabant: quo tempore a me conventi, quemadmodum superius dixi, ut ederent criminum documenta, nihil in medium adducere potuerunt: nam si quidquam potuissent, non ita turpiter aufugissent. Quis te igitur induxit, ut post tantum temporis tuarum litterarum, et sermonum obliviscereris? Inhibe te, quæso, neque aures præbeas malis hominibus, neque ob mutuas invicem cum illis gratificationes, temetipsum reum facias. Quæ enim iis indulseris, de illis in judicio solus cogeris causam reddere. Isti suum inimicum per te satagunt injuria afficere, teque volunt ministrum suæ malitiæ esse, ut per te detestabilem hæresim in Ecclesia seminent. Non est prudentis in gratiam alienæ libidinis se ipsum in certum periculum conjicere. Desine, quæso, et ausculta mihi, Constanti; hoc enim decet et me scribere, et te non vilipendere. Hactenus Hosii epistola.

O vere aureas litteras, et spiritu libertatis Dei plenas! nam vere sapiens: *Ubi spiritus Dei, ibi libertas.* Jure proinde ejusmodi coronidem eis adjecit: *Hæc Abrahamicus ille senex, vere, Hosius, hoc est sanctus, et sensit et scripsit.* Et vere Abrahamicus senex, quandoquidem ipso Athanasio, immo et inimicis ejus testibus, *pater erat episcoporum, synodorum princeps*, et quod inde fit consequens, *Pater fidei*, nam et Symbolum fidei in Nicæna synodo ipse composuit, et ejus fidem omnes catholici hæreditavimus. Nihil hoc titulo gloriosius. Sed pergit Athanasius novas calumnias, quibus iterum ab Africanis impetitus est, recensere, inquiens:

Ille autem neque insidias de manibus deposuit, neque criminandi occasiones quærere desiit; sed gravius semper minabatur, ut eum vi oppressum in suas partes transferret, aut inobsequentem exterminaret. Sed ut occasionem duces, et satrapæ Babylonis sedulo quærentes contra Danielem non inveniebant, nisi ex causa legis Dei; ita quoque nunc satrapæ impietatis ne fingere quidem quidquam contra senem potuerunt. Omnibus enim ille notus erat, ac verus pro suo nomine Hosius, hoc est sanctus habebatur, vitaque ejus irreprehensibilis, nisi ex odio ejus contra hæresim crimen mutuarentur. Calumniantur igitur eum, sed non ut illi Danielem apud Darium, illibenter talia audientem, sed ut Jezabel contra Naboth, et ut Judæi apud Herodem his verbis agentes. Non solum non subscribit contra Athanasium, sed et nos ob Athanasium condemnat, et hæresim tali odio prosequitur, ut aliis scribat, melius esse mortem perferre, quam proditores fieri veritatis: ob hæresim deinde ait dilectum fratrem Athanasium persecutionem sustinere, et Liberium Romanorum episcopum, cæterosque alios insidiis tentari. Hæc cum audisset impietatis propugnator Constantius Cæsar, et quod alii essent per Hispanias ejusdem cum Hosio sententiæ, quos cum sollicitasset ad suscriptionem, et impellere nequivisset; accersit Hosium, et pro exsilio detinet illum integrum annum Sirmii, nihil veritus impius nec Deum, nec patris sui (Constantini Magni) *quem erga Hosium habebat affectum; neque senectutem hominis jam centenarii inhumanus ille respexit, omnia namque ob amorem hæresis neglectui habebat novus ille Achab, et nostris temporibus secundus Balthassar. Tantam enim vim intulit seni, et ita eum arte tenuit, ut afflictus, attritusque malis, tandem ægreque cum Ursatio et Valente communicaret, sed tamen ut contra Athanasium non subscriberet. Verum ne ita quidem eam rem pro levi habuit; moriturus enim quasi in testamento suo eorum vim protestatus est, et Arianam hæresim condemnavit,*

A.C. 356. Olympio viro celeberrimo et sanctissimo, qui, fidei causa, multos et incredibiles labores passus est (nam tertio pro defensione fidei catholicæ, foris, et in Hispania etiam Toleti exsulaverat episcopus; librosque edidit, quos inscripsit ad Cœlestinum consulem Bæticæ, qui postea martyr fuit), succedit in ea sede Gregorius, vir sanctus, qui interfuit concilio Ariminensi, et valide contradixit Ursacio et Valenti. Exsulat fidei causa Minoricæ; mittit ad illum gratulatorias litteras commorantem Sihigniæ oppido in Carpetanis, quod Toleto distat via Complutensi XXIV M. P., ad quem frequenter etiam mittit litteras Hilarius episcopus Pitaviensis. A.R.1107.

Celebris habetur memoria sancti Olympii apud Toletanos, qui anno 345 interfuit concilio Cordubensi in causa Athanasii; quo frequentes episcopi confluxerunt ex Hispania, Gallia, Italia, Germaniaque. Inter alios præter Olympum, Costus Cæsaraugustanus, Marcellus Castulonensis, Florentius Emeritensis, Prætextatus Barcinonensis, et alii, numero omnes centum, qui et Athanasium absolverunt.

BIVARII COMMENTARIUS.

vetuitque eam a quoquam probari, aut recipi. Sed de his iterum inferius cum de morte Hosii agemus ad annum 360. *Quis ista animadvertens, non oportune ad Dominum vociferetur: Stupor et horror factus est super terram; obstupuit cœlum super hoc, et terra magis magisque exhorruit. Patres populorum et fidei magistri tolluntur, et impii in Ecclesiam intruduntur. Quis cum videret Liberium pontificem e Roma in exsilium ejici, magnum Hosium tot mala pati, tot episcopos ex Hispania, et aliis regionibus in exsilium deportari, non abunde animadvertit omnes criminationes contra Athanasium, et reliquos alios fulsas esse, et omnia sycophantiis scatere? Quid enim, quæso, crimen Liberius? aut quid in sene Hosio culpari potuit?* Hactenus de Hosio Athanasius.

2 *Olympio*, etc. De Cœlestino consulari Bæticæ provinciæ mentio fit in codice Theodosiano, ex quo Morales in Hist. Hisp. ad annum Domini 356, lib. X. Fuit vero martyrio coronatus anno 362 Romæ sub Juliano Apostata, die 2 Maii, qua festum ejus cum aliis sociis in Romano Martyrologio commendatur.

Porro S. Gregorius Toletanus antistes, de quo hic agitur, et dicitur Amphitriæ (vulgo *Hita*) in Carpetanis diem extremum clausisse 20 Decembris, ponitur ab Equilino in suo catalogo lib. XI, cap. 130, num. 17. Reperitur in diptycha sanctorum Toletanorum antistitum, quæ est in liturgia Missalis S. Isidori, immediate præcedens S. Olympium. Et quidem S. Gregorius unus ex illis censetur, de quibus S. Athanasius scripsit ad solitarios: *Quis enim cum videret Patrem episcoporum magnum Hosium tot mala pati, et episcopos ex Hispania, et aliis regionibus in exsilium deportari, non animadvertit omnes criminationes contra Athanasium falsas esse?* Et etiam: *Hæc cum audisset impietatis propugnator Constantius Cæsar, et quod alii essent per Hispanias ejusdem cum Hosio sententiæ*, etc. Quo loco illud notatione dignissimum est, multos deceptos esse credentes, Gregorium illum S. Luciferi commilitonem, de quo Hieronymus in Chronico ad unum 374 dixit, *Lucifer Caralitanus episcopus moritur, qui cum Gregorio episcopo Hispaniarum, numquam se Aricanæ miscuit pravitati*, fuisse S. Gregorium Bæticum Iliberritanum episcopum; cum tamen fuerit Gregorius Toletanus: idque necessario convincitur ex eo quod Bæticus nondum ad episcopatum ascenderat anno ipso mortis S. Luciferi, ut inferius monstrabimus; neque umquam (quod sciamus) exsilium passus fuit, aut Luciferum comitem habuit. At vero Gregorius Toletanus in exsilium ductus multis ærumnis affectus fuit, et cum S. Lucifero in Ariminensi pseudoconcilio valide Ursatio, et Valenti contradixit; id vero satis innuitur in præfatis Hieronymi verbis, ubi non vocatur a Hieronymo Gregorius Bæticus, vel Iliberritanus, sed *episcopus Hispaniarum*, quod proprie primati dumtaxat Toletano convenit. Agemus iterum de eo inferius ad annum Domini 366. Illud nihilominus annotarim, Sihigniam, de qua hic mentio est, nunc *Hillescas* nuncupari, ut ex veteris Sihigniæ situ cum eo quem Hillescas habet collato, aucupari licet.

3. *Celebris*, etc. De Cordubensi concilio in favorem Athanasii celebrato, meminit Julianus in Chronico anno Domini 350, et proculdubio alterum fuit ex illis quæ S. Athanasius in epistola ad Epictetum coacta sui causa scribit, cum ait: *Diversis conciliis per Galliam, Hispaniam, et Romæ celebratis, omnes qui in eo conventu fuere, illos lucifugas, qui sese etiam nunc occultant, et quæ Arii sunt sapiunt, Auxentium dico Mediolanensem, Ursatium, et Valentem, communi calculo unius spiritus incitati, anathemate percusserunt.* Quod, quæso, illud concilium fuit in Hispania celebratum, quo Ursatius et Valens, et cæteri Ariani anathemate percussi sunt? Ego præter Cordubense aliud non lego; et Cordubæ coactum indicat Hosii sedes et præsentia. Qui enim synodorum patronus erat, haud dubium in sua civitate aliquam cogeret, qua catholicam fidem stabiliret, præsertim urgente necessitate; nam eum qui Valenti et Ursatio cum scandalo publico, metu licet mortis, communicaverat, postquam semel domum redire permissus est, factum excusare, seu etiam accusare coram publico senatu Patrum oportebat: et manifestam facere fidem suam, quod numquam ei quam in Nicæno dictaverat, neque Athanasio contrarius fuerat. Coegerat quidem imperator Constantius pro Arianis pseudoconcilium Ariminense anno Domini 259 (ex Severo lib. II Hist.) ubi subdole contra Athanasium nonnulli episcopi subscribere coacti sunt; et Hosius Ursatio et Valenti communicare, sic tamen ut contra Athanasium non subscriberet: uti Athanasius ipse in epistola *ad solitariam vitam agentes* testatum reliquit, ubi loquens de Constantio imperatore minas Hosio inferenti, ait: *Tantam vim intulit seni, et ita eum arcte tenuit, ut afflictus, attritusque malis, tandem, ægreque cum Ursatio, et Valente communicaret, sed tamen ut contra Athanasium non subscriberet. Verum non ita quidem eam rem pro levi habuit*, etc. De his agens Sozomenus lib. IV, cap. 5, dixit: *Verberibus, ut fama est, ibi senex* (Hosius) *graviter cæsus*, etc. Socrates vero lib. II, cap. 24: *Simul atque senex ille eorum fidei assentiri abnuebat, plagæ illi erant inflictæ, membraque machinis distorta.* Idem habet Theodoretus lib. II, cap. 15. En magni Hosii et nonnullorum Patrum apud Ariminum casus. Cum vero de palinodia ejus certi simus, teste Athanasio, et hæc in nulla alia quam Cordubensi synodo recantata ab ipsis fuerit, cogimur Cordubensem confiteri, et quod de ea Damasus dixerit: *In ipso principio, ab his ipsis, qui in Arimino revocare, aut retractare compellebantur, usque ad hoc causa correcta est, ut confiterentur, circumventione sibi subreptum.*

Erat jam tempore Ariminensis circumventionis

A.C.356. Senticæ in Hispania Baudelius, Julia, et alii martyres, qui in aliis persecutionibus passi in Hispania coluntur. A.R.1107.

360. Gregorius Toletanus episcopus communicavit res suas cum B. Hilario episcopo Pictaviensi; et dum exsulat ille, Audentius, archidiaconus Toletanusque civis, res ecclesiasticas, Gregorio absente, mirabiliter administrat. 1111.

Hosius centenario major longe, sancte, pieque discedit; in suoque testamento profitetur fidem concilii Nicæni, docetque numquam sibi propositum fuisse, vel latum, quod aiunt, unguem ab eo discedere, nec minis, nec pollicitationibus.

Carthagine Spartaria, durante impiissima Juliani persecutione, Donatus martyr Hispanus (ad quem scripsit Lactantius librum de Ira Dei) sub judice Verano.

Tarracone in Hispania citeriori Crispilus martyr, et alii.

BIVARII COMMENTARIUS.

Hosius centenarius, uti Athanasius ad solitarios dixit: *Nec senectutem hominis jam centenarii inhumanus ille respexit.* Porro ex his quos Dexter in Cordubensi concilio adfuisse refert, nonnulli Sardicensis actis subscripserunt; videlicet Costus primum Barcinonensis, deinde Cæsaraugustanus episcopus: Florentius, metropolitanus Emeritensis, Prætextatus Barcinonensis, Idatius Eborensis, et pro Aniano Castulonensi, qui Sardicensi interfuerat, Marcellus ejus successor. Adfuerat quoque Sardicæ Domitianus Asturicensis, de quo hoc loco Dexter silet; forsan in exsilio detentus Cordubam adire nequivit.

4. *Senticæ*, etc. Sic vocatam a veteribus Zamorensem antiquam et nobilem urbem ex Ptolomæo satis convincitur; qui Senticæ situm in Vaccæis super Durium constituit, quasi in initio Lusitaniæ; quo loci, nemine dubitante, Zamora est, et ita docent cum aliis Mariana lib. VI, cap. 10, et Alvarus Gomezius lib. III de rebus gestis Ximenii Toletani præsulis. Fallitur Villanovanus dum Sarabim dictam vult, nam Sarabis a Ptolomæo ponitur prope Pinciam, ubi sita est *Tordesillas*, Sentica autem aliquanto inferius. Congruit sepulcrum sancti Baudelii [*Vulg.* S. Baal] quod Zamoræ visitur in ecclesia Sancti Torquati; in cujus superscriptione vetustis characteribus scriptum est, ipsum inibi in Monte Concilii, prope urbis mœnia, cum sociis suis passum fuisse pro Christo martyrium. Longe proinde alius hic Baudelius ab altero Nemausi in Galliis occiso, cujus festum III kal. Junii celebratur.

A. C. 360. — 1. *Gregorius*, etc. De S. Gregorio Toletano satis diximus anno superiori; floruisse vero his diebus S. Hilarium Pictaviensem testimonio suorum operum de synodis, præsertim Ariminensi, compertum habemus, et ex Hieronymo lib. de Script. Eccles. et alibi. Exsulavit Hilarius pro fide, eo tempore quo Gregorius, sed uterque tandem, mortuo Constantio Augusto, ad sedem suam reversus est. De Audentio Gregorii successore inferius agemus.

2. *Hosius*, etc. Eruditissime sane cardinalis Baronius Hosium ab injuria vindicavit, quæ illi vulgo fit, dum mortuus repente dicitur, ore retorto, ob iniquum in S. Gregorium Iliberritanum judicium latum, cujus merito illico divinam ultionem expertus fuerit. Tribui solet hæc impostura S. Isidoro Hispalensi, in nonnullis enim codicibus lib. de Script. Eccles. habetur; sed quam falso id fiat vetustiores manifestant, qui in bibliotheca regia S. Laurentii reperiuntur sine ea historia, quæ procul dubio ex deliramentis Marcellini Ariani mutuata fuit, ut probe Baronius probat; et erudite admodum D. Ferdinandus de Mendoza in defensione Iliberritani, tribuit Theodisclo ab Hispalensi sede per Gregorium dejecto, id quod alii Marcellino tribuunt. Certe concors sanctorum Patrum sententia in id conspirat ut quasi sanctus ipse colatur, nam post ejus mortem eum vocant vere sanctum, et vere Hosium, id est, re ac nomine Hosium, quod Græcis sanctum significat, ut apud Athanasium, Hilarium, et alios videre est. Quinimmo Primus Cabilonensis inter sanctos ipsum A recenset in sua topographia spirituali verbo *Corduba*. Ibi enim ait: *Corduba Bæticæ civitas; hic Salomon, Perfectus, Secundianus, Petrus, Aventius, Hieremias, Fandilas, Zoilus, Paulus, Leovigildus martyres, et Christophorus. Hic Hosius episcopus, consocius Athanasii Alexandriæ episcopi, Hilarii Pictaviensis, Eusebii Vercellensis, et Meletii, Anthiocheni episcoporum, migrat confessor.* Et quod plurimi faciendum est, S. Hosii festum celebrat Ecclesia Syriæ ad diem 5 Novembris, nomenque ejus in Kalendario suo descriptum habet sub his verbis: *Hosii festum solemne.* Testaturque archiepiscopus Damascenus, pro ejus nationis patriarcha in urbe legatus, multas esse in Oriente Ecclesias hujus sancti nomini dicatas, ipsumque præcipua ibi veneratione haberi. Sed vero ipsum Athanasium audiamus, qui in epistola *ad Solitarios* longe illustriori mortis genere quam Marcellinus refert, obiisse testatur: non quidem e solio judicii lapsum, ac ore contorto, sed clara voce ac tranquilla mente fidem B Nicæni concilii confitentem. *Moriturus* (ait de Hosio) *quasi in testamento suo eorum vim* (scilicet Arimini sibi a ministris Constantii factam) *protestatus est, et Arianam hæresim condemnavit, anathematizavit, vetuitque eam a quoquam probari ac recipi.* Quæ fere a Dextro referuntur: ut videas verum vero consonare. His addamus quod manifestissime commentum prædictum refellit, nimirum hoc anno quo Hosius mortuus fuit et Christi 360, sanctum Gregorium necdum fuisse Iliberritanum episcopum: immo nec usque ad annum Christi 390, post alios videlicet triginta, ut suo loco cum Dextro monstrabimus; et tamen in commento illo episcopus jam asseritur. Insuper constat supervixisse post annum Domini 407, ut inde probetur inferiori valde ætate fuisse Hosio, cujus tamen oppositum in fabella prædicta asseritur.

3. *Carthagine*, etc. Exstat liber de ira Dei, quem Hieronymus pulcherrimum vocat lib. de Script. Eccles. in Lactantio; ejus initium est: *Animadverti* C *sæpe, Donate, plurimos existimare, non irasci Deum*, etc. De Donato vero ipso martyrium passo agit Usuardus 1 Martii: *Eodem*, inquiens, *die S. Donati martyris, qui sub judice Ursatio et Marcellino tribuno, Carthagine passus est.* Ado paulo fusius militaribus sacramentis addictum fuisse scribit, et idcirco a tribuno militum capite plexum: ex quo Equilinus lib. III, cap. 165, et Galesinus eodem die. Eo tamen correctione digni, quod de suo addiderint *in Africa* occisum, quasi nulla alia Carthago fuisset præter Africanam. Nomen judicis diversimode legitur, in Dextri codice *Veranius*, apud Usuardum *Ursatius*; in Equilino vero *Nisatius*, quæ autem lectio castigatior difficile judicabitur.

4. *Tarracone*, etc. Sanctorum Crispili (alias Crispini) et sociorum festa dies in Romano, Bedæ, Usuardi, et Adonis Martyrologiis habetur 5 Decembris; eorum nomina sunt, Crispilus, Julius, Potamia, Felix, Gratus, et cum his alii septem. Quod ad nomen urbis ipsorum sanguine nobilitatæ spectat, summa D depravatio in codicibus reperitur; Molanus in Usuar

A.C.360. Maxima virgo Cauriensis, ex oppido Tanagri, Romæ patitur. A.R.1111.
Caracæ in Carpetanis, Perseveranda virgo Deo devota.
Veroviscæ in Hispania, sancta Maria Ancilla, virgo.
Caparæ in Vettonia, SS. martyres Felix Fortunatusque coluntur.
Toleti floret laude pietatis et ingenii, Vincentius Cordubensis.
364. Jovianus catholicus imperator sufficitur Juliano Apostatæ. 1115.

BIVARII COMMENTARIUS.

do habet Thagora; Equilinus lib. xi, cap. ultim, num. 3, Togara; Baronius in Martyrologio Thagura, qua semel admissa lectione ad Africam itum est, ubi Thagura civitas est Numidiæ, cujus Antoninus in Itinerario meminit : et additum Martyrologio, *Thaguræ in Africa*, cum tamen jam ex Dextro manifestum sit *Tarracone* legendum esse. Facilis autem fuit æquivocatio scriptoris, ex Tarrago (seu Tarraco) Tagora transmutatis dictionibus *go*, et *ra*. Sed hujus generis apud antiquos codices passim errata reperies.

5. *Maxima*, etc. De ea, simul cum sancti Ansani martyris gestis agit Equilinus lib. i, cap. xiv, ubi ait, S. Maximam virginem in territorio Tanagritano ortam, Romam cum venisset, S. Ansanum duodecim annos natum de sacro fonte levasse, aquam baptismi præbente Protasio presbytero : sed postmodum a persecutoribus tentam, primo quidem diebus multis carceri traditam, dein tamdiu fustibus cæsam, donec spiritum exhalaverit kalendis Decembris. Qua die de ea agitur in Romano Martyrologio et aliis. Ansanus postea senex pro Christo occisus fuit. De Tanagro flumine Hispaniæ diximus in superioribus, ad annum 208, num. 8.

6. *Caracæ*, etc. Ea urbs nunc *Guadalaxara* dicitur, ut ad annum 86 a nobis notatur. Porro S. Perseverandæ virginis festum ad 26 Junii agitur apud Usuardum, et Romanum Martyrologium. Ejus meminit Equilinus lib. xi, cap. 130, num. 160.

7. *Veroviscæ*, etc. Hodie *Virbiesca* nomine fere retento dicitur, in diœcesi Burgensi, notissimum cunctis oppidum; ejus meminit Ptolomæus in Autrigonibus, ejus tractus populis. Exstant apud Belvacensem acta S. Mariæ Virginis ibidem passæ lib. xi Speculi, cap. 86 et 87, et Equilinum lib. x, cap. 4; summa gestorum hæc est : B. Maria fuit ancilla Tertulli idololatræ, viri inter suos primarii : eo natalem filii sui celebrante, idolisque munera offerente, Maria jejuniis Christiano more dedita, accusatur apud Tertullum a socia, quod Christianis addicta ritibus nollet de idolothytis edere. Eapropter crudeliter flagellata a Domino suo, carceri mancipatur domi. Sed ea re a præside urbis cognita, Mariam ad tribunal suum adduci præcipit, et palam ungulis ab eo tamen dire laceratur, ut populus lacrymis perfusus vociferaretur ad præsidem. Tunc ab eo relicta, cœlesti angelorum visione perfunditur, et divino monitu extra civitatem aufugit. Sed cum eam satellites persequerentur, intra rupturam saxi cujusdam se recepit, quod statim divinitus conclusum martyrem in suis visceribus fovit, quadam vestium parte ad tanti miraculi certitudinem foras manente. Præses populum ad saxum concidendum convocat, maleficio id attribuens; sed mox ut manus impias in saxum ministri injicere tentarunt, fulgor ab Oriente magnus exortus est, et tonitru ac fragor, ita ut putarentur cuncta corruere; statim terra concussa est; et ecce duo equites magno fulgore radiantes a cœlesti sede veniunt, quorum freni, sellæque et omnis ornatus ad instar lampadum, cœlesti igne rutilabant. Multi ex circumstantibus mortui ceciderunt; alii plures qui ad templum idolorum confugerant, templo ipso fulmine percusso pariter incensi sunt, ad numerum omnes 2700 hominum. Reliqui ad 3000 ascendentes, magnum Deum Mariæ conclamaverunt, et ad rectam fidem perducti sunt. A Christianis vero facile Virginis corpus e marmore extractum (ibi enim spiritum egerat) honorifice sepultum est. Hæc fere Belvacensis, qui tamen nomen civitatis exprimit, inquiens : *Præsidi gesta commemorant; ille vero partim ira, partim admiratione commotus, jussit Philocomo principali Verovensium civitatis, ut ad prædictum locum festinus accedat, et ad eruendum lapidem innumeram multitudinem secum ducat*, etc. Ita codices excusi; corrupte tamen pro *Veroviscensium*, habent Verovensium; et corruptius in margine ponitur Netromensium, sed corruptissime Equilinus legit *in Nicomedia*. Porro quod ad diem passionis ejus spectat, a nonnullis 1 Novembr. assignatur, ut ab Usuardo, Rom. Martyrologio, et Equilino; sed ab aliis, mimirum Galesino et pervetusto Cremonensi Martyrologio, quo ipse usus est, ponitur 17 Martii. In eo tamen valde differunt inter se, quod priores non vocant eam ancillam, sed Mariam dumtaxat, et asserunt equulei extensione, et ungularum laceratione vexatam martyrium complevisse : cum tamen Maria Ancilla intra saxum recepta spiritum emiserit. Crediderim certe duas diversasque Marias eas esse, et nostram ad 17 Martii spectare, immo vero quod a nonnullis dicitur sub Hadriano passa, de altera Maria martyre intelligi oportere; nostra enim sub Juliano ponitur a Dextro.

8. *Caparæ*, etc. Alibi de Capara diximus, nunc *Caparra* vocari, in eo itinere, quo Salmatica Emeritam proficiscimur. Quod ad sanctos martyres, de quibus hic agitur, spectat, duas alias eorumdem nominum bigas in Dextro reperies, alteram Felicis, et Fortunati discipulorum sancti Irenæi Valentiæ passorum anno Domini circiter 255; alteram Felicis etiam et Fortunati Patavonii ad annum 300, quibus nunc tertia additur Caparæ. Nisi quis velit hos ipsos, qui Caparæ coli dicuntur, fuisse Irenæi discipulos, quod nihilominus absque sufficienti ratione diceretur, sed falsitatis redargui non posset.

9. *Toleti*, etc. Hic ille Vincentius est, cujus magna cum laude meminit Marcellinus in libello suo, quem Baronius anno 371 refert his verbis : *Mentio quoque habetur in eodem Marcellini libro de Vincentio presbytero Hispano, qui etiam eo quod communicare cum ejusmodi Arianis recusasset, a Lucioso et Higinio episcopis gravissima passus fuerat, cum iidem cum fustibus in Ecclesiam irruentes, ubi plebs illa commissa convenerat, nonnullos illinc occiderint; ex quibus quidam licet decurionatus honore insigniti, nihilominus in carcerem detrusi fuerint, unusque ex iisdem peremptus : et cum idem Vincentius in agro cum suis Synaxes haberet, in eos irruentes adeo perturbasse, ut altare sublatum, contemptus gratia, sub pedibus posuerint idolorum.* Erat sane Higinius Cordubensis episcopus, tactus Arianorum hæresi, et postmodum Priscilliani, atque ea de causa Vincentium catholicum presbyterum tam dire insectatus fuit; sed tandem ipse tantorum criminum pœnas dedit, ut inferius cum Dextro dicemus ad ann. 384. Interim tamen Vincentius Toleti exsul agebat, pietatis et ingenii laude præclarus. Alius ab isto fuit Vincentius presbyter S. Hieronymi his temporibus socius, de quo ipse fuse agit in epistola 61. Hoc ipso anno 360, in Chronico S. Hieronymi mentio habetur de *Petro Cæsaraugustano*, qui gloriose Oratoriam docebat, ejus verba sunt : *Petrus Cæsaraugustæ Orator insignis docet.*

A. C. 364. — 1. *Jovianus*, etc. Invaserat Julianus imperium anno Domini 362 : anno vero 364, in bello contra Persas, occisus est, ætatis suæ anno 31, regni anno 1 et mens. 9 minus novem diebus. Re-

A.C. 364. Synodus Iliciana circiter eodem tempore coacta. A.R. 1115.

366. Gregorio succedit in sede Toletana prima Audentius, natus Toleti, oriundus Silig- 1117.
nia Hispaniæ oppido in Carpetanis, Toleto XXIV M. pass. distanti : vir eximiæ sanctitatis, et laude acrioris ingenii, ac judicii contra hæreticos omnes florens. Relatus est S. Gregorius Toletanus Amphitriæ Toletum, et in Hispania inter divos est receptus 20 die Decembris.

Sanctus Paulus Orosius senior resedit Romæ ; ejus ex uxore filius Paulus Orosius Carthagine mortuus, Romam delatus est.

Liberio succedit Damasus, ex Mantua Carpetanorum.

368. Frequentes in Hispania passim synodi dicuntur collectæ; maxime vero coguntur 1119.
Toleti, et Variæ prope Tritium.

Audentius episcopus Toletanus, ad quem scribit S. Basilius, editis libris, pugnat contra Arianos, et Photinianos.

Corchæiæ in Hispania floret Marcius poeta lyricus.

Contra Julianum Apostatam scribunt plusquam sexaginta Doctores sapientissimi, eloquentissimi, nimis catholici.

BIVARII COMMENTARIUS.

fert S. Joannes Damascenus Orat. 1, de Imaginibus, occisum manu S. Mercurii martyris, animam vero exhalasse illis verbis : Vicisti, Nazarene; auctor est Theodoretus lib. III Hist., cap. 35, ex quo Nicephorus lib. X. c. 35. De ejus crudeli in Christianos atrocitate fuse Nectarius Constantinopolitanus episcopus in Orat. Jejunio Quadrag. tom. V Lipomani. Successit Jovianus piissimus ac christianissimus princeps, qui tamen solos regnavit menses 7, dies 20, obiitque, ut Ammianus refert libro 25, vel ex evaporatione prunarum, vel ex recenti calce cubiculi.

2. *Synodus Illyriciana*, etc. In excuso Dextri codice *Illiciana* legebatur, sed prave. Celebrata fuit hæc synodus Illyrici anno 365, juxta card. Baronium. De ea Theodoretus lib. IV, c. 8; Sozomenus lib. VI, c. 12, et Hilarius in fragmentis synodi Ariminensis. Præfuit Elpidius Presbyter, papæ legatus.

A. C. 366. — 1. *Gregorio*, etc. Consule quæ de Gregorio et Audentio ad annum 360 annotavimus. Porro dies festus S. Gregorii episcopi, qui obiit Amphitriæ, annotatur ab Equilino lib. XI, cap. 130, num. 17, illis verbis : *Gregorius episcopus eodem die* (scilicet 20 Decembris) *in Amphitria claruit*. Exsulaverat quidem in Minorica; inde in Amphitriam profectus, diem clausit extremum. De Audentio fit memoria in diptycha Missæ Missalis S. Isidori : ponitur-que post S. Gregorium Toletanum pariter episcopum.

2. S. *Paulus*, etc. De S. Orosio egit Dexter anno 352. Erat quidem ille patruus Pauli Orosii scriptoris celeberrimi, et S. Augustini discipuli : frater autem Pauli Orosii senioris, cujus ipse scriptor filius fuit, et de cujus morte hoc anno agitur illis verbis : *S. Paulus Orosius senior resedit Romæ.*

3. *Liberio*, etc. De S. Damasi patria diu, contentioseque hactenus disputatum est dum Lusitani Lusitanum, Mantuæ Carpetani suæ urbis civem fuisse volunt; nec desunt ex Tarraconensibus, qui Tarraconensem velint. Sed gratias Deo, quæstionem diremit Dexter, dum eum Mantuanis ascribit, et merito, nam supersunt adhuc qui legerint Matriti in Ecclesia parochiali S. Salvatoris marmori incisam scriptionem veteribus characteribus compactam; qua asserebatur sanctissimus pontifex in ea Ecclesia baptizatus, utpote in ejus natus parochia : forsan ex parentibus Lusitanis; indeque altera opinatio ortum habuit; non aliter atque in S. Melchiade accidisse vidimus supra ad annum 248 et 299. Consule eruditam Ægidii Gundisalvi Davila regii historiographi historiam Matritensem, ubi eam urbem patriam S. Damasi fuisse defendit. Neque vero nobis obesse poterit, quod in excuso Dextri codice additur : *Alii faciunt ex Igeditania Lusitanum, alii Tarraconensem* : non, inquam, obest, quia manifestum est verba illa alio fuisse addita, et tandem ex margine in textum immissa, quandoquidem Dexter ea scribere non potuit, qui Damasi coævus existens, et ejusdem provinciæ, id est, Hispaniæ, ac Romæ itidem educatus, ignorare non potuit veram urbem nativatis ipsius : ut id sub quæstione relinqueret. Quinimmo etiam ea lectione concessa, semper ex mente Dextri habemus fuisse ex Mantua Carpetaniæ; id siquidem affirmative ipse et primo loco pronuntiat, et tamquam ex propria mente; nam de aliis opinionibus dicens, *Alii faciunt Lusitanum, alii Tarraconensem;* cum vero de Mantua loquitur non ait, alii vel quidam dicunt, seu faciunt; sed absolute : *Liberio succedit Damasus ex Mantua Carpetanorum.* De laudibus tanti Patris, cum ab innumeris decantatæ sint, malumus tacere quam loqui. Consulatur Baronius tomo IV. Unum silere non possum, huic uni catolicam Ecclesiam debere sacrorum Bibliorum Latinam editionem, et divinarum laudum in choris consuetudinem. Iniit pontificatum anno Domini 367, sedit annos 17 et menses fere 3.

A. C. 368. 1.—*Frequentes*, etc. Præceperat S. Lucius papa ad episcopos Hispaniæ scribens, ut frequenter synodos celebrarent, sicut a tempore apostolorum universalis Ecclesiæ mos obtinebat. Exstat epistola ipsa tomo 1 Conciliorum antiquæ editionis. Huic præcepto paruisse his diebus habemus nunc Dextri testimonio. In codice excuso corrupte legebatur Trucum, cujus loco Tritium restitutum est. Erat vero Tritium cognomento Melatum in Beronibus non ignobile oppidum, quod nunc *Taffalla* dicitur in regno Navarræ. *Varia* vero prope constituitur a Ptolomæo, quo loci nunc *Tudela* existit, vel non longe ab ipsa.

2. *Audentius*, etc. De eo Gennadius lib. de Viris illustribus; *Audentius* (inquit) *Hispanus episcopus scripsit adversus Manichæos, et Sabellianos, et Arianos, maximeque intentione speciali contra Photinianos, qui nunc Bonosiaci vocantur, librum, quem prætitulavit: De fide adversus omnes hæreticos; in quo ostendit antiquitatem filii Dei coæternalem patri fuisse; nec initium Deitatis tunc a Deo Patre accepisse, cum a Maria Matre Virgine homo, Deo fabricante, conceptus, et natus est.* Agit de eodem Baron. ad an. 389.

3. *Corchciæ*, etc. Floruit iis ipsis temporibus in Hispania Matronianus, de quo Hieronymus lib. de Script. Eccles.: *Matronianus*, ait, *provinciæ Hispaniæ, valde eruditus, et in metrico opere veteribus comparandus.* Exstant ejus ingenii opera diversis metris edita. Utrum autem de eo nunc egerit Dexter, et binomius fuerit, aut pro Matroniano corrupte Marcium habeamus, non ausim definire; unum certe dolendum est, Matronianum ad Priscillianum defecisse, ut statim dicemus.

4. *Contra Julianum*, etc. Præcipui inter cæteros

A.C.369. Synodus Romana collecta contra hæreticos Arianos. A.R.1120.
Ambrosius ex judice fit episcopus Mediolanensis.

370. Collegia juvenum ad clericatum educandorum negligentia temporum intermissa, diligentia sancti præsulis Audentii Toletani, et aliorum pontificum redintegrantur. 1121.
Gregorius Nazianzenus acriter contra hæreticos depugnat.
Asturius notus in Carpetania Villasiccæ, adolescentulus floret in Ecclesia Toletana, laude pietatis et ingenii.
Aquilius Severus, domo Toletanus, ex genere alterius Aquilii Severi, ad quem Lactantius nuncupavit volumen epistolarum, hoc tempore magno in pretio habetur.
Sub Paciano Barcinonensi episcopo nascitur Paulus Orosius Junior, Tarraconensis civis, discipulus S. Augustini.

375. Valentinianus, imperator catholicus ac vir pius, obiit: cui in imperio succedit filius ejus Gratianus. 1126.

BIVARII COMMENTARIUS.

Gregorius Nazianzenus, et Cyrillus Alexandrinus in Juliano redarguendo emicuere.

A. C. 369. — 1. *Synodus Romana*, etc. Præfuit eidem S. Damasus Papa, qui sane tres Synodos Romæ coegit; primam initio sui pontificatus contra Ursatium et Valentem; alteram hoc anno contra Auxentium; et tertiam contra Apollinaristas circa annum septimum suum.

2. *S. Ambrosius*, etc. Hinc ille nodus solvendus, qui cardinalem Baronium sæpe anxium reddidit, et a communi sententia discedere coegit; hactenus siquidem S. Ambrosii ordinatio in annum 369 incidisse credebatur, idque sensere quotquot ante Baronium ipsum gestorum Ambrosii chronologiam secuti scriptis sunt: ille tamen post annos quinque, Domini scilicet 374, movetur etiam auctoritate S. Hieronymi in Chronico, qui undecimo Valentiniani imp. anno, Gratiano tertium et Equitio coss. hæc habet: *Post Auxentii seram mortem, Mediolani Ambrosio constituto, omnis ad rectam fidem Italia convertitur*. Quæ verba ita quidam interpretati sunt, ac si Hieronymus velit dicere, non prius omnem Italiam ad rectam fidem potuisse converti, etiam Ambrosio constituto Episcopo, quam post seram mortem Auxentii. Jure tamen Baronius in eos invehitur, quippe cum Paulini, Rufini, Sozomeni et Theodoreti testimoniis liquido constet, non prius Ambrosium fuisse ad episcopatum promotum, quam post mortem Auxentii Ariani episcopi. Quocirca in lectionibus ipsis Rom. Breviarii legimus: *Probi jussu cum potestate Mediolanum venit, ubi, mortuo Auxentio Ariano episcopo, populus de successore deligendo dissidebat*. Caterum non majori probabilitate fulcitur, quod ipse contendit ex Hieronymi verbis haberi, videlicet eo anno illa tria simul accidisse, Auxentii mortem, Ambrosii ordinationem, et totius Italiæ ad rectam fidem conversionem: sed unde hoc? *Certe* (inquit in Notis ad 7 Decemb.) *nonnisi eo anno quo recensentur hæc facta sunt: aliter necessum est Hieronymum hallucinatum esse, et oscitantia quadam res suorum temporum ex instituto per annos singulos disponendas, longe diverso tempore posuisse*. Miror tamen doctissimum virum tam facile Hieronymum oscitantiæ redarguere, si quod ipse cogitat, non intendisset. Sed quis non videt, difficile creditu, uno eodemque anno omnem Italiam, quæ tamdiu Ariana hæresi laboraverat, ad rectam fidem conversam esse? quasi non multo studio, labore, et tempore ad eam universalem reductionem opus esset. Ita sane accidit, nam Ambrosius anno 369 ordinatus fuit, et post quinque aut sex sudoris, ac prædicationis annos, Christi scilicet (a Hieronymo assignato) 374, fructum conversionis Italiæ percepit; idque satis ejus verba indicant; quod enim eo loco præcipue Hieronymus intendit, est agere de Italiæ conversione, huic vero præmittit Auxentii mortem et Ambrosii ordinationem, quod nimirum ab his conversio ipsa originem duxerit: innuens illa duo ad conversionem præcessisse; sed quod eodem anno acciderint, nullatenus astruit. Sed vero Baronius multus est in demonstrando duos fuisse Mediolani Auxentios; quod tamen nos ingenue profitemur, cum nihi nostra intersit, unusne an plures eo nomine fuerin insigniti, dum hoc saltem habeamus, S. Ambrosiumt non eodem anno reductionis Italicæ ordinatum fuisse de amoque ordinationis Dextrum, de reductione vero Hieronymum agere, supposita præcedenti ordinatione post Auxentii veteris mortem.

A. C. 370. — 1. *Collegia*, etc. Consule quæ ad annum Domini 185 annotavimus de Collegiis juvenum ad Clerum instituendum in Hispania.

2. *Gregorius Nazianzenus*, etc. Notissimi omnium Doctorum gloria non indiget nostra expositione, nec ejus contra hæreticos pugnæ. Videatur Baronius tom. IV.

3. *Asturius*, etc. Hic ille S. Asturius Serranus, postmodum Toletanus archiepiscopus, cujus cum laude meminit S. Ildefonsus lib. de Viris illustribus. Asservatur ejus corpus in Sancta Ovetensi Ecclesia, quæ sub Nomine S. Serrani memoriam illius veneratur die Martii 8. Uberius agemus de eo inferius per multos annos, videlicet, 380, 396, 406, 423, 424.

4. *Aquilius*, etc. De eo Hieronymus lib. de Script. hæc habet: *Aquilius Severus in Hispania, de genere illius Severi, ad quem Lactantii duo epistolarum scribuntur libri, composuit volumen quasi Odæporicon totius suæ vitæ statum continens, tam prosa, quam versibus, quod vocavit καταστροφήν, sive πεῖραν, et sub Valentiniano principe obiit.*

5. *Sub Paciano*, etc. De Orosio agemus ad annum Domini 400. De Paciano vero Dextri parente Hieronymus lib. de Script. Eccles. hæc scribit: *Pacianus in Pyrenæi jugis Barcilonæ episcopus, castitate, et eloquentia, et tam vita, quam sermone clarus, scripsit varia opuscula, de quibus est* Κέρδος, *et contra Novatianos. Sub Theodosio principe, jam in ultima senectute, mortuus est.* Exstant ejus opera ad Symphorianum dicata in Biblioth. Vet. Patr. Et nomen ejus scribitur in Romano Martyrologio novo, et veteri, et Usuardo, die 9 Martii. De quo etiam Equilinus lib. XI Catalogi, cap. 123.

A. C. 375. — *Valentinianus*, etc. Imponit D. Hieronymus finem suis Chronicis, inquiens hoc ipso anno: *Valentinianus subita sanguinis eruptione, quod Græce apoplexia vocatur, Brigitione moritur. Post quem Gratianus, assumpto in Imperium Valentiniano fratre, cum Patruo Valente regnat.*

A.C. 380. Adelphus, rhetoricæ præceptor Carensibus datus in Hispania, litterarum, ingenii et eloquentiæ laude clarus. A.R.1131.

Vesania Gnosticorum a Marci discipulis in Hispania pullulantium, Priscillianum virum nobilem in Gallæcia natum, Hispaniasque simul invasit : illeque fax fuit genti suæ, et patriæ civibus, ac vicinis; acri vir ingenio.

Floret Fl. Prudentius, patre Cæsaraugustano, matre Calagurritana natus (Salia Consule) Cæsaraugustæ.

BIVARII COMMENTARIUS.

A.C.380. — 1. *Adelphus*, etc. Fuit hoc ipso tempore Adelphius quidam, a quo Adelphianos hæreticos nomen sumpsisse scribit Theodoretus lib. IV, cap. 10. Hic ab Antiocheno antistite Flaviano coactus fassus est, credidisse baptismi quidem lavacrum non conferre gratiam digne suscipientibus, sed preces conferentis sacerdotis : aiebatque in eo visibiliter descendere Spiritum sanctum, qui ab omni libidinis pruritu alienum faciebat baptizatum; et consequenter liberum a necessitate jejunii : quinimmo ipsissimam B. Trinitatem asserebat sine velamine a suscipientibus videri. O amentiam! Utrum autem is ipse fuerit, de quo Dexter hoc loco agit, dubitari posset, cum tempora utriusque coincidant : sed loca valde dissentiunt, cum ille in Græcia, hic vero in Hispania vixerit. Porro de Carensibus populis prope Ilerdam egimus ad ann. Dom. 311. Non omittam in actis Caroli Magni Adelphum reperiri Caucorum principem, qui cum valida manu ab ipso in Britanniam missus, victor rediit.

2. *Vesania*, etc. Infecisse aliquantas mulieres in Hispania Marcum illum Gnosticum, ad annum 169 diximus, quæ tu consulas. Priscilliani vero vesaniam, et res gestas tractat Severus Sulpitius lib. II Sacræ Historiæ, et ex eo fuse Morales lib. X, cap. 34 et 35, quæ per omnia Dextri scriptis consonant. De eo etiam agit S. Hieronymus lib. de Scrip. Eccles. Errores ipsius late referunt in regula fidei episcopi Carthaginensis, Tarraconensis, Lusitanæ, et Bæticæ provinciæ, quæ in primo Toletano concilio habetur : et 18 articulos complectitur, videlicet, non omnia, quæ in mundo sunt, a Deo fuisse creata : Deum non plures esse personas; nec Verbum carnem assumpsisse, et alia plurima Gnosticorum deliramenta, quæ longum esset per singula recensere. De Priscilliano et sequacibus agit Augustinus libro de Hæres. cap. 70 et II Retract. cap. 11. Qualiter autem multorum auctoritate conciliorum Priscillianistarum tabes repressa fuerit, et quis auctoris et sequacium finis fuerit, suis locis dicemus.

3. *Floret*, etc. De urbe Prudentii Clementis nativitate nobilitata varia auctorum mens est, nonnullis Calagurri natum contendentibus, in quibus sunt Antonius Nebricensis, et Joannes Mariana lib. IV, c. 17; quibusdam Cæsaraugustæ, quod Aldo in Vita Prudentii placuit. Ab utrisque novissime Mantuanus in Notis ad eum Marianæ locum discedit, et fuse probare nititur, Saliæ in Salenis populis ortum fuisse, qui ad Oceanum Cantabricum siti erant. Porro nullus est, qui non ex ipsis Prudentii scriptis sensum suum promere certo credat. Nebricensis et Mariana iis utuntur testimoniis, quibus poeta Calagurrim urbem vocat suam; nimirum ex hymno de 18 martyribus Cæsaraugustanis, ubi de SS. Emiterio, et Celidonio loquens ait :

Nostra gestabit Calagurris ambos,
Quos veneramur.

In hymno etiam de eisdem :

Hoc bonum Salvator ipse, quo fruamur præstitit,
Martyrum cum membra nostro consecravit oppido.

Ubi oppidum nostrum vocat Calagurrim. Aldo et sequacibus duo alia favent, alterum ex hymno prædicto 18 martyrum Cæsaraugustanorum, in principio :

Bis novem noster populus sub uno
Martyrum servat cineres sepulcro;
Cæsaraugustam vocitamus urbem,
Res cui tanta est.

Et in sancti Vincentii Cæsaraugustani archidiaconi hymno :

Noster est (*id est Cæsaraugustanus*) quamvis
procul hinc in urbe
Passus ignota dederit sepulcro
Gloriam victor, prope littus altæ
Forte Sagunti.
Noster et nostra puer in palæstra (*id est Cæsaraugustana*)
Arte virtutis, fideique olivo
Unctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.

Cæterum Mantuanus his opponit, Tarraconem quoque a Prudentio vocari suam, et tamen nullus unquam inibi eum ortum excogitavit; ait enim in hymno sanctorum Fructuosi, et sociorum Tarraconepassorum :

O triplex honor, o triforme culmen,
Quo nostræ caput excitatur urbis,
Cunctis urbibus eminens Hiberis.

Minime igitur inde poterit (ait ille) certa suæ urbis notitia haberi; multas enim urbes vocat suas, non alio sane, nisi quia Tarraconensis Hispaniæ jurisdictioni subjectæ erant : ejus enim provinciæ tres illæ sunt, Calagurris, Cæsaraugusta, Tarraco. Probat autem Saliæ in Asturiis natum ex prologo in Catemerinon, ubi habet :

Hæc dum vita volans agit,
Irrepsit subito canities seni,
Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens,
Sub quo prima dies mihi.

Quasi sensus fuerit, canities subito mihi seni irrepsit, arguens me oblitum veteris consulis, id est, anni illius veteris, sub quo prima dies Saliæ mihi fuit. Et quidem usitatum fuisse annos ipsos consules appellari, quod novis semper consulibus distinguerentur : satis probat illud Martialis lib. I : *Bis jam pene tibi consul trigesimus instat* : pro 60 fere annos habes : Et Ciceronis in Bruto, *Proximis consulibus natum velit*, id est, anno præterito. Sed qui novas aggreditur vias, dum tritas et notas relinquit, mirum non est, si solus erret in invio. Id plane Mantuano contigit, cum Prudentii patriam disquirens, nec Calagurris, nec Cæsaraugustæ vias ingredi voluit, quas majores sui protriverant, et in saltum quemdam Saliæ a nemine hactenus inventum prosiliit. Quærebamus urbem Prudentii nativitate nobilitatam, et ecce ipse fluvium assignat; nam Salia fluvius est, Pomponio suo attestante lib. III, cap. 1, illis verbis : *Ab eo flumine, quod Saliam vocant, incipiunt oræ paulatim recedere*, etc. Urbem vero ejus nominis numquam ibi fuisse, argumento est, quod nec ipse Pomponius, nec Plinius, nec Ptolomæus, nec Strabo, et (ut uno verbo dicam) nullus umquam geographorum ejus in eo Hispaniæ tractu meminerit : meminerunt autem fluminis. Quod autem inibi Saleni populi habitasse dicantur, non probat urbem ejus nominis inibi fuisse, ut ipse credit : quin potius si vere esset, præcipua ejus tractus foret; utpote a qua populi illi nomen accepissent; et nemo Salenorum urbes referens, Saliam omitteret. Hoc semel stabilito, quod in dubium verti non potest, verba Prudentii congruenter

A.C.380. Asturius, cognomento Serranus, fit lector ab Audentio Toletano. A.R.1131.
Gulphilas Gothus, litterarum Gothicarum inventor, episcopus, nomine doctrinæ ingeniique valde laudatur.
382. Lampadius, olim præfectus urbis, veniens in Hispanias, vir probus et doctus, fit episcopus Oretanus. 1133.
Dracontius et Adelphus episcopi in Hispania exsulant.
Justo... episcopo Vicensi scribit sanctus Ambrosius.
Cremato ad Melantiadam urbem Græciæ Valente Imperatore hæretico, Gratianus facit imperii consortem Theodosium admirabilis Theodosii filium, virum pium, Italicæ in Bætica natum.

BIVARII COMMENTARIUS.

flumini accommodari nequeunt : nam cum de canitie sua ait,

Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens,
Sub quo prima dies mihi :

nullus dicet, Prudentium innuisse se in flumine natum.

Quis ergo sensus illius carminis genuinus? Sane quem Dexter secutus est, et Morales, ac Nebricensis fere assecuti ; nisi quod hi errore codicum ducti, consulem Mesaliam, non Saliam nuncuparunt. Natus igitur Prudentius fuit Salia et Philippo coss. quorum consulatus juxta Onuphrii et Idatii Fastos incidit in annum Domini 348. Unde hic annus 380 quo floruisse dicitur, erat ætatis suæ 32 : floruisse, inquam, oratoria facultate, de qua ipse in eodem prologo in Catemerin. inquit :

Ætas prima crepantibus
Flevit sub ferulis : mox docuit toga,
Infectum vitiis, falsa loqui non sine crimine.
Et rursus :
Exin jurgia turbidos
Armarunt animos, et male pertinax
Vincendi studium subjacuit casibus asperis.

Natus vero fuit Cæsaraugustæ, ut habet Dexter, patre Cæsaraugustano, matre Calagurritana; quo fit, ut urbem utramque suam sæpius dixerit. Sed vero Tarraconem etiam idcirco suam dixit, quod ejus aliquando gubernator, imperatoris electione fuisset, ut inferius dicemus. Quæ contra hæc Mantuanus objicit faciliora sunt, quam ut longa solutione egeant. Ait ille : Consul Philippi collega *Salea*, non *Salia* vocabatur. Et ego: Populi illi Asturiæ, Saleni dicti sunt, a Salea, non a Salia; ergo et flumen Salea vocandum. Quod si in una littera non vult ipse ut in Salia suo disceptemus, nolit quoque in Salia nostro, aut in utroque. Rursus ille : Si Salia consul erat, minime veteris nomine insigniretur, cum alter ejus nominis consul numquam fuerit. Ego vero : Quid si ad ætatem respiciens consulis, veterem vocavit? Quid si ex suffectis, quorum non manent nomina, alius fuerat ejus nominis ante ipsum? Sed de his satis.

4. *Asturius*, etc. Superius de eo locuti, iterum inferius acturi sumus.

5. *Gulphilas*, etc. Uberius de eo Baronius ad annum 370 ubi ex Sozomeno lib. VI, c. 37, asserit, quod eo agente legato apud Imperatorem, Athanaricus rex Gothis dispersis Christianis concessit, in ejus gratiam Thraciam habitare : et quod primum quidem Arianis consenserat, postmodum autem resipuit, et Catholica fide accepta, interfuit cum Acatio, et Eudoxiô concilio Constantinopolitano. Gothos etiam ad pietatem et verum Dei cultum amplectendum instituit; *et primus fuit* (ait ille) *qui litteras apud eos invenerit; litterasque sacras in patrium sermonem convertit*. Exstat ejus effigies in Vaticana bibliotheca cum alphabeto suarum litterarum supra Pluteum 27. A quibusdam Gulphilas, ab aliis Vulphilas nuncupatur; sed parum dissentiunt.

A. C. 382. — 1. *Lampadius*, etc. Successit Symmacho in Urbis præfectura. *Post Symmachum* (ait A Ammianus lib. XXVII) *data est Urbana præfectura Lampadio ; qui expensas exhiberi solitas in munificentia munerum editione, contulit in pauperes egentes in Vaticano; qua ex causa plebem in se concitavit, adeo ut parum abfuerit, quin ipsius ædes positas contra Constantini lavacrum, injectis facibus combusserit.* Inde, ut credo, ortum, ipsum in Hispanias trajecisse; ubi pro sua pietate, et doctrina in Oretanam sedem promoveri meruit. Invenitur ad annum 400 interfuisse concilio Toletano, dicto primo, ut suo loco dicemus.

2. *Dracontius*, etc. De Dracontio consule sanctum Isidorum in libro de Viris illustribus, ubi ejus libros enumerat, et ingenium laudat. Ad hunc ipsum existimo S. Athanasium epistolam illam dedisse, quæ *ad Dracuntium* inscribitur ; nam ab Oriente ubi Athanasio notus erat, in Hispaniam deductum exsulem egisse (post Athanasii mortem, quæ in annum Domini 372 incidit) nunc ex Dextro habemus. B Adelphium vero interfuisse concilio Cæsaraugustano, de quo infra, nonnullis placet, aiuntque pro Ampelio, quod nostri habent codices, legendum Adelphium.

3. *Justo*, etc. In excuso Dextro additur, *Justo alteri*, sed nescio ad quem referatur. Fuit quidem in Hispania Justus alter Urgelensis episcopus, cujus dies festa in Romano Martyrologio habetur ad 28 Maii, hic vero multo recentior fuit Dextro, ut nequiret ad eum respicere. Exstant sancti Ambrosii epistolæ duæ ad Justum scriptæ, altera in lib. I epist. 1, altera vero in lib. VIII epist. 2, quæ in ordine est 63. In iis rogatus Ambrosius nonnullas exponit quæstiones ad sacras litteras pertinentes. In priori explicat, quid significet illud didrachmum, cujus dimidium Hebræus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ. Ejus initium : Ambrosius Justo : *Pulchre admones, frater, ut epistolares fabulas, et sermonem absentium ad interpretationem conferamus oraculi cœlestis*, etc. In posteriori probat, veteres, C quos plerique secundum artem scripsisse negant, secundum gratiam quæ super omnem artem est scripsisse; de quorum tamen scriptis ii, qui de arte scripserunt, artem invenerunt. Ilas tu consulas, utpote curiosa gravitate refertas.

4. *Cremato*, etc. Corruptissime hoc loco Cæsaraugustanus codex excusus mortem Constantis, cum Valentis confuderat, habens : *Cremato ad Helenemam urbem Galliæ Valente*, etc. Constat quidem ex Hieronymo in Chronico ad annum Domini 353 Constantem imperat. non longe ab Hispania, in castro cui Helenæ nomen est, Galliæ Narbonensis oppido occisum fuisse; Valentem vero non Helenæ in Gallia, sed ad Melantiadam villam Cæsarianam in Græcia, prope Constantinopolim arsisse referunt quotquot ejus meminerunt, Sozomenus, Socrates, Rufinus, Theodoretus, Ammianus, Nicephorus, et cæteri. Egressus etenim Constantinopoli ad Melantiadam villam Cæsarianam cum exercitu, quievit : D commissoque prælio cum Fritigerno Gothorum rege, cui petenti pacem negaverat, in fugam versus, et in casam agrestem delatus, casa et Valens simul arserunt. Addit Ammianus lib. XXXI, auditos

A.C. 382. Priscillianus, hæreticus, præceps, difficultatum patiens, versatilis ingenii, versutus, et eloquens, multum insanit. A.R. 1133.

Gratianus, Imperator valde religiosus, favet Religioni Christianæ; et Ecclesiis per urbem diffusis probatur.

Sanctus Augustalis episcopus Iliberritanus moritur in Gallia, dum Catholicorum causa illic diu immoratur.

Martinus, episcopus Turonensis, apostolicis virtutibus eximie clarus, et gloria miraculorum celebratur.

Per idem tempus floret in Hispania Marcellus Telensis episcopus. Est autem Tela urbs Vaccæorum prope Palentiam.

Theodosius Imperator in Orientis partibus Rempublicam collapsam reparat, et Religioni Christianæ studiose favet.

BIVARII COMMENTARIUS.

paulo ante Antiochiæ voces, *Vivus ardeat Valens.* Accidit hoc juxta Baronii computationem anno Domini 378. Cum autem asserat Dexter Theodosium a Gratiano in imperii consortium assumptum anno 382, consequenter dicendum est, non illico post Valentis mortem assumptum fuisse, sed quarto anno: Non ergo legendum est *ad Helenam*, neque *ad Helenemam*, ut codex ille habet, sed *ad Melantiadam*, neque *Galliæ*, sed *Græciæ*. De electione Theodosii, et patria urbe italica multa Morales congessit, et Baronius: Marcellinus incipit Chronicon suum sic: *Ausonio et Olybrio coss. Theodosius Hispanus, Italicæ Divi Trajani civitatis, a Gratiano Augusto, apud Sirmium* XXXIX *post Valentis interitum imperator creatus est,* XIV *kal. Febr. Orientalem dumtaxat Remp. recturus: vir admodum religiosus, et Catholicæ Ecclesiæ propagator, omnibusque Orientalibus principibus præponendus*, etc. Unus Idatius Lamacensis in Gallæcia veteri episcopus, ex eadem Gallæcia eum facit oriundum, nam ait in Chron.: *Theodosius natione Hispanus, de provincia Gallæciæ, civitate Cauca*: hæc hodie dicitur *Coca*, inter Bracaram et Valentiam.

5. *Priscillianus*, etc. Consule Severum lib. II Hist. Sacræ, et quæ superius adduximus ad an. 380.

6. *Gratianus*, etc. Multa congessit Baronius de eo tomo IV ex Sozomeno, Theodoreto, et aliis quæ tu consulas.

7. *S. Augustalis*, etc. Iterum de eo ad annum 388 qua episcopis Galliæ approbantibus in numerum Sanctorum relatus est. Nunc vero de ejus morte agitur, quæ 7 Septembris Arelate accidit. Celebrant ejus memoriam Beda, et Romanum Martyrologium ea ipsa die. Et Beda quidem sic habet: *Arelate in Galliis sancti Augustalis episcopi, et confessoris.* Id tamen difficile visum est card. Baronio, eo quod sanctus Augustalis subscripsisse reperiatur concilio Arausicano I, cui S. Hilarius Arelatensis episcopus præfuit. Hinc infert, nequaquam S. Augustalem fuisse Arelatensem simul episcopum. Eo præsertim quod in tabulis Arelatensium episcoporum quas Demochares transcripsit, nullus ejus nominis reperiatur, Cæterum Beda non asserunt fuisse Arelatensem episcopum, sed Arelatæ festum ejus celebrari, cujus nimirum corpus ibi quiescit, quod valde diversum est. Erat enim Iliberritanus in Hispania episcopus: et dum in Galliis moras faceret pro celebrando Ariminensi concilio, mortuus est. Igitur verbum *Arelate* a Rom. Martyrologio abrasum omnimodis restituendum est, ut Bedæ testimonio, unde acceptum fuit, consonet.

8. *Martinus*, etc. Vita ejus in Severo scripta clarissimum toto orbe, etiam dum in vivis ageret, fecit. Erat hic annus sextus sui episcopatus, quandoquidem ætatis suæ 81, qui incidit simul cum ejus venerando obitu in annum Domini 402, fuit sui episcopatus 26. Consule Baronium in Notis ad 11 Novembris.

9. *Per idem tempus*, etc. Hunc illum reor sanctum A Marcellum, qui a Græcis in Menologio die 14 Augusti Apameensis episcopus vocatur; factione quorumdam Gentilium occisus, anno undecimo Theodosii imperatoris, quod delubrum Jovis Apamæ divino fultus præsidio demolitus fuerit. Quod autem in Syria passus ibi legatur, errore factum videtur alicujus amanuensis, qui Apameam audiens, explicationis gratia Syriæ adjecit; quasi ejus nominis aliæ in orbe urbes non essent. Vidimus quidem in superioribus Palentiam Vaccæorum urbem Apameam, seu Pameam olim dictam, cujus episcopatus non alius quam Telensis est: nam Telensis sedes, teste M. Maximo in Chron. anno Dom. 480, translata fuit in urbem Palentinam: quare quod S. Marcellus dicatur Telensis, sive Apameensis episcopus in idem recidit. Quadrat etiam martyrii tempus; nam passus dicitur 11 anno Theodosii, cujus jussu delubra omnia Gentilium, quæ adhuc supererant, toto orbe, præsertim in Hispania patria sua demoliri fecit. Rom. Martyrologium Græcorum codices secutum fuit; unde ab eo quoque B verbum Syriæ asserendum.

10. *Theodosius*, etc. Equilinus lib. XI, cap. 93, sub titulo *de sancto Theodosio Magno imperatore*, hæc habet inter cætera: *Hic in Catalogo sanctorum a Græcis conscribitur, et confessoris sanctissimi nomine veneratur. Omnia antiqua fana, et templa Idolorum destruxit, et per totum orbem Romanum destrui mandavit; cultumque Christi et fidei mirabiliter auxit.* Idem apud Theodoretum, Sozomenum, Nicephorum, et cæteros leges. Qua in re vel hoc solo gloriari potest Hispania inter cæteras orbis nationes, quod tantum virum Imperio, et Ecclesiæ dedit. Ubertim utriusque laudes Latinus Pacatus panegyrico prosecutus fuit, ubi inter multa hæc quoque habet: *Primum tibi mater Hispania est, terris omnibus terra felicior, cui excolendæ, atque adeo ditandæ impensius, quam cæteris gentibus supremus ille rerum Fabricator indulsit. Quæ nec Astrinis obnoxia æstibus, nec Arctois subjecta frigoribus, media fovetur axis utriusque temperie; quæ* C *hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æstibus, inde Tyrrheni maris littoribus coronata, naturæ solertis ingenio, velut alter orbis includitur. Adde tot egregias civitates, adde culta, incultaque omnia vel fructibus plena, vel gregibus: adde auriferorum opes fluminum: adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas poetarum auribus mulcendis repertas, quandoquidem nonnullis gentibus attribuisse miracula, quæ dum sint vera, sunt singula, nec jam excutio veritatem; sint, ut scribitur, Gargara proventu læta tritici, Mevania memoretur armento, Campania censeatur monte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo; dum Hispaniæ uni quidquid laudatur, assurgat. Hæc durissimos milites, hæc expertissimos duces, hæc facundissimos oratores, hæc clarissimos vates peperit. Hæc judicum mater, hæc principum est. Hæc Trajanum illum, hæc deinceps Hadrianum misit Imperio. Huic te debet Imperium. Cedat his terris terra Cretensis, parvi Jovis gloriata cunabulis, et geminis Delos reptata numinibus; et alumno Hercule nobiles Thebæ: fidem constare nescimus auditis;*

A.C. 384. Gratianus Imperator Catechumenus 8 Kal. Septembris occiditur. Fl. Maximus, vir Catholicus, tyrannice a militibus Imperator Galliæ, Angliæ et Hispaniæ salutatur. A.R.1135.

Eucharius Presbyter Toletanus exsul in Hispania floret.

Concilio Mediolanensi Theodosius Augustus interfuit, qui egregie utebatur opera Sancti Pontificis Cordubensis Gregorii.

BIVARII COMMENTARIUS.

Deum dedit Hispania, quem videmus. Cætera apud ipsum legito.

A. C. 384.—1. *Gratianus*, etc. Nonnulli mortem Gratiani in annum præcedentem conjiciunt, ut Baronius, cujus tamen computatio uno anno plerumque Dextri supputationem præcedere solet. Occisus est Gratianus a Maximo Tyranno, qui quidem professione catholicus, imperium in Hispania, Anglia, et Britannia arripuit. Gilda sapiens de excidio Britannico, de eo asserit, unam alarum ad Hispaniam, alteram ad Italiam extendisse, et thronum imperii apud Treviros collocasse. Socrates lib. v, c. xi, eum inquit fuisse genere Britannum; Sozimus vero, lib. iv, Hispanum facit. Probat Baronius fuisse Constantini Magni consanguineum, vocatumque Fl. Clementem Maximum, atque in Britannia acclamatum imperatorem a militibus. Consule Idacium, et Marcellinum in Chronicis.

2. *Eucharius*, etc. De eodem agit S. Augustinus Serm. de miraculis S. Stephani protomartyris, cujus meritis a gravi ægritudine miraculose liberatus fuit, et semel ad vitam revocatus. *Eucharius* (ait ille) *Presbyter ex Hispania Calamæ habitans, veteri morbo calculi laborabat: per memoriam martyris Stephani, quam Posidius illo adduxit episcopus, salvus factus est. Idem ipse Eucharius postea morbo alio prævalescente moribus sic jacebat, ut ei jam pollices ligarentur: opitulatione autem memorati martyris, cum de memoria ejus reportata esset, et super jacentis corpus missa ipsius presbyteri tunica, suscitatus est.* Hæc vero non hoc anno contigere, sed postquam Paulus Orosius reliquias sanctissimi protomartyris in Occidentem primus invexit. Dexter solum ait, hoc anno Eucharium in Africa floruisse.

3. *Concilio Mediolanensi*, etc. Hujus Concilii mentio fit ab episcopis Heliodoro et Chromatio in epistola ad S. Hieronymum, super editione martyrologii: ubi etiam de sancto Gregorio Cordubensi episcopo agunt: *Cum religiosissimus* (aiunt) *Augustus Theodosius Mediolani urbem esset ingressus, universosque Italiæ episcopos ad se invitasset*, etc., et inferius: *Cœpit christianissimus princeps sanctum Gregorium Cordubensis Ecclesiæ in eo præferre Antistitem, quod omni die sive non jejunans matutinas, sive jejunans vespertinas explicans Missas, eorum martyrum quorum natalitia essent, plurima nomina memoraret*, etc. Hinc occasio martyrologii in Ecclesia conscribendi desumpta est, et tunc quæ Eusebius fusius libro uno de gestis Martyrum scripserat, Hieronymus brevi collegit opusculo, quod Martyrologium nuncupavit. Utraque epistola ad Hieronymum, et a Hieronymo scripta omnibus orbis martyrologiorum codicibus præponi consuevit, quas hic inserere necessarium diximus, de fide earum acturi.

EPISTOLA CHROMATII ET HELIODORI EPISCOPORUM AD BEATUM HIERONYMUM, DE OPERE MARTYROLOGII COLLIGENDO.

Domino sancto Patri Hieronymo, Chromatius et Heliodorus episcopi in Domino salutem.

Cum religiosissimus Augustus Theodosius Mediolani urbem esset ingressus, universosque Italiæ episcopos ad se invitasset, et ob causam aliquantulorum episcoporum qui ex Ariana fœce suas animas inquinassent, inquireret: contigit et nostram parvitatem in eodem adesse concilio. In quo cum dicenda dicta essent, et definienda definita, cœpit christianissimus princeps S. Gregorium Cordubensis Ecclesiæ in eo præferre antistitem, A quod omni die, sive non jejunans matutinas, sive jejunans, vespertinas explicans Missas, eorum martyrum quorum natalitia essent, plurima nomina memoraret. Factumque est ut omnes statueremus, ad tuam scribere charitatem, ut famosissimos feriales de archivio S. Eusebii Cæsareæ Palæstinæ episcopi inquirens, martyrum ad nos dirigas festa; ut possimus hoc officium per tuam sanctam industriam melius perfectiusque ad honorem Dei martyribus exhibere. Hactenus illi. At vero Hieronymi epist. hujusmodi inscriptionis titulo consignata sic habet:

B. HIERONYMI SUPER EO IPSO AD EOSDEM RESPONSIO.

Chromatio et Heliodoro sanctis episcopis, Hieronymus presbyter.

Constat Dominum nostrum Jesum Christum omni die martyrum suorum triumphos excipere, quorum passiones a S. Eusebio Cæsariensi episcopo scriptas reperimus. Nam Constantinus Augustus, cum Cæsaream fuisset ingressus, et diceret memorato antistiti, ut B peteret aliqua beneficia Cæsariensi Ecclesiæ profutura: legitur respondisse Eusebium: opibus suis Ecclesiam ditatam, nulla petendi beneficia necessitate compelli: sibi tamen desiderium immobile exstitisse, ut quidquid in Republ. Romana gestum sit erga sanctos Dei, judices judicibus succedentes in universo orbe Romano, sollicita perscrutatione, monumenta publica discutiendo, perquirerent, et qui Martyrum, a quo Judice, in qua provincia vel civitate, qua die, quave perseverantia passionis suæ obtinuerunt palmam, de ipsis archiviis sublata, ipsi Eusebio, regio jussu dirigerent. Unde factum est, ut idoneus relator existens, et Ecclesiasticam historiam texeret, et omnium pene martyrum provinciarum omnium Romanarum tropæa diligens historiographus declararet: quatenus omni die sacrificium Deo offerentes, eorum nomina meminissent: studentes qui die ipso, quo sacrificium offerretur, victores diaboli exstitissent, et martyrii sui triumpho pollentes atque ovantes ad regem suum pervenissent Christum. Hac de C causa singulorum mensium, singulorumque dierum festa conscripsimus, ut jubere dignabimini, perennem nostræ parvitatis memoriam fore credentes; cum diebus omnibus per tot annorum spatia sancta sanctorum nomina fuerint festive celebrata. Et quoniam per singulos dies, diversarum provinciarum, diversarumque urbium plusquam octingentorum et nongentorum martyrum sunt nomina nominata: ut nullus dies sit, qui non intra quingentorum numerum reperiri possit ascriptus, exempto die kalend. Januariarum: considerans inter innumerabiles turbas, lectoris animum intra unum mensem posse lassescere: ne id eveniat, breviter et succincte eorum qui sunt in amplissima festivitate, in suis locis tantum præ omnibus memoratus sum, ut amputatus fastidio, unus de omnibus sufficiat libellus ascriptus. Sane in prima parte libelli, omnium beatorum apostolorum festa conscripsimus, ut dies varii non videant dividere, quos una dignitas apostolatus in cœlesti gloria fecit esse sublimes. Hactenus Hieronymus.

D Nihil tam sartum, tectumque, et tam veneranda vetustate fulcitum, quod a recentioribus in dubium versum non sit. Subdubitare cœpit Molanus de fide earumdem epistolarum, et Baronius tandem ut commentitias prorsus rejecit, libro suo de Martyrologio Romano; quod quidem ut suadeat, multa variaque congerit undecumque argumenta. Primum quidem capite 6 contendit evertere, quod hactenus credebatur a multis, librum Eusebii Cæsariensis de martyribus non alium fuisse, quam compendiosam omnium

sanctorum martyrum collectionem ea brevitate contextam, qua martyrologia noscuntur conscripta; et ea propter Martyrologium nuncupatum. Hæc tamen quam mendaciter dicantur (ait) non aliunde quam testimoniis ipsius Eusebii probatur, lib. IV cap. 14, de S. Pionio; et lib. V, cap. 2 et 4, de epistola Ecclesiæ Lugdunensis; et cap. 20 de S. Apollonio senatore agens, asserit se horum omnium acta in libro de Martyribus plenissime scripsisse; ibique reperiri epistolam prædictam, et orationem apologeticam S. Apollonii coram senatu habitam quam Hieronymus vocat, *Insigne volumen*. Ergone liber unus, volumen unum, tot martyrum acta continere valuisset, ad quorum tantum nomina recensenda vix sufficere potuisset? Equidem si tam prolixe, ut fecit in aliis, totius Ecclesiæ catholicæ ab ipso scribendæ fuissent res gestæ sanctorum martyrum, non unus liber, non centum, non denique mille fuissent satis, nec ipse mundus capere potuisset eos, qui de ea re scribendi fuissent libros.

Cæterum hoc non multi ponderis est, nam ex ipso Eusebio liquet (nec aliis, quam a Baronio citantur testimoniis) ipsum non mille, non centum, non plures de gestis martyrum scripsisse libros, sed unum duntaxat; quem cum ipse numquam de magnitudine laudet, non est unde credamus maximum fuisse: quinimmo quem alias librum vocarat, aliquando libellum vocat. Sic cum de S. Pionio agit lib. IV, cap. 14: *Qualem denique* (ait) *et quam insignem mortem, præter alias omnes res ab eo tanta cum admiratione gestas, eos quibus libitum est cognoscere, ad libellum nobis de veterum Sanctorum martyriis in unum redactis editum, qui quidem omnia facta illius plenissime complectitur, amandamus.* Sed quonam pacto fieri valet, ut uno libello tot martyrum gesta comprehendi possint? Sane quia majori ex parte martyrum Christi breviter complectebatur historiam, et nihil aliud nisi nomina civitatis et præsidis, ac martyrii genus (quod aliud de eis scire non valuit), continebat; tametsi in aliis profusius acta dictaque declararet. Exemplo sit Adonis martyrologium, quod quidem non multa implet folia, et tamen multorum in eo martyrum acta, interrogationes, responsa, miracula; immo et epistolæ conscribuntur, ut in sancta Anastasia, et Chrysogono videre est. Nec me movet, quod sanctus Apollonius dicatur a Hieronymo insigne volumen scripsisse, et hoc etiam in libro de Martyribus, Eusebii, contineatur; quoniam non dicitur volumen illud insigne, respectu magnæ quantitatis, sed ob dignitatem operis, et perfectionem: quemadmodum ipse Hieronymus in libro de Script. Eccles. simili prorsus pacto de B. Pontio S. Cypriani diacono inquit, insigne volumen de martyrio ejusdem scripsisse, quod tamen brevissimum esse cunctis perspicuum est.

Sed urget Baronius cap. 7 sequenti, multis suffarcinatas esse mendaciis duas has epistolas, quæ earum detegunt imposturam: videlicet, 1° Quod præter antiquum morem Chromatius, et Heliodorus episcopi, Hieronymum presbyterum, Patrem vocent; id quod eo magis vitio verti debet, quod illi nomine Patrum concilii Mediolanensis se scribere dicunt. 2° Quod meminerint prædicti concilii, Theodosio imper. coacti, quod tamen merum esse figmentum satis probat silentium ejus temporis scriptorum; nemo siquidem illius meminit. 3° Quod agentes de Gregorio Cordubensi, mentionem faciant vespertinarum missarum quæ teste Augustino, epist. 118, cap. 5, sola feria quinta, majoris hebdomadæ in Ecclesia fierent: et quod in diebus jejunii martyrum natalitia celebrasse dicatur, cum tamen longe aliam fuisse Ecclesiæ ejus temporis consuetudinem constet ex concilio Laodiceno cap. 51 in collect. sancti Martini Dumiensis, cap. 48 et 33, quæst. 1, *Non licet in Quadr.* 4° Quod Eusebium vocent Sanctum, quem tamen Hieronymus Arianorum antesignanum, signiferum et principem nuncupat, apologiæ adversus Rufinum lib. I et II et alibi. 5° Quod a Hieronymi stylo epistola illa discrepet. 6° Demum, quod in posteriori asseratur kalendis Januarii nullum umquam catholicorum martyrium passum fuisse, quod tamen ex Romano Martyrologio, et cæteris falsum esse liquet. Hæc ille.

Valde tamen mirandum est virum doctissimum, levibus conjecturis ductum, epistolas hasce subvertere contendisse, quas tamen constat ante octingentos annos a præclarissimis, et auctoritatis eximiæ Scriptoribus agnitas, et in veneratione habitas fuisse, videlicet ab Cassiodoro, Beda et Strabone, quorum in Dei Ecclesia sententiæ de levitate nusquam, de gravitate ubique laudatæ fuerunt. Accipe singulorum verba. Cassiodorus lib. de Instit. divinarum lect. cap. 32: *Futuræ beatitudinis mores* (ait) *vitas Patrum, confessiones fidelium, passiones martyrum legite constanter; quas inter alia, in epistola sancti Hieronymi ad Chromatium, et Heliodorum destinata procul dubio reperietis: qui per totum orbem terrarum floruere, ut sancta imitatio vos provocans, ad cœlestia regna perducat.* Vide, quæso, quam apud omnes receptum fuerit, Cassiodori tempore epistolam illam, cum opere Martyrologii, Hieronymi fetum esse; quod ad eam provocet lectores suos pro devotionis spiritu hauriendo. Beda in Retractat. in Acta Apostolorum cap. 1 sic inquit: *Astipulatur et liber Martyrologii, qui Beati Hieronymi nomine, ac præfatione attitulatur: quamvis idem Hieronymus illius libri non auctor, sed interpres, Eusebius autem auctor exstitisse narretur.* Præfationem intelligo epistolam de qua nunc agimus. Walafridus vero Strabo hæc scribit lib. de Reb. Ecclesiast. cap. 28: *Hieronymus Martyrologium, secutus Eusebium Cæsariensem per anni circulum conscripsit; ea occasione ab Episcopis Chromatio, et Heliodoro illud opus rogatus componere, quia Theodosius, religiosus imperator, in concilio episcoporum laudavit Gregorium Cordubensem episcopum, quod omni die missas explicans, eorum martyrum quorum natalitia essent, nomina plurima commemoraret.* Quæ ad verbum desumpta sunt ex epistola Chromatii et Heliodori. Ergone tot tantorumque Doctorum posthabenda est auctoritas, ut liberum sit cuiquam proprium sequi martem in re gravi, quæ non quidem conjecturis, sed testimoniis antiquorum comprobanda, aut reprobanda erat?

Quæ vero contra veritatem excogitata sunt, vera esse non possunt, ut patebit expendendo sigillatim, quæ in contrarium nobis objecit. 1° Leve est, quod ab episcopis presbyter *Pater* nuncupetur, si presbyter Hieronymus est, qui Pater fidei, et Ecclesiæ Doctor eo temporis habebatur. Forsan in causa fuit dignitas cardinalis presbyteri, quam etsi Baronius neget, Chaconius speciali opusculo tuetur; et ejus irrefragabile testimonium Romæ video, quoties apsidem majoris altaris Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris circumspicio; nam a tempore Sixti tertii paulo inferioris ætate Hieronymo, Musivo opere vetustissimo ad lævam Evangelii visitur idem Doctor sanctus episcopali infula honestatus, conscendens cathedram, coopertusque mitra (cardinalium presbyterorum insigni) sermonem ad sanctas Paulam et Eustochium habere, cum ejusmodi inscriptione: *Sanctus Hieronymus sermonem facit ad Paulam et Eustochium.* 2° Baronius neminem affert antiquorum concilium Mediolanense negantem: nos tres gravissimos Doctores attulimus; et quamvis ii deessent, argumentum utpote negativum nihil contra affirmantem epistolam concludebat. Adde reperiri etiam ejus temporis auctorem Dextrum, qui ejus meminit concilii, et historiæ epistolarum. De tempore concilii hujus mox agemus. 3° Vespertinarum missarum varium, pro diversitate regionum, fuisse in Ecclesia morem, ipsemet Baronius fatetur; et videre est apud Cypria-

A.C. 384. Priamus per hæc eadem tempora in Gallia regnat. A.R. 1135.
Emeritæ-Augustæ in Hispania Idatius Episcopus, Metropolitanus Pontifex Lusitaniæ, contra Priscillianum Concilium contrahit.
Synodus altera fit in Lusitania.
Cæsaraugustæ alterum Concilium contrahitur : præfuit Phægadius Episcopus.....

BIVARII COMMENTARIUS.

num epist. 63 cum Pamelio; et apud concilii Agathensis acta 13, dist. 15, unde in hæc ait Baronius se non obniti : quare multo minus nos. Quod addit de natalitiis martyrum minime diebus jejunii celebrandis, non vere refertur; non enim dicitur sic in epistola Heliodori; sed quod iis etiam diebus missas celebrans multorum martyrum nomina commemoraret, quod ego de commemorationibus intelligo, sive collectis, quæ ita vocari consueverunt, vel de nominibus sanctorum, qui in canone invocantur; eo enim forsan loco martyres illius diei sanctus Gregorius invocabat. 4° Forsan ab alio additus est in epistola sanctitatis titulus, qui Eusebio datur; quis hoc neget possibile in codicibus tanta refertis vetustate? Id passim in sanctorum Doctorum scriptis, et in ipsis sacris Bibliis videmus. Potuit et ab ipso Hieronymo apponi; nam ævo illo, ut Baronius quoque affirmat, communior fuit sanctitatis titulus, unde et cuivis episcopo tribui solitus erat. 5° Nec stylus valde discordat a Hieronymo, quamquam non est improbabile, Hieronymum primum eloquenti stylo litteras scripsisse, sed a Sophronio in Græcum conversas iterum Latinitate donatas esse sine priori lepore ac sale. 6° Et falso imponitur epistolæ, quod in ea asseratur, kalendis Januarii nullum martyrum passum fuisse; nam solum dicitur quod *nullus dies est, qui non intra quingentorum numerum reperiri possit ascriptus, excepto die kalendarum Januariarum.* Quod autem in Romano Martyrologio triginta quatuor martyres kalendis Januarii annotentur, quid ad rem? Negatur solum eo die quingentos occisos, qui tamen numerus in reliquis anni diebus apud Eusebium, in suo libro de Martyribus reperiatur, teste Hieronymo. Vide, rogo, quam parvi ponderis sint omnia quæ a Baronio contra fidem illarum epistolarum objiciuntur; ut in eas stomachatus quinquies de impostura, ter de commento, bis de mendacio, semel de errore eas arguerit; modo frivolas, modo falsas, modo mendaces vocans; sua autem commenta, quæ auctoribus plane destituta sunt, toto cœlo lucis veritate perspicua dixerit. Sed placet temperantius cum ipso agere, et modeste semper scribere.

De tempore celebrationis Mediolanensis concilii, aliquanto difficilius est judicare, nam multi bis tantum credunt Theodosium in Italiam concessisse, semel quidem anno imperii 9 (quod Marcellinus habet in Chronico) contra Maximum pugnaturum : iterum anno 16, contra Eugenium æque tyrannum : neutro autem tempore fieri potuisse contendit Baronius, cap. 7 de Martyrologio Rom., quia videlicet ejus concilii non meminere Hieronymus et Ambrosius, qui res gestas Theodosii prosecuti sunt. Sed hoc quoque argumentum utpote negativum nocere nequit. Altero igitur ex illis temporibus accidisse potuit. Cæterum cum Dexter concilium celebratum velit anno Domini 384, qui, apud ipsum, tertius erat imperii Theodosii; cogimur fateri ter in Italiam venisse; reliquias idololatriæ et Arianismi prostraturum, et Valentiniani imperatoris corpus Constantinopolim delaturum, quem constat anno 4 Antonino et Siagrio coss. in Græciam a Theodosio asportatum, honorifice sepultum fuisse.

4. *Priamus*, etc. In excuso Dextri codice corrupte legebatur, *Pyramus*, pro *Priamus*. Regnavit hic in Francia orientali super Francos, tertius a Pharamundo, cui successit frater ejus Marcomerus, huic autem filius ipsius Priamus nomine, qui circa annum Domini 423 legitur habuisse imperium et successorem Gennebaldum : ut habes apud Trithemium, lib. de Origine Francorum, et alios. Meminit ejusdem Priami Prosper Tyro in Chron. suo, ad annum 4 Gratiani Augusti, apud Canisium, tom. I Lect. antiqu.

5. *Emeritæ*, etc. Refert Severius Sulpitius, lib. II sacræ Historiæ, quod *cum paulatim perfidiæ Priscilliani tabes pleraque Hispaniæ loca pervasisset, nonnulli etiam episcoporum depravati sunt; inter quos Instantius et Salvianus non solum consensione, sed sub quadam etiam conjuratione eam sectam defendendam susceperant. Quo Higinius episcopus Cordubensis, e vicino agens comperto, ad Idatium cognomento Clarum, Emeritæ ætatis sacerdotem refert.* Tunc sane ad Priscilliani hæresim condemnandam comprovinciales episcopos convocans, Emeritæ concilium coegit, de quo in præsenti Dexter agit. Idque satis ratio suadet. Erat etenim ipse Lusitaniæ metropolitanus, et ea pollens auctoritate, ac ingenti ornatus doctrina, facile ipsi erat, hæresim illam quamprimum a suis finibus eliminare; eo præsertim quod Priscillianus in Gallæcia ortus fuerat, ejusque hæresis inibi ardentius serpebat; cujus nimirum ipse Idatius, utpote Bracarensis episcopus erat metropolitanus; et ad illum præcipue damnatio hæresis spectabat. Quare his quæ in concilio Emeritensi egerat, nova adjecit; scripsit etenim contra errores omnes illius insigne volumen, de quo S. Isidorus lib. de Viris illustribus hæc ait : *Idatius Hispaniarum episcopus, cognomento et eloquio Clarus, scripsit quemdam librum sub Apologetici specie; in quo detestanda Priscilliani dogmata, et maleficiorum ejus artes, libidinumque ejus probra demonstrat; ostendens Marcum quemdam Memphiticum, magiæ scientissimum, Nianis et Priscilliani magistrum.* Hic tantus vir de fide catholica contra Priscillianum, et ejus sequaces optime meritus, passus est Severum detractorem, qui inter alia de eo scripsit citato loco : *Certe Idatium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio; fuit enim audax, loquax, impudens, præsumptuosus.* Sed cui potius (lector) assentiendum? Sulpitio, an Isidoro? Cognomento et eloquio Clarum, Idatium vocat Isidorus; et hic tantus, audax, loquax erit? nihil pensi, nihil sancti habuit? Hoc unum scio, Priscillianum toto orbe ab ipso insectatum : et eo agente ab ipso tandem orbe repulsum, ut jam dicam.

6. *Synodus altera*, etc. Non contentus Idatius sola concilii Emeritensis damnatione, aliud quoque cogere fecit in Lusitania : de quibus Idatius alter, Lamacensis episcopus agens in Chronico suo, ad annum Theodosii Magni septimum, inquit : *Priscillianus declinans in hæresim Gnosticorum, aliquot episcoporum conciliis judicatus, Italiam petiit, et Romam*, etc. Ubi non unum dumtaxat, sed aliquot contra Priscillianum concilia coacta fuisse fatetur. In canone 1 concilii I Toletani fit mentio de quadam synodo a Lusitanis episcopis celebrata ante ipsum, quæ alia esse non potest, quam hæc de qua nunc loquitur Dexter.

7. *Cæsaraugustæ*, etc. Hoc præcipue concilio hæresis Priscilliani damnata est, convenientibus ad ipsum multis episcopis non solum Hispaniæ, sed etiam Galliæ : præfuitque Agennensis episcopus Phegadius. Meminit hujus synodi Severus, lib. II sacræ Hist., ex quo Ambrosius Morales, lib. X, cap. 44, Vasæus, Mariana, et cæteri. Exstat in tomo Conciliorum Hispaniæ concilium quoddam Cæsaraugustanum, celebratum (ut in ejus capite dicitur) æra

A.C. 384. interfueruntque Episcopus Burdegalensis, Episcopus Tolosanus, Helenensis (qui veniens ex Lusitania, obiit Ganacæ, Veracensi oppido, Occasum versus, Toleto distans XXVIII M. pass.). Interfuere etiam Idatius, Metropolitanus Bracarensis; Audentius, Metropolitanus Toletanus; Etherius, episcopus Ossonensis; Cartherius Uxamensis; Lupus, Episcopus Telensis; Valerius, Episcopus Cæsaraugustanus, et alii: in quibus Emila Barcinonensis; et etiam ex Galliis S. Martinus Turonensis. Isidorus, senior Cordubensis, continuat Chronicon a primo consulatu Theodosii. A.R. 1135.

BIVARII COMMENTARIUS.

CCCCXVIII, videlicet anno Domini 380. Continet octo canones, et subscribunt episcopi duodecim: quorum primus est Phegadius, seu (quod idem est) Fetadius; Garsias de Loaysa in notis existimavit, aliud esse omnino ab eo Cæsaraugustano, in quo errores Priscillianistarum damnati sunt. *Fuit aliud*, inquit, *Cæsaraugustanum concilium post hoc, in quo primo damnata est hæresis Priscilliani; cui etiam Aquitani episcopi interfuerunt, in eo etiam Itatius, et Idatius, qui in hoc subscribunt, strenue se gesserunt, in exstirpanda Priscilliani impietate. Severus Sulp., lib.* II. Hæc ille.

Cæterum si nomina episcoporum, quæ a Dextro concilio illi interfuisse referuntur, a quo præfata hæresis damnationem accepit, conferantur cum his quæ isti cujus octo canones exstant, subscripta referuntur, unum idemque Cæsaraugustanum fuisse procul dubio reperiemus. Nam utrobique præesse dicitur Phegadius, qui tamen prius in Gallia concilio Valentino præfuerat anno 374, ut placet Baronio in Annalibus, tit. 4. Hic in aliis codicibus vocatur Phœbadius, in aliis Sæbadius; agitque de eo Hieronymus lib. de Script. Eccl. asserens scripsisse contra Arianos librum, et alia quædam opuscula, et adhuc in decrepita senectute vivere. Utrobique secundo loco ponitur episcopus Burdegalensis Delphinus, tametsi apud concilii acta *Delphinus* solum; apud Dextrum vero *episcopus Burdegalensis* dicatur; iis siquidem diebus Burdegalæ S. Delphinus præerat, ut Severus lib. II affirmat, et Baronius in Notis ad 24 Decembris, qua die in Martyrologio Romano habetur: *Burdegalæ sancti Delphini episcopi, qui Theodosii tempore claruit sanctitate.* Ad eum exstant multæ epistolæ S. Paulini Nolani. Rursus Tolosanus, et Helenensis episcopi, quos sine nomine Dexter affert, si subscriptionis ordinem servemus, ii videntur quos acta concilii nuncupant Eutychianum, et Apellium. Idatius utrobique nominatur, et Dexter exponit fuisse metropolitanum Bracarensem. Idem in Audentio metropolitano Toletano videre est, qui tamen a Loaysa corrupte vocatur Augentius; nec mirum, quoniam ignoravit esse Toletanum. Insuper utrobique Cartherius subscribit, utrobique Valerius, utrobique Lupus, quorum tamen episcopatus exprimit Dexter. Nam Cartherius fuit Uxamensis, Valerius Cæsaraugustanus, et Lupus Telensis. Corrigendi obiter conciliorum codices, qui pro Lupo habent Lucium. Quod ad Valerium spectat, existimat Loaysa, hunc ipsum esse, qui Iliberritano interfuerat; sed prorsus fallitur: non enim ad tantam senectam credibile est pervenisse, ut qui jam pontifex factus anno Domini 300 concilio Iliberri aderat, nunc post alios 84 in pontificatu superesset, nam Cæsaraugustanum in annum hunc 384 incidit, sive (ut habent acta) in ann. 380. Eodem modo refellendum est, quod de Eutychiano episcopo idem Loaysa affirmat, fuisse scilicet Bastetanum antistitem, eo quod Iliberritano reperiatur ejus nominis Bastetanus episcopus subscriptus: similitudo enim nominis, maxime quando tempora valde discordant, inducere nequit identitatem personæ. Demum utrobique Ossonobensis episcopus legitur, quem tamen Severus Ithatium vocat, Dextri codex Etherium; uter tamen corrigendus sit, difficile quis judicabit. Præter hos

A episcopos Cæsaraugustano concilio etiam interfuisse S. Martinum Turonensem, et Emilam Barcinonensem scribit Dexter. Acta vero concilii Cæsaraugustani addunt Splendonium, et Symphosium, in quo nulla est contradictio, cum omnes interesse potuerint. Ex his Emilas in Toletano primo degradatus fuit, et in Symphosium lata suspensionis sententia; eo quod postmodum in Priscilliani errores incidissent: de quo inferius ad annum Domini 386 agendum nobis est. Martinum autem credibile satis est affuisse Cæsaraugustæ, neque enim minus fervens fidei zelator erat quam S. Delphinus Burdegalensis, seu quam episcopus Tolosanus, qui ex Galliis ad concilium accesserant pro hæresi Priscillianistarum damnanda. Inibi damnati sunt Instantius, et Salvianus episcopi Gallæciæ cum Higinio seu Adiginsio Cordubensi, qui jam in hæresim, quam primo execrabatur, ceciderat. Ita Severus cit. loco.

Non igitur duo Cæsaraugustana concilia, sed unum B contra Priscillianum coactum esse constat: sive id anno 380, quod acta habent; sive 384, quod Dexter scribit, et verius, coactum sit, ut ex modo dictis liquet. Postquam hæc scripseram, inveni Severinum Binium ejusdem esse sententiæ; idque probat etiam ex ipsis canonibus, qui exstant, ut apud ipsum tom. I Concil. quivis facile leget: gavisus certe sum, virum doctissimum veritatem hanc etiam assecutum. Cæterum cujus incuria, aut malitia effectum fuerit, ut manifesta damnatio Priscillianistarum ab actis concilii sejuncta sit; et duodecim dumtaxat canones de reformatione supersint, in quibus nihil expresse de ejusmodi errore habetur, non facile dixerim. Jam si suspicioni locus sit, existimaverim, inde forsan ab exscriptoribus rejectam, quod paulo post in Toletano I concilio ad longum ponenda erat, ubi nunc exstat: nisi quis velit dolo ipsorum Priscillianistarum ab actis concilii sublatam; quam tamen postmodum Toletanum reassumpsit. Adhuc vero contra Priscillianum (tametsi non expresse) videtur in canone 7 exC stare decretum: *Ut nemo sibi doctoris nomen imponat;* quod quidem sine Ecclesiæ auctoritate Priscillianus fecerat, doctoris sibi nomen et officium assumens, cum esset sæcularis. Perseverat itidem hujus concilii celebris memoria in sententia concilii Toletani I contra Symphosium, et Dictinum, aliosque Gallæciæ episcopos data, illis verbis: *Etsi diu deliberantibus verum post Cæsaraugustanum concilium, in quo sententia in certos quosque dictata fuerat* (scilicet in Salvianum, Instantium et Higinium), *sola tamen una die præsente Symphosio*, etc.; et inferius absolvitur Vegetinus episcopus, *eo quod ante concilium Cæsaraugustanum episcopus factus libros Priscilliani cum suo auctore damnaverat.* Sed de his satis.

8. *Isidorus*, etc. Senioris cognomentum exigit necessario, quod temporibus Dextri alter Isidorus floruerit ætate illi inferior; cui ea de causa Junioris cognomen inditum sit: alias quonam pacto Senior diceretur, qui Juniorem a quo differret non habuisset? Quare qui Junioris nomen Hispalensi datum credunt, ad differentiam Senioris Cordubensis, plane D errant; non enim unus, sed duo ejus nominis Cordubæ floruerunt scriptis editis: et inter eos necessaria Senioris et Junioris distinctio fuit, cum ambo fuerint Cordubenses: inter Isidorum vere Hispalensem et Cor-

A.C. 384. Higinius, episcopus Cordubensis, tactus hæresi Priscillianorum, quam ante detestatus fuerat, jussu Maximi ex Hispania vinctus Treviros adducitur; postea vero criminis convictus in exsilium mittitur ad Leronem insulam Galliæ. A.R. 1135.

Ambratiani ex Lusitania Placentiam in Cantabria ædificant.

Ambrosius editis contra Arianos libris claret.

385. Audentius, episcopus Toletanus, editis contra Priscillianum libris, ac habitis publice contra Priscillianistas disputationibus, mirifice floret. 1136.

BIVARII COMMENTARIUS.

dubenses sat erat diœcesum distinctio. Certe Dexter A minime vocare potuit Seniorem Cordubensem respectum habens ad Hispalensem, qui multis sæculis post ipsum floruit, obiitque anno Domini 636. Ego quidem quatuor scriptores ejusdem nominis in Hispania reperio, duos videlicet Cordubenses, quorum Senior, ut Dexter affirmat, Chronicon scripsit a primo consulatu Theodosii, usque ad sua tempora; et hic quidem episcopus non fuit. Junior episcopus Cordubensis fuit post Higinium, et Gregorium, ut mox dicemus; scripsit vero libros Allegoriarum, qui inter opera Hispalensis exstant, et super annum 380, ad Orosium, et super quatuor libros Regum, et in Lucæ Evangelium elegantissima commentaria: quorum omnium meminit Dexter ad annos 388 et 423, et 430, quibus locis iterum de illo agit. Tertius et Magnus Isidorus fuit Hispalensis, cujus scripta, jussu Philippi II Hispaniarum catholici monarchæ in unum redacta corpus, legimus et miramur. Quartus denique episcopus Pacensis fuit, et ipse cujusdam Chronici Hispaniæ auctor; ejus copiam legit Vasæus, barbarice admodum, et Gothice, ut sua ferebant tempora, scripti. Hinc fit, ut tres Isidori Chronicon scripsisse reperiantur; Cordubensis Senior continuavit Eusebium et Hieronymum, quemadmodum Prosper Aquitanicus, Victor Tunensis, Idatius Lamacensis, et Marcellinus Comes fecerunt, a principio imperii Theodosii, usque ad sua quisque tempora. Isidorus Junior Cordubensis a scribendo Chronico abstinuit; Hispalensis vero scripsit, uti D. Braulio refert in ejus Vita, non a tempore Theodosii, sed a principio mundi usque ad tempus suum librum unum, nimia brevitate collectum. Exstat inter ejusdem sancti doctoris opera; videturque quædam Eusebii et aliorum abbreviatio. Isidorus Pacensis adhuc sub latebris Hispanicarum Bibliothecarum latet, exstatque in Bibliotheca collegii majoris Ovetensis apud Salmantinos, et alibi: testantur vero ejus vidisse Chronicon Vasæus et Morales in prologo Hist. Hisp. De Chronico Senioris Cordubensis existimo, a Luca C Tudensi iterum in lucem datum; tametsi apud ipsum cum Chronico Eusebii conjunctum sit. Inde vero mihi id fit probabile, quoniam ille profitetur S. Isidori Chronicon exscribere, et tamen valde diversum Chronicon profert a Chronico S. Isidori Hispalensis, ut unicuique alterum alteri conferenti manifestum erit, quare alterius cujusdam Isidori esse oportet nec alterius quam Senioris Cordubensis. Illud tamen animadverterim, ultima verba Chronici Hispalensis suo illi apposuisse, quod crederet, ab eodem utrumque auctore elaboratum.

9. *Higinius*, etc. Sub hoc episcopo Isidorus Senior Chronica Eusebii continuavit. Hic prorsus ille est, qui primus omnium Priscilliani errores detexit, et ad Idatium Bracarensem detulit: ipse tamen paulo post (sic fert humana plerumque conditio) in eamdem hæresim lapsus, semelque et iterum relapsus est. Sed accusatus tandem ad Maximum in Galliis, et Hispaniis regnantem agente eodem Idatio, Treviros- D que, ubi degebat imperator, adductus, exsilio damnatur. Doluit sane ejus senectam S. Ambrosius ad Valentinianum scribens, in hæc verba: *Ego vero libenter, et si me plerique insidias evasurum non crederent, ingressus sum iter, hoc solo dolore percitus, quod Higinium episcopum senem in exsilium duci comperi, cui jam non nisi extremus superesset spiritus. Cum de eo convenerim comites ejus, ne sine veste, sine plumatio paterentur extrudi senem, extrusus et ipse sum.* Forsan dolebat Ambrosius, exsilium passurum senem in insula serpentibus plena, uti eo temporis erat Lero, quæ postmodum S. Honorati Arelatensis virtute ab eis liberata est, ut ex aliis refert Baronius ad annum 445, num. 2, qui etiam notat ad annum 387 Higinium hunc fuisse Luciferianorum acerbissimum hostem; contra quem idcirco Marcellinus et Faustinus oblatrant more suo. De ejus successore in Cordubensi episcopatu agit Dexter ann. 388. Porro, quæ hic Lero insula nuncupatur, non ea est, quæ ejus nomine in mari Ægæo oræ Cariæ adjacet, et de qua Strabo agit lib. XXIV, et Plinius: sed quæ alio nomine in mari Gallico Lerinum dicitur, vulgo *S. Honorato*, Lerinensi monasterio insignis: etenim Maximus minime posset exsulem in Græciam amandare, cum ejus imperium Italiam, Galliam et Hispa- B niam non transcenderet: in Græcia autem Valentinianus et Theodosius imperarent.

10. *Ambratiani*, etc. Superius, ad annum 268, a nobis monstratum est, quam nunc urbem Placentiam nuncupamus, in Hispaniis olim Ambratiam vocatam. Nunc vero notat Dexter, Placentiam Cantabriæ, quæ prope oppidum *Bermeo*, adhuc nomen retinet, in ore Oceani Cantabrici, ab Ambratianis seu Placentinis veteribus ædificatam, nomen suæ urbis illi indidisse.

11. *Ambrosius*, etc. Exstant libri ipsi, qui testimonium perhibent de his, nimirum ad Gratianum imperatorem de fide libri quinque, quibus eum instruxit de vitandis erroribus Arianorum; et alius speciali titulo decoratus, De Filii divinitate et consubstantialitate contra Arianos.

A. C. 385. — 1. *Audentius*, etc. Non solum contra Priscillianistas, sed contra omnes Hæreticos librum scripsit, cujus cum laude meminit Gennadius in Catalogo Virorum illustrium, cap. 14, inquiens: *Audentius, episcopus Hispanus, scripsit adversus Manichæos, et Sabellianos, et Arianos; maximeque intentione speciali contra Photinianos, qui nunc Bonosiaci vocantur, librum, quem prætitulavit: de Fide adversus omnes Hæreticos; in quo ostendit antiquitatem Filii Dei coæternalem Patri fuisse, nec quod initium Deitatis tunc a Deo Patre acceperit, cum a Maria Matre Virgine, homo, Deo fabricante, conceptus, et natus est.* Pro Photiniano existimo Priscillianum substituendum, nam adversus ipsum præcipue disputavit Audentius; eo vel maxime quod Priscillianus errores Manichæorum, et Sabellianorum atque Arianorum in unum coacervavit; ut ex regula fidei contra Priscillianistas ab episcopis Hispaniæ in concilio Toletano I recta, aperte constat; in ea siquidem damnantur 18 errores, quorum primus est: quod non sit unum primum rerum creatarum principium; secundus, quod Deus sit una persona sola; tertius, quod Verbum solam carnem assumpsit; quartus, quod Christus sit innascibilis, etc. Quorum primum Manichæi, secundum Sabelliani, tertium Ariani, quartum Ariani itidem affirmarunt. His adduntur alii Priscilliani proprii, videlicet, credendum esse Astrologiæ, matrimonia non licere, carnes comedendas non esse, sed exsecrandas. Et tandem in calce regulæ prædictæ subjicitur: *Si quis in his erroribus Priscilliani sectam sequitur, vel profitetur, anathema*

A.C. 385. Exuperantius ex viro militari, episcopus Uxamensis translatus Rabennam Italiæ civitatem, ad quem scripsit S. Hieronymus. A.R.1136.

Helpidius, Helpidii filius, Hispanus vehementer floret.

In Luco Augusto in Hispania sanctus Forcatus episcopus.

386. Toleti concilium habetur contra omnes episcopos rebelles ex secta Priscilliani, qui vehementer urgentur. 1137.

BIVARII COMMENTARIUS.

sit. Ex quibus planum fit, Audentium Toletanum archiepiscopum cum contra Priscillianistas scribebat, simul in omnes pene hæreticos invehi oportuisse.

2. *Exuperantius*, etc. Reperitur subscripsisse concilio I Toletano : ubi Loaysa nescio ex cujus codicis vitio conjectatus est fuisse Lucensem episcopum in Gallæcia, cum tamen fuerit Uxamensis. Constat autem ex vetustioribus editionibus, non Exuperantium, sed Leonam fuisse Lucensem episcopum, sic enim habent : *Leona de Gallitia Lucensis urbis conventu, et municipii Celenis*, cum tamen Exuperantii episcopatus non exprimatur. Celebrant Ravennates antistitem suum (illuc enim noster Exuperantius translatus fuerat) ad 30 Maii, nomenque ejus habetur in Romano Martyrologio ea die; ubi Baronius notat ex Tabulis Ravennatis Ecclesiæ floruisse temporibus Honorii imperatoris (filii videlicet Theodosii) qui ab anno Domini 395 regnare cœpit. Quo videas minime tempora discordare. Ejus nominis episcopus eo ipso tempore subscripsit cum S. Ambrosio concilio Aquileiensi, sub nomine : *Exuperius Dertonensis*. Quod si (ut aliis placet) legatur Dertosensis, non alius a nostro Exuperio reputabitur, qui nimirum ab Oxomensi ad Dertosensem (nunc Tortosa vocatur) sedem translatus, cum aliis Hispaniæ episcopis S. Ambrosium convenit super erroribus Priscilliani. Inde eum comitati Aquileiensem synodum celebrarunt; et tunc facile fuit Exuperantium Ravennatem facere episcopum, cum Ravenna prope Aquileiam sita sit. Cæterum cum adhuc esset sæculari addictus militiæ, litteras a Hieronymo recepit (epist. 35, tom. II) in quibus inter cætera hæc de ejus sanctitate scripsit : *Quis non diligat eum, qui sub paludamento, et habitu militari agat opera Prophetarum, et exteriorem hominem aliud promittentem vincat interiore homine, qui formatus est ad imaginem Creatoris*, etc. En vivam Martini militis effigiem, et pariter postmodum infulatam. Ejusdem sæpius mentionem facit Dexter in inferioribus, videlicet anno 388 et 407.

3. *Helpidius*, etc. De Helpidio rhetore facundissimo, qui in Hispania ad Gnosticorum sectam transierat, ad prædicationem Marci Ægyptii, agit Severus lib. II sacræ Hist. : *Primus*, ait, *eam superstitionem in Hispaniam Marcus intulit, Ægypto præfectus, Memphis ortus : hujus auditores fuere Agape quædam, non ignobilis mulier, et rhetor Helpidius*. Addit Hieronymus ad Ctesiphontem contra Pelag. quod *Agape femina seduxit Helpidium; cui conjuncta Galla, non gente, sed nomine, germanam huc illucque currentem, hæresis reliquit hæredem*. Hujus certe Helpidii filius nequaquam esse potest ille de quo Dexter hoc loco agit, cum inter utrumque plusquam ducenti anni interfuerint : nam prior vivebat anno Christi 169, quo a Marco et Agape deceptus est : posterior vero Helpidius anno 85 floruisse fertur. Forsan a priori traxit originem, et quam ille patriam errore seductus deturpavit, iste scriptis et disputationibus adversus Gnosticorum soboles Priscillianistas susceptis illustravit. Nam ad hoc (ut reor) refertur illud Dextri, *vehementer floret*. Quæ sane verba de hæretico homine dici non possent.

4. *In Luco Augusto*, etc. Civitas hæc a Luco hodie *Lugo* dicitur, Gallaicorum Lucensium metropolis, episcopatu insignis : et eo amplius, quod sanctum Forcatum episcopum habere meruit. Equilinus episcopus, lib. XI Catalogi, cap. 130, num. 193, affirmat ejus festum celebrari pridie idus Julii, seu 14 die ejusdem mensis. Scribitur apud ipsum non per *F.*, sed per *Ph.*, Phorcatus.

A. C. 586. — *Toleti*, etc. Ingentem toti posteritati injuriam irrogarunt, qui multorum Toletanorum acta in corpus unum redegerunt, nomenque illi, primi Toletani concilii dederunt. Hinc enim factum est, ut confunderentur acta uniuscujusque, et unum dumtaxat crederetur, quod manifeste ex multis conflatum est. Sed cum rem præter omnium opinionem dicam, oportet de ea rationem reddere : ne quis me ex cerebro locutum credat. At quid dubitandum de re perspicua? In actis qua sub nomine primi Toletani concilii circumferuntur, etiam a Loaysa recognitis, adest *Regula fidei contra omnes hæreses, et quam maxime contra Priscillianistas, quam episcopi Carthaginenses, Tarraconenses, Lusitani et Bætici fecerunt; et de ea dicitur, quod cum præcepto Leonis Papæ ad Balconium episcopum Bracarensem miserunt*. Attamen Sanctus Leo non ascendit pontificatum Rom. usque ad annum Domini 440. Quare vehementer discordat titulus concilii, quod celebratum dicitur æra Cæsaris 438, id est, Christi anno 400, Stilicone consule, a regula quæ post 40 et amplius annos missa est, cum præcepto Leonis Papæ ad episcopum Bracarensem : et consequenter hæc duo simul ad unum idemque Concilium referri nequaquam possunt, sed ad diversa. Insuper in actis, de quibus agimus, fit mentio alterius concilii Toletani vetustioris : nam canonibus moderni promulgatis, jusserunt patres concilii ut extraherentur de plenariis gestis Toletani concilii professiones Symposii, Dictinii, et aliorum episcoporum, qui a secta Priscilliani in eo desciverant; en verba ipsissima actorum : *Excerptæ sunt de plenariis gestis, professiones Domini Symphosii, et Domini Dictivii sanctæ memoriæ episcoporum; et Domini sanctæ memoriæ Comasii tunc presbyteri, quas inter reliquos habuerunt in concilio Toletano de damnatione Priscilliani, vel sectæ ejus*. Certe si ejusmodi professiones in hoc moderno concilio Toletano factæ fuissent, minime Patres dicerent, quod eas *habuerunt* in Concilio Toletano, sed in hoc concilio. Præterquam quod Symphosius et Dictinius vocantur *sanctæ memoriæ* episcopi, quod de præsentibus dici non valuit : et quod magis urget, de Comasio dicitur, quod quando hæresim detestatus fuit, tunc erat presbyter, *et Domini Comasii tunc presbyteri*, etc., quo uno verbo evidenter asseritur, non fecisse professionem nunc in moderno concilio Toletano, sed alio tempore, tunc scilicet cum erat presbyter, non nunc cum est episcopus. Rursus in sententia episcoporum lapsorum, quæ legi jussa est, præcipitur, ut omnes qui reconciliati sunt, subscribant concilio : *Accepta forma a concilio* (verba sunt sententiæ) *si subscripserint, et ipsi in cœlestis pacis contemplatione consistant*. Nullus tamen eorum inter nomina 19 Patrum hujus concilii reperitur; nec Symphosius, nec Dictinius, nec Comasius, nec Vegetinus, nec Anterus; quos tamen certum est subscripsisse actis, et Canonibus concilii Toletani, a quo reconciliationem acceperunt : alias viderentur ab ipsis discrepare, et ei non obedire.

Audi nova monstra. In prædicta sententia, quæ in priori concilio Toletano inflicta, et in posteriori lecta est contra episcopos priscilliani sectatores, nimirum Symphosium, Dictinium, et reliquos, Paternus Bracarensis episcopus a communione cætero-

rum episcoporum excluditur, eo quod ordinatus fuisset a Symphosio tunc temporis Priscilliani labe consperso, et jubetur absolutionem exspectare a Romano Pontifice: hic tamen ipse in concilio Toletano, quod vulgo vocatur primum, præses fuisse reperitur, et uti talis primo loco subscripsit, ejusque jussu universa conciliaria themata proposita et tractata sunt; quod ex ipsis actis liquet. Ergone quis in eodem concilio judicis supremi simul et rei personas subiret? Absit. Neque vero simile est, quod Loaysa notavit, Paternum concilii Toletani præsidem, fuisse Toletanum episcopum, non Bracarensem: hoc, inquam, stare non potest, quoniam eidem concilio subscripsit Asturius, qui eo tempore erat Toletanus antistes. Negat fuisse; sed negat quod verum est; ipso enim cum S. Hildefonso lib. de Viris illustribus fatente, Asturius Audentio in episcopatu successit; atqui Audentius jam fato concesserat tempore hujus Toletani concilii; nam subscripserat Cæsaraugustano celebrato anno Domini 384, ut eo loco diximus; nunc vero huic Toletano, quod non multos post annos celebratum est, non subscribit Audentius, sed Asturius. Et quid moror, cum in sententia prædicta contra Symphosium et complices edita, Paternus non Toletanus, sed Bracarensis episcopus nominetur? Quod si quærat quis, qui fieri potuerit, ut cum Paternus Bracarensis Toleti reum semel egisset, post non multos annos præses concilii Toletani fuerit? Respondeo, id meritis hominis ascribendum: neque enim umquam in hæresim lapsus fuerat, quinimmo in ipsa sententia laudatur de catholicæ fidei veritate propugnata, et de propalato aliorum hæreticorum errore; et ea de causa permissus est in sua Bracarensi Ecclesia pontificalia munia exercere, et solum prohibetur cum aliis episcopis ad tempus communicare, eo solum quod a Symphosio ordinari se permiserat: quo tempore omnes pene suæ provinciæ episcopi in Priscilliani dogmata declinaverant. Audi verba sententiæ: *Paternum Bracarensem episcopum, licet pro catholicæ fidei veritate, et publicato hæresis errore, libenter amplexi, Ecclesiam in qua episcopus fuerat tenere permisimus; recepturi etiam in nostram communionem, cum sedes apostolica rescripserit.* De ea igitur re semel facileque gratia et absolutione habita, Paternus communionem accipiens, magnus pro meritis apud omnes factus, usque ad præsidentiam concilii Toletani ascendit. Quæ in his repugnantia? Digne proinde de eo inferius Dexter ad annum 407: *Sanctus Paternus episcopus Bracarensis, qui concilio Toletano 19 episcoporum præfuit, multis laboribus et ægritudinibus afflictatus moritur.* Vir egregie doctus ac pius.

Quid plura? Magnumne tibi videtur in actis ipsis Toletani concilii, primi crediti, prioris mentionem fieri? Alterius adhuc anterioris notitia datur in eisdem actis, cujus respectu istud quod primum credebatur, tertium, ut minimum est. Sed unde hoc? Ex sententia contra Symphosium, Dictinium et socios data. Nonne satis perspicuum est ex dictis, latam eam fuisse in priori altero concilio, ab eo in quo legi jussa est? In illo igitur priori, in quo fertur, asseritur quod prædicti episcopi declinaverant concilii prius indicti in Toletana urbe præsentiam et judicium; alterum igitur celebratum fuerat, cujus nimirum conspectum contempserant. *Magnam*, inquiunt Patres illi in sententia, quam tulerunt, *nos constat præstitisse patientiam; etsi prius indictum in Toletana urbe concilium declinaverant, ad quod illos evocaremus, et audissemus, cur non implessent conditiones, quas sibi ipsi, S. Ambrosio præsente et audiente, posuissent?* Quod sane concilium, ut vides, superstite adhuc S. Ambrosio, celebratum est; hoc vero in quo tandem profertur sententia, paulo post mortem ipsius; quandoquidem in ea jubentur puniti exspectare rescriptum S. Simpliciani episcopi Mediolanensis, Ambrosii successoris: *Exspectantes pari exemplo, quid Papa, qui nunc est, quid Simplicianus Mediolanensis episcopus rescribant.* Vide, quæso, quam diversis temporibus duo illa priora celebrata sint.

Accedit prædictis omnibus, in eisdem actis reperiri epistolam S. Innocentii I Papæ, ad Patres in Toletana synodo congregatos; cum vero S. Innocentius sedem apostolicam non ascenderit usque ad annum Domini 402, sententia vero (quod ex capite ejus constat) lata legatur 3 idus Sept. æra 438, qui est annus Domini 400, necessario consequitur, ut ad Patres in longe alio concilio congregatos scripserit, quam sit illud in quo sententia prædicta lata est. Minime deinceps, lector benevole, miraberis, cum canones quamplurimos concilii Toletani nomine apud Gratianum, Ivonem et Burcardum compereris; qui tamen nullius ex Toletanis excusis esse reperiuntur; cujus generis sunt in Gratiani decreto 10, quæst. 1, *Relata*; 12, quæst. 2, *Sancimus*; 16, quæst. 1, *Plures baptismales*; 27, q. 2, *Statutum est.* Et in Decretalibus Gregorii, lib. I, tit. 2, cap. *Offic.* 3; et tit. 24, cap. 1; et tit. 26, cap. 1; et tit. 27, cap. 2; et alii innumeri apud Ivonem, Burcardum et Martinum Bracarensem; quos habes ad calcem I concilii Toletani, in Tomis conciliorum, et apud Loaysam. Mirum certe non est, quod multi id generis canones reperiantur, si præter edita, quamplura alia Toleti concilia olim celebrata sunt.

At quot, et quæ sub primi nomine continentur rogas? Quinque procul dubio: tot enim ex actis ipsis eliciuntur; et (ut verum vero consonare videas) totidem a Dextro et ejus continuatore M. Maximo celebrata memorantur. Primum horum coactum asseritur a Dextro anno præsenti, scilicet 386: *contra omnes episcopos rebelles ex secta Priscilliani, qui vehementer urgentur.* Secundum prope annum 390, de quo inquit: *Synodus altera habetur Toleti, mortuo jam Damaso pontifice Romano anno 384, cui successerat S. Siricius. Incipitur autem hæc eadem synodus jam pluribus annis.* Tertium anno 400, de quo ait: *Hoc pontifice* (Siricio) *Toleti contrahitur quædam synodus.* De quarto autem sic: *Anno Domini 405, Stilicone II, et Fl. Antemio coss. cogitur Toleti concilium: et ad Patres in hoc concilio collectos scribit Sanctus Innocentius.* De Quinto denique Maximus, ad annum Christi 448, hæc scribit: *Præsidente Turibio Asturicensi episcopo sancti Leonis Papæ legato, Toleti in Hispania conveniunt frequentes episcopi, et abbates contra errores Priscilliani, denuo repullulascentes; prius tamen jam omnino consopitos, et tota Hispania depulsos.*

Vidisti quinque ab his auctoribus distingui Toletana concilia. Nunc totidem ex actis primi nuncupati deduci facile comperies. De quinto satis aperte dicitur in Regula fidei, quod *cum præcepto Leonis Papæ* a concilii Patribus ad Balconium Bracarensem missa est. Quarto respondet epistola ipsa sancti Innocentii, quæ incipit: *Innocentius universis episcopis in Toletana synodo constitutis*, etc., et nullo pacto ad concilium, in quo de Symphosio et sociis lata est sententia, dirigi valuit; illud enim celebratum est anno Domini 400, ut jam dicam: Innocentius vero non ascendit cathedram Petri usque ad 402, quod notum est omnibus; et inferius probabimus: jam quòd de tribus aliis in actis mentio fiat probatum a nobis est. Ad tertium igitur spectant professiones Symphosii, Dictinii, et Comasii, cum sociis, et sententia data in ipsos; quippe quæ in ejus capite lata dicatur 3 idus Septembr., æra 438, et conceptis verbis idem asserit Idatius Lamacensis in Chronico, anno 5 imperii Arcadii et Honorii, æra 438, qui est annus Domini 400. Ad secundum vero quod dicitur in sententia: *Et si prius indictum in Toletana urbe concilium declinaverant:* ad primum autem professio prior quam Dictinius fecerat in concilio Toletano,

A. C. 388. Sexto kalendæ Septembris Sextus Flavius Maximus cum Victore filio necatur. Hoc A. R. 1139.
uno maxima saltem laude dignus, quod fraudes detexit hæresiarchæ Priscilliani, eumque de Hispaniis expulit; reluctantemque parere concilio prius Cæsaraugustano, deinde Burdegalensi, coegit ire Treviros : ac tandem dignas de homine impuro, sceleratoque pœnas sumpsit; licet non servato juris ordine, tamen convictum gladio animadverti jussit.

BIVARII COMMENTARIUS.

cujus nimirum meminit ipse in posterioribus illis verbis : *Hæc in me reprehendo, quod dixerim, unam Dei et hominis esse naturam :* et post pauca : *In priori reprehensione mea, et in principiis conversionis meæ, quæcumque conscripsi*, etc.

Nunc causam et ordinem horum conciliorum accipe : cum in primo concilio Toletano omnes episcopi rebelles ex secta Priscilliani vehementer a Patribus urgerentur, coacti sunt errores omnes in se reprehendere ; inde tamen Symphosius, et Dictinius aliique rebelles iterum facti, in Italiam concesserunt; sed a sancto Ambrosio Mediolanensi cui argumenta sua communicarunt, ad sanam mentem redire coacti sunt. Interim ad novum Toletanum concilium citati accedere renuerunt, sub annum 390; quinimmo Symphosius episcopus contra S. Ambrosii rescriptum (quo Dictinium adhuc presbyterum vetuerat in episcopum ordinari, dum sancti Siricii Romani Pontificis absolutio non habebatur), Dictinium nihilominus de facto Asturicensem episcopum ordinavit. Sed tandem uterque pœnitens in sequenti Toletano concilio anno Christi 400, sententiam erratorum acceperunt. Cæterum anno 405, novo schismati inter Hispaniæ episcopos exorto, medelam in novo concilio adhiberi necessum fuit : multi enim non acquieverant sententiæ præcedentis. Quare S. Innocentius ad eos scripsit : *Sæpe me et nimium cum teneret cura sollicitum, super dissensionis schismate Ecclesiarum ; quod malum per Hispanias latius in dies separationis gradu incedere , fama proloquitur; necessarium tempus emersit, quo non possit emendatio tanta differri , et deberet congrua medicina provideri*, etc. Præfuit huic concilio S. Paternus Bracarensis (neque enim valuit alteri ex præcedentibus, cum in superiori anno 400 recens a Symphosio ordinatus , quodammodo reum egerit); eidemque interfuerunt illi 19 episcopi, quorum exstant subscriptiones : a quibus etiam editi fuerunt 20 canones in actis publicis vulgo circumlati. (Has duas synodos distinxit Baronius in appendice ad tom. V Ann.) Post 40 et amplius annos iterum Priscillianistæ repullularunt, cathedram sancti Petri regente Magno Leone : quo agente anno 448, S. Turibius Asturicensis episcopus , Dictinii successor , Toleti novum coegit concilium; in quo tandem spurcissima Priscilliani hæresis sepulta est: in hoc jussa sunt legi ex plenariis gestis , exemplaria professionum Symphosii et sociorum, et in eos lata sententia : in hoc fuit edita Regula fidei, 17 canonibus distincta, et ad Balchonium missa; qua munitus metropolitanus ipse Gallæciæ Priscillianistas inibi præcipue sedem habentes, confunderet et puniret. Hæc igitur quinque concilia sub primi nomine confusa sunt : nec omnino forsan absre , cum ea omnia ad eamdem rem peragendam, id est, Priscilliani hæresim abolendam celebrata sint. Constat nihilominus ex dictis in his commentariis multa alia Toleti ab initio nascentis Ecclesiæ concilia coacta fuisse, respectu quorum antiquissimum prædictorum quinque, necdum septimum est : nam (ut breviter Dextri scripta recurramus) primum omnium S. Eugenius pro stabiliendo Toletano Primatu concilium coegit ad annum Domini 105, et alterum ad annum 112, de rebus fidei ac morum. Deinde sub sancto Gregorio Toletano pontifice S. Sixti Papæ legatus anno Domini 260, Toleti concilium contraxit, quod S. Vincentius Ferrerius ab ipso Sixto celebratum scripsit. Insuper sub Natali Toletano præsule duo celebrata sunt : alterum anno 311, pro defensione Iliberritani; alterum Constantini jussu, anno 324 , vel circa, ubi antiquæ sedes, quæ suos fines amiserant, receperunt. Anno vero 366 et sequentibus , sub Damaso Papa et Audentio Toletano antistite, frequentes Toleti synodi passim collectæ dicuntur. Has vero secutæ fuerunt quinque illæ contra Priscillianistas : et post quintam a S. Turibio congregatam sub Leone Papa quædam alia contracta est anno 458, ut tradit M. Maximus, pro recipienda fide concilii Chalcedonensis : quo tempore Castinus Toletanæ Ecclesiæ præsidebat : et post hæc omnia relata secundum Toletanum communiter dictum anno Domini 531, sub Amalarico Gothorum rege a Montano Toletano præsule coactum fuit : ut apud eumdem Maximum videre est. Hæc pro majori intelligentia Toletanorum conciliorum semel dicere necessum fuit : cætera suis locis notabimus.

A. C. 388. — 1. *Sexto kalendas*, etc. Justam Priscilliani punitionem a Maximo tyranno imperatore apud Treviros patratam , et ipsius Maximi mortem fuse tractat Severus cit. loco. Ejusdem quoque ætatis auctor Idatius Lamacensis in Hispania episcopus, eam historiam per singulos annos digessit in Chronico, quod nuper a Jacobo Sirmundo in lucem datum est anno Domini 1619. Igitur Idatii verba sunt hæc : *Æra* 423 (id est Christi anno 385), *Priscillianus declinans in hæresim Gnosticorum, per episcopos, quos sibi in eadem pravitate collegerat, Abulæ episcopus ordinatur; qui aliquot episcoporum conciliis damnatus, Italiam petit , et Romam. Ubi nec ad conspectum quidem sanctorum episcoporum Damasi, et Ambrosii receptus, cum his, cum quibus fuerat, redit ad Gallias; inibi similiter a S. Martino, episcopo , et ab aliis episcopis hæreticus judicatus* (in concilio Burdegalensi jussu Maximi , ut Severus habet, coacto), *appellat ad Cæsarem, quia in Galliis his diebus potestatem Maximus obtinebat imperii.* Rursus : *Æra* 425 (anno Domini 387), *Priscillianus propter supradictam hæresim ab episcopatu depulsus, et cum ipso Latronianus laicus, aliquantique sectatores ejus apud Treverim sub tyranno Maximo cæduntur. Exin in Gallæciam Priscillianistarum hæresis invasit.* Demum quod ad eædem ipsius tyranni spectat, subdit : *Æra* 426 (anno Christi 388), *Maximus tyrannus occiditur per Theodosium, tertio lapide ab Aquileia , 5 kalend. Augustas : et eodem tempore vel ipso anno in Galliis per Arbogastem comitem, filius Maximi, nomine Victor exstinctus est.* Iterum Idatius in Fastis Consularibus, eodem anno, Theodosio Augusto secundo , et Cynegio coss. ait : *Ipso anno occiditur hostis publicus Maximus tyrannus a Theodosio Augusto in milliario III de Aquileia, V kalend. Augusti. Sed et filius ejus Victor occiditur post paucos dies in Galliis a comite Theodosii.* Vide Idatii et Dextri concordiam in designando anno cædis Maximi, tametsi de die dissentiant. Erat Maximus, si Zozimo credimus, genere Hispanus; sicut et ipse Theodosius imperator, immo et Cynegius consul, et Orientis præfectus ; de ejus morte , actis, et sepultura hæc habet Idatius in Fastis : *Defunctus est Cynegius præfectus Orientis, in consulatu suo, Constantinopoli. Hic universas provincias longi temporis tabe deceptas , in statum pristinum revocavit , et usque ad Ægyptum penetravit , et simulacra gentium evertit. Unde cum magno fletu totius populi civitatis deductum est corpus ejus ad apostolos* (sic vocat templum apostolorum Constantinopolis) *die* XIV *kalend. Aprilis. Et*

A.C.388. S. Augustalis Iliberritanus episcopus Arelate moritur, ac in sanctorum numerum relatus est, cujus memoria colitur 7 Septembris. A.R.1139.

Aliquot episcopi Priscillianæ factionis, ad Ambrosium, Mediolanensem episcopum, Hispaniæ episcopis catholicis fidei, ac amicitiæ fœdere conjunctissimum confugiunt : qui anteactæ vitæ et suorum errorum valde dolentes confessione ad gremium Ecclesiæ redire satagunt. In quibus Dictinius tunc presbyter, postea vero episcopus Asturicensis, Symphosius episcopus ex Gallæcia, et etiam alii complures.

Augustali in sede Bætica Iliberritana succedit Gregorius ex præfecto prætorio Galliæ, jam confectæ et gravioris ætatis; vir apprime pius, et egregie bonas artes doctus.

Severus episcopus Malacitanus [*Al.* Lamacitanus] scripsit librum ad sororem de virginitate.

BIVARII COMMENTARIUS.

post annum transtulit eum matrona ejus Achantia ad Hispanias pedestre. Eadem fere in Chronico ipso anno 388 de Cynegio dixerat. De Maximi et Victoris filii internecione agit itidem Marcellinus in Chron. iisdem coss. et addit : *Andragathius comes, morte Maximi cognita, præcipitem sese e navi in undas dedit, ac suffocatus est.*

2. *S. Augustalis*, etc. Superius ad annum 382 notaverat Dexter S. Augustalis obitum in Gallia : nunc urbem designat, et venerationem ei a catholicis episcopis impendi jussam. Exstat ejus memoria in Romano Martyrologio, et apud Bedam die 7 Septembris. Baronius de Sede ejus dubitans, pro eo quod Beda habet, *Arelate S. Augustalis episcopi et confessoris*, mutavit, *in Galliis S. Augustalis*, etc., eo quod in tabulis episcoporum Arelatensium a Demochare editis, nullus ejus nominis reperiatur. Indigne tamen, quia Beda non asserit fuisse Arelatensem episcopum, sed illic festum de eo celebrari, quia nimirum ibi diem clausit extremum, et corpus humatum est. Quod autem adjicit idem Baronius, reperiri subscripsisse concilio Arausicano I sub S. Leone papa : quo tempore præerat Arelatensibus S. Hilarius, non est ad rem, quia longe alter Augustalis est hic a nostro Iliberritano ; cum constet Iliberritanum obiisse anno 382, Sanctum autem Leonem usque ad 440 non iniisse Rom. Pontificatum.

3. *Aliquot episcopi*, etc. Id ex actis concilii Toletani primi dicti manifestum fit : in sententia enim contra Symphosium, et Dictinium data sic legimus : *Litteris sanctæ memoriæ Ambrosii, quas post concilium Cæsaraugustanum ad nos miserat ; ut si condemnassent, quæ perperam egerant, et implessent conditiones, quas præscriptas litteræ continebant, reverterentur ad pacem, magnam nos constat præstitisse patientiam : et nisi prius indictum in Toletana urbe concilium declinarant ad quod illos evocaremus, et audivissemus cur non implessent conditiones, quas sibi ipsi, S. Ambrosio præsente et audiente, posuissent.* Quibus verbis innuitur, Symphosium, et Dictinium, et socios, in quos illa fertur sententia, convenisse S. Ambrosium, ejusque monitis non solum ad bonam mentem reductos fuisse, verum etiam, *ipso præsente et audiente*, sibi ipsis pœnitentiam debitam imposuisse, et certas conditiones implere promisisse, quas tamen adhuc tempore illius Toletani concilii, cujus præsentiam declinaverant, non impleverant. Inferius additur in sententia : *Cæterum extortum sibi de multitudine plebis probaret Symphosius, ut ordinaret Dictinium episcopum, quem S. Ambrosius decrevisset, locum presbyterii tenere, non accipere honoris augmentum.* Unde liquet quam vere Dexter asseveret, Dictinium nondum episcopum, convenisse sanctum Ambrosium. Confessionis vero ipsius veræ, et mirabilis præclarum præbet confessio testimonium, quæ in actis ejus concilii exstat; et multo præstantius sancta illius conversatio, et mors miraculis illustrata; cujus merito ab Ecclesia Asturicensi inter sanctos relatus celebratur cum officio duplici II classis, 3 die Junii : in cujus antiquo Breviario hanc habet collectam : *Omnipotens sempiterne Deus, qui hodiernam festivitatem in honore B. Dictinii confessoris tui atque pontificis nobis celebrare concedis : præsta, quæsumus, ut ejus gloriosis meritis assiduisque intercessionibus ad æterna vitæ gaudia, te ducente, pervenire mereamur. Per D. N.* In litania velut patronus, inter episcopos confessores nominatur; habetque antiquam Ecclesiam suo nomini dicatam, quæ nunc fratrum prædicatorum domus est. Cum audis Dictinium et Symphosium S. Ambrosium convenisse, non eo sensu accipias; quasi sedem apostolicam parvi penderent; absit hoc; sed ut eis vera dogmata exponeret, eò quod fama doctrinæ ipsius totas Hispanias pervaserat; non aliter atque postmodum Orosius nomine episcoporum Hispaniæ ad Augustinum in Africam perrexit, et multo ante duo alii episcopi Asturiæ et Emeritæ in causa Martialis et Basilidis S. Cyprianum convenerunt.

4. *Augustali*, etc. Quo tempore Priscilliani causa tractabatur, agente Idatio episcopo præcipuo ejus adversario, erat in Gallia prætorio præfectus Gregorius, ut expressit Severus lib. II Sacræ Hist. dum inquit de Idatio ad Gallias properanti : *Ibi Gregorium Præfectum adiit ; qui compertis, quæ gesta erant, rapi ad se turbarum auctores jubet, atque de omnibus ad imperatorem refert, ut hæreticis viam ambiendi præcluderet.* Quod autem Gregorius inde ad episcopatum in Hispania iis diebus raptus fuerit, S. Innocentius papa in epistola ad episcopos in Toletano concilio constitutos scribit, illis objiciens, quod nonnulli ex sæcularibus præfecturis, ubi irregularitatem procul dubio sæpius contraxerant, ad episcopatus assumerentur, in quibus Gregorius et Rufinus fuerant : *Nam de ordinationibus* (inquit) *quas pravæ consuetudinis vitio episcopos Hispanienses celebrare cognoscimus : quantos ex eis, qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, et obtinendi pertinaciam susceperant, accitos ad sacerdotium esse comperimus, e quorum numero Rufinus et Gregorius perhibentur ? quantos ex militia, qui cum potestatibus obedierunt, severa necessario præcepta exsecuti sunt ? quantos ex Curialibus*, etc. Ex militia ad pontificatum Uxamensem evectus est S. Exuperantius; et ex præside prætorio Cappadociæ Gregorius Cordubensis Junior, de quo dicam num. 6. Cæterum Gregorius ad Iliberritanam sedem evectus, sanctitate, et doctrina non mediocriter fulsit; ut cum Dextro inferius, ad annum Domini 407 et 423 quo obiit, dicemus. Perpende, quæso, lector, quam belle fabella conficta sit de miserando obitu Hosii, ad imprecationem sancti Gregorii episcopi Iliberritani: qui tamen adolescens adhuc forenses causas tractabat, et post 50 et amplius annos (Christi 390) episcopalem cathedram ascendit. Qua de re anno 360 egimus, et docte Baronius in Annalibus, loco inibi citato, probat fuisse commentum Marcellini comitis.

5. *Severus*, etc. Ejusdem meminit M. Maximus in Chron. anno Domini 432, inquiens: *Severus episcopus Lamacensis floret scriptis. Interfuit primo Concilio Toletano.* Sane ejus nomen reperitur inter 19 Patres illius subscriptum, 13 loco, in editione archiepiscopi Loaysæ; in veteri vero Conciliorum, 7. In codice Dextri excuso vocatur Malacitanus episcopus; at constat te-

A.C. 388. Higinio Cordubensi succedit Gregorius Junior : scripsit ad Orosium super ann. 380. A. R. 1139.
Prudentius Toleto, Corduba, ac Cæsaraugusta in Hispania egregie gubernatis, fit dux, et habetur orator celeberrimus, et poeta mirificus. Anno 400 petit Romam.
Synodus altera habetur Toleti, mortuo jam Damaso pontifice Romano anno 384, cui successerat sanctus Siricius. Incipitur autem hæc eadem Synodus jam a pluribus annis.
Claudianus poeta ex Hispania oriundus, Romæ floret.

BIVARII COMMENTARIUS.

stimonio Maximi fuisse Lamacitanum, seu Lamacensem, ut ipse vocat. Ad hunc forsan S. Paulinus scripsit epistolas, quæ, teste Gennadio, ad Severum datæ sunt.

6. *Higinio*, etc. Higinio apud Leronem exsulanti mortuo, de quo anno 384 fuse diximus, successit in Cordubensi sede Gregorius, qui tamen prius præfectus prætorio Cappadociæ fuerat; uti ipse Dexter inferius asseverat ad annum 424. Ejusdem meminit etiam cum laude ad calcem Chronici. Vocatur autem Junior respectu habito ad Higinii præcessorem Gregorium, cujus in concilio Mediolanensi laudes Magnus Theodosius prosecutus fuit : quod ibi anno Domini 384 notavimus. Huic successit Higinius, Higinio Junior Gregorius, Gregorio vero Isidorus, et ipse Junior vocatus. Recole de hoc etiam ibi notata, propter Isidori Senioris memoriam.

7. *Prudentius*, etc. Id ipse in præfatione ad Catemerinon disertis verbis pronuntiat, nimirum inquiens :

Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus urbium,
Jus civile bonis reddidimus, terruimus reos.
Tandem militiæ gradu
Evectum pietas principis extulit,
Assumptum propius stare jubens, ordine proximo.

Forsan pro *Bis legum*, etc. deberet *Ter legum moderamine* legi; aliter quomodo verum erit trium urbium Tolcti, Cordubæ, Cæsaraugustæ legum moderamine frenos rexisse? nisi quis dicat alteram triennio integro, cæteras dimidio gubernasse. Quod subditur, anno 40 petit Romam, ad ætatem referendum est; natus enim fuerat Philippo et Salia coss. anno Domini 348. Unde iniit suæ ætatis 40 sub ann. Domini 388, de quo nunc agit præcipue Dexter. Quare quod in excuso Cæsaraugustano habetur, Anno 400 petit Romam, errore librariorum inductum est : liquetque error ex eo quod inferius scribere Romæ dicitur Prudentius anno 396.

8. *Synodus*, etc. Hæc a nobis secunda inter eas, quæ Toleti contra Priscillianistas coactæ sunt, reputata est; dicitur vero pluribus annis incepta, eo quod ad eam sæpius episcopos Priscilliani tabe infectos citaverunt, et iis renuentibus, synodus differebatur; et tandem absque eis celebrata fuit ; ut ex tenore sententiæ in ipsos datæ superius probatum est.

Desierat ab humanis sanctus Damasus anno Domini 384. Siricius sequenti anno suffectus fuit, et rexit Ecclesiam usque ad 398; Anastasius ejus successor usque ad 402, quo nimirum electus fuit S. Innocentius, qui ad Patres Toletanam synodum anno 405 celebrantes, litteras de reformatione scripsit. Convenit nobiscum et cæteris Baronius, tom. IV et V Annal. Eccles.

9. *Claudianus*, etc. De patria Claudiani non omnes idem sensere : Petrarcha Hispanum, Landinus Florentinum, Girardus Ægyptium ex Alexandria facit, quod docuit Suidas; quinimmo Claudianus ipse nonnumquam scripsit (in epistola ad Gennadium proconsulem) : *Italiæ commune decus, Graiorum populis, et nostro cognite Nilo*. Norunt vero omnes Nilum Alexandrinam Ægypti urbem irrigare. Idque verum ego existimo, et Dexter non contradicit; non enim scribit in Hispania ortum, sed ab Hispania oriundum, quod nimirum genus suum inde traheret : nec aliud crediderim Petrarcham voluisse. Solus Landinus sine auctore incedit, et forsan laborat in æquivoco; habuit enim in amicitiis sibi conjunctissimum Florentinum v. claris. cujus apud Græcos de Re rustica libri leguntur, et ad quem libros III de Raptu Proserpinæ ipse dedit; exstat etiam elegia sub utriusque nomine, cujus initium : *Otia sopitis ageret cum cantibus Orpheus*. Inde, haud dubium, æquivocatio orta est, ut unus idemque crederetur a Landino Claudianus, et Florentinus, et hoc quasi prioris proprium cognomen. Quod autem ad Dextri placitum spectat, non leve ejus veritatis indicium præbet, quod ubique Claudianus in laudibus Hispaniæ de more se diffundit, cum cæterarum mundi provinciarum encomia sileat. Dabo ejus rei nonnulla exempla. In libro cujus titulus, *Laus Serenæ reginæ uxoris Stiliconis*, hæc inquit :

Quid dignum memorare tuis, Hispania, terris
Vox humana valet? primo levat æquore solem
India; tu fessos exacta luce jugales
Proluis, inque tuo respirant sidera fluctu.
Dives equis, frugum facilis, pretiosa metallis,
Principibus fecunda piis : tibi sæcula debent
Trajanum; series his fontibus Ælia [a] fluxit;
Hinc senior [b] pater, hinc juvenum diademata fratrum.
Namque aliæ gentes, quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit; varios raptantur in usus
Imperii : Phariæ segetes, et Punica messis
Castrorum devota cibo : dat Gallia robur
Militis; Illyricis sudant equitibus alæ;
Sola novum Latiis vectigal Ibera rebus
Contulit, Augustos. Fruges, æraria, miles
Undique conveniunt, totoque ex orbe leguntur;
Hæc generat, quæ cuncta regant. Nec laude virorum
Censeri contenta fuit, nisi matribus æque
Vinceret, et gemino certatim splendida sexu,
Flaccillam, Mariamque daret, pulchramque Serenam.
Te nascente [c] ferunt per pinguia culta tumentem
Divitiis undasse Tagum, Gallæcia risit
Floribus, et roseis formosus Duria ripis :
Vellere purpureo passim mutavit ovile
Cantaber : Oceanus vicino littore gemmas
Exspuit; effossis nec pallidus Auster oberrat
Montibus; oblatum sacris natalibus aurum
Vulgo vena vomit : Pyrenæique sub antris
Ignea fulmineis legere Cereaunia Nymphæ.

Totidem fere dixerat Latinus Pacatus Theodosio.

Rursus in nuptiis Honorii Augusti, et Mariæ Hispanæ, Stiliconis filiæ :

Procul audiant Iberi,
Fuit unde semen aulæ :
Ubi plena laurearum
Imperio feta domus vix numerat triumphos.
Habet hinc patrem maritus, (*id est, Honorius Theodosium*)
Habet hinc puella matrem, (*Mariam Serenam Stiliconis uxorem*)
Geminaque parte ductum
Cæsareum flamineo stemma recurrit ortu.
Decorent vireta Bætim,
Tagus intumescat auro :
Generisque procreator
Sub vitreis Oceanus luxurietur undis.

In Panegyri de 4 consulatu Honorii ad ipsum sic effatur :

Omnibus acceptis ultro te Regia solum
Protulit, et patrio felix adolescis in ostro,
Membraque vestitu numquam temerata profano,
In sacros cecidere sinus. Hispania patrem

---

[a] Æliam vocat Hadriani seriem.
[b] De Theodosio seniore et filiis Arcadio et Honorio dicit.
[c] Ad Serenam convertitur.

A.C. 388. Mirifice floret Exuperantius episcopus Hispanus, clarus ex episcopo Italiæ, qui in- A.R. 1139.
terfuit concilio Tarraconensi.
Vigilantius Hæreticus Calagurritanus ex Gallia.

BIVARII COMMENTARIUS.

Auriferis eduxit aquis : te gaudet alumno
Bosphorus [a] ; Hesperio de limite surgit origo :
Sed nutrix Aurora tibi : pro pignore tanto
Certatur : geminus civem te vindicat axis.

Iterum lib. II de laudibus Stiliconis, Romam deducit orbis provincias, quæ Stiliconi consulatum exposcant; et inter cæteras primam inducit Hispaniam in hæc verba :

Conveniunt ad tecta Deæ [b], quæ candida lucent
Monte Palatino. Glaucis tunc prima Minervæ
Nexa comam foliis, fulvaque intexta micantem
Veste Tagum, tales profert Hispania voces :
Cuncta mihi semper Stilico, quæcumque poposci
Concessit, tantumque suos invidit honores,
Augusti potuit soceri contemnere fasces,
Jam negat et genero; si non ut ductor ab orbe
Quem regit, accipiat saltem cognatus ab aula.
Exiguumne putat quod sic amplexus Iberam
Progeniem, nostros immoto jure nepotes (*Honorium et Arcadium*)
Sustinet, ut patrium commendet purpura Bætim?
Quod pulchro Mariæ fecundet germine regnum?
Quod Domini speratur avus?

Sperabatur sane nascituri Cæsaris avus Stilico, cum filiam suam Mariam Honorio Augusto, matrimonio junxisset. Item libro de consulatu Manlii Theodori scripsit :

Lentus Arar, Rhodanusque celer, et dives Iberus.

Et inferius :

Illustret circum sonipes quicumque superbo
Perstrepit hinnitu Bætim, qui splendida potat
Stagna Tagi, madidoque jubas aspergitur auro.

Hæc non solum in gratiam Dextri, qui Claudianum ex Hispania facit oriundum, dicta sunto, cujus nimirum in res Hispanicas affectus semper, multumque effusus, sanguinis conjunctionem ostentat; verum multo magis in gratiam Honorii et Arcadii Augustorum, quorum memoria a codice Dextri, exscriptorum vitio exciderat. Nec enim tantos principes oblivisci potuit, qui cæterorum pro Chronici sui more seriem retexuit. De iisdem et Stilicone pauca inferius anno 400 et 405.

10. *Mirifice*, etc. Consule quæ de eodem dicta sunt ad annum 385. Concilium Tarraconense, cujus hoc loco fit mentio, illud existimo, quod Himerius Tarraconæ Metropolitanus coegit pro recipiendis canonibus Siricii Papæ, qui in epistola ad ipsum data, Arcadio et Bautone coss., id est, anno Christi 385, exstant (sunt omnes canones numero 15), ad calcem epistolæ jubetur Himerius eos intimare episcopis Carthaginensis, Bæticæ, Lusitanæ, et Gallaicæ provinciarum, et non solum Tarraconensis : quo videtur totius Hispanicæ nationis antistites ad ipsum convenisse.

11. *Vigilantius*, etc. Cardinalis Baronius in Annalibus putavit hæreticum hunc in Hispaniis Calagurri ortum : sibique suffragari D. Hieronymum, dum contra ipsum scribit. Ei tamen adversatur Gennadius lib. de Script. Eccles. seu de Viris illustr. cap. 35, in hæc verba scribens : *Vigilantius presbyter, natione Gallus, in Hispania Barcilonensis parochiæ Ecclesiam tenuit; scripsit et ipse zelo quidem religionis aliqua, seductus humana laude, et præsumens supra vires suas : homo lingua politus, non sensu scripturarum exercitatus : exposuit pravo ingenio secundam Danielis visionem, et alia locutus est frivola, quæ in Catalogo hæreticorum necessario exponentur.* His per omnia consonant, quæ Dexter scribit, nimirum ortum fuisse in Gallia, et Barcilonensis diœcesis ecclesiæ presbyterum, nam vixit longo tempore Calagurri, non ea quæ ad Iberi ripas florens, vulgo *Calahorra* vocatur, sed quæ ad radices Pyrenæi montis in Barcinonensi conventu olim sita fuit; de qua apud Ausonium in epistolis ad Paulinum mentio fit : cum enim illum apud Barcinonem agere scripsisset epistola 24, illis verbis :

Quid queror Æoique insector crimina monstri?
Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris juga ninguida Pyrenæi.

quod nimirum inibi Paulinus suus detineretur; subdit epistola 25 :

Ergo meum, patriæque decus, culmenque senatus,
Bilbilis, aut hærens scopulis Calagurris habebit?

quasi dixerit, Calagurrim scopulis Pyrenæis hærentem Paulinum suum habere, quem tamen Barcinone in Pyrenæi ninguidis jugis existere dixerat; manifeste innuens Calagurrim illam prope Barcinonem esse. De utraque Barcinone fuse Morales in Antiquitatibus Hispaniæ, et Nonnius cap. 81, e quibus altera vocabatur *Nasica*, altera *Fibularia*, quæ nimirum hodie exstat. Ortus igitur Vigilantius in Gallia fuit; inde Pyrenæis transactis, Calagurri Barcinonensis conventus substitit, ejusque Ecclesiæ presbyter effectus est.

Neque vero ab his discrepat Hieronymus; quinimmo id tam perspicuis verbis promit, ut Marianus Victorius in argumento libri contra Vigilantium, summam ejusdem contrahens, hæc scripserit: *Vigilantius, Gallus natione, Barcilonensis Ecclesiæ, quæ in Hispania est, presbyter*, etc. Sed quid clarius ipso libri initio? *Multa in orbe monstra generata sunt: Centauros, et Sirenas*, etc., *in libris poetarum legimus; triformem Geryonem Hispaniæ prodiderunt; sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis et eloquentissimis abundavit. Exortus est subito Vigilantius, seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum.* Unde, quæso, Hieronymo subito Vigilantius exortus est? Non aliunde quam ex Galliis, quæ quidem ante ipsum monstra ignorabant. Nam Hispaniis id accommodari non potest, quandoquidem ad provinciam proxime nominatam necessario referri debet : ea autem non Hispania, sed Gallia est: cui accedit quod de ortu illius monstri Hieronymus miretur, et mirabile non esset, quod in Hispaniis natus fuisset; quippe quæ suum triformem Geryonem prodidisset, sola autem Gallia monstra non habuerat; quare inde admiratio major Hieronymo orta est. Et quid opus est conjecturis, cum inferius nobis exprimat urbis nomen, in qua natus fuit Vigilantius, nimirum *Convennas?* hæc tamen Ptolomæo, Plinio, et cæteris auctoribus in Aquitania sita est, vulgo dicta *Commenge*, seu *Commingeois*. Audi Hieronymum : *Nimirum respondet suo generi, ut qui de latronum et Convennarum natus est semine (quos Cn. Pompeius edomita Hispania, et ad triumphum redire festinans, de Pyrenæi jugis deposuit, et in unum oppidum congregavit, unde et Convennarum urbs nomen accepit) hucusque latrocinetur contra Ecclesiam Dei.* Nemini igitur dubium, quod Vigilantius in Galliis natus sit. Inde tamen Calagurrim petiisse omnes fatentur, presbyterumque egisse, quousque vitiatis nonnullis Hispaniæ Ecclesiis, ab Hispanis ejectus fuit in Gallias, ubi nimirum degebat eo tempore, quo pius vir Sisinius a sanctis presbyteris Barcinonensibus Ripario et Desiderio, ad Hieronymum missus fuit, uti ipse Hie-

[a] Natus Constantinopoli in Oriente, in Thracio Bosphoro, Patre Hispano.
[b] De templo Pacis intelligo.

A. C. 388. Hic Barcinonensem vitiat Ecclesiam, ubi presbyter fuit, et Ecclesias alias Hi- A. R. 1139.
spaniæ : contra quem scripsit sanctus Hieronymus.

396. A sancto viro Lampadio [*Al.* Lampio] episcopo Barcinonensi, qui successit sancto 1147.
parenti meo Paciano, fit Paulinus presbyter; qui non multo post, multa paupertate spiritus præditus, omnia vendidit.

BIVARII COMMENTARIUS.

ronymus expressit : *Iste caupo Calagurritanus* (ait A ille) *et* (*in perversum propter nomen viculi*) *mutus Quintilianus miscet aquam vino ; et de artificio pristino* (videtur primum cauponem egisse Calagurri) *suæ venena perfidiæ, catholicæ fidei sociare conatur.* Et inferius : *Proh nefas! episcopos sui sceleris dicitur habere consortes ; si tamen episcopi nominandi sunt, qui non ordinant diaconos nisi prius uxores duxerint.* Et post pauca : *Auctores sunt hujus dictatiunculæ meæ, sancti presbyteri Riparius et Desiderius, qui parochias suas vicinia istius scribunt esse maculatas ; miseruntque libros per fratrem Sisinium, quos inter crapulas stertens evomuit ; et asserunt repertos esse nonnullos, qui faventes vitiis suis, illius blasphemiis acquiescant.* At quot et quantis? *Impugnabat virginitatem, oderat pudicitiam, in convivio sæcularium contra sanctorum jejunia proclamabat, dum inter phialas philosophabatur ; quinimmo os fetidum sursum aperire ausus est, et putorem spurcissimum contra sanctorum martyrum proferre reliquias, et nos qui eas suspicimus appellare cinerarios et idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneramur.* Cæterum ad Gallias tandem secessisse illa verba indicant : *Galliæ vernaculum hostem sustinent, et hominem moti capitis, atque Hippocratis vinculis alligandum, sedentem cernunt in Ecclesia.* Et infra : *qui ad radices Pyrenæi habitas, vicinusque es Iberiæ*, etc. Et illud : *Incursat Galliarum Ecclesias.* Vide quam vera sint omnia, quæ de ipso scribit Dexter ; obiterque annota verba illa Hieronymi, *Galliæ vernaculum hostem sustinent*, quibus manifeste asserit fuisse Gallum. Quid enim aliud est, vernaculum esse hostem, quam domesticum? Demum adverterim in concilio Toletano habito anno Domini 400, depositum fuisse cum aliis episcopis Priscillianistis Emilam, seu Emilium, nimirum Barcinonensem episcopum, de quo Dexter dixerat concilio Cæsaraugustano interfuisse ; quo verum liquet, id quod nunc affirmat, Vigilantium Barcinonensem vitiasse Ecclesiam. Scripserunt postea contra Vigilantium Sidonius Apollinaris, et Palmatius Toletanus episcopus, ut auctor est M. Maximus in Chron. ad annum Domini 476.

A. C. 396. — 1. *A sancto viro*, etc. Quod a nonnullis in controversiam deductum est, fueritne Paulinus Nolanus auctor ille, cujus poemata circumferuntur sub Pontii Paulini nomine, nunc Dextri testimonio definitur : etenim unus idemque fuisse asseritur, qui Barcinone vixit, sacerdotio decoratus, quod de poeta in suis operibus legimus, et qui postmodum multa spiritus paupertate decoratus omnia sua pauperibus et captivis erogavit : id quod de Nolano antistite scribit Gregorius Magnus lib. III, Dialog. cap. 1. Cardinalis Baronius ad annum Domini 395, notat sanctum Paulinum adhuc in Hispania degentem scripsisse lib. II Natalitium. Sane Uranius presbyter Burdegalæ natum S. Paulinum scribit, habuisseque uxorem Terasiam : et cum nullibi præterquam in Hispaniis Terasiæ nomen fuerit in usu, ex eo satis ostenditur fuisse Hispana. Sed et Ausonius Burdegalensis Pontio Paulino nepoti suo Barcinone in Hispaniis degenti multas dedit epistolas, nimirum a 19, quæ incipit, *Condiderat jam Solis equos Tartesia Calpe*, usque ad 25, sub titulo : *Ausonius Pontio Paulino filio* ; ubi de eo queritur, quod Burdegalam patriam suam, et cum ea patriam religionem dimiserat, ad Christi fidem conversus ; et inter multa epistola 24 inquit :

Quid queror, Æoique insector crimina monstri?
Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris juga ninguida Pyrenæi.
Quod si inter vallis spatium tolerabile limes, *etc.*
Tunc ego te, ut nostris aptum complecterer ulnis.
Nunc tibi trans Alpes, et marmoream Pyrenem
Cæsareæ Augustæque domus, Tyrrhenica | rope
Tarraco, et ostrifero superaddita Barcino Ponto.

Innuit vero non semper uno loco Hispaniæ quievisse ; nam subdit :

Teque vagum toto quam longa Hispania tractu,
Immemorem veterum, peregrinis fidere amicis, etc.

In epistola vero 25, quæ incipit :

Quarta tibi hæc notos detexit epistola questus,
Pauline,

sic queritur :

Multa loquens, et cuncta silens non ambo placemus.
Nec possum reticere jugum, quod libera numquam
Fert pietas, nec amat blandis postponere verum.
Vertisti, Pauline, tuos, dulcissime, mores?
Vasconis hoc saltus, et ninguida Pyrenæi
Hospitia, et nostri facit hoc oblivio cœli.
Imprecer ex merito quid non tibi Iberica tellus?
Te populent Pœni ; te perfidus Annibal urat ;
Te belli sedem repetat Sertorius exsul.
Ergo meum, patriæque decus, culmenque senatus
(*Burdegalensis*).
Bilbilis, aut hærens scopulis Calagurris habebit?
Aut quæ detectis juga per scruposa ruinis,
Arida torrentem Sicoris despectat Ilerda? etc.

Sed et Paulinus ab Hispania aliquas Ausonio reddidit epistolas, quibus super religione Christiana suscepta se defendit ; prima sic incipit :

Quid abdicatas in meam curam, pater,
Redire musas præcipis? Prende studiis
Sacris profana posthabenda.

Secundæ titulus est, *Defensio propter religionem susceptam*, ubi ad objecta de barbaris nominibus C Hispaniæ respondet ; et inter cætera :

Quid tu mihi vastos
Vasconiæ saltus, et ninguida Pyrenæi
Objicis hospitia ; in primo quasi limine fixus
Hispanæ regionis agam ; nec sit locus usquam
Rure, vel urbe mihi, summum qua dives in orbem
Usque patet, mersos spectans Hispania soles?

Et paulo ante ;

Crede ergo, Pater mi,
Nec cœli immemores, nec vivere mentis egentes,
Humanisque agitare locis, etc.

Tertiam epistolam incepit sic :

Parce, precor, lacerare tuum, nec amara paternis
Admiscere velis, etc.

His consonant quæ sanctus Paulinus Nolanus ad Alipium Tagastensem episcopum scribit (est inter epistolas Augustini sub numero 35), se nimirum D Burdegaliæ a S. Delphino episcopo baptizatum, et Barcilone in Hispaniis a Lampadio alias *Lampio* antistite, proclamante ad id ac tumultuante plebe, ad presbyterii ordinem evectum fuisse ; epistolæ superscriptio est : *Domino merito honorabili et beatissimo Patri Alipio, Paulinus et Terasia peccatores.* Cum uxore etenim sanctissima Terasia, quasi cum sorore in summa continentia peregrinabatur ; et quoad vixit, sub utriusque nomine litteras dabat, et accipiebat, ut ex 31, 32, 33, 34, 35, inter epistolas Augustin

A. C. 396. Asturius, cognomento Serranus, qui successerat sanctissimo viro Audentio in sede Toletana, ut sanctus vir colitur. A.R. 1147.

BIVARII COMMENTARIUS.

liquet. At in præfata 35 hæc habet: *Ego etsi a Delphino Burdegaliæ baptizatus, et a Lampadio apud Barcilonem in Hispaniis, per vim inflammatæ subito plebis consecratus sim; tamen Ambrosii semper et dilectione ad fidem nutritus sum, et nunc sacerdotii ordine confoveor.* In epistola quoque 6, ad Severum: *Festina*, inquit, *venire ad nos..... Nos modo in Barcinonensi (ut antea scripseram) civitate consistimus. Post illas litteras, quibus rescripsisti; die Domini quo nasci carne dignatus est, repentina (ut ipse testis est) vi multitudinis (sed credo ipsius ordinatione) correptus, et presbyteratu initiatus sum, fateor, invitus, non fastidio loci*, etc. En quam Dextri placitum verum sit.

Sed opposuit mihi aliquando doctus in urbe vir, nequaquam cum veritate stare posse, quod Dexter asserit, nimirum anno Domini 396 S. Paulinum a Lampadio Barcinonensi episcopo presbyterum consecratum, cum ipse ad Alipium scribat in prædicta epistola fuisse ordinatum ante Augustini baptismum, qui incidit in annum Domini 389 Timasio et Proto coss., ut ex ejus scriptis evidenter probat card. Baronius: quinimmo jam venisset in Italiam, et Mediolani celebris esset. Hæc ille, cujus nomen honoris gratia silentio involvo. Cæterum si attente verba epistolæ considerasset, facile cognosceret, nihil eorum, quæ objecit, inibi haberi: solum enim ait, Alipium aliquid de ejus fama audisse, cum Mediolani Alipius ipse simul cum Augustino initiaretur: asserit etiam, quod cum epistolam scribit, jam ad presbyteratus gradum erat assumptus. Quod autem id quoque Alipius Mediolani, dum catechizaretur, audivisset, prorsus nec leviter innuit, quin potius ex ea deducitur non solum post baptismum Augustini et Alipii, sed etiam post episcopatum illius, Mediolani abundantius fuisse ab Ambrosio in fide instructum, et postmodum Barcilonæ ordinatum. Do tibi ejus ipsissima verba: *Quod indicasti mihi jam de humilitatis nostræ nomine apud Mediolanum te didicisse, cum illic initiareris, fateor curiosius me velle condiscere, ut ex omni parte te noverim: quo magis gratuler, si a suscipiendo mihi patre nostro Ambrosio, vel ad fidem initiatus es, vel ad sacerdotium consecratus: ut eumdem ambo videamur habere auctorem. Nam ego etsi a Delphino Burdegaliæ baptizatus, et a Lampadio apud Barcilonam in Hispaniis, per vim inflammatæ subito plebis sacratus sim; tamen Ambrosii semper et dilectione ad fidem nutritus sum, et nunc sacerdotii ordine confoveor. Denique suo me clero vendicare voluit, ut etsi diversis locis degam, ipsius presbyter censear.* Hæc omnia Alipio narrat tamquam nova et ipsi incognita, et quæ post ejus initiationem acciderant. Sed de re frivola dicta sufficiant.

Cætera quæ in commendationem sanctitatis beatorum Paulini, et Terasiæ, ab Uranio, lib. de transitu S. Paulini, et a Gregorio Magno, lib. III Dialog. c. 1, petenda sunt, ubi narrat, ultroneam Paulini captivitatem pro filio viduæ Nolanæ, et ejus liberationem cum omnibus suæ urbis civibus; et ab epistolis Augustini, præsertim a 54, cujus titulo hanc prædictorum inseruit commendationem: *Dominis dilectissimis et sincerissimis, vere beatissimis, atque abundantissima Dei gratia præstantissimis fratribus Paulino, et Terasiæ, Augustinus in Domino salutem.* Sed et illud Gregorii Turonensis de gloria Confess., cap. 107, memoria dignissimum; *Perrexit ergo cum conjuge, quasi peregrinaturus in aliam regionem, nihil habens præter statum proprium. Post multum vero tempus, cum ab incolis regionis suæ requireretur, nec posset penitus reperiri, negotiator de civitate illa* (Burdegala) *ad hanc urbem* (Nolam) *advenit; in qua vir beatus cælesti dono serviebat. Cumque vidisset eum, statim projiciens se in solum, et pedes sancti amplectens, hic est, inquit, beatus Paulinus toto vulgatus orbe; qui multum a suis civibus quæsitus, prorsus non potuit inveniri, et eo narrante omnes actiones ejus, obstupuerunt hæc audientes. Nec mora, de edente sacerdote apud Nolam urbem ipse in locum episcopi subrogatur.* Vide etiam Gennadium, de Viris illustr. cap. 48, et alios quos Baronius citat in notis ad 22 Junii.

Nec illud silendum quod Ausonius *in Parentalibus* scripsit, nimirum alios etiam Paulinos præfati consanguineos in Hispania, Burdegalia descendisse, et floruisse; primum namque Paulinus quidam Tarraconem gubernavit; de quo inquit num. 24:

> Nam correcturo tibi Tarraco Ibera tribunal
> Præbuit, affectans esse clienta tibi.

Hujus filius Paulinus Megentinam Ausonii sororem in conjugium duxit, ex qua in Hispania duos suscepit filios, videlicet alterum Paulinum, qui in juventute mortuus est, et Driadiam, quæ in Hispania etiam obiit, ut ipse ait num. 23:

> Illa manus inter genitricis, et oscula patris
> Occidit Hispana tum regione procul.

Paulinæ igitur hujus familiæ felicissimum germen sanctus Paulinus fuit, qui in juventute Burdegalia relicta, ad suos consanguineos aufugit in Hispaniam, ubi Terasiam uxorem accepit. Idem quoque eo tempore fecisse præclarum in rhetoricis artibus virum Dinamium Burdegalensem, ipsemet Ausonius asserit prædicto numero 24 *Parentalium*, ubi de eo:

> Crimine adulterii, quem saucia fama fugavit,
> Parvula quem latebris fovet Ilerda suis.
> Quem locupletavit conjux Hispana latentem,
> Namque ibi mutato nomine rhetor eras.
> Rhetor Flavinii cognomine dissimulatus, etc.

Illud quoque memoria dignum est, quod cum sanctus Paulinus esset Compluti in Hispania cum uxore sua B. Terasia, filius eorum Celsus adhuc puer, sanctitate clarus, diem clausit extremum, quem chari parentes prope sanctorum puerorum Justi et Pastoris sepulcrum sepelierunt. Exstat adhuc panegyricus a sancto Paulino in obitu filii editus, cujus initium: *Ante puer patribus claris*, etc., ubi hæc inter cætera refert:

> Credimus æternis illum tibi, Celse, viretis
> Lætitiæ, et vitæ ludere participem.
> Quem Complutensi mandavimus urbe propinquis
> Conjunctum tumulo, fœdere martyribus.
> Ut de vicino sanctorum sanguine ducat,
> Quo nostras illo purget in igne animas.
> Forte etenim nostris quoque pectoribus olim
> Sanguinis hæc nostri guttula lumen erit.

Quod ad Lampadium Barcinonensem episcopum spectat, qui sanctum Paulinum presbyterum ordinavit, annotarim, affuisse concilio Toletano primo nuncupato, et in Africa Milevitano pariter primo. Utrobique nomen ejus subscriptum reperitur, ut in actis Toletani primi videre est, et apud Augustinum, epistola 92, ubi de concilio Africano agitur. In epistola quæ est Paulini et Terasiæ ad Ulipium prave legitur *Lampius*, pro *Lampadius*. Sed si quæras cum inter Pacianum et Lampadium sedem Barcinonensem rexerit Emilas, quomodo nunc Dexter asserat Lampadium Paciano successisse? Occurram sane, quod Emilas privatus sacerdotio fuit propter hæresim Priscilliani et Vigilantii, ut apud acta concilii Toletani I videre est, et idcirco nomen eis a Catalogo eorum episcoporum rejectum.

2. *Asturius*, etc. Egimus de eo in superioribus,

A. C. 396. Prudentius Lyricus poeta Cæsaraugustanus, Romæ scribit. A. R. 1147.
398. Siricio sufficitur in Sede S. Petri Romana Anastasius. 1149.
400. Hoc pontifice Toleti contrahitur quædam synodus. 1151.
Paulus Orosius acceptis litteris episcoporum Herodis, Prudentii, et Lazarii; Herodis, inquam, Derthosani, Prudentii Ilerdensis, Lazari Viccnsis, ex concilio Toletano

BIVARII COMMENTARIUS.

ad ann. 370. Iterum inferius agemus ad annos 406, 423, 424, ubi de ejus sanctitate.

3. *Prudentius*, etc. Id intelligendum est de lib. Psychomachiæ, id est, de compugnantia animi; nam librum Cathemerinon, hoc est, divinarum rerum opus, scripsit ætatis suæ quinquagesimo septimo, ut ipse in prologo asserit; cum enim natus fuerit Salia et Philippo coss., anno nimirum Christi 348, fit ut Cathemerinon scripserit anno 404, ab illo enim ad hunc 57 anni intercedunt : ait enim :

Per quinquennia jam decem,
Ni fallor, fuimus, septimus insuper
Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.
Instat terminus, et diem
Vicinum senio jam Deus applicat;
Quid nos utile tanti spatio temporis egimus?

Enarratis vero vitæ suæ actis, subdit :

Atqui fine sub ultimo
Peccatrix anima stultitiam exuat,
Saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit.
Hymnis continuet dies,
Nec nox ulla vacet, quin Dominum canat,
Pugnet contra hæreses, catholicam discutiat fidem.
Conculcet sacra gentium,
Labem Roma tuis conferat idolis,
Carmen martyribus devoveat, laudet apostolos.

De his omnibus scripsit, sed non eodem anno; nam Peristephanon, Apotheosim, Hamartigeniam, et libros duos contra Symmachum, postmodum in Hispaniis degens composuit, ut suo loco dicemus.

A. C. 398. *Siricio*, etc. Id cum vetustioribus asserit cardinalis Baronius.

A. C. 400. — 1. *Hoc Pontifice*, etc. Scilicet sub Anastasio, quem immediate dixerat in sede Petri successisse Siricio. In eo concilio sententia lata est in Symphosium, et Dictinium, cæterosque episcopos ex secta Priscilliani conversos; de qua re multa in superioribus diximus ad annum Domini 386, ubi hoc tertium fuisse ex iis conciliis, quæ Toleti contra Priscillianistas congregata sunt, probatum reliquimus. Hoc ipso anno 400, qui fuit quintus Arcadii et Honorii imperatorum, nobilem habet memoriam de ejusmodi Toletano concilio Idatius episcopus in Chronico suo his verbis : *In provincia Carthaginensi in civitate Toleto synodus episcoporum contrahitur; in qua (quod gestis continetur) Symphosius et Dictinius, et alii cum his Gallæciæ episcopi, Priscilliani sectatores, hæresim ejus blasphemissimam, cum assertore eodem, professionis suæ subscriptione condemnant. Statuuntur quædam etiam observanda de Ecclesiæ disciplina; communicante in eodem concilio Ortigio episcopo, qui Cælenis fuerat ordinatus, sed agentibus Priscillianistis pro fide catholica pulsus factionibus exsulabat.* Sane sententia ipsius concilii (ut ex actis colligitur) quod ad Ortigium spectat sic habet : *Fratri autem nostro Ortigio Ecclesias de quibus pulsus fuerat, pronuntiamus esse reddendas.* Reperitur Ortigius subscripisse Concilio sequenti Toletano anno Domini 405, de quo multa jam dixìmus, et iterum suo loco dicemus.

2. *Paulus Orosius*, etc. De legatione sua ex Hispania ad Augustinum, agit ipse Orosius in consultatione ad eumdem super negotiis suæ legationis data, quæ præponitur libro de erroribus Priscillianistarum et Origenistarum, exstatque tomo VI operum Augustini : et ipse Augustinus in epistola 102, ad Evodium. Tria tamen hoc loco in textu Dextri expositione indigent, videlicet, tempus quo legatio ipsa contigit; a quibus missus fuerit in Africam Orosius; et quam ob rem. Quod ad tempus spectat, Cæsar Baronius in annum Domini 414 eam rejicit, sed unde id acceperit illustrissimus cardinalis, non prodit; nisi forsan ex eo quod constat, legatione facta, missum Orosium fuisse ab Augustino Hierosolymas ad S. Hieronymum; inibique adfuisse tempore revelationis reliquiarum sancti Stephani Protomartyris Luciano presbytero factæ; et bonam earum partem postmodum primum omnium intulisse Occidenti : ut præter Augustini serm. 52 de Diversis, testimonio Marcellini comitis notum habemus in Chron. anno Domini 416. Quod si inventio anno superiori contigit, ut idem Marcellinus scribit, et ex epistola ipsius Luciani liquet, et ex Fastis Idatii Lamacensis; inferri inde videtur legationem Orosii ad Augustinum anno uno ante reliquiarum inventionem accidisse, videlicet 414. Sed a quibus episcopis missus? Baronius ab Eutropio et Paulo affirmat; hi siquidem in commonitorio, seu consultatione legationis Orosii nominantur : Dexter ab Herode, Prudentio, et Lazaro contendit. De causa legationis non minor discordia videtur, nam Baronius affirmat, Orosium se ad Augustinum contulisse, ut eum super erroribus Priscillianistarum, et Origenistarum consuleret; Dexter vero, ad episcopos Africanos causa generalis concilii congregatos, cum litteris Herodis et sociorum; detulisseque secum canones Cæsaraugustani dudum habiti, ut eos a Patribus Africanis approbari curaret.

Cæterum nihil a vero distans in Dextri scriptis reperiemus, si res ipsa rigoroso examini subjiciatur. Agebat hoc anno Orosius ætatis suæ 25 vel 26, utpote natus (quod superius vidimus) anno Domini 375 (quod enim in codice Cæsaraugustano scribitur natus 382, vel 384, error amanuensis fuit, quem ex alio ms. correxi); erat etiam in eo juventutis flore presbyter ordinatus. Sane D. Augustinus Orosium presbyterum juvenemque agnovit, nam in epistola 102 inquit : *Occasione quippe cujusdam studiosissimi juvenis presbyteri Orosii, qui ad nos ab ultima Hispania, solo sanctorum Scripturarum ardore inflammatus advenit*, etc. Nec mirum si quinto et vigesimo ætatis anno, in ipso juventutis flore Orosius in Africam profectus dicitur, nimirum Christi Domini 400. Neque enim quasi conciliaris Pater missus fuit, sed potius internuntii vices gerens, ætatis forsan teneritudinem prætendens, aliquamdiu restitit; sed quod episcopi Hispaniæ, ingenii sui capacitate delectati, eum vellent Magni Augustini habere discipulum, vim fecerunt juveni, qui tandem desiderio audiendi tantum magistrum allectus ad eum profectus est. Id certe innotescere potest ex illis verbis, quæ ipsemet scribit in prædicta consultatione : *Ad te* (inquit ad Augustinum) *per Deum missus sum, de te per eum spero. Dum considero qualiter actum est, quod huc venirem, agnosco cur venerim; sine voluntate, sine necessitate, sine consensu de patria egressus sum, occulta quadam vi actus, donec in istius terræ littus allatus sum. Hic demum in eum resipui intellectum, quia ad te venire mandabar.* Dato igitur semel Orosio in ejus disciplinam, non est unde divinemus, eodem ipso, vel sequenti anno ab ubere doctrinæ ablactatum, et in Orientem amandatum : quinimmo consentaneum est rationi judicare, aliquot annos apud Augustinum egisse, litterarum studiis vacando; et tandem in iis provectum ad Hierony-

A. C. 400. dudum habito, collectis canonibus, ad episcopos Africanos ad quoddam generale A. R. 1151. concilium congregatos festine se confert.

BIVARII COMMENTARIUS.

mum contendisse, quo tempore sancti protomartyris reliquiæ adinventæ sunt. Ilis accedit, quod Orosius nisi post multos annos non rediit in Hispanias, cum tamen subito, responso litterarum quas tulerat accepto, redire deberet, si illarum gratia præcipue, et non ut studiis vacaret, in Africam profectus fuisset. Cujus etiam illud argumento esse poterit, quod non ilico atque illuc accessit, responsum Augustini ad quæstiones Priscillianistarum, et Origenistarum procuravit, sed aliquo transacto tempore: cum nimirum Augustinum viderat expeditum ab aliis dictandi necessitatibus. Id sane Orosius ipse in exordio prædictæ suæ consultationis asseruit, illis verbis: *Beatissimo Patri Augustino episcopo Orosius. Jam quidem suggesseram Sanctitati tuæ, sed commonitorium suggestæ rei tunc offerre meditabar, cum te expeditum omnino ab aliis dictandi necessitatibus esse sensissem*, etc. Denique materia ipsa Priscilliani errorum, pro qua etiam mittebatur ab episcopis Hispanis, satis convincit, Orosium ante annum Domini 405 in Africam missum fuisse; nam ideirco Augustini censura, et Patrum Africanorum requirebatur, ut iis visis Priscillianistæ resipiscerent; qui tamen anno prædicto convicti et confessi ad pacem admissi sunt in concilio 19 episcoporum Toleti celebrato (de quo suo loco agemus) et errores ipsi consopiti, usque ad annum Christi 418, quo repullulantes agente sancto Turibio Asturicensi in concilio Toletano anni Domini 448 tandem evanuerunt. Quare manifestum fit multo ante ann. 414, quod alii existimant, Orosium in Africam commigrasse; immo ante 405, et quod rationi maxime congruit Dextri sententia, qui eum ann. 400 asserit missum, postquam videlicet in Cæsaraugustano concilio Priscillianistæ damnati fuerant; cujus octo canones Orosius dicitur asportasse.

Jam vero subsistere nequit, quod ab Eutropio et Paulo episcopis missus fuerit; ipse namque (cujus testimonio dumtaxat illorum notitiam habemus) non asserit se ab iis ad Augustinum directum, sed quod postquam ipse tempus aliquod apud eum exegerat, litteras suas ad Augustinum direxerunt, de eadem re, alia certe longe via; nam eo comperto Orosius ipse negotium celerius expedire curavit. En verba ipsius Orosii: *Jam quidem suggesseram Sanctitati tuæ, sed commonitorium suggestæ rei tunc offerre meditabar, cum te expeditum omnino ab aliis dictandi necessitatibus esse sensissem. Sed quoniam Domini mei filii tui Eutropius, et Paulus episcopi, eadem qua et ego puer vester salutis omnium utilitate permoti, commonitorium jam dederunt de aliquantis hæresibus*, etc. Vides, lector, Paulum et Eutropium non misisse Orosium ad Augustinum, sed (quod longe diversum est) per alium internuntium de eadem re egisse cum Augustino. Relinquitur ergo locus positioni Dextri, qui Orosium ab Herode (seu Herote, ut alii vocant) Lazaro et Prudentio episcopis missum contendit: quod sane tam verum est, ut id conceptis verbis expresserit concilium ipsum Carthaginense in epistola ad Innocentium papam, cujus mox verba adducemus. Porro de Herote et Lazaro magna fit memoria a Zosimo Romano pontifice in litteris, quas Baronius in tom. V Annal. ex codice ms. Vaticanæ bibliothecæ transtulit, ut ex Prospero Aquitanico in Chron. ex quibus liquet eosdem zelo magno Cœlestium hæreticum persecutos fuisse, et ea propter ab ipso apud Zosimum mendaciter circumventos, ita ut, Cœlestio suadente, magna de utroque crimina pontifex crediderit; et in priori epistola ad Aurelium, et episcopos Africæ data scripserit Zosimus: *Ad litteras Herotis et Lazari priori relatione destinatas* (scripserant illi ad Africanos contra Pelagium et Cœlestium) *equidem hoc fervore fidei præfestinatum esse, promptissimum est.* Et inferius: *Cum de his interrogaretur, asseruit, Lazarum sane in transitu cognitum, Herotem vero etiam satisfactione interposita, quod secus de ignoto et absente sensisset, cum gratia recessisse..... Patuit hos in observatis ordinibus, plebe cleroque contradicente, ignotos alienigenas, intra Galliam sacerdotia vendicasse, quibus se ipsi propria abdicavere sententia, nosque licet et alia tum eorum de se pœnitudinem secuti, sacerdotali eos loco et ordinatione submovimus.* In posteriori vero hæc ait: *Vetus Lazaro consuetudo est innocentiam criminandi per multa concilia, in S. Britium coepiscopum nostrum Turonicæ civitatis, diabolicus accusator inventus est: a Proculo Massiliensi in synodo Taurini sententiam calumniatoris excepit: ab eodem Proculo fit per multos annos sacerdos tyrannici judicii, defensor civitatis Aquensium, cum contrairet afflictio in ipsum penetrabile, et sacerdotale solium, sanguine innocentis pene respersum irrupit; stetitque in eo hactenus umbra sacerdotii, donec tyranno imago staret imperii; quo loco post internecionem patroni sponte se exuit, et propria cessatione se damnavit. De Herote vero omnia similia; idem tyrannus, patronus cædis, turbæ presbyterorum contradicentium, vincula, et custodiæ, et totius civitatis addictio; similis pœna de abdicatione sacerdotii.* Sed quam mendose hæc omnia in sanctos episcopos ad audientiam Romani pontificis allata fuerint, id satis convincit, quod in defensionem Pelagii et Cœlestii hæreticorum litteræ ipsæ scriptæ sunt; et quæcumque ipsi contra catholicos antistites malo dolo suggesserunt in iis continentur. Quod si catholico scriptori standum est, ecce Prosper in Chronico hæc scribit de Herote: *Heros vir sanctus beati Martini discipulus, cum Arelatensi oppido episcopus præsideret, a populo ipsius civitatis insons, et nullis insimulationibus noxius pulsus est: inque ejus locum Patroclus ordinatur, amicus, et familiaris Constantii magistri militum, cujus per ipsum gratia quærebatur; eaque res inter episcopos regionis illius magnarum discordiarum causa fuit.* Similiter Lazaro accidisse dubium non est, cum eadem de utroque Cœlestius Zosimo narraverit. Semel vero sedibus suis abdicatis, ab Aquitania in Cathaloniam proximam provinciam concesserunt, ibique Heros ad Derthosanam, Lazarus vero ad Vicensem electi fuere, ut Dexter scribit: et ex epistola concilii Carthaginensis ad Innocentium papam scriptam habetur fuisse in Hispania episcopos, ut jam dicam. Cæterum hoc anno 400 nondum, ut credo, venerant in Hispaniam; et Dexter cum eos Derthosanum et Vicensem vocat episcopos, ad tempus quo scribebat ipse Chronicon respicit, non ad annum legationis Orosii: unde verba illa, *Herotis, inquam, Derthosani*, etc., hunc sensum quasi materialem reddunt, Herotis, inquam, qui nunc est Derthosanus, etc. De Prudentio nihil aliud habeo dicere, nisi quod fuit Ilerdensis episcopus, quod Dexter scribit. Igitur qui postea acerrime Pelagium et Cœlestium persecuti sunt, prius quoque Priscillianistas et Origenistas acriter impugnarunt. Porro earum epistolarum contra Pelagium et Cœlestium ab Herote et Lazaro scriptarum, et per Orosium Africanis episcopis datarum, mentio habetur in epistola concilii Carthaginensis ad Innocentium papam, quæ inter Augustini est 90: ibi enim dicitur: *Cum ex more ad Carthaginensem Ecclesiam solemniter venissemus, atque ex diversis causis congregata ex nobis synodus haberetur, compresbyter noster Orosius nobis litteras sanctorum fratrum et consacerdotum nostrorum dedit, Herotis et Lazari, quarum formam his constituimus esse subdendam*, etc. Sed litteræ ipsæ perierunt.

Cæterum ut de Origenistis aliquid dicamus, re-

A. C. 401. Innocentius, I hujus nominis, succedit Anastasio. A. R. 1152.

405. Stilicone II et Fl. Anthemio coss., cogitur Toleti concilium : et ad Patres in hoc concilio collectos scribit S. Innocentius. 1156.

406. Leporius episcopus Uticensis in Bætica, prius monachus e familia S. Augustini, mutat perditam suam priorem sententiam, admonitus a S. Augustino præceptore suo. 1157.

BIVARII COMMENTARIUS.

fert in consultatione sua Orosius, duos Avitos Tarraconenses, extra patriam actos, errores quosdam in eam reduxisse, qui Romam petierat, Victorini ; qui Hierosolymam, Origenis : nimirum libros Periarchon Origenis secum deferebat, et errores, quibus passim scatent, prædicabat et inter alia, Verbum Patris dominum prius successive omnium hierarcharum angelorum ad suam hypostasim naturas assumpsisse, et ultimo tandem humanam. Cum his advenerat in Hispaniam quidam sanctus Basilius Græcus (ut ipse Orosius nuncupat) identidem docens, sed quisnam fuerit ignoratur. Omnes tamen scriptis D. Augustini convictos, ab inceptis destitisse satis ex eo manifestum fit, quod postmodum ad annum Domini 429 eorumdem cum honore et laude meminit Dexter : et quia memoria ejusmodi errorum in nullo hujus ætatis Hispano concilio facta est. Diversus ab his fuit alter Avitus, pariter Hispanus presbyter, qui revelatione reliquiarum S. Stephani Hierosolymis interfuit, et epistolam Luciani e Græco Latinitate donavit, ac Orosio tradidit, in Occidentem cum reliquiis deferendam. Diversitatem arguunt, tum patriæ diversitas : illi namque Tarraconenses erant, Orosio et Dextro testibus; hic Lusitanus, ut expresse Idatius scribit in Fastis ad consulatum Honorii X et Theodosii Junioris VI : *Exstant* (ait) *ex his gestis epistolæ supradicti presbyteri Luciani, et S. Aviti presbyteri Bracarensis, qui tunc Hierosolymis degebant* : quare Avitus dedicavit translationem suam Balconio episcopo Bracarensi, cujus habetur mentio in actis concilii Toletani primi dicti, et Bracarensis pariter I. Tum deinde tempus et locus, nam quando reliquiæ inventæ sunt, et hic Avitus aderat, alii qui Periarchon inde attulerant in Hispaniam ab aliquibus annis redierant.

A. C. 401. — *Innocentius*, etc. Non constat apud omnes de anno electionis Innocentii; nam Idatius in annum octavum Arcadii et Honorii eam rejicit, qui fuit Christi 403; Marcellinus et cæteri in consulatum Arcadii V et Honorii V, quos Baronius sequitur. Est is annus Domini 402: solus Dexter quem viderim electum refert anno Domini 401, ab Urbe condita 1152. Invaluit apud auctores opinio Marcellini, sed cum Dexter iis ipsis diebus scripserit, et cæteris omnibus antiquior sit, audiendus præ omnibus videtur. S. Anastasii papæ mortem deplorat Hieronymus epist. 16 ad Principiam, ex quo Martyrologium Romanum ad 27 April. ea verba desumpsit: *quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali episcopo truncaretur : nam haud multo post ejus obitum Roma a Gothis capta fuit :* anno videlicet 410 sub Varane Tertullo solo consule, ut habet Marcellinus, seu anno sequenti, ut scribit Idatius in Chronico.

A. C. 405. — *Stilicone*, etc. Hujus concilii memoria ex epistola S. Innocentii I Romani Pontificis petenda est; ex qua constat ipsum scripsisse post aliquod tempus sui pontificatus, quo scribere dissimulaverat, ad universos episcopos in Toletana synodo constitutos; quare cum electus fuerit anno 401 vel 402, consequens fit, ut anno 405 vel prope ea epistola data sit; ait enim : *Innocentius universis episcopis in Toletana synodo constitutis, dulcissimis fratribus in Domino salutem. Sæpe me et nimium, cum teneret cura sollicitum, super dissensionis schismate Ecclesiarum, quod malum per Hispanias latius in dies separationis gradu incedere fama proloquitur; necessarium tempus emersit, quo non possit emendatio tanta* A *differri*, etc. Incidisse in hunc annum 405 consulatum Stiliconis II quem iniit cum Fl. Anthemio scriptores omnes affirmant : et hinc forsan acta hujus cum superioris Toletani concilii confusa fuere; quod nimirum utrumque Stilicone consule habitum sit. Non habito delectu de numero consulatus, cum certum sit primum Stiliconis in annum Domini 400 incidisse, secundum in 405, quod Idatius, Marcellinus, Cassiodorus et cæteri testantur. Porro subscriptiones 19 episcoporum quæ exstant, hujus necessario fuisse id convincit, quod *Paternus* omnium primus subscribit (nimirum Bracarensis) eo quod præsidis in eo functus officio sit; qui tamen in præcedenti concilio anni 400 ad tempus sententiam levis damnationis acceperat. Qua de re, et de cæteris ad hoc concilium pertinentibus, egimus in superioribus ad annum Domini 586. Interfuere cum cæteris *S. Asturius* Toletanus episcopus primæ sedis; *Marcellus* Cauriensis juxta sententiam Dextri, ad annum 424, B tametsi in codice S. Michaelis dicatur Hispalensis, apud Loaysam : *Severus* Lamacensis, seu Malacensis, de quo jam diximus anno 388; *Olympius* qui fuit secundus hujus nominis inter Toletanos, et postmodum successit sancto Asturio anno 424, nunc autem alterius cujusdam sedis episcopus erat : *S. Hilarius* Arelatensis, ut credo, qui his diebus in Aquitania florebat, *Ortigius* episcopus Cælenensis in Gallæcia, qui in Toletano superiori fuerat absolutus, et sedi suæ restitutus; *Lampadius* Barcinonensis, qui sanctum Paulinum presbyterio decoravit : *S. Exuperantius* Ravennas episcopus, de quo multa in superioribus dicta sunt : *Leonas* Lucensis antistes, ut habent subscriptiones antiquæ. Sedes cæterorum minime potui reperire, videlicet *Aphrodisii, Liciani, Leporii, jucundi, Lampadii, Sereni, Flori, Statii et Aureliani.*

A. C. 406.—1. *Leporius*, etc. Quis is Leporius fuerit non omnibus constat, nam sunt qui velint hoc tempore duos ejus nominis exstitisse : alterum ex familia sancti Augustini, cujus ipse meminit Serm. 50 *de Diversis* ; alterum, qui Pelagii tabe infectus gratiæ Dei C contrarius existens, pravum dogma in Galliis disseminavit, sed ab Augustino admonitus, palinodiam recantavit; de quo Gennadius lib. de Viris illust. cap. 59, et Cassianus de Incarn. lib. I et VII. Addunt falso dici Uticensem episcopum in Hispania, cum Utica in Africa sit, non in Hispania, et Leporius non Hispanus, sed Gallus, aut Britto fuerit, ut Pitsæus lib. de Script. Anglic. contendit. Excuso cardinalem Baronium, qui Dextro caruit, sed eos qui, viso Dextro, reluctantur, admiror. Cum enim expresse asserat, eum qui mutavit sententiam suam ad sanam redactum mentem fuisse, ex Augustini familia monachum, habuisseque præceptorem eumdem Augustinum, non est unde alter ab altero distingui queat : cum alias nullus ex antiquis promat duos ejus nominis sub Augustini disciplina monachatum exercuisse. Sed forsan quis objiciat id ex ætate satis deduci; nam quo tempore unus sententiam in ætate matura mutavit, D alter juventutis annos non excesserat : siquidem Augustinus canis respersus refert se Leporium in monasterio recepisse; quo sane tempore post multos monachatus annos videtur contigisse lapsus alterius, prædicatio erroris, et ejus tandem recantatio.

Perperam tamen, nihil etenim horum ex scriptis auctorum constat; sed demus respersum canis sermonem illum 50 scripsisse Augustinum, quoniam in eo dicit: *Ego quidem quem Deo propitio videtis episcopum vestrum, juvenis veni ad istam civitatem*, etc.,

non decet hos canos, etc., attamen conversionem et initium monachatus Leporii non refert quasi recentem, et iis ipsis diebus factam, sed ante multos annos. En verba ipsius : *Leporius quidam fuit nobilitate sæculari conspicuus, et prædives, comparandus in pluribus Piniano. Hic sua omnia dimittere cupiens, et pauper cum Christi pauperibus Augustini fratribus Deo servire; non ante eum recepit Augustinus, quam, erogatis omnibus bonis, egenum prorsus redditum viderit : cui et suggesserat, ut de divitiis erigeret monasterium, necnon Xenodochium, et basilicam Martyrum.* Nonne verbum illud *fuit*, cum dicitur, *Leporius quidam fuit*, tempus præteritum, et rem ante annos non paucos factam denotat? Probe ergo cum Augustinus canis erat respersus, multa fecisse potuit Leporius; quinimmo modus loquendi absentem indicat, ut ille erat, qui in Galliis aliquod tempus exegit. At, inquit, in sermone illo laudat eum, et hæreticum non laudaret. Bene, assentior; sed quanto tempore errori immersus erat? quando vero ad bonam mentem reductus, exemplar pœnitentiæ dabat de se, cur, quæso, laudari non deberet? præsertim quia eo loco solum agit de conversione ejus a sæculari vita ad monachalem, quæ sine dubio fuerat exemplaris : lapsus vero nihil ad propositum illius sermonis attinebat. Quod additur de Uticensi episcopatu, ex ignoratione veteris Hispaniæ topographiæ dictum est : constat siquidem testimonio Appiani Alexandrini fuisse in Hispania urbem Uticam, a qua olim Viriatus Romanorum præsidia fugavit, postquam ipse a Q. Pompeio victus recesserat. Ex ordine vero narrationis convincitur Uticam Bæticæ urbem fuisse; nam eam assignat inter Eboram Lusitaniæ et Bastetanos populos Tarraconensis Hispaniæ, quo loco borealior Bæticæ regio sita est, ut in tabulis Ptolomæi videmus. Lege etiam de ea Utica Ambrosium Moralem lib. VII, cap. 49, et quæ nos ad annum Christi 66 notavimus. De patria Leporii nihil curo, tametsi Africanum fuisse credam, testimonio Augustini, dum tamen in Hispania episcopus fuerit.

Paulo difficilius videtur quod Dexter asserit, Leporium episcopum mutasse perditam sententiam suam; Gennadius siquidem, et Casianus ante presbyteratum cecidisse dicunt. *Leporius adhuc monachus* (ait Gennadius), *postea presbyter, præsumens de puritate vitæ, quam arbitrio tantum, et conatu proprio, non Dei se adjutorio obtinuisse credebat, Pelagianum dogma cœperat sequi, sed a Gallicanis Doctoribus admonitus, et in Africa per Augustinum a Deo emendatus scripsit emendationis suæ libellum*, etc. Casianus autem, *Leporius*, inquit, *tunc monachus, modo presbyter, qui ex Pelagii institutione vel potius pravitate descendens* (quoad errorem, non quoad monachatus disciplinam, ut nonnemo mihi dixit; quatenus Leporium non Augustini monachum faceret, sed Pelagii), *apud Gallias assertor prædictæ hæreseos aut inter primos, aut inter maximos fuit; a nobis admonitus, a Deo emendatus* (per Augustinum), *ita male conceptam persuasionem magnifice condemnavit, ut non minus pene admiranda sit correctio illius, quam illæsa multorum fides. Is ergo in se reversus, ubi tunc erat atque nunc est, tam errorem suum cum dolore, quam sine pudore confessus est, sed etiam ad omnes Galliæ civitates confessionis ac planctus sui litteras dedit*, etc. Exstant apud Baronium tom. V ad annum Domini 420 quarum exordium: *Quid in me primum, o Domini mei venerandi*, etc. Cum ergo ante presbyteratum lapsus et emendatus fuerit, quonam pacto a Dextro episcopus vocatur? Sane verba illa, *Episcopus Uticensis*, appositive scripta sunt, ut sit sensus, *Leporius* qui nunc scripturæ hujus tempore *episcopus* est *Uticensis, prius monachus ex familia S. Augustini*, etc. Neque aliter quam Casianus de eo dixit, *Tunc monachus, modo presbyter*; et Gennadius, *adhuc monachus, postea presbyter*. Nam qui post lapsum meruit presbyter ordinari, postmodum ad episcopatum etiam dignus est habitus ut ascenderet. Hinc procul dubio fit, ut alter sit ab eo Leporio episcopo, qui concilio Toletano nuncupato I subscripsit anno Domini 405, nondum siquidem ordinatus fuerat is de quo agimus. Nisi quis velit totam hanc sententiam Dextri hoc anno ab eo assignari, quod ignoraret verum tempus correctionis illius; quam tamen ante concilium accidisse liquet ex prædictis subscriptionibus. Annotarim etiam, verba illa Casiani, *Assertor prædictæ hæresis inter primos fuit*, ratione præsertim temporis, quo ante alios errorem Pelagii prædicavit, dicta fuisse. Nimirum quia quando ipse lapsus est, et emendatus, Pelagius adhuc in concilio aliquo damnatus non fuerat; primum quippe anno Domini 416 agente Orosio in conciliis Milevitano, et Carthaginensi sub Silvano episcopo condemnatus fuit. Quare Leporius facilius Augustini magistri sui correctione emendatus est, et, ut apparet, contumax non fuerat.

B Adhuc nonnulli sustinere non possunt, quod Leporius dicatur monachus ex familia sancti Augustini, quoniam monachatum ab Augustino institutum audire nolunt, sed canonicos dumtaxat regulares. Quod quidem pro contentione, non pro veritate dici dubium nulli sit. Nihil enim ex scriptis Doctoris sanctissimi æque perspicuum est, quam ipsum monachum fuisse, et institutorem monachorum. Id quod Petilianus Donatistarum petulans antesignanus, qui in Africa Augustinum bene noverat, illi objecit, ut ipse Augustinus refert lib. III contra litteras Petil., cap. 40, inquiens : *Deinceps perrexit ore maledico in vituperium monasteriorum, et monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ a me fuerit institutum; quod genus vitæ omnino quale sit nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se finxit.* Petilianus igitur objecit Augustino, quod monachorum esset institutor; cui tamen cum respondet S. Doctor, non abnuit quod monachus sit, et monachorum pater, sed quod ipse dicatur monachismi novus inventor seu institutor, C cum tamen hoc vitæ genus toto orbe notissimum esset, quod Petilianus aut ignorabat, aut ignorare fingebat. Ipse quoque Augustinus id expresse fatetur, tum aliis locis, tum præcipue in expositione psalmi CXXXII: *Ecce quam bonum*, etc., illis verbis : *Quid ergo dicunt illi, qui nobis de nomine monachorum insultant?* Verum quamvis ipse non fuerit primus inventor monachatus in orbe, primus tamen eum invexit in Africam, ut ex variis Augustini scriptis deducitur, et inter alios docte deduxit cardinalis Baronius tom. IV Annal. ad annum Domini 391, inquiens : *S. Augustinus primus fuit, qui monasticæ vitæ instituta invexit in Africam, eademque servare cœpit, aliisque servanda tradidit; inde accidit, ut Donatistæ putarent hujusmodi vitæ genus ab ipso fuisse excogitatum.* Sane habemus ex eodem Augustino lib. II Retractationum, cap. 21, suo tempore apud Carthaginem monasteria esse cœpisse, quasi ante ipsum inibi monasterium nullum esset; quo tempore scripsit opus de opere monachorum. D Porro ex S. Paulini redditis ad Alipium litteris (quæ inter epistolas Augustini exstant sub numero 35) constat monachismum in Africa, quem ex Italia Augustinus, patrium solum repetens illuc primus invexerat, jam longe lateque fecunda fuisse propagatione diffusum, spatio dumtaxat sex annorum, qui ab introitu Augustini in Africam, ad tempus prædictæ epistolæ interfuere. Nam inter cætera Paulinus sic alloquitur Alipium : *Benedictos sanctitatis tuæ comites, et æmulatores in Domino, fratres, si dignantur, nostros, tam in Ecclesiis, quam in monasteriis Carthagine, Tagaste, Hippone regio, et totis parochiis tuis, atque omnibus tibi cognitis per Africam locis, Domino catholice servientes multo affectu, et obsequio salutari rogamus*, etc. Idemque liquet ex Possidio in Vita S. Augustini cap. 11 : *Ut plane videas* (ait Baronius) *ex uno Augustini monasterio uni-*

A.C.406. Ilorci in Hispania Tarraconensi sancta Victoria, vidua, sanctitate præcipua clara, a Vandalis (ut creditur) percussa. A.R.1157.

407. Asturius Toletanus pontifex, cognomento Serranus, valde charus Fl. Maximo Imperatori, et S. Audentio amicus fuit. Gregorius etiam Bæticus, jam in ultima senectute constitutus, sed vegetus, et integris animi corporisque viribus, apprime charus Gallæ Placidiæ Augustæ, uxori primum Athaulphi regis Wisigothorum, deinde Constantii imperatoris: filiæ Theodosii senioris, ex prima uxore, mirifice laudatur. 1158.

Cæsarobrigæ, quæ nunc prope Ambratiam in Vectonia Oliva dicitur, Juvencus aliquot annis agit, et natus ibi dicitur : inde petit Salmanticam, ubi floret impense docti sanctique viri præclara memoria.

S. Paternus episcopus Bracarensis, qui concilio Toletano 19 episcoporum præfuit, multis laboribus et ægritudinibus anxius moritur : vir egregie doctus et pius.

BIVARII COMMENTARIUS.

versam catholicam Ecclesiam Africanam monasteriis, ex aliis derivantibus, brevi tempore fuisse repletam.

Quid vero in causa fuerit, ut Augustinus canonicos regulares instituere inciperet, promit ipse luculenter Serm. 1 *de communi Vita Clericorum;* nimirum quia factus episcopus, ut suo muneri pontificali incumberet, et hospites supervenientes humaniter reciperet, quod eo temporis episcoporum erat, nequibat in monasterio Eremi cum monachis ut prius habitare; unde clericos qui alias intra urbis mœnia pro servitio altaris habitabant, in unum colligens, monasterium fecit clericorum, qui certe eo solum a monachis discrepabant, quod altari essent destinati, et intra civitatem degerent, cum monachi et in rure viverent, et sacris ordinibus ordinati non essent: quando tamen opus erat, de monachis clerici fiebant, et quos probarat Augustinus in monasterio monachorum, hos postmodum ad urbem adducebat, inde ad episcopatum plerumque sublimandos. Hæc mihi in sancti Doctoris scriptis certa sunt, ex illis præcipue verbis: *Perveni ad episcopatum; vidi necesse habere episcopum exhibere humanitatem assiduam quibuscumque venientibus, sive transeuntibus : quod si non fecissem, episcopus inhumanus dicerer; si autem consuetudo ista in monasterio* (Monachorum videlicet) *permissa esset, indecens esset* (id est non decebat quietem monasticam): *et ideo volui habere in ista domo episcopi mecum monasterium clericorum.* Quibus veram causam fundandi regulares clericos manifestat. Sed quia de hac re multi multa scripsere, et utrimque valide decertatum est, nihil ultra addendum duxi, quia quæ præfata sunt, pro instituto meo sufficiunt, ne quis monachatum Leporii sub Augustini disciplina, qui a Dextro asseritur, aspernetur.

2. *Ilorci*, etc. Hodie *Lorca* nuncupatur, ut Morales fuse probavit in Antiquit. Hispan. verbo *Ilorci*, fol. 81, et quod eam præterfluit fluvius Tader, seu Staber, ex Plinio lib. III, cap. 1 et 3. Porro sanctam Victoriam, de qua hic sermo est, eam credo esse quæ Burgis in Hispania quiescit, et colitur sub duplici officio in toto archiepiscopatu, die 10 Novembris, ut in kalendario Burgensis diœcesis videre est. Quod enim Mariana et alii putant fuisse sociam S. Ursulæ, et undecim millium sociarum, filiamque regis Siciliæ ex S. Gerasina, cum ipsis pariter (ut ait) occisa, probabile non est. Unde etenim filia regis Siculi, et mater ejus regina conjungi potuit cum Ursula Britanna, et apud Coloniam super Rhenum Germaniæ fluvium coronari? Verum quidem est S. Ursulam iis ipsis diebus, aut parum ante ab Hunnis fuisse percussam; cæterum Victoria non ab Hunnis, sed a Vandalis occisa est, qui non longe ab iis diebus Hispaniam Bæticam, et ejus confines, ubi Ilorcis est, afflictarunt, multis Christianorum trucidatis. Constat etiam ex Dextro, non fuisse virginem, sed viduam, eamque ante martyrii coronam sanctitate præcipua floruisse.

A. C. 407. — 1. *Asturius*, etc. Quo tempore Fl. Maximus in Hispania et Gallia imperabat, sedem Toletanam regebat S. Audentius, utriusque autem coævus, et amicus fuit S. Asturius Serranus : ut ex dictis constat, et ex temporum ratione a Dextro explicata. Sanctum autem Gregorium Iliberritanum antistitem charum fuisse Placidiæ Augustæ Theodosii Magni filiæ, liber *de Fide* ad eam scriptus proclamat. Placidiam hanc Augustam card. Baronius existimat fuisse sororem Theodosii imperatoris; cum tamen Marcellinus et Idatius ejus temporis scriptores asserant non sororem fuisse, sed filiam Theodosii, ut L. Dexter asseverat. Idatius agens (anno Domini 410, æra 448) de eversione Urbis per Alaricum Gothorum regem, subdit : *Placidia Theodosii filia, Honorii imperatoris soror, a Gothis in Urbe capta.* Et æra 453 agit de nuptiis ejus cum Athaulpho Alarici successore; *Athaulphus* (ait) *apud Narbonam Placidiam duxit uxorem, in quo prophetia Danielis putatur impleta, qui ait : Filiam regis Austri sociandam regi Aquilonis; nullo tamen ejus ex ea semine subsistente.* Qua de re ad calcem horum commentariorum agendum nobis est. Rursus Athaulpho apud Barcinonem occiso anno Domini 416 subdit : *Constantius Placidiam accepit uxorem.* Et inferius agit de Valentiniano imper. Constantii et Placidiæ filio, qui eis natus est anno Domini 419, et de evectione Constantii per Honorium facta ad regnum anno 420, et de morte ipsius anno sequenti, in quem tertius ejus consulatus inciderat : et de morte Placidiæ Augustæ anno 28 imperii filii sui Valentiniani, et Christi 451, quibus per omnia suffragatur Marcellinus : nam Alaricum inquit urbe egressum fuisse, *Placidia Honorii principis sorore abducta, quam postea Athaulpho propinquo suo tradidit uxorem.* Et inferius post Athaulphi mortem, *Valia rex Gothorum facta cum Honorio pace, Placidiam sororem ejus eidem viduam tradidit.* Additque inferius cætera, quæ in Idatio legimus de Constantio, et Valentiniano, marito et filio. Et anno Domini 424 Victore et Castino coss., *Placidia mater Valentiniani Augusta nuncupata est.* Quod vero hæc ipsa sit, ad quam liber Gregorii inscriptus est, suo loco monstrabimus, anno Domini 423. De eadem Placidia agunt Orosius lib. VII, Zosimus lib. VI, et Paulus diaconus lib. XIII.

2. *Cæsarobrigæ*, etc. Meminit Olivæ in Vectonia Ptolomæus, nec longe a Salmantica : olim Cæsarobriga dicta fuit; et nunc comitatus titulo insignita uxori et filio D. Roderici Calderon paret. De Juvenco satis in superioribus dictum, ad annum mortis ipsius, et Christi Domini 337; nunc de fama doctrinæ et sanctitatis ipsius agit Dexter.

3. *S. Paternus*, etc. Fuse de eo actum est in superioribus, cum de conciliis Toletanis sermo incidit, anno Domini 386 et 405; successit ei Pancratianus, ut mox dicemus.

A.C.407. Exuperantius, qui ex Ravennate urbe venit in Hispanias, negotiorum causa, interfuitque concilio Toletano, præclare floret; et Rufinus episcopus Tarraconensis ex Causidico. A.R. 1158.

417. Paulus Orosius, Fl. Lucii Orosii filius, consanguineusque Paciani patris mei, civisque Tarraconensis, mirifice auspicatur Hormestam, id est, Mundi Chronicon; quem suscepit scribendum hortatu litterisque S. Augustini episcopi. 1168.

BIVARII COMMENTARIUS.

4. *Exuperantius*, etc. Multa de ejus gestis supra ad annum 385 et 388 dicta sunt, quæ tu consulas. Rufinus autem, de quo Dexter, is est, cujus in epistola S. Innocentii papæ ad concilium Toletanum mentio fit, cum dicitur: *Quantos ex eis, qui post acceptam Baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, et obtinendi pertinaciam susceperant, accitos ad sacerdotium esse comperimus, e quorum numero Rufinus et Gregorius perhibentur!* Eum vero fuisse in Hispania episcopum ex eadem constat epistola.

A. C. 417. — *Paulus Orosius*, etc. Exstat opus insigne tanti viri, et manibus omnium teritur, cum eruditis notis Francisci Fabricii Marcodurani. Reversus fuerat anno Domini 416 ex Palæstina in Africam, et cum Diospoli vidisset ab episcopis in synodo congregatis absolvi Pelagium et Cœlestium, quasi ab omni errore, quem suis mendaciis obtexerant immunes, monitusque zelo Herotis et Lazari episcoporum, quorum recens epistolas acceperat, duo Africana concilia celebrari fecit, Milevitanum II et Carthaginense, in quibus præfati hæretici damnati fuere: uti Augustinus epist. 90 commemorat, et docte Baronius probat. Cum vero iis diebus Romanum imperium debilitaretur, irruentibus in ipsum plurimis Barbarorum nationibus, Alanis, Gothis, Suevis, Vandalis; multique Romanorum queruli nominis Christiani, assererent defectum Romanæ Reipublicæ Christi doctrina invectum, Orosius hortatu Augustini septem historiæ universalis scripsit libros, *in quibus* (ut Gennadii verbis utar) *totius pene mundi temporis calamitates, et miserias, ac bellorum inquietudines replicans, ostendit magis Christianæ observantiæ esse, quod contra meritum suum res Romana adhuc duraret, et pace cultura Dei pacatum retineret imperium.* Cœpit scribere altero a suo reditu anno, nimirum Christi 417, ut Dexter asserit, et ad finem perduxit opus post annos tres, id est, Christi 419: nam cum ad calcem septimi libri asserat, *Explicui, adjuvante Christo, secundum tuum præceptum, beatissime Pater Augustine, ab initio mundi usque in præsentem diem, hoc est, per annos* 5618, et ipse, ut perspicuum est, sequatur Septuaginta Interpretum computationem, juxta quam Christus natus est anno a mundo condito 5199, teste Romano martyrologio, fit ut annus mundi conditi 5618 quo Hormesta Orosii finita est, correspondeat anno Christi nati 419, ut computanti patebit. Quare hoc anno Christi 417 rectissime usus est Dexter verbo illo, *auspicatur*, quidquid Marcellinus absolute utatur verbo *scripsit*, cum ait, *Theodosio* VII *et Palladio coss. Orosius presbyter Hispani generis septem libros historiarum descripsit.* Sed quid de titulo libri, *Hormesta*, Andreas Scotus senserit in litteris ad Petr. Cholinum datis, subjiciamus: *Cur hæc olim Orosii historia inscripta fuerit Ormesta? Vitiose, ut equidem arbitror, ac barbari sæculi culpa: Orchestram mundi inscribendam potius, vidit primus doctissimus Pighius in Hercule Prodicio. An quia veluti theatrum rerum gestarum repræsentat? an quia a mundi descriptione orditur? Quid autem Orchestra sit in Amphitheatro suo docet Lipsius cap.* 14 *et in Onomastico Jul. Pollux lib.* IV, *cap.* 19. Certe Trithemius lib. de Viris illustr. in Orosio, *Hormestam mundi* legit, ut modo Dexter.

Hoc loco notarim unum ex querulis Christiani nominis, qui casum Romani imperii mutationi religionis attribuit, fuisse Symmachum urbis prætorio præfectum, qui ad Valentinianum I, Theodosium I, et Arcadium Augustos relationem fecit pro veteri deorum cultu adversus Christianos; cum tamen pro virili, duobus editis libris carminum impugnavit Prudentius, ejusque objectis docte et subtiliter occurrit lib. II, ubi inter alia Romam per prosopopœiam introducit suis ita civibus loquentem:

Vivo pie vobis auctoribus, impia pridem
Arte Jovis, fateor; quid enim non ille cruentum
Tradidit? aut quid mite sibi, placidum ire poposcit?
Qui dum præmetuit cultu insolescere Christi,
Sæviit, ac miserum fœdavit sanguine sæclum.
Et sunt qui vobis bella exprobrare sinistra
Non dubitent, postquam templorum sprevimus aras,
Affirmentque Libyn Collinæ a cardine portæ
Annibalem Jovis imperio, Martisque repulsum,
Victores Senonas Capitoli ex arce fugatos,
Cum super excelso pugnarent numina saxo.
Qui mihi præteritam cladem, veteresque dolores
Inculcant iterum, videant me tempore vestro
Jam nil tale pati; nullus mea Barbarus hostis
Cuspide claustra quatit, etc.

Et quæ sequuntur, quibus victoriam Stiliconis canit, Christo duce acceptam de Radagaiso et ducentis millibus Scythis seu Gethis, qui anno Christi 406, Arcadio VI et Probo coss. (ut Marcellinus in Chronico refert) totam Italiam inundaverant. Hæc idcirco induxi, ut ostendam Prudentium decem ante Orosium annis de eodem argumento egisse: quandoquidem prostrato Radagaiso scripsit, et antequam Alaricus urbem everteret, et Alani, Wandali ac Suevi in Gallias, Hispaniasque populi Romani provincias irruerent: ut illa indicant verba; *Nullus mea Barbarus hostis Cuspide claustra quatit.* Constat vero (Marcellino auctore) Radagaisum victum anno Domini 406, urbemque eversam anno 410, Varane solo consule: Barbaros autem Hispanias ingressos (auctore Idatio teste oculato) æra Cæsaris 447, id est, Christi anno 409; quinimmo, ut Marcellinus ait, anno Christi 408, *Basso et Philippo coss. Stiliconem comitem (cujus duæ filiæ, Maria et Thermantia singulæ uxores Honorii fuere, utraque tamen virgo defuncta), spreto Honorio, regnumque ejus inhiantem, Alanorum, Suevorum, Vandalorumque gentes donis, pecuniisque illectas contra regnum Honorii excitasse, eo quod Eucherium filium suum paganum et adversus Christianos insidias molientem cuperet Cæsarem ordinare: qui tamen cum eodem Eucherio, dolo suo detecto, occisus est.* Si vere, inquam, hæc anno prædicto acciderunt, necessum est, ut Prudentius anno præcedenti, scilicet Christi 407, contra Symmachum scripserit; hic etenim annus inter Radagaisi cædem, et proditionem Stiliconis jacet. Mihi ut minimum Eucherii paganismus suspectus videtur, cum difficile creditu sit, Stiliconem ex Serena uxore, sorore vero Magni Theodosii, filium habuisse paganum, et videam a Prudentio lib. II contra paganum Symmachum, magnis evehi laudibus Stiliconem de Catholici Christi fide professione:

Dux agminis, imperiique
Christipotens nobis juvenis fuit (*loquitur de Honorio*)
[et comes ejus,
Atque parens Stilico: Deus unus Christus utrique;
Hujus adoratis altaribus, et cruce frontis
Inscripta, cecinere tubæ; prima hasta draconis
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior offert, *etc.*

A.C.418. Paulus Massiliensis episcopus clarus habetur. A.R.1169.

. . . . . .

Hæresis Priscillianistarum multum in Hispania repullulat.

Paulo Concordiensi Lusitano scribit Hieronymus.

Constantius imperator in regionibus Hispaniæ prædatur.

419. Provincia Carthaginensis, quæ una hactenus fuerat, eademque Toletano parebat, a sancto Elpidio, libidine quorumdam episcoporum dividitur in Carthaginensem et Carpetanam. Quidam putant ante tempora Romani pontificis Anteri factam fuisse divisionem hanc, dictamque provinciam Toletanam. 1170.

S. Maxentia Hispana Caurensis Tridenti floret.

BIVARII COMMENTARIUS.

A. C. 418.—1. *Paulus*, etc. Nihil hactenus de hoc Paulo Massiliensi reperire potui.

2..... etc. Hoc loco in quibusdam codicibus inserebantur ejusmodi verba: *Avitus imperator in Hispanias trajicit, ibique deposita imperii dignitate magnis itineribus ad Gallias properat.* Sed hæc aliunde translata sunt; nam Dexter non potuit agnoscere Avitum ad imperium provectum, cum teste Idatio et Prospero tyrone in Chron. assumptus fuerit ann. Domini 455.

3. *Hæresis*, etc. Illis forsan negotium procurantibus, qui Toletani concilii gladio e sacerdotio et episcopatu submoti fuerant; scilicet Herena, Donato, Acurio, et Emilio, seu Emila, hi enim injuste cæsum Priscillianum proclamabant, et velut Martyrem venerabantur, ut in sententia eorumdem scribitur. Severus de his agens dixit, *Peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera.* Sed horum rabies inferius agente S. Turibio anno Domini 448 tandem sedata est, ut in Bracarensi concilio (primo dicto) habetur.

4. *Paulo*, etc. Exstat ad eum scripta epistola Hieronymi 21. Cum vero in ea Hieronymus ipse asserat se Paulum istum Concordiæ in Italia vidisse, et alias a Dextro vocetur Lusitanus, in Lusitania autem non procul Ulyssipone Concordia alia sit, illud quod alibi notavimus, iterum occurrit, Italos, cum Hispaniis dominabantur, urbibus a se denuo illic constructis sæpius nomina suarum indidisse. Quare mirum non est, si Concordienses Hispaniæ populi Concordiensibus Italis communicabant, et ab his ad illos facilis transitus erat. Sic credo Paulo accidisse, qui Concordiæ in Lusitania natus Concordiam Italiæ profectus, inibi a D. Hieronymo conventus est, ut ex libro de Script. Eccles. *in Tertulliano* liquet. Cui hoc non placet, casu factum dicat, quod non curarim. Aut dicendum fuisse quidem Lusitanum, vocari vero Concordiensem ab urbe in qua parochiam regebat. Ad eum dedit epistolam 21 tomi primi, ubi inter cætera, *Ecce*, inquit, *cum centenarius ætatis circulus volvitur, et tu semper præcepta Domini custodiens futuræ beatitudinem vitæ per præsentia exempla meditaris. Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum et succi plenum; cani cum robore discrepant, vires cum ætate dissentiunt; non memoriæ tenacitatem antiquior senecta dissolvit, non calidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit, non contractam rugis faciem arata frons exasperat, non denique tremula manus per curvos cereæ tramites errantem stylum ducit*, etc, quæ tu legas.

5. *Constantius*, etc. Quo tempore Alani, Suevi, et Wandali in Hispanias irruperunt, ex ipsis Romanis nonnulli rebellarunt apud Gallias, præsertim Constantinus cum filio suo Constante, quem, imperio semel arrepto, ex monacho Cæsarem fecit. Cæterum ab Honorii duce Constantio, postmodum Cæsare, Placidiæ marito, et Valentiniani junioris patre, post triennium invasæ tyrannidis occisi sunt, Constantinus Arelate, Constans Viennæ. Ita scribunt Idatius et Marcellinus, Honorio IX et Theodosio IV coss. Christi anno 411. Rursus (Idatio auctore) anno 416, *Constantius Athaulphum Gothorum regem pulsavit, ut relicta Narbona Hispanias peteret*: quo de medio sublato, Vualia Athaulphi successor pacem cum eodem Constantio iniit. Anno sequenti 417 *Vualia Romani nominis causa intra Hispanias cædes maximas Barbarorum effecit; sed anno 418, intermisso certamine quod agebant, Gothi per Constantium ad Gallias revocantur.* Hactenus Idatius. Ex quibus vides Constantium anno Domini 418 (quod Dexter scribit) in regionibus Hispaniæ versari, et, quod inde fit consequens, prædari.

A. C. 419.—1. *Provincia*, etc. Tametsi separationis earum Ecclesiarum in duas provincias, et metropoles instrumentum non exstet; non modica tamen memoria perseverat in antiquitatis monumentis, quibus satis convincitur, iis fere temporibus factam. Nam anno Domini 385 Arcadio et Bautone coss. Siricius Rom. Pontifex epistolam decretalem scripsit ad Himerium Tarraconensem, et universas Hispaniæ metropoles, proprio nomine notans, primo loco Carthaginensem, deinde Hispalensem Bæticam, rursus Lusitanam, et Gallaicam, id est, Emeritensem, et Bracarensem ponit; nullam mentionem Toletanæ seu Carpetanæ faciens: nimirum quia Carthaginensis Toletanam sub se comprehendebat. Insuper in concilio Toletano primo nuncupato dicitur regula Fidei facta contra omnes Priscilliani hæreses ab episcopis Carthaginensibus, Tarraconensibus, Lusitanis, Bæticis et Gallæcis, et ita postea refertur in concilio Bracarensi primo nuncupato sub Lucretio Bracarensi antistite. Ubi iterum sub Carthaginensi Toletana comprehenditur. Nec mirum, quia ut constat ex reformatione Provincialium sedium sub Constantino Magno imperatore Toleti facta, Carthaginensis Toletanæ ponitur subjecta: de quo suo loco diximus ad annum 324. Ex quo fit ita perseverasse, ut minimum usque ad annum 400 vel 405, quo regula prædicta facta est: et consequenter falli eos qui existimant, ante tempora sancti Anteri papæ factam fuisse illam separationem, qui multo ante obierat anno Domini 238. Rursus in Chronico M. Maximi anno Domini 448, diversæ reperiuntur, nam de eis dicitur ibi: *Alani in Hispania Carpetaniam, et Carthaginensem provinciam invadentes, multis urbibus vastatis, possident.* Et in concilio Toletano III dicto, ubi agente S. Leandro Hispalensi Gothi Arianam hæresim abjurarunt, subscribunt Dominicus Carthaginis Spatariæ metropolitanus, et Epiphanius Helladius metropolitanus Toletanus: quod incidit in annum Domini 590. Porro de S. Elpidio primo Toletanorum antistite, a sancto apostolo Jacobo ordinato alibi satis diximus.

2. *S. Maxentia*, etc. Nobilis de ea fit mentio in martyrologio Galesini ad diem 30 Aprilis, his verbis: *In finibus Tridentinorum sanctæ Maxentiæ viduæ. Hæc S. Vigilii episcopi mater singulari pietate et religione ita præluxit, ut miraculis compluribus ejus sanctitatis laudem Deus testatam fieri voluerit.* In Notis addit: *Hujus vitam scripsit Altemanius episcopus Tridentinus.* Ejus vero filii, S. Vigilii episcopi ac martyris, festa dies celebratur 26 Junii, qua nimirum olim *cum reliquias idololatriæ penitus exstirpare conaretur, a feris et barbaris hominibus lapidum imbre*

A. C. 419. Canali in Lusitania monachi Nigri, ab annis 393. A. R. 1170.
423. Obiit Gregorius Bæticus, cum prius dicasset librum de Fide, vel de Trinitate Gallæ 1174.
Placidiæ Augustæ, feminæ lectissimæ.
Vincentio episcopo Cæsaraugustano Valerius subrogatur.

BIVARII COMMENTARIUS.

percussus, pro Christi nomine martyrium implevit; ut habet Rom. martyrologium, Usuardus et Ado.

3. *Canali*, etc. Frequentissima hoc tempore monachorum examina in Hispania fuisse ex actis conciliorum et epistolis summorum pontificum satis liquet; nam in concilio Cæsaraugustano anni 384, vel quod alii volunt 380, canon sextus et octavus agunt de monachis : et in Toletano I canon sextus de Sanctimonialibus. Siricius item Romanus Pontifex in epistola ad Himerium Tarraconensem, et cunc os Hispaniæ episcopos, quæ quidem articulis seu responsionibus distincta est, nonnulla statui monachorum concernentia in septima et quarta decima responsione decernit. Ut omittam sanctos monachos et abbates Fabricianum et Philibertum, qui Titultiæ in confluentibus Fenarii et Tagonii fluminum monasterium construxerunt; et inibi martyrio sublati in cœlum evolaverunt anno Domini 308, ut superius cum Dextro notavimus. Nunc autem qui sint isti monachi, ad differentiam cæterorum *Nigri* nuncupati, ab anno Domini 393 in Hispanias introducti, videndum est. Et quidem certum est, nullatenus fuisse ex disciplina S. P. Benedicti, utpote qui post annos aliquot natus fuit. Insuper apud vetustos monachos nulla de colore habitus mentio reperitur; quinimmo Benedictus ipse, qui regulam eorum scripsit, antiquorum Patrum mores imitatus, cum cap. 55 de habitu agit : *De quarum rerum* (inquit) *colore, aut grossitudine non causentur monachi; sed quales inveniri possunt in provincia qua habitant, aut quod vilius comparari potest.* Non igitur omnes uno eodemque colore vestiti incedebant, etiam in uno monasterio, sed diversis, secundum quod vilius emere poterant. Id tamen intelligo de nativis vellerum coloribus, uti de bruno, subcinericio, nigro, aut subnigro vel subrufo, minime namque ipsis colores adventitii licebant; quinimmo album apud ipsos in usu non fuisse, aperte asseruit Petrus Venerabilis lib. I epist. 28, ubi Cistercienses taxat, quod albo colore utantur præter omnium monachorum morem; ait siquidem : *Vos sancti, vos singulares, vos in universo orbe vere monachi, aliis omnibus falsis et perditis, secundum nominis interpretationem, solos vos inter omnes constituitis; unde et habitum insoliti coloris prætenditis, et ad distinctionem cunctorum totius fere mundi monachorum, inter nigros vos candidos ostentatis.* Et inferius : *Colorem humilitati et abjectioni magis competentem abjicitis, et illum quo etiam in scripturis gaudium et solemnitas figuratur, album scilicet, assumitis. Cumque in valle lacrymarum positos, quibus præcipitur ut semper luctui, numquam lætitiæ intendant, deceant vestimenta luctum, et pœnitentiam designantia; vos contra in miseriis felicitatem, in mœrore gaudium, in luctu lætitiam, in vestium candore monstratis.* Quidquid igitur sit de animo contentioso, qui Venerabilem ad id scribendum induxit, de quo in præsenti non curo, illud nihilominus ejus testimonio exploratum habemus, colorem candidum longe abfuisse ab antiquis monachis. Nam et de quodam Honofrio veteri monacho narrat Metaphrastes in vita SS. Galationis, et Epistemes, quod alba veste monasticum habitum contegebat, ne agnosceretur. In Vita etiam Sancti Martini legimus de ejus discipulo Auxolio Monacho ab angelo Satanæ deluso, quadam die cæteris monachis dixisse : *Ecce hac nocte vestem mihi candidam angelus de cœlo attulit, qua indutus in medio vestrum diversabor; idque vobis signum erit, me in Dei esse virtute, qui Dei veste donatus sim.* Quod si alba vestis monachis esset in usu, ejusmodi distinctionis signum esse non posset.

De nigro vero colore, illud maximopere probatur, quod prædictus Petrus Cluniacensis affirmat, primum omnium (quod sciamus) e monachis S. Martinum eo usum fuisse, et quod inde fit consequens, monachos suos, *Certe hæc vestium nigredo* (ait ille) *antiquitus humilitatis causa a patribus inventa est; nam de magno illo et admirabili, vereque monacho Martino non legitur, quod albo et curto, sed quod nigro et pendulo pallio processerit.* Ita sane Severus refert dialogo 2 : *Sed ubi Martinum* (inquit) *in veste hispida, nigro, et pendulo pallio circumtectum contigua de latere jumenta viderunt, paululum in parte altera pavefacta cesserunt.* Eodem quoque auctore referente in Vita ipsius, tam multa Martinus construxit monasteria non solum Mediolani, et Turonis, sed aliis quoque in provinciis, ubi ad ejus exemplum monachorum magna examina vixerunt; quod de quadam ab ipso ad fidem conversa : *Adeo*, inquit, *virtutibus illius, exemploque convaluit, ut jam ibi nullus locus sit, qui non aut Ecclesiis frequentissimus, aut monasteriis sit repletus.* Horum ergo semina in Hispaniis etiam missa fuere, ut hoc loco dicitur, nec mirum, cum non longe ab ea regione Galliæ distent, quas S. Martinus incolebat.

A. C. 423. — 1. *Obiit*, etc. Multa de eo diximus ad annos Domini 388 et 406; ejusque festa dies in Usuardi martyrologio, quod Galesinus in suo sequitur, satis celebris astruitur 24 Aprilis. Exstat liber *de Fide* in tomis Bibliothecæ Vet. Patrum : cujus etiam Hieronymus meminit lib. de Script. Eccles. Porro Augustam cui dedicatus est, non solum Placidiam, sed simul Gallam Placidiam vocatam, quod nonnemo abnuit, expresse docet cum Dextro, Paulus Diaconus lib. XIII. de gestis Longobardorum, et tamquam rem certam ac notissimam narrat Petrus in Catalogo lib. XI, c. 95, accessisse Placidiæ Gallæ cognomentum ex Galla matre, Theodosii uxore. Titulus quoque libri in vetustissimo codice ab Achille Statio reperti hæc habet : *Gregorii Bætici Iliberritanæ sedis episcopi, ad Gallam Placidiam Augustam, de Trinitate ac Fide contra Arianos liber.* In ejus contextu tractatur tamquam fidelis et catholica; quod minus vetustiori convenit, at recentiori propriissime. De gravissima Gregorii senectute manifestum argumentum est, quod Hieronymus scripserit librum de Scriptoribus Ecclesiast. anno 14 Theodosii, id est, Christi Domini 393, et tunc de eo dixerit in extrema senectute constitutum adhuc vivere; nunc vero cum post alios 30 annos mortuus dicatur, necessum est ut pene centenarius obierit.

2. *Vincentio*, etc. Valerius hic fuit, ejus nominis tertius Cæsaraugustanorum antistitum, nam primus Iliberritano, secundus Cæsaraugustano subscripsit : hic vero ab aliis vocatur Valerianus; ut ab ipso Dextro inferius anno Domini 430 et ab Aurelio Prudentio, qui eidem suum dedicavit Hippolytum sub hoc titulo : *Passio Hippolyti martyris ad Valerianum episcopum*; incipit vero in hæc verba :

Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe
Vidimus, o Christo Valeriane sacer, *etc.*

Cum enim Cæsaraugustam Roma rediisset, et inter alias sanctorum reliquias, S. Hippolytum venerandus visitasset, speciali erga ipsum devotione concepta, ejus martyrium scripsit ad episcopum suum Valerianum, rogans ut

Inter solemnes Cypriani, vel Chelidonii
Eulaliæque dies currat et iste tibi.

Constat vero Valerianum hunc ejus fuisse pastorem

A.C. 423. Theodosius Theodosii senioris pater, qui dolo hæreticorum obiit in Africa, a nonnullis inter martyres refertur. A.R. 1174.

Ingens inter nostros episcopos contentio orta est, quod catholici ad dignitatem (quamquam bene quidem ad pœnitentiam) non reciperent lapsos in hæresim Priscilliani, neque ad suam communionem cum dignitate.

Scribit per hæc tempora Isidorius Junior Cordubensis episcopus Allegoriarum librum Paulo Orosio Tarraconensi et super Lucam scripserat.

Ab anno 410 cœperunt Suevi possidere Gallæciam, vastata Lusitania.

BIVARII COMMENTARIUS.

et antistitem, ex eo quod ad calcem operis subdit, inter alias precationes :

Sic me gramineo remanentem denique campo
Sedulus ægrotam pastor ovem referas.

Hunc vero in Hispania habuisse pastorem, postquam Roma rediit, vel illud convincit, quod librum Peristephanon in Hispania post reditum scripsit; unde in hymno de S. Laurentio inquit :

Nos Vasco Iberus dividit,
Binis remotos Alpibus;
Trans Cotianorum juga,
Trans et Pyrænas ninguidos.
Vix fama nota est, abditis
Quam plena sanctis Roma sit :
Quam dives Urbanum solum
Sacris sepulcris floreat.

Hoc et in Hippolyto dixerat, nam inter cætera subdit :

Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coram possumus,
Cœlum intuemur eminus.

3. *Theodosius*, etc. Narrat mortem Theodosii Orosius lib. VII, c. 33, ex quo et Paulo Diacono et aliis card. Baronius. Acceperat Valens prognosticon de successore, quod ejus nomen litteras *Theo* haberet in capite : id ut ipse everteret, multos occidi jussit, quibus Theophilius, Theodorus forsan nomen erat. Unde eo furore ductus Theodosium ducem strenuissimum in Hispania ortum, qui res imperii nutantes in Africa, parta victoria de tyrannis stabiliverat, et ejus filium Theodosium item nuncupatum necari curavit. Filius quem Deus imperio destinaverat, fugam iniit; senex tunc Catechumenus, priusquam cæderetur, baptizari curavit; acceptaque sancti fontis aqua, et fuso simul sanguine, impie et tyrannice trucidatus, abiit ad Dominum. Hinc factum, quod Dexter scribit, a nonnullis postea inter martyres recensitum.

4. *Ingens*, etc. Decreto concilii Toletani primi nuncupati, nonnulli episcopi ex Priscillianistis, e dignitate ejecti sunt, aliis retenta dignitate, communicatio cum cæteris episcopis negata est ad tempus; nimirum quousque *illis per papam, vel per S. Simpliciānum communio detur*, ut inibi dicitur in sententia contra Priscillianistas lata. Inde, haud dubium, contentio ista duxit ortum.

5. *Scribit*, etc. Exstat Allegoriarum liber, de quo hic mentio est, inter opera S. Isidori Hispalensis; quem tamen ex catalogo suorum ab ejus discipulis Ildefonso, et Braulione confecto, liquet alterius Isidori esse quam Hispalensis. Cur autem Junior hic Cordubensis dicatur, a nobis in superioribus expositum est, ad annum Domini 584, ubi de Seniori Cordubensi egimus, qui Chronicon scripsit.

6. *Ab anno*, etc. Scytharum Barbaricam irruptionem, qua Italia, Gallia, Africa, Asia, et totum pene Romanum his diebus imperium quassatum est, præsertim Hispaniæ, fusius narrat Idatius Lamacensis ejus temporis scriptor, ac testis oculatus in Hispania. Præmisit quidem in Fastis consularibus, quonam ovo tantum malum ortum fuerit, inquiens; *Valente* V *et Valentiniano coss. victi et expulsi sunt Gothi a gente Hunnorum, et suscepti sunt in Romania, pro misericordia, jussione Augusti Valentis.* Fuit is annus a Christo nato 376 : sequenti vero, *coss. Gratiano* IV *et Merobaude, gens Gothorum qui pro misericordia suscepti sunt, rebellarunt adversus Romanos, ad quos expugnandos sunt missi comites cum militibus, et pugnaverunt cum Gothis.* Anno vero 378 *Valente* VI *et Valentiniano* II *toto anno per diœcesim Thraciarum et Scythiæ, et Mœsiæ, Gothi habitaverunt simul, et eas deprædaverunt; deinde usque ad portas urbis Constantinopolitanæ venerunt.* Anno 379 qui fuit primus Theodosii imperatoris, *multa bella Romani cum Gothis commiserunt: deinde victoriæ nuntiatæ sunt adversus Gothos, Alanos, atque Hunnos die* XV *Kalend. Decembr.* Pace tamen cum Hunnis facta, Athanaricus Gothorum rex ingressus est Constantinopolim, Syagrio et Eucherio coss., id est, Christi 381; eo vero mortuo, *universa gens Gothorum cum rege suo in Romaniam se tradiderunt, die* V *non. Octob.* anni sequentis. Hinc effectum, ut Romani imperatores Gothorum copiis auxiliaribus, cum opus esset, uterentur; uti contra Radagaisum tyrannum fecere, qui cum ducentis millibus suorum totam Italiam inundaverat, sed ab Hunnis et Gothis devicti sunt, sub Arcadio VI et Probo coss., anno scilicet Domini 406, quod Marcellinus in Chron. narrat : ex quo etiam habemus, quod Basso et Philippo coss. Christi anno 408, *Stilico spreto Honorio imperatore, regnumque ejus inhians, Alanorum, Suevorum, Wandalorumque gentes donis, pecuniisque illectas contra Honorii regnum excitavit, Eucherium filium suum cupiens Cæsarem ordinare.* Solvit Stilico morte propria proditionis pœnas, Barbari vero insolentiores effecti imperii provincias invadunt; et anno sequenti agente Constante Constantini tyranni filio contra Didymum et Verinianum, ut Prosper in Chronico affirmat, *Alani, Wandali, et Suevi Hispanias ingressi sunt*, videlicet æra Cæsaris 447, Christi vero anno 409, uti Idatius et cæteri notant, Honorio VIII et Theodosio Arcadii filio III, coss. anno 410. Barbari Hispanias inter se sortiuntur, ita ut Gallæcia Wandalis et Suevis, Alanis Lusitania et Carthaginensis provincia, Bætica autem solis Wandalis cederet. Quæ vero sortitionem istam præcesserint, inferius cum Dextro dicemus ad annum Domini 424. Gothi non intrarunt Hispanias usque ad annum Domini 416 sub Ataulpho ipsorum rege, ut suo loco monstrabimus. Illud tamen a Salviano Massiliensi notatum invenio, peccatis hominum exigentibus Barbaricam vastationem in toto Rom. imperio factam : postquam etenim de Galliis justo Dei judicio invasis egerat, subdit lib. VII de Providentia : *Quid Hispanias non, vel eadem, vel majora forsan vitia perdiderunt? quas quidem cœlestis ira, etiamsi aliis quibuslibet Barbaris tradidisset, digna tamen flagitiorum tormenta toleraverunt puritatis inimici. Sed accessit hoc ad manifestandum illis impudentiæ damnationem, ut Wandalis potissimum, id est, pudicis Barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hispanorum captivitate Deus ostendere voluit, quantum et odisset carnis libidinem, et diligeret castitatem; cum et Vandalos ob suam maxime pudicitiam illis superponeret, et Hispanos ob solam vel maxime impudicitiam subjugaret. Quid enim? Numquid non erant in omni orbe terrarum Barbari fortiores, quibus Hispa-*

niæ traderentur? Multi absque dubio; immo ni fallor omnes: sed ideo infirmissimis hostibus contradicit, ut ostenderet scilicet non vires valere, sed causam, neque nos tunc ignavissimorum quorumdam fortitudine obrui, sed sola vitiorum nostrorum impuritate superari. Hæc ille.

Dum prædicti Barbari Hispanias deprædari incipiunt, Pancratianus Bracarensis antistes synodum episcoporum sibi subditorum coegit, ut in ea, decreto concilii provideretur de fidei articulis in quibus a Barbaris impugnabantur; deque sanctorum reliquiis tuto loco servandis, ne forte ab eis irriderentur, et ludibrio haberentur. Autographum ejus concilii in ms. codice cariosso et pervetusto bibliothecæ cœnobii Eburobriani nostri ordinis est, indeque extractum in lucem datum est tom. II monarchiæ Lusitanæ, a P. Bernardo Brito monacho nostro, et regio historiographo elaboratæ, quod tamen quia vehementer ad rem nostram facit, et paucis datum est habere, placuit ad verbum hic inse rere.

CONCILIUM BRACARENSE SUB PANCRATIANO EPISCOPO PRIMÆ SEDIS.

Cap. I. — *Convenientibus episcopis, Elipandus Colimbricensis, Pamerius Egitanensis, Arisbertus Portugallensis, Deusdedit Lucensis, Galesius Emeritensis, Pontamius Eminiensis, Tiburtius Lamacensis, Agathius Iriensis, Petrus Numantinus, in fano sanctæ Mariæ Bracarensis, Dominus Pancratianus, episcopus primæ sedis, dixit: Notum vobis est, fratres et socii mei, quomodo Barbaræ gentes devastant universam Hispaniam, templa evertunt, servos Dei occidunt in ore gladii; et memorias sanctorum, ossa, sepulcra, cœmeteria profanant; vires imperii confringunt, modo commoventes omnia, sicut stipulam ante faciem venti. Præter Celtiberiam et Carpetaniam jam reliqua omnia versus Pyrenem sub sua jacent potestate. Et quia malum hoc jamjam est super capita nostra, volui vos advocare, ut unusquisque sua provideat et omnes simul communem Ecclesiæ calamitatem. Provideamus socii remedium animarum, ne multitudo laborum, et afflictionum compellat eas abire in concilium impiorum, stare in via peccatorum, et sedere in cathedra pestilentiæ, et apostatare a vera fide: et ad hoc exempla constantiæ nostræ ponamus ob oculos subditorum, patiendo pro Christo aliquid ex multis tormentis, quæ ipse pertulit pro nobis. Quia vero nonnulli Alanorum, Suevorum, Wandalorumque sunt idololatræ, alii vero Arianorum hæresim profitentur; visum est mihi, vobis approbantibus, ad majorem fidei firmitudinem, contra similes errores sententiam proferre. Quid vobis videtur?*

Omnes. *Justum, pium, sanctum, expediens negotium.*

Cap. II. — Pancratianus. *Credo in unum Verbum genitum ab ipso Patre ante tempora, Deum ex Deo vero, ex eadem substantia Patris, sine quo factum est nihil, et per quem omnia creata sunt.*

Omnes episcopi. *Similiter et nos credimus.*

Pancratianus. *Credo in Spiritum sanctum procedentem a Patre et Verbo, unicum in Deitate cum ipsis, qui per ora prophetarum locutus est, supra apostolos sedit, Mariam Christi Matrem replevit.*

Omnes epi copi. *Similiter et nos credimus.*

Pancratianus. *Credo quod in hac Trinitate non sit majus aut minus, prius aut posterius; sed in tribus distinctis personis sit una æqualitas, una Deitas, una Divinitas.*

Omnes episcopi. *Similiter et nos credimus.*

Pancratianus. *Damno, et excommunico, reprobo, anathematizo omnes contrarium sentientes, tenentes et prædicantes.*

Omnes episcopi. *Similiter nos damnamus.*

Pancratianus. *Credo quod Dii gentium sint dæmonia: os habent et non loquentur; oculos et non videbunt, aures et non audient, neque sit spiritus in ore ipsorum.*

Omnes. *Similiter et nos credimus.*

Pancratianus. *Credo quod Deus noster trinus in personis, unus in essentia, fecit ex nihilo omnia; et Adamum patrem nostrum creavit ex terra, Evam de latere ejus, destruxit mundum per aquas, dedit Moysi legem; et novissimis temporibus visitavit nos per filium suum, qui factus est ex semine David secundum carnem.*

Omnes. *Similiter et nos credimus.*

Pancratianus. *Damno, reprobo, exsecror, anathematizo omnes contraria tenentes, sentientes et prædicantes.*

Omnes. *Similiter et nos damnamus.*

Cap. III. — Pancratianus. *Nunc autem, si placet omnibus vobis, statuatur quid agendum sit de reliquis sanctorum, præcipue de patre nostro, et apostolo hujus regionis Petro Ratiastensi, quem ad salvandas animas Jacobus Domini consanguineus dimisit.*

Surrexit Elipandus Colimbricensis et ait: Non poterimus omnes uno modo id facere; sed si vobis placuerit, unusquisque pro temporis opportunitate id faciat. Barbari sunt intra nos, et Ulixbonam premunt, Emeritam habent, Asturicam similiter, prope diem eventuri super nos. Proficiscatur unusquisque in locum suum, et confortet fideles, corporaque sanctorum honeste abscondat, et de locis, et speluncis ubi postea fuerint, relatorium vobis mittat, ne per cursum temporis in oblivionem veniant.

Omnes. *Justum, bonum, et congruum consilium nobis videtur pro temporis necessitate.*

Pancratianus. *Similiter mihi, sicut et vobis videtur. Abite in pace.*

Omnes. *Solus remaneat frater noster Pontamius, propter destructionem suæ Ecclesiæ Eminiensis, quam Barbari vexant.*

Cap. IV. — Pontamius dixit: *Abeam et ego, ut confortem oves meas, et simul cum eis pro Christi nomine patiar labores, et anxietates: non enim suscepi munus episcopi in prosperitate, sed in labore.*

Pancratianus. *Optimum verbum, justum consilium; profectum approbo, Deus te conservet.*

Omnes. *Servet te Deus in bono consilio, quod nos similiter approbamus.*

Omnes simul. *Abeamus in pace Jesu Christi.*

Subscriptiones. *Pancratianus in Dei nomine episcopus Bracarensis; Gelasius, in Dei nomine episcopus Emeritensis; Elipandus, in Dei nomine episcopus Colimbricensis; Pomerius, episcopus Egitanensis; Arisbertus, episcopus Portugallensis; Deusdedit, in Dei nomine episcopus Lucensis; Pontamius, episcopus Eminiensis; Tiburius, episcopus Lamacensis; Agathius, episcopus Iriensis; Petrus, in Dei nomine episcopus Numantinus.* Hactenus concilium Bracarense.

De episcopis Hispaniæ in ejusmodi clade fuga actis, et ærumnis, atque angoribus afflictis, agit S. Augustinus in epist. 180, ad Honoratum, ipsum consulentem, liceretne eo tempore episcopo fugam inire, quod nonnulli Hispanorum fecerant; sic enim respondet: *Ita quidem sancti episcopi de Hispania profugerunt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captivitate dispersis; sed multo plures illic manentibus propter manentes sub eorum periculorum densitate manserunt; et si aliqui deseruerunt plebes suas, hoc est quod dicimus fieri non debere; neque enim tales docti auctoritate divina, sed humano, vel errore decepti, vel timore sunt victi.* Certe ad id Augustinus respexisse videtur, quod in hac Bracarensi synodo decretum est; et Pontamius episcopus Eminiensis inter eos enumerandus erit, de quibus dixit: *Multo plures illic manentibus*, etc.

Sed unde habemus isto tempore celebratum hoc concilium? nimirum ex eo quod in actis asseritur, tunc temporis Alanorum, Suevorum, Vandalorumque

A. C. 423. Marabaudes poeta lyricus, cæcus, Barcinone floret. A. R. 1174.

Asturius Toletanus corpora SS. Justi, et Pastoris martyrum intra mœnia Complutensis urbis prius translata, Basilica cohonestat, quorum memoria egesta terra penitus intercideral : et relicta sede Toletana, scripsit manens Compluti, vitam resque gestas, ac hymnum, et officium SS. martyrum : interque scriptores pontifices numero nonus est.

BIVARII COMMENTARIUS.

barbaras nationes præter Carpetaniam, et Celtiberiam reliqua omnia versus Pyrenem sub sua habere potestate : Ulixbonam premere, Emeritam et Asturicam possidere, et Eminiensem tractum in Gallæcia; adhuc vero non pervenisse Bracaram, sed de proximo eorum adventum imminere : quæ omnia ad annum ipsum ingressus eorumdem in Hispanias referenda sunt : nam in sequenti, Dextro etiam cum Idatio teste, Lusitania, et Gallæcia a Suevis et Alanis vastatæ fuerunt, ubi Bracara, et Sedes comprovincialium ejus episcoporum sitæ sunt. Insuper ex eo quod in actis nulla fiat mentio de Gothis, sed solum de Alanis, Wandalis et Suevis ; unde inferre debemus, celebratum esse ante Gothorum ingressum, videlicet post septem annos quam cæteri ingressi fuere. Accedit quod non multo post, scilicet anno Domini 415, Avitus presbyter epistolam Luciani de inventione corporis protomartyris Stephani a se de Græco in Latinum idioma traductam, dicavit Balchonio Bracarensi episcopo, qui tamen adhuc in vivis erat tempore concilii Toletani, a S. Turibio Legato S. Leonis papæ celebrati, anno Domini 448, quando Barbari totam sine contradictione Hispaniam possidebant. Quare cogimur dicere Pancratianum antecessisse Balchonium, et ante annum 415 obiisse, et aliquanto prius concilium præfatum celebrasse. Transcripsit itidem ipsum P. Caracciolus clericus regularis Neapolitanus in controversia sua de Adventu S. Jacobi in Hispanias.

7. *Marabaudes*, etc. Exstant ipsius nonnulla heroica carmina tom. XV Bibliothecæ Vet. Pp. ultimæ impressionis sub titulo : *Merobaudis Hispani scholastici de Christo;* eorum vero initium est : *Proles vera Dei, cunctis antiquior annis*, quæ contra Arianorum errorem scripta videntur.

8. *Asturius*, etc. Eam rem, quod ad inventionem, et translationem SS. Martyrum spectat, narrat S. Ildefonsus lib. de Viris illustribus in Asturio his verbis : *Hic et sacerdotio beatus, et miraculo dignus, quia quibus jungeretur in cœlo, eorum terreno reperire membra meruit in sepulcro. Nam cum sedis suæ sacerdotio fungeretur, Divina dicitur revelatione monitus, Complutensi sepultos municipio, quod ab urbe ejus ferme* LX *milliar. situm est, Dei martyres perscrutari. Qui concitus accurrens, quos et tellus aggeris, et oblivio temporis presserat, in lucem et gloriam terrenæ cognitionis provehendos invenit. Quibus repertis redire ad sedem renuens, servitute simul et assiduitate sanctis innexus, diem clausit extremum.* Hæc de revelatione sanctorum Asturio facta, apud Ildefonsum legimus. Attamen non ita eos invenisse credendus est, quasi de urbe, aut Ecclesia in qua sepulti jacerent ignoraretur : nam paulo ante vidimus S. Paulinum filium suum Celsum Compluti prope sanctos martyres tumulasse; sed quia individuus sepulcri eorumdem locus, utpote subtus terram jacentis, a memoria hominum exciderat. Porro officium in ipsorum laudem a sancto Asturio compositum exstat in Breviario Mozarabe sancti Isidori, cum hymno, quem placuit in gratiam eruditorum, et devotionem cunctorum hic apponere.

Hymnus de sanctis Martyribus Complutensibus.

O Dei perenne Verbum Patris ore proditum,
Organum qui imbecille admovens infantium,
Das eis spirare flatum, vocis ut promant sonum :
Tu plus adesto nobis, solve fibras gutturis,
Ora instrue loquelis, corda reple lacrymis,
Ut sacrorum festa dignis præcinamus canticis.
Ecce Justus, ecce Pastor, ambo juncti sanguine,
Quos pia fraternitatis junxerat germanitas,
Fecit æquales sacratæ passionis unitas.
Illi tamen scholis retenti, dum struuntur litteris,
Audientes quod tyrannus intrat urbem persequens,
Illico scholam relinquunt, et tabellas admovent.
Appetunt cursu deinde præsidis præsentiam,
Et crucem Christi sequendo, corpus armant debile,
Quo triumphos passionis expedirent fortiter.
Hoc repente Daciano nuntiantes inquiunt,
Ecce advenire Christum profitentes parvuli,
Mortis ultro passionis, atque cædis perpeti.
Turbidus at inde præses concitans sævitiam
Ad suos truces ministros, ut teneantur clamitat,
Fustibus jubens tenella dissecari corpora.
Tunc sacratas voces ecce alloquuntur invicem :
Tempus est accipiamus hujus pœnas corporis,
Quo futurum possideamus gaudium cum angelis.
Audiens mox Dacianus martyrum constantiam,
Excitatus in furorem dictat hanc sententiam :
Ut perempti fratres ambo morte dira intercidant.
Protinus eos furentes pertrahunt satellites
Ad locum campi patentem, quem ferunt laudabilem.
Ense illic verberantur, laureantur sanguine.
O locum vere beatum, quo cruor reconditur
Sanctus ille parvulorum ad salutem plebium,
Quove multa sanitatum signa ægris confluunt.
Nempe hic divina virtus vincit iras dæmonum,
Curat ulcus, membra sanat, et dolores temperat,
Vota cunctorum receptat, et ruentes sublevat.
Jam tuorum passione freta gaude civitas
Jure Complutensis almo quo laveris sanguine;
Et gemellis mox camenas redde vota debitas.
Hic te Deus postulamus, ut precantes audias,
Pelle morbos, solve vincla, et relaxa crimina,
Atque illæsi futuram appetamus patriam.
Nominis tui amore, da tuis in servulis
Temporale nil amemus, diligamus invicem,
Te sequamur, te canamus, te fruamur perpetim.
Laus tibi per omne tempus, Trinitas indifferens,
Laus, honor, virtusque summa, singularis gloria,
Quæ Deum te sæculorum personet in sæcula. *Amen.*

Quod ad sanctissimorum martyrum corpora spectat, tempore Sarracenæ cladis, id est, ad annum Domini 714, Oscam translata fuere a S. Urbicio Burdegalensi, qui Compluto ob metum Maurorum sublata, Burdegalam primum, inde Oscam Aragoniæ notissimam urbem advexit; ubi miraculis multis clarescunt, incorruptione quoque ad hæc usque tempora insigniter donati, post MCCCXXVIII annos ab eorum illustri martyrio decursos. Ejus rei testes fuere ante paucos annos multi Oscenses cives, et clerici, inter quos D. Vincentius Claveria eo temporis Ecclesiæ sanctorum martyrum Portionarius, nunc illustrissimi domini cardinalis de Trejo auditor, propriis manibus corpora ipsa reverenter tractavit, mihique sæpius plena esse carnibus jurejurando interposito confessus est. Repertæ sunt cum ipsis brachia alterius ex illis, cum caligis, et panno lineo, sanguine quasi recenti, ad miraculum, madefactæ. Porro reliquiarum pars, Philippo II Catholico Rege procurante, Complutum translata est anno 1568, et celebri pompa in antiqua sede reposita. Consule Moralium lib. x Hist. Hisp., cap. 9.

Jam vero quod de S. Asturio Ildefonsus asserit, fuisse nonum inter Toletanos antistites, eo certe spectat, quod in Dextro legerat, fuisse numero nonum inter episcopos scriptores; alias omnino falsum prompsisset, cum ex Catalogo ejusdem sedis præsulum, a Loaysa excuso, quantumvis mutilo et defectuoso, constet, duodecimum ut mini-

A. C. 424. Gothi, Suevi, Wandali Alanique, nationes septentrionales, quæ Hispaniam aliquanto A R. 1175.
prius invaserant, miserandis cædibus, et incendiis illam vastant; multasque urbes, inter illas Tarraconem incendentes penitus evertunt, multaque hominum millia perimunt gladio : plurimique passim peste, fameque grassantibus absumuntur.

Theodosius Junior, qui ab anno 402 imperat, floret.

Petrus Junior presbyter Toletanus in Africa florere dicitur.

Cauriæ in Hispania, Virgo Lusitana catholica, nomine Vincentia, ab hæreticis Arianis, immensis propemodum cruciatibus afficitur : quod semel catholice tincta, nollet hæreticorum intingi baptismate : quæ hoc anno idibus Martiis gravissime torta, virgo et martyr migrat in cœlum.

BIVARII COMMENTARIUS.

mum fuisse a S. Eugenio martyre : quinimmo apud A Dextrum sit octavus decimus, seu bisnonus. Novem vero scriptores Toletanos hos intelligo : Eugenium, Turibium, Paulatum, Melantium, Natalem, Olympium I, Gregorium, Audentium, et ipsum Asturium : quorum labores et opera suis locis cum Dextro recensuimus.

A. C. 424. — 1. *Gothi*, etc. Inverso, hoc loco, recitantur ordine, quam ipsi Hispanias intrarunt. Orosius et Idatius sic eos recitant : Alani, Wandali, Suevi simul intrant, et postmodum Gothi, quod non sine mysterio factum, ad calcem horum Commentariorum monstrabimus. Cæterum Dexter ordinem invertit, eo videlicet, quod inverso ordine majores intra Hispaniam vires acceperunt : Gothi namque plus durarunt in regno. Suevi aliquanto minus, sed multo amplius quam Wandali, et Alani, e quibus Alani primi omnium devicti defecerunt, Wandali autem paulo post ad Africam transmigrarunt relictis Hispaniis. Qua de re fusius agemus in B calce operis. De calamitate quam hoc loco memorat Dexter, illustre habemus Idatii testimonium, quod ad verbum placet referre; sic enim scribit in Chronico ad æram Cæsaris 447, id est, anno 15 Arcadii et Honorii : *Barbari qui in Hispanias ingressi fuerant, cæde deprædantur hostili. Pestilentia suas partes non segnius operatur.* Rursus anno eorumdem 16 : *Debacchantibus per Hispanias Barbaris, et sæviente nihilominus pestilentiæ malo, opes, et conditas in urbibus substantias tyrannicus exactor diripit, et miles exhaurit. Fames dira grassatur, adeo ut humanæ carnes ab humano genere, vi famis, fuerint devoratæ; matres quoque necatis, vel coctis per se natorum suorum sint pastæ corporibus. Bestiæ occisorum gladio, fame, pestilentia, cadaveribus assuetæ, quosque hominum fortiores interimunt; eorumque carnibus pastæ passim in humani generis efferantur interitum. Et ita quatuor plagis, ferri, famis, pestilentiæ, bestiarum, ubique in toto orbe sævientibus, prædictæ a Domino per Prophetas suos annuntiationes implentur.* Intelligit vero Jere- C miam et Zachariam; e quibus ille cap. xv hæc sub Dei nomine prædixit : *Qui ad mortem, ad mortem; et qui ad gladium, ad gladium; et qui ad famem, ad famem; et qui ad captivitatem, ad captivitatem; et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus, gladium ad occisionem, et canes ad lacerandum, et volatilia cæli, et bestias terræ ad devorandum, et dissipandum.* Ubi verba illa, *qui ad mortem, ad mortem*, cum denuntient subitum interitum multorum diverso mortis genere, a gladio, fame, et bestiarum laceratione, necessario pestilentiam significant, quæ cum tribus aliis quatuor plagarum speciebus conficit. Zacharias vero sic inquit c. xi : *Non pascam vos, quod moritur moriatur; et quod succiditur succidatur, et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui.* Quæ certe plagarum genera eadem sunt cum his, quæ in Hispaniis refert Idatius accidisse. Negari tamen nequit prædictos prophetas ad litteram in Israeliticum populum invectos jussu Dei fuisse, ut D contextum eorum intuentibus facile constabit; nam subnectit illico Jeremias : *Et dabo eos in fervorem universis regnis terræ, propter Manassem filium Ezechiæ regis Juda, super omnibus quæ fecit in Jerusalem.* Zacharias vero perspicue agit de plagis Jerusalem ob Christi occisionem eversæ, unde in figura venditionis Domini (ut Matthæus c. xxvii explicat) : *Et appenderunt*, ait, *mercedem meam triginta argenteos.* Potuit nihilominus divinus Spiritus secundario ad ejusmodi Hispaniæ calamitates respicere; quod sine dubio Idatius contendit. Subjungit deinde anno Arcadii 17 : *Subversis memorata plagarum grassatione Hispaniæ provinciis, Barbari ad pacem ineundam, Domino miserante conversi, sorte ad habitandum sibi provinciarum dividunt regiones. Galliciam Vandali occupant, et Suevi sitam in extremitate Oceani maris occidua; Alani Lusitaniam et Carthaginensem provincias; et Vandali cognomine Silingi Boticam sortiuntur. Hispani per civitates et castella residui a plagis, Barbarorum per provincias dominantium se subjiciunt servituti.* De Tarraconis eversione agit Orosius lib. vii, c. 22, eamque utpote patriæ suæ deplorat.

2. *Theodosius*, etc. Imperasse Theodosium Juniorem ab anno Domini 402 eo sensu accipias, quod eo anno Arcadio v et Honorio item v coss. (teste Marcellino) Cæsar creatus sit; ait enim in Chronico anno prædicto, *Theodosius Junior in loco quo pater, patruusque suus, Cæsar creatus est.* Quod vero subditur, ab anno 424 floruisse, eo dictum credas, quod tunc temporis mortuo patre et patruo (Arcadio et Honorio) monarchiam solus obtinuit imperii. Ita sane ex Idatio ad hunc annum, qui apud ipsum ultimus est Honorii, olympiadis 201 annus 1, æra Cæs. 462, Christi vero 423 : sic enim ait : *Romanorum* XLI, *Theodosius Arcadii filius ante aliquot annos regnans in partibus Orientis, defuncto patre, post obitum Honorii patrui, monarchiam tenet imperii, cum esset annorum* 26.

3. *Petrus*, etc. Huic Augustinus dedit librum *de Anima et ejus origine*, pro quo nimirum contra quemdam Avitum Origenistam laboraverat Paulus Orosius ab Occidente ad Orientem transitum faciens. De eodem iterum Augustinus lib. ii Retractationum, cap. 56 : *Vincentius Victor*, inquiens, *in Mauritania Cæsariensi invenit apud Hispanum quemdam presbyterum Petrum nonnullum opusculum meum, ubi de origine animæ*, etc.

4. *Cauriæ*, etc. Ejus illustre martyrium scripsit Gregorius Turonensis in Histor. Francorum. lib. ii, cap. 2, suppresso licet nomine, in hunc modum : *Virgo Hispana religiosa prædives opibus, ac secundum sæculi dignitatem nobilitate senatoria florens, et quod his omnibus est nobilius, fide catholica pollens, Deoque omnipotenti irreprehensibiliter serviens, ad hanc quæstionem ducitur. Cumque regis Trasimundi Ariani fuisset oblata conspectibus, cœpit eam primum ad rebaptizandum blandis sermonibus illicere. Quæ cum venenosum ejus jaculum fidei per arma propelleret, præcepit rex ejus facultates auferri, quæ jam mente possidebat regnum paradisi, deinde suppliciis applicatam sine spe præsentis vitæ torqueri. Post multas quæstiones, post ablatos rerum terrenarum thesauros, cum adhuc frangi non posset, ut beatam rescinderet Trinitatem, ad rebaptizandum invita deducitur. Cumque in illum cæno-*

A. C. 424. Prope Tudem in Gallæcia, in oppido Vianensi, sancti pontifices Maximianus et Valentinus confessores clarent. A R. 1175.

Rufus ex Charia, episcopus in Hispania creatur : qui per aliquot annos sequendo quemdam pseudo-christum, mirifice deceptus, de gradu pontificio ex sententia frequentis concilii dejicitur.

S. Asturio cognomento Serrano in bona senectute decedenti, in ecclesia Sanctorum Justi, et Pastoris Compluti ædificata sepultura datur : cui successit in sede Toletana Martinus; huic Olympius secundus.

Hæretici Priscillianistæ ab urbe Vettonum Ambratia ignominiose depelluntur ab Splendonio ejus urbis episcopo : similiter non minori nota a Marcello Cauriensi episcopo.

Sub Olympio II Toletano laxantur spatia summi templi Toletani, et illustri templum donatur Bibliotheca.

BIVARII COMMENTARIUS.

sum lavacrum vi cogeretur immergi, ac proclamaret : Patrem cum Filio, ac Spiritum sanctum unius credo esse substantiæ, essentiæque : digno aquas unguine cunctas infecit, id est fluxum ventris peregit. Exhinc ad legitimam ducta quæstionem, post equuleos, post flammas, post ungulas, Christo Domino capitis decisione dicatur. Hactenus Gregorius, qui pariter affirmat, per eumdem Wandalorum regem alios quoque in Hispania catholicos vexatos esse, et diversis tormentorum generibus cruciatos, ac tandem morte mulctatos, et martyrio coronatos. In eo tamen corrigendus est, quod asserat S. Vincentiam virginem sub Trasimundo passam : qui tamen regnum accepit multos post annos, non quidem quando Wandali erant in Hispania, sed postquam in Africam migraverant, ut perspicuum est ex Fulgentii Ruspensis vita, et aliis auctoribus. Porro multos Hispanorum eo temporis a Barbaris martyrii coronam accepisse, ex actis concilii Bracarensis superius exscripti manifeste convincitur; quod tu quoque consulas in cap. 1.

5. *Prope Tudem*, etc. Vianam vocat oppidum Vianense, inter Durium et Minium situm, quæ regio olim ad Gallæciam spectabat, nunc Portugalliæ est. Porro sanctorum Maximiliani et Valentiniani festa dies agitur in Romano Martyrologio ad 29 Octobris, cui vetera mss. consentiunt, ex quibus Molanus in Additionibus ad Usuardum eorumdem meminit. In Romano Maximilianus nuncupatur martyr, Valentinianus vero confessor, quod eo sensu accipiendum est, quo confessoris titulus iis duntaxat qui martyrium inceperant, et coram judice Christi fidem confessi fuerant dabatur : nunc vero beatissimi duo episcopi Vianæ præclare a Wandalis inquisiti sunt de fide. In eo tamen Molanus deceptus est, quod Viannam urbem quæ superiori lectioni prædictorum sanctorum conjungenda erat inferiori ubi de B. Theodoro abbate agitur, conjunxit; quasi S. Theodorus Viennæ seu Viannæ obierit, et non magis præfati sancti episcopi confessionis gloria claruerint. Cum tamen Viennæ in Gallia ejus abbatis memoria minime reperiatur, etiam apud Turonensem, qui de gloria confessorum Galliæ scripsit, aut apud Belvacensem in Speculo historiali. Nec mirum, cum is sit S. Theodorus, qui sancto Pachomio magistro suo in regimine monasteriali successit, et cujus multa præclara gesta narrat Cassianus in Collationibus, et Gennadius lib. de Viris illustribus, ex quibus Equilinus nonnihil scripsit in Catalogo lib. I, cap. 173. Sic igitur in Martyrologio legendum videtur, die 29 Octobris : *Eodem die sanctorum episcoporum Maximiliani martyris, et Valentiniani confessoris, Viennæ. Item depositio Beati Theodori abbatis.* Sed obscuriorem reddiderunt contextum, qui inter utrosque aliorum Sanctorum, nimirum Narcissi Hierosolymitani, et Joannis Augustodunensis episcoporum natalia posuerunt, quibus veteres codices carent.

6. *Rufus*, etc. Rem gestam scripsit Severus in Vita S. Martini, his verbis : *Animadversum est tamen eodem fere tempore fuisse in Hispaniis juvenem, qui cum sibi multis signis auctoritatem paravisset, eo usque latus est, ut se Eliam profiteretur. Quod cum plerique temere credidissent, addidit, ut se Christum esse diceret ; in quo etiam adeo illuxit, ut eum quidam episcopus Rufus nomine, ut Deum adoraret ; propter quod eum postea ab episcopatu dejectum vidimus.* Rufus hic ex Charia erat, quæ est provincia Asiæ minoris, in qua Tripolis, Antiochia, et Leocadia sitæ sunt, ut apud Ptolomæum videre est lib. v Geogr., cap. 2, tabula 1.

7. *S. Asturio*, etc. Astipulatur his Sanctus Ildefonsus, quod ad sepulturam S. Asturii Serrani spectat, inquiens : *Quibus repertis* (loquitur de SS. martyribus Justo, et Pastore Compluti) *redire ad sedem renuens, servitute simul et assiduitate sanctis innexus diem clausit extremum : cujus tamen sedem donec vixit* (Toleto absens) *nemo adiit. Inde ut antiquitas fert, in Toleto sacerdos IX, et in Compluto agnoscitur I.* Deinceps usque ad Sarracenicam Hispaniæ cladem reperiuntur episcopi Complutenses conciliis Hispaniæ subscribere. Quod vero nonum asserit Toletanorum episcoporum fuisse Asturium, superius a nobis explicatum est. Nec scio unde id Ildefonsus acceperit, nisi ex Chronicis Dextri; ad quæ respexisse credo verbis illis, *ut antiquitas fert*, etc. : nullus enim Dextro antiquior inveniri potuit hæc scribens, cum his diebus Chronicon ille scripserit. Post multa annorum curricula corpus S. Asturii Ovetum translatum est, in Hispaniarum captivitate sub duro Sarracenorum jugo, ibique honorifice conditum in Sacello sancto, vulgo *Camera sancta* nuncupato requiescit in lignea arca; quæ anno Domini 1572, die 25 Julii, aperta cœlestium aromatum fragrantiam dedit, ut refert Ambrosius Morales lib. XIII Hist. cap. 38, habetque titulum *Sancti Serrani*, ejus nimirum qui vocabatur Asturius Serranus. Celebrat ejus festum Ecclesia Ovetensis 8 die Martii sub nomine Sancti Serrani episcopi, et confessoris, ut in kalendario sanctorum Hispanorum Matriti impresso anno 1614 inveni.

Porro in sede primaria Toletana successisse Asturio Martinum habemus ex Dextro, Martino vero breviter assumpto Olympium ejus nominis secundum. Olympio Fœtadium, huic Isicium, Isicio Majorianum. Ex quo sane partim corrigendus, partim augendus est catalogus Toletanorum præsulum ab altero ipsorum, erudito Loaysa, publicatus inter concilia Hispanica; nam Martinum cum Majoriano confundit, et omittit Olympium II, cujus tamen nomen reperitur inter Patres concilii Toletani primi nuncupati, cum primus quarto loco ante Asturium ad cœlos evolasset, secundus autem nondum sedem prædictam ascendisset, utpote quam Asturius habebat. Omittit etiam Fœtadium, de quo, et reliquis, suis locis agendum nobis erit.

8. *Hæretici*, etc. Repullulabant his temporibus Priscillianistæ, qui tamen postmodum a S. Turibio absumpti, et cæsi sunt.

9. *Sub Olympio*, etc. Vide, quæso, antiquitatem

A. C. 424. Memoria Gregorii Cordubensis ubique celebris habetur, qui fuit præfectus prætorio Cappadociæ, fratris comitis Olympii. A. R. 1175.

Innocentius Hispanus ex urbe Carpetanorum Ebora, motu Gothorum urbes Hispanas incendentium ad insulam Minoricam multis sociis fugiens convertitur ad fidem: quem non multo post secutus est Theodosius Judæus.

BIVARII COMMENTARIUS.

bibliothecæ S. Ecclesiæ Toletanæ, vel in hoc etiam cum quavis alia orbis comparandæ. Exstant ipsa multi mss. codices sanctorum, qui nondum lucem viderunt, et incredibilis thesaurus Arabicorum librorum, quos utinam S. illa Ecclesia Latinitate donandos curaret, ad suam et universitatis Christiani orbis utilitatem.

10. *Memoria Gregorii*, etc. Multa de eo diximus ad annum Domini 384 de concilio Mediolanensi agentes, quæ tu consulas.

11. *Innocentius*, etc. Tota series conversionis Innocentii ac Theodosii, sive Theodori, cum universa Synagoga urbis Magonæ, insulæ Minoricæ, quæ reliquiarum S. Stephani ab Orosio illuc delatarum virtute, multis præcedentibus miraculis facta est, fuse a Severo Minoricensi episcopo enarratur in epistola encyclica ad universitatem Christiani orbis ab ipso data, quam e veteri ms codice Vaticanæ bibliothecæ card. Baronius exscriptam publicavit tom. V Annal. ad an. Dom. 418. Longum esset eam hic inserere, nequeo tamen omnia prætermittere. *Diebus pene istis* (ait ille) *presbyter quidam sanctitate præcipuus a Hierosolyma veniens* (loquitur de Orosio) *Magonæ non longo tempore moratus est, qui postquam transvehi in Hispanias sicut desiderabat, nequivit, remeare ad Africam denuo statuit. Tum B. Stephani reliquias, quæ nuper revelatæ sunt, cum ad Hispanias portare constituisset, ipso sine dubio martyre inspirante, in memorati oppidi Ecclesia collocavit.* Devotione protomartyris accensi Christiani, de convertendis Judæis tractare cœperunt. Inde prælium non minimum ortum est, et magno Dei miraculo factum, ut quantumvis Judææ mulieres tela et saxa in Christianos innumera jacerent, nullum eorum læserint; quodam tamen Christiano unum duntaxat jaciente, Judæus, in capite graviter vulneratus est. Nonnullis Judæorum sæpius in somnis Synagogæ suæ conversio monstrata est, præsertim Theodoro summo sacerdoti, et omnium illorum ditissimo. Primi omnium conversi fuere Innocentius et Meletius. Sed qui fuerint ipsi, accipe ex prædicta epist.: *Duo quidam primarii Judæorum Meletius Theodori frater, et Innocentius, qui Hispaniarum cladem nuper fugiens, cum familiis suis in hanc insulam venerat* (*sicut nunc ipsi etiam cum sacramentorum terribili interpositione confirmant*), *ad unam speluncam vel potius rupem convenerunt, associando se duobus quibusdam Judæis humili loco ortis, qui istos communis fugæ principes legerant.* Initium conversionis inde sumptum est, quod Meletio, divina disponente clementia, tenaciter hæsit verbum hoc, *Christe, in nomine tuo*, ita ut a memoria illud excludere non posset. Re Innocentio propalata, cum in oblivionem dare ipsum tentaret, verbis etiam turpissimis, sed minime proficeret, *dum angustissimum ingrediuntur callem, cogitationum tenebris lucem obcæcantibus oculorum, ipsum quem inscii sequebantur tramitem perdiderunt, et in locis desertis, atque inviis remansere. Cum autem scinderentur sentibus, aut vepribus arcerentur, postquam corpus suum longis fœdavere vulneribus, ad tantam primo quidem anxietatem, deinde etiam ad desperationem atque formidinem venere, ut compellerentur fateri, se ea judicio Dei justo ob incredulitatem perpeti. Igitur nomen Christi quod ante, se ultro ingerens repellebant, laceratis jam cruribus invocantes, semitam quæ eos contra voluntatem ac propositum suum ad oppidum retraxit, corripuerunt.* Iis ad fidem conversis, Theodorus quodque post triduum conversus est, et cum eo universa synagoga. Multa interim miracula patrata sunt, quæ egressum Hebræorum antiquum de Ægyptiaca servitute expresserunt; nam globus igneus, pro columna nubis, super Ecclesiam visus est; pluit etiam grando minutissima, velut manna, mellis habens saporem; insuper pluvia præcedebat eos ad baptismum, ita ut Christiani re comperta dicerent, *Ecce jam pluit; scitote Judæos ad fidem Christi accessuros:* et in conversione Artemisiæ Meletii conjugis mellis saporem inducit, ad instar aquarum Mara quæ in dulcedinem versæ fuerant (*Exod.* xv) Ex universæ civitatis synagoga duæ duntaxat Hispanæ sorores Spiritui sancto vocanti resistebant, altera quidem Innocentii uxor, altera cognata, sed vidua, prolem habens: de quarum mirabili conversione prædictus Severus hæc scribit: *Uxor Innocentii per quatuor fere dies verbum salutis quod ingerebamus obturatis auribus recipiebat. Hæc cum nullis Innocentii conjugis vel minis, vel precibus, vel lacrymis moveri posset, universa, Innocentio rogante, ad domum in qua habitabat, fraternitatis multitudo convenit, habens magnum dolorem animi, quod tantæ lætitiæ plenitudini una mulier obsisteret. Cum igitur diu cassa verba surdis auribus ingerentes nihil profecissemus, ad cognitum orationis præsidium convolavimus, itaque usque ad horam tertiam ferme, hymnorum et orationum præliis adversus Amalec hostem Jesu ducis nostri sudavit exercitus. Inde cum jam pene desperantes abscissionem moliremur, resumptis rursum viribus orationem cunctis indiximus, soloque strati diu flevimus: et cum in consummatione orationis Amen acclamasset; et illa credere se, et Christianam fieri velle subjunxit.* At quid de ejus sorore vidua factum? *Matrona cum prole sua venerabilis vidua, illico ut Innocentium sororis conjugem conversum esse conspexit, navem conscendit, non solum permittentibus, sed etiam suadentibus nobis, quia ad fidem Christi nec verbis, nec miraculis flecteretur. Octava demum die, qua remeare statuimus* (Severus scilicet ad sedis suæ civitatem), *affinis Innocentii illa vidua pelago reducta est; quæ subito se meis genibus advolvens fidei nostræ auxilium cum lacrymis deprecabatur. Cui ego: Cur, inquam, mulier tanta animi levitate fratres tuos deserere voluisti? Ad hæc illa: Et Jona, inquit, propheta a facie Domini fugere voluit, et tamen voluntatem Dei, licet invitus, implevit. Suscipe ergo tu non solum me, sed et istos orphanos, et Christo eos nutri; et hoc mirabiliter acclamans, duos filios suos parvulos mihi cum fletibus ingerebat. Quis non præ gaudio flevit? cui non extorsit lacrymas lætitiæ magnitudo? Suscepi plane ovem quam ex omni numero solam errasse putabamus, eamque cum gemino fetu ad Christi ovilia revocavi.*

Quod ad tempus conversionis prædictæ attinet, ad calcem epistolæ Severi facta dicitur, *post consulatum Honorii* XI *et Constantio iterum victore.* Horum vero consulatus incidit in annum Domini 477; quare si post eum statim accidit, sub Honorio XII et Theodosio VIII coss., anno videlicet Christi 418, facta dicenda est, ut Baronius credit; præsertim cum Severus ipse asserat, id accidisse, quando Paulus Orosius Hierosolymis revertebatur in Hispaniam, et Africam cum reliquiis S. protomartyris Stephani; quod tamen sub annum prædictum contigisse monstratum est. Dexter vero forsan epistolæ Severi ignarus, sive quod aliquot post annos a prædictorum consulatu acciderit, eam rejicit in annum Domini 424.

A. C. 424. Festum Inventionis S. Crucis a Silvestro institutum celebre multis est. A. R. 1175.

Prudentius Roma Cæsaraugustam rediens, ad sedem Cæsaraugustanam S. Mariæ plenus dierum, et illustrium operum, post multas pugnas cum omnibus hæreticis sui temporis habitas, tranquille moritur.

Synodus altera habetur Telensis in Hispania, in qua confirmat acta Synodalia Domitianus ejusdem urbis episcopus. Hæc sedes Telensis inter primas Hispaniæ habebatur.

Fœtadius succedit in sede Toletana sancto viro Olympio.

Honorius, Minervius, Jovianus, viri clarissimi sanctissimique, singulorum monasteriorum curam susceperunt.

426. S. Hieronymus Dalmata sanctissimus, doctissimusque vir, in Bethleem commorans, jam decrepitus migrat ad cœlos. 1177.

428. Fœtadio pontifici Toletano succedit Isicius monachus Palæstinus : qui Sedulium amicum suum, et Oretanum episcopum, prædicationis gratia Toleti detinet : qui dono Dei in poesia, oratoriaque præclarus multos libros componit. 1179.

BIVARII COMMENTARIUS.

12. *Festum*, etc. Ad calcem historiæ Inventionis, A S. Crucis asseritur, prout inter cæteros refert Equilinus lib. IV Catalogi, c. 117, S. Helenam imperatoris Constantini matrem festum in ejus memoriam celebrandum singulis annis statuisse in universo orbe. Id autem per Sylvestrum papam cunctis promulgatum et intimatum fuisse, dubium nulli esse debet; quod etiam iis diebus speciali veneratione celebrari solitum, Dexter affirmat.

13. *Prudentius*, etc. Ultimum operum ipsius, encheridion novi et veteris Testamenti fuit; in cujus præfatione satis perspicue asseverat se tandem in domum sacram Virginis de Columna receptum, encheridion scribere. Nam cum præmisisset, non omnia vasa domus divitis aurea esse, sed aliqua etiam fictilia, ad usum tamen necessaria, subdit :

Me paterno in atrio,
Ut obsoletum vasculum, caducis
Christus aptat usibus :
Sinitque parte in anguli manere.
Munus ecce fictile
Inimus intra Regiam salutis.

Quid est munus inire intra Regiam salutis, nisi intra domum Dei scribere? in cujus angulo se manere affirmat; quod et Dexter annotat. Suspicor in Prudentio legendum, *Me materno in atrio Christus aptat usibus caducis;* pro, *Me paterno in atrio*, etc, quandoquidem in templi Matris Christi angulo degebat, ut Dexter scribit. Quod ad ejus ætatem spectat, cum superius ad annum 380 probatum sit a nobis, ortum ipsius in consulatum Saliæ et Philippi incidisse, seu quod idem est, in annum Domini 348, relinquitur ut obierit ætatis suæ 77, cum hoc anno 425 obiisse dicatur. Porro de ejus pugnis cum idololatris, Judæis, et omnis generis hæreticis, libri ipsius pleni sunt.

14. *Synodus altera*, etc. Quod *altera* dicit, deesse hoc loco indicat memoriam alicujus synodi, nimirum Teleptensis Africanæ, cujus meminit paulo inferius agens de Majoriano Toletano præsule, qui illic interfuit : et respectu ejus vicinitate ductus nominum, subjecit, *Synodus altera Telensis*, etc. Apud neminem vero ejus concilii mentionem factam reperio, præterquam apud Dextrum.

15. *Fœtadius*, etc. Decrat ejus memoria in catalogis Toletanorum pontificum, quæ tamen ex Dextro restituenda erit.

16. *Honorius*, etc. Ad litteras, quas Minervius Hieronymo dederat, et Sisinius monachus attulerat, cum aliis Exuperii et Alexandri, respondet ipsa epistola 152, et eis dedicat suum Malachiam. De iisdem agit Prosper Tyro in Chron. an. 28 Arcadii et Honorii imp., Christi vero 422, inquiens : *Honoratus, Minervius, Castor, Jovianus, singulorum monasteriorum patres in Gallis florent.*

A. C. 426. — *S. Hieronymus*, etc. Prosper Aquitanicus in Chronico assignat obitum S. doctoris sub coss. Theodosio IX et Constantio III, anno scilicet Domini 420. Dexter post annos 6, id est 426. Uter vero verius scripserit difficile judicaverim : eo vel maxime quod nihil fere apud ejus temporis scriptores æque incognitum, et ambiguum, ac Hieronymi mors fuit. Sane Idatius in Chron. ad annum Theodosii Junioris XI, hoc est, Christi Domini 433, ita scribit : *Quo vero tempore sancti Joannes* (Hierosolymorum episcopus) *Hieronymus et alii, quos supra diximus, obierint, referentum sermo non edidit. Dixerat prius, Hierosolymis Juvenalem præsidere, Germani præsbyteri arabicæ regionis exinde ad Gallæciam venientis, et aliorum Græcorum relatione comperimus.* Non tamen quidquam de morte S. Hieronymi retulerunt : quem sane se vidisse Hierosolymis, dum B puer adhuc et infantulus loca sancta perlustraret, Idatius ipse anno Domini 407 narraverat, seu 13 Arcadii et Honorii. Insuper Marcellinus nihil de ejusdem S. doctoris morte certum habens, egit de ea non ad annum quo contigisse credi posset, sed quo ipse librum de Script. Eccles. finierat, id est, 14 imperii Theodosii Magni, Arcadio iterum et Rufino coss., in hæc verba : *Usque hunc 14 Theodosii imperii annum B. Hieronymus post ascensionem Domini nostri Jesu Christi, a Petro apostolo incipiens, et in semetipsum desinens* 135, *virorum illustrium ecclesiastica volumina descripsit, apud Bethleem oppidum degens, ubi et monasterium sibi condidit, finemque vitæ suæ admodum senex fecit.* Et tamen Augustini obitum, quem certo scivit, ad annum Domini 430, Florentio et Dionysio coss., notavit.

Quod ad ætatem Hieronymi spectat, variant auctores : Beda, Ado, et Usuardus in Martyrologio, quos Sigibertus sequitur in Chronico, asserunt obiisse ætatis suæ 98 vel 99, Prosper vero 91. Card. C Baronius contendit non fuisse octogenarium, sed ad 78 vel 79 dumtaxat pervenisse. Illud tamen certum apud omnes, admodum senem finem vitæ suæ fecisse, ut Marcellinus dixit, seu quod idem est in Dextro, jam decrepitum ad cœlos migrasse : ætas siquidem decrepita, Ptolomæo auctore cap. ult. Quadripart. incipit ab anno 68.

A. C. 428. — 1. *Fœtadio*, etc. Exstat Isicii pontificis memoria in Catalogo Toletanorum præsulum. Hinc habemus Sedulium Oretanum in Hispania fuisse episcopum; quod tamen non tollit ortum fuisse in Hibernia, ut multi credunt, cum et ipse Isicius Toletanus episcopus Palæstinus fuerit monachus. Sed utrum duo Sedulii olim in poesia floruerint, an unus, non est hujus loci disputare.

A.C. 428. Celebris habetur in Carpetania memoria pii pontificis Olympii, cujus liber de fide ibi, et alibi diligenter volvitur. A.R. 1179.

429. Isicius successorem habet Majorianum, qui quidem interfuit concilio Africano Teleptensi. 1180.

Vincentius ex Palatino fit monachus Lirinensis; et multi presbyteri vocati Aviti florent cives Tarraconenses.

Paulo Tarraconensi episcopo Bonifacius etiam Caldeaquensis ex ordine Augustiniano succedit.

. . . . . .

Gothi duce Castino vastant regionem Carpetanam.

Capreolo diacono Toletano scribit S. Capreolus.

BIVARII COMMENTARIUS.

2. *Celebris*, etc. Hic fuit ille magnus Olympius, quem Augustinus doctorem præclarum Ecclesiæ, ac sanctum appellat, dum ejus librum citat. Consule quæ de Olympio ejus nominis primo scripsimus ad ann. Domini 356, de eo siquidem agitur in præsenti.

A. C. 429. — 1. *Isicius*, etc. Id quoque habetur in Catalogo Toletanorum præsulum, ubi tamen Majorianus cum Martino confunditur, qui quidem diversi omnino sunt, cum Martinus antecesserit in sede eadem Olympium II, Fœtadium et Isicium, Majorianus vero Isicio successerit. In eodem errore versatur codex Dextri Cæsaraugustanus, simili correctione dignus.

2. *Vincentius*, etc. Notissimus hic auctor cunctis est, utpote cujus liber *adversus hæreses* manibus omnium cum eximia laude teratur; et nomen in tabulas Kalendarii seu Martyrologii Ecclesiastici inductum sit IX kalend. Junii. De eo in Catalogo illustrium virorum agit Gennadius c. 64, Ubi Theodosio (juniore) et Valentiniano regnantibus obiisse scribit, nimirum circa annum 434, quo de eo disserit Baronius, vel paulo post. Anno tamen 429, monachi vitam et institutum amplexus est in monasterio insulæ Lirinensis, sub abbate S. Honorato, postmodum Arelatensi episcopo. De Vincentio item consule Equilinum lib. v, c. 72.

Et multi presbyteri, etc. Satis de his dictum ad annum 417, cum de Paulo Orosio incidit sermo, qui contra eos legationem ad Augustinum tulit. Cum vero nunc a Dextro florere dicantur, credimus eos ad sanam mentem scriptis ejusdem Augustini reductos fuisse.

3. *Paulo Tarraconensi*, etc. Hærent nonnulli dum audiunt iis diebus ordinis Augustiniani nomen, cum nec Monachorum instituta diversa ordines nuncupati, aut Augustiniani cognomentum reperiantur in usu fuisse. Unde et locum hunc commentitium existimant, ab aliquo sciolo in gratiam eremitarum S. Augustini excogitatum. Negari certe non potest, inusitatas voces esse pro illo ævo, quo instituta monachorum inter se parum aut nihil dissidebant; facileque verba illa, *ex ordine Augustiniano*, codici Dextri ab aliquo potuisse addi in margine, inde vero, quod frequenter accidit, ab altero amanuensi textui inserta. Nihilominus id minime nostris diebus actum crediderim, sed olim a multis annis ab Eutrando hujus Chronici continuatore, qui floruit an. Dom. 960, aut ab alio vetusto et docto viro: neque enim Dextri Chronicon per manus Augustiniani alicujus ad nostras devenit, sed eruditi viri Soc. Jesu Thomæ de Turrealba, qui e Fuldensi Benedictinorum bibliotheca abstractum codicem exscripsit, et misit in Hispaniam, qua de re multa in proœmio Operis diximus. Illud tamen operæ pretium erit advertere, *Ordinis* nomen non ita novum, ut a multis creditur, fuisse, nam illud reperio a S. Zacharia Romano pontifice acceptum in privilegio Cassinensi cœnobio concesso anno Domini 742, mense Martio, quod ego hoc præsenti anno 1623 oculatus inspexi in ejus Archivio, ubi autographum ipsum exstat. Ibi itaque refert Zacharias angelum de cœlo S. P. Benedicto, de strage sui monasterii sub Longobardis futura mœstissimo, dixisse: *Noli, probatissime ac lætissime Benedicte, pro his, quæ huic eventura didicisti loco, mœstum gerere animum; quoniam quod semel a Deo præfixum est, immutabile atque irrevocabile est: solis tibi tuo merito concessis habitantium in hoc loco animabus. Sed aderit omnipotentis consolatio Dei, quæ locum istum in ampliorem et meliorem quam nunc est restituet gradum; et hujus ordinis doctrina de hoc iterum per totum orbem radiabit loco.* Hæc ille, immo angelus Benedicto; unde fit ut, Zacharia teste, Benedicti tempore ordo sancti Benedicti vocaretur.

Cæterum quod ad textum spectat, verbum *Tarraconensi* non est conjungendum cum verbo *episcopo*, subsequenti, sed potius ab eo separandum, et superiori conjungendum, videlicet *Paulo*; ut non sit sensus, quod fuerit episcopus Tarraconensis, quia non fuit nisi Caldaquensis; sed quod Paulus Tarraconensis natione, fuit episcopus Caldaquensis: cui Bonifacius in episcopatu successit. Scripsit ad Paulum hunc Augustinus epist. 216, ex qua constat discipulum ipsius fuisse, nam ait: *Tibi enim maxime debeo, quia in Christo Jesu per Evangelium ego te genui.* Dure tamen eum objurgat, quod Caldaquensem seu Cataquensem Ecclesiam absque necessitate debitis oneraverat: *Cum enim tu magis magisque implicare te non cesses, ut etiam rebus quibus renuntiasti, te post renuntiationem inseruerís* (professus igitur sub Augustini magisterio regularia vota fuerat), *et in ea professione vivere dicaris, cui frugalitas Ecclesiæ tuæ sufficere non possit, ut quid quæris communionem meam*, etc. Epistola vero 124, ad Olympium comitem, personam Bonifacii jam in eadem sede suffecti per Pauli mortem, affectuose commendat, rogans, ut debita, quæ ejus prædecessor fecerat, ei condonentur, quod iterum repetit epist. 129.

4. . . . . In codice Cæsaraugustano hoc loco subjungebantur ejusmodi verba, *Petronius Maximus Augustus depositus Complati decedit*: perperam tamen ab aliquo plagiario hic inserta sunt, cum constet, quod post mortem Dextri anno Domini 455, Valentiniano VIII et Anthemio coss. (ita refert Prosper Tyro in Chronico), eodem Valentiniano occiso, *levatus* fuerit *Petronius Maximus imperator*, qui tamen 72 die occisus, per Urbem tractus fuit.

5. *Gothi duce Castino*, etc. De Castino hæc scribit Idatius in Chronico anno 28 Arcadii et Honorii, Christi vero 422: *Castinus magister militum cum magna manu et auxiliis Gothorum, bellum in Bætica Wandalis infert: quos cum ad inopiam vi obsidionis arctaret, adeo ut se tradere jam pararent, inconsulte publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus, ad Tarraconam victus effugit.* In reditu regionem Carpetanam vastavit. Fuerat Castinus consul anno Domini 424 cum Victore collega.

6. *Capreolo*, etc. Sanctus Capreolus, qui Toletano diacono ejus nominis scripsisse dicitur hoc tempore, Carthaginensis erat in Africa episcopus; successit

A. C. 429. Gothi non multo post invadunt Complutum. A. R. 1180.
Toleti clarus habetur Philippus discipulis Hieronymi.
Idatius Clarus insignis habetur in Hispania.
Meconem urbem prope Complutum in Carpetaniæ finibus ingenti furore, ac crudelitate vastant Gothi.
Viginti ferme militum millia contra Wandalos pugnantium, variis præliis atrociter se mutuo concidunt.
430. Sancti martyres ex Hispania in Africam transfretant, patria Salmanticenses; in quibus Arcadius et socii. 1181.
Ad Valerianum [*Al.* Valerium] episcopum Cæsaraugustanum scribit Cyrillus.
Hoc etiam tempore delatum est in Gallæciam corpus S. Mametis Cæsariensis martyris, quod in monte celso servatur. Quamquam alii putant corpus esse S. Mametis Eremitæ, qui non ante multos annos ibi quievit.
Dira gliscit in Africa persecutio Wandalorum in catholicos.

BIVARII COMMENTARIUS.

in pontificatu Quodvultdeo: scripsit per Bassulam diaconum ad Patres in concilio Ephesino congregatos, ut refert Liberatus in Breviario cap. 5 et Peltanus in Actis ejusdem synodi tom. II, cap. 19.

7. *Gothi*, etc. Duce scilicet Castino magistro militum, cum Carpetaniam universam devastarunt.

8. *Toleti*, etc. De Philippo hoc S. Hieronymi discipulo hæc habet Gennadius cap. 62: *Philippus presbyter Hispanus* [Al. *Optimus*, sed insulse] *auditor Hieronymi commentatus est in Job, edidit sermone simplici libros. Legi ejus familiares epistolas valde salsas, ad maximæ paupertatis et dolorum tolerantiam exhortatorias. Moritur Martiano et Avito regnantibus*, ad annos scilicet 455.

9. *Idatius Clarus*, etc. De eo Sanctus Isidorus lib. de Viris illustribus, et ex eo nos in superioribus ad annos 382 et sequentibus.

10. *Meconem*, etc. Retinet hodieque nomen vetustum, tametsi ad parvum redacta oppidum, et quarto fere a Compluto lapide *Meco* vocatur.

11. *Viginti*, etc. Hoc procul dubio bellum illud est, de quo Idatius agit in verbis quæ superius num. 5 posuimus. De eodem Prosper Tyro in Chron. ann. 8 Theodosii, qui fuit Christi Domini 430, inquit: *Viginti fere millia militum in Hispaniis contra Wandalos pugnantium cæsa.*

A. C. 430. — 1. *Sancti*, etc. Illustrissimum eorumdem certamen narrat S. Prosper in Chron. ad annum Domini 437 his verbis: *Per idem tempus quatuor viri Hispani Arcadius, Probus, Paschasius et Eutychius dudum apud Gensericum merito sapientiæ, et fidelis obsequii clari habebantur; quos rex ut copulatiores sibi faceret, in Arianam sectam transire præcepit. At illi facinus constantissime respuentes, excitato in rapidissimam iram Barbaro, primum proscripti, deinde in exsilium acti, tum atrocissimis cruciati suppliciis, ac postremum diversis mortibus interempti, illustri martyrio miserabiliter occubuerunt. Puer autem, Paulillus nomine, frater Paschasii et Eutychii, pro elegantia formæ et ingenii admodum regi acceptus, a professione atque amore Catholicæ fidei cum nullis minis deturbari posset, diu fustibus cæsus, ad infamem servitutem damnatus est: nec ideo, ut apparet, interfectus, ne de superata sævitia impii regis etiam illa ætas gloriaretur.* Fuerunt hi Martyres primitiæ Wandalicæ persecutionis. Porro S. Arcadio cum sociis in vinculis detento Honoratus Constantinæ urbis episcopus, teste Gennadio lib. de Viris illustrib., litteras dedit ad martyrium exhortatrices, quæ in Bibliotheca Veterum Patrum exstant. Earum principium est: *Perge, fidelis anima, perge, confessor Trinitatis*, etc. quod nimirum Arianorum dogma detestaretur, et inter alia: *Ecce gaudet Christus, et inspicit te, lætantur angeli, et adjuvant te. Tecum est omnis chorus martyrum præcessorum tuorum; exspectant te, martyres, et defendunt, et coronam extendunt. Rogo te, tene quod habes, ne alter accipiat coronam tuam. Exspectat te Ecclesia catholica martyrem suum, ut honorificet sicut Stephanum suum*, etc. Alii codices pro Honorato habent Antoninum, quem ferunt hujus epistolæ auctorem. Erat vero iis ipsis diebus Antoninus Emeritensis episcopus, ut Idatius ejus socius et amicus scribit in Chronico anno 21 Theodosii Junioris, qui tamen dubio procul sanctos Martyres viderat, cum Gensericus rex Emeritam contra Hermigarium Suevum ingressus superioribus annis fuerat; ipsum siquidem regem illi, utpote fideli ejus obsequio addicti, comitabantur. De ejusmodi Genserici profectione hæc habet Idatius: *Anno 5 Theodosii Junioris; Olympiade 302*, Christi vero anno *423. Gensericus rex de Bæticæ provinciæ littore, cum Wandalis omnibus, eorumque familiis, mense Maio, ad Mauritaniam, et Africam, relictis transit Hispaniis. Qui priusquam pertransiret, admonitus Hermigarium Suevum vicinas in transitu suo provincias deprædari, recursu cum aliquantis suis facto, prædantem in Lusitania consequitur. Qui non procul de Emerita quam cum sanctæ martyris Eulaliæ injuria spreverat, multis per Gensericum cæsis, ex his quos secum habebat, arrepto (ut putavit, Euro velocius) fugæ subsidio, in flumine Ana, divino brachio, præcipitatus interiit. Quo ita exstincto, mox quo cœperat Gensericus enavigavit:* et cum ipso Arcadius et socii; quos cum Antoninus confessores effectos cognovisset, ad eos prædictas litteras dedit. Agitur de ipsis in martyrologiis Romano et Usuardi die 13 Novembr.

2. *Ad Valerianum*, etc. Dicavit S. Cyrillus Alexandrinus Exegeses suas Valeriano episcopo, sed ut ibi dicitur Iconii antistiti, qui unus fuit ex Patribus concilii Ephesini contra Nestorium, ut ex subscriptionibus apparet. Utrum autem is ipse postmodum in Hispanias profectus Cæsaraugustæ sederit (quod sæpe contigisse in aliis vidimus, præsertim in Olympio, et Isicio), an vero is, de quo agitur hoc loco, alius ejusdem nominis fuerit, non satis liquet. Certe Valerianum nunc Cæsaraugustanam tenuisse Ecclesiam superius testimonio Prudentii probatum a nobis est.

3. *Hoc etiam*, etc. Mons ipse de quo hoc loco mentio fit vocatur *S. Mammetis*, habetque in cacumine eremitorium parvulum, quod ego sæpius invisi, eo quod locus ipse et mons sit monasterii Sanctæ Mariæ Montis Ramorum Auriensis diœcesis, in quo aliquamdiu vixi. Festum quotannis inibi fit die 7 Augusti in honorem sancti Mammetis martyris; quamquam vulgo receptum sit inter terræ ejus incolas Mamantem suum eum montem incoluisse; ut inde facile credi possit alium eum fuisse a Cæsariensi martyre Cappadociæ, quem Ecclesia Romana colit ad diem 17 Augusti, Græci vero ad 2 Septembris.

4. *Dira gliscit*, etc. Refert Idatius in Chronico ad

A. C. 430. Cohortium quæ in Hispania sunt præstantissima hoc tempore Celtiberorum censetur, A.R.1181.
sedetque Brigantii, habet Suellos jaculatores ex oppido Gelo, corrupte dicto ab ipsis militibus Suellis, qui præstant arte jaculandi.

Epistolæ B. Virginis ad S. Ignatium, et ejusdem ad Sanctissimam Virginem, manibus fidelium nunc teruntur.

Eodem tempore in Tabulario Messanensi reperta est quædam epistola Hebraice exarata a B. Virgine ad eosdem cives Messanenses, et maximi ducitur.

Eodem tempore allatæ ad Hispanias reliquiæ sacræ Virginis Theodosiæ ad Cæsaream Palæstinæ passæ sub Maximiano, et ad oppidum Ilacid ignobile Cantabriæ, dictum Salviam terram, cum maximo honore devectæ.

Et eodem etiam anno repertæ sunt reliquiæ S. Memnii Mancii Eborensis in Lusitania pontificis, et primi illius urbis apostoli : qui converso prius populo Cathalaunensi in Gallia, postea in Hispanias trajiciens, Eboræ prædicavit, ubi et martyrium passus est. Fuit civis Romanus, et Christi discipulus, et ab anno 36 Christi ad annum 106 in Gallia, et Hispania prædicavit, et sub Trajano martyrium (uti dixi) pro Christi nomine passus est.

Per Hispanias celebris erat memoria Pomponii Paulati, Calidonii Bracarensis, Luciani Cæsaraugustani episcopi, qui præterquam fuerunt scriptores egregii, concilio cuidam Carthaginensi cum aliis Africanis interfuerunt, et subscripserunt.

Florebant opera Isidori Junioris episcopi Cordubensis super Lucam et Reges. Moritur anno Domini 430. Micuit egregia doctrina, et opinione mirabilis sanctimoniæ. Successit in sede pontificali Cordubensi Gregorio viro sanctissimo, doctissimoque anno circiter 400. Fuit pontifex annis 30.

Cum hæc scriberem regnabat in Hispania Theodoredus rex. Currebatque ejus annus XXII,

BIVARII COMMENTARIUS.

annum 4 Theodosii Junioris, Gensericum Wandalorum regem, Catholica fide, quam primum coluerat, deserta, ad Arianorum dogma transisse; inde vero persecutionem ipsius contra catholicos duxisse originem; de qua fuse Victor Uticensis tractat, et de fructibus ejus Romanum Martyrologium diversis diebus.

5. *Cohortium*, etc. Eadem fere verba reperies ad annum Christi 86, quæ nescio an vitio amanuensium iterum hoc loco inserta sint, an vero ut ejus cohortis mentio fiat, quasi hoc etiam tempore florentis contra Wandalos et Suevos.

6. *Epistolæ*, etc. Consule quæ de eis superius diximus ad annum Domini 116.

7. *Eodem tempore*, etc. Bis de ea epistola B. Virginis ad Messanenses a Dextro mentio fit, semel quidem quando divulgari cœpit recens scripta ad annum Domini 86; iterum quando in Tabulario denuo reperta est, quod hoc loco fit.

8. *Eodem tempore allatæ*, etc. De ejus translatione scribit Joannes Marieta lib. IV de Sanctis Hispaniæ, cap. 67, asseritque ejus sacras reliquias in pretio haberi prope urbem Victoriam in Cantabria, ejusque Ecclesiam sitam esse inter *Salvatierra* (quam Dexter Salviam terram vocat) *et Sanctam Crucem de Campezo*, in saltu Alabensi, vulgo *Sierra de Alaba*.

9. *Et eodem etiam anno*, etc. Multa, eaque scitu dignissima diximus de sancto Memmio in superioribus ad annum Domini 90 quæ tu consulas. In codice excuso Cæsaraugustæ post illa verba textus, *ad annum* 106 deerant sequentia, *in Gallia, et Hispania prædicavit*, quæ nos ex aliis adjecimus.

10. *Per Hispanias*, etc. Actum a nobis est de Pomponio Paulato ad annum Domini 215; de Caledonio vero ad annum 268.

11. *Florebant*, etc. Vide quæ de Isidoro isto diximus ad ann. Domini 423 et prius ad annum 384. De cognomento autem ipsius nonnulla difficultas est: codex Dextri excusus vocat eum, primum quidem Juniorem, postmodum vero Seniorem : quod sane errore exscriptoris factum est, ut ego mihi persuasum habeo : nam tametsi potuerit facile a recentioribus auctoribus variari, illis nimirum qui Isidorum Hispalensem agnoverunt, cujus respectu prior hic Cordubensis procul dubio *Senior* dici debuit : cæterum Dexter, qui illum ignoravit, ad eum respicere non potuit, et ei propter absolute hunc Cordubensem Juniorem vocasse certum est. Aliter de M. Maximo ejus continuatore sentiendum, qui cum Isidorum Hispalensem agnoverit, multo recentiorem, hunc Cordubensem jure optimo Seniorem nuncupavit, ad annum Christi 432.

12. *Cum hæc scriberem*, etc. Multa quæ hoc loco dici poterant in Apologia pro isto opere notata sunt, ubi respondimus ad ea, quæ hinc nonnulli existimant deduci contra operis germanitatem; quæ tu consulas. Imposuerat Chronico suo finem Auctor anno Christi 430, cum illud dicavit Hieronymo, ut ex epistola ad Orosium data, initio operis constitit. Cæterum ad manus Hieronymi pervenire non potuit, qui anno 426 ad Deum transierat; de cujus tamen morte anno adhuc 433, qui fuit Arcadii 11, nihil certi in Hispania dicebatur, ut Idatius in Chronico scribit, ne quis miretur, Chronicon ei missum anno 430, quarto nimirum ab ejus felici transitu, ad ejus pervenire manus nequivisse. Quo tamen post annos aliquot a Dextro comperto, iterum opus suum revisit, perfecit, locupletavit, non quidem in annorum Chronologia, sed in sententiis, quas toti operi intexuit, ut de memoria mortis ipsius Hieronymi constat, cujus ad annum Domini 426 fecit mentionem : sicque locupletatum et auctum Paulo Orosio amico et consanguineo suo iterum nuncupavit, ultimam operi manum imponens anno Domini 440, de qua loquitur cum ait : *Cum hæc scriberem*, etc. atque huic anno cæteræ ibi notatæ chronologiæ congruunt, videlicet Romæ conditæ, æræ Cæsaris, et regni Theodoredi regis Gothorum in Hispania. Nam Urbis conditio, ut in principio habitum est, præcessit Natalem Christi annis 751; æra vero annis 38. Unde annus Domini 440 necessario erit Romæ conditæ 1191 et æræ Cæsaris 478. Insuper Idatio teste, *anno 24 imperii Arcadii et Honorii Walia Gothorum rege defuncto Theodores* (sic ipse Theodoredum vocat) *successit in regno*. Fuit is annus a nato Domino 418, ex quo usque ad 440 intercurrunt 22 regni Theodo-

A. C. 430. Romæ MCXCI, Christi CCCCXL, Æra CCCCLXXVIII, ætatis vero meæ LXXXII, jam incipiente decrepita. Qui rex successit Waliæ, hic Sigerico, Sigericus autem Ataulpho, qui Barcinone patria nostra occisus est XXI Augusti anno CCCCXVI, in cujus memoriam hoc ego carmine lusi : A.R. 1181.

Bellipotens valida natus de gente Gothorum :
Hic cum sex natis, rex Ataulphe, jaces.
Ausus es Hispanas primus descendere in oras,
Quem comitabantur millia multa virum.
Gens tua tum natos, et te invidiosa peremit,
Quem post complexa est Barcino magna gemens.

BIVARII COMMENTARIUS.

redi a Dextro notati. Præcesserat Waliam Sigericus Ataulphi successor; quod etiam Orosius lib. VII et M. Maximus ad annum Domini 455 notarunt; sed quoniam paucissimos dies in regno exegit, et forsan nondum coronatus occisus est, communiter nomen ejus in catalogo regum Gothorum Hispaniæ non ascribitur, ut apud Prosperum, et Idatium in Chronicis videre est, qui absolute affirmant Ataulpho Waliam successisse, nulla mentione de Sigerico facta. *Ataulphus* (ait Idatius), *a Patricio Constantio pulsatus, ut relicta Narbona Hispanias peteret, per quemdam Gothum apud Barcinonem inter familiares fabulas jugulatur. Cui succedens Walia in regno, cum Patricio Constantio pace mox facta, Alanis, et Wandalis Silingis in Lusitania et Bætica sedentibus adversatur.* Constantius igitur in causa fuit, ut Gothi Hispanias invaderent, qui paulo ante Narbonam caput regni sui fecerant, assentientibus Romanis; nam et Galla Placidia Arcadii et Honorii soror quæ ab Alarico in eversione Romæ capta fuerat, Ataulpho ejus successori nupserat : de qua Idatius anno 20 Arcadii, *Ataulphus*, inquit, *apud Narbonam Placidiam duxit uxorem, in quo prophetia Danielis putatur impleta, qui ait, Filium regis Austri sociandam regi Aquilonis, nullo tamen ex ea semine subsistente.* Nempe vir ejus Ataulphus paulo postquam Barcinonem intrasset, simul cum sex filiis, a Gotho quodam, semen forsan Romanum invidente, inter familiares fabulas jugulatus est : prout Dexter in epitaphio eorumdem asseruit : quod quidem tumulo incisum marmoreo Barcinone perseverat, idque ad verbum referunt Vasæus in Chronico Hispaniæ, Morales lib. XI cap. 14, Ludovicus Nonius in sua Hispania cap. 88, Hieronymus Pujades Barcinonensis in Historia generali Cataloniæ, et alii, ibi siquidem legitur :

Hic cum sex natis, rex Ataulphe, jaces.

Et illud ;

Gens tua tum natos, et te invidiosa peremit.

Quo videas ad unguem verificari in eo, copulatum quidem matrimonio fuisse filiæ regis Austri; hoc est Romanorum, qui respectu Gothorum Aquilonarium ad Austrum vergunt, semen autem illius nullum substitisse, quandoquidem omnes filii simul cum eorum parente occisi sunt : Placidia vero iterum fratri Honorio reddita ex Constantio Cæsare novo marito Valentinianum Juniorem imperio peperit. Subscripsere Idatio in hac parte S. Isidorus et Lucas Tudensis in suis Chronicis, et Rodericus Toletanus lib. II Hist. Hisp., cap. 6.

Cæterum ut ad purum intelligi possit, Prophetam de Placidia et Ataulpho locutum fuisse ad verbum, quæ ipse antecedenter enarrat operæ pretium est ut expendamus. Præmittit Daniel, cap. 10 angelum populi sui custodem, cui princeps regni Persarum 21 diebus restiterat, sibi dixisse : *Veni, ut docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus :* ab anno videlicet 3 Cyri regis Persarum usque ad ultimi judicii et resurrectionis diem; de quo necessario ultima illa prædictionis pars accipienda est, *in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis, qui inventus fuerit in libro; et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium sempiternum.* Principio tamen (cap. videlicet XI) agit de exterminio et debilitatione trium monarchiarum, Persarum, Græcorum, et Romanorum, e quibus monarchia Persarum post quartum a tempore visionis regem, finem erat acceptura. *Et nunc veritatem* (ait cap. XI) *annuntiabo tibi. Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside, et quartus ditabitur opibus nimiis super omnes : et cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversus regem Græciæ.* Hæc tamen ruina regni Persarum fuit, et Græcorum initium, Dario videlicet Persarum rege devicto ab Alexandro Magno, de quo subdit : *Surget vero rex fortis* (Græcorum), *et dominabitur potestate multa, et faciet quod placuerit ei.* Ejus tamen regnum in morte ipsius divisum est in quatuor regulos, Ptolomæum, Seleucum, Philippum et Antigonum, uti liber primus Machabæorum enarrat. Id vero ab angelo significatum Danieli fuit, illis verbis : *Et cum steterit* (hoc est, cum Alexander ad majorem majestatis amplitudinem ascenderit, stationemque ascensus sui fecerit) *conteretur regnum ejus, et dividetur in quatuor ventos cæli, sed non in posteros, neque secundum potentiam illius, qua dominatus est; lacerabitur enim regnum ejus etiam in externos.* Semel vero Græcorum regno lacerato, et diminuto, Romani obtinuerunt principatum; quorum regem Propheta vocare videtur regem Austri, eo quod, respectu Græciæ et Macedoniæ, Italia, Romani principis sedes, vergat ad Austrum. *Et confortabitur*, inquit, *rex Austri, et de principibus ejus prævalebit super eum, et dominabitur ditione; multa enim dominatio ejus.* Sed ecce decrementum monarchiæ Romanorum. Exagitati ab Aquilonaribus gentibus Romani (nimirum a Gothis) coacti sunt pacem et amicitiam cum eis inire : quod significat illis verbis, *et post finem annorum fœderabuntur.* De qua confœderatione agit Marcellinus in Chron. ad annum Theodosii Magni tertium : *Athanaricus*, inquit, *rex Gothorum, cum quo Theodosius imperator fœdus pepigerat, Constantinopolim mense Januario venit.* Sed bello inter utrosque recrudescente, post captam Romam ab Alarico Gothorum rege, et inter spolia ejusdem Theodosii filiam, tandem bono pacis, ipsamet Placidia Ataulpho Alarici successori matrimonio copulata est; quod innuitur ab angelo cum subdit; *Filiaque regis Austri, veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam : et non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen ejus.* Quod certe de Placidia et Ataulpho dictum ad litteram, ab illis solis negari poterit, qui nomine regis Austri Romanorum regem nolint intelligi. De quo ipsi viderint : constat siquidem Romanorum monarchiam non ab aliis quam a Gothis debilitatam, Græcorum vero non ab aliis quam a Romanis. Ex hoc vero pari certitudine habebimus regis Aquilonis nomine, Gothorum significari regem, quandoquidem ipsi in Aquilonaribus nati regionibus, contra Romanos conspirarunt. De illa ergo Romanorum regis filia apud Danielem agitur ad litteram, quæ pacis et confœderationis, Gothorum regi matrimonio conjuncta est; quæ sola Galla Placidia fuit.

BIVARII COMMENTARIUS.

Neque obstat, quod hæc capta fuerit a Gothis in Urbis eversione, Danieli vero dicta sit venisse facere amicitiam; quia licet primum capta fuisset, sponte tamen sua, et non invita, fuit matrimonio copulata. Nam, ut Zosimus lib. VI scripsit, *Placidia, soror imperatoris* (Honorii), *apud Alaricum manebat, vicem illa quidem obsidis quodammodo implens, ita tamen ut omni honore cultuque regali frueretur.* Minime ergo vis illi illata est, sed ipsamet pro bono pacis sponte se nuptiis Ataulphi obtulit: *Ob hoc enim* (ait Orosius lib. VII, cap. 40) *abstinere a bello, ob hoc inhiare paci Ataulphus nitebatur; præcipue Placidiæ uxoris suæ, feminæ sane ingenio acerrimæ, religionis satis probatæ, ad omnia bonarum ordinationum opera, persuasu et consilio, temperatus.* In ea etiam cætera a Daniele annotata signa verificantur. *Non* enim *stetit semen ejus;* omnes siquidem ab Ataulpho suscepti filii cum eo pariter occisi sunt, ut jam diximus. Sed et illud quod sequitur, *Et tradetur ipsa, et qui adduxerunt eam adolescentes ejus*, Placidiæ quoque contigit, Marcellino siquidem auctore in Chron. ad consulatum Constantii, et Constantis, *Walia Ataulphi successor, facta cum Honorio principe pace, Placidiam sororem ejus eidem viduam reddidit.* Haud dubium quin adolescentes etiam ipsius, qui illi assistebant. Prosequitur deinde angelus multorum conflictuum bellicorum narrationem, qui inter utrosque reges, Austri scilicet et Aquilonis, ineundi erant, quos tamen in Romanorum et Gothorum historiis adimpletos leginus: de his speciatim (sed brevisA sime) agit Idatius in Chronico; et longum ac tædio sum esset omnes sigillatim recensere.

Animadverterim nihilominus, S. Hieronymum, quem alii Danielis Interpretes secuti sunt, reges Austri et Aquilonis existimasse hoc loco, non quidem Romanum, et Gothum, sed Syrum et Ægyptium, Alexandri Macedonis divisim successores; inter quos diutinum bellum gestum est; et regem Syriæ nuncupari regem Aquilonis, Ægyptium vero regem Austri, quod respectu Palæstinæ, de qua agebatur, ad eas vergant regna ipsorum plagas. Contigit quoque ut filia Ptolomæi regis Ægypti, Berenice nomine, tradita fuerit in conjugium Antiocho regi Syriæ ad pacem inter eos ineundam, et consolidandam; quæ filium ex viro suo suscepit, et amisit, traditaque fuit cum suis Leodici mariti concubinæ, quæ utrumque veneno ac ferro interficere curavit; qua in re nihil aliud dicere habeo, nisi quod cuilibet judicium super ea ferre integrum sit: probabile siquidem utrumque est; et fortasse utrumque sensum admittit B sacer textus, et eisdem significari potuit verbis; nec improbabile videri ob id dictum Danieli: *Tu autem, Daniel, claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum; plurimi pertransibunt, et multiplex erit scientia;* quasi dixerit, non una, sed multiplex eorum erit interpretatio, non quidem quomodolibet opinabilis, sed vera et scientifica; nec enim ait, mulitiplex erit interpretatio, sed, *multiplex erit scientia.*

APPENDIX.

IN PROPHETIAM DANIELIS DE QUATUOR ANIMALIBUS.

§ I. *Exordium.*

Cum in discutienda præfata Danielis prædictione ab Idatio exposita versor, in aliam longe excellentiorem incidi, quæ cap. VII ipsius S. prophetæ continetur, de quatuor illis mysticis animalibus, seu regnis eidem simul ostensis; cujus tamen adimpletio ad hos ipsos dies, de quibus modo cum Dextro agimus, omnimodis respicere videtur, ad ingressumque barbarorum in Hispaniam, et ad reges Gothorum, qui in ea regnarunt. Non miretur, quæso, lector, nec diffidat, cum audit quidquam in Hispania adimplendum a prophetis prævisum: nec enim indignior Hispania est prædictionibus propheticis, quam Ægyptus, et Æthiopia, aliæque barbaræ nationes, de quibus multa a prophetis prædicta reperiuntur. Et certe si (ut certum est) prophetiæ ad Ecclesiæ profectum et D promotionem intendisse præcipue intelligendæ sunt; cur, rogo, velint a prophetis involutum fuisse silentio, quod de augmento fidei ejusque imperio radicibus altissimis fundato tam gloriose videmus in Hispania? Ergone tam illa res erat, Christianam fidem inibi ab initio nascentis Ecclesiæ eximie et unice veneratam esse, et quo nihil purius, cultam, defensam, propagatam, ut nihil de ea in Scripturis sanctis haberetur? Sed demus apud cæteros prophetas nihil de ea inveniri (de quo tamen non semel in his commentariis a nobis actum est) sane a Daniele tractari C res tanta debuerat, cui nimirum inter cæteros Chronicorum Ecclesiæ scriptores specialis data est prærogativa: nam cum reliqui de rebus ad Judaicum dumtaxat populum, vel ad fidei mysteria quoad illorum substantiam spectantibus egerint, quod in Isaia, Jeremia, Ezechiele et reliquis videre est; attamen Daniel velut novus et universalis inter prophetas chronographus, de monarchiis et regnis toto orbe dominaturis, de numero regum ipsarum, deque chronographia earumdem singulariter et exactissime scripsit. Sic prorsus cap. 2, sub imagine statuæ a Nabuchodonosore visæ, caput habentis aureum, pectus et brachia argentea, ventrem et femora ærea, tibias ferreas, pedes denique partim ferreos, partim fictiles, de quatuor præcipuis mundi monarchiis, nimirum Assyriorum, Persarum, Græcorum et Romanorum, ingeniose disseruit: et specialiter de fine celeri monarchiæ Assyriorum, seu Chaldæorum (cap. 5) exposuit tria illa verba a Balthasare monarcha ad parietem in publico convivio exarari visa: et cap. 6, chronologiam annorum quibus Nabuchodonosor metamorphosim suam passurus erat post menses duodecim; et cap. 8, sub arietis et hirci inter se pugnantium speciebus, egit de potentia regni Persarum, et initiis regni Græcorum sub Alexandro Magno usque ad Antiochum, deque malis innumeris populo Dei tempore Machabæorum ab eodem infli-

gendis, et ipsius Antiochi miserabili interitu. Rursus cap. 9, regnum Judæorum duraturum prædixit spatio 69 hebdomadarum, id est, fere 500 annorum, ut omittam ea quæ cum Idatio de regum Austri et Aquilonis dissidiis, et populi Dei usque ad finem sæculorum eventibus nunc exposuimus, et ab ipso propheta referuntur in c. x, xi et xii. Cum igitur proprium Danielis prophetæ fuerit de regnis magnis et monarchiis agere, quæ usque ad finem mundi dominabuntur in ipso; qui fieri posset, ut eam solam sileret regum Hispaniæ, quæ latissime omnium per orbem diffusa est, quæ orbem alterum subjecit fidei, quæque plus cæteris ad Ecclesiæ augmentum, defensionem et gloriam spectare conspicitur? Et hæc dixerim, ne quis novam expositionem subito exhorreat, sed patienter legat; nam quæcumque a Daniele prædicta sunt cap. illo vii de quo agimus, in Hispania adimpleta videbit, quæ tamen nullibi hactenus verificari inventa sunt, quando quidem expositiones priores, suis etiam auctoribus fatentibus, manifestis repugnantiis plenæ sunt: quam vero nos amplectimur, faciliter et suaviter cuncta distribuit et explicat.

Ut tamen ordinate procedamus, præmittere necessum est ipsum propheticæ prædictionis contextum, et quid aliis visum sit per eam significari. Et cum nihil eorum prophetiæ verbis quadrare monstraverimus, demum expositionem nostram, Deo duce, proponemus, et propugnabimus: in qua, ut spero, nihil erit quod propheticis verbis non cohæreat, nihil durum, nihil violenter accommodatum.

§ II. *Danielis prophetiæ cap.* VII.

Anno primo Balthassar regis Babylonis, Daniel somnium vidit : visio autem capitis ejus in cubili suo; et somnium scribens brevi sermone comprehendit, summatimque perstringens ait : Videbam in visione mea nocte, et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, et quatuor bestiæ grandes descendebant de mari diversæ inter se. Prima quasi leœna, et alas habebat aquilæ. Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit, et cor hominis datum est ei. Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit, et tres ordines erant in ore ejus, et in dentibus, et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas. Post hæc aspiciebam, et ecce alia quasi pardus, et alas habebat quasi avis, quatuor super se, et quatuor capita erant in bestia, et potestas data est ei. Post hæc aspiciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, et fortis nimis, dentes erreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans : dissimilis autem erat cæteris bestiis quas videram ante eam, et habebat cornua decem. Considerabam cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus; et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu, et os loquens ingentia

Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit : vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda : thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus ignis accensus : fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus ; millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. Judicium sedit, et libri aperti sunt. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur; et vidi quoniam interfecta esset bestia, et perisset corpus ejus, et traditum esset ad comburendum igni : aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, et tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus et tempus. Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum; et dedit ei potestatem, honorem, et regnum, et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.

Horruit spiritus meus : ego Daniel territus sum in his, et visiones capitis mei conturbaverunt me. Accessi ad unum de assistentibus, et veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, et docuit me : Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum usque in sæculum et sæculum sæculorum.

Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valde ab omnibus, et terribilis nimis, dentes et ungues ejus ferrei : comedebat et comminuebat, et reliqua pedibus suis conculcabat, et de cornibus decem quæ habebat in capite, et de alio quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua ; et de cornu illo quod habebat oculos, et os loquens grandia, et majus erat cæteris. Aspiciebam , et ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, et prævalebat eis, donec venit Antiquus dierum, et judicium dedit sanctis Excelsi , et tempus advenit , et regnum obtinuerunt sancti. Et sic ait : Bestia quarta regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, et devorabit universam terram, et conculcabit, et comminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt, et alius consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit, et sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret , et putabit, quod possit mutare tempora, et leges; et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis : et judicium sedebit ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem : regnum autem et potestas, et magnitudo regni quæ est subter omne cœlum detur populo sanctorum Altissimi, cujus regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei, et obedient. Hucusque finis verbi. Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar , et facies mea mutata est in me : verbum autem in corde meo conservavi.

§ III. *Quæ in vulgata et communi expositione hujus prophetiæ, verbis ipsius repugnare videantur.*

Tria præcipue capita prophetia ejusmodi continet, videlicet quatuor animalium , seu regnorum historiam : judicium solemniter celebratum a Deo; traditionem denique regni perpetui, et sine fine populo

sanctorum ejus. Mira hactenus consensio in expositione eorum inter omnes Danielis elucidatores fuit. Straverunt viam cæteris vetustiores Patres, quos in prologo Danielis cum Eusebio Cæsariensi refert sanctus Hieronymus, Theodoretus, Beda, Rupertus : secutique sunt eorum vestigia Albertus Magnus, Hugo Carensis, Lyranus, et recentiores omnes, Hector Pintus, Pereira, Cornelius de Lapide, et alii. In eo igitur conveniunt, ut asserant quatuor illa animalia hieroglyphice adumbrasse quatuor notissimas monarchias, Assyriorum, Persarum, Græcorum et Romanorum, quibus tandem de medio sublatis universale generis humani judicium celebrandum est, et regnum æternum sanctis et electis tradendum. Unde et cornu illud ultimum quartæ bestiæ, volunt fore Antichristum, utpote cui illud conveniat : *Sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret;* et illud : *Vidi quoniam interfecta esset bestia, et perisset corpus ejus, et traditum esset ad comburendum igni;* tunc præsertim quando *cum nubibus cœli Filius hominis veniebat;* et quando *throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit;* et quando *judicium sedit, et libri aperti sunt.* Soli Rabbini hactenus ab his dissenserunt, qui sanctos illos quibus regnum, occisa bestia, datum est, volunt fuisse Machabæos, et ultimum regem in ipsos persecutionem moventem, per cornu significatum, Antiochum. Cæterum Antiochus non fuit undecimus sui principatus rex, ut oportebat, si per cornu illud adumbrari debebat : et nihil de cæteris accommodari opportune potest in hac explicatione. Sed relinquamus inanes Judæos, qui multo magis impugnatione alterius sententiæ expugnati manebunt.

In ea vero tam multa sunt cohærentia destituta, ut facile a quovis judicium de ea ferri possit. Vetustiores sane Patres eam amplexi excusationem justam habent, quandoquidem suo tempore prophetia nondum impleta erat: recentiorum autem non levis est, tot tantosque antesignanos sequi; quamquam a multis difficultates ingentes paterentur, illud Plutarchi sibi usurpantes : *Magnos, si erravimus, duces habuimus.* Certe Hieronymus non tam sequitur, quam refert, et refutat communem illam interpretationem de quatuor monarchiis ; et difficultatibus superatus, in principio commentariorum hujus capitis, hæc præmisit : *In superioribus* (capitibus) *ordo sequitur historiæ, quid sub Nabuchodonosor, et Balthasar, et Dario, sive Cyro mirabilium signorum acciderit : in his vero* (id est, a VII capite usque ad XII) *narrantur somnia, quæ singulis sint visa temporibus, quorum solus propheta conscius est, et nullam habent apud barbaras nationes signi, vel revelationis magnitudinem; sed tantum describitur, ut apud posteros eorum, quæ visa sunt memoria perseveret.*

At quæ in prædictis monarchiis non verificantur? Paucis multa perstringam. Primum omnia illa quatuor regna per bestias significata, non orta, sed oritura prædicuntur ab angelo. *Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra.* Hoc vero de monarchiis tempore prophetiæ dici non potuit, quandoquidem Babylonica, seu Chaldaica non solum jam orta, sed pene mortua erat, cum visio hæc ostensa dicatur anno 1 Balthassar regis Babylonis, in quo prædicta monarchia defecit; vel ipso Daniele teste cap. v. Deinde animalia hæc simul ex mari ventorum flatibus agitato orta sunt. *Videbam,* inquit, *in visione mea; et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se.* Monarchiæ vero illæ non simul ortæ sunt, sed successive per multa annorum curricula ; utpote e quibus posterior orta semper fuerit in interitum prioris : nam Persæ subjugarunt Assyrios, seu Chaldæos; Persas post 230 imperii annos Græcus delevit exercitus sub Alexandro : cujus monarchia in ejus morte divisa est in tria regna, Syriacum, Macedonium et Ægyptium : his superiores effecti Romani monarchiam erectam per 500 annos a secundo bello Punico usque ad urbis eversionem per Alaricum sub anno Romæ conditæ 1164, conservarunt.

Rursus in applicatione cujusvis bestiæ ad certam monarchiam, novæ oriuntur ambiguitates. De secunda bestia dicitur, quod tres ordines dentium erant in ore ejus, hoc autem potius verificaretur in tertia Græcorum monarchia, quam in secunda : nam ea divisa fuit, ut dixi, in tria regna se invicem debellantia, quod secundæ non accidit. Sed aiunt, verificari in illis tribus principibus Persarum, qui præerant 120 satrapis : per eos enim universum gubernabatur imperium, ipso Daniele teste cap. VI. At quæram ego quas carnes jussi sunt devorare? nihil de crudelitate eorum legimus. Quinimmo unus ex tribus ipse Daniel erat, siquidem cap. VI dicitur : *Placuit Dario, et constituit super regnum satrapas* 120, *ut essent in toto regno suo; et super principes tres, ex quibus Daniel unus erat;* de quo videant ipsi, quam crudelitatem ei impingant, ut quoquo modo ipsi vere dictum sit : *Surge, comede carnes plurimas.* Adhæc quid significat, quod bestia tertia dicitur habuisse quatuor capita, et alas totidem? Certe nec quatuor, nec octo solum reges fuisse in Græcorum monarchia satis perspicuum est; et imperium Alexandri in tria dumtaxat regna divisum fuit. Quod ad quartam spectat quæ terribilior cæteris describitur, Romanum per eam imperium significari contendunt. Sed nihil difficilius, solos siquidem undecim reges usque ad judicium habitura dicitur illa : quot vero decades Romanorum imperatorum fuerunt? nam cornua undecim totidem reges ejus quarti regni denotare, angelus Danieli exposuit. Insuper videant ipsi velintne facere Antichristum Romanorum imperatorem, et ejus monarchiæ ultimum regem, quoniam de cornu undecimo bestiæ quartæ asseritur quod futurus sit rex ultimus regni per illud significati : *Porro cornua decem ipsius regni decem reges erunt, et alius consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit, et sermones contra Excelsum loquetur,* etc.

Non majoris est momenti quod Annius Viterbiensis in quæstionibus super Apocalypsim commentatus est : cornu ultimum Machometem pseudoprophetam denotasse, nihil etenim eorum, quæ de cornu illo dicuntur in Machomete verificatur; nec enim fuit ultimus illius quartæ monarchiæ, quod de cornu illo dicitur, sed principium novæ: nec secutus est alios decem reges, nec humiliavit tres illorum, nec judicium ullum in ejus morte factum legimus, nec corpus ejus igne crematum est.

Insuper quod judicium a Daniele hoc loco prævisum, de ultimo totius humani generis exponitur, a vero destitutum quis non videt? Non enim in eo judex constituitur Christus Dominus, quod in ultimo futurum fides docet, sed æternus Pater, prima nimirum sanctissimæ Trinitatis persona. Nec illi judicio sistitur humanum genus, pro meritis præmia, vel pœnas factorum recepturum, in singulis, sed ipse humani generis Redemptor; is siquidem Patri suo oblatus dicitur. En verba prophetæ : *Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit; vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli ejus quasi lana munda.* Quæ sane æterni Patris luculenta et appositissima figuratio est : subinfert assistentium numerum : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei;* quod de angelicis spiritibus Dei ministris dictum nemo non videt. Sed quis judicio tanto oblatus dicitur? *Aspiciebam* (ait) *et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit.* Numquid judex sessurus, cui homines sisti deberent? minime, sed ipsemet oblatus est Judici, *et in conspectu ejus obtulerunt eum.* Sequitur favorabilis pro eo lata sententia, *Et dedit ei* (Pater Judex) *potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient : potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.* Et tunc populo sanctorum Altissimi, occisa bestia, regnum datum est. Ubi illud quoque valde notandum est, quod in calce visionis expresse asseritur, post illud judicium Danieli ostensum, multos sub cœlo dominaturos reges, qui monarchiæ populi sanctorum servient, et obedient. Unde regnum illud seu monarchia ultima populi sanctorum, de qua hic agitur, nullatenus potest cœlestia beatorum gaudia denotare; quandoquidem post regnum cœlorum ab ipsis corporaliter acceptum, nullus remanere populus aut rex poterit sub cœlo, cum tamen mansuros multos et populos et reges sub ipso propheta pronuntiet, illis verbis : *Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem : regnum autem et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi, et omnes reges servient ei, et obedient :* non asserit supra cœlum, seu in cœlo regnum illud continendum, sed *subter omne cœlum*, eique omnes reges obedituros. Sed et illud, *dispereat* (potentia bestiæ) *usque ad finem;* post judicium illud, finem adhuc mundi superesse manifestat, et nondum finitum mundum. Insuper judicio peracto, et occisa quarta bestia, de tribus aliis dicitur, quod concessa fuit ipsis vita usque ad certum tempus, sine potestate tamen et dominio : *Aliarum quoque bestiarum ablata est potestas, et tempora vitæ constituta sunt eis usque ad tempus et tempus.* Nemo autem audebit asserere post universale judicium aliquas gentes sub cœlo in hac vita ad tempus relinquendas. Sive igitur bestias, sive judicium, sive regnum post ipsum sanctorum populo datum sigillatim applicandum inspiciamus, innumeras et insuperabiles communis expositio videtur pati difficultates : in ea vero quam modo exponemus, cessant omnes, nihil non cohæret visioni, cuncta consonant, miramque in cunctis ejus partibus consonantiam cum re significata reperiuntur habere. Præterquam quod jam cap. 2 ostensi fuerant prophetæ ortus et interitus quatuor illarum monarchiarum sub typo statuæ, a Nabuchodonosore visæ, ex totidem metallis confectæ : unde verisimile non est iterum denuo rem eamdem a Daniele scriptis traditam, præsertim quia non fuit exposita ab angelo quasi visio ejusdem rei, sed novæ et diversæ : quare aliud quidpiam ab ea nunc significatum quæramus.

§ IV. *Nova et exacta ejusdem prophetiæ expositio de Alanis, Wandalis, Suevis, et Gothis in Hispanias irruentibus : deque catholica monarchia proponitur.*

Age, jam exponamus propheticam Danielis visionem de Barbaris in Hispaniam irruentibus : nam per has bestias barbaras significari nationes ipse Hieronymus annotavit inquiens, *Regnorum feritas atque crudelitas bestiarum nomine demonstratur.* Itaque anno Domini 419, æra Cæs. 447, Arcadii et Honorii imp. an. 15, eodem Honorio VIII et Theodosio Arcadii filio III coss., tertio idus Octobris, feria item tertia, *Alani, Wandali et Suevi*, tres barbaræ nationes, Hispanias ingressæ sunt. Anno autem Domini 416, qui fuit æræ Cæs. 454, imperii vero prædictorum 22, *Gothi* sub Ataulpho rege easdem Hispanias intravere. In his omnes auctores conveniunt, et qui omnium exactissime scripsit ea de re testis et ipse oculatus Idatius episcopus Lamacensis, a quo in his manuducti et excitati fuimus. Quatuor ergo bestiæ de mari ascendentes, quatuor istæ barbaræ nationes sunt eo tempore in perniciem Hispaniarum erectæ, quo totus pene orbis quasi e quatuor ejus angulis, sub totidem ventorum typo agitatus est, et undique tyranni bellum insufflantes contra Romanum imperium conspirarunt. Quinimmo quod a quatuor ventis excitatæ dicuntur, in eo impletum ad litteram conspicitur, quod consules duo contra totidem imperatores rebellantes prædictas quatuor bestias super Rom. imperium e remotissimis terris adduxerunt : siquidem *Stilico comes spreto Honorio principe, regnumque ejus inhians, Alanorum, Suevorum Wandalorumque gentes donis pecuniisque illectas contra regnum Honorii excitavit ; Rufinus vero Patricius Arcadio principi insidias tendens Alaricum Go-*

thorum regem infestum Reipubl. fecit. Verba sunt Marcellini comitis in Chron. ad annos Domini 395 et 408. Quod vero de mari ascenderint postea sic exponitur ab Angelo, ut mare mundum ipsum significet, nam quæ prius dicebantur de mari ascendisse, postea de terra consurrexisse dicuntur. Sed vero facile etiam intelligi possunt eæ nationes in Hispaniam de mari ascendisse per quatuor ventos cœli, cum pene omni ex parte maribus cincta sit : et sciamus Alanos Occidentalem plagam occupasse, nimirum Lusitaniam; Wandalos Meridionalem, id est, Bæticam: Suevos Septentrionalem, videlicet Galliciam et Asturias : Gothosque ab Orientali intrasse Barcinonem.

Iis accedit quod nullibi gentium quatuor simul barbaræ nationes intrasse reperiuntur, nisi in Hispaniam ; licet enim in Italiam quoque, et Galliam, et Germaniam Alani, Wandali, Suevi et Gothi intraverint, non tamen soli sicut in Hispaniam. Nam simul cum eis Huni et Eruli intraverunt et tandem Longobardi : qui omnes ab Hispaniis abstinuerunt. Quare solum in Hispanias quatuor, nec plures, nec pauciores ingressæ sunt : et quod caput est, universæ prophetiæ circumstantiæ in sola Hispania verificantur. In primis ordo bestiarum, ordini nationum in Hispanias intrantium correspondet, hoc siquidem ordine ab Idatio et Orosio nominantur. Idatius enim ait, *Alani et Wandali, et Sucvi Hispanias ingressi*, etc., et post annos septem, Ataulphus cum Gothis Barcinonem. Orosius autem lib. VII, cap. ult. : *Quamvis*, inquit, *Alanorum, Wandalorum Suevorumque reges eodem nobiscum placito depacti forent*, etc. Prima proinde bestia Alanos, secunda Wandalos, tertia Suevos, quarta Gothos significat : et propriissime; uniuscujusque etenim propria signa describunt.

Prima bestia, Alani. — Tria sane bestia prima habuisse dicitur : 1° quod *erat quasi leæna*, nimirum cæterarum se reputabat reginam ; nam leo in animalibus imperium habet; 2° quod *alas habebat aquilæ*, hoc est, regem superbum; nam aquila regis indicium est, et quemadmodum in cornibus et capitibus bestiarum, ita et in alis reges denotantur : et generaliter a paritate rationis, quidquid habere dicuntur super se reges sunt; 3° quod breviter deplumata est, et dignitas regia ab ea fuit ablata : *Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit :* videlicet ut aliis assisteret, servitutem amplexa; quæ enim superbissima omnium alta de se præsumebat, et feræ induerat sævitiam, mansueta et tractabilis facta est. Et hoc est quod dicitur, *et cor hominis datum est ei :* Alanos omni modo hic typus adumbrat. Potentabantur Wandalis et Suevis; Gothos despiciebant. Et quando Wandali simul et Suevi Gallæciam solam occuparunt, Alani potiores Hispaniæ provincias acceperunt, Carthaginensem scilicet et Lusitaniam : *Gallæciam Wandali occupant, et Suevi* (ait Idatius anno Domini 411) *sitam in extremitate Oceani maris occidua ; Alani Lusitaniam et Carthaginensem provinCias.* Habemus Alanos in leæna alas aquilæ habente proprie satis denotari ; sed unde celerem illorum abolitionem educimus? quot, rogo, annos, eorum volavit superbia? Decimum non adimpleverunt, si fides Idatio habenda est, qui anno Domini 418, et 24 Arcadii et Honorii, hæc scribit : *Alani qui Wandalis et Suevis potentabantur, adeo cæsi sunt a Gothis, ut exstincto Atace* (aliis *Ajace*) *rege ipsorum, pauci qui superfuerant, abolito regni nomine* (ecce quomodo eversæ sunt alæ ejus) *de Gunderici regis Wandalorum, qui, in Gallæcia resederat, patrocinio se subjugarent.* Jam ergo in ea natione verificatur quod *super pedes quasi homo stetit, et cor hominis datum est ei.* Exstincti vero sunt a Walia Gothorum rege, *qui eodem anno* (ut verbis utar Idatii) *Romani nominis causa intra Hispanias cædes maximas Barbarorum effecit.* Sunt qui existiment Cathalanos vocari nunc, quasi Gothos Alanos, quod Alani Gothis subjecti eam Hispaniæ partem occupaverint, et utrique nomen provinciæ dederint. Non decrunt quibus arrideat, non sine mysterio, Alanos per allatam leænam significari, ut nomine bestiæ, nomen etiam nationis significatæ indicaretur : et idem forsan de prima littera secundæ bestiæ et nationis notari alicui libebit, in urso videlicet Wandalos significatos; sed solidiora prosequamur.

Secunda bestia, Wandali. — Tria quoque de secunda bestia dicuntur, quæ Wandalis ad unguem conveniunt : 1° quod *erat similis urso ;* in quo cum duritia et ferocitate parciorem victum notant Danielis interpretes; 2° quod *tres ordines erant in ore ejus et dentibus ejus.* Nimirum quoniam in tres partes regnum illud erat dividendum, et ubique ferociam exerciturum; 3° denique quod ei soli inter cæteras bestias dictum fuit, *Surge, comede carnes plurimas.* Et recte tria hæc de Wandalis dicuntur, quorum parcitatem victus, ursi symbolo denotatam, et castimoniam, quæ inde consequitur, summopere laudat Salvianus Massiliensis lib. VII de Providentia. In ejus autem ore tres ordines dentium fuisse dicuntur, quia cum una quævis cæterarum nationum a se invicem numquam discesserit; Wandali tres diversas provincias occuparunt ; et primum quidem Wandalorum nonnulli ad Gallæciam prope Suevos sedes fixerunt, alii vero cognomine Silingi ad Bæticam declinarunt ; et tandem fortiores ipsorum Africam ceperunt, et devastarunt. Ita sane ex Orosio, Isodoro et Idatio credere edocemur, hujus siquidem (quem duo alii sequuntur) verba sunt. Ann. 17 Arcadii et Honorii : *Gallæciam Wandali occupant, et Suevi Alani Lusitaniam et Carthaginensem provincias ; et Wandali cognomine Silingi Bæticam sortiuntur*, a quibus Wandalusia postmodum appellari cœpit. Anno deinde 5 *Theodosii, Gensericus rex de Bæticæ provinciæ littore cum Wandalis omnibus, eorumque familiis, mense Maio ad Mauritaniam, et Africam relictis transiit Hispaniis.* Ubique tamen dentes suos, id est, feritatem in servos Christi exercuerunt, cuncta eorum bona deprædantes, ac miseros misere

trucidantes. Egimus in superioribus de S. Vincentia Cauriensi in Bætica a Wandalis martyrio coronata; deque SS. martyribus Arcadio, et sociis ab eisdem occisis. De his vero quos Bracaræ, Gallæciæ metropoli, jugularunt, scribit ipse Idatius ad annum Dom. 420 et 427. Et quasi parum de carnibus Christianis comedissent, *surgere* rursus jubentur *et comedere carnes plurimas*, quo denotatur Wandalos a sedibus quas prius in Hispania habebant surrexisse, et in Africam transfretasse, ubi persecutionem illam notissimam, ab eis Wandalicam nuncupatam, commoverunt, causa Arianismi inducendi, quæ tot myriades martyrum Deo consecravit et a Victore Uticensi scripta est. Ob id certe dictum fuit Wandalicæ bestiæ, *comede carnes plurimas*, quod tamen de nulla cæterarum dicitur. Cui etiam soli convenire videtur, *quod in parte stetit*, nimirum quoniam reliquis in Hispania manentibus, soli Wandali in aliam partem a cæteris sejuncti sunt, id est, in Hispaniam.

Tertia bestia, Suevi. — Totidem atque in reliquis, in tertia bestia notatu digna reperiuntur : 1° Quod erat *quasi pardus*, qui de genere leonum existens, regiam majestatem significat. 2° Quod *alas habebat quasi avis, quatuor supra se, et quatuor* etiam *capita erant in bestia.* Cum vero id quod regnum, cujus bestia gerit typum, habere dicitur super se, rex ejus sit, fit ut quatuor alæ et totidem capita quæ super tertiam bestiam erant, octo reges significent, qui ejus regni, successu temporis, habenas recturi essent. 3° Quod specialiter de ea scribitur, quod potestas data est ei, quod tamen de duabus prioribus dictum non est : ubi profecto innuitur, nationem per eam bestiam significatam, peculiare regnum fundaturam et possessuram, longo temporis intervallo per multorum regum vitas ducto. Nihil vero exactius Suevos adumbrare posset, qui speciale regnum habuerunt in Hispania, quod tamen nec Alani, nec Wandali fundavere : et ad tantam indies devenerunt potentiæ magnitudinem, ut de Rechilla eorum rege scribat M. Maximus in Chron. ann. Dom. 448 : *Rechilla, Suevorum rex, pene totius Hispaniæ monarcha fit.* Duravit vero ipsorum regnum ab ann. 411, quo in Gallæciam secesserunt, usque ad annum 3 Mauritii imperatoris, et Christi 588, teste Joanne Viclarensi in Chron., seu, ut M. Maximus inquit, in suo, ann. Dom. 586, quo a Leovigildo Gothorum rege subjugati sunt post 177 vel 179 annos imperii Gallæciani : quo tempore Bracaræ regiam curiam habuerunt. Unde et nunc ejus provinciæ incolas nonnulli *Sevos* quasi Suevos vocant. Toto vero prædictorum 177 annorum spatio, octo dumtaxat reges habuisse leguntur, ordine sequenti. Primus fuit *Hermenricus*, qui in Hispanis primus Suevorum regni solium erexit; vixit teste Idatio usque ad ann. Domini 440, reliquitque regni successorem filium suum Rechillanem. II. *Rechilla* obiit ann. Domini 447, qui fuit 24 Theodosii Junioris. III. Ei successit *Ricciarius*, filius ipsius, qui anno secundo Martiani principis occisus fuit, mense A Decembri, a Theoderico Gothorum rege. IV. Ricciario sine successore mortuo electus fuit a Suevis *Maldra*, qui quarto regni anno occisus est. V. Successorem habuit *Remismundum*. VI. Hic autem *Arianimirum*, vel *Theodomirum* : duplici insignitum nomine, quod videlicet principio Arianis faveret, deinde Divinitatem Christi fassus sit; unde prius *Arianimirus*, postea Theodomirus dictus est. VII. *Miro* Suevorum gubernacula suscepit; et VIII, Evoricus, in quo tota Suevorum regum prosapia simul cum corona defecit. Ita ex Idatio, M. Maximo, Viclarensi, et Isidoro desumitur; et tametsi nonnulli, ex quibus est Maximus, in ordine regum designando varient, nam Ricciarium ponit non tertio loco post Rechillanem, sed quinto inter Remismundum et B Arianimirum : nemo tamen octonarium auget, vel minuit : a quo longe abjiciendi sunt quatuor tyranni, qui regnum aliquoties arripere conati sunt : *Frantanes* in Maldram regem rebellavit; *Fumarius* in Remismundum; *Andeca* in Mironem, et *Malluricus* tandem in ipsum Andecam; omnes siquidem auctores concorditer eos tyrannos nuncupant, non reges. Habuit proinde bestia tertia, leopardus Suevus, alas quatuor super se et quatuor capita, *et potestas data est ei*, quæ tamen nec Wandalis, nec Alanis dicitur data; quippe cum cito *evulsæ sunt alæ horum*; et illi *in parte steterunt*, id est, Alani priusquam successionem regni sui haberent in Lusitania destructi sunt, Wandali vero in Africam secesserunt.

Sed quamobrem quatuor priores reges Suevorum C *alæ*, et quatuor posteriores *capita* nuncupantur, et non omnes capita, aut non omnes alæ? Ut ego existimo, quoniam quatuor priores incredibili pernicitate diversas remotasque Hispaniæ provincias deprædati sunt; posteriores quietem adepti, pacifice gentes suas gubernarunt. *Hermenricus* sæpius eas Gallæciæ partes quæ sub ipso non erant infestavit; *Richilla* primum Emeritam usque pervenit, postea Bæticam et Carthaginensem provincias aggressus est; *Ricciarius* Vasconias devastavit, et inde Cæsaraugustam et Ilerdam; *Maldra* Ulixbonam, et totam Lusitaniam diripuit (scribit de ejus gestis Idatius); at vero *Remismundus*, *Arianimirus*, *Miro*, *et Evoricus*, de solo regno suo curasse leguntur. Inde quatuor priores reges per alas quatuor, totidem poste- D riores per quatuor capita propriissime adumbrati sunt, et neque omnes alæ, neque omnes capita nuncupati.

Quarta bestia, Gothi. — De quarta demum bestia dicemus, in qua quatuor Daniel notatu digna prævidit : 1° Quod mirabilior et terribilior erat cæteris, *et fortis nimis*, utpote quæ *dentes ferreos habebat magnos*, et *ungues* similiter *ferreos*, et ore simul ac pedibus omnia quæ sibi objiciebantur comminuebat, conculcabat, et dilacerabat; 2° quod *dissimilis erat cæteris*, nec certam, quod sciamus, habebat figuram; 3° quod *habebat cornua decem*, post quæ *cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum*. De hoc autem multa dicuntur : nimirum, quod tantum

crevit, ut *majus* esset *cæteris* cornibus quod ad ejus conspectum *ceciderant tria cornua*; quod *oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto*, quod habebat etiam *os loquens grandia*, seu *ingentia*. 4° Demum quod propter vocem sermonum grandium quos cornu illud loquebatur, *interfecta fuit bestia, et periit corpus ejus, et traditum est ad comburendum igni*. Manuducimur vero ad ejus cognitionem angelica expositione, qua ad Danielem dictum est : *Bestia quarta regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, et devorabit universam terram, et conculcabit, et comminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni decem reges erunt : et alius consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit, et sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret*. De superbia autem et tempore dominationis ipsius subdit : *et putabit quod possit mutare tempora et leges, et tradentur in manu ejus* (sancti videlicet, de quibus prius dixerat, *faciebat bellum adversus sanctos et prævalebat eis*), quousque? *usque in finem*, et tunc tandem *regnum et potestas, et magnitudo quæ est subter omne cœlum dabitur populo sanctorum Altissimi*, eo que *omnes reges servient et obedient, et regnum sempiternum erit*. Mirum profecto quam bene hæc omnia Gothorum genti ejusque regibus in Hispania, regnantibus conveniant. Ipsi quarta bestia et regnum quartum sunt, utpote qui post cæteras tres nationes Hispanias intrarunt, ipsi fortiores et ferociores cæteris, majorem stragem in Hispaniis fecerunt, ipsi dissimiles reliquis, nec certam alicujus animalis imaginem præ se ferebant (id est, nec leænæ, nec ursi, nec pardi, vel alterius cujusvis bestiæ, quæ describi certe possit), quod nimirum non intrarunt in Hispanias quasi hostes, et prædones, sicut reliquæ barbaræ nationes, sed sub titulo defensorum Romani imperii, cum tamen omnes deciperent, et Romanos non minus quam cæteros conarentur ab Hispania deturbare. De persecutione Barbarorum sub Romano nomine hæc Idatius anno 25 Archadii et Honorii, qui fuit secundus ab ingressu Gothorum : *Wallia rex Gothorum, Romani nominis causa intra Hispania cædes maximas efficit Barbarorum*; et anno sequenti : *Wandali Silingi in Bætica per Walliam regem omnes exstincti; Alani* quoque, *adeo cæsi sunt a Gothis, ut exstincto rege ipsorum, Wandalorum se patrocinio subjugarent*. Quis non diceret Gothos fidissimos Romanorum auxiliares? nihil tamen longius aberat ab ipsorum animis; cum enim occasio sese obtulit, exercitum Romanorum quos palam juvare promittebant, fraude et deceptione, cum jam de victoria loquebantur, in manus Wandalorum tradiderunt. Ejus rei testis etiam est Idatius, qui anno 28 Arcadii inquit, *Castinus magister militum Romanorum, cum magna manu, et auxiliis Gothorum, bellum in Bætica Wandalis infert : quos cum ad inopiam vi obsidionis arctaret, adeo ut se tradere jam pararent; inconsulte publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus, ad Tarraconam victus effugit*. Cum igitur a nemine cognosceretur quarta Gothorum bestia, non mirum si species ejus non describitur, sed dissimilis dicitur cæteris.

Quod ad regum numerum hujus nationis spectat, decem cornibus adumbratorum, decem habuit, non plus nec minus, ab Ataulpho qui primus Gothorum in Hispanias intravit, usque ad Liubanem, cui undecimus successit Leovigildus; de quo quidquid de undecimo cornu dictum est ad unguem, ut mox ostendam, verificatur. Primus fuit (uti diximus) *Ataulphus*, Barcinone occisus ann. Dom. 416. II. *Wallia*, qui duos regnavit annos, et obiit 418. III. *Theodoredus*, qui ann. Dom. 455 occisus occubuit. IV. Ejus filius *Thorismus*, seu Thorismundus, qui anno sequenti necatus est. V. Successit frater ejus *Theodoricus*, qui anno 464 ab Eurico fratre suo trucidatus est. VI. *Euricus* ipse, qui anno Domini 482. Arelate in Gallia Gothica mortuus est, habuitque successorem Alaricum. VII. *Alaricus* regnavit annos 23 usque ad annum Domini 506. VIII. Huic successit filius ipsius *Amalaricus*, Theoderici Italiæ regis ex filia nepos, infans adhuc, et pueriles non excedens annos : quo tempore Theodoricus gubernavit in Hispania pro nepote. IX. *Athanagildus* qui habenas regni tenuit usque ad annum 2 Justini Junioris, Christi vero 567, quo nimirum *Athanagildus rex Gothorum* (ait Viclarensis) *in Hispania vitæ finem suscepit, et Liuba pro eo in regnum provehitur*, fuitque X inter Gothorum Hispaniæ reges. Horum omnium auctores habeo tres oculatos testes, Idatium, Maximum, et Joannem Viclarensem. Sed sunt qui post Ataulphum, Sigericum collocent ante Walliam, qui tamen regium non ascendit solium, unde a Prospero et Idatio in catalogo Gothorum regum non admittitur, de quo superius satis dictum a nobis est. Tempore etiam infantiæ Amalarici invasit regnum ejus Gesalaicus, sed tyrannidi ipsius Theodoricus negotii gubernator occurrit; Gesalaicus vero profugus et vagus in Galliis mortuus est ann. Domini 510. Addit Isidorus (quem recentiores sequuntur) tres alios ante Athanagildum, scilicet Theudium, Theudisclum, et Agilam, qui tamen tyranni potius quam veri reges fuerunt, et ea propter M. Maximus qui exactius res Gothorum chronologice secutus est, eos a catalogo regum ejecit, indignos judicans tanto honore, quod Lucas Tudensis fecit, immo eo teste, Isidorus etiam, cujus Chronicon ad verbum ipse transcripsit ex purioribus (ut apparet) originalibus, quam nunc exstent. Nam certe Chronicon quod inter ejus opera exstat Gothorum, sub nomine Isidori, innumeris scatet mendis in annorum notis, in nominibus, in ordine et serie regum, et aliis quæ facile quivis collatione facta cum conciliis, Idatio, Viclarensi et cæteris auctoribus deprehendet. Decem igitur dumtaxat Gothorum reges fuere usque ad Liubanem.

Liubane tamen nihilominus regnante, Leovigildus (undecimum cornu) partem regni accepit; quo vere de illo diceretur, *Ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum*; in medio enim regni fratris sui

parvum regnum sibi constituit : quod Viclarensis gestorum ejus chronographus sic notavit : Anno 3 Justini Junioris, *Leovigildus germanus Liubanis regis, superstite fratre in regnum citerioris Hispaniæ constituitur.* Porro tres reges post ejus ortum ceciderunt, Liuba Gothorum, et Miro, atque Evoricus Suevorum, regnaque ipsorum suo adjecit, ut idem Viclarensis scribit : quo nimirum illud in eo verificetur, *Cornu aliud ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua, et majus erat cæteris;* et majus multo, quandoquidem universam Hispaniam, quæ multis regibus variisque principibus subjecta fuerat primus omnium sub sua reposuit potestate, ad quod necesse fuit Vasconias, Bastetaniam, Malacitanam, Cordubensem, et Assidoniensem, aliasque provincias et urbes bello sibi subjicere, et Suevorum qui in Gallæcia potentabantur, regnum delere ; cui demum Galliam Narbonensem adjecit, unde et *devorasse universam terram* propriissime dictus est, *et conculcasse, ac comminuisse eam.*

Magna quoque *et ingentia contra Excelsum locutus fuit,* nimirum contra Christi Divinitatem blasphemias evomens, utpote Arianorum propugnaculum, *et bellum* ea de causa *adversus sanctos faciebat, et prævalebat eis.* Nihil verius, nihil magis litteræ consonum : nam concors auctorum vox est, Leovigildum bellum acerrimum indixisse catholicis, quorum patrocinium Hermenegildus filius susceperat, ipsisque semper prævaluisse. Accipe verba M. Maximi, qui ea quæ vidit scripto tradidit. Anno Domini 580. *Hermenegildus catholicorum suscipit patrocinium.* Rursus, *Indicto inter Patrem Leovigildum, et principem Hermenegildum publico bello (nam in causa catholicorum populorum a patre admonitus erat, ne a se deficeret), Leovigildus filium Hispali obsidet, proditioneque Romanorum patri suo traditur, qui post duram carceris custodiam Hispali vinctus, et catenis alligatus vehementer premitur : sed tandem datis obsidibus dimittitur.* Anno 581 : *Leovigildus iterum Hermenegildum filium obsidet ad Osset oppidum Lusitaniæ, captumque Toletum ducit, ibique carceri mancipat.* Insuper anno 583 : *Leovigildus iterum filium Hermenegildum Hispali obsidet.* Et anno 584 : *Leovigildus exercitum contrahit contra Hermenegildum filium. Mironem Suevorum regem in auxilium suum contra filium, et hostes multos vocat.* Anno vero 585 : *Hermenegildus Hispali delapsus, et Cordubæ captus, primum Hispali, Toleti deinde, Valentiæque aliquot menses captivus exsulat.* Quid plura ? adeo prævaluit truculenta bestia, ut filium capite truncari fecerit ; cum antea persecutione generali in catholicos mota, præcipuos eorum antistites acerrime persecutus in exsilium misisset. Ejus sane jussu S. Leander Hispalensis, et sanctus Licinianus Carthaginensis episcopi Constantinopolim relegati sunt ; S. Mausona Emeritensis Complutum ; S. Euphemius Toletanus Barcinonem ; S. Bonitus Complutensis Cæsaraugustam ; S. Fulgentius Astigitanus, et alii alias ob defensionem catholicæ veritatis, agente impio Leovigildo rege, exsilium pessi fuere ; id quod Marcus Maximus Cæsaraugustanus tunc temporis episcopus, et ipse oculatus testis scribit ad annum Domini 583. *Faciebat* ergo *bellum adversus Sanctos, et prævalebat eis.*

Sed quid significat quod subjungitur : *Ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto?* nimirum quod ad debellandos sanctos non cæca sua dumtaxat phantasia movebatur, sed multorum episcoporum instigatione, qui oculi Ecclesiæ nuncupabantur ; quinimmo et concilia celebrabat super eadem re. Accipe M. Maximi verba ad annum Domini 581 : *Leovigildus iterum Hermenegildum filium suum obsidet, captumque Toletum ducit, ibique carceri mancipat.* Sed ecce oculos hujus cornu : *Ubi synodum episcoporum Arianorum, suæque factionis contrahit, cui Paschasius episcopus Ecclesiæ S. Eulaliæ Toletanæ præsidet, conveniunt eo Vincentius episcopus Cæsaraugustanus : Sumnia, et Nepotianus episcopi Emeritensis Ecclesiæ intrusi : Ugnus Barcinonensis, Murila Valentinus Argimundus Portucallensis, Gardingus episcopus Tudensis, et alii ejusdem sectæ.* Elatus tot Patrum favore Leovigildus, non mirum si putaret, *quod posset mutare tempora et leges* regni sui, et sectæ. Cujus rei nobis præbet exemplum Viclarensis ; cum enim Arianorum lege inviolabili cautum esset, ne quis ad eos de catholicis transire permitteretur, nisi lavacro illo suo Zenoso rebaptizaretur : Leovigildus congregato concilio suorum antistitum, legem abrogavit, novam sub his verbis condens : *De Romana religione ad nostram catholicam fidem* (ita suam miseri nuncupabant) *venientes, non debere baptizari, sed tantummodo per manus impositionem, et communionis perceptionem recipi, et gloriam Patri per Filium in Spiritu sancto dari.* Quo effectum est (miserabile dictu) ut *per hanc seductionem plurimi nostrorum* (ait Viclarensis) *cupiditate potius impulsi, in Arianum dogma declinarint.*

Sed quid sibi vult quod debellasse et prævaluisse dicitur sanctis, traditosque illos fuisse in manus ejus, *usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis?* Sane in his verbis quot annos regnaturus esset, innuitur. Cum vero temporis nomine, nullus determinate et perspicue annorum numerus designetur, necesse erit aliquem determinatum quærere, in quo simplex quod in singulari vocatur *tempus*, cum duplici *tempora* in plurali nuncupato, et dimidio duplicis quod *dimidium temporis* dicitur, ejus regni complectatur annos. Id quod in Leovigildo reperimus, qui, teste Viclarensi, 17 cum dimidio, in imperio impiissimo exegit. Namque cum sub simplici tempore quinarium annorum intelligamus, et in duplici denarium, et in dimidio temporis, quinarii medietatem, id est, duos annos cum dimidio ; *tempus, et tempora, et dimidium temporis* 17 annos cum dimidio, nec plus, nec minus conficient. Quibus transactis *propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud contra Excelsum loquebatur, interfecta est bestia, et periit corpus ejus.* Justissime post illud tempus tantorum scelerum Leovigildus pœnas luit, et regno privatus et vita, in cujus regis morte bestia interfecta

est, supremo id Judice decernente, et ejus simul corpus periit; non enim ipse solus, sed tota ejus secta gladio verbi Dei confossa disperiit, et concidit, et corpus illius bestiæ *traditum est ad comburendum igni*. Quod etiam ad litteram impletum est, quando Recaredus Catholicus rex, patre de medio sublato, universos perfidiæ Arianæ libros qui vires præbebant bestiæ, in foribus Toletanis publice combussit. Et qui vidit M. Maximus, testimonium perhibuit in Chron. ad annum Domini 589 ubi de initiis Recaredi agens inquit: *Libri perfidiæ Arianæ in foribus Toletanis comburuntur*.

Tunc throni positi sunt, et Antiquo dierum ita de cœlis ad favorem et justitiam Excelsi filii judicante, judicium quoque in terris solemnissime celebratum est Toleti, ubi 72 episcopis totius Hispaniæ et Galliæ Gothicæ considentibus, Arii perfidia condemnata est. Cui itidem sanctorum conventui innumerabiles recta inspirando angelorum exercitus interfuisse, non solum res ipsa, tantam Dei gloriam paritura, convincit; sed dies celebrationis concilii quæ fuit 8 Maii, qua festum S. Michaelis et angelorum in Ecclesia celebratur: ut ex actis ejusdem synodi constat. Quo tandem illud Danielis, *millia millium ministrabant ei*, etc., non solum de sanctis episcopis, sed etiam de angelis ipsis ad litteram intelligi queat. *Tunc libri aperti sunt*; dum scriptis magnorum Patrum, illorum præsertim qui Nicænam synodum celebrarunt, evolutis; libris quoque SS. Prophetarum et Evangeliorum perlectis, causa Christi Domini agitata pro eis divinis sententia lata est, ut ad unguem impleretur illud: *quasi Filius hominis veniebat et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt illum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi tribus, et linguæ servient ei*. Super quæ verba Hieronymus inquit: *Quæ cuncta si hæresis Arianorum pio vellet advertere sensu, nequaquam Filio Dei calumniam inæqualitatis moveret*. Nimirum fatetur hac sententia Arianorum hæresim condemnari.

His peractis regnum magnum illius quartæ bestiæ ab ea per sententiam rescissum est, traditumque populo sanctorum Altissimi, quando videlicet Arianismo tota Hispania abolito, et destructo, regnum Hispanum catholicum traditum fuit regi vere catholico Recaredo, in quo monarchia catholica fundata est; nam et ipse leges sacratissimas pro ipsa tulit, quæ adhuc exstant in 12 libris legum Wisigothorum, et universo concedente concilio cognomentum *Gloriosi regis* obtinuit, quo singulariter per multa temporum curricula ejus successores usi sunt in omnibus publicis instrumentis, ut videre est in titulis ac subscriptionibus legum prædictorum 12 librorum, et in actis omnium Hispanorum conciliorum in quibus reges Hispaniæ perpetuo *Gloriosi*, plerique etiam *Gloriosissimi* intitulantur a Patribus; qui quando ad ipsos loquebantur, pro eo quo nunc Majestatis, Altitudinis, aut Serenitatis nomine utimur, ipsi *Gloriæ* nomenclatura utebantur; id quod itidem apud scriptores ejus temporis universos reperire licet; id est, apud Isidorum, Ildefonsum, M. Maximum, et cæteros: qua de re uberius agendum nobis est in commentariis ad eumdem Maximum, ann. Domini 590, ubi etiam ostendemus antiquitatem tituli regis *Catholici*, qui inde pariter ducens originem titulo *Gloriosi* successit: cum tamen uterque maxime faciat ad rem de qua loquimur, id est, ad populum sanctorum Altissimi, cujus reges *Gloriosi* et *Catholici* magno Dei consilio nuncupati sunt, ut vel ex ipso cognomento tamquam ex signo deducere possemus, quisnam esset populus ille vere catholicus et gloriosus, de quo Daniel tam multa dixit.

Quod vero ad ejus regni perpetuitatem spectat, ab eodem propheta prædictam, liquido constat a Recaredo et deinceps usque ad Philippum IV, qui nunc feliciter regnat, per totos 1030 annos numquam in Hispania regem catholicum defuisse; numquam populum ipsum Hispanum, dante Deo, a fide catholica descivisse; nam tametsi ad tempus peccatis ipsius exigentibus, flagello Sarracenico punitus fuit; in Montanis nihilominus principatum super eum obtinuit Gloriosus et Catholicus rex Pelagius: quinimmo in universis Hispaniæ urbibus publica templa catholicis Hispanis a Sarracenis sub ingentis stipendii onere concessa sunt; in quibus ipsi, quantumcumque durissimo jugo attriti, fidem catholicam publice semper profiteri non dubitarunt, quo tempore innumeri illorum Cordubæ, et alibi ad martyrii coronam pervenerunt, quorum gloriosos triumphos unus ex ipsis martyribus, sanctus scilicet Eulogius, ad Toletanam primatem sedem electus, stylo purissimo prosecutus est. Cæterum miserante Deo Hispani non solum impiorum jugum a suis cervicibus excusserunt, verum et monarchiam catholicam sensim dilatare cœperunt, multis magnisque principatibus in Europa, Africa, et Asia subjugatis, et adeptis, quos longum esset per singulos recensere, quibus tandem novum orbem præter omnium sæculorum exspectationem a se adinventum, et subjugatum adjunxerunt, et fecerunt catholicum, et partem regni sanctorum, in quorum societate, quam late toto orbe patet (mirabile dictu) nullus non catholicus habitare permittitur, quo verius *populus sanctorum* vocari queat.

Quæ cum ita sint, haud futili nixi fundamento credimus, ejusmodi catholicam monarchiam Danieli prophetæ cap. illo 7 fuisse præmonstratam, utpote quam bestiarum quatuor barbaricæ direptiones præcesserunt, et in occisione Arianæ perfidiæ, ac filii Dei glorificatione sumpsit exordium, et in qua quæcumque a Daniele notantur, etiam minutissima, ad unguem, ut vidimus, verificantur; speramusque cæteras quoque ejusdem propheticæ prædictionis de majori adhuc propagatione et perpetuitate populo sanctorum a Deo factas promissiones in ea similiter adimplendas, quod utinam Deus Opt. Max. ad majorem gloriam perficere dignetur.

Pene jam opus istud sub prælo sudabat, cum in similem dicam an eamdem? propheticam prædictionem incidi, quæ a Jeremia quidem scripta, sed a venerabili Joachimo abbate exposita fuerat in commentariis super cap. XLIX Jeremiæ. Ibi siquidem propheta adversus Ælam comminatur, quatuor ventos cœli a totidem orbis plagis inducendos a Deo, ut ventilet Ælam in omnes ventos, et dispergat in omnem mundi plagam; fore tamen nihilominus tempus prædicit, quo ponat Deus solium suum in Ælam, et præponat eam universæ terræ. En verba prophetæ: *Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam adversus Ælam dicens. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego confringam arcum Ælam, et summam fortitudinem eorum; et inducam super Ælam quatuor ventos, a quatuor plagis cæli, et ventilabo eos in omnes ventos istos, et non erit gens ad quam non perveniant profugi Ælam. Et pavere faciam Ælam coram inimicis suis, et in conspectu quærentium animam eorum, et adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus: et mittam post eos gladium, donec consumam eos: et ponam solium meum in Ælam, et perdam inde reges et principes, ait Dominus. In novissimis autem diebus reverti faciam captivos Ælam, dicit Dominus.* Hæc propheta: quæ tamen de Hispanis intelligenda contendit Joachimus, vir sane magnæ in enodandis prophetis auctoritatis; ait vero: *Ad Ælam*, etc. *Quod Hispanos et Occidentales nationes, quas persecutionis gladius attrivit quanto post inter visitationem, eorum posteros ad fidem catholicæ inspirationis impellet.* Quod quidem sub Recaredo rege catholico factum ostendimus. Confer, quæso, lector, prophetiam Jeremiæ cum prophetia Danielis; et cum nihil inter se differre compereris, abbatem Joachimum pro nobis stare cognosces.

Et hæc quidem sub correctione S. Matris Ecclesiæ, et cujusvis melius sentientis judicio dicta sunto, cui etiam totos hos commentarios libentissime subjicio.

APOLOGETICUS PRO L. DEXTRO
CONTRA RECENTEM IMPUGNATOREM.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Reverendissimo Patri ac Domino Fr. Valeriano de Spinosa sacræ Theologiæ Magistro, Regularis Observantiæ S. Bernardi Cisterciensis ordinis per Hispanias Reformatori Generali ac Regii cœnobii S. Mariæ de Palazvelos Abbati, etc. *Domino suo colendissimo, Fr. Franciscus de Bivar. S. et F. precatur æternam.*

Causa nostra agitur, Reverendissime Præsul, cum Cisterciensis religionis honori, cujus es Reformator, a quovis utcumque detrahitur, aut cum patriæ gazas quispiam auferre, seu splendorem nostrum obnubilare prætendit. Eadem certe nobis patria est et religio: hæc vitam tribuit, illa cohonestat; ista corporis, illa animæ curam habet: et ideo una pro utraque decertandum. Et quidem religionis antiquitas, et certa a Benedicto protoparente subsecuta posteritas tam manifesta apud omnes homines semper fuit, ut mirum sit ab aliquo quantumvis scrupulosissimo in dubium vocari potuisse; non defuit tamen qui id tentaverit; et Dexter quoque suum invenit adversarium. Utrum eorum intolerabilius, haud facile judicaverim. Neutrum absque satisfactione prætermitti potuit: et mihi utriusque munus incumbebat. Sed cum patronum ad sustinendum singulare certamen electurus sim, teque in utroque pariter agnoverim semper mihi fuisse patronum, qui doctrinæ æque ac virtutis splendoribus irradiaris, nullum alium eligere potui, nec libuit. Hæc igitur quæ nomini tuo consecro, certamina mecum sustine, et viriliter decertantem promove: tibi enim cedet victoria, post Deum, cum quo perenniter, confido, regnabis. Vale, Reverendissime Pater. Romæ, 18 *Septembris* 1624.

AD OBJECTA PENNOTTI CONTRA DEXTRI CHRONICON
INCIPIT APOLOGETICA RESPONSIO.

§ I. *Apologiæ causa aperitur.*

Pene a defendendo Dextro manum retraxeram, cum iterum provocor ad prælium, et manus pro eo inserere cogor, non quidem cum aperto inimico; hoc enim minus injucundum foret, sed cum eo cujus amicitiam libentissime amplector. Ego neminem læsi, neminem circumveni: sed dolore cordis intrinsecus tactus, ultra metas solitas pertrahor. Unum est a quo numquam (si Deus dederit) abstrahar, et alterum in quod minime labi cupiam; ea sunt modestia, et contumelia, quod illa ad persuadendum multum conducat, hæc vehementer noceat, et animos legentium offendat; quantumvis namque et nos et nostra lacessita videam, numquam adduci potero, ut reddam malum pro malo, et maledictum pro maledicto, utpote humilem religionis statum professus; sed

juxta Apostolum (*Rom.* XII) vincere in bono malum, quantum mihi desuper datum fuerit, procurabo.

Ineunte fere præsenti anno a nato Domino 1624 ex typographia Rev. Cameræ Apostolicæ prodiit in lucem *Generalis totius sacri ordinis clericorum canonicorum historia tripartita*, auctore R. P. Gabriele Pennotto Novariensi congregationis Lateranen. regulari canonico; qua ex instituto, theologia pariter ac eloquentia excultissimum virum, apud Salmanticenses Vesperariæ cathedræ moderatorem ac magistrum, et Catholicæ Majestatis a sacris Concionibus Fr. Joannem Marquez debellare contendit in quæstione a multis annis inter canonicos et eremitas utrinque acriter agitata super jure succedendi in hæreditate Magni Aurelii Augustini. Cæterum quod M. Marquez non semel auctoritate L. Dextri, et ejus continuatoris M. Maximi ad sua comprobanda placita usus fuisset : inde Pennottus noster, occasione arrepta, in eosdem gravissimos viros Dextrum et Maximum invectus est, quatenus illorum, si fieri posset, auctoritate debilitata, nullum ipsi facessere negotium viderentur. Nactus tunc forsan codicem Dextri fuerat dono D. Joannis de Salasmalo doctoris theologi, ac celeberrimæ toto orbe Ecclesiæ S. Mariæ de Pilari apud Cæsaraugustam prioris, et noctis unius studio Chronicon totum percurrit, partes partibus, sententias sententiis conferendo, et admoto calamo multa hinc inde collegit, appinxit, quibus ejus auctoritas, non quidem nutare (parum hoc) sed commenti aut fabulæ notari sibi visa fuit. Sed cum novisset habere Dextrum in Urbe propugnatorem, non semel pro sua benignitate, domum solitæ meæ habitationis apud S. Mautum adiit, quæ in ipsum mediatatus fuerat, mecum communicaturus. Reveritus, ut decebat, tantum virum semel et iterum notulas suas evolvi; quas quidem unius dumtaxat noctis studium esse, calamoque currente scriptas ingenue fassus fuit. Post dies aliquot familiari colloquio, omnibus illis per ordinem verbo tenus satisfacere curavi; illud adjiciens me, si vellet, scripto quoque ad easdem responsurum. De duobus adhuc hæsitare non destitit, nimirum de uno Leporio, Augustini magistri sui opera a Pelagianismo ad catholicam fidem perducto, quod ipse crederet duos diversos fuisse : et de nonnullis præclaris viris, quos ex ordine eremitarum sancti Augustini, seu ex ordine sancti Benedicti apud M. Maximum fuisse legimus : dicebat siquidem eremitas S. Augustini, minime ab eodem edoctos : nominaque illa ex ordine hujus, vel illius sancti multo esse recentiora M. Maximo. Et ego quoque mihi suspectas voces esse intuli, tametsi de Leporii unitate aut duplicitate dissentiremus. Hoc sibi satis esse ad suum institutum professus, nihilque aliud de Dextro acturus, imminutis prorsus amicitiæ viribus discessit, idque aliquoties Doctori Salasmalo inter familiares confabulationes propalavit. Sed numquid oblivisci poterit mater filii uteri sui? Filius quem nocte illa conceperat, in oblivionem dari nequivit; lucem proinde videre permissus est, totamque illam, ut jacebat, lucubratiunculam, quasi nihil de ea actum esset, excudi curavit lib. I suæ Tripartitæ c. 52 et 53. Grates agimus quod nihil addiderit; sic, non nihil de novo elaborandum a nobis erit, ut objectis faciamus satis.

Cæterum non satis intelligo, quid causam ab hoc viro contra Venerab. P. Mag. Fr. Joannem Marquez super origine ac institutione eremitarum in eo libro institutam, origo Cisterciensis ordinis, seu causæ illius institutionis, vel etiam in specie adjuverit, ut ab instituto scopo deflectens, Cistercienses insectatus totis viribus contendat eorum institutum minime a S. P. Benedicto descendere, beatos illorum patres ac monasteriorum splendorem palam carpere, et nonnumquam parum reverenter: quamquam mihi dubium non sit, id minime ipsum facturum, si advertenter loqueretur, sciretque Cistercienses monachos multo clarius demonstrare posse Benedictinam filiationem, quam canonicos regulares Augustinianam, aut monasteria Cisterciensium, non solum aliunde splendorem non mutuasse, sed multis etiam aliis ordinibus dedisse; aut venerabilem abbatem Florensem Joachimum, miraculis et virtutibus in vita et morte mirifice a Deo illustratum, et in tota Calabria pro beato habitum, ipsiusque honorem a sede Apostolica sæpius defensum; hoc enim si Pennottus sciret, nequaquam ei tam acerrime detraheret, quod duo libri sui capita hac in re expenderit, videlicet quinquagesimum primum primi, et secundum secundi : et proculdubio ab eis conviciis abstineret, quæ nisi in perditissimum hominem profundi nequirent. Quid enim aliud est, Joachimum ab orco velle revocare, nomine Goliath in derisum ei imposito, ut vires metiretur suas (sic ipsum ille honorat cap. illo 51), nisi beatissimum virum florentissimæ in Ecclesia congregationis Florensis, quæ Cisterciensis S. Bernardi ramus est, institutorem in inferis sepultum profiteri?

At quonam pacto in prologo libri Mag. Marquez miratur, quod ab impugnatione R. P. Antonii Daza in quæstione de professione (nescio quam) Augustiniana S. Francisci ad carpendam RR. PP. canonicorum regularium originem deflexerit, si ipse in eodem hæret crimine, et a depugnatione eremitarum S. Augustini ad provocandos Cistercienses deflectit? Nam verba ejus eadem fere sunt quibus nos paulo ante usi sumus; nimirum : *Præter quod non satis adhuc intelligo, quid causam ab hoc viro contra venerabilem P. Antonium Dazam super origine et institutione Fratrum Minorum, vel eremitarum in eo libro institutam, origo canonici ordinis, vel causæ illius institutionis, vel etiam in specie adjuvent; ut cum in principio statim sui libri scripserit, illius institutum in eo libro solum esse, suum ordinem ab injuriis eidem ab Antonio Daza illatis vindicare; nihilominus post aciem contra illum constructam, data opera deflectens totum pondus prælii ad ordinem canonicum converterit?* etc. Certe in quo alium notat, ipse comprehenditur. Quapropter hoc solummodo

fecisse mihi sat erit, si juxta propheticum dictum arguens enm statuam contra faciem suam (*Psal.* XLIX), monstremque in iis omnibus de quibus alios notat, ipsum patenter delinquere, ut discat non altum sapere, sed timere, ne forte cum aliis prædicaverit, ipse improbus efficiatur. Docendus igitur est minus recte de Chronico Dextri et Maximi sententiam tulisse, et immerito in Cistercienses monachos jacula contorsisse, qui nihil illum læserant, nec ordinem suum; docendum vero cuperem a doctioribus; sed dum reliqui, quibus hoc opus ex officio incumbit, totius rei certiores fiunt, fieri aliter nequit, quin a me omnium minimo quorumdam admoneatur. Confido autem de bonitate sua, quod cognita veritate ingenue fatebitur me justis de causis, veritatis scilicet, nationis, et religionis zelo commotum, non quidem in ipsum, quem impense revereor et laudo, sed in læsam auctoris et ordinis mei famam, cui scriptis suis calore potius dicendi, quam voluntate detraxit.

§ II. *Quot et quanta ad retundendam Chronici hujus auctoritatem Pennottus meditatus fuerit?*

Ut igitur ab ovo (quod dici solet) exordiatur Pennottus, priusquam de rebus in Chronico ipso contentis scrutinium faciat, tria objicit, quæ fidem illius non parum enervare judicat; totidem nimirum articulos in quibus Hispani scriptores, cum de eo loquuntur inter se dissident, sive circa conservationem Chronici, sive circa inventionem, sive denique circa codicum variorum discrepantiam. Quod enim ad conservationem spectat, quidam conservatum fuisse negant, sed injuria temporum periisse affirmant, quod Baronius asserit tom. IV Annal. Eccles. sub anno Dom. 392. Alii conservatum contendunt in bibliotheca Fuldensis monasterii, quo cum aliis codicibus, jussu Caroli Magni imp. tempore Sarracenicæ cladis ex Hispania deductus fuit, quod ait Euthrandus in epist. ad Regismundum episcopum Iliberritanum. De inventore nonnulli affirmant fuisse præfatum Euthrandum, qui floruit circa an. Dom. 390. Aliis placet fuisse illustriss. Dominum Fr. Augustinum de Jesu archiepiscopum Bracarensem, qui Germaniam peragrans monasteriorum sui ordinis (eremitarum S. Aug. prior generalis tunc erat) visitandorum gratia, in codicem Dextri forte incidit apud Fuldenses, unde duo exempla extrahi fecit, quorum unum Philippo II regi Catholico dono dedit, altero suis usibus reservato. Ita Joannes Calderon, cui tamen ex diametro se opponit Gaspar Albarez de Losada negans Dominum Augustinum a Jesu Dextrum umquam in Germania reperisse. Alii deinde inventionem tribuunt R. P. Thomæ Torralba Occanniensi e soc. Jesu presbytero, quem Fuldæ repertum an. Dom. 1594 misit in Hispaniam P. Hieronymo de la Higuera ejusdem soc. Theologo, et de antiquitate Ecclesiastica bene merito: et nihilominus asserunt alii non illud reperisse Fuldæ, sed Wormaciæ. Denique Gaspar Esculanus auctor est multis abhinc annis exstitisse Dextri Chronicon Toleti in monasterio Sislensi, cui illud dono dederat Dominus Petrus Pecha quondam episcopus Giennensis. Hinc satis detectam Chronici hujus imposturam existimat P. Pennottus; et multo magis ex discrepantia codicum, qui sub Dextri nomine circumferuntur: in eo enim quo utitur Marquez nonnulla sunt, quæ in excuso opera Calderonis deficiunt, præsertim ad an. Dom. 424 et nomen ipsum auctoris varie scribitur; Codex excusus *Fl. L. Dextrum*, Codex vero quem Marquez sequitur *M. L. Dextrum* nuncupat. Multi integrum opus esse existimant, Esculanus vero compendium dumtaxat credit, ad idque Pennottus adducitur, quod Chronicon Dextri, teste Hieronymo, fuerit omnimodæ Historiæ, unde copiosissimum fuisse necessum est, et consequenter multo magis eo, quod nunc sub ejus nomine circumfertur, alias minime opus titulo responderet. Fertur etiam Dominum Joannem Perez episcopum Segorbiensem aliud longe a prædictis habuisse Dextri Chronicon, de quo perdoctus P. Murillo in prologo libri fundationis sacri Sacelli *del Pilar*, inquit; Non tam abbreviatio, quam corruptio Chronici Dextriani videtur; nam in eo nonnulla veritati, et gravitati historiæ inveniuntur contraria, et tanto auctore indigna.

Sed, quod omnium caput est (ait ille) si quæras, quodnam ex dictis exemplaribus illud sit, cui ut legitimo fidem adhibeamus? Fr. Didacus Murillus abbreviationem præ manibus Chronici hujus habebat in multis ab eo, quod Cæsaraugustæ excusum est, et a vero distantem, unde a Joanne Calderon, qui illud excudere curavit in prologo ad lectorem exploditur. Sed et ipse nihilominus codex ab eo excusus depravatissimus omnium esse convincitur: multa enim oscitantia impressus fuit, ut legenti patebit. Nec desunt, qui dicant Chronicon M. Maximi depravatum nuper fuisse a Centuriatoribus Magdeburgensibus.

Hinc vero quatuor elicit Pennottus: 1° ut minimum, non constare hactenus de vetusto exemplari hujus Chronici, nedum de legitimo autographo. 2° Codicem Fuldensem fuisse a Magdeburgensibus hæreticis vitiatum. 3° Illud quo Marquez usus fuit, non fuisse integram historiam Dextri, sed abbreviationem dumtaxat, depravatam. 4° Chronicon excusum Cæsaraugustæ plurimis scatere mendis; quo fiet ex neutro eorum argumentum certum sumi posse quasi ex auctoritate Dextri. En Pennotti judicium de Chronico Dextri, et Maximi nuper evulgato, ab externis tantum (ut sic dixerim) argumentis deductum. Nam interna minutatim prospiciens multa reperiri contendit inter se, et cum veritate pugnantia.

Quæris quæ? Breviter sua dicta perstringam. In epistola quæ præmittitur dedicationis ad D. Hieronymum, tria difficilia sunt; 1° quod asserat Dexter produxisse Chronicon ad annum Christi 430, cum tamen ante 40 annos de eo Hieronymus meminerit

in lib. de Script. Eccl. quem anno Christi 390 elaboratum ex fine illius manifestum est, et probat Baron, in Annal. Eccles. 2° Quod dicat opus suum ad manus Hieronymi ut pote jam defuncti pervenire nequivisse; quis autem credat ab anno Domini 390 quo, teste Hieronymo, liber scriptus erat, usque ad 426 quo, vel ipso Dextro concedente, Hieronymus in humanis esse desiit 36 annorum intercapedine, opus sibi a potentissimo viro dicatum, numquam accepisse? 3° quod in eadem epistola fateatur auctor illius, cum illud opus Orosio nuncupavit, viguisse annum Christi 430 et in fine suæ historiæ Dexter scribit, quando illam absolvit floruisse annum 440.

Multo plura in progressu historiæ falsitatis convinci existimat, ex quibus ejusmodi ad diversos Chronologiæ annos spectantia selegit. Sub an. Christi 27, falso dicitur : *S. Petronilla annorum decem floret S. Petri apostoli filia ex matrimonio.* Nam id rejiciunt D. Augustinus lib. contra Adimantium c. 17, et Baronius ad ann. Dom. 69, num. 53, et merito; qua enim ratione puella tunc decennis floreret?

Insuper sub anno Domini 37, dicit Jacobum Zebedæi auctorem epistolæ canonicæ fuisse, quod falsum ab omnibus putatur ; et contra traditionem Ecclesiæ Romanæ, quæ in festo S. Jacobi Minoris ipsam legi jubet. Ibidem pro 12 tribubus, quæ erant in dispersione, quibus Jacobus epistolam dirigit, vult intelligendos esse Judæos tunc in Hispaniis commorantes ; quod commentum (ait ille) ad illos solos restrictum, est aperte contra sacram Scripturam IV lib. Regum. Iloc quam parum mature dictum sit, inferius videbis : interim, lector, patienter sustine notas quibus vir religiosus nos inurit. *Contra traditionem*, inquit, *Ecclesiæ*, et *aperte contra sacram Scripturam.* Tolerabiliores essent si essent solæ, sed jam alias notas infidelitatis subjungit. Etenim contra historiam Evangelicam Joan. II, sub eodem anno asseritur, Judæos qui erant Hierosolymis, litteris datis, consensum Judæorum Hispanorum super Christi morte quæsivisse; nam post resurrectionem Lazari et coactionem concilii quo Christi perditio decreta est, non amplius consensum aliorum exquisierunt; sed mandatum ad illum capiendum dederunt, ut verba illa monstrant : *Dederunt autem pontifices et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.* Et oppositum vanissimum vocat commentum.

Rursus sub anno 38, falso dicitur eo anno Saulus post conversionem pervenisse Jerosolymam : utpote cujus oppositum scribat ipse Paulus ad Galat. I : *Continuo* (post conversionem) *non veni Jerosolymam ad antecessores meos apostolos, sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum : deinde post annos tres veni Jerosolymam :* quod non contigit usque ad an. Dom. 41.

Sub annum Domini 86, pontificatum Lini hucusque producit ; *quod ita falsum est*, ait, *ut opus non sit illius falsitatem probare.*

Item sub ann. 156, dicit S. Polycarpum illo anno ivisse Romam sub Aniceto : cum tamen Anicetus ante annum 167 pontifex renuntiatus non fuerit.

Sed ut alios multos errores (ait Pennottus) *circa annorum computum illi donemus* ; sub anno 384, Iginius Cordubensis dicitur relegatus in insulam Galliarum Leronem : quæ tamen ante adventum S. Hilarii circa annum gratiæ 440, inhabitabilis a serpentibus reddebatur, ut notat Baronius ad annum 445, num. 5, tom. V.

Ad annum Domini 396, dicit auctor Paulinum Nolanum Barcinone fuisse presbyterum ordinatum : cum tamen ante baptismum Augustini id accidisse Paulinus ipse scribat ad Alipium epist. 35, inter Augustinianas : baptismus vero incidit in annum Dom. 387, vel 388, ut probavit ipse Pennottus lib. I, c. 4, num. 3 et 6, subjungens, vel hinc detegi manifeste imposturam hujus Chronici : *Quomodo enim tam præclarus historicus circa res suorum temporum, et quæ domi suæ* (id est, Barcinone) *factæ fuerant, et circa personam adeo conspicuam, qualis erat Paulinus, acciderant, tam oscitanter, tam segniter, ac tam turpiter errare potuisset ?*

Sub ann. 400, mittitur Orosius legatus Hispanorum antistitum ad Africani cujusdam concilii Patres, presbyter quidem jam ordinatus, ut liquet ex epist. 90 Augustini ; et tamen natus dicitur in hoc Chronico anno Domini 384, ex quo sextum decimum annum non excessisse probatur. Quæ rerum, quæso, convenientia?

Ad annum 406, asseritur Leporius episcopus Uticensis in Bætica a Pelagianismo ad Ecclesiæ gremium reductus ab Augustino magistro suo : *Quod præterquam quod est manifestum mendacium in historia, Leporius enim iste fuit episcopus Uticensis in Africa, non in Bætica ; est etiam intolerabilis injuria D. Augustino et illius familiæ irrogata, ex qua per Dei gratiam neque hæresiarchæ, neque hæretici, saltem illo vivente, prodierunt : qualis hic Leporius exstitit.*

Denique cum ad calcem Chronici dicatur Dexter anno Domini 440 esse ætatis 72, et tamen anno 390 illud jam absolvisset, uti ex Hieronymo lib. de Script. Eccles. fit manifestum, consequens est ut librum suum scripserit annos habens dumtaxat 20, ejusque ætatis præfectus prætorio fuerit, quod incredibile prorsus videtur.

Hactenus in codicem Dextri insurrexit Pennottus ; pergit deinceps in ejus continuatorem M. Maximum multa alia conquirere, cujus opus corruptius adhuc multis modis existere contendit. Primo namque sub anno 432, Isidorum auctorem libri Allegoriarum vocat *Seniorem ;* discordans a Dextro, qui eum vocavit *Juniorem*, ad annum 430, et cum ille dedicasse asserat Allegoriarum librum Paulo Orosio Tarraconensi, hic Paulo Orosio Legionensi episcopo nuncupatum contendit.

Rursus sub anno 439, ponit obitum Dextri, qui tamen superius de se dixit ultimam operi suo imposuisse manum anno 440.

Similiter anno 471, obiisse scribit Paulum Orosium, centenario majorem, qui tamen 88 dumtaxat expleverat, utpote natus, teste Dextro, an 384.

Ad annum Domini 474, sanctos martyres Africanos Liberatum et socios sub Himmerico Wandalorum rege passos nuncupat *monachos Augustinianos*, quæ vox multo recentior est M. Maximo, et a recentioribus, vel Magdeburgensibus forsitan addita.

Sub anno 486, S. Fulgentius Ruspensis dicitur Toletanus origine, cum tamen Africanus fuerit, et natus Teleptæ, non Toleti, ex parentibus ordinis Senatorii Carthaginensibus, non Toletanis, ut ex ejus gestis constat.

Anno Domini 514, S. Vincentius Legionensis martyr asseritur ordinem S. Benedicti professus paulo antequam martyrium sustineret. Cum tamen S. Benedictus usque ad annum 525, monachos non congrevaverit, et in Hispanias monachi ipsius non trajecerint usque ad 646: Et vox illa : *Ex ordine post S. Benedicti*, non erat tunc in usu.

Simile est quod ann. 531 de S. Turibio dicitur Romæ a S. Benedicto habitum suscepisse : nam D. Benedictus numquam Romæ post monachatum habitavit, neque ejus monachi ante 567 Romam incoluerunt.

Sub anno 534, inquit auctor mortuum esse Gennadium Massiliensem, qui tamen ante 40 annos obierat, utpote qui libros suos Gelasio Papæ corrigendos obtulit, et sanctorum Prosperi, Hilarii et Cassiani coætaneus fuit.

Anno 562, perperam asseritur Athanagildus rex vocatis ab Italia monachis Toleti Agaliense cœnobium ædificasse, cum fuerit hæreticus Arianus vel paganus, ut Baronius notavit ex Tuditano, tom. VII, an. 567, num. 17. Ibidem ab eodem rege monasterium Syslæ dicitur ædificatum, quod eamdem patitur difficultatem, et quod D. Augustino ædificatum sit, cum Julianus S. Mariæ nuncupatum scribat, et in aliis Codicibus erectum dicatur an. 424.

Sub an. 568, prorsus falsum est (ait Pennottus) quod asseritur Ecclesiam S. Mariæ de Columna Cæsaraugustæ a monachis S. Benedicti inhabitatam, quod tamen institutum clericorum canonicorum regulariter viventium a sanctissimis apostolis plantatum, in hunc usque diem (Deo protegente) perseverat : nec omittendum quod subditur : *Propeque erat monasterium monachorum Benedictinorum*, tum quod formula illa loquendi *Benedictinorum* nova sit, tum etiam quia illo verbo *Erat*, innuitur tunc temporis dirutum jam fuisse illud monasterium, quod tamen est incredibile, cum vix tunc pullulare inciperent monasteria S. Benedicti.

Anno 575. S. Donatus regulam Eremitarum S. Augustini locupletiorem mitioremque primus ex Africa in Hispanias invexisse dicitur, et Servitanum monasterium construxisse. *Stolidum sane commentum* (ait censor) : Augustini siquidem regula mitior est omnibus, indigetque restrictione, non mitigatione C. *Quod Dei timorem de statu monachorum*. Et D. Ildefonsus ac cæteri rerum Hispanicarum scriptores, cum de S. Donato agunt regulæ Augustini non meminerunt; sed et monasterium Servitanum fuisse ex ordine S. Benedicti ipse auctor fatetur inferius ad annum Domini 590.

Sub anno 590, asseritur M. Maximus ex abbate Benedictinorum factus Cæsaraugustanus archidiaconus, quod præter morem illius temporis est.

Anno denique 606, Machumetus per Hispaniam grassatus dicitur ; quod tamen *luculentum est mendacium* (ait Pennottus), nam Machumetus numquam Hispaniam vidit, ut plus notum est, quam quod probatione indigeat ; nec ejus asseclæ in eam irruerunt usque ad annum Domini 713, ut ex Tuditano probat Baronius tom. VI, etc. Atque hæc quidem in M. Maximum dixit.

Post M. Maximum habuit etiam Dexter continuatorem Euthrandum, seu Luidprandum Ticinensem, cujus dedicatoriam epistolam ad Regimundum Iliberritanum antistitem Joannes Celderon excudi curavit ; in eam nihilominus Pennottus jacula quædam contorsit ; nec enim Antipodosim suam scripsit diaconus adhuc Ticinensis, sed episcopus jam Cremonensis existens : nec circa annum Christi 860, sed 962, ut ex præfatione lib. III constat, et probat Baronius ad annum 963, nec cum exsularet apud Fuldam, sed cum legatione Constantinopolitana rediret. Quod si S. Boniti Toletani archipræsulis subdiaconus fuit, vixisse oportuit an. Dom. 860, quo florebat Bonitus, teste Murillo, et quare continuatio Euthrandi simul cum Dextro et Maximo excusa non fuit, sed velut spuria rejecta? Si vero spuria est, ipsum quoque Dextri Chronicon, et continuatio Maximi, quæ ab epistola Euthrandi fidem accipiunt, spuria itidem erunt.

§ III. *Tripartitam Pennotti eisdem irretiri nodis, quibus omnimodam Dextri Historiam vincire conatur.*

Cum hucusque progressus subsisto, in mentem venit jure me in ipsum, si luberet, ea contorquere verba posse, quæ lib. II Tripartitæ suæ c. 18, num. 3, adversum doctum et religiosum virum R. P. Constantinum Cajetanum animose satis intorquet : *Hic tamen Constantinianus apparatus ac tantus verborum strepitus, tot scommatum ornatibus tumens ac turgens, non adeo solidus est, ut vel uno ictu totus disrumpi et in aerem solvi non posset; nec tanti ponderis ut ad illum refutandum manum calamo admovere deberemus :* quandoquidem etiamsi ita se haberent omnia, ut ipse in Dextrum, Maximum, et Euthrandum jactat (quod tamen modis omnibus negamus) eo solum ictu omnia ruerent, si dicamus tanto verborum strepitu, tot scommatum ornatibus tumente et turgente, nihil aliud probari, quam librum non esse canonicum, nec auctorem ad Evangelistæ gradum evectum, ut quandoque non valeret a veritate deficere : diversitates vero codicum et exemplorum antiquitatem operis manifeste probare : si enim recentioris esset commentum, nequaquam tam varias exscriptiones pati potuisset : nec ad illam refutandum manum calamo admovere deberemus, cum suis quæque locis omnia ab

eo objecta a nobis in his commentariis exposita sint. Satius tamen modestiam, quæ religiosos decet viros complecti placet, quamquam nonnumquam excessus suos ob oculos ipsi ponere necessarium duxerimus, ut videat quantum illi indulgeamus : et ut ab iis diffugientes minime nobis contingat quod eidem Constantino Joa. Bapt. Brachesium virum pietatis et doctrinæ a Baronio egregie laudatum, secuto objecerit : *Cæcus cæco ducatum præstat, et ambo in foveam cadunt.* Quid enim proderit causæ, ipsum parum reverenter jocari in nostra, seu frigidam esse super hac vel illa re Pennotti imaginationem, et alia ejus generis, quæ ipse in Constantinum jacula vibrat? aut quonam pacto hæc in Dei gloriam referri possunt, ut ipse facit c. 19, n. 8, cum ad calcem Constantinianæ Apologiæ post prædicta et alia convitia subdit : *Hæc pro Dei gloria et canonica D. Herculani professione vindicanda* (nam de hac inter eos quæstio erat) *non autem injuriæ referenda causa scripsi?* Nisi qui forsan ei condonent, assensum præbentes his quæ c. 18, n. 7, efflagitat, inquiens : *Patiantur, obscero, tarditatem meam.* Ab his igitur abstinendum ducimus ; nam si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei (I *Cor.* XI et XVI). Sed ad rem.

Prius tamen quam ad singulos nobis objectos nodos solvendos descendamus, una communi decisione cunctorum Pennotto satisfacere placet, ipsum nimirum in eadem nobiscum salebra hærere, omnibusque argumentorum, quæ in nos contorsit capitibus, opus suum irretiri; quod cum ab ipsis liberum ejus industria viderimus, facilius nobis objecta ad ejus exemplum diluemus. Atque hoc est quod in superioribus (§ I, n. 4) promisimus, eum statuere contra faciem suam, ut dum se eisdem teneri vinculis conspexerit, a nobis insectandis desistat. Igitur (ut compendio dicamus) quinque capita ad quæ universa objecta reducere possumus sunt, 1° titulus operis, et auctoris intentum; 2° contradictiones sententiarum et inconsequentiæ, quæ vel oscitantiam, vel diversitatem auctorum arguunt; 3° assertiones rerum incredibilium; 4° voces novæ, priscis auctorum temporibus inusitatæ; 5° falsitates manifestæ docto auctore indignæ. Iis omnibus auctoritatem horum Chronicorum enervare R. Pater contendit, etenim titulo *Omnimodæ historiæ* non correspondere videntur, cum de paucis mentionem faciant ; et in numeris ac sententiis passim inconsequentiis, falsitatibus, rebusque incredibilibus scatent, et multoties novis vocibus ordinis eremitarum S. Augustini, ordinis S. Benedicti, et similibus utuntur. Sed vero totidem in suum opus jacula contorquere quemlibet posse cur ipse non videt? Opus siquidem imprimis titulo non respondet. Nonne titulus operi præfixus est, *Generalis totius sacri ordinis clericorum canonicorum historia tripartita?* Crederem ex tituli lectione non solum in opere agi de canonicis regularibus, sed etiam de sæcularibus, tam enim hi, quam illi clerici canonici sunt, alteramque ex triplici historiæ partitione, ut minimum A ad illos spectare : nihil tamen de illis in toto opere reperitur : quare non temere quis judicabit, hoc quod præ manibus est, non esse integrum Pennotti opus, sed deperisse bonam ejus partem. Nam si animus non erat de canonicis sæcularibus quidquam scribere, mutari titulus debebat, ut diceret : *Canonicorum regularium historia tripartita*, pro, *Clericorum canonicorum*, qui sæculares quoque complectitur. Sed, quod caput est, titulo ipso historia canonica promittitur, quam tamen liber ipse non dat. Historia quippe ex methodo scriptoris, non ex rebus narratis dignoscitur; de eisdem siquidem rebus Historia naturalis C. Plinii, et naturalis Philosophia Aristotelis agunt, sed hæc stylo scholastico disserendo, illa simplici propositione B narrando procedit. Non dissimiliter de canonicis regularibus historia, et quæstionarium (ut sic dicam) confici potest ; quid autem horum fuerit ex stylo et methodo dignosci debet. Nunc vero stylus libri hujus quem R. Pennottus profert totus scholasticus est ; proponit namque quæstiones et quæstionum varias sententias, ad quas enodandas notabilia præmittit ; inde conclusiones elicit, et sigillatim probat : ex conclusionibus nonnumquam corollaria deducit, et tandem ordinate ad argumenta respondere curat. Quid his et stylo historico commune? Certe quisquis titulum libri sine libro legeret, si postmodum liber ipse sine titulo ad manus ejus forsan veniret, numquam adduci posset ut crederet, hunc librum titulo illo promitti, aut huic libro titulum illum ab auctore C appositum, cum potius esset pro meritis nuncupandus, *Genesis metaphysica canonicorum regularium*; *Genesis*, inquam, quia de spirituali progenie eorumdem edisserit. *Metaphysica* vero, quoniam procedit per altissimas causas, quandoquidem a Deo ipso et totius Christianæ religionis primoribus causis, id est, Christi Domini apostolis, ordinem illum cœpisse perhibet; et nonnumquam Christianitatis metas excedens, a Nazaræis et Levitis veteris Legis ortum ducere contendit, eique antiquitati favere D. Paulum cum ad Hebræos scribit (vide lib. II Trip. 2) : idque controversiarum in morem, ut metaphysici assolent. Quamquam et in ipso scholasticorum stylo auctor satis excedat, quod illi censurarum notas vehementer abhorreant, hic vero vivorum et mortuorum univer- D salem censorem, etiam in rebus levissimis, agat; aliorum dicta modo suis non conforment, errores, turpes lapsus, stolida commenta, luculenta mendacia, contra sacram Scripturam, contra historiam Evangelicam sæpissime vocans : eosdemque auctores nunc ad ima demittens, nunc ad cœlos usque sustollens, prout sibi favere vel officere videbat. Sic card. Baronium, data opera (lib. I, cap. 42) decies lapsum in historia Augustini contendit, multisque ostendere conatur, ad Augustini monachatum probandum debile nimis fundamentum in ejus auctoritate locari; postmodum vero lib. II, c. 10 et 34, tanti eum facit, ut ejus dumtaxat auctoritate res ejusdem momenti, id est, canonicatum regularem S. Martini

Turonensis et S. Patritii Hiberniensium apostoli (quos tamen eorum chronographi monachos perpetuo vocarunt) undecumque constantes esse velit. Sic Fr. Hieronymum Romanum (ut alios omittam) cum eremitarum causam propugnat, nullius pretii habet, et nihilominus lib. II, c. 10, totum gravissimæ assertionis pondus de canonicatu S. Hilarii Pictaviensis solius pene Romani humeris imponit. Sic Franciscum Pisa vehementer laudat, dum ex nomine abbatis non bene inferri asserit, Agaliense monasterium fuisse Benedictinis regulis mancipatum : eumdem vero reprobandum ab omnibus contendit, quod dixerit minime ex eo nomine haberi, fuisse canonicorum S. Augustini, et totum hoc simul in eodem lib. c. 31 scribit, n. 9, 10. Sane ejusmodi inæqualitas styli tam a probatis scholasticis longe est, quam a libro titulus libri.

Utrum autem censorem quoque ipse jam olim priusque librum scriberet, habuerit, forsan ipse non attendit, cum tamen in primis ejusdem foliis omnibus legendam præbeat censuram magni Ecclesiæ Patris Sixti IV, qua motu suo proprio, an. Dom. 1484, apud S. Petrum expedito (ejus initium, *Qui Apostolis præcepit*) ejusmodi de libris hujus subjecti fert judicium : *Sane non sine mentis nostræ displicentia singulari, pluries jam dudum ad nostrum pervenit auditum, quod inter dilectos filios cononicos regulares ordinis S. Augustini congregationis Lateran. et Fr. ordinis eremitarum ejusdem B. Augustini, quædam minus necessaria, minusque laudabilis controversia pullulare cœpit, de ipsius præclarissimi Ecclesiæ doctoris Augustini habitu ac de pictura, et ordinum hujusmodi institutione, parte qualibet diversimode sentiente, ac prædicante, nec veriti sunt libros super hujusmodi levitatibus componere, eosque legere, et aliis legendos tradere, non sine scandalo et perturbatione mentium legentium et aliorum Christi fidelium; per ineptias hujusmodi, quos Deo lucrifacere deberent, perdere festinant. Nos attendentes quod clarissimum Ecclesiæ lumen Augustinum præter episcopalis dignitatis habitum alium gestasse, aut professioni alienæ se subjecisse, aut affirmare, aut negare, ad rem non pertinet, nisi quantum contentio supervacanea aucupari nititur, ac tam énorme facinus, et periculosas contentiones de medio tollere et penitus exstirpare volentes : motu proprio*, etc. Subinfert excommunicationis latæ sententiæ pœnam in eos, qui scriptis editis, vel quovis alio modo alterutram partem defendant, a qua præterquam in mortis articulo a solo Romano Pontifice possint absolvi. Non me latet gravissimorum theologorum Salmanticensium judicium fuisse, decretum hujusmodi, aut numquam observatum, aut jam diu per contrariam consuetudinem revocatum, nec ab iis dissensisse illustriss. cardinales S. Congregationis Indicis librorum prohibitorum ; nemo tamen est, qui non videat eos solum egisse de sententia excommunicationis, quam contravenientes, minime jam incurrerent, quia non esse in viridi observantia existimarunt ; quatenus locus adhuc esset in alterutram partem scribendi ; de judicio autem Pontificis theologice (ut sic loquar) in libros ejusmodi lato, quo scilicet eos censuit controversiam minus necessariam continere ; auctoresque non veritos esse eos libros super hujusmodi levitatibus componere, non sine scandalo et perturbatione mentium legentium, proindeque contentionem esse supervacaneam, ac tam enorme facinus et periculosas contentiones de medio tollendas : de hac, inquam, censura, et judicio summi Pontificis, nihil illi dicere potuerunt, cum hoc non ad jus, sed ad factum pertineat, de quo tamen perspicue constat, perseverante nimirum exemplo prædictarum litterarum authentico in archivo monasterii S. Mariæ de Pace, ut ipse qui eas profert Pennottus fatetur.

Nequivit igitur universorum censor tanti Pontificis censuram effugere, quem tamen canonici Lateranenses speciali affectu revereri debent, utpote cujus dono acceperint Ecclesiam S. Mariæ de Pace quam modo inhabitant, cum vi Populi Rom. e Lateranensi Basilica essent ejecti. Qua de re profert ipse Pennottus Pontificium Sixti diploma lib. III, cap. 33 num. 3. Sed vero naturali viri acrimoniæ donandum est, si quis in censuris passim ferendis excessus in tripartita ejusmodi repertus fuerit ; satis enim de pia ipsius voluntate nobis constat, quandoquidem lectoribus universis primum omnium promisit in prologo pro viribus conaturum abstinere a læsoriis et conviciis in adversarios congerendis, solaque ratione periculum facturum, cujus tamen promissionis oblitus acrem stylum temperare non valuit : multoque acrius probaremus opus, nisi Romani magistri sacri palatii solertia priusquam typis cuderetur in multis temperatum esset. Sed ad reliqua capita procedamus.

§ IV. *Nonnullæ Pennotti inconsequentiæ deleguntur.*

Quod ad inconsequentias, vel sententiarum contrarietates spectat, quibus Chronicon nostrum spurium ostendere conatur, rogo lectores candidos judicent, quantum negotii hoc ipsum argumentum facessat Pennotto, in cujus opere breviusculi temporis studio, ejusmodi reperi contradictiones. Lib. II, cap. 73, num. 2, asserit, ordinem sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum ab Innocentio III confirmatum fuisse anno 1209, capite vero sequenti (id est 74) confirmatum dicit ab eodem anno 1198 ; et illic quidem refert auctores ipsius missos fuisse ab Innocentio ad canonicos S. Victoris Parisiensis pro regularibus institutis addiscendis, ut liquet ex litteris apostolicis ejusdem Innocentii, quæ exstant typis excusæ lib. I sui Regesti, in quibus tamen minime asseritur, Ordinem eumdem regula S. Augustini fuisse donatum ; at in posteriori illo capite 74 ponit hunc Ordinem quarto loco inter eos qui sub S. Augustini regula instituti sunt, et nihilominus constat ex aliis litteris ejusdem Pontificis in eodem Regesto, peculiari donatum fuisse regula ab eodem Pontifice dictata. At certo certius est, numquam

Augustini regulam observasse. Insuper prædicto capitulo 74 ordinem eremitarum de Fabali ponit diversum in sua origine ab ordine eremitarum de Brittinis, et B. Joannis Boni, et nihilominus lib. I cap. 25 num. 4 et cap. 47, in principio, unam eamdemque congregationem fuisse contendit cum illis de Brittinis et Joannis Boni. Rursus lib. II, cap. 30, num. 1, augustissimam toto orbe ecclesiam S. Mariæ de Pilari scribit angelicis manibus fuisse ædificatam; cap. vero 11 ejusdem libri num. 3 a D. Jacobo Zebedæi filio ædificatam contendit, quod ultimum verissimum esse docent instrumenta omnia, quæ in eadem ecclesia asservantur, quæ nos ad annum Christi 38 fuse retulimus. Ita enim refert (ut innumeros Doctores omittam) Calixtus III in litteris datis Romæ IX Kal. Octobris 1456 illis verbis: *Christi fideles magna devotione ac veneratione imaginem ejusdem B. Mariæ, et ejus filii in quadam capella ejusdem Ecclesiæ, quæ de mandato dictæ B. Mariæ per dictum B. Jacobum fabricata, et Camera Angelicæ Dei genitricis de Pilari nuncupata, exstitit, colunt et venerantur*, etc. Idque historia antiqua venerabiliter inibi asservata profert, dum asserit B. Mariam apostolo Jacobo dixisse: *Ecce, Jacobe fili, locus signatus, meoque nomini deputatus, in quo in mei memoriam, tua industria, mea ecclesia construatur.* Ex quibus verbis Offertorium Missæ proprii officii ejus festi olim compositum fuit. Confudit Pennottus columnam ab angelis cœlitus deportatam cum oratorio manibus Jacobi et discipulorum ejus constructo, quæ tamen diversa esse oratio propria olim in prædicto festo cani solita manifestat; quam ad rei evidentiam hic inserere non gravabor. *Omnipotens æterne Deus, qui sacratissimam Matrem tuam inter choros angelorum super columna marmorea a te ab alto emissa, venire dum adhuc viveret, dignatus es, ut basilica de Pilari in ejus honorem a protomartyre apostolorum Jacobo, suisque sanctissimis discipulis ædificaretur; præsta, quæsumus, ut ejus meritis et intercessione, fiat impetrabile quod fida mente poscimus. Qui vivis*, etc. Ubi vides columnam quidem (seu Pilare) ab alto emissam manibus scilicet angelorum deportatam; basilicam vero de Pilari, seu Columnam a D. Jacobo et discipulis constructam.

Mitto multas Pennotti inconsequentias, ut cum eosdem auctores modo sublevat, modo deprimit, de quo jam diximus; et cum nomen monachorum quandoque latissime, plerumque strictissime accipit, ut ita canonici regulares bonis monachorum communicent, non vero pœnis et malis: et cum notas quas sibi ab aliis inferri non patitur, aliis infert. Sup. Lib. II, cap. 19, num. 8, impatiente fert quod R. P. Constantinus Cajetanus, canonicos regulares *Bonos Patres* nuncupet; et tamen lib. I, cap. 47, num. 2, Mag. Joannem Marquez patientissime *Bonum Marquez* vocat. Abominatur itidem Constantinum asserentem ex putidis fontibus Herculani canonicatum hauriri: et tamen monachatum Augustini ex fontibus putidis ab eremitis haustum scribere non renuit. Similiter lib. I, cap. 51, num. 1, deridet Marquez, quod testimonium B. Joachini abbatis contra viginti adversarios stare posse dixerit; et nihilominus lib. II, cap. 18, num. 10, duos canonicos regulares in causa canonicorum propria majoris esse contendit auctoritatis, quam decem Arnoldi et Brachesii, vel etiam Trithemii auctores a P. Constantino in causa S. Herculani citati: quod idem est, atque valere pluris quam triginta: nam decem Arnoldi et totidem Brachesii et Trithemii triginta conficere quis non videt? Sed, quod caput est, Chronicon ipsum Dextri et Maximi, quod citatis superius locis data opera rejicit, postmodum non semel admittit, asserens absque dubio ab aliquo eremitis, seu Benedictinis addicto vitiatum, ut videre est libro I, cap. 56, num. 4 et cap. 57, num. 8, et alibi. Ex quibus omnibus persuasum habeo, opus ejusmodi non esse solius Pennotti, sed ab aliquo officiose depravatum: nam erit qui sententias sententiis, et partes partibus conferendo *rideat vel excandescat*, ut ipse de conferendo inter se codices Dextri falso admodum dixit, lib. I, cap. 52, num. 5.

Jam quod spectat ad res creditu difficiles, unam præ multis habendam placet ad lydium lapidem; id est, eam quam toto libro R. P. Pennottus persuadere intendit, canonicorum regularium ordinem a sanctis apostolis institutum, eumque ipsum in his qui nunc supersunt, perseverare: parum est a sancto Augustino originem ducere. Sed hoc tam verum est, ac si quis diceret. Benedictos monachos ejusdem esse ordinis ac SS. Antonium, Pachomium, Hilarionem, et cæteros, qui olim Thebaidem, et Palestinam incoluerunt: aut omnes universum monachorum congregationes etiam mendicantium unius ejusdemque esse ordinis; quod si detur, non est ambigendum a sanctis pariter apostolis esse institutos. Nihil enim aliud est religiosa professio, quam ad præscriptum Evangelicæ perfectionis vitam dirigere. Sed vero nullus est, qui non videat, cum de primæva alicujus ordinis origine disseritur, non sumi nomen ordinis, quasi generice, quo pacto universas monachorum religiones comprehendit, sed in specie, quatenus una distinguitur ab altera: neque quisquam audiret patienter Franciscanos aut Prædicatores tanta pollere antiquitate, ut ad ipsum Christum Dominum originem suam reducant: quis id diceret? Nunc autem regularem clericatum in multas variasque familias, seu congregationes distribui, non aliter atque monachatum, lippis et tonsoribus patet. Ut quid ergo cum agitur de canonicis Frisonariis, aut Lateranensibus, totus religiosus clericatus in unum corpus coalescens accipitur? ergone tam indiga sanctorum et illustrium virorum est quævis seorsum accepta congregatio, ut se sola in lucem honestissime non possit exire? Absit; omnes enim illustrissimæ sunt, nec aliarum adminiculo indigent. Restat ergo ut de unaquaque in singulari loquamur, cum originis antiquitatem investigare

intendimus. Igitur a sanctis Dei apostolis religiosis disciplinis clericos eruditos libenter fatemur; eosque multoties a conciliis et patribus reformatos : cæterum nihil minus de monachis confiteri oportet, quorum in conciliis frequens quoque mentio est; variisque temporibus et provinciis reformati sunt. Nec inter utrosque aliqua verosimilis diversitatis causa assignari potest, si enim dicat quis clericos omnes in eumdem finem ex ipsa Clericatus ratione dirigi, in eamque omnimodis convenire, id est, in destinatione ad servitium altaris, sacramentorum administrationem, et verbi Dei prædicationem; differre vero quasi accidentaliter (ut sic dicam) penes diversas congregationum constitutiones, quod tamen non sufficit ad ordines clericorum diversificandos. Sciat qui hæc dixerit, argumentum similiter urgere in monachis; qui quidem uniformiter in vobis essentialibus conveniunt, solumque differunt per diversas constitutiones, quæ parum inter se distant : nec plus dissident constitutiones unius monastici ordinis ab aliis, quam constitutiones diversarum congregationum canonicorum regularium inter sese. Immo vero mendicantium ordines valde ad canonicorum institutum accedunt, quandoquidem instituti sunt in subsidium episcoporum, ad prædicandum verbum Dei, et administranda fidelibus confessionis et eucharistiæ sacramenta.

Quod si quis instet D. Augustinum non intendisse novum canonicorum ordinem inducere in Ecclesiam, sed antiquum reformare; quo fiat ut unus et idem ordo sit ab eo præceptis eruditus, et antiquior a sanctis primitivæ Ecclesiæ Patribus institutus : is inquam parum proficiet : si enim B. Benedictus numquam novum monachorum ordinem, seu novum genus vitæ stabilire curavit, sed cœnobiticum antiquum erudire : quod ex primo regulæ cap. liquet, ubi quadruplex genus monachorum præmittens, id est, Anachoretarum, Cœnobitarum, Sarabaitarum, et Gyrovagorum : cæteris omissis, *ad Cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adjuvante* (inquit) *Domino veniamus.*

Addamus aliud huic proximum, nec minus difficile creditu, nimirum D. Augustinum regulam canonicis suis scripsisse; quod tamen argumento illo negativo, quod alias Pennottus evidens reputat; convincitur falsitatis, lib. enim I, cap. 45, sic inquit : *In historicis argumentum ex negativis probat, et quandoque demonstrat, ut quando Historici omnes silent.* Et infra : *Non solum ex silentio sacrorum canonum, sed omnium conciliorum, pontificum, historiarum; ex hoc tam concordi silentio non solum probabiliter, verum etiam demonstrative sequela deducitur.* Sic igitur cum ipse D. Augustinus librum Retractationum suarum fecerit, et in eo omnium librorum a se hactenus compositorum meminerit; cumque Possidius ejus discipulus indicem eorumdem copiosissimum ediderit, neuter autem de regula clericorum, seu monachorum mentionem fecerit, quinimmo neque usque ad annum 1100 a quovis scriptorum, aut conciliorum sub nomine Augustini citetur, reliquum est, ut fateamur D. Augustinum talem regulam nullatenus composuisse, sed postmodum circa annum Domini 1100, ex epistola 109, fuisse extractam, quam ipse ad moniales quasdam dictavit, occasione discordiæ, quam cum præposita habebant, ut ex ejus contextu manifestum est : aut Possidius arguendus esset ociantiæ et oblivionis (immo et ipse Augustinus) dum tam illustris operis non meminerit, quod tamen ipse Pennottus lib. I, cap. 42, num. 8, abominatur. Sed non est cur in re patentissima immoremur, quam non solum cardinalis Bellarminus lib. de Script. Eccles. vidit et judicavit, verum et ipsi regulares canonici, e quibus Simon Werlinus præpositus S. Mariæ in Diesten, data opera id defendit in emendatione regulæ monasticæ S. Augustini (excusa Monachii 1618, apud Nicolaum Henricum) et consentit Bernardus Vindirigus in Critico castigato excuso Vellameriæ 1621 per Georgium Medellanum.

Nec desunt in Tripartita Pennotti novæ voces ac verba, quæ ipsam suspectam satis reddunt ab alio forsan fuisse vitiatam. Qui enim sunt monachi Benedictinenses? aut quis scriptor Tuditanus? Et monachi quidem a S. Benedicto, Benedictini vocantur; Benedictinenses vero a S. Benedictino deduci necesse est, non a S. Benedicto : et tamen toto fere opere refugit eos vocare Benedictinos. Insuper Lucam Tudensem, et Urbem Tudensem omnes hactenus dixere : hic vero Tuditanus præter omnium consuetudinem vocatur. Ut omittam procursum ordinis sui, pro ordinis progressu, et lectorem benevolentem pro benevolo dicere, novis certe vocibus usum. Sed hæc leviora sunt.

Jam ad asserta, quæ a vero dissonant, descensum faciamus, nam pari passu probabitur opus Tripartitum non esse R. P. Pennotti docti admodum viri, de quo non est existimandum falsas assertiones scripsisse; ac Dextri Chronicon, quod præ manibus est, fœtum esse suppositum. Imprimis alienum est a veritate S. patriarcham Benedictum nihil de clericis in sua Regula disposuisse, quod Pennottus conceptis verbis scripsit lib. II, cap. 18, num. 4 et num. 7 in fine ait : *D. Benedictus non ut clericis, sed ut laicis regulam vitæ præscripserat, in qua de clericis monachis ne verbum quidem habetur.* Et tamen duo integra capita regulæ suæ (id, est, 60 et 62) beatissimus præceptor in disponendis monasterii sacerdotibus consumit. Prioris titulus est, *De Sacerdotibus, qui voluerint in monasterio habitare :* ubi præcipit ut jugo regulæ sese omnimode subdant, post abbatem sedem habeant, clericos autem, qui presbyteri adhuc non sunt, loco mediocri collocari. Posterioris titulus est, *De Sacerdotibus monasterii :* ubi de his, qui post monachatum ad ordines evehuntur multa disponit. Certe si Pennottus titulos capitum Regulæ dumtaxat legeret, ab eo errore liberaretur. Sed hoc simile est ei, quod de Paulo Orosio scribit lib. I, cap. 38, num. 4, nimirum nomen monachorum tam late apud ipsum acceptum fuisse lib. VII suæ Ormestæ

cap. 17, quod omnes Christianos illos comprehenderet, *qui ad unum fidei opus, dimissa sæcularium rerum multimoda actione, se redigebant;* quo pacto ait Pennottus etiam clericos regulares sub nomine monachorum comprehendi. Sed si verba ab Orosio immediate subjecta legisset (ut omittam perperam citasse cap. 17 Orosii, cum sit 33) plane reperiret eo nomine anachoretas solos intelligere; de Valente siquidem imperatore agens, *effrenata*, inquit, *libertatis audacia legem dedit, ut monachi, hoc est Christiani, qui ad unum fidei opus, dimissa sæcularium rerum multimoda actione, se redigunt, ad militiam cogerentur. Vastas illas tunc Ægypti solitudines, arenasque diffusas, quas propter sitim et sterilitatem, periculosissimamque serpentum abundantiam, conversatio humana non nosset, magna cohabitantium monachorum multitudo compleverat. Huc tribuni et milites missi, qui sanctos ac veros milites Dei alio nomine persecutionis abstraherent, interfecerunt ibi agmina multa Sanctorum.* Videat igitur velitne Anachoretas etiam ad canonicorum institutum pertrahere, quantumvis canonicis proprium sit in ecclesiis urbium degere. Sed hæc leviora sunt.

§ V. *Jura Cisterciensis ordinis a Pennotto læsa defenduntur.*

Intolerabilius est, et ab omni verisimilitudinis specie longius distat quod lib. I, cap. 50, num. 5, asserit Cistercienses monachos (idemque de Valumbrosanis, Camaldulensibus et Sylvestrinis affirmat) non magis de B. P. Benedicti institutione immediata descendere, quam Hieronymianos Eremitas a D. Hieronymo: quemadmodum ipse contendit Eremitas Augustinianos ita dictos, quia regula et titulo B. Augustini ex largitate apostolica fuerunt donati. Meminisse oportebat se in calce prologi promisisse: *Pro viribus præstare conabor, ut nostra jura sine aliorum injuria tueamur; cum propositum et intentio mea nullatenus sit aliorum ordinum jura tangere, vel de illorum antiquitate, origine, dignitate, nisi parte adversa cogente, in hoc opere disputare.* Bene promisit, sed male complevit. Quis, quæso, cogebat eum, ut antiquitati, origini, dignitati tot sanctorum ordinum derogaret? Atqui adversa pars nihil de talibus disseruit, ut ab illa coactus diceretur. Et certe, si res ita se haberet, ut scribit, tolerabile utcumque esset, parum enim nostra referret utrum promissis suis staret necne; aut si ab aliquo umquam id in controversia positum fuisset, non reclamarem; aut si ad manum ipse non haberet, cum hæc scribebat, unde certior fieri valeret de vero Cisterciensis ordinis exordio, nihilominus ignorantiam condonarem: nunc autem non solum dictis suis non stat, sed rem numquam in controversia positam, lippisque et tonsoribus notissimam, absque ullo fundamento, sed mera sua voluntate, et scribendi celeritate abnegat: eo præsertim tempore, quo a me acceperat librum exordii Cisterciensis ordinis, non ab aliquo scriptore moderno, sed ab ipsis ejusdem fundatoribus scriptum; ubi ex instituto sanctissimi fundatores demonstrant Cisterciensem ordinem, non esse novum aliquem in Ecclesia inventum, sed ordinis monastici S. P. Benedicti reformationem. Videat autem R. P. Pennottus utrum canonici regulares Lateranenses reformati per Frigidionarios, aut Frissonarios, diversi sint ordinis ac Lateranenses antiqui? aut ipsi Frissonarii, quorum reformatio cœpit anno 1400, ut ipse refert lib. III, cap. 6, ad ordinem canonicorum regularium antiquum non pertineant? Nihil æque toto opere suo abhorret; nec mirum, nam reformatio antiqui ordinis, ea præcipue, quæ fit a religiosis viris eumdem olim jam professis, sed in laxiori observantia, ad eumque finem dirigitur, ut ad primitivum reducatur ordo vigorem, tantum distat a novi ordinis constructione, ut procul dubio tantum propius antiqui ordinis sint reformatores, quanto reformatio ipsa propius ad veram fundatorum institutionem accedit. Aut dicat, qui jam inter Minoritarum diversissimas congregationes verius Franciscani sint, Conventuales, an Observantes? Reformati, seu Discalceati ac Capucini? Et tamen reformatiores noviores perpetuo sunt, quoad reformationem modernam, sed hæreditatem parentum primitivam securius assequuntur.

Nunc igitur proferam testimonia fundatorum ordinis Cisterciensis, quæ ipsi Pennotto jam ante mutuaveram, ut vel sic legat vere ac proprie a S. Benedicti instituto descendere. Titulus libri est: *Exordium sacris ordinis Cisterciensis a S. Roberto, S. Alberico, et S. Stephano primis ejusdem ordinis fundatoribus, ante quingentos annos accurate conscriptum.* Prologus vero: *Nos Cistercienses primi hujus Ecclesiæ fundatores, successoribus nostris stylo præsenti notificamus, quam canonice, quanta auctoritate, a quibus etiam personis, quibusque temporibus cœnobium et tenor vitæ illorum exordium sumpserit; ut hujus rei propalata sincera veritate, tenacius et locum, et observantiam sanctæ regulæ in eo a nobis per Dei gratiam utcumque inchoatam ament,* etc. Liber vero sic incipit. *Anno ab Incarnatione Domini* 1098, *beatæ memoriæ Robertus Molismensis Ecclesiæ in episcopatu Lingonensi fundatæ primus abbas, et quidem ejusdem cœnobii fratres ad ven. Hugonem tunc apostolicæ sedis legatum, et Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopum, venerunt, vitam suam sub custodia S. regulæ Benedicti se ordinaturos pollicentes; et idcirco ad hoc liberius exsequendum, ut eis et sui juvaminis, apostolicæque auctoritatis robur porrigeret, constanter flagitantes. Quorum voto legatus ille lætanter favens, tali epistola exordii eorum fundamentum jecit.*

Hugo Lugdunen. archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus Roberto Molismensis abbati, et fratribus cum eo secundum regulam S. Benedicti Deo servire cupientibus. Notum sit omnibus de S. Matris Ecclesiæ profectu gaudentibus, vos et quosdam filios vestros Molismensis cœnobii fratres Lugduni in nostra præsentia adstitisse, ac regulæ B. Benedicti, quam illuc usque tepide ac negligenter in eodem monasterio tenueritis, arctius deinceps atque perfectius inhærere velle profes-

sos fuisse : quod quia in loco prædicto pluribus impe- A dientibus causis constat adimpleri non posse, nos utriusque partis saluti, videlicet inde recedentium, atque illic remanentium providentes, in locum alium quem vobis divina largitas designaverit, declinare, ibique salubrius atque quietius Domino famulari utile duximus fore. Vobis ergo tunc præsentibus Roberto abbati, fratribus quoque Alberico, Odoni, Joanni, Stephano, Letaldo, et Petro, sed et omnibus quos regulariter et communi consilio vobis sociare decreveritis, hoc sanctum propositum servare, et tunc consuluimus, et ut in hoc perseveretis præcipimus, et auctoritate apostolica per sigilli nostri impressionem in perpetuum confirmamus.

Pergunt auctores enarrare qualiter inde discedentes in Eremum Cistercii convolarunt, inibique Cisterciense cœnobium construxerunt, ex quo postmodum B. præcipue Bernardo procurante reformatio ipsa in universo orbe propagata est. Minime ergo novi homines e sæculo recens educti, ordinem Cisterciensem instaurarunt, sed monachi Benedictini cœnobii Molismensis, eo permoti, quod regulam quam professi fuerant tepide nimis illic hactenus observaverant. *Nam viri isti* (ut cap. 4 dicitur) *apud Molismum positi, sæpius inter se, Dei gratia aspirati, de transgressione regulæ B. Benedicti Patris manachorum loquebantur, et contristabantur videntes se cæterosque monachos hanc regulam solemni professione servaturos promisisse, eamque minime custodisse. Et propter hoc apostolicæ sedis legati auctoritate (uti prælibavimus) ad hanc solitudinem ut professionem suam observantia S. regulæ adimplerent*, etc. Subinferunt deinde auctores litteras apostolicas Urbani II, et Paschalis item II, Rom. Pontificum, duorum cardinalium et episcopi Cabilonensis, binasque alias præfati Hugonis legati, quibus reformatio ipsa confirmata est. Eodemque prorsus pacto conferunt historici omnes exordium nostrum, ut videre est apud Cæsarium, lib. I Dialog. Miraculorum, cap. 1; Vincentium Belvacensem in Spec. Histor. lib. XXV, cap. 94 et 95; et Antoninum, ex eo ad verbum; Sigibertum, seu ejus continuatorem Robertum, ad annum 1098; et quotquot ejus ordinis exordii meminerunt : et novissime apud Aubertum Miræum, Barnabam de Montalvo, Bernardum de Brito in Chronicis Cistercens., exactissimeque in Laurea Evangelica R. admodum P. ac celeberrimi apud Salmanticenses theologiæ professoris publici D Fr. Angeli Manrique, ut innumeros alios omittam. Notatione digna sunt verba Cæsarii : *Hoc autem præfixum teneas, nostri auctorem esse Spiritum sanctum; institutorem S. Benedictum; invocatorem vero venerabilem abbatem Robertum.* Hinc inter reformatos Cistercienses et Cluniacenses orta fuit quæstio, quæ frequenter inter reformatos et non reformatos ejusdem ordinis de observantia, seu transgressione regulæ oriri solet, quam videre licet apud Petrum Venerab. lib. III, epist. in 28 ad S. Bernardum, et lib. V, epist. 16, ad eumdem, ubi respondet ad 12, articulos regulæ S. P. Benedicti, in quibus Cluniacenses deficere taxabantur a Cisterciensibus, objicitque nobis coloris habitus mutationem, quam nihilominus ex regulæ præscripto licuisse facere nostri contendebant cap. 55 reg., de qua etiam quæstione agit ipse Bernardus in Apologia ad Guilielmum abbatem, ubi ordinem S. Benedicti suum pleno ore ordinem vocat. Ex his igitur videat, quæso, R. P. Pennottus quantum deroget Cisterciensis ordinis juribus, cum ipsum a D. protoparente Benedicto minime descendere scribit. Neque est quod causetur, dum videt communiter ab auctoribus non vocari congregationem Cisterciensem, sed ordinem absolute; hoc enim non facit eum discernere ab ordine sancti Benedicti, quasi essentialiter diversum (ut scholasticis suis terminis loquar) sed accidentaliter; qua de re alibi a nobis fusius tractatum est, in speciali opusculo de B propria significatione hujus vocis *Ordo*. Idem prorsus de aliis reformationibus ordinis sancti Benedicti sentiendum est, nam S. Romualdus, a quo Camaldulenses, S. Joannes Gualbertus, a quo Valumbrosani, et S. Silvester, a quo Silvestrini, monachi nigri erant, et ordinem suum reformare procurarunt.

Quale etiam est illud quod lib. II, cap. 73, num. 1, Pennottus asserit : *At non solum originem, verum etiam præcipuos illustratores ex eodem ordine canonicorum ipse ordo monasticus accepit?* ubi enumeratis nonnullis sanctis, qui ad Benedictinos ex canonicis olim transitum fecerunt, subinfert : *De Cisterciensibus res adhuc multo magis conspicua est, cum unus Malachias, regularis canonicus in Hibernia tot, Cisterciensium cœnobia fundaverit, cum integra canonicorum C monasteria ad Cistercienses transierint, ut patet in Alva abbatia canonicorum regularium Leodiensium, quam S. Bernardus in monasterium Cisterciensium mutavit : et de priore monasterii Eboracensis cum omnibus fere dicti monasterii fratribus ad Cistercienses profectis pro quibus ipse D. Bernardus ad abbatem Eboracensem scripsit epistolam quæ est in ordine 95, ex quorum numero videtur fuisse B. Humbertus, cujus laudes recensuit idem B. Bernardus in proprio sermone de eodem habito.* Hæc ille. Sed quidquid de horum veritate sit, videant lectores, qui ex duobus fuerint illustrati, canonici ad Cistercienses reformationis ac sanctitatis prætextu adipiscendæ, transeuntes, an Cistercienses canonicos sinu suo complectentes, et ut ad altissimum sanctitatis fastigium evehentes? Aut dubium sanctiores D facti, illustres redditi sunt; non enim canonici ad Cistercienses transierunt, ut eos illustrarent, aut perficerent, sed ut perfectiores et illustriores redderentur. Sic in simili casu censuit Bernardus ipse, ait (epist. 142) : *Hoc, inquam, hoc prorsus vos de illustribus reddidit illustriores, sanctiores de sanctis, et ubicumque divulgatus est sermo iste, replevit omnia odore suavitatis... Quam læto sinu collegit vos multitudo Cisterciensium*, etc. Quod si dixerit quis, ordinem etiam nostrum illustrari adventu talium virorum, id minime negamus, sed non aliter quam illustrium hominum e sæculo venientium ad ordinem, quis non videt? quare æque sæculum ipsum gloriari poterit, quod ordines universos illustraverit.

Negamus præterea S. Malachiam fuisse canonicum regularem, cum verius sit monachum perpetuo fuisse, et quando Cisterciensibus cœnobia in Hibernia fundabat, ad ipsos jam transiisse; nam et sanctus Bernardus cum habitu S. Malachiæ sepultum, et e converso Malachiam cum veste Bernardi certo scimus ex ult. cap. Vitæ S. Bernardi per ipsius secretarium scriptæ, qui funeri ejus interfuit. Unde et a Cisterciensibus in catalogum suorum sanctorum perpetuo recensetur, et tamquam unus ex suis, quotannis solemni officio celebratur: quod tamen argumentum aliquando Pennotto visum fuit efficax ad probandum S. Herculanum fuisse regularem canonicum: quia scilicet a canonicis regul. solemni officio colitur.

Rursus monasterium de Alna (sic enim vocatur, non Alva) solos quatuor annos S. Augustini regulam professum fuerat, ut tradit Miræus in Chron. Cist. ad ann. Domini 1148: unde cum in ejus institutis tenerum adhuc esset, facile fuit ad alia præstantiora transire. Ubi autem, quæso, Pennottus invenit monasterium istud Eboracense ex quo prior cum aliis fratribus ad Cistercienses pervolaverat, fuisse ordinis canonici? Quod si existimat fuisse ipsam Ecclesiam, ut omittam satis gratis ab eo creditam canonicorum fuisse, non autem monachorum S. Benedicti, lib. II, cap. 37, num. 6, multo gratius asserit priorem illum cum fratribus eam reliquisse: nam ex epistola Bernardi (quæ est 94, non vero 95, ut ipse vult) nihil tale educi potest, et ex titulo verisimilius oppositum, qui est: *Ad abbatem cujusdam monasterii Eboracensis, unde exierat prior cum aliquantis fratribus.* Ubi cum dicitur cujusdam monasterii Eboracensis, satis innuitur non esse ipsam cathedralem ecclesiam, sed aliquam aliam ejusdem diœcesis. De B. Humberto res est facilior, neque enim ex sermone S. Bernardi in ejus obitu habito, neque ex Vita ipsius, quæ exstat in III lib. Exordii Cisterciensis, cap. 4 et 5, nec aliunde haberi potest, quod fuerit monachus Eboracensis, et aliter ex illis qui cum priore reformati sunt. Quinimmo oppositum satis perspicue deducitur ex eo quod, ipso Bernardo asserente, ab ipso pene principio monasterii Claræ-vallis cum eo conversatus fuit. Conversio autem prioris et fratrum Eboracensium multo postea contigit, ut liquet ex epistola quæ scripta fuit a Bernardo (si ordinem ejus inter cæteros spectemus) pro sedando Anacleti schismate laborante, quando jam notissimus erat toto orbe.

Per hoc tamen nolumus negare ipsum mellifluum doctorem multos canonicorum regularium ad ordinem suum admisisse, alios antem repulisse, ut videre est in eo qui patientiam ipsius illustravit, dum renuentem admittere eum ad ordinem, in maxilla percussit, quæ res fuse refertur lib. III Vitæ Bern. cap. 6. Sed ad alia transeamus.

Mitto concilium Rhemense a B. Eugenio III celebratum tribui Eugenio II a Pennotto, lib. I, cap. 19, num. 1, quo sic canonicorum regularium reformatio, quæ inibi facta est vetustior longe esset: cum tamen acta ipsa Rhemensis concilii reluctentur, et Bernardus, qui præsens fuit, contra Gilbertum Porretanum Trinitatis unitatem defendat, de qua re agit ipse serm. 80, in Cant., et quotquot Eugenii, aut Bernardi acta scripserunt.

Venio ad B. Joachimum, quem amicus noster immerito ac immoderate carpit.

§ VI. *Defenditur B. abbas Joachimus a calumniis Pennotti et aliorum.*

Duo sunt, quæ sibi ex doctrinis venerandi abbatis Pennottus officere credit, alterum dum de eremitarum ordine in suo ad expositionem Apocalypsis introductorio prophetavit; alterum dum regulares canonicos a S. Rufo institutos circa annum Domini 1100, ab eoque tunc primum donatos S. Augustini regula fuisse contendit. Sic ille Joachimi sententias refert, et tam acriter impugnat, ut urbanitatis ac religiositatis metas vehementer excesserit. Quantumvis enim ita se haberet res (ut ipse refert) et abbas sanctus ab eo relata scriberet, non erant tanti momenti hæc, ut ea propter S. Inquisitionis officium in ipsum fulminaret, et inaudita parte ob quorumdam male intellectum testimonium sententiam damnationis in ipsum tulerit, damnationis, inquam, æternæ mortis, et condemnationis personæ a concilio generali Lateranensi. *Superest* (inquit lib. I, c. 41) *Ut solum abbatis Joachimi testimonium expendamus, ac videamus an forte Goliath ab orco revocatus fuerit, tantas vires habens, ut unus contra viginti merito stare possit.* Et post pauca, num. 2: *An vero inter prophetas ipsum Joachimum censere merito possimus, referam quid de illo viri docti scribant.* Hic processum conflat adductis in testes S. Antonino, cardinalibus Bellarmino et Baronio, et Alfonso de Castro, quibus utcumque auditis derisorie subinfert: *Ex quibus et aliis superius dictis, videas quanti faciendus sit hic novus propheta, quem Marquez uti militem adeo strenuum producit, ut contra viginti armatos solus stare possit.* Lib. vero II, cap. 2, quasi antea sibi incognitum sic Joachimum citat: *Est igitur de origine canonici ordinis prima sententia cujusdam abbatis, nomine Joachim, in expositione apocalypsis, asserentis ordinem canonicorum regularium circa annum Domini 1100 initium habuisse in partibus Galliarum a quodam episcopo nomine Rufo, qui ipsis canonicis D. Augustini regulam primus tradidit, et ab illo congregatio canonicorum regularium originem traxit, quæ idcirco S. Rufi congregatio est appellata.* Et post nonnulla: *Hæc Joachimi sententia eo modo præsertim explicata et aucta, non unum, sed multos illos usque manifestos, et palpabiles continet errores.* Enumerat vero decursu capitis ejus decem, obiter vero reverendiss. D. episcopum Antonium Massam Galesinum doctissimum sui sæculi virum, quod hac in re Joachimum secutus fuerit, eo honore prosequitur, ut dicat: *Omitto Antonium Massam Galesinum qui ipsum abbatem Joachimum secutus, multas ineptias effudit, quibus animi sui venalitatem, et ingenii levitatem et ignorantiam apertissime monstravit,* etc. Siccine cum viris gravissimis agere licet? At cujus manus contra omnes, manus omnium sustinere cogetur.

Et quidem quod ad Joachimum spectat, manifestum est, minime scripta ejus, quæ citat, a Pennotto lecta, nec quis, cujusve meriti in Ecclesia fuerit, ab eo agnitum; quandoquidem perperam omnia citantur; prophetia siquidem de ordine eremitarum non exstat in introductorio ad Apocalypsim, sed in expositione capitis XIV, ad illa verba : *Et alius angelus exivit de templo, habens et ipse falcem acutam*, etc. De canonicis autem a S. Rufo institutis non agit in expositione Apocalypsis, sed cap. 20 introductorii, quo videas bonum militem frena (ut vulgo dicitur) permutasse. Certe in re tanti momenti, unde honor viri unius sancti pendebat, nemo erit qui Pennottum absolvat a culpa notabilis incuriæ non legendi Joachimum, cum facillimum illi esset adire sive in bibliotheca Vaticana, sive S. Petri in Monte aureo, egregie a R. P. Luca Waddingo instructa, sive Aniciana collegii Gregoriani, sive illustrissimi Domini Joan. Baptistæ Coccini sacræ Rotæ decani, in quibus et in aliis Urbis bibliothecis opera illius reperire liceret. Quid si Joachimus minus suis conatibus adversaretur? Quid si faveret? Parum esset doctrinam ejus usque ad cœlos extollere; nemo tam acerrime spiritum abbatis prophetiæ dono clarum tueretur ac Pennottus : nam et alios inferioris notæ auctores sibi faventes, gratitudinis ergo vehementer honorat. Spero tamen magnum apud illum deinceps habendum esse Joachimum, ut pote qui præ cæteris clericorum causam tuetur : nihil etenim æque in omnibus suis operibus inculcat, quam ordinem clericorum priorem fuisse ordine monachorum, id quod data opera affirmat et probat lib. II Concordiæ utriusque Testamenti, tractatur cap. 5, et in introductorii ad Apocal. cap. 19. Capite autem 20 sequenti duodecim religiosorum ordines, seu congregationes totidem patriarchis, filiis Jacob accommodans, primum recenset sex clericorum congregationes sub sex filiis Liæ primogenitæ respectu Rachelis, significatas; ac deinde totidem monachorum et religiosorum militum sub typo filiorum Balæ et Zelphæ ancillarum, ac Rachelis adumbratas; his verbis quæ referre placet, ut videat Pennottus perperam hactenus abbatem sanctum intellectum cum agit de canonicis sancti Rufi. *Ut autem intelligatur quod dicatur, libet ipsos filios Jacob singulis ordinibus assignare. Primus ordo religiosorum institutus est ab apostolis in Ecclesia primitiva : et ipse designatus est in Ruben. Secundus in Antiochia, ubi primo dicti sunt discipuli Christiani; et ipse designatus est in Simeon. Tertius in Alexandria, de quo, ut refert Ecclesiastica Historia, multa laude digna retulit Philo Judæus, laudans sobrietatem et conversationem illius; et ipse designatus est in Levi. Quartus ordo institutus est in Africa a B. Augustino; et ipse designatus est in Juda. Quintus ordo fuit canonicorum regularium in occiduis partibus institutus, qui pro parte ipsius regulæ quam tenet dicitur et ipse S. Augustini : et ipse designatus est in Issachar. Sextus ordo videtur esse canonicorum Præmonstratentium : et ipse designatus est in Zabulon.* *Hæc de filiis Liæ.* Illis de sex ordinibus clericorum dictis, subinfert de totidem ordinibus monachorum. *Balæ ancillæ Rachelis natus est in filium ordo monachorum, in Græcorum quidem Ecclesia a sanctis Patribus institutus; hic itaque ordo designatus est in Dan filio Balæ ancillæ. Genuit autem Bala secundum filium, nomine Nephtalim, qui videtur designare Occidentalium ordinem monachorum* (nimirum sub S. Patris Benedicti disciplinis eruditos) *et desiit parere. Sed et Lia in hoc ipso æmulata sororem, tradit et ipsa Zelpham ancillam suam viro suo, quæ genuit Gad et Asser, in typo duorum ordinum laicorum fratrum, qui claruerunt his temporibus in partibus Orientis, hoc est Hospitalis* (nunc S. Joannis) *et Militum Templi.* Duos tandem ordines monasticos sub Joseph et Benjamin filiis Rachel et fratrum omnium extremis adumbratos, nondum incœpisse suo tempore dicit, nec mirum, cum ii fuerint ordines præclarissimi Prædicatorum et Minorum, de quibus Joachimus in commentariis Hieremiæ perspicue prophetavit. Videat nunc, quæso, Pennottus quibus magis Joachimus faveat, clericis an monachis? Nam quod de canonicis regularibus quinti ordinis scribit, de congregatione quadam manifestum est debere intelligi, illa nimirum quæ in Galliis regula S. Augustini canonice donata est, et geminato canonis et regulæ nomine canonicorum regularium vocari cœperat. Quo vero anno id acciderit Joachimus non promit; et quod asserit a S. Rufo fuisse institutam, non a se, sed ex aliorum relatione scribit : et forsan vulgo dicebatur ordo ille a S. Rufo institutus, quod in ejus monasterio institutus esset; indeque a S. Rufo ad multa alia derivatus sit. Verum ejusmodi clericorum antelatio non ita mordicus ex mente beati viri accipienda est, quasi multum temporis inter clericorum et monachorum institutionem interfuerit : nam cap. præcedenti (seu 19 introduct.) utrosque in primitiva Ecclesia ortos fuisse contendit, inquiens : *Inito autem primo statu, et inchoato secundo* (qui cœpit a Christo Domino) *mox clericorum et monachorum ordines inchoati sunt : haud dubium quin in Ecclesia primitiva, qui et vitam ecclesiasticum prædicando et ordinem monasticum per communem vitam servabant. Tanta autem fuit communio duorum ordinum istorum in hoc statu secundo, ut nec clerici deessent in eo, qui viverent communiter sicut monachi, nec monachi quibus officium committeretur clericorum.*

Porro quod ad cap. 14 Apoc. scribit, *Surget ordo, qui videtur novus, et non est, induti nigris vestibus, et induti desuper zona, qui erit ordo Eremitarum*, etc., velit nolit Pennottus, manifesta est prophetia eremitarum S. Augustini, cum eos nondum eo habitu et cingulo donatos (ut luculenter probat R. P. Lucas Waddingus) nec unitos ad unum ordinem, vivis coloribus depinxerit. Nam quod respondet Pennottus lib. I, cap. 51, potuisse Joachimum de eremitis Guilielmitis, aut Jambonitis loqui, post quos exortos prophetavit circa annum Domini 1200, longe a vero abest, et parum memoriæ in eo arguit, qui paulo

ante cap. 46, num. 5, de Gulielmitis dixerat : *Patet quod habitus eremitarum D. Guillelmi longe diversus erat, tum ex eremitis dicti ordinis, qui cum illo habitu permanserunt, qui non erat cuculla nigra, sed tunica alba, cum mantello albo, unde et vocati sunt mantelli albi.* De Jambonitis vero, seu eremitis Fr. Joannis Boni cap. sequenti (47) num. 1 asserit ante unionem ab Innocentio IV factam, non habuisse nigrum habitum, sed habitui Fratrum Minorum persimilem; refertque litteras Gulielmi cardinalis protectoris, ubi de illis jam unitis ait : *Et quia eorum habitus qui habitui Fratrum Minorum videbatur conformis, apud aliquos scandalum quodammodo suscitabat, de mandato et auctoritate duorum cardinalium, qui tunc in partibus Lombardiæ legationis fungebantur officio, nigrum quem gestatis adhuc habitum, elegerunt. Qui cum jam vocarentur Fratres Eremitæ Joannis boni*, etc. Zonam vero postmodum etiam suscepisse liquet ex litteris apostolis Gregorii IX, quas refert ipse Pennottus eodem cap. 47, num. 7. Depinxit ergo Joachimus habitum eremitarum et corrigiam, quæ nondum erant in rebus : nec mirum, cum ordines quoque Minorum et Prædicatorum manifeste prædixerit, eorumque patriarchas in eo, quem postmodum sumpserunt habitu apud S. Marcum Venetiarum vivis coloribus depingi fecerit, et multa alia prædixerit, quibus eximio prophetiæ spiritu polluisse magis perspicuum est, quam ut longa oratione probari indigeat.

Sed quo hæc fiant nota omnibus, et contra adversariorum testium informationem a Pennotto factam pro Joachimi innocentia comprobanda nonnullos eorum, qui pro eo stant (brevi tamen compendio, prout locus patitur) in medium adducere non gravabor. Primum omnium profero S. Cyrillum ord. Carmelitarum splendorem, qui ex Carmelo ad Joachimum in Calabria degentem super prophetia sibi cœlitus ostensa enodanda in hæc verba scripsit : *Cum Deus tibi velut secundo Joanni Evangelistæ, miram futura noscenda gratiam contulerit, humiliter quæso (reverende Pater) ut brevius prophetiam hanc enucleare digneris, quo dilucidius Divini abyssum hujus muneris penetrare valeamus. Frange nucem, densa revela, ut splendeat cunctis claritas clarissimi Solis.* Exstat ejusmodi epistola cum operibus ipsius Joachimi in Vaticana bibliotheca, et in altera monasterii S. Fidis ordinis Cisterciensis prope Cæsaraugustam, eamque refert Jacobus de Voragine in Vita S. Cyrilli.

Chronica magistrorum generalium ordinis S. Dominici hæc habent : *Venerabilis autem abbas Joachim Florensis ordinis institutor, fratribus suis habitum, quem dictus magister Reginaldus a B. Virgine acceperat, prophetice demonstrans, in quodam monasterio sui ordinis, quod est in Calabria, depingi et etiam in Ecclesia Marci Venetiarum vermiculato emblemate fieri fecit, dicens : Cito surget in Ecclesia Dei novus ordo docentium*, etc.

Henricus de Vrimaria, in tractatu de origine ordinis eremitarum S. Augustini, adducit prophetiam Joachimi, de qua paulo superius egimus.

Robertus de Licio episcopus Aquensis Serm. 45 de Sanctis, qui est de beato Francisco : *Insuper* (ait) *abbas Joachim vir eximiæ sanctitatis, et prophetico spiritu clarens, in quodam suo libello ita dixit : Erunt duo viri, unus hinc, alius inde, qui duo ordines interpretantur; unus Italus de Thuscia, alter Hispanus de Hispania*, etc., et de Francisco subdit : *Depingi eum fecit in Ecclesia S. Marci de Venetiis cum stigmatibus super ostium sacristiæ, sicut hodierna die cernentibus patet.*

Ptolomæus de Luca in Chron. : *Tempore Lucii III floruit Joachim abbas in Calabria, doctrina et vaticinio celebris.*

Trithemius lib. II de Viris illustr. S. Ben. cap. 117.

Matthæus Palmerius in continuatione Chron. : *Joachim abbas, vir spiritu prophetico plenus, in sacrarum scientia litterarum doctus, in Calabria floret sub Urbano II.*

Pandolphus Collenutius lib. IV Histor. Neapol. agens de Henrico VI imper. qui uxorem Constantiam quinquagenariam agentem gravidam admirabatur; ut ergo Henricus gravidam illam fuisse percepit, admirans, ab abbate Joachim certus fieri studuit; qui Joachim tunc temporis florebat, et spiritus prophetici fama insigniebatur. Abbas vero Constantiam ab eodem concepisse Henricum certiorem fecit; et quod erat illi paritura infantulum, cujus omnes vitæ eventus, et qualiter Henricus ipse post pauca in agro Malearum prope Messanam erat moriturus, prædixit, etc.

Joannes Nicolaus Doglion 3 parte Compendii Hist. universalis : *Joachimus abbas*, ait, *ambobus regibus* (id est, Philippo Galliæ, et Richardo Angliæ) *inutilem illorum fore progressum prædixit; eo quod non erat ultra tempus sanctam recuperare civitatem : quandoquidem rei probavit eventus.*

Paulus Æmilius in histor. Carbonensis monasterii de Henrico imper. VI agens ait : *Præscio venturorum a Joachimo abbate facto*, etc.

Petrus Rodulphus in histor. Seraphica dum de effigie sancti Francisci agit, sic ait : *Ante Sancti hujus exortum, abbas Joachimus Florensis vir sanctitatis eximiæ et spiritu prophetiæ conspicuus, in æde D. Marci Venetiis*, etc., quæ adhuc hodie visitur in fornice templi; quod et poeta quidam ingeniosus his versibus expressit :

> Atque priùs fuerat quam mundo exortus in æde,
> Quæ Marci titulo nulli toto orbe secunda est,
> Exstat apud Venetos longis expressus ab annis.

Subditque : *Fuit abbas Joachimus vir excellentissimi ac prope divini ingenii; qui glossavit Apocalypsim, ubi multa prædixit de ordine Mendicantium, quorum veritatem rei declaravit eventus.*

Arnoldus Wion 2 part. Ligni vitæ lib. v, cap. 89, ramo 9, multa congerit in laudem spiritus prophetici quo Joachimus floruit, citatque pro eodem Leandrum Bononiensem in ejus Vita : asserit etiam

victoriam navalem de Turcis ad Echynadas Insulas reportatam, duce serenissimo D. Joanne Austriaco, anno salutis 1571, ante quadringentos fere annos prævisam et pronuntiatam a Joachimo, ut ex libris ejus in Apocalypsim optime intellexerunt auctores Triumphi Ecclesiæ catholicæ.

Gabriel Barrius in Vita ipsius Joachimi, quæ incipit : *Fuit Joannes Joachimus abbas*, etc., ubi recensitis ejus libris, subdit : *In quibus eum spiritum prophetiæ habuisse manifestum est; pleraque enim est vaticinatus, e quibus multa adimpleta sunt, cætera adimplenda supersunt. Nam et Græciam ob perfidiam in Romanam Ecclesiam gentibus dandam, et Prædicatorum ac Minorum ordinum initiatores mox futuros, quin etiam in januis Ecclesiæ prædixit.* Et multa in hunc finem prosequitur. Sed vero Græciæ a Saracenis subjugandæ vaticinium exstat in Commentariis Hieremiæ ad cap. 1 et ad cap. 48 perspicuis verbis.

Sylvester Meucius in proœmio ad Commentaria Apocalypsis, Joachimum multis effert laudibus ob spiritum prophetiæ quo polluit.

Paschalinus Regiselinus in epistola dedicatoria ad prophetias beati Joachimi : *Norunt omnes*, ait, *quidquid in suis dictis Abbas involvit, eventus suos ad unguem sortitum fuisse.*

Mitto alios multos, ut eruditissimum nostri sæculi theologum, egregiumque verbi Dei concionatorem, ac publicum apud Salmanticenses theologiæ professorem Angelum Manrique in Laurea Evangelica, Barnabam de Montalbo in Chron. Cistercien. et Jacobum Græcum Syllaneum in Chron. ordinis Florensis, et alios qui pro Joachimo egregie decertarunt; nec desunt illustres poetæ ejusdem sententiæ asserentes. Nam Dantes 3 p. de Paradiso, inquit,

Rabano e quivi, e lucemi dal lato,
Il Calabrese Abbate Joachimo,
De spiritu profhetico dotato.

Cui Philippus Phasianus succinit imparibus in ejus laudem editis, quæ refert Græcus.

Auctor etiam epitaphii ejus sepulcro affixi, inter alia hæc ait :

Nam tum dicta Patrum novit, qui nube fuerunt
Protecti, et scivit, quæ peragenda forent.
Veridicus vates prædixit, multa fuerunt
Completa, ut monstrat lumine facta dies.

Addam pro coronide Seraphinum Firmanum canonicum regularem Lateranensem, quod eum R. P. Pennottus miris efferat laudibus lib. III, cap. 29, num. 5, vocetque eum *venerandum, sanctissimumque canonicum, ac verbi Dei præconem fervidissimum, qui sancta prædicatione suum sæculum illustravit, cujus verba* (ait) *erant quasi ignis ardens, et quasi malleus conterens petras; cujus potissimum consilio et suasione duæ clericorum regularium congregationes fuerunt institutæ, altera S. Pauli Decollati Mediolani, altera sacerdotum Boni Jesu Ravennæ, qui post varios labores pro Dei gloria et salute animarum exantlatos, variosque libellos igne divini amoris plenos ad spiritualem ædificationem utilissimos editos, Bononiæ obiit*, etc. Hæc cum ex ore ejus vera sint, mirum erit si tanti viri judicium suo Pennottus non prætulisset. Sed quid? Hic igitur in Commentariis ad cap. IX, Apocal. (cujus operis meminit ipse lib. III, cap. 55, num. 6), hæc habet de Joachimo : *Nollem expositionem istam in hoc capite, meo esse Marti attribuendam, et ideo minus creditam. Legatur igitur quidquid circa hæc scribunt Joachimus, et Ubertinus cum aliis, et cuncta clarescunt; nam quidquid illi prophetarunt, nos completum esse conspicimus.*

En tibi (lector candide) supra 20 testes, quos quatuor, aut quinque a Pennotto ad adversam partem adductis opponimus : inter quos non solum est notissima differentia penes numerum, sed penes notitiam ejus quod testantur; nostri siquidem oculati (ut sic dixerim) sunt, id enim scribunt, quod suismet oculis in libris Joachimi legerunt, et re ipsa adimpletum viderunt; testes vero adversæ partis oculati esse nequeunt, cum id ascribant Joachimo, quod numquam scripsit. Nam Vincentius Belvac. quem S. Antoninus transcribit (proinde ex auditu est) eo Joachimum taxat, quod diem mundi extremum intra duas generationes, id est, 60 annos terminandum fore prædixerit, et tamen nullibi hoc dixit affirmando, sed dubitando, ut videre est in calce Concordiæ, ubi de re hac ex professo edisserit. Mirum vero esse non debet, si abbas sanctus de proximo Christi judicio subdubitanter aliquid scripsit, cum alii sanctorum Patrum brevem eidem terminum perperam præfixerint, ut de S. Norberto Præmonstratensium canonicorum auctore refert Bernardus epist. 56 qui id ab ejus ore acceperat. Stant nihilominus pro nobis Vincentius et Antoninus, dum fidem præbent nonnullis Joachimi prædictionibus, ei nimirum qua regibus Angliæ et Galliæ nondum adesse tempus recuperationis terræ Sanctæ prædixit, et aliis.

Cardinalis Bellarminus, qui secundo loco adducitur, nihil affirmat, sed aliis judicium reliquit, ut verba ejus manifestant, lib. de Script. Eccles. in Joachimo. Quod vero cardinalis Baronius, tom. XII Anna., ann. 1164, scribit Joachimum Petro Lombardo adversantem in concilio Lateranensi fuisse damnatum, improprie dictum quis non videt? non enim persona abbatis, sed libellus de Trinitatis unitate et essentia ab eo editus, reprobatur. En verba concilii cap. 2 : *Damnamus ergo et reprobamus libellum, seu tractatum, quem abbas Joachim edidit contra magistrum Petrum Lombardum, de unitate seu essentia Trinitatis;* utpote quod in eo asserebatur S. Trinitatis unitas non esse realis et individua, sed similitudinaria, non aliter atque plures homines dicuntur unus populus. Subticuit autem Pennottus personæ Joachimi excusationem, quam concilium subjungit, inquiens : *In nullo tamen propter hoc Florensi monasterio, cujus ipse Joachim extitit institutor, volumus derogari, quorum ibi et regularis est institutio, et observantia salutaris, maxime cum ipse Joachim omnia scripta sua nobis assignari mandaverit, apostolicæ Sedis judicio approbanda, seu etiam*

corrigenda; dictans epistolam, quam sua propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, etc. Epistola autem ipsa exstat typis excusa cum commentariis in Apocalypsim, cujus initium, *Universis quibus litteræ istæ*, etc. finis vero, *Hoc scriptum feci ego abbas Joachim, et propria manu roboravi, anno Dominicæ Incarnationis* 1200 *et sic me tenere confiteor sicut in eo continetur. Ego Fr. Joachim abbas Floris.* Annectuntur eidem litteræ apostolicæ Clementis papæ II ubi inter cætera inquit : *Cum igitur jubente et exhortante bonæ memoriæ Lucio papa prædecessore nostro, expositionem Apocalypsis, et opus Concordiæ inchoasse, et postmodum auctoritate Domini papæ Urbani successoris ipsius composuisse dicaris, Charitatem tuam monemus et exhortamur in Domino per apostolica scripta mandantes, quatenus laboribus tuis in hac parte peroptatum et debitum finem imponens (gratia Domini prosequenti) ad utilitatem proximorum opus illud complere, et diligenter studeas emendare : veniensque ad nos quam citius opportunitas aderit, discussioni apostolicæ Sedis et judicio te præsentes. Si enim velis in abscondito retinere, diligenti cura prospicias, qua possis summi Patrisfamilias offensam de talento tibi commisso satisfactione placare. Datum Laterani* 6 *idus Junii pontificatus nostri anno primo.* Quo videas non temere Doctoris, seu scriptoris officium sibi in Ecclesia sumpsisse Joachimum, sed trium summorum Pontificum Lucii, Urbani et Clementis hortatu ac præceptione; quod si in aliquo lapsus est, id alta Dei providentia effectum credas, nimirum ut ita suæ fragilitatis admoneretur, ne tam alte supra naturam volans, altum saperet aliquando, sed timeret.

Non defuere nihilominus qui spiritu malignitatis ducti Joachimum et ejus asseclas Florenses monachos de crimine hæresis infamarent; ut quidam Lucanensis episcopus, quem tamen Honorius III severe coercuit, datis ad illum litteris apud S. Petrum 4 non. Decemb. Pontif. ann. 1 quas referunt Jacobus Græcus in Chronologia ordinis Florensis sectione 20 et Paschalinus Regiselinus in prologo ad prophetias Joachimi. Addidit alias idem Honorius anno 5 quæ exstant tom. 3 Regest. ipsius sub numero 268 in Vaticano archivo, quas a R. P. Fr. Luca Waddingo accepi, tenoris sequentis :

Honorius episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus Cusentino archiepiscopo et episcopo Bisinianensi sal. et apost. bened. Ex parte dilectorum filiorum abbatum et conventus de ordine Floris tam capitis, quam membrorum fuit propositum coram nobis, quod is qui saluti hominum invidet, et quieti, occasione assumpta ex eo, quod libellus, quem bonæ record. Abbas Joachim contra bon. mem. magistrum Petrum Lombardum edidit, in generali, concilio fuit damnatus; contra eos nonnullos tam clericos quam laicos prælatos et subditos concitavit; qui ut ipsos ab otio contemplationis avertant, et funes extendentes in laqueum pedibus eorum, ponant scandalum juxta iter ipsis, objiciunt, exprobrando quod idem abbas, qui pater et institutor fuit ordinis eorumdem, hæreticus ab Ecclesia Dei habetur. Propter quod non solum simplices lactis participes, a consortio ejusdem ordinis avertunt, sed etiam fortes, qui uti cibo solido didicerunt, et ad discretionem boni et mali exercitatos pro consuetudine habent sensus, circa instituta ordinis ejusdem incipiunt fluctuare. Licet igitur prætactus libellus, seu tractatus damnatus fuerit in concilio memorato, quia tamen idem Joachim omnia scripta sua Romano mandavit Pontifici assignari apostolicæ Sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter est confessus se illam fidem tenere quam Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est et magistra, Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publice enuntiari, quod eum virum catholicum reputamus, sanctæ fidei orthodoxæ sectatorem; et regularem observantiam, quam instituit, salutarem : eosque qui ordini memorato ex hoc detrahere, vel insultare præsumpserint, monitione præmissa sublato appellationis obstaculo, animadversione condigna, veritate cognita, castigantes. Datum Laterani XVI *kal. Januarii pontificatus nostri ann.* 5.

Cæterum quantum ex lectura operum Joachimi conjicio, quorumdam sui ordinis monachorum astu, quos zelus imprudens urebat, apud Innocentium et concilium accusatus est, et verba libri de unitate Trinitatis, in alienum a mente Auctoris sensum distorta fuere : ut ita in pleno Patrum consessu erroris insimularetur : aut forsan aliquid suis libris dolo malo additum fuit. Ita certe ante nos suspicatus est Jacobus Græcus sect. 22 inquiens : *An vero aliquid fuisset appositum in opere illo antequam concilio præsentaretur, Dei judicio examinandum relinquatur. Nam hoc ipsum idem Joachim prædixisse videtur, in cap.* XI *Hierem. ad illa verba, Ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam.* An autem hæc vera sint, ex his quæ subjiciam, judicent lectores mei. Professus ordinem Cisterciensem Joachimus in monasterio de Curatio, quod in Calabria diœc. Marturanæ, ex filiatione Fossæ-Novæ processerat, anno circiter 1150, nihilominus Florense cœnobium exstruens, reformationem novam in ordinem Cisterciensem induxit, quæ Florensis a capite dicta est. Hinc effectum fuit, ut quorumdam Cisterciensium odium incurrerit, qui ejus vaticinia deridebant, et scripta curiose admodum scrutabantur, occasionem accusandi illum sollicite perquirentes. Crediderim eos, aut plures eorum bono animo ipsum zelasse, nec aliter inter utrosque contentionem processisse, quam olim inter Chrysostomum et Epiphanium. Ut ut sit, in libro Joachimi *De substantia seu unitate Trinitatis*, invenerunt, quo illum duro judicio Ecclesiæ supponerent; quod nimirum unitatem Trinitatis ad eum modum exponeret, quo dilectores suos unum cum Deo fieri, Christus per Joannem asseruit : seu ad eum quo tribus Juda, et

tribus Benjamin, et tribus Levi unus simul populus dictæ sunt : et quod adderet non posse cogitari simplicem divinam substantiam seorsum a personis (uti Petrus Lombardus visus est fecisse in 1 sent. dist. 3), nisi cum Sabellio et Arrio sentiendo. Detulerunt igitur causam ejusmodi ad concilium, a quo in eo sensu, quem verba ejus prætendere videbantur, liber præfatus anno Domini 1215, sententiam damnationis accepit. Sed vero Joachimus minus se defendere potuit, cum anno superiore ab Incarnat. Domini 1214, ultima Martii diem clausisset extremum, uti Jacobus Græcus aperit in ejus Chronologia, sect. 36. Nihilominus ab octodecim annis condemnationem suam perspicuis verbis prædixerat anno scilicet 1197, quo ipso commentaria in Hieremiam elaboravit, ipso teste, dum ad caput 24 dixit : *Agitur enim nunc* 1197 *annus*, etc. Prophetia vero exstat ad caput 11, et tam manifesta est, ut librum et materiam libri postea condemnandi, accusatores itidem et Romanum pontificem, qui eum condemnaturi erant, propriis exprimat nominibus. Ad illa siquidem verba : *Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius*, sic ait : *Lignum scandali ponent, ut sanam doctrinam exstinguant, et nomen doctoris cui revelabitur sententia Danielis evertant.* Is est Joachimus ipse, qui abditissimas Danielis prophetias enodavit, ad cap. XII Apoc. et alibi. *Futurum est enim, ut summus pontifex veritatem insinuet, ut unus damnetur, id est, moriatur doctor pro populo, ut non tota gens pereat in errore. Sic Sedechias contra Hieremiam insurgit; damnat librum* (quid clarius?) *scindit Trinitatem ab unitate* (en titulum libri expressum) *et scalpello scribæ sententiam doctoris*, alludit ad illud cap. XXXVI Hierem. : *Cumque legisset Judi tres pagellas vel quatuor, scidit illud volumen scalpello scribæ.* Et post pauca : *Designat summum pontificem post Cœlestinum futurum quicumque sit ille* (norunt omnes Innocentium III, qui librum damnavit, Cœlestino successisse) *a quo quia stella disparuit*, nimirum quia Joachimo mortuo, claritas sensus ejus disparuit, *spiritualis intelligentia exstinguetur in dolo, et per invidiam tradetur, et perimere cogitabit. Quod autem congregaverunt pontifices Ecclesiarum, et Pharisæi* (scilicet abbates, priores, religiosi Cisterciensis ordinis) *concilium*, forsitan generale, *totum ad illum doctorem veritatis referendum est, quem sextus describit angelus, imo sub quo in manu alterius angeli liber demonstratur veritatis apertus.* Multo hæc illustriora redduntur ex his quæ immediate subjungit, exponens namque verba illa : *Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam, et dicunt : Non prophetabis in nomine Domini, et morieris in manibus nostris. Propterea hæc dicit Dominus exercituum : Ecce ego visitabo super eos; juvenes morientur in gladio, filii eorum et filiæ morientur in fame, et reliquiæ non erunt ex eis; inducam enim malum super viros Anathoth, annum visitationis eorum;* exponens, inquam, hæc, sic inquit : *Sequitur : Ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam. A quibusdam Cisterciensium egredietur iniquitas hæc, ut doctor ille non prophetet in nomine Domini, et in eorum manibus, id est, operibus et conciliis moriatur, id est, reprobetur.* Ipsis siquidem agentibus in concilio generali damnatus est liber. *Sed quid inde sequitur?* ut verum vero consonet prædicit lamentabilem casum Cisterciensis ordinis, quem utinam nostris oculis non viderimus : *Juvenes eorum morientur gladio*, etc. *Juvenes sunt priores, filii monachi, filiæ monasteria* (quæ per filiationes distributa erant) *vel obedientiæ eorum; primi in gladio reipublicæ cadent* (id est, in manus commendatorum). *Secundi, in fame doctrinæ catholicæ, deficient; reliquiæ, potestates scilicet ordinis, in defectu regularis observantiæ. Inducam enim malum super viros Anathoth, scilicet super prælatos majores Cisterciensium, annum visitationis eorum, scilicet tribulationis immissæ.* Sed nihilominus inferius ad caput 35 Hieremiæ perpetuitatem ejusdem ordinis in nonnullis filiis ejus prædicit; nam cum præmisisset, *quod Jonadab filius Rechab præcepit vinum non bibere filiis suis, nec domos construere; sed in tabernaculis habitare, ad S. Bernardum sermo dirigitur, qui et monachis suis prædicationem et vagationem prohibuit, et eos simpliciter in monasteriis subesse præcepit..... Quod autem dicitur non deesse de semine Jonadab, qui staret semper in conspectu Domini, videtur quod Cisterciensis religio sit in finem usque sæculi processura.* Qua sane prædictione prima omnium prophetata est congregatio S. Bernardi de observantia, quæ in regnis Hispaniarum ab anno Domini 14... institutum cœpit, quæ Deo auspice S. P. Bernardi meritis pristinum ordinis splendorem sustentat; deinde observantia congregationis Italiæ, ac demum Fulliensum monachorum reformatio; quibus omnibus effectum est, ut nusquam hactenus de semine Jonadab seu melliflui Bernardi, defecerit qui stet in conspectu Domini.

Ut ergo ad superiora recurramus, sensus prophetiæ planus est : nimirum fore ut in ejus doctrina filii Anathoth, id est, Cistercienses, scandalizarentur; quod scandalum ut sedaret pontificem pronuntiaturum oportere ut unus damnaretur in libro de Trinitatis unitate, super cujus intelligentia scandalum ortum erat : eum vero pontificem non alium futurum esse, quam eum qui Cœlestino succederet. Is vero fuit Innocentius III, qui coacto generali Lateranensi concilio, in quo præter 70 archiepiscopos et 400 episcopos, affuerunt 800 abbates magna ex parte Cisterciensis ordinis, librum Joachimi de unitate Trinitatis, quibusdam corum suggerentibus, condemnavit. Ubi tamen illud notandum est, quod ait, *Damnat librum, scindit Trinitatem ab unitate, et scalpello scribæ sententiam doctoris*, scilicet scindit, nimirum quia alibi suam declarat sententiam in eodem libro : quædam siquidem habet quæ satis eum ad Catholicum sensum trahere videntur, si tamen is ille liber est, qui Psalterium decachordum

nuncupatur, alias *de unitate Trinitatis*. Quod si diversus ab eo fuit, satis ex eo vitiatus videtur, quod sententiam catholicam, data opera in Psalterio, propugnatam reliquit. Ibi siquidem, lib. I, dist. 1, inquit : *Omnes hoc una voce, una confessione fatemur : Est Deus unus sine confusione personarum ; trinus in personis sine divisione substantiæ.* Et rursus : *Hæc substantia quæ Deus est, una est, et summe una, et supra quam dici possit simplex est, et una natura : nec negamus Trinitatem in unius confessione substantiæ, sed partium scissiones, quas carnalis sibi fingit intellectus, horremus..... Tres itaque unum sunt et unum tres ; non divisi natura, ut terra, aqua et ignis ; non personarum disjunctione, ut tres homines ejusdem naturæ.* Et inferius : *Unde et simpliciter dicitur esse unus qui est veraciter trinus Deus.* Et post pauca : *Confiteamur Deum unum et summe unum ; confiteamur trinum et veraciter trinum :* et multa in hunc modum, quæ certe catholicam doctrinam continent, et cum eis stare nequit, quod crediderit non majorem esse unitatem substantiæ trium personarum, quam multorum hominum inter se, aut hominum cum Deo ; quinimmo quando his similitudinibus usus est ad explicandam unitatem Trinitatis, præmisit exempla esse dissimilia : *Quomodo*, ait, *ut non rem similem, sed dissimilem dicam, tribus Juda, et tribus Benjamin, et tribus Levi unus populus dictæ sunt ; neque enim cum dico unus populus, quartum aliquid assigno ; sed dico quod unitas est in illis tribus, et quod non sint scissæ, vel divisæ a domo David, quomodo reliquæ decem tribus.* Solum igitur exsecrabatur asserentes præter tres personas esse quartum aliquod (nimirum divinam substantiam) re ipsa ab eis distinctam ; quod forsan aliquos sui temporis theologos asserentes audivit ; nam ait : *Item quod his nequius est, nescio tria præter substantiam, nova adinventio assignare præsumpsit*, in quos exclamat : *O humana temeritas, quam cæca semper ! O inimica semper pietati præsumptio ! si sic existimasti simplicem divinam substantiam, ut seorsum a personis cogitaveris illam* (hoc est, credideris distinctam) *Sabellium sub Ario palliasti : si seorsum asubstantia tres personas, Arium sub Sabellii palliatione excusas.* Verba hæc in Petrum Lombardum dicta judicaverunt ejus æmuli, utpote qui in I, dist. 5, dixerit divinam substantiam neque genitam esse, neque procedentem, neque generantem ; Joachimus tamen eum proprio nomine non expressit ; quod si forsitan in eum invectus est, in eum sensum verba ejus accepit, quasi voluerit substantiam divinam non esse eam rem quæ est genita, aut generans, aut procedens ; quod erroneum esset asserere : cum tamen in sensu formali verba magistri accipienda sint. Sed de his aliorum esto judicium, mihi sat sit intentionem Joachimi sanam fuisse, et super hac suammet afflictionem et damnationem prædixisse.

Atque hæc in gratiam Baronii dicta sint, adducti a Pennotto in condemnationem Joachimi. Sed vero Alphonsus de Castro doctus alioquin vir, manifeste A oculatus testis esse nequit, cum errorem quemdam abbati sancto impingat (nimirum apostolos non prædicasse Evangelium juxta spiritualem intelligentiam, sed tantum secundum litteram) et tamen asserat, eum se in illis operibus non reperisse, sed ita a Guidone carmelita de eo notari : *Quare fidamus*, ait, *in hac parte Guidoni.* Non satis demiror tanti viri judicium. Ergone tam leve negotium agebatur, tam nihili ducenda erat catholici hominis fama, ut in re quæ in scriptis non constabat, fidendum potius esset uni, quem unde id sciret nesciebat, quam honori innocentis? Cæterum dubium mihi non est, perperam intellexisse Guidonem tres illos mundi status quos abbas sanctus sæpe in suis scriptis inculcat, quorum primus ab Adam usque ad Christum B extenditur, secundus a Christo usque ad tempora S. P. Benedicti, tertius ab eo usque ad finem mundi ; et in primo vixisse homines secundum carnem ; in secundo partim in carne, partim in spiritu ; in tertio secundum solum spiritum. De his præcipue agit cap. 5. introduct. in Apocal., et ex professo lib. II Concordiæ, tract. 1, a capite 5 et deinceps. Ex quo inferri videbatur usque ad S. Benedictum non vixisse homines pure secundum spiritum ; quasi is primus spiritualis intelligentiæ Evangelii prædicator fuerit, et non apostoli. At vero si auctores præfati attente legerent Joachimi scripta, non incidissent in tam manifestam ignorantiam : longe et enim aliud intendit, ut ipse se explicat, tum alibi, tum præcipue lib. IV Concord. cap. 3, nimirum *in primo* C *statu præcessisse solum significantia*, quia omnia in figura futurorum contingebant illis : *in secundo successive significantia, et significata :* quæ enim scripta sunt in novo Testamento, significata sunt per res prioris ; significaruntque alia deinceps futura in sensu spirituali : *in tertio denique amotis significantibus secuta esse tantummodo significata :* nihil siquidem eorum quæ tunc accidunt, vel accident, desumi potest tamquam figura alicujus rei futuræ. Et hoc innuitur cum dicitur, in primo totum esse carnem, id est, figuram, seu spiritum futurorum : in tertio nihil esse quod figura sit, sed omnia esse figurata, quasi spiritum præteritorum ; cum tamen in secundo utrumque simul reperiatur propter novi Testamenti excellentiam, quod ad ipsum spectat, in D quo et spiritum præteritorum, et figuram futurorum reperire licet. Quod si de eo admiraris, quod tertii status initium potius a sancto Benedicto, quam ab aliis sanctis novi Testamenti accipiat, in promptu est, quod tibi respondeam ex doctrina Concord., libro II, tractatu 1, cap. 14 usque ad 18, tres illos status non gratis dividendos, sed penes eumdem numerum generationum ; non aliter atque apud Matthæum, cap. I, status ille hominum ab Abraham usque ad Christum tribus generationum tessaradecadis, hoc est 42 generat. complectitur : quod quidem eo loci qualiter accommodandum sit, Joachimus late exponit. Quamquam et in eo verificari queat spiritualis vita tertii status, quod a S. Be

nedicto multo magis quam prius examina monachorum, apud quos spiritualis vita locum suum habet, multiplicari cœpere.

Quæ cum ita sint, nihil est quod Joachimus demereatur ut erroris passim insimuletur : aut ei reverentia sancto viro debita non exhibeatur, quandoquidem sanctitatem vitæ ipsius, Deus humilium remunerator, innumeris prope miraculis propalavit, quæ justo volumine descripsit venerab. archiepiscopus Cosentinus Lucas ejusdem Joachimi discipulus, et ex eo Jacobus Græcus, prior Florensis, libro de hac re edito, qui in archivo ejusdem cœnobii asservatur, et ipsius exemplar in Bibliotheca Aniciana collegii Gregoriani de urbe. Videat igitur noster Pennotus quantus qualifice fuerit is quem ab inferis resurrecturum sperat; et quam belle nomen Goliath sanctis viris imponatur.

§ VII. *Objectis a Pennotto contra Dextri et Maximi Chronica fit satis.*

Cum ergo opus suum videat R. P. Pennottus eisdem vinculis irretiri, quibus Chronicon nostrum vincire vult, reliquum erit, ut mitius deinceps nobiscum agat; et credat proprio edoctus periculo haud difficile in quemvis posse librum argumenta jactari; tametsi jure ne an injuria id fiat, lectorum judicio sit relinquendum. Nunc vero ad objectiones suas responsiones nostras adhibere curabimus, quo videant omnes nihil eorum auctoritatem Chronici enervare posse.

In primis quidquid de conservatione, et inventione ipsius hactenus a diversis dictum est, ex eodem principio nascitur, discreparunt siquidem inter se ex opinione vulgi, quæ pro diversitate locorum diversa esse solet, non ex vera notitia, quam ipsi haberent. Quod dico propter P. Joannem Calderon, qui ea quæ de Chronico reperto ab archiepiscopo Braccarensi scripsit, ex opinione vulgi posuit, non ex relatione P. Hieronymi de la Higuera aut P. Thomæ de Torralba, quibus inventio debetur. Neque huic opponitur quod dicitur repertum prius esse ab Euthrando, et aliquando quoddam ejus exemplum apud Sislam fuisse : utrumque siquidem verum esse probavimus in priori parte nostræ præfationis, quo lectores amando. Discrepantia codicum inde ortum habuit, quod P. Higuera cum requireretur a multis, et nequiret cunctis integrum Chronicon, quod adhuc excusum non erat, communicare, diversas pro diversitate petitionum clausulas seu abbreviationes exscripsit. Sic episcopo Tudensi, utpote Benedictino, ea solum misit, quæ ad ordinem S. P. Benedicti, aut sanctos episcopatus Tudensis pertinere videbantur, ut ipse Prudentius de Sandoval affirmat in lib. de Ecclesia Tudensi. Sic illustrissimo archiepiscopo Braccarensi professione Augustiniano, res sui archiepiscopatus et ordinis transmisit, quod affirmat Losada. Sic aliis multis pro diversitate provinciarum satisfecit; ex quibus abbreviationibus varia exempla facta fuerunt: haud dubium novis semper erratis sententia, quorum alterum procul dubio fuit episcopi Segorbiensis. M. Joannes Marquez non integro Chronico usus est, sed abbreviatione quadam : Murillus integrum exemplar nactus est ab ipso P. Higuera, quod tamen corrupte admodum Cæsaraugustæ impressum fuit, et idcirco oportuit illud ad alia applicatum corrigere, uti ego feci conferens ipsum cum exemplari Toleti exsistente in bibliotheca comitis de Mora, opera P. Higueræ ad fidem sui correctum, et collationatum; et aliud quod exstat in bibliotheca regia S. Laurentii in Excuriali, atque huic sic correcto, quod nunc profero, integram fidem adhibendam late probavi in Chronici defensione præliminari. Quod a Magdeburgensibus vitiatum asseritur, haud mihi facile persuadeo, cum nihil quod hæresim sapiat, aut errores suos quoquo modo juvare queat, in toto codice reperiatur, nisi quis velit quasdam transcriptiones, seu etiam replicationes sententiarum, quas in eo reperiri suis locis ostendimus, hæreticis illis tribuere, uti P. Higuera existimavit, eo motus quod seiret a Magdeburgensibus libros et bibliotheeas vitiatos; sed id Dextro quoque certo contigisse nesciebat. Certe si corrumpendum ab hæreticis erat Chronicon, hæreses illorum non effugeret.

Quæ in epistolam dedicatoriam Dextri Pennottus objicit, bis a nobis soluta sunt, nimirum in § 2 Apologiæ præliminaris, et in commentariis ad annum 450, ad ultima verba Chronici.

Porro S. Petronillam vere B. principis apostolorum ex matrimonio filiam fuisse, multorum testimoniis suo loco probatum a nobis est, ubi Baronii objectis satisfecimus. Neque nobis (ut Pennottus existimat) D. Aug. lib. contra Adimantum, contradicit, nam tametsi cap. illo 17 historiam de Petri filia a paralysi sanata, et de filia hortulani ad precem ipsius mortua, ex apocryphis desumi videatur asserere; non tamen asserit esse apocryphum, Petrum apostolum habuisse filiam, sed quod illa ejus precibus sana facta sit. Et nihilominus nota apocryphorum ea omnia comprehendere videtur, quæ in sacris litteris minime narrantur. Apocryphum siquidem illud dicitur, quod authenticum non est. En verba Augusti : *Hoc illi* Manichæi *magna cæcitate vituperant* (nimirum miracula divinitus facta) *cum in apocryphis pro magno legant, et illud quod de Apostolo Thoma commemoravi, et ipsius Petri filiam paralyticam sanam factam precibus patris, et hortulani filiam ad precem ipsius Petri esse mortuam : et respondent quod hæc eis expediebat, ut et illa solveretur paralysi et illa moreretur : tamen ad precem Apostoli factum esse non negant.* Hæc August. Sed non ad rem, ut vides; non enim negat tales fuisse personas, sed ea miracula esse authentica.

Magnopere etiam excidit Pennottus, cum scripsit esse contra Ecclesiæ traditionem, asserere epistolam Jacobi canonicam non a Jacobo Minore, sed Majore fuisse conscriptam, eo quod in officio Minoris legatur in primo nocturno Breviarii Romani. Sane hac in re eximius Theologus manifeste ignorare convincitur, quid requiratur ut aliquid habeatur ex traditione Ecclesiastica, cum constet historias san-

ctorum, quæ in Breviario leguntur, non gaudere inevitabili certitudine; præterquam quod epistola illa legi possit eo die per accommodationem nominis Jacobi : et correctoribus Breviarii satis fuisse S. Hieronymum Jacobo Minori eam tribuere lib. de Script. Eccl., et Pennottus ipse lectiones S. Herculani approbatas a S. congregatione illustriss. card. sacr. rituum non vult recipere, quod in eis dicatur fuisse professione Benedictinus. Cæterum tam distat a traditione Ecclesiæ, quod epistola ipsa sit Jacobi Minoris, quod in Commentariis nostris ostenderimus ex traditione totius Ecclesiæ Hispanæ et Syræ, et ex re ipsa fuisse opus Majoris, et totius novi Testamenti primam scripturam. Relege quæ ibi diximus ad annum 37, num. 6 et 7, et quanta gaudeat probabilitate sententia Dextri videbis. Gravius excessit Pennottus, dum id quod asserit Dexter, duodecim tribus, quibus Jacobus misit epistolam, fuisse intra Hispaniam, esse commentum, et aperte contra sacram Scripturam lib. IV Reg. Hoc si esset, hæreticum esse nemo negaret : verum an ipse librum illum legerit aut intellexerit, ex his quæ late scripsimus prædicto loco num. 5, cunctis facile patebit; quæ ne actum agere videamur in præsenti non repetimus. Acrem nihilominus censuram amico libenter condonamus : et illam etiam, qua contra historiam evangelicam Joan. XI esse dicit, Judæos Hierosolymitanos, litteris datis, Hispanos Judæos super Christi morte consuluisse. Qua de re fuse egimus ad annum Dom. 35, comment. 2, n. 1, et ad an. 37, comment. 3, n. 1. Ex quibus planum fiet quis rectius Evangelium intellexerit : satisque frigide oppositum in verbis Joannis XI fundari.

Deus bone, quam falso calumniatur Dextrum! Probavimus ad annum 38 Saulum in Paulum conversum anno Christi 36 (die 25 Januarii) id est, secundo ab Ascensione Domini anno, uti Ecclesia Romana in suo martyrologio profitetur : et cum eo Baronius in notis ad eam diem. Cum autem Paulus ipse profiteatur post annos tres venisse Hierosolymam, necessum est ut is ejus adventus inciderit in annum Domini 38 quod Dexter asserit; nam totus 36 numerandus est, cum conversio Pauli in initio illius acciderit, id est 25 Januarii. Non igitur Dexter vult Paulum post conversionem, id est, statim ac conversus est, venisse Hierosolymam, ut putat Pennottus ex suo capite; sed quod anno Domini 38 post conversionem, id est, jam conversus venit, nimirum non ante conversionem, sed anno Domini 38 qui scilicet tertius ab ea fuit. At unde accepit Pennottus Paulum non ante 38 Domini conversum fuisse? et non ante 41 ascendisse Hierosolymam? Id Dexter minime asserit, nec quidquam probabili saltem conjectura.

Non est verum Dextrum asserere, quod pontificatus Lini pervenit ad annum Domini 86; illorum enim verborum : *Anno Christi* 86. *per idem tempus S. Anacletus, vel Cletus successerat Lino;* non est sensus, quod eo ipso anno successit; cum potius dicat *successerat*, quo sane ante ipsum annum 86 successisse manifestat; sed annum in specie non promit : quamquam certum sit in hoc etiam sicut in cæteris secutum fuisse Chronicon Eusebii, qui usque ad annum 72 producit Lini episcopatum. Quod si ab his dissentiunt recentiores, parum interest, cum Dexter eos audire nequiverit, sed solum vetustiores, quos in re adeo ancipiti et antiqua omnes sequi deberent.

Hoc ut minimum delere ex suis notis Pennottus debuerat, utpote prius a me admonitus de errore : quod enim hoc loco Dexter asserit, venisse scilicet Romam Polycarpum sub Aniceto, tam verum est, ut id affirmaverint posteriores inter priscos Doctores, quibus tutum non erit reluctari, id est, Irenæus lib. III contra hær. cap. 3, Hieronymus lib. de Script. Eccles. in Polycarpo, et Eusebius in Chron. anno Domini 156. Hucusque alii modernorum subscripsere. Dedimus eorum verba in Comment. ad hunc ipsum annum.

Immo ob id potius Higinius ad Leronem relegatus est, quod insula esset serpentibus plena, ut certius moreretur : et idcirco forsan dolebat Ambrosius ad Valentinianum scribens, exsilium senis. Vide quæ hac de re diximus ad annum 384.

Illud vero quod de S. Paulino objicit, quam sit abs re, exposuimus data opera in superioribus ad annum ipsum 396, tametsi nomen Pennotti honoris gratia, et loci subticuerimus, quod eo temporis Tripartitam suam nondum ediderat, illic lector nodum solutum reperiet, et objecta falso niti fundamento.

Recte quidem id objiceretur, si codex excusus, quo Pennottus usus fuit, vitiatus non esset; ipsum tamen oportuit emendare ex aliis correctioribus; in sententia siquidem illa, *sub Paciano Barcinonensi episcopo nascitur Paulus Orosius*, etc. non sunt anni Domini 384, sed 370, ut suo loco videri potest. Quo dato ruit objectio, nam anno 400 quo missus dicitur ab episcopis Hispanis ad Africanos erat ætatis 30 et quidem juvenis, quamtumvis presbyter; sic enim vocatur ab Augustino ad quem præcipue mittebatur. De legatione ipsa multis egimus ad annum 400.

Quod de duplici Leporio dicitur, parum constare probavimus in comment. ad an. 406, ubi Pennotto suppresso nomine respondimus, qui tamen inde præcipue movetur, ne videlicet reperiretur discipulus aliquis Augustini ad hæresim declinasse. Sed hoc leve admodum est; nec minuit tanti pastoris gloriam una morbida ovis, sicut nec Christi magisterium unus Judas, eo præsertim quod postmodum Leporius iste opera ipsius Augustini scribitur ad bonam mentem redactus. Porro præfato loco ostendimus, testimonio Appiani Alexandrini et Ambrosii Moralis reperiri Uticam in Hispania, ejusdem prorsus nominis cum Africana.

Demum quod ultimo loco objicit in Dextri Chronicon de anno, quo ab ipso absolutum fuit, bis in superioribus solvimus, id est, § 2 Apologiæ præliminaris, et in comm. ad ultima Chronici verba. Ibi lector quidquid desiderabit, ut reor, inveniet.

Quæ vero in M. Maximum meditatus est Pennottus hanc habent solutionem. Quid si textus ipse vitiatus

est, et pro *seniore* habet *juniorem?* Certe in auctore A vetustissimo mirandum id non esset. Sed credo ibi nullum irrepsisse mendum: is enim qui tempore Dextri Junior erat Isidorus, respectu vetustioris, postea tempore M. Maximi, qui post 200 floruit annos, senior vocabatur, habito scilicet respectu ad S. Isidorum Hispalensem, qui tunc magni ab omnibus habebatur. Quare quem ille juniorem necessario vocavit, quod alium juniorem non cognovit, hic seniorem nuncupavit, cum recentiorem agnoverit. Quod vero librum Allegoriarum dicatum scribat Dexter Paulo Orosio Tarraconensi, Maximus vero assertum asserat Orosio episcopo Legionensi, contraria non sunt; sed Maximus exponit id quod Dexter minus explicaverat, nequis credat librum illum Paulo Orosio discipulo Augustini dicatum; sed alteri ejusdem nominis et B patriæ, qui tamen ad Legionensem sedem fuit evectus, alios siquidem eo nomine insignitos fuisse liquet testimonio Dextri ad ann. 365 et M. Maximi ad an. 602.

Manuscripti codices omnes habent Dextrum obiisse anno Domini 444 non 439, et ipse Cæsaraugustanus excusus manu ipsius recensentis correctus vulgo venit.

Recte quidem ait Maximus Paulum Orosium obiisse centenario majorem anno Christi 471, cum natus fuerit 370, ut correctiores codices habent, de quo in responsione ad 11 objectum adversum Dextrum, satis diximus.

Suspecta quoque mihi vox illa est, sed ab Augustinianis eremitis additam non credo, sed ab Euthrando, aut ab alio antiquo scholiaste, seu annotatore; C qua de re satis diximus in comment. ad ann. 429 n. 3, nec omnino vox ipsa a vetusto modo loquendi scriptorum abhorret, cum Zacharias Romanus Pontifex, qui non longe a M. Maximo vixit, ordinem S. Benedicti nominaverit in privilegio a se concesso Vener. cœnobio Montis-Cassini, cujus verba eo loci dedimus.

Hoc loco facile Pennottus miratur, cum idipsum quod Maximus de S. Fulgentio Ruspensi scribit, alii quoque auctores fateantur, ut videre est apud Equilinum lib. II, c. 52, Joan. Marietam de Sanctis Hispaniæ, et alios.

De voce illa, *ordinis S. Benedicti*, dixi modo num. 4; Pennottus vero infensus Benedictinis, quod inter D utrosque super ordinum antiquitate acriter decertatum sit, immerito et gratis deprimit ordinis S. Benedicti antiquitatem, et fundationes monasteriorum in Hispania, quas usque ad annum Domini 646 violenter suspendit; quod tamen non probans, proprio marte loqui convincitur, et saltem in hac causa, cujus pars formalis est, utpote vehementer suspectus, audiendus non est. Sed quid si S. Vincentius Legionensis circa annum Domini 544 Italiam contendens, habitum de manu S. P. Benedicti induit, qui auctore ipso Pennotto ab anno 525 monachos congregare cœperat, inde in patriam remeavit, ubi anno 546 sub Richillane rege Suevo hæretico martyrium passus est? Similes patitur defectus id quod 7 loco objicit de habitu monastico sancti Turibii Romæ accepto: ipsi namque probare incumbit, quod producit, quod dum non facit, infructuose laborat.

Quid si hac in re dormitavit Maximus? nam de tempore mortis clarissimorum virorum sæpissime dubitatum est, ut Augustini, Hieronymi, et aliorum: et aliquando bonus dormitat Homerus: solis quidem sacris auctoribus datum cœlitus est, nusquam labi.

Scrupulose admodum abnuit culicem deglutire, qui in rebus suis camelum devorare non renuit. Erat Athanagildus quidem Arianorum fæce infectus, sed sanctitatem monachorum reverebatur; ea est enim sanctitatis vis, ut a paganis quoque et orthodoxæ fidei adversariis extorqueat amorem et reverentiam. Sed vero Athanagildus non ita errori suo adhærebat, ut dubius forsan de religione multum non adhæreret catholicæ: quin immo interius catholicis consentire dicebatur. Nec mirum cum monachorum monasteria ædificaret aut restauraret, ut Syslam restaurasse dicitur. De nomine autem ejus cœnobii non multum curo, nam potuit in honorem multorum simul sanctorum ædificari, quod in aliis videmus; aut alterum nomen, cum ædificatum est, alterum in reædificatione sortiri potuit.

En camelum quem deglutire Pennottus non renuit. Ecclesiam S. Mariæ de Pilari ab apostolicis temporibus usque ad præsens, sine interpellatione fuisse canonicorum regularium, quam tamen constat ad regulares transiisse anno Domini 1141 beneficio Innocentii PP. II, cujus super ea re apostolicæ litteræ eo anno expeditæ, qui sui pontificatus fuit 12, in ipsius venerandæ ecclesiæ archivo asservantur, cum aliis Eugenii III an. 1146 pontificatus an. 2, et aliis itidem Alexandri III anno 1173, pontificatus sui 12, quas ad suum favorem canonici ipsius allegant, et producunt in causa super præcedentia quam cum aliis cathedralibus Aragoniæ tractant; easque refert Augustinus Morlanes in allegatione pro ecclesia de Pilari parte 2, num. 383. Cæterum quod dicit in Chron. Maximus multos dies ipsum egisse sub regula S. Benedicti in æde S. Mariæ de Columna, et quod prope erat Monasterium suum constitutum, eo solum tendit, ut innuat, cum primum Benedictini Cæsaraugustam adventarunt ædem incoluisse præfatæ ecclesiæ contiguam, seu vicinam, unde adeuntes rem sacram coram imagine B. Dei Genitricis quotidie faciebant: quousque illis ædificatum fuit cœnobium ad *Masas Sanctas*; quod brevi tempore fieri potuit; et nihilominus dici vere postmodum quivit, quod antea prope ecclesiam de Pilari erat monasterium monachorum S. Benedicti. Quid enim est aliud monasterium quam domus a monachis habitata? sed et hoc quotidie videmus in monachis reformatis, qui primum e domo satis vulgari monasterium constituunt, sola clausura et campanula ad portam addita: e qua plerumque ad novum ædificium brevi transeunt, *veteris monasterii* nomine domui priori relicto.

Hinc potius robur accipit sententia card. Bellar-

mini, quæ canonicis ipsis regularibus placet, id est, Simoni Uverlino præposito Sanctæ Mariæ in Diessen, quem sequitur Bernardus Vindingus, non enim regula scripta, sed viva voce, et exemplo monachos seu canonicos suos Doctor sanctissimus edocuit : ut cæteris prisco tempore Patribus moris fuit. Aut dent nobis apud ipsum Augustinum, aut Possidium in catalogis operum ejus studiosissime elaboratis, vel levem regulæ scriptæ mentionem : quod argumentum evidenter convincit Augustinum nullam scripsisse regulam discipulis suis : saltem ex sententia Pennotti, ut supra notavimus §. 4, n. 5 hujus apologicæ responsionis; et inde est quod D. Ildefonsus, ac cæteri, qui de Donato agunt (M. Maximum excipio) regulæ Augustinianæ a se in Hispanias inductæ non meminerint. Maximus vero nomine regulæ S. Augustini non quidem scripturam aliquam intelligit, sed modum, normamque vivendi viva voce ab Augustino suis traditam, quæ sane pro temporis fervore, rigorosa admodum esse credenda est : et ideirco mitigari postmodum potuit a S. Donato, ut frigidiori regioni, qualis est Hispania, respectu Africæ, adaptaretur. Regula vero quæ nunc præ manibus est, ex epistola 109 extracta videtur, in qua variato sexu continetur ad verbum ; estque quædam instructio vitæ sanctimonialium, quam illis occasione sumpta a controversia, quam cum præposita habebant, præfigere studuit; unde nihil in ea de presbyteris, clericis, aut prædicatoribus agitur; et si de uno presbytero mentio fit, is ipse convincit regulam feminis fuisse conscriptam; nam præcipitur plus obediendum esse presbytero, qui omnium curam gerit, quam præposito : quod in viris locum non habet; cum præposito præ omnibus obediendum sit : bene autem in feminis, quibus unus præficitur presbyter, præ regulari præposito obediendus. Aut monstrent quis unquam fuit ille presbyter canonicis aut eremitis supra regularem præpositum eis datus? Quod si quem finxerint, ostendant unde id promant, nam sine auctore audiendi non sunt. Hinc est quod regula ex epistola confecta mitissima sit, utpote feminis fragilibus data; et forsan quæ non continebat universam regularium actionum institutionem, nimirum epistolari tractationi minus accommodam. Quod additur de Servitano monasterio facile solvitur, si dicamus duo fuisse ejusdem nominis tunc temporis in Hispania, alterum ad præscriptum D. Augustini, alterum sub regula D. Benedicti militans; nec mirum, cum ævo illo usitatissimo vocabulo universi monachi *Servi Dei* nuncuparentur. Nisi mavis cœnobium a S. Donato fundatum anno Domini 575 post aliquot annos regulæ S. Benedicti se subdidisse, sub qua reperitur abbas Servitanus anno Christi 590, quod satis verisimile est, cum olim nemo ex monachis diversitatem ordinum affectaret, sed perfectionis facilius invenire viam.

Quantum dissimulat antiquitatis notitiam, ut inusitatum sibi videatur monachos ad clericatum e monasterio abduci, etiam violenter solitos. Scio Pennottum id non ignorare, qui sæpe in Tripartita sua, adductis etiam sacris canonibus in medium idem inculcat. Ergo M. Maximum e monasterio ad archidiaconatum Cæsaraugustanum, indeque ad ipsam cathedram abduci, nemo mirari potest.

Quid si identidem scriberent scriptores classici? Certe S. Isidorus id habet in Chronico, quod Lucas Tudensis, jussu Berengariæ reginæ recensuit; et ipse Tudensis (seu Tuditanus, ut Pennottus vocat) cui etiam multum pro meritis defert, eidem subscribit, et quod caput est, D. Ildefonsus in continuatione Isidoriani Chronici. Anno igitur Domini 606 Machometus pseudopropheta in Hispanias irruit, commercii et prædicationis prætextu; sed inde Isidori Hispalensis opera cum verecundia ejectus est, qua de re, Deo dante, dicemus in Comment. ad M. Maximum, quos propediem paramus. Atque hæc quidem pro defensione ipsius pro nunc sufficiant.

Contra Eutrandum nihil affertur, quod nos premat; quandoquidem non asserimus Antipodosim suam ipsum adhuc diaconum elaborasse, nec in exsilio : nihil horum in epistola continuationis ejus deducitur. Cum vero asserit produxisse Antipodosim usque ad æram 963, æram cum anno confundit, uti multos suorum temporum fecisse erudite notavit Ambrosius Morales in suis Antiquitatibus Hispaniæ. Porro Bonisus Toletanus antistes, cujus Eutrandus subdiaconus fuit, non est ejus nominis primus, qui anno Domini 863 electus fuit, sed tertius electus Toleti anno 946, quod expresse notavit Julianus in Chron. eo anno, inquiens: *Electus erat autem Bonisus tertius ; sub hoc fuit subdiaconus Eutrandus, vel Luitprandus Ticinensis, historiarum scriptor haud ignobilis, et pariter poeta excellens.* Ejus vero Chronicon non potuit Calderon cudere, utpote ad cujus manus non pervenerat, sed epistola nuda; nec enim P. Hieronymus de la Higuera Morillo Eutrandum communicaverat, a quo P. Calderon Dextrum et Maximum accepit, non quia spuria judicarentur ab illo, sed quia tædio plenum erat tot exempla manu sua exarare, quot a diversis amicis seu doctis viris quotidie ab eo exigebantur. Frusta varia communicavit multis pro cujusvis indigentia : uti Sandovalio episcopo Tudensi, Gasparo Machado, et aliis; Patri vero Gabrieli Vasquez epistolam Eutrandi dedit, quod multum ad favorem Elipandi Toletani archiepiscopi conduceret in quæstione de Filiatione Christi ad 3. p. D. Thomæ tom. I, unde, ut credo, eam quidam sumpsere ad favorem Chronici Dextri.

Reliquum est, ut verbis Bernardi mei finem imponam huic tractatui, quibus ipse apologeticam epistolam ad abbatem de Præmonstrato scriptam clausit: quæ inter suas est 252 : *Cum hæc ita se habeant, non est quod de nobis queri debeatis, cum justius nos de vobis, ut apparet, queri possimus. Reliquum est, ut diligentes vos diligatis, præsertim solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Ego autem* (Pater) *quidquid faciatis, decrevi semper diligere vos, etiam non dilectus* (*Ephes.* IV). *Occasiones quærat, qui vult*

recedere ab amico; mihi studii est et erit, nec cuiquam amicorum justam in me discessionis causam dare, nec scrutari in alio, quod hoc quidem fictæ, illud vero neglectæ amicitiæ sit. Et quia secundum prophetam (Isai. XLI), *Glutino bonum est; solvere, vel potius abrumpere* A *vos poteritis, sed non me. Adhærebo vobis etsi nolitis; adhærebo etsi nolim ipse :* quandoquidem *si insipiens fui, vos me coegistis,* cujus scilicet maceriam etiam admoniti abrumpere conati estis.

PAULUS OROSIUS,

HISPANUS PRESBYTER.

EPISTOLA DEDICATORIA SIG. HAVERCAMPI.

Excellentissimo viro NICOLAO GRIIS, *serenissimo regis Daniæ, Norvegiæ, etc., a consiliis status, ut et in suprema curia justitiæ, ejusdemque Majestatis ad ordines Fœderati Belgii ablegato extraordinario,* SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

Cum olim imperium Romanum, prouti solent effeta corpora, præ senio fatisceret, et, veluti magnæ substructionum moles, curie et tempestatibus læsæ, ruinam meditaretur, non eo superbus victo quondam Orbe populus, quo oportuit, flexit lumina, sed quam sibi et votis et titulis Æternam finxerat Urbem, immutatis pristinis sacris, ira deorum perire et antiquæ gloriæ superesse credidit. Novæ religionis contagia non modo passim omnes inficere provincias, sed et veterem et novam implere Romam criminabatur : claudi cum templis deorum benevolentiam, cessare cum sacrificiis et aruspicinis præmonitiones numinum, neque evitari posse pericula illisve occurri; quoniam negligerentur, quibus de iisdem majores sui moneri solebant, præsagia. Hic, qui inter paganos audiebatur, inconditus sermo in convicia erupit atrocius, postquam illa Orbis olim domitrix, Italiæ adhuc atque imperii Occidentalis domina, capta atque direpta a Gothis Roma est. Hanc imperii cladem, has Orbis calamitates nomini Christiano imputabat veteri superstitione tactum vulgus, et fremebant palam omnes pagani, mala cuncta, velut agmine facto, irruisse in terras imperii Romani, ex quo, abolitis veteribus sacris et deorum contempto numine, solum Christi nomen publice coleretur.

Contra hanc insanam et cæca religione dignam opinionem, hortatu præstantissimi Hipponensis episcopi Augustini, calamum strinxit Orosius, Hispanus natione, conditione presbyter; non ut evinceret stultitiam tot numinum colendorum, et vanitatem ostenderet adorandi mortuos et inania nomina; vel ipsam religionum increparet turpitudinem; quod fecerant multi ante illum; sed ut ostenderet, nequaquam pejorem Orbis terrarum, vigente in eodem publico veri Dei cultu atque recepta religione Christiana, esse conditionem, quam semper et passim atque ab initio fuerat. Introiisse enim mox post conditum hoc Universum, cum peccato primi hominis omnia in mundum mala, bella, rapinas, cædes, calamitates cujuscumque generis, et quidquid superbus victor, vel inclementia cœli, tellusve fruges negans, diræ pestes, incendia, ruinæ et eluvies aquarum, miseros et mortales perpeti cogunt. Quin et ipsam Romam iis, quibus numerabatur dies triumphis, temporibus, vix a malis, quæ magno passim recenset numero, quoquam tempore respirasse.

Totum hinc scriptionis genus, quod sibi proposuit Orosius, in multiplici atque varia versatur Historia, dum, a condito Orbe, per tria, quibus pressus orbis terrarum fuit, regna vagatus, Romani imperii limites, fata et tempora metitur, quæ quibusque consulibus et in quibus provinciis imperii, immo in ipsa olim Roma acciderint mira, miseranda, turpia, et nisi fide digni asserant historici, incredibilia; ut immerito quisquam præsentia tum culparet tempora, nisi qui vetera nesciret, atque in lectione scriptorum qui illa, quæ suis acciderant temporibus, diligenter litteris mandarunt, penitus exsisteret hospes.

Quare si extra belli pericula posito non insuave est certamina cernere ambigua, et ita, quibus ipse careas malis, gaudere; non potest non jucunda esse rerum, quæ vario eventu, magnis certaminibus, totisque viribus a claris hominibus gesta sunt, recordatio. Ad quas veluti in tabula inspiciendas introducere nos solent historici, quorum quotusquisque majori vel condimento sermonis vel varietate rerum animos detinet, laudari atque appeti solet; inter quos secundo in genere consistere Orosium nemo diffitebitur, dum totius Orbis ab initio ad sua usque tempora clades et miserias succincte describit atque per tempora apte disponit.

Quæ me imprimis causa impulit, excellentissime et generosissime vir, ut hujus tam utilis scriptoris novam editionem tuo lubens consecrem nomini. Nam, licet in omni scriptorum genere, quæ paucæ supersunt a negotioso munere, vacuas colloces horas, tamen sæpe affirmantem audivi, in nullis majori cum voluptate ponere, quam in veteribus historicis. Itaque his, inter reliquos selectissimos ex omni studiorum voluptate libros, selecta cura congestos, merito præ cæteris tua splendet bibliotheca. Non tamen ut solo ornatu placeat, et laudatorum ad sese trahat oculos, sed ut domini et amicorum pateat usibus; his quidem varia de causa, illi, ut monita colligat et præcepta, in splendido quod gerit munere, veterum cum novis collatione facta, usui futura; optimi

enim consultores mortui; præterea, ut, ubi fessus a curis requiem captat animus, quærat potissimum eam, non in inani aurium oculorumve voluptate, sed in solida præstantium exemplorum atque ingeniorum admiratione.

Inter illos igitur, qui vivos docere solent, mortuos, Orosio nostro locum ut des rogo, jam a sæculo et quod excurrit, ab exteriori ornatu et typorum, qua hodie præstat veterum auctorum felicitas, nitore male habito, neque sedula satis cura ab residuis mendis purgato. Eum nos pro ingenii captu, et ductu vetustissimarum membranarum, a capite ad calcem, cum cura recensuimus, neque de externo habitu ut puderet, quantum a nobis fieri potuit, curavimus.

Lugd. Bat. kalend. Decemb. 1737.

PRÆFATIO SIG. HAVERCAMPI.

BENEVOLO LECTORI S. D. SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

Reversis litteris, inter veteres auctores, quos artis typographicæ principes et promotores primi in publicam lucem miserunt, fuit *Paulus Orosius*. Cui ea tum contigit felicitas, ut, antequam exiret sæculum decimum quartum, tribus diversis locis, haud mediocri ornatu prodiret, ipsoque anno millesimo quingentesimo quartum typis traderetur. Primum inter has editiones, quas, huic Scriptori intentus, mihi dudum felici genio, nam in hisce quoque casus et fortuna multum potest, comparaveram, locum tribui editioni Italæ, admodum, sive litterarum nitorem, sive chartæ elegantiam spectes, luculentæ. Quamvis neque urbis, in qua impressus sit liber, neque typographi nomen, neque denique annus, quo in lucem exierit, vel in capite vel in fine ascribatur, Vicentiæ tamen prodiisse inter eruditos constat. Ut enim emendate legeretur, huic editioni præfuit Æneas Vulpes, cujus et patria et dignitas, ex quibusdam lineis, quæ litteris majusculis e regione primæ paginæ ipsius Orosii leguntur, apparet. Inscriptio, quæ quadratum efficit ibidem lateculum hæc est : *Scias velim, humanissime Lector, Æneam Vulpem Vicentinum, priorem Sanctæ Crucis, adjutore Laurentio Brixiensi, Historias Pauli Orosii, quæ continentur hoc codice, quam accuratissime potuit, castigasse. Cui non improbando sane labori si quid ex ingenio tuo, vel melius vel aptius addendum putabis, id honore ejus integro facias obsecro, quod est non ingrati animi officium.* In extrema libri pagina hæc leguntur,

Bartholomæus Paiellus, eques Vicentinus, in D. Orosium.

Ut ipse titulus margine in primo docet :
Orosio nomen mihi est.
Librariorum quidquid erroris fuit :
Exemit Æneas mihi.
Meque imprimendum tradidit non alteri,
Hermanne, quam soli tibi ;
Hermanne, nomen hujus artis, et decus :
Tuæque laus Coloniæ.
Quod, si situm orbis, sique nostra ad tempora,
Ab orbis ipsa origine,
Quisquam tumultus bellaque et cædes velit
Cladesque nosse, me legat.

Ex quibus jam non modo Corrector libri, Æneas Vulpes Vicentinus, agnoscitur, sed et editor Hermannus Coloniensis. At, quæ hanc in Italia subsecutæ sunt editiones, omnes in extremo libri, tacito tamen Bartholomæi Paielli nomine hos exhibent versus, quamvis alia in urbe, Venetiis scilicet, atque apud alios typographos impressæ sint. In errorem inde inductum fuisse clariss. Fabricium (præeunte tamen Clerico, quem citat) facile colligas, dum tomo I bibliothecæ Latinæ, p. 736, commemorat *antiquissimam editionem Basileensem ab Æneа quodam recensitam ac excusam apud Leonhardum, carentem indicio anni, sed quam facile appareat diu ante finem sæculi decimi quinti prodiisse.* Omnibus vero editionibus, quæ quidem post illam Hermanni Coloniensis prodierunt, precario illi versus et commendatio a cura Æneæ Vulpis adjiciuntur, cum in plurimis ab ejus correctione et lectione discedant. Hermannus ille Coloniensis a patria dictus fuit, aliud enim cognomen habuit, neque Coloniæ, aut alibi in Germania, sed in Italia, Vicentiæ aliisque in locis libros suos impressit, prout patet ex Annalibus typographicis clariss. Michaelis Maittaire, tom. I, p. 156. VICENTIÆ, inquit, *Hermannus* LEVILAPIS *Coloniensis, expensa Antonii, Gerardi, Joannis, Petri et Bartholomæi fratrum, et filiorum quorumdam S. Zanoti de Placentia civium Veronæ. Benedicto Trevisano et Angelo Michaele præsidibus.* Sed et Levilapidis cognomen per idiomatis transmutationem assumptum ab Hermanno fuit, aliter enim ex vernacula ipsi lingua sonabat. Discimus id ex eodem Mich. Maittaire libro ; nam, quem is, p. 33, itidem Hermannum *Levilapidem* vocaverat, patrio nomine Liechtenstein appellat, p. 108, his verbis : *Æneas Vulpes Vicentinus, prior Sanctæ Crucis, adjutore Laurentio Brixiensi, Pauli Orosii Historias castigavit, quas Hermannus Liechtenstein typis mandavit, anno tamen non indicato.* Sed et utramque cognominis appellationem repositam, urbes in quibus, annos quoque quibus libros suos edidit, annumque mortis ejus ex eodem libro cognoscimus tom. I, p. 224 : *Hermannus Levilapis Coloniensis, Vicentiæ (expensis Antonii, Gerardi, Joannis, Petri et Bartholomæi fratrum, et filiorum quorumdam S. Zanoti de Placentia, civium Veronæ,* 1475), 1476. *Hermannus de Levilapide, expensis Nicolai Petri de Harlem de Hollandia Almani,* 1477. *Hermannus Liechtenstein* (*vel* Lichtenstein) *Coloniensis,* 1478, 1479, 1480. *Tarvisii,* 1477. *Venetiis,* 1483, 1484, 1486, 1487, 1488, 1490, 1493, 1494, *quo anno decessit. Vide Vincent. Specul.* 1494.

Incepit igitur hic Hermannus annum editi libri

signare circa a. 1475 unde patet vetustiorem eo anno Orosii, ab eodem vulgati, esse editionem, quare illam passim in notis primam et principem appellavi; quamvis de principatu seu antiquitatis prærogativa litem illi movere possit alia Orosii editio, quæ anni notam exhibet, neque a diligentissimo viro in Annal. Typogr. quamvis rarissima inventu, prætermissa fuit, qui eam recenset tom. I, p. 305. Impressus is liber est Germano-Gothico charactere Augustæ a. 1471 per Johannem Schuszler. In hac editione, quæ reliquas veteres editiones omnes bonitate præcedit, atque ex optimo codice ms. summa fide expressa fuit, ipsius Orosii prologo hæc præfixa leguntur: *Pauli Horosii Historiographi, discipuli sancti Augustini episcopi, viri Hispani generis eloquentissimi, adversum Cristiani*(sic) *nois* (sic) *querulos* Prologus in libros septem. *In extremo autem fine libri hæc exstant*: Beati Pauli Horosii presbyteri Xpiani (*sic*) nois querulos *libri numero septem finiunt feliciter, per Johannem Schuszler, florentissimæ urbis Augustæ concivem impressi. Anno a Partu Virginis Mariæ salutifero millesimo quadringentesimo et septuagesimo. Circiter Junii nonas septimas.*

Tertio deinde prodiit Orosius Venetiis opera Octaviani Scoti a 1483. In cujus editionis fine hæc inveniuntur: *Pauli Orosii, viri clarissimi, ad Aurelium Augustinum episcopum et Doctorem eximium libri septimi ac ultimi finis. Impressi Venetiis, opera et expensis Octaviani Scoti Modœsiensis. Anno ab incarnatione Domini* 1483, *tertio kalendas Sextilis, Joanne Mocenico inclyto Venetiarum duce.* Litteris hæc editio rubeis et pictis, prout et prima editio in fronte et initio capitum superbire solet. Post illas prodiit iterum Venetiis *opera et expensis* (ut pariter in fine legitur) *Bernardi Veneti de Vitalibus. Anno ab incarnatione Domini* 1500 *die* 12 *mensis Octobris. Regnante domino Augustino Barbadico.*

Ab eo tempore sæpissime prela fatigavit Orosius, et quidem Parisiis primo impressus fuit per Johannem Barbier, impressorem nec non librarium juratum, ut se vocat, anno ab incarnatione Domini 1510 die 13 mensis Novembris. Dein ibidem 1524 apud Johannem Parvum typis Petri Vidovæi, edente Sebastiano Mengino.

Colonienses deinde plus semel hunc auctorem recuderunt, præsertim anno 1526, cujus editionis haud levem curam habuit, qui præfatus ad eamdem est, Gerardus Bolsuinge. Excudit, ut in fronte libri dicitur, Eucharius Cervicornus, impensis vero, ut in ultima docemur pagina, *M. Godefridi Hydorpii, civis Coloniensis, mense Junio.* Hittorpium idem sese vocat in editione Coloniensi, quæ prodiit ex officina Jasparis Gennepæi, anno 1542, et quam procuravit Joannes Cæsarius, cujus præfatio eidem editioni præfixa legitur. In extremo ejus libri hæc exstant: *Impensa et ære M. Godefridi Hittorpii, civis Coloniensis, mense Augusto* 1542. Hæc editio nobis passim Hittorpiana vocatur, prior vero Bolsuingiana. De Bolsuingio mihi pauca comperta sunt; Joannes Cæsarius autem Juliacensis Germanus fuit, plurima ab anno 1520 usque ad 1540. Coloniæ passim apud Eucharium Cervicornum impressa edidit, præcipue C. Plinii Naturalis Historiæ opus universum anno 1524, a plurimis, ut titulus refert, mendis repurgatum. Præ reliquis vero medicinam Orosio præstitit Franciscus Fabricius Marcoduranus, vir multis in rempublicam litterariam meritis clarus. Hic novam Orosii editionem, notis illustratam, adornavit anno 1561, secundo deinde emisit anno 1573, et denique tertio anno 1582. Triginta tribus post annis Andreas Scottus, notum apud eruditos nomen, et ipse Orosium publicavit. Nihil autem de suo addidit, sed præter Fabricianas notas adjecit excerpta ex Annotationibus Ludovici Lauii, Belgæ, presbyteri Gandensis. In hac postrema Orosii editione, quæ reliquis hactenus præstare visa fuit, plurima deprehendi errata, quæ incuriosos oculos arguunt illius, qui isti curæ præfuit. Neque ipse Fabricius, quamvis egregie in Orosio emendando et illustrando versatus fuit, omne punctum tulisse visus est, quod sibi nimis in eo auctore indulserit, teste Barthio Adversar. lib. XXXVI, cap. 17. Quare merito jam pridem judicarunt viri docti, mereri Orosium, ut denuo majori cum cura ad mss. exemplaria recenseretur; præsertim cum ab anno 1615 quo in publicum exiit Andreæ Scotti editio Moguntina, nullo ex viris litteratis manum admovente, adeoque plus centum et viginti annis, in tanto veteres auctores ad prela revocandi ardore, jacuerit Orosius, cujus tamen tot antea se invicem exceperant editiones, et tam varia, atque multiplex, et prorsus necessaria existeret Historia.

Haud igitur contentus prioribus et priscis illis, quæ omnes ad manum mihi fuere, editionibus, auxilium præsertim a mss. codicibus petendum existimavi, cujus generis undecim cum nactus essem, satis me instructum putavi. Quinque ex iis suppeditavit mihi bibliotheca quæ Leidæ sive Lugd. Bat. est, tres Florentina, unum Ultrajectina. Ipse quoque unum possideo, et denique collationem codicis antiqui, summa cura a clariss. Jacobo Gronovio institutam, nactus fui. Hujus mihi copiam fecit dignissimus illo patre filius Abrahamus Gronovius, eumque codicem cum tertio ex Lugd. Batt. plurimum convenire deprehendi. Codex meus in pergameno per columnas scriptus, ex bibliotheca Hulsiana quondam coemptus, optimæ est notæ, mihique plurimum profuit. Ultrajectinum magna industria contulit Otto Arntzenius, Scholæ Goudanæ nunc moderator indefessus: est quidem is codex ex recentioribus et valde mendosus, sed habet tamen lectiones quasdam in quibus cum optimis conspirat. Inter quinque mss. quos academiæ, quæ Lugduni Batavorum est, bibliotheca suppeditavit, unus servatur in legato Perizoniano, inscriptus *de Orchestra mundi*, et scriptus in charta anno 1465, adeoque valde recens, sed tamen valde bonus et antiquissimis comparandus. Ex quatuor reliquis codicibus Lugd. Batt. primum soleo nominare eum, qui olim

Nicolai Heinsii, deinde Isaaci Vossii fuit, atque adjunctum sibi Justinum habet. In hoc libro in membranis scripto, quidam versus præfigebantur, quos integros exhibere nequeo, quod exterior membranæ pars discerpta sit. Legi autem hi potuerunt :

Orbis terrarum, metasque situsque locorum,
Computat hic sacri codex luculenter Orosi.
Mundum post factum, formatum post protoplastum,
Terram diluvio super omnem vindice fuso,
Arca servatis divino munere paucis.
Hinc mala bella, neces, conflictus, prælia, lites,
Probra, simultates, incestus, jurgia, fraudes.
Errorum sectæ, patricidia, furta, rapinæ,

. . . . . .

(*Deest pene tota discerpta columna.*)

Cerneret hic oculis, quo posset uterque doceri.
Quod tibi transmisi, non ut mea discere possis
Dogmata, sed fieret verax ut judice temet.
Æmula namque manus sic rodere desinet illud.

Secundus Codex Lugd. Bat. in fine notatur scriptus manu *fratris Everardi de Novongio*. Inscribitur autem in initio ita, *Orosii de Cladibus et Miseriis Antiquorum libri septem*. In fine autem hæc leguntur : *Libri Orosii presbyteri de Cladibus et antiquis Miseriis mundi per manus scripti fratris Everardi de Novongio*. Tertius nobis audit Orosii codex, qui Justini quoque libros continet, et inscribitur, *Orosii liber Historiarum de Ormesta mundi*. Ad finem libri septimi subscribitur versus, qui in primo quoque codice exstat;

Presbyteri sacri codex hic finit Orosi.

Quartus denique, membranaceus, olim ad Isaacum Vossium pertinuit et cum reliquis ejus mss. emptione in bibl. Lugd. Bat. transiit.

Et hæc quidem in patria nactus subsidia sum, non tamen putavi iis acquiescendum, sed, cum scirem Florentiæ in bibliotheca Laurentiana studiose asservari omnium Orosii, quotquot sunt, mss. codicum longe antiquissimum, Longobardicis litteris egregie exaratum, non quievi antequam frugem inde in hanc messem transportarem. Eximium hunc codicem religiosissima sollicitudine, procurante mihi hoc beneficium Dom. Alberto Mazzoleno, veteri amico, sua manu suisque oculis contulit Laurentianæ bibliothecæ præfectus Antonius Maria Biscionius, anno 1729. Antiquissimum hunc codicem, atque in majoris quarti forma scriptum, fere mille annorum ætatem præ se ferre notavit diligentissimus ille examinator, atque insuper transmisit ad me picturam litterarum, æri incidendam, quam invenies pag. 70, ubi codex ille Longobardicus, cujus mentio quoque exstat apud Mabillonium de Re Diplomatica lib. v, p. 354, incipit, est enim in initio libri primi mutilus, inque eodem totus liber septimus desideratur. Neque modo officium humanissimi viri in collatione codicis hujus, qui servatur in ista bibliotheca pluteo 65, num. 1, substitit, sed et æque accuratam duorum aliorum codicum transmisit collationem. Alter ex his servatur pluteo 65, num. 35, qui censetur esse sæculi decimitertii, alter ibidem num. 37 et ad sæculum decimum quartum refertur. In posteriore ex hisce, nam prior in principio quoque læsus est, titulus libri hic est : *Pauli Orosii, presbyteri Hispani, de totius mundi calamitatibus liber primus*. Orthographiæ denique rationem, quam in antiquissimo præsertim illo codice observare licet, itidem excerptam et transmissam, infra post dedicationes et præfationes invenies.

Ad hos igitur codices mss. veteresque editiones omnes ea cura recensui Orosium, quam mereri videbatur Scriptor, cui expoliendo centum amplius annis defuisse fautores agnoscimus, quæ enim sparsum ad illum viri docti notarunt, parca admodum manu collata sunt, et conferenti patebit quantum medelæ ex mss. eorumque accuratiore, quam a prioribus factum fuit editoribus, inspectione, accesserit Orosio ; qui Scriptor, quamvis neque aurea neque argentea Latinitatis ætate floruit, et vix in ærea sibi locum retineat, nonnumquam quoque, pro sæculi sui captu, anilibus fabulis, ut de vestigiis rotarum, quæ reliquerint conspicienda adhuc Ægyptiorum persequentium currus, abripiatur : tamen, cum ob ipsius operis multijugem Historiam, non inutili brevitate congestam, et ad temporum rationem consulesque Romanos sollicite digestam, tum propterea quod integris, quos frustra jam quærimus, magnis historiarum et annalium scriptoribus, atque in eo genere principatum tenentibus, sit usus, plurimi apud omnes eruditos haberi solet.

De vocabulo *Hormesta*, quod codices quidam Orosii libro dant, pro quo *Orchestram* alii reponi volunt, inspici potest Jo. Albertus Fabricius Bibl. Lat. lib. IV, cap. 3, sive tomo III, pag. 537, qui plures ibidem citat viros doctos, qui de eo vocabulo disserucrunt. Mihi vero omnium rationes perpendenti, neutrum ex hisce genuinum videtur. Cum enim in quibusdam exemplaribus *de ormesia mundi* scriptum inveniatur, id nihil aliud esse existimo quam corruptum, ex verbis *de miseria mundi*, et hunc verum esse titulum ; quoniam ad illum toto suo opere alludit auctor, qui nullam aliam ob causam septem hos libros, hortatu Augustini, conscripsit, nisi ut ostenderet (*a*). Miseriam mundi una cum peccato esse natam, neque cum Christiania religione in imperium Romanum introiisse, sed ab antiquissimis temporibus, per universum terrarum orbem viguisse, neque umquam in imperio Romano, cum vel maxime floreret, defuisse.

Libellus Orosii, qui inscribitur Apologia, sive de Arbitrii Libertate contra Pelagianos, proprie ad Historias ejus non pertinet, sed a Fabricio in altera quam adornavit editione, adjectus, deinceps in reliquis quoque apparuit. Quare noluimus ut a nova hac abesset, præsertim cum insigne ejus temporis sit monumentum, et ex Pelagii, quæ perierunt, scriptis, excerptas habeat portiunculas, ex quibus feralia ejus viri dogmata cognoscuntur. Vale.

(*a*) *Lib.* I, *cap.* I, *p.* 6 : Ego initium miseriæ hominum ab initio peccantis hominis ducere instituí, etc.

VARIÆ DEDICATIONES ET PRÆFATIONES.

EPISTOLA

LUD. THIBOUST PARISIENSIS AD CLARISSIMOS LUDOVICUM ET ANDREAM GUILLARDUM SPECTATISSIMÆ INDOLIS ADULESCENTES PATRICIOS.

Qui scriptorum monimenta accuratius introspicere et ea veluti in librili solerter collocata perpendere accuratius laborarunt : adulescentes clarissimi : eos esse commendabiliores præstantioresque non minus vere quam prudenter animadverterunt : qui fidelibus historiarum monimentis res a majoribus insigniter gestas : consiliaque admirabilia : ac rerum inopinatos eventus multiplici quadam exemplorum copia exscripsere. Historia siquidem (quam Cicero, eloquentiæ parens primarius, temporis testem : lucem veritatis : vitam memoriæ; nuntiam vetustatis appellat) ea ministrat affatim : copiosius suggerit, uberrime suppeditat, quibus homines, insignes priscorum mores æmulabundi ad beatam vitam reddantur et paratiores, et instructiores, culpabilia obscœnaque factu vitabundi non reformident hæc adeo, sed fugiant, insectentur, despuant. Neque enim posteritati quisquam exquisitius consulere possit, neque ea in publicum edere, unde sibi omnis ordo, sexus, ætas, vel majora litterarum adminicula, vel copiosiorem ad instruendos mores supellectilem spoponderit, quam historiam, id est magistram : et ducem bene, ac beate vivendi, de qua et rerum omnium peritia provenit : et ea documenta haurire queant homines, quibus vel publicis, vel privatis rationibus utilitas pariatur. Nulla siquidem, ulla ex parte, litteraria monimenta licet reperiri, quæ historiarum adminiculo non indigeant, ac earum vestigia non exosculentur. Nec jam legum latores præterimus : qui mendose suum munus adimpleant, qui nec officium bene instituendæ civitatis exsequentur, nisi rerum gestarum narrationem plane tenuerint : ex ea singulorum mores veluti in exemplari : et humanæ vitæ speculo inspecturi, quos in unum contractos circumspicienter eliciant, tum denique electos, qui ad communem omnium utilitatem proderint, in medium proferant, atque promulgent. Sed et philosophia neque de moribus præcepta explicare, neque de rerum domesticarum usu, ac de peritia tota reipublicæ administrandæ, constituendæque sine multijuga exemplorum narratione agere satis possit: quandoquidem conducibilius, efficaciusque docendi genus per exempla, quam per documenta esse, nemo homo non novit. Natura enim comparatum est, ut excellentium virorum exemplis advocentur homines ad studium gloriæ; et allecti, non nisi quæ præclara sint et honesta, vel imitari studeant, vel assequi. Usu quoque venit ut humanarum rerum vicissitudinem contemplabundi : flantem, reflantemque toties fortunam alterna velorum explicatione moderentur, ipsiusque variantis fortunæ incursus solerter circumspiciant. Homines præterea ab improborum vita absterreri, solo etiam metu vel dedecoris, vel supplicii satis constat. Itaque apud Plutarchum legimus hanc fuisse Lacedæmoniis consuetudinem, per festos dies bene potos servos, infames cupedivoras, vinolentia dementatos, adducere inter convivia, quo vinosorum exemplo docerent adulescentes, quantum in se mali spurcissima ebrietas contineret. Quamobrem nihil conducibilius, nihil præstabilius historia, reperiri posse contenderim, et nullam esse facultatem, nullam disciplinam, quæ ei velut bene vivendi magistræ non cesserit. Inter eos vero qui præstantissimum hoc scribendi genus tradidere, Paulum Orosium floruisse, ac de rebus humanis egregie meritum esse plane concesserimus, qui etsi conflictationes generis humani : cupiditates : et varios calamitatum eventus se scripturum pollicetur : nihilo tamen secius perpetuæ historiæ seriem, ab orbe condito, ad memoriam suorum temporum summa cum fide est complexus, pestilentias, terræmotus, inauditas vastationes, casus inexspectatos, atque portentosa rerum miracula pro sui operis instituto conferens. Neque eloquentiæ laudibus caruit, cujus perspicua brevitas, succulentiore rerum narratione concinnata, gravibus quidem sententiis cumulatissima, et inevitabili distincta varietate splendescit, effulgetque atque eo impellit lectorem, ut vix existimet tantum dicendi artificium contineri in hoc corpusculo. Alexander Aphrodiscus in suis problematis physicam affert rationem, Cur brevi statura homines proceris ut plurimum sint prudentiores : *Nimirum quia constipata atque compacta illis est anima in universo corpore. Proceris vero in longitudinem distenta resolvitur.* Quod hoc suo carmine complexus est Papinius :

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Quapropter Homerus Ulixem brevem, ac prudentem, Ajacem vero procerum, ac stolidiorem describit. In quod equidem problema, veluti in diverticulum non invitus transilui, ratus eamdem afferri solutionem de prudentia nostri Historiographi, qui in hoc suo brevi opere res tot retroactis sæculis gestas ampliter describit, brevitatem neque obscuram neque jejunam observans, sed quæ quanto suppressior est, tanto est prudentior, et luculentior. Enimvero ego ipse multis rebus subinvitatus, adulescentes spectatissimi, vos moneo, et hortor, ut præstantissimum hoc opus vobis nominatim dedicatum, hilari vultu, et serena fronte suscipiatis : multum inde jucunditatis, multum emolumenti, nec minus beatitudinis reportaturi. Opus est enim non minus frugiferum, quam voluptificum, cui equidem annotatiunculas chartatim in marginibus ascripsi, et earum compositi litterarium indicem, ut illis argumenta occurrerent scitu patentiora, hoc vero fierent faciliora reperiu; fuit hic labor sane non injucundus mihi,

existimanti hoc pacto operæ pretium facturum me, idque promulgaturum, quo vestra eruditio nonnihil adjuvaretur ad præclarum et virtutis, et litteraturæ fastigium adipiscendum. Valete et hanc operulam mei in vos amoris ac observantiæ testem perenni studio confoveatis.

EPISTOLA

Joannis Cæsarii ad Georgium a Seina.

Illustri generosoque viro Domino Georgio a Seina, ex inclyta et præclara comitum a Vittgenstein familia, metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis canonico archigrammateo, divorum Patrocli apud Susatum haud ignobile Vestphaliæ oppidum, Gereonis, ac Apostolorum apud Coloniam item, urbem Ubiorum famigeratissimam, ecclesiarum archidiacono, præposito, domino et patrono suo, quam plurimum observando,

Joannes Cæsarius, S. D.

Divus Aurelius Augustinus, vir præter animi lenitatem, quam jam inde a prima adolescentia præ se tulit semper, ac perpetuo servavit, tum et præter vitæ sanctimoniam, qua mox post ejus ad Christianismum conversionem, inclarescere cœperat apud Deum et homines, ac deinde insigniter claruit, dum vixit, magni sane judicii fuit, cum in profanis et sæcularibus, tum in divinis præcipue et sacris litteris, quas, posteaquam Christo in sacro fonte nomen dederat, diligentissime scrutatus est, volvit atque revolvit, et in his elucidandis exponendisque non seguiter versatus innumeros prope libros a se scriptos posteris reliquit. Hic (inquam) cum inter alia studia quæ tractabat, in manibus haberet componeretque grande illud opus, sive volumen, quod de Civitate Dei inscripsit, et in libros viginti duos digessit, quorum in prioribus quidem decem acutissime disputat contra infideles, quos vulgo paganos vocant, et Christiani nominis hostes, qui Romani imperii imminentem ruinam, ut quod per id temporis inclinare cœperat, Christianæ pietati fideique et religioni imputabant. In quibus proinde libris vir ille gravissimis certissimisque ex probatis historiarum scriptoribus desumptis testimoniis, illos confutat atque convincit, immo luculentissime ostendit demonstratque, non novum fore, aut etiam pro miraculo habendum, Romanum imperium desiturum aliquando, aut certe inclinaturum : cum clarissime constet, apud historiarum annaliumque, immo et Chronicorum scriptores, ab eisdemque memoriæ proditum sit, regna et imperia subinde vel subversa funditus, vel translata fuisse : ut si quis exempla petat, Assyriorum, Medorum, Persarum, Macedonum sive Græcorum, etiam sub falsa illa religione, quæ diu ante Christi Salvatoris nostri adventum universum pene orbem occuparat atque illuserat. Quæ nimirum quid aliud (quæso) fuit, quam falsorum deorum, sive verius dæmonum, cultus exitiosissimus ? Cæterum ne impiis illis et blasphemis Christianæ religionis osoribus et conviciatoribus superesset quidquam, quo suam illam vafritiam et versipellem malitiam ac maledicentiam adversus Christianos ipsos prætexerent, immo vel toti demum orbi patescerel, sanctissimi ejus viri tam pium institutum non esse frivolum, inhortatus est idem vir Paulum Orosium presbyterum, virum, per ea tempora sibi apprime familiarem, et in lectione historiarum exercitatissimum, ut ab orbe condito Historias contexere aggrederetur ad sua usque tempora, unde tandem maledici illi homines vel inviti intelligerent cognoscerentque non Christianam religionem in causa esse, quod jam tum Romanum imperium inclinare videretur, sed hominum potius gravia horrendaque scelera atque flagitia idque haud dubie divina providentia sic disponente et moderante omnia pro suo nutu ad communem semper humani generis salutem, ejusque emendationem. Orosius igitur tanti viri hortatui seu potius præcepto (ut et ipse de se in operis sui præfatione ingenue testatur) non illubens paruit, tametsi id sibi difficile admodum fore sentiret, ac protinus aggressus historias conscribere, per libros septem ab origine mundi exorsus, collectis undique (ut est verisimile) annalibus, adjutusque proculdubio, quos ante se habuit, historicis minime vulgaribus, eos ipsos libros septem in opus redegit, profecto ut non inelegans, ita nec cæteris historiarum scriptoribus longe postponendum : quin eisdem in hoc fortassis præferendum, quod ubique auctor ipse in toto opere illo suo, cum rerum gestarum narratione, temporum annorumque collationem, supputationemque conjunxit; quatenus non parvi refert, eum, qui res diversis gestas temporibus cognoscere studet, temporum quoque ipsorum, quibus res illæ gestæ sunt, certam simul rationem observationemque habere. Quod quidem opus quia jam aliquoties excusum exstitit, sed mendis interim non paucis scatens, licet toties tentatum ab his emaculari repurgarique : nunc demum cura et expensis magistri Gotfridi Hittorpii civis Coloniensis non infimi ordinis, viri me hercule et industrii et honesti, sed recognitum prius non parva diligentia, partim nostra, partim aliorum quorumdam, et ab restantibus mendis repurgatum, in lucem iterum prodit, multo sane aliter quam hactenus, simulque et typis admodum plausibilibus excusum. Cæterum hanc nostram in hoc navatam lucubrationem atque operam, cum jam circumspicerem mecumque cogitarem, cuinam ex principibus viris nuncuparem dedicaremque, ut cujus tutela niteretur, tua mihi cum primis gratia in mentem venit, inclyte ac generose Comes, nec id quidem sane ab re. Quippe cujus favorem et benevolentiam sæpius in me expertus sum, non absque fructu et commodo aliquo meo. Itaque ut gratitudinem saltem aliquam erga te meam et animi erga te mei propensionem, nunc tandem vel utcumque declarem ostendamque (nam id in votis jamdudum habui, vir cordatissime dignissimeque), hoc tuæ gratiæ ac munificentiæ in præsentia munusculum offero dedicoque : nec dubito quin tua erga me benevolentia, illud quantulumcunque sit, æquo benignoque animo sit acceptura, ut qui soleas pro tua prudentia, non ad rem quæ

donatur offerturve, sed ad animum potius quo donatur offerturque, respicere. Quod tamen ubi jam pro comperto habuero, non est quo non ipse mihi nomine gratiæ tuæ gratulari merito debeam. Bene valeat tua Gratia. Coloniæ, pridie kalend. mensis Augusti.

EPISTOLA

GERARDI BOLSUINGE AD DOMINUM ARCHIEP. D. HERMANNI.

Reverendo in Christo patri ac domino, Domino Quirino, Dei et Apostolicæ sedis gratia episcopo Cyrenen. reverendissimi ac illustrissimi principis et domini nostri D. HERMANNI, Sanctæ Colonien. Ecclesiæ archipræsulis, et Sacri Rom. Imperii per Italiam archi-cancellarii, principis Electoris, Wesphaliæ et Angariæ ducis, Legatique nati, etc. in pontificalibus Vicario generali, GERARDUS BOLSUINGE Reckelinchusensis Salutem.

Cum multi sunt hodie, reverende Pater idemque doctissime Præsul, qui in restituendis veterum monumentis, de re litteraria certatim bene mereri studeant, tum vel in primis in eorum albo est vir candidissimus juxta atque optimus *Godefridus Hiltorpius*, qui numquam non aliquid veterum elucubrationum suo impendio vel purgatius vel elimatius in lucem profert: atque adeo nuper mecum egit, ut Paulum illum Orosium cum veteribus ac manuscriptis exemplaribus collatum, a tot mendorum myriadibus pro viribus vindicarem: quibus quidem hactenus vel somnolentia, vel ignavia seu mavis inertia tum scribarum, tum chalcographorum adeo mutilatus, corruptus, ac deturpatus fuerat, ut vel doctos nedum rudiores a sui lectione merito deterreret. Neque id mehercule, quantum ad auctorem attinet; sinistro judicio: siquidem unus ille Orosius, vir ut apparet omnium bonarum litterarum etiam divinarum peritissimus, is est cui vel soli in historiis merito fides haberi debeat. Quippe qui homo Christianus, sano integroque judicio præditus, adhæc nulli privatim factioni addictus, nulli nationi seu genti deditus, ex optimis quibusque historiis ac annalibus jam inde ab exordio humani generis conscriptis, divo quoque Augustino auctore negotiumque id ei injungente (nam utrique eamdem scribenti causam fuisse constat, Augustino libris de Civitate Dei XXII, Orosio his septem falsas paganorum seu ethnicorum suspiciones ac calumnias depellenti) ea collegerit, sedulaque opera ad posteros transmiserit, quæ citra controversiam ab omni affectu vanitateque seclusa prorsus atque sejuncta viderentur, adhibitis passim et in loco optimis saluberrimisque Christiani pectoris condimentis, quæ pium ac cordatum lectorem non minus profecto, quam ipsæ historiæ juvabunt. Accedit his quoque quod optimi hujus viri beneficio res profecto innumeræ et haud quaquam spernendæ clarius nobis dentur pervideri: quarum scilicet perditis archetypis vix alibi hodie vestigium superest. Quod genus sunt multa quæ optima fide ex fidelissimis Livianæ industriæ monumentis, jam olim injuria temporum seu potius ignavorum hominum deperditis, fidelissime transsumpsit. Porro si cui per alias forte occupationes liberum non sit omnes omnium historias evolvere, hic habet velut absolutum compendium, selectissima quæque magisque necessaria ex omnibus complectens, quod quidem cunctarum historiarum instar esse possit. Historiarum vero ἐγκώμιον pro merito celebrare ut mearum non est virium, ita hic locus minime admittit, tantum detrectatores unius Ciceronis dicto veluti fuste comprimam: *Ignorare*, inquit, *quid antequam natus sis actum seu gestum sit, hoc est semper esse puerum.* Jam vero quantum olei laborisque huic auctori restituendo impensum sit, nemo pervidebit judicabitve exactius, quam qui hoc exemplar cum prioribus quibusvis etiam tam scriptis quam impressis contulerit. Nam quid recenseam seu mavis subjiciam centum amplius versus, mutilata sensus integritate, passim intermissos? quorum tamen, ne quis vanum me putet, e multis paucos indicabo. Itaque conferatur initium capitis tertii libri II ubi ea verba desiderabantur: *Cui successit, ut dixi, uxor sua Semiramis, quæ cum et ipsa 42 annis regnaret*, etc. Item cap. 17 ut alia transeam, libri V, sex plus minus versus nulla alioqui constante sententia requirebantur, nempe ibi: *Die dicta a suppositis ejusdem factionis judicibus, per scelus innocens Metellus damnatus, in exsilium cum totius Urbis dolore discessit;* et quæ sequuntur usque, *infamibus ausibus*. Itidem cap. sequenti ejusdem lib. non minus tres prætermissi fuerant, ibi: *Namque ita ut attoniti timore hostium steterant, alii stirpibus, alii saxis reclines, alii armis suis innitentes*, etc. Quid dicam de tot millibus verborum vel restitutis vel in locum repositis? Ad quam quidem rem non parum momenti nobis attulerunt tria vetustissima exemplaria scripta, quorum unum vix hodie notis aut legibilibus litterarum figuris descriptum bibliotheca majoris Ecclesiæ Colonien. suppeditavit. Atqui quanti negotii res fuerit in tanta codicum variegantia seu dissidentia, ubi scripti ab impressis, et utrique inter se quam maxime discordabant, judicare quid eradendum seu relinquendum, quidve etiam substituendum fuerit, vix quispiam nisi ipse expertus credat. Præterea cui ignotum, quam indocte ne dicam fœde per ὅρον λύρας quondam hic liber fuerit in capita dissectus? adeo, ut non solum nullo habito respectu diversarum rerum aut historiarum, verum non raro in mediis periodis, immo sensuum interim clausulis orationes divaricarit atque sejunxerit, rursumque ubi maxime dissepienda disjungendave fuerant, concluserit ac conglutinarit. Tum quam insulsa quæso et inepta nihilque ad rem pertinentia adjecerat argumenta? Postremo quam perperam quam nullo judicio hactenus idem hic liber circumferretur distinctus, neminem credo esse, qui modo legerit, qui ignoret. Quibus omnibus si quid nostra opella sedula magis quam efficaci subventum est, cum studiosi velim omnes æqui bonique consulant, tum quidquid hoc fuit laboris tibi, Præsul integerrime, dicatum, eo vultu animoque accipias,

quo olim Persarum ille rex Artaxerxes pauperculi cujusdam frivolum quidem sed simplex munus, nempe aquam complicatis manibus e proximo flumine haustam fertur suscepisse, voluntatem ac animi propensionem, non rem ipsam permetiens. Valeat Reverentia tua feliciter. Coloniæ, Anno 1526 ipsis idibus Junii.

EPISTOLA

FRANC. FABRICII MARCODURANI AD D. JOANNEM ULATTENUM.

Amplissimo ornatissimoque viro D. JOANNI ULATTENO, præposito Aquensi, Cranenburgensi, et Carpensi : illustriss. principis Guilielmi Ducis Jul. Cliv. Mont. etc. cancellario, patrono suo, FRANC. FABRICIUS MARCODURANUS S. D.

Cum omnes, qui res a se vel inventas primum, vel deinde excultas ac illustratas litteris consignarunt, bene de posteritate sunt meriti, vir amplissime : tum haud scio an ulli melius, quam qui res gestas historiæ mandarunt, memoriæque propagarunt. Magni fiunt, ut merito fieri debent, quæ gravissimi viri Socrates, Plato, Aristoteles, aliique philosophi de appetenda virtute, aspernandaque vitiositate litteris prodiderunt : quæ tamen Herodotus, Thucydides, Theopompus, Ephorus, et cæteri historici monimentis annalium consignarunt, majorem vim ad res præclaras sectandas, contrariasque declinandas habere, nemo inficias, opinor, ibit. Illi enim quid agere homines debeant, hi quid præclare egerint, docent : illi de colenda justitia, fortitudine, temperantia multa præcepta dederunt; hi, quis juste, fortiter, moderate vixerit, demonstrant. Neque vero qui ad justitiam hortabitur, plus Socratica ratione, quam Aristidis, Fabricii, et aliorum documentis efficiet. Recte igitur Antonius apud Ciceronem historiam suis laudibus exornans, eam MAGISTRAM VITÆ nominat; estque magna gratia rerum gestarum scriptoribus habenda, qui suo studio effecerunt, ut rebus præteritis cognoscendis, quid in vita hominum laudetur aut vituperetur, quid probetur aut offendat, tamquam in speculo intueremur. Quamquam non eodem loco omnes, qui historias scripserunt, habendos, neque eamdem utilitatem ex omnium illorum scriptis exspectandam, nemo rerum adeo ignarus, aut a litteris ita alienus est, qui nesciat. Sed cum eorum alii rerum priscarum narratione, aures tantum quasi voluptate quadam perfundere, verborumque illecebris captare voluerint, alii res sapienter, juste, pie, fortiter, moderateque gestas, sint splendida et illustri oratione persecuti : alii neglecto verborum ornatu res, utiles illas quidem, sed orationis luminibus non illustratas proposuerint : deligendi sunt imprimis omnique studio evolvendi, qui non modo linguam excolere, verum etiam pectus plurimarum et maximarum rerum copia instruere possunt. Quod si tamen eos non aspernamur, a quibus præter verborum ornatum nihil omnino suppeditatur, certe valde lauti sunt, qui ab illis abhorrent, qui brevi simplicique oratione res cognitione dignissimas comprehenderunt, præsertim si constet, eos veritatis cancellos ita sibi circumdedisse, ut extra illos numquam sint egressi, nulla gratia, nulla simultate in scribendo sint permoti. Quod quidem ut de Paulo Orosio in hoc tempore pluribus verbis planum faciam, necessarium esse non arbitror : sed ea quæ adolescentes de hoc nostro auctore scire laborabunt, minime prætermittam. Vita ejus descripta breviter a Gennadio in Catalogo Illustrium Virorum exstat : quæ etiam in scriptis exemplaribus initio Historiæ invenitur, sicut a nobis est edita. Fuit is Christianus, in Hispania natus et educatus, sed discendi cupidus, suos patriamque reliquit; atque ut ea, quæ in religione enodatius scire cupiebat, plane cognosceret, in Africam ad Aurelium Augustinum trajecit. Fuit hoc circa annum Christi 400. Cum apud Augustinum esset, consuluit eum de Priscillianistis, et de quibusdam Origenis sensibus. Cui consultationi ille respondit libro, qui exstat ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas. Capitur interim Roma a Gothorum rege Alarico, et magnam Romani cladem accipiunt : causamque hostes Christianæ religionis in eam conferunt; adversus illos tum Orosius Augustini jussu hos septem libros Historiarum conscripsit. De quibus Gelasius primus cum LXX episcopis sententiam tulit, ejusque decreti verba sunt hæc: *Orosium, virum eruditissimum, collaudamus, quia valde necessaria adversus paganorum calumnias ordinavit, miraque brevitate contexuit.* Augustini deinde consilio, ut ipse ad Evodium scribit, Orosius Bethleemum ad Divum Hieronymum profectus est, cum hac ejus commendatione : *Ecce venit ad me religiosus juvenis, catholica pace frater, ætate filius, honore compresbyter noster, Orosius, vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans studio, utile vas in domo Domini esse desiderans, ad refellendas falsas perniciosasque doctrinas, quæ animas Hispanorum multo infelicius, quam corpora barbaricus gladius trucidarunt,* etc. Non hic commemorabo, quam sæpe, quamque libenter homines eruditi, hujus scriptoris auctoritate et testimonio utantur, quam multarum rerum memoria in Orosio exstet; quæ apud alios post tantam Livii, Taciti, atque aliorum historicorum jacturam factam non inveniantur. Hoc dico, dolendum fuisse, tanti viri tam fructuosam historiam adeo mendose hactenus in manibus versari. Centulerat eam cum aliquot manuscriptis exemplaribus ante annos 35 Gerardus Bolsuinge : laboravit deinde in eadem emendanda doctiss. vir Joannes Cæsarius : sed profecto necesse est, ut vel eorum exemplaria non fuerint diligenter satis descripta, vel ipsi parum accurate opus perspexerint, tot menda relicta ab illis deprehendi, postquam eorum libros cum tribus manuscriptis conferre cœpi. Neque vero satis habui vetustos libros ad hujus tam præclaræ historiæ emendationem advocare : sed cum jampridem, multorum Græcorum et Latinorum auctorum collatione, didicissem, ipsos libros scriptos multis sæpe mendis fœdatos esse, conduxi, et quasi convocavi in unum locum omnes, quos de his rebus, quas Orosius atti-

git, scripsisse aliquid potui recordari. Qui autem illi, et quot fuerint, ex Annotationibus nostris apparebit : in quibus non tantum hanc editionem fulcire, sed et Historiam Romanam illustrare sum conatus: ut adolescentes, qui cuperent ea, quæ Orosius breviter complexus est, plenius cognoscere, hac nostra admonitione instructi scirent, unde illa essent petenda, eorumque lectione sitim suam explerent. Atque hoc quidem ego magno conatu studioque egi : quid vero sim consecutus, aliorum judicio lubens permitto. In quibus unus tu, Patrone amplissime, es mihi instar omnium. Tua mihi benevolentia, tuum judicium harum vigiliarum fructus erit uberrimus. Habui equidem in hujus laboris non modo susceptione, verum etiam molitione ac perfectione, publicam juventutis utilitatem mihi propositam, sed in te ipsum simul cum Orosio operam darem, cum grata quadam beneficiorum tuorum in me recordatione spectavi, nec id sine causa : Si enim ab eo tempore, quo me primum complexus es, tibi omnia, quæ a me proficiscerentur, deberi statui, quanto cumulatior nunc ea voluntas esse debet, postquam filium meum a sacrosancto baptismate suscipere maxima benevolentiæ significatione voluisti? Quod necessitudinis vinculum, quando Justiniani imperatoris sanctione arctissimum habetur, ego illo gravissimum onus observantiæ mihi impositum statuo. Cujus testem Orosium hoc tempore ad te mitto : quem in tuo nomine merito apparere existimo, quod tu, qui summam istam prudentiam, qua in altissimo dignitatis gradu positus, patriæ tranquillitati bene consulis et præsides, te Historiarum cognitione a prima ætate inchoasse, aluisse, auxisse, ac confirmasse meministi, ne nunc quidem, cum per gravissimas Reip. occupationes licet, historicorum lectionem refugere consuevisti : quod cum non cognoscendi, sed recolendi gratia facias, nulli commodius legantur, quam qui ἐν ἐπιτομῇ res gestas clarorum virorum ac populorum scripserunt. Id vero cum Orosius gravissimorum virorum testimonio summa fide præstiterit, opus esse non arbitror, ut hoc pluribus verbis hic demonstrem : nec dubito, quin tibi satis commendatus sit is, qui Historiam ab initio mundi exorsus, ad sua tempora per quinque millia annorum supra DC fere deduxit : confido etiam te nostrum laborem approbaturum : unde, ut Timanthes Agamemnonis dolorem, sic nos amorem et observantiam erga te nostram æstimandam relinquimus. Christum Opt. Max. precamur, ut te patriæ, nobisque diu incolumem conservet. Vale, patrone mihi in primis observande. Dusseldorpii, postridie idus Mart. Anno a Christo nato 1561.

AD LECTOREM,

PROLOGUS JOAN. RUREMONDI DISCIPULI.

Si juvat extrema scriptis ab origine mundi
  Plenius historiis, lector amice, frui :
Quid nimis in Veterum mutilata volumina pendes,
  Quæ nequeunt ulla parte levare famem?
En redit Orosius tenues emissus in auras,
  Lumine Francisci splendidiore nitens.
Ante licet populi fuerit delatus in ora,
  Non tamen exutus sordibus ipse fuit,
Sed veluti malum roseo plerumque colore,
  Brachia quod matris deserit ante diem,
Qua coquitur Phœbo cutis almæ linquit honorem,
  Cætera pars veteri plena vigore manet :
Sic hinc Orosium multus labefecerat error,
  Illinc a maculis semirefectus erat.
En tibi nunc posito labum squalore, situque,
  Fabricii docto fetus honore venit.
Si possunt Veteres aliquem meruisse favorem ;
  Qui tamen historiæ vincula sæpe levant :
Non placet Orosius lima jam vindice rasus,
  Qui sua pro Christo fortiter arma tulit?
Nam simul ac flueret Romana potentia retro,
  Plebsque mali Christum diceret esse caput,
Texuit annales a primo semine mundi,
  Semper humum monstrans cladibus esse gravem :
Ac ut dilueret stolidi mendacia vulgi,
  Quæ Christi poterant obtenebrare jubar,
Edocuit, mira fraudes brevitate refellens,
  Romula Christiadum sceptra virere fide.
Hinc nos qui tegimur densa ceu nube dolorum,
  Semper et ærumnis turba sepulta sumus,
In Christum fugimus causas torquere malorum,
  Discimus et clades ferre, subire, pati.
Ergo cape Orosium vitii de pulvere raptum,
  Si te parva tui tangere cura potest.
Non vanus pariet tibi tædia sermo legendi,
  Eloquii currit gratia viva sui.
Non te mendorum jam triste morabitur agmen,
  Quorum Fabricii munere prodit egens.
Si qua videbuntur cæcis immersa tenebris,
  Quæ nequit ingenii captus inire tui :
Hæc tibi Gymnasii lux illustrissima nostri
  Franciscus scholii clara nitore facit.
In quibus ut sequitur veterum monimenta virorum,
  Sic loca de rerum nubila nocte trahit.
Cur tibi si possint hujus placuisse labores,
  Et sensus dempto fine movere tuos :
Orosii sumas, lector studiose, libellos,
  Quos fert hic studio gratificante tibi.

EPISTOLA,

AND. SCHOTTUS ANTUERP. S. I. PETRO CHOLINO, TYPOGRAPHO COLONIÆ AGRIPPINÆ, IN UBIIS, SAL.

Qui de legenda historia, hominum vitæ longe utilissima, utpote morum magistra, præcepta parentum memoriæ tradiderunt, ii fere ab epitomis atque compendiis inchoandum esse, commodius arbitrati sunt, ducendumque censent initium, vel a L. Floro in Rom. Historia, vel a scriptore de Viris Illustribus; vel denique in Græca Latinaque historia ab hoc *Paulo Orosio* auspicandum existimant, gradumque paulatim faciendum ad vastos illos historicos, majorum gentium Romanæ Reip. scriptores, T. Livium, Dionysium Halicarnasseum, Plutarchum, Appianum, Dionem, Polybium, ac cæteros. De Epitomis L. Julium Florum, sive is L. Annæi Senecæ labor est (ut Vinetus putat, et membranæ nomen illud præferunt), doctorum hominum commentarii illustrarunt, Joannis Camertis, Eliæ Vineti, Jo. Stadii, Gruteri, Electaque Justi Lipsii V. C. In auctorem de Viris Illustribus urbis Romæ, utcumque notarunt olim Dominicus Machanæus, Philippus Puncherius et in Germania Lycosthenes : nos denique *Corn. Nepoti* manum addidimus, voluimus quidem certe, adornando. In *Orosium* vero, quem jam quartum aut eo amplius, optime Choline, tuis typis excudere paras,

ut mihi per epistolam Myllus noster significavit, ita est a Franc. Fabricio, homine eruditissimo, illustratus Commentario, ut non modo Paulo Orosio, sed Historiæ adeo universæ Græcorum, Romanorumque lucem prætulisse videatur. Eos tamen libros VII denuo ad membranas tuas et Coloniensium Ludovicus Lautius Belga olim contulit. Quas Notas tuo potissimum rogatu recensui, et magnam partem constare comperi Fabricii Notis, quas idcirco segregavi, ne et bis eadem lector cum tædio legere cogeretur; et alienis ornata pennis Æsopica cornicula risum moveret, sed propria illi attribui, mittoque ad te, ut, si videbitur, reliquis adjungas, cum accessione aliqua variantis scripturæ. Nam quæ nos obiter legendo, atque emendando ad oram ascripsimus, dum Fastos Magistratuum, Annalesque Rom. integros Stephani Vinandi Pighii typis edimus Plantinianis, eas æqui bonique ut facias, majorem in modum rogo quæsoque. Illud interim coronidis vice adjungemus, quod istorum nemini in mentem venit, cur hæc olim A *Orosii* Historia inscripta fuerit *Ormesia mundi*: vitiose, ut equidem arbitror, ac Barbari sæculi culpa, cum non Græcæ modo litteræ, sed et Latinæ, perpaucorum hominum essent, jacerent, ac mutæ conticescerent. *Orchestram* enim inscribendam potius, nominandamque primus vidit doctissimus idem Pighius in Hercule Prodicio, qui liber est de optima Principis institutione et iter continet Romam versus *Caroli* ducis Cliviæ ac Juliæ filii, anno sæculari sacro 1575, quo anno in complexu Gregorii XIII Romæ princeps ille summæ spei exspiravit, conditusque jacet in æde *B. Mariæ* Animarum, proxime ad tumulum Adriani VI Belgæ Pont. Max. Sed cur *Orchestra*, inquies? An quia veluti theatrum rerum gestarum repræsentat? an quia a mundi descriptione orditur? Quid autem *Orchestra* sit, in Amphitheatro suo docet Lipsius noster cap. 14 et in Onomastico B Julius Pollux lib. IV cap. 19. Vale, mi Choline, et hac nostra in Orosium fruere qualicumque industria. Antuerpiæ 1614.

NOTITIA GALLANDII IN PAULUM OROSIUM.

Paulus Orosius presbyter, natione Hispanus et civis Tarraconensis, *claruit extremo pene Honorii imperatoris tempore*, ut scribit Gennadius (*a*). Gentem suam ac patriam prodit ipsemet auctor his verbis (*b*): *Exstant adhuc per diversas provincias in magnarum urbium ruinis parvæ et pauperes sedes, signa miseriarum et nominum indicia servantes: ex quibus nos quoque* IN HISPANIA TARRACONEM NOSTRAM *ad consolationem miseriæ recentis ostendimus.* Ex Hispania in C Africam eo nomine peregrinationem suscepit, quo contribulibus suis, pravis hæreticorum erroribus infectis, medelam ac salutem ex sancto Augustino referret. Id porro cum ab ipso sancto doctore, tum in primis ab eodem Orosio edocemur. Et ille quidem in epistola ad sanctum Hieronymum: (*c*) *Ecce*, inquit, *venit ad me religiosus juvenis, catholica pace frater, ætate filius, honore compresbyter noster, Orosius, vigil ingenio, promptus eloquio, flagrans studio, utile vas in domo Domini esse desiderans, ad refellendas falsas perniciosasque doctrinas quæ animas Hispanorum multo infelicius, quam corpora barbaricus gladius, trucidarunt! Nam inde ad nos usque ab oceani littore properavit, fama excitus, quod a me posset de his quæ scire vellet, quidquid vellet, audire.* Et iterum ad Evodium episcopum scribens (*d*), meminit *sanctissimi ac studiosissimi juvenis presbyteri Orosii, qui ad nos*, ait, *ab ultima Hispania, id est ab oceani littore, solo sanctarum Scripturarum ardore inflammatus, advenit.* Hæc Augustinus. Orosius vero in eamdem sententiam, ipsum alloquens sanctum doctorem, hæc habet (*e*): *Ad te per Deum missus sum: de te per eum spero, dum considero qualiter actum est, quod huc venirem. Agnosco cur venerim; sine voluntate, sine necessitate, sine consensu, de patria egressus sum, occulta quadam vi actus, donec in istius terræ littus allatus sum. Hic demum in eum resipui intellectum, quod ad te venire mandabar. Impudentem non judices, si accipis confitentem.... Dilacerati gravius a doctoribus pravis, quam a cruentissimis hostibus sumus. Nos confitemur offensam: tu pervides plagam: quod solum superest, adjuvante Domino, largire medicinam.*

Ex quibus ergo plane conficitur, eos errare sive qui Orosium ab Eutropio et Paulo, Hispanis ut videtur episcopis (*f*), in Africam ad sanctum Augustinum fuisse legatum asserunt; sive qui ab Herote et Lazaro Galliarum præsulibus eumdem illuc missum existimant. Duos quidem priores antistites memorat Orosius (*g*): sed ex ejus verbis ii videntur vel ante ipsum in Africam perrexisse, vel saltem cum eo simul ibidem exstitisse; quo scilicet, haud secus ac ipse Orosius, pro Hispanorum salute a sancto Augustino auxilium expeterent acciperentque: quibus propterea idem sanctus pater librum *de Perfectione justitiæ hominis* inscripsit (*h*). Posteriores vero episcopi Gallicani, Herotes et Lazarus, cum ambo suis pulsi sedibus in Palæstinam contendissent Pelagianos oppugnaturi, ibique dudum agentem Orosium, ut mox dicemus, ea ipsa de causa deprehendissent; eidem jam jam in Africam regressionem meditanti litteras ad concilium Carthaginiense dedere, teste Augustino (*i*):

(*a*) *Gennad.* de Vir. Illustr. cap. 39.
(*b*) *Oros.* Hist. lib. VII, cap. 22.
(*c*) *Aug.* epist. 166, num. 2, opp. tom II, pag. 583.
(*d*) *Id.* epist. 169, num. 13, ibid. pag. 608.
(*e*) *Oros.* Consult. ad August. § 1.
(*f*) *Tillem.* tom. XIII, pag. 1006, not. 57 sur S. Augustin.
(*g*) *Oros.* Consult. l. c.
(*h*) *Aug.* opp. tom. X, pag. 167.
(*i*) *Id.* epist. 175, num. 1, opp. tom. II, pag. 617,

ut propterea nullus ex laudatis episcopis auctor fuerit Africanæ peregrinationis Orosii; quippe qui *sine voluntate*, *sine necessitate*, *sine consensu*, *de patria egressus*, *occulta quadam vi actus* illuc fuerit, quemadmodum eam loquentem modo audivimus. Neque vero huic Orosianæ assertioni ea obstare videntur, quæ ipse alibi narrat (*a*) de persecutione in solo patrio a barbaris sibi illata, quo tempore nimirum Gothi ac Suevi Hispanias invaserant : cujus proinde persecutionis declinandæ causa, quadam *necessitate* compulsus sibi fuga consulendum duxerit. Nam persecutionis quidem barbaricæ vi adactus, ex Hispaniis pedem retulit. Verum alio contendere quam in oras Africanas, integro animo ac libero potuisset, ubi tutius vitam duceret : adeoque *sine necessitate*, ut ipse ait : ac libens eo demum confugit. Qua de re ipsum audiamus (*b*) : *Mihi autem*, inquit, *prima qualiscumque motus perturbatione fugienti, quia de confugiendi statione securo, ubique patria, ubique lex et religio mea est : nunc me Africa tam libenter excepit, quam confidenter accessi : nunc me, inquam, ista Africa excepit pace simplici, sinu proprio, jure communi.* Et reliqua, digna sane quæ apud ipsum auctorem perlegantur.

Primum Orosii appulsum in Africam sive post initium anni 415, sive ante medium ejusdem anni figendum cum viris doctis (*c*) ducimus : secus atque visum Norisio (*d*) ejusque assectatori Pagio (*e*), quorum utrique præcedente anno 414 id contigisse, statuere placuit. Hippone itaque apud Augustinum degens Orosius, postquam sui causam itineris sancto doctori suggessisset, eidem postmodum *Consultationem* seu *Commonitorium* obtulit *de errore Priscillianistarum atque Origenistarum*, ab eo enixe petens (*f*), *ut perspectis omnibus morbis medicinam adhibere festinaret.* Annuit Orosio Augustinus; ejusque Consultationi respondens, librum eidem inscripsit (*g*). Utriusque operis semel iterumque meminit sanctus pater (*h*). Quandoquidem vero inter Orosii interrogata et illud censebatur *de origine animæ;* ad hanc difficillimam solvendam quæstionem imparem se professus sanctus Augustinus, presbyterum nostrum Hispanum ad Hieronymum doctorem maximum remittendum censuit, cum duabus inter cætera epistolis eidem inscriptis, in quarum priore sub initium hæc habet (*i*) : *Docui hominem* (Orosium) *quod potui : quod autem non potui, unde discere posset admonui, atque ut ad te iret hortatus sum.* Idque alibi præterea tradit, ad Evodium episcopum scribens (*j*). Augustino morem gessit Orosius; qui propterea de suo adventu in Palæstinam verba faciens, hæc ait (*k*) : *Latebam in Bethlehem, traditus a patre Augustino, ut timorem Domini discerem, sedens ad pedes Hieronymi.* Hinc porro ad Augustinum rescribens ipsemet Hieronymus (*l*) : *Virum honorabilem*, inquit, *fratrem meum, filium dignationis tuæ, Orosium presbyterum, et sui merito et te jubente suscepi.* Acceptis itaque ab Augustino duabus epistolis ad Hieronymum verno tempore anni 415 scriptis, Hippone solverit statim Orosius et in Palæstinam perrexerit : illic enim eum jam egisse mense Julio exeunte ejusdem anni 415 ex mox dicendis compertum fiet.

Interea dum apud Hieronymum diversaretur Orosius, cunctaque ibi enarrasset quæ Carthagine adversus Pelagianos peracta fuerant; his auditis Joannes Hierosolymitanus qui a Pelagio illic itidem degente deceptus, eum veluti orthodoxum existimabat, rem agere judicio decrevit : indictaque propterea urbana synodo, ad eam Orosium accivit. Qui deinceps dolosis adversariorum artibus tamquam hæreticæ pravitatis assertor notatus, librum postmodum edidit apologeticum, ubi sui defensionem pluribus prosecutus, unum insectatur Pelagium. Longum esset ire per singula, quæ illo in conventu gesta fuisse perhibentur. Ea namque satius fuerit ediscere ex ipso auctoris nostri Apologetico, quem infra exhibemus. Interim vero unum alterumve pro instituti nostri ratione advertere opportunum ducimus. Et primum quidem statuendum videtur, pertinere conventum illum Hierosolymitanum ad annum 415, quo ex Africa verna tempestate discedens Orosius, in Palæstinam contendit, ut superius vidimus. Diem vero quo conventus idem coactus est, fuisse 28 Julii, ex ipsomet Orosio erudimur. Constat enim (*m*), eum *post dies quadraginta et septem* ab habito conventu, Hierosolymam rediisse *primo Encæniorum die :* qui quidem, dies erat 13 Septembris, ut tradit Nicephorus (*n*), τρισκαιδεκάτη δ' ἦν Σεπτεμβρίου μηνός : quod probe animadvertit Valesius (*o*), ac post eum Tillemontius (*p*). Verum Norisius (*q*), Benedictini (*r*), Vallarsius (*s*) aliique ab interprete Lango decepti qui aliud agens Nicephori verba reddidit, *Erat is decimus quartus mensis Septembris dies*, primum Encæniorum diem in 14 Septembris incidisse asseruut. Erratum

(*a*) *Oros.* Hist. lib. III, cap. 20.
(*b*) *Id.* ibid. lib. V, cap. 2.
(*c*) *BB.* Admonit. tom. X opp. Aug. pag. 165, post. med.; *Baller.* Observ. lib. I, cap. 4, § 4, pag. 863 tom. IV opp. Noris.
(*d*) *Noris.* Hist. Pelag. lib. I, cap. 6, p. 68 seq. opp. tom. I.
(*e*) *Pagi.* ad ann. 414, § 6.
(*f*) *Oros.* Consult. ad Aug. § 4.
(*g*) *Aug.* opp. tom. VIII, pag. 611.
(*h*) *Id.* lib. II Retract. cap. 44, opp. tom. I, pag. 57, et in epist. 169, num. 13, tom. II pag. 608.
(*i*) *Aug.* epist. 166, num. 2, tom. II pag. 584.
(*j*) *Id.* epist. 166, num. 13, pag. 608.
(*k*) *Oros.* Apolog. § 3.
(*l*) *Hieron.* epist. 134, num. 1, opp. tom. I, pag. 1036, edit. Veron.
(*m*) *Oros.* Apolog. § 7.
(*n*) *Niceph. Call.* Hist. eccl. lib. VIII, cap. 50, tom. I, pag. 653.
(*o*) *Vales.* ad Euseb. Vit. Const. lib. IV, cap. 46.
(*p*) *Tillem.* Mem. eccl. tom. XIII, pag. 668.
(*q*) *Noris.* Hist. Pelag. lib. I, cap. 7, opp. tom. I, pag. 74.
(*r*) *BB.* in Append. ad tom. X Aug. pag. 74, not.
(*s*) *Vallars.* ad opp. Hieron. tom. II, pag. 575, sub fin. et tom. I, in recens. epist. num. 133.

idem erravit quoque Pagius (*a*), Norisium ut assolet secutus; sui nimirum oblitus; quippe qui antea Valesium exscribens, Encænia ecclesiæ Hierosolymitanæ die 13 Septembris celebrata fuisse recte tradiderat (*b*). A die itaque 13 Septembris retroactis diebus 47 Orosianis, ad Julii diem 28 pervenies, quo habitus fuit conventus Hierosolymitanus.

Porro alterum quod animadvertere nostra magis interesse arbitramur, versatur in asserendo auctori nostro cum viris doctis Apologetico cujus modo mentionem fecimus. Nimirum Jansenius egregium istud opusculum ab aliquo exercitationis causa fuisse conscriptum existimat (*c*). Wastelius vero iis quæ ex Jansenio hausit, illud quoque adjecit, Novatianismi ac Nestorianismi reum esse Orosiani opusculi auctorem (*d*). « Non est hic locus, ut Labbei verbis utamur (*e*), acerbius invehendi sive in episcopum Iprensem, sive in Wastelium Carmelitam; qui futilibus, sed fucatis in speciem argumentis eximium illud opus apologeticum in suspicionem νοθείας adducere voluerunt, contra nitente eruditorum fere omnium virorum exercitu. » Verum ad eos refellendos unus præsto sit Augustinus, qui actorum conventus Hierosolymitani, ab Orosio in suo Apologetico digestorum, excerpta libro *de Gestis Pelagii* intexuisse comperitur (*f*). Quod ut lectori manifestius constet, viros clarissimos adeas, si libet, qui hujusce Apologetici sinceritatem acriter propugnarunt: Norisium (*g*), inquam, in primis et Garnerium (*h*): quos deinceps sunt assectati, Pagius (*i*), Papebrochius (*j*), Tillemontius (*k*), Natalis Alexander (*l*), alii. Et optimo quidem jure hujusmodi Apologeticus Orosio assertus. « Nam ut ait Garnerius (*m*), ab Augustino testimonium habet, stylus auctorem demonstrat, mss. codices Orosii nomen præferunt; et ii soli repugnant quorum interest a tanto viro tamque antiquo scriptore et, quod præcipuum est, tam nobili discipulo Hieronymi atque Augustini, arma non suppeditari, quibus et ipse olim Pelagium vicerit, et ipsi nunc vicissim a catholicis vincantur. » Hæc vir doctus; qui et ista postremo addit, operis præstantiam rursus inculcans: « Quæstionum, inquit, a Pelagio motarum duæ tantum hoc in libro tractantur: altera de potestate liberi arbitrii, altera de perfectione hominis in vita mortali; quas unas Hieronymus (*n*) in oriente agitabat, suarumque partium presbyteris persuaserat; ita ut Pelagio magnam inde invidiam facerent. Ambæ vero tam subtiliter ad Scholæ ἀκρίβειαν, tamque solide ad fidei regulam solvuntur (in hocce Orosii Apologetico); ut affirmare non dubitem, nihil fere melius scriptum olim primis temporibus, nihil veterum monimentorum superesse consequentibus temporibus utilius. »

Sed nondum sermo de Orosiano Apologetico abrumpendus. Nimirum postremæ hujus opusculi parti (*o*) haud pauca ex libro sancti Augustini *de Natura et Gratia* (*p*) fuisse intexta compertum est; quæ propterea merito ab eruditis rescinduntur. Hujusmodi assumentum Schottus primus detexit (*q*); deinde vero latius exposuit Vossius (*r*): qui et alibi rem eamdem pertractans, casu factum existimat (*s*), ut quis librarius aliquas Augustini pagellas, easque inversas et trajectas, permiscuerit Orosianis. His vero, subdit, semel incuria aliqua admissis et cum Orosianis postea compactis, factum fuit ut tamquam Orosiana legerentur a lectore parum attento, et in Augustini lectione non multum versato. Qua de re videas quoque, si vacat, Norisium (*t*), Garnerium (*u*) ac Tillemontium (*v*). Horum itaque virorum eruditorum ductu, excerpta Augustiniana ab Orosii Apologetico sejuncta edidimus; et de inversione ac trajectione lectorem in notis subjectis admonuimus. Quam quidem curam est sane cur miremur fuisse ab Havercampo neglectam. Illud præterea in primis admonere præstat, quod cum Apologetici textum pluribus in locis depravatum in Havercampi editione compareat; illum idcirco quantum in nobis situm fuit emaculare studuimus, Schotti exemplum licet minus castigatum secuti, cum nullum aliud præsto fuerit: quem tamen textum emendatiorem adhuc exhibere licuisset, si opportunius nobis succurrissent excerpta, quæ sive apud Labbeum (*x*), sive apud Benedictinos (*y*) habentur. Verum ut huic incommodo quomodocumque occurreremus, exemplar nostrum dudum e prelo elatum cum memoratis excerptis

(*a*) *Pagi.* ad ann. 415, § 4.
(*b*) *Id.* ad ann. 335, §§ 5 et 6.
(*c*) *Jans.* August. tom. I, pag. 26, edit. Lovan. 1640.
(*d*) *Wastel.* tom. II, Vindic. lib. III, sect. 5, pagg. 568 seqq.
(*e*) *Labb.* concil. tom. III, pag. 363, edit. Ven. Labb.
(*f*) *Aug.* de gest. Pelag. capp. 14, 15, 16, 17 et 30.
(*g*) *Noris.* Hist. Pelag. lib. I, cap. 7, opp. tom. I, pagg. 74 seq.
(*h*) *Garner.* Dissert. VI, cap. 3 ad Mar. Mercat. tom. I, pag. 354, sive in Append. August. pag. 248.
(*i*) *Pagi.* ad ann. 415, § 3.
(*j*) *Papebr.* Tract. prælim. ad tom. III, Act. SS. Maii pag. XXI.
(*k*) *Tillem.* Mem. eccl. tom. XIII, pag. 1008, not. 59 sur S. Augustin.
(*l*) *Nat. Alex.* Hist. eccl. sæc. V, cap. 3, art. 6, § 2, pag. 44.
(*m*) *Garner.* Dissertat. VI, cit. Append. August. pag. 250, sub fin.
(*n*) *Hieron.* epist. 133, opp. tom. I, pag. 1019, edit. Veron., et Dial. contr. Pelag. lib. III, tom. II, pag. 767.
(*o*) *Oros.* Apolog. § 33.
(*p*) *Aug.*, de Nat. et grat. a cap. 13 usque ad 21 et a cap. 3 usque ad 13.
(*q*) *Schott.* præfat. ad Apolog. Oros. Bibl. PP. Paris. tom. XV, pag. 800.
(*r*) *Voss.* Hist. Pelag. lib. I, cap. 17.
(*s*) *Id.* de Hist. Lat. lib. II, cap. 14, pag. 218 seqq.
(*t*) *Noris.* Hist. Pelag. lib. I, cap. 7, pag. 76.
(*u*) *Garner.* in cit. Append. August. pag. 250, sub fin.
(*v*) *Tillem.* tom. XIII, pag. 1008, not. 59.
(*x*) *Labb.* Concil. tom. III, pag. 363 seqq. edit. Ven-Labb.
(*y*) *BB.* in Append. ad tom. X opp. S. August. pag. 79 seqq.

contulimus; quæque in iis notari digniora detexi- A mus, ea inferius ad calcem inter emendanda descripsimus.

Sed in viam demum redeat oratio. Orosius itaque mense Decembri anni 415 degens adhuc in Palæstina, *incredibili desiderio* iter maturabat in Africam, ut ex Aviti epistola ad Palchonium (*a*) discimus: adeoque illinc in sequentis anni 416 verno tempore solvens, ad Augustinum ex condicto (*b*) perrexit. *Rediens*, inquit Gennadius (*c*), *reliquias beati Stephani primi martyris, tunc nuper inventas, primus intulit Occidenti.* Quod quidem antea tradiderat modo laudatus Avitus (*d*). Secum præterea detulit Hieronymi litteras ad Augustinum (*e*), nec non Herotis ac Lazari epistolam ad patres Africanos de Pelagio et Cœlestio, *nefarii prorsus et ab omnibus anathematizandi erroris auctoribus* (*f*). Ex oriente redux in Africam Orosius, *Historiarum libris septem* conscribendis, hortante ac præcipiente Augustino (*g*), manum admovit, quos et eidem sancto doctori nuncupavit. Hoc autem opus ab Orosio exaratum tradit Marcellinus (*h*), *Theodosio* VII *et Palladio coss.*, id est, anno 416. Auctor enimvero testatur (*i*) suos Historiarum libros ab se inchoatos, quo tempore Augustinus *perficienao undecimo* Civitatis Dei *libro insistebat*, id est, anno 416, ut viri eruditi censuerunt (*j*) : eosque confecit sequente anno 417, postquam scilicet Vallia Gothorum rex (*k*) *pacem optimam cum Honorio imperatore datis lectissimis obsidibus pepigit.* De qua temporis notatione videsis Baronium (*l*), sed potissimum Tillemontium (*m*). Porro suos *Historiarum* libros scripsisse Orosium dum in Africa degeret, testis est locuples ipsemet auctor. Etenim sub initium libri V hæc habet (*n*) : NUNC ME AFRICA *tam libenter* EXCEPIT, *quam confidenter accessi :* NUNC ME ISTA AFRICA EXCEPIT *pace simplici, sinu proprio, jure communi.* Ad hæc, opere jam absoluto cadent in regione adhuc agens, coram allocutus esse Augustinum videtur. Nimirum initio (*o*) : *Præceptis tuis parui*, ait, *beatissime pater Augustine.* Et in fine (*p*) : *Explicui*, inquit, *adjuvante Christo, secundum tuum præceptum, beatissime pater Augustine*, etc. Neque aliter existimavit Tillemontius (*q*). Ex quibus ergo B intelligimus errasse omnino Pagium asserentem absque tabulis (*r*), hujusmodi opus fuisse in Hispaniis ab Orosio conscriptum. Porro confectis Historiarum libris atque Augustino exhibitis probatisque, ex Africa discedens Orosius anno 417 desinente, iter in Hispanias suscepit, secum ferens inter alia sancti Stephani protomartyris reliquias quas ab Avito acceperat, ut superius vidimus, Palchonio episcopo Bracarensi tradendas. Quo in itinere in insulam Minoricensem digressus, Magonæ parumper subsistit. Verum cum eo tempore Hispani obsiderentur a Gothis; *postquam illuc transvehi sicut desiderabat nequivit, remeare ad Africam denuo statuit*, ut ex litteris encyclicis Severi Minoricensis episcopi erudimur (*s*). Quid autem posthac Orosio acciderit, omnino incompertum.

Jam vero ut ad ejus Historiam sermo recurrat, habitam fuisse illam apud veteres multo in pretio comperimus. Ea namque vix absoluta atque in vulgus educta, ejus auctor ferme statim laudibus ornatus perhibetur. Prosper sancti Augustini discipulus (*t*) : *Orosius*, ait, *Hispanus presbyter, vir eloquens et historiarum cognitor claret :* quæ quidem verba Gennadius exscripsit (*u*). Anonymus auctor Africanus Prospero suppar, *virum eruditissimum Orosium historiographum* appellat (*v*). Sidonius varios ecclesiasticos scriptores recensens, Orosii copiam in dicendo ejusque facilem eloquentiam prædicat (*x*). Summus ecclesiæ antistes Gelasius (*y*) : C *Orosium*, inquit, *virum eruditissimum conlaudamus, qui valde nobis necessariam adversus paganorum calumnias ordinavit Historiam, miraque brevitate contexuit.* Neque Orosium prætcrit Cassiodorius, qui eum *Christianorum temporum paganorumque collatorem* vocat (*z*). Recentiorum de hujusmodi opere Orosiano judicia mittimus. Ea videas, si lubet, a scriptore Anglico satis diligenter collecta (*aa*). Mittimus quoque verba facere de vocabulo sive *Hormesta* sive *Ormesta*, quo vulgo inscribuntur, teste Cangio (*bb*), in mss. codicibus septem nostri auctoris Historiarum libri : de eo siquidem omnium diligentissime Fabricius (*cc*), cujus tamen enarratis unum addendum, quod ex Withofio refert Gerdesius (*dd*). Cæterum li-

(*a*) *Avit.* epist. apud Baron. ad ann. 415, § 3, et D in Append. tom. VII, opp. Aug., pag. 2.
(*b*) *Aug.* epist. 161, num. 2, opp. tom. II, pag. 584.
(*c*) *Gennad.* de Vir. Illustr. cap. 39.
(*d*) *Avit.* epist. l. c.
(*e*) *Hieron.* epist. 134, opp. tom. I, pag. 1036.
(*f*) *Aug.* epist. 175, tom. II, pag. 617.
(*g*) *Oros.* procem. ad Hist. et lib. VII, cap. 43.
(*h*) *Marcell.* Chron. ad ann 416, inter opp. Sirmond. tom. II, pag. 357, edit. Paris.
(*i*) *Oros.* procem.
(*j*) *BB.* præfat. ad tom. VII opp. Aug.
(*k*) *Oros.* Hist. lib. VII, cap. 43.
(*l*) *Baron.* ad ann. 414, § 14.
(*m*) *Tillem.* Mem. eccl. tom. XIII, pag. 698 et 1010, not. 62.
(*n*) *Oros.* lib. V, cap. 2.
(*o*) *Id.* procem.
(*p*) *Id.* lib. VII, cap. 43.
(*q*) *Tillem.* l. c. tom. XIII, pag. 698.
(*r*) *Pagi.* ad ann. 417, § 23.
(*s*) *Sever.* epist. apud Baron. ad ann. 418, § 46.
(*t*) *Prosp.* Chron. inter ejus opp. p. m. 428.
(*u*) *Gennad.* de Vir Illustr. cap. 39.
(*v*) *Anon.* auct. de promiss. et prædict. part. II, cap. 33, num. 4, in Append. ad Prosp. opp.
(*x*) *Sidon.* lib. IV, epist. 3, inter opp. Sirmond. tom. I, pag. 932.
(*y*) *Gelas.* Decret. § 3 apud Fontanin. in append. ad antiqq. Hort. pag. 326.
(*z*) *Cassiod.* de Instit. divin. litter. cap. 17.
(*aa*) *Thom. Pope Blount.* Censur. celebr. auct. pag. 290.
(*bb*) *Cang.* Glossar. Lat. vv. *Hormesta* et *Ormesta.*
(*cc*) *Fabric.* Bibl. med. et inf. Latin. tom. V, pag. 520.
(*dd*) *Gerdes.* Miscell. Groning. tom. II, fascic. 2, pag. 382.

cet nævis haud careat ejusmodi Orosii opus, quos viri doctissimi perspexere, Baronius passim, Scaliger in animadversionibus Eusebianis, Petavius in libris de doctrina temporum, Norisius in Cenotaphiis Pisanis aliique; « plurimi tamen, ut nuperi editoris verbis utar (*a*), apud omnes eruditos haberi solet, cum ob ipsius operis multijugem historiam, non inutili brevitate congestam et ad temporum rationem consulesque Romanos sollicite digestam; tum vel maxime quod integris quos frustra jam quærimus, magnis historiarum et annalium scriptoribus, atque in eo genere principatum tenentibus, auctor sit usus. »

Editionem Orosianæ historiæ prelo subjiciendam curavimus, quam omnium postremam Lugduni Batavorum publici juris fecit anno 1738 eruditissimus Havércampus; quippe quæ cum ad veteres codices vulgatos, tum ad fidem mss. et præsertim antiquissimi Longobardici bibliothecæ Florentinæ Mediceæ, cujus mentio exstat apud Mabillonium (*b*), fuerit diligenter exacta. Unum est, quod animadvertendum existimamus. Nimirum, temporis cursum supputans Orosius, quem in sua Historia contexenda complexus, ab orbe condito usque ad suam ætatem deduxit, sic inquit (*c*): *Explicui..... ab initio mundi usque in præsentem diem per annos* VM. DC. XVIII, id est, *quinquies mille sexcentos et duodeviginti*, etc. Sic exactiores veteres editi (alii quidem nonnulli, numero uno transposito, haud bene præ se ferunt VM. DXC. XVIII, qui tamen numerum postremum XVIII probe retinent); sic item optime legerunt viri doctissimi, Baronius (*d*), Vossius (*e*), Pagius (*f*) ac Tillemontius (*g*). At Havercampus siglas numericas oculis fugientibus excurrens, rescripsit, *per annos mille sexcentos et* SEPTEMDECIM, loco *decem et octo*. Quod quidem mendum haud nobis animadversum quando typis committebatur Havercampi exemplar, nunc tollendum e nostro admonemus (*h*).

(*a*) *Haverc.* præfat. ad Oros. sub fin.
(*b*) *Mabill.* de re diplom. lib. v, pag. 354.
(*c*) *Oros.* Hist. lib. VII, cap. 43, sub fin.
(*d*) *Baron.* ad ann. 414, § 15.
(*e*) *Voss.* lib. II de Hist. Latin. cap. 14, pag. 216.
(*f*) *Pagi.* ad ann. 417, § 23.
(*g*) *Tillem.* Mem. eccl. tom. XIII, pag. 1010, not. 42 sur S. Augustin.
(*h*) *Oros.* Hist. lib. VII, cap. 43.

RATIO ORTHOGRAPHIÆ

In Orosii codice Longobardico et antiquissimo bibliothecæ Florentinæ mediceæ S. Laurentii,

Quam sequuntur alii duo codd. ejusdem Biblioth. et præsertim XXXV.

Accerso	*Arcesso*
acquiesco	*adquiesco*
acquiro	*adquiro*
adolescens	*adulescens*
adolescentulus	*adulescentulus*
affecto	*adfecto*
afficio	*adficio*
affigo	*adfigo*
afflatus	*adflatus*
aggravatus	*adgravatus*
aggredior	*adgredior*
agnosco	*adgnosco*
appeto	*adpeto*
appono	*adpono*
apud	*aput*
assertor	*adsertor*
assidue	*adsidue*
assiduus	*adsiduus*
assumo	*adsumo*
assumptus	*adsumptus*
assurgo	*adsurgo*
attentatus	*adtemptatus*
attestor	*adtestor*
atque	*adque*
Babylonem	*Babylonam*
Britannicus	*Brittannicus*
Caius	*Gaius*
Carthaginenses	*Carthaginienses*
catena	*cathena*
centurio	*centyrio*
collatio	*conlatio*
collisus	*conlisus*
colloquor	*conloquor*
commeatus	*conmeatus*
commuto	*conmuto*
concio	*contio*
conditio	*condicio*
delectus	*dilectus*
dii, diis	*di, dis*
Diocletianus	*Dioclitianus*
epistolæ	*epistulæ*
exin	*exim*
existo	*exsisto*
hæres	*hères*
idololatria	*idolatria* (sic scribitur in codd. 35 et 37)
iisdem	*eisdem*
illatus	*inlatus*
illecti	*inlecti*
illisus	*inlisus*
illustris	*inlustris*
immaturus	*inmaturus*
immensus	*inmensus*
immisceo	*inmisceo*
inducіæ	*indutiæ*
inquit	*inquid*
intelligo	*intellego*
irrumpo	*inrumpo*
irruo	*inruo*
irruptus	*inruptus*
lacrymæ	*lacrimæ*
littus	*litus*
Macedo	*Machedo* (sed non semper)
offuscatus	*obfuscatus*
Perdicca	*Perdica*, et *Perdicca*
prælium	*prœlium*
proconsul	*proconsules*
querela	*querella*
saltem	*saltim* (sed non semper)
sexcentesimus	*sescentesimus* (sed non semper)
scripsi	*scribsi*

soboles	*suboles*	A toties	*totiens*
Sulpitius	*Sulpicius*	tribunitia	*tribunicia*
supplementum	*suplementum*	Vandali	*Wandali*
tentamenta	*temptamenta*	urbis	*orbis*
tento	*temvto*	urgeo	*urgueo*

Habe$^{\text{ntur}}$ *et aliæ lectiones id genus, quæ possunt conjici ex appositis in hoc catalogo ; ipsa vero litterarum in codice Longobardico antiquissimo hæc, quam subjeci, est figura.*


DECEMANNOSCRUENTISSIMEGESTOQUAS
NATIONESQUANTOSQPOPULOSIDEMTURBO
INVOLUERITATQADFLIXERITHOMERUSPOET



PAULI OROSII,

HISPANI PRESBYTERI,

HISTORIARUM

LIBRI SEPTEM.

Præfatio.

AD AURELIUM AUGUSTINUM.

1 Præceptis tuis parui, beatissime pater Augustine: atque utinam tam efficaciter quam libenter! Quamquam ego [2] in utramvis partem parum de explicito movear, rectene an secus egerim : [3] tu enim jam isto judicio laborasti, utrumne hoc, quod præciperes, possem ; ego autem solius obedientiæ, si tamen eam voluntate conatuque decoravi, testimonio contentus sum. [4] Nam et in magna magni patrisfamilias domo, cum sint multa diversi generis animalia, adjumento familiaris rei commoda : [5] non est

HAVERCAMPI NOTÆ.

PRÆF. — 1. *Pauli Orosii presbyteri.* Hanc esse veram inscriptionem et finis harum Historiarum imprimis declarat, et bibliothecæ metropolitanæ Coloniensis vetustissimi codicis confirmat auctoritas. LAUTIUS. — Invenitur quoque Orosii, ut presbyteri, eadem inscriptio in mss. Ultrajectino et Perizoniano, in quibusdam mss. idem titulus illi in fine datur, isque in Lugd. Bat. pr. et tertio, huic includitur versiculo,

Presbyteri sacri codex hic finit Oros I.

2. *In utramvis partem parum.* Meus membranaceus mavult *in utrumque parum.* Florentinus tert. legit, *in utramque partem pariter.* Lugd. Bat. tert., *in utramque partem parumper.* Idem delet *recte*, et mox scribit *præceperas.* Pro *rectene an secus* Ultr. *recte an secus.*

3. *Tu enim jam isto.* Lugd. Bat. quart., *Tu autem jam justo.*

4. *Nam et in magna.* ms. Lugd. Bat. quart. *et* atque *magna* delet. Mox *multa* non agnoscit Flor. sec.

5. *Non est tamen.* Meus, Lugd. Bat. tert. et Flor. tert. *non tamen*, et mox pro *insitum* habet *institutum* posterior.

tamen canum cura postrema : quibus solis natura insitum est, voluntarie [6] ad id ad quod præparantur urgeri, et per ingenitam quamdam obedientiæ formulam, sola [7] disciplinati timoris exspectatione suspendi, donec ad peragendi licentiam nutu signove mittantur. Habent enim proprios appetitus, quantum brutis excellentiores, tantum rationabilibus propinquantes : hoc est, discernere, amare, servire. Nam discernentes inter dominos atque extraneos, [8] non eos quos insectantur, oderunt : [9] sed his quos amant, zelant : et amantes dominum ac domum, non quasi ex natura apti corporis vigilant, sed ex conscientia solliciti amoris invigilant. Unde etiam [10] mystico sacramento in Evangeliis, quod edant micas [11] catelli [12] sub mensa dominorum suorum, et Chananæa non erubuit dicere, et Dominus non fastidivit audire. [13] Beatus etiam Tobias, ducem angelum sequens, canem comitem habere non sprevit. Igitur [14] generali amori tuo et speciali connexus, voluntati tuæ volens parui. Nam cum subjectio mea præcepto paternitatis tuæ [15] factum debeat, [16] totumque tuum sit, quod ex te ad te redit, opus meum; [17] hoc solo meo cumulatius reddidi, quod libens feci. Præceperas mihi [18] ut scriberem adversus vaniloquam pravitatem eorum, qui [19] alieni a civitate Dei ex locorum agrestium compitis et pagis pagani vocantur, sive gentiles; [20] qui terrena sapiunt : qui, cum futura non quærant, [21] præterita autem aut obliviscantur aut nesciant, [22] præsentia tantum tempora veluti malis extra soli-

HAVERCAMPI NOTÆ.

6. *Ad id ad quod præparantur.* Editi quidam veteres, *ad id quo præparantur*, inter quos omnium prima. Mss. vero omnes, *ad id quod præparantur*, ut et edit. Augustana. Quare interseruit Fabricius voculam *ad*, quæ necessario requirebatur, et excidisse videtur, quoniam bis, intermedia voce *id*, occurrebat.

7. *Disciplinati timoris.* Hic pro *timoris* exhibent *tremoris* mss. Flor. sec. et tert., Lugd. Bat. sec., Ultr. et editi vetustiores. At mss. Lugd. Bat. reliqui ut et Meus, *timoris*, et recte prætulit Fabricius, ex timore enim tremor nascitur. Pro *peragendi* L. B. tert. *pergendi.* Mox ad illa quæ sequuntur, *quantum brutis* addit *sunt* Lugd. Bat. sec. et Ultr. Prior ponit mox *animalibus* post *rationabilibus*, legit quoque *appropinquantes.*

8. *Non eos quos.* Flor. sec. *non solum eos*, male. Orosius enim ingenitum canibus esse ait amorem erga dominos, sic ut eo impulsore extraneos adlatrent, eosque insectentur, non quod ipsos natura oderint, sed pro defensione domini.

9. *Sed his, quos amant, zelant. His* non *hos* est in nostris manuscriptis; ζηλοῦν etiam in sacris litteris cum dativo legitur. Fabricius. —Mss. Ultr. et Lugd. Bat. omnes *sed pro his* sive *hiis*, ut ed. omnium prima : *hos* mss. Flor. sec. et tert. ut et edit Hittorp.; at Fabricianum *his* comprobant et August. edit. et codex Perizon. atque Meus.

10. *Mystico. Mystice* Lugd. Bat. sec. qui et mox addit post *evangeliis* verbum *leginus*, pro quo *legitur*, tert. quint. et Ultr., utrumque male.

11. *Catelli sub mensa.* Legitur et *de mensa.* Apud Matthæum capite decimo quinto est, τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν. Fabr. —L. B. tert. *Catuli.*

12. *Sub mensa dominorum suorum.* postremam vocem delent Periz., Ultr., Lugd. Bat. sec., et Florentin. sec. et tert. Augustana quoque editio, et Codex Meus. *Mensis* autem præfert Lugd. Bat. quart. Postulant tamen Græca unde desumpta sunt. Mox *mulier* editi quidam infarciunt.

13. *Beatus etiam Tobias.* Tobiæ sexto. Fabr.

14. *Generali amori tuo speciali amore connexus.* Flor tert. *amore tuo.* Vulgatæ hactenus lectioni præfero illam quæ in vetustissimo Lugd. Bat. sec., Ultr. et prima edit. invenitur, *generali amori tuo et speciali connexus.*

15. *Factum debeat.* Sic omnes mss. et editi; unus Ultr., *factum inpendere opus debeatis.* Unde vetus suspicor esse mendum; neque enim satis capio quid hoc sibi velit. Si vult innuere Orosius, subjectionem suam præcepto paternitatis Aurelii Augustini debere factum, id est opus hoc, quasi dicat, id quod nunc a me factum est, illepide sane locutus est, neque pro eo quo polluit judicio. Suspicor igitur Orosium non *factum* scripsisse, sed *fructum.* Debebat autem præceptioni et operæ Augustini præceptoris sui, et patris spiritualis, fructum, quo ostenderet, quantum hoc doctore profecisset. Hunc fructum nunc profert, atque illi, cui debere se profitetur, offert.

16. *Totumque tuum sit*, etc. Ita corruptum mala distinctione locum emendavi. In editis antea legebatur, *totumque tuum sit, quod ex te* (addit *sit* Ultr.) *ad te redit, opus meum hoc solo meo cumulatius reddidi, quod libens feci.* Distinctionem hic debere poni post *opus meum*, res ipsa clamare videtur. Dicit enim Orosius, universum hoc opus suum merito Aurelii Augustini vocari posse, atque profectum ab eodem (id est, ejus hortatu et jussu conscriptum) merito eidem debere offerri. Verba *tuum sit*, transponit Flor. tert. Insuper mss. Lugd. Bat. prim. et quart. ita legunt, *totumque sit tuum quod ex te sit, ad te redeat*; tert. *totumque q. e. te sit, ad te redeat*; sec. vero *nempe idem opus, totumque tuum sit, quod ex te sit, ad te redit.* In quibus tria priora verba ad glossam sunt referenda, quæ explicet *totumque.*

17. *Hoc solo meo cumulatius.* Multi ex mss. *meo* non agnoscunt, ut Flor. sec., Ultr., Periz., Lugd. Bat. prim. sec., et tert., edit. quoque princeps et Augustana. Retinent Flor. tertius, Codex meus et Lugd. Bat. quart. in quo ultimo est, *hoc solum meo.* Potest autem abesse *meo*, quoniam de suo opere, non alieno loqui Orosium ex sensu satis patet. Tibi, inquit, pater Augustine, fructum debeo, quem offero, tuis auspiciis monitisque susceptum opus, quod tuum rite vocari propterea potest et debet; obsequii gloria apud me est, eoque solo cumulatius reddidi, quod libens feci. Hanc præceptis magistri sui obedientiam in initio præloquii spoponderat, in illis, *Præceptis tuis parui, beatissime pater Augustine : atque utinam tam efficaciter quam libenter!*

18. *Ut scriberem.* Ex omnibus editis et quibusdam mss. exciderat vox secunda *scriberem*; exhibent vulgo *ut* vel *uti adversus*, etc.; servarunt (ex quibus reposui) mss. Lugd. Bat. prim., sec., quart., Periz. et Ultr.

19. *Alieni a civitate Dei.* Adludit ad eximium præceptoris Aurelii Augustini opus, quod ille *De Civitate Dei* inscripsit, et cujus decimum ediderat librum, cum hæc sua vulgaret Orosius.

20. *Qui terrena sapiunt.* Sic omnes fere exhibent mss.; unus aut alter cum vulgatis editionibus legit, *quia terrena sapiunt*, quasi gentiles vocarentur, quia terrena sapiunt; quod ego inde exsculpere nequeo; at illos, qui a civitate Dei alieni sunt, paganos et gentiles vocat; hos dicit terrena sapere, hos, cum futura non quærant, etc.

21. *Præterita autem.* Edit. August. non agnoscit *autem*, ut nec Venet. nec ms. Periz., sed Hittorp. delet sequens *aut*, ut et Lugd. Bat. tert. At pejus vocem *non* delent edit. princeps et Aug. in iis quæ præcesserunt, *non quærant.* Mox *obliviscuntur* et *nesciunt* mss. Lugd. Bat. pr., tert., et quart.

22. *Præsentia tantum. Præsentia tamen* Florent.

tum infestissima, 4 ob hoc solum quod creditur Christus, et colitur Deus, idola autem [23] minus colùntur, infamant : præceperas ergo, ut ex omnibus, qui haberi ad præsens possunt, historiarum atque annalium fastis, quæcumque aut bellis gravia, aut corrupta morbis, aut fame tristia, aut terrarum motibus terribilia, aut inundationibus aquarum insolita, aut eruptionibus ignium metuenda, aut ictibus fulminum plagisque grandinum sæva, vel etiam parricidiis flagitiisque misera, per transacta retro sæcula reperissem, ordinato breviter voluminis textu explicarem : maxime cum reverentiam tuam, perficiendo [24] adversus hos ipsos paganos undecimo libro insistentem [25] (quorum jam decem [26] orientes radii, mox ut [27] de specula ecclesiasticæ claritatis elati sunt, [28] toto orbe fulserunt), levi opusculo occupari non oporteret : [29] et sanctus filius tuus, Julianus Carthaginensis, servus Dei, satisfieri super hac re [30] petitioni suæ eadem fiducia qua poposcit, exigeret : dedi operam, et meipsum in primis [31] confu-

A sione pressi, cui plerumque repu'anti supra modum exæstuavisse præsentium clades temporum videbantur. 5 Nactus enim sum præteritos dies non solum æque ut hos graves, verum etiam tanto atrocius miseros, quanto longius a remedio veræ religionis alienos ; ut merito [32] hac scrutatione claruerit, regnasse mortem avidam sanguinis, dum ignoratur religio, [33] quæ prohiberet a sanguine : [34] ista illucescente, illam constupuisse : illam concludi, cum ista [35] jam prævalet ; illam penitus nullam futuram, cum hæc sola regnabit. Exceptis videlicet semotisque illis diebus novissimis sub fine sæculi, et sub apparitione Antichristi, vel etiam sub conclusione judicii : quibus futuras angustias, quales ante non [36] fuerint, Dominus Christus per Scripturas sanctas, sua etiam B contestatione prædixit : [37] cum secundum ipsum quidem, qui et nunc et semper est, modum, verum apertiore ac graviore discrimine, per intolerabiles tribulationes temporum illorum, sanctos probatio, impios perditio consequetur.

HAVERCAMPI NOTÆ.

sec., edit. pr. et Aug. et Venet.; *præsentia tantum ipsa* Flor. tert. Mox quædam *infestatissima*.

23. *Minus coluntur*. Lugd. Bat. pr. et tert., *non coluntur*. Sed vulgata rectior, quia nondum plane abolita erat gentilis religio. Mox *historiarum libris* Periz.

24. *Adversum hos ipsos*. Hinc cognoscitur, quo tempore hanc historiam conscripserit Orosius, nimirum post Romam captam sub Honorio imperatore, anno Christi 410 ; qua de re dicemus libro ultimo capite vigesimo nono. Cum ergo Augustinus jam decimum de Civitate Dei perfecisset, atque jam undecimum conscriberet, tum Orosius noster hæc scribere aggressus est. FABR.

25. *Quorum jam decem*. Ex hoc loco patet veteres in edendis magnis librorum voluminibus, ut sunt illa Augustini de Civitate Dei, singulos interdum libros, ubi perfecti erant, vulgasse.

26. *Orientes radii*. In Flor. sec. superscriptum erat *velut*. In ed. August. legitur, *velut orientis radii*, tamquam ad radios solis veluti orientis adluderetur, cum sequentia probent ab ignibus (quibus signum dabatur) desumptam esse metaphoram.

27. *De specula*, etc., *elati sunt*. Lugd. Bat. pr., tert. et quart., *de speculo delati sunt*, male. Proprietas locutionis patet ex Lucano lib. VI, vers. 278 :

Vix prælia Cæsar
Senserat, elatus specula, quæ prodidit ignis.

28. *Toto orbe*. Ed. Hitt. *toto orbi*.

29. *Et sanctus filius. Et cum sanctus filius*, etc., Lugd. Bat. sec. et quart. ut et Ultr.

30. *Petitioni suæ*. Vulgo *petitioni tuæ*. Sed illud præ hoc rectius puto. LAUT. — Confirmant *suæ* (pro quo *petitioni tuæ* Flor. tert. et Meus) Flor. sec., Lugd. Bat. sec., tert. et quart., Ultr. ut et Periz., et edit. princeps et Aug. Reposui ex iisdem atque insuper Periz., Flor. tert., Meo et editt. Venetis, *poposcit* pro *poposcisti*, quod in vulgatis erat ; nam hic de Juliano, non de Augustino agitur. Præceperat videlicet Orosio hujus operis contextum Augustinus ; quodque in se receperat Orosius, exigebat, ut perficeret, Julianus. Ultr. *ea fiducia*, pro *eadem*.

31. *Confusione*. Lugd. Bat. prim. et tert. *in confusione*. Iidem mox *videantur* pro quo Flor. tert. et quart. *videbatur*.

32. *Hac scrutatione*. Ultr. addit. *mea*.

33. *Quæ prohiberet a sanguine*. Lugd. Bat. quart., *prohibuerit*. Meus, *qui prohibet sanguinem*.

34. *Ista illucescente, illam constupuisse*. Cum in prioribus Fabricii editionib. *illucescente* legeretur, prout in antiquioribus, in mss. Florent. sec., tert., Meo, et Lugd. Bat. plerisque et Periz. exstat, in edit. Mogunt. mutatum illud fuit in *conlucescente*, quod tantum in uno, Lugd. Bat. sec. scil., inveni, et propter concursum similis soni minus convenire existimo. Pro *constupuisse* vitiose *constipuisse* legitur in quibusdam mss., ut Flor. sec., tert., L. B. tert. et Meo. *Constupuisse* vero dixit Orosius, ut sæpe simplex *stupere*, et *stuporem* Tertullianus. Is in Apolog. cap. 37 p. 113 apposite ad hujus loci sensum, ita scribit : *Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, et stuporem quemdam quasi mortui orbis*. Sic *stupentem* dixit idem *divinitatem*, quæ plane nulla est, Adversus Valentinianos cap. 7. Lugd. Bat. sec. et Ultr. habent *obstupuisse*.

35. *Jam prævalet. Jam prævaleret* L. B. tert. ; *cum ista prævaleret*. Lugd. Bat. pr. Mox, *jam penitus nullam* Lugd. Bat. sec. et ed. Aug. ; *jam illam* Lugd. Bat. quart. ; *jam penitus illam* Ultr. Dein *regnavit* male pro *regnabit* Flor. tert. et ed. Aug. ut et princeps.

36. *Fuerint*. Edd. Aug. et pr. *fuerant*. Mox pro *semper est*, Lugd. Bat. pr. *semper fuit*. In illis *sub apparitione* atque *sub conclusione*, in prioribus et in posterioribus *sub* delet Flor. sec. Pro *consequetur*, ultimo hujus præloquii verbo, *sequetur* habent edit. Venetæ, *consequatur* Augustana.

37. *Cum secundum*, etc. Editi quidam, ut Fabr. et August. exhibent, *cum non secundum*, etc. contra edit. primam et omnes, certe meliores, mss. Florent., Lugd. Bat., Periz., Meum. Innuit enim Orosius, usque ad finem sæculi fore bella et clades, sed in fine graviores multo respectu impiorum. In *semper est*, posteriorem vocem delet L. B. tert.

LIBER PRIMUS.

6 CAPUT PRIMUM.

Unde cæteri historias exorsi sint, et unde ipse eam exordiri, quatenusque prosequi velit, ostendit: admiscens interim de primis temporibus origineque seu causa malorum.

[1] Et quoniam omnes propemodum tam apud Græcos quam apud Latinos studiosi ad scribendum viri, qui res gestas [2] regum populorumque ob diuturnam memoriam [3] verbis propagaverunt, initium scribendi a Nino Beli filio, rege Assyriorum, fecere: qui cum opinione cæca mundi originem creaturamque hominum sine initio credi velint, cœpisse tamen ab hoc regna bellaque definiunt: [4] quasi vero eatenus humanum genus ritu pecudum vixerit, et tunc primum veluti ad novam [5] providentiam concussum suscitatumque [6] evigilarit: ego initium miseriæ hominum [7] ab initio peccantis hominis [8] ducere institui, paucis **7** dumtaxat, iisdemque breviter delibatis. [9] Sunt autem ab Adam, primo homine, usque ad Ninum, A magnum (ut dicunt) regem, quando natus est Abraham, [10] anni tria millia centum octoginta et quatuor, qui ab omnibus historiographis vel omissi, vel ignorati sunt. A Nino autem [11] vel Abraham usque ad Cæsarem Augustum, id est, usque ad Nativitatem Christi, quæ fuit anno imperii Cæsaris quadragesimo secundo, [12] cum, facta pace cum Parthis, Jani portæ clausæ sunt, et bella toto orbe cessarunt, colliguntur anni duo millia quindecim, in quibus [13] se inter [14] actores scriptoresque omnium otia negotiaque triverunt. Quapropter res ipsa exigit ex his libris quam brevissime vel pauca [15] attingere, qui, originem mundi [16] loquentes, præteritorum fidem annuntiatione futurorum, et post subsequa probatione, fecerunt: [17] non quo auctoritatem eorum cuiquam videamur ingerere, sed quod operæ pretium sit de opinione vulgata, **8** quæ nobis cum omnibus communis est, commonere. [18] Primum quia si divina B providentia, quæ, [19] sicut bona, ita pia et justa est,

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. I.—1. *Et quoniam omnes.* Libri mss. plures, et impressi fere omnes, quotcumque per capitula libros hujus scriptoris distinguunt, hæc ut primi capitis initium ponunt. Alii, inter quos Periz. et Flor. tert. et Lugd. Bat. tert. a capite sequenti initium libri primi auspicantur, et forsitan melius. At illud in edit. Aug. Joannis Schusz'er, incipit, ab *Ego initium*, etc. atque post *veluti ad novam prudentiam* (sic enim legitur) *concussum suscitatumque vigilaret*, scribitur, *Finit Prologus.* Deinde sequitur, *Pauli Horosii presbyteri Historiographi, discipuli sancti Augustini episcopi, adversum Christiani nominis querulos libri numero septem incipiunt.* Presbyteri vero titulus scriptori huic itidem datur in eadem editione ad Prologi ipsius initium, ubi hæc est rubrica, *Pauli Horosii presbyteri, Historiographi, discipuli sancti Augustini, viri Hispani generis eloquentissimi, adversum Christiani nominis querulos Prologus in libros septem.*

2. *Regum populorumque.* Aug. et Venet., *rerum populorumque.*

3. *Verbis propagaverunt. Verbis* delet Lugd. Bat. quartus. Mox Flor. tert. habet *et initium scribendi.*

4. *Quasi vero eatenus.* Flor. tert. *quasi non eatenus: quasi vere eatenus* edition. prima et Aug. Mox *hominum genus* pro *humanum genus* Aug.; *nunc primum* pro *tunc primum* Lugd. Bat. quart.

5. *Providentiam.* Aug. *prudentiam.* Lucret. IV, 14:

Ut puerorum ætas improvida ludificetur.

6. *Evigilarit.* Sic plures mss. editique, melius quam *vigilarit* vel *vigilaret*, ut alii. Flor. sec. *vigilaverit.*

7. *Ab initio peccantis hominis.* Flor. sec. et tert. *ab initio peccati hominis.* Lugd. Bat. pr., sec., tert. et quart., *ab initio peccati primi hominis.* Ultr., *ab initio peccantis primi hominis.* Ego non video rationem cur a vulgata lectione, quam reliqui comprobant, discedam.

8. *Ducere institui.* Lugd. Bat. tert. *ut docerem instiii.* Sed pr., sec. et quart., *docere institui*, quod et probat Ultr. Ego, si quid mutandum est, cum meis membranis *deducere* malim; repetit enim miserias mundi Orosius a prima mundi origine, atque ad sua deducit tempora. Mox *deliberatis* pro *delibatis* editiones Venetæ.

9. *Sunt autem ab Adam.* Multi ex mss. hic primi capitis rubricam collocant, et inter illos Flor. pr., Ultr. et Meus. *Sunt autem ab exordio mundi, ab Adam*, etc., Lugd. Bat. secundus.

10. *Anni tria millia centum octoginta et quatuor.* Hunc numerum nos in omnibus libris invenimus, quod propter varietatem, quæ in primis temporibus invenitur, testatum relinquere voluimus. Varietatem, Hebræorum et Græcorum librorum diversitas peperit: lege præter alios August. de Civitate Dei libro decimoquinto capite decimo. Eusebius, Orosius, Cassiodorus et posteriores magis Græcos quam Hebræos secuti sunt. Abraham, auctore Eusebio, natus est anno XLIII imperii Nini regis. FABR.

11. *Vel Abraham.* Flor. tert. *vel ab Abraham*, et mox *ad nativitatem Domini*, pro *Christi*, idem Flor.

12. *Cum, facta pace.* Flor. sec. *cum facta bella toto orbe*, etc. In margine ibidem: alii, *cum fecit pacem cum Parthis, et Jani portæ clausæ sunt, et bella*, etc.

13. *Se inter.* Lugd. Batt. et Ultr. *inter se*, et sic quoque transponunt editiones Venetæ. Omnes vero copulam *et* ante *quindecim* delent.

14. *Actores scriptoresque.* Editiones habent, *auctores*, sed meam lectionem veram esse probat Sallustius: *Tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem et actorem rerum.* LAUT.— Emendationem Lautii comprobant Flor. sec. et tert., eaque certa esse videtur. Pro *triverunt* vitiose *tribuerunt* in Flor. sec.

15. *Attingere.* Delent magno consensu vocem *eorum*, quæ ex interpolatione Hittorp. editiones occupavit, mss. Flor. pr., sec., Lugd. Bat. omnes, Periz., Ultr., et Meus; præterea prima editio, Aug. et Ven. Pro *attingere* habent *contingere* mss. et edd. quidam, ut et Fabr.: sed male. *Contingere* enim de tempore, in quo aliquid fit; *attingere*, de scriptore, ut Orosio, excerpente scripta vetustiorum, usurpatur.

16. *Loquentes.* Lugd. Bat. sec. et quart. *linquentes.* Quæ sequuntur, ita explico: Qui (inquit) libri nos veram mundi docentes originem, probant fidem ipsis denegari non posse in iis, quæ indicta aliis soli testantur facta fuisse; quoniam illa, quæ in iisdem, ut futura, prædicuntur, postea probationem ex eventu nacta sunt. Pro *subsequa* Flor. sec. *subsequentia*, et pro *communis est*, Lugd. Bat. tert. habet *communis sit.*

17. *Non quo auctoritatem.* Vulgati *quod*, verum ego *quo* inveni in Lugd. Bat. sec. et quarto; præterea in Periz. et Meo, quibus astipulantur uterque Flor., editiones quoque pr. et Aug. Ex his nonnulli quoque in sequentibus *sed quod operæ pretium sit*, scribunt *quo*, ut Lugd. Bat. sec., tert. et Meus, atque insuper Ultr. in quo prius *quo* vel *quod* deficit, verum rectius *quod* in posterioribus retineri posse existimo.

18. *Primum quia.* Ad vocem posteriorem in Flor. sec. alia manu superscriptum legitur *quidem.*

19. *Quæ sicuti bona, ita et pia et justa est.* Irrepse-

[20]agitur mundus et homo: hominem autem, qui convertibilitate naturæ et libertate licentiæ et [21] infirmus et contumax est, sicut pie gubernari egenum opis oportet, ita juste corripi immoderatum libertatis necesse est: jure ab initio hominis per bona malaque alternantia, exerceri [22] hunc mundum sentit, [23] quisquis per se atque in se humanum genus videt: deinde cum ab ipso primo homine peccatum punitionemque peccati cœpisse doceamur: porro autem cum etiam [24] isti de mediis temporibus inchoantes, quamvis superiorum [25] nusquam meminerint, nihil nisi bella cladesque descripserint (quæ bella quid aliud dicenda sunt, nisi [26] vergentia in alterutrum mala: mala autem [27] hujusmodi quæ tunc **9** erant, sicut et nunc sunt [28] in quantum sunt, sine dubio, aut manifesta peccata sunt, aut occultæ punitiones peccatorum), quid impedimenti est nos ejus rei caput pandere, cujus illi corpus expresserint; et [29] priora illa sæcula, quæ multo numerosiora monstrabimus, vel tenuissimo testari relatu similes miserias pertulisse? Dicturus igitur ab orbe condito usque ad Urbem conditam, dehinc usque ad Cæsaris principatum, nativitatemque Christi, ex quo sub potestate Urbis orbis [30] permansit imperium: vel etiam [31] usque ad dies nostros, [32] in quantum ad cognitionem [33] vacare suffecero, [34] conflictationes generis humani et veluti per diversas partes ardentem malis mundum, face cupiditatis incensum, [35] e specula ostentaturus, necessarium reor ut primum ipsum terrarum orbem, quem inhabitat humanum genus, sicut est a majoribus [36] trifariam distributus, deinde regionibus provinciisque determinatus, expediam: quo [37] facilius cum locales bellorum morborumque clades [38] ostentabuntur, studiosi quique non solum rerum ac temporum, [39] sed etiam locorum scientiam consequantur.

10 CAPUT II.

Majores mundum in tres partes divisisse, quarum situm, regiones, locaque celebriora succincte admodum describit.

[1] Majores nostri orbem totius terræ, Oceani limbo circumseptum, triquadrum statuere: ejusque tres par-

HAVERCAMPI NOTÆ.

rat hic a glossemate nescio quo, *et pia*. LAUT. — Lugd. Bat. tert. *pia* agnoscit, sed *bona* non, et ab utroque quidem ms. Flor. sec. et tertio, et Periz., absunt, quæ deleri vult Lautius, *et pia*, immo, neque Ultr., neque Meus, neque Edit. Aug. agnoscunt; utrum tamen deleri debeat, vehementer dubito, immo nego; nam cum bonam pronuntiet Orosius Divinam providentiam, bonitatem illam a pietate et justitia deducit; quod sic eum voluisse docent sequentia de homine ejusque natura, quæ divisioni huic respondent, atque divinæ naturæ opponuntur, *sicut pie gubernari egenum opis oportet, ita juste corripi*, etc., pro quo *et juste corripi* Aug. ed. et pr.; in pr. quoque *immoderatæ libertatis*.

20. *Agitur mundus et homo*. Lugd. Bat. tert., *hic mundus et homo*. In ed. Aug. legitur, *Agitur;* alius: *regitur hic mundus et homo*, pro more, quo illud quod in scriptis codd. reperiebant, fideliter repræsentant nonnumquam primæ edd. Transponunt alii, *agitur et homo et mundus*, ut editio prima, quæ sine anno prodiit cura Æneæ Vulpis Vicentini, atque edd. Venetæ.

21. *Et infirmus et contumax est*. Ex Flor. sec., L. B. tert. atque edit. pr. et Aug. copulam *et* addidi: *et infirmitate contumax est*, legit Flor. tert. Mox *gubernare* ed. pr. et Venetæ.

22. *Hunc mundum*. Flor. tert. *hunc modum*, male; respondent enim iis quæ præcedunt, *agitur mundus et homo*.

23. *Quisquis per se atque in se*, etc. Id est, quicumque et se ipsum agnoscat esse hominem, eaque imbecillitate, quæ ab humano genere abesse non potest, præditum, et reliquos homines ex seipso sibi similes, suæque naturæ consideret. L. B. tert. *quis per se, atque per se h. g.*

24. *Isti de mediis temporibus. Ipsi*, etc., Ed. Aug.; *isti* L. B. tert.

25. *Nusquam*. Flor. tert. *numquam*.

26. *Vergentia*. Ed. Hittorp. et aliæ, *urguentia*. Mala vero in alterutrum vergentia dicit, sicuti supra *per bona malaque alternantia exerceri hunc mundum*.

27. *Hujusmodi*. Flor. sec. et tert., ut et Lugd. Bat. quart. atque Meus *hujus mundi*. Sed *mala hujusmodi* dicuntur *quæ vergentia sunt in alterutrum*.

28. *In quantum sunt*. Excidit postrema vox in edit. et mss. nonnullis; in quibus quoque legitur, *non ejus rei caput pandere*, pro *nos ejus rei*, etc.

29. *Priora illa*. Posterior vox a Lugd. Bat. quart. abest. *Monstravimus* pro *monstrabimus*, in Lugd. Bat. sec., quart., Flor. ter. et ed. Aug. mss. error vulgaris est.

30. *Permansit imperium*. Ultr., Perizon., et L. B. tert., *mansit imperium*.

31. *Usque ad dies* Lugd. Bat. sec. *ad dies*.

32. *In quantum ad cognitionem vacare suffecero*. Vulgati et manuscripti omnes *vocare* tuentur: sed ut ineptum illud verbum in latinissimum *vacare* mutarem, monuit me doctissimus Palmerius, cui propter egregium in auctoribus restituendis judicium, lubens morem gessi, et, si non Orosio suam vocem, saltem sententiæ dedi. LAUT. — *Ad cognitionem* delet Periz.

33. *Vacare suffecero*. Laudat Palmerii ingenium Lautius. Sed et olim ita exhibuerunt edit. prima et August. quam confirmant insuper mss. Lugd. Bat. sec., tert. et quart., ut et Perizon., Ultr. Meusque; immo Florentini quoque, quorum tertius clare ita legit, in secundo supra *vocare* scribitur *vacare*.

34. *Conflictationes*. Flor. sec. *conflictationem*, Lugd. Bat. quart., *conflictiones*; mox *divisas* pro *diversas* Lugd. Bat. tert. qui, sicuti et quart., *malis* delet in *ardentem malis mundum*.

35. *E specula*. *Specula* editio August. et ms. Perizon., et Lugd. Bat. sec. et quart., sed *speculo* tert.

36. *Trifariam distributus*. Ultr. et Lugd. Bat. tert. *trifarie distributum*. Lugd. Bat. sec. *trifarie distributus*. Flor. tert. cui Meus et edit. pr. et Aug. astipulantur, *distributum trifariam*. Sed sec., *multifariam distributum*, in quo superscribitur *trifariam*. Omnes iidem propterea mox quoque scribunt *determinatum*.

37. *Facilius*. Lugd. Bat. sec. et Ultr. *facile*.

38. *Ostentabuntur*. *Ostenduntur* Lugd. Bat. quart.

39. *Sed etiam locorum scientiam consequantur*. In ms. Lugd. Bat. tert. invenitur dein hæc rubrica: *Explicit Præfatio. Incipit liber Historiarum S. Orosii de Ormesta mundi*. In Perizoniano quoque, sequenti capiti, tamquam primo, præfigitur hæc rubrica: *Pauli Orosii presbyteri Historiarum de Hormesta* (superscribitur *Orchestra*) *mundi adversus Paganos liber primus incipit*. In Flor. tert. quoque legitur, *Orosii de mundi Calamitatibus liber incipit*. De quo libri titulo, et utrum *Orchestra* an *Ormesta* vel *Hormesta*, sit legendum, vide Præfationem nostram.

CAP. II. — 1. *Majores nostri*. Posteriorem vocem delet Perizon., qui idem codex mox legit *ejusque partes*, sublata voce intermedia *tres*. Admoneri autem lector debet universum hoc Orosii caput, quod de divisione orbis terrarum agit, verbotenus fere legi inter excerpta quædam, sæpius in libello publicata, qui Æthici Cosmographia inscribitur.

tes, Asiam, Europam, et Africam vocaverunt: quamvis aliqui duas, hoc est, Asiam, ac deinde Africam [2] in Europam accipiendam putarint. [3] Asia tribus partibus Oceano circumcincta, per totam [4] transversi plagam orientis extenditur. Hæc occasum versus, [5] a dextra sui, sub axe septentrionis incipientem [6] contingit Europam: [7] a sinistra autem Africam **11** dimittit: sub Ægypto vero et Syria mare Nostrum, quod Magnum generaliter dicimus, habet. Europa incipit, [8] ut dixi, sub plaga septentrionis, a flumine Tanai, [9] qua Riphæi montes, Sarmatico aversi oceano, Tanaim fluvium fundunt: qui præteriens aras ac terminos Alexandri Magni, [10] in Roxolanorum finibus sitos, Mæotidas [11] auget paludes: A quarum immensa [12] exundatio juxta [13] Theodosiam urbem Euxinum Pontum late ingreditur. Inde juxta Constantinopolim [14] longæ mittuntur angustiæ, donec eas [15] mare hoc quod dicimus Nostrum, accipiat. Europæ in Hispania occidentalis oceanus [16] terminus est, maxime ubi apud Gades insulas Herculis columnæ visuntur, et Tyrrheni maris faucibus Oceani æstus immittitur. Africæ principium est a finibus Ægypti urbisque Alexandriæ, ubi [17] Parætonium civitas sita est, **12** [18] super hoc mare Magnum, quod omnes plagas terrasque medias interluit. [19] Unde per loca quæ accolæ Catabatmon vocant, haud procul a castris Alexandri Magni, et [20] super lacum Caleartium, deinde juxta [21] superiorum fines

HAVERCAMPI NOTÆ.

2. *In Europam accipiendam.* Editiones vetustæ, B prima, Augustana et Venetæ, sextum casum exhibent, atque legunt in *Europa accipiendam.* Veteres vero præpositionem *in* cum quarto sextoque casu promiscue usurpasse, et plerumque sono aurium consuluisse, pluribus docuit vir doctissimus mihique amicissimus, Henricus Cannegieter, in dissertatione ad Avienum, cap. 19, p. 300 et 301. In Æthici vero Cosmographia vel alia lectio, vel vulgatæ interpretatio occurrit; legitur enim ibi, *Africam vero in Europam adjiciendum definierunt.* Mox codex Lugd. Bat. primus, in quo folium est lacerum ab illis cap. primi, *Ninum, magnum (ut dicunt) regem,* hic rursus incipit, videlicet a verbis, *Asia tribus partibus.* Pro *putarint* Lugd. Bat. sec. *putarent.*

3. *Asia tribus partibus.* Pomponium Melam sequitur; is lib. I, cap. 2. de Asia: *Tribus hanc e partibus tangit Oceanus, ita nominibus, ut locis differens. Eous ab oriente, a meridie Indicus, a septentrione Scythicus.*

4. *Transversi plagam.* Periz. et Meus *transfusi plagam.* C

5. *A dextra sui.* Meus et Lugd. Bat. tert. *ad dextram sui.*

6. *Contingit Europam.* Flor. tert. *contragit,* quasi vellet, *contra agit Europam,* pro adversa Europæ occurrit, vel, ut loquitur Pomponius Mela lib. I, cap. 2, *fit venienti obviam.* Verum ita scripsisse Orosium non puto, qui apte dicit incipientem Europam sub axe septentrionis ab Asia *contingi,* Africam vero a sinistra *dimitti,* quoniam tenue ad septentrionem, qua Asiæ jungitur, Europæ est spatium, cum Africa a sinistra longe sese dimittat, ut inspicienti tabulas quibus terrarum situs describitur, patebit. Cum vulgata scriptura consentit Æthici Cosmographia.

7. *A sinistra autem.* Postremam vocem delent ms. Ultr. et editt. prima et August.

8. *Ut dixi, sub plaga.* Hæc non inveniuntur in mss. Ultr. et edd. prima et Aug., quæ Editt. pro *septentrionis* habent *septentrionalis,* leguntque *Europa* D *incipit septentrionalis,* quasi opponeretur illi quod aliquanto post sequitur, *Europæ in Hispania occidentalis.* Apud Æthicum, mutatis paululum verbis, *Europæ incipit initium sub plaga septentrionali a flumine Tanai,* etc.

9. *Qua Riphæi montes.* Pro *qua* Ultr., L. Batt. sec. et quart., *quo,* et mox *infundunt:* tert. dein sec. *oras,* pro *aras,* et *fundunt.* Flor. sec. et tert. ut et edd. prima et Aug. *fluvium fundunt.*

10. *In Roxolanorum.* In hoc capite, quo orbis terrarum summatim describitur, sunt nonnulla vocabula barbara, quæ apud alios scriptores non facile invenias; in iis nos antiquorum librorum auctoritati plurimum tribuendum putavimus. In eo tamen quod hic legitur, *in Roxolanorum finibus,* impressam lectionem retinuimus. Nam in manuscriptis est, *Rhobascorum,* ut alii quoque annotarunt. Flor. sec. et tert. Lugd. Bat. pr., tert. et quart., Meus et Ultr., et edition. antiquæ et Æthicus, *Robascorum* vel *Rhobascorum.* Lugd. Bat. sec., *Robastorum* ut et Perizon. et Ultr.; *rochbaos bascorum* edit. Aug. Mox Flor. sec. *finibus situs Meotidas.* In marg. Al. *Scithas Meotidasque.* At tert. *fimbria sices Meocidas.*

11. *Auget paludes.* Lugd. Bat. tert. *augent paludes,* quasi eo usque Riphei montes porrecti decursu aquarum Mæotidas paludes augerent.

12. *Exundatio.* Æthicus *inundatio,* quod ex meo ms. hic confirmatur.

13. *Theodosiam.* Inter oppida Cimmerica enumeratur a Mela lib. II, cap. 1: *In paludem vergentia Satarchæ tenent: in Bosporum Cimmerica oppida, Myrmecion, Panticapæum, Theodosia, Hermisium: in Euxinum mare,* etc.

14. *Longæ mittuntur angustiæ.* Id est, per longum spatium mare coarctatur. *Emittuntur* Lugd. Bat. pr., tert., Periz., et Meus; reliqui *mittuntur,* quod et servant Æthici excerpta. Vulgo *longe.*

15. *Mare hoc quod dicimus Nostrum.* Lugd. Bat. quart. *mare quod,* etc., deleto *hoc.* Sec. *mare hoc Nostrum quod dicimus.* Perizon. *mare hoc Magnum quod dicimus, accipiat.* Ultr. *mare hoc Nostrum quod Magnum dicimus.*

16. *Terminus est.* Editiones quædam antiquæ, ut Hittorp. et Cervicorn. sive Bolsuingiana, legunt *termino est,* quod et exhibet ms. Florent. sec., sed superscripta lectione, quæ in tert. Flor. et reliquis mss. omnibus atque editis, ut et Æthico, invenitur, *terminus est.* Quæ sequuntur ita exhibet Lugd. Bat. tert., *et maxime, ubi apud Gades insulas Tyrrheni maris faucibus oceani æstus mittitur.*

17. *Parætonium.* Flor. tert. *Parentorium,* sec. ut et edit. August. *Parethonio.* Æthici excerpta *Partheno.*

18. *Super hoc mare Magnum.* Cum sic in Æthico exstet, et magno consensu omnes fere legant mss., nescio cur editi transponant *mare hoc.* Pro *interluit* Lugd. Bat. sec., *interfluit,* ut et Flor. tert. et Ultr.

19. *Unde per loca.* Lugd. Bat. tert. et quart. una cum edit. prima et Aug. malunt *inde.* Pro *Catabathmon* in edition. illis est *Catabathynon,* et in mss. Ultr. *Cathapatmon;* in Flor. tert. *Chatabitinum,* in quo pro *castris* legitur *a Chaxitre.*

20. *Super lacum Caleartium.* Gerardus Bolsuinge, qui primam Hittorpianam editionem e vetustis libris emendavit, ex illis annotavit legi, *Alearsum et Chalearsum;* nos in manuscriptis, *Halearzum, Calearsum, et Caleartum,* invenimus. Fabr. — Magnam et ipse varietatem scripturæ in mss. inveni. Exhibent enim Flor. sec. *Calearzum,* tert. et Meus *Chalearcum;* Lugd. Bat. pr., tert. et quart., *Calearsum;* Ultr. *Helearzum,* Perizon. *Calearzarum,* edit. Augustana *Leazarum,* Æthicus *Galearum.* Sed omnium prima servat *Caleartium,* ut et Venetæ omnes.

21. *Superiorum fines.* Flor. sec. *superiora fine* in margine, *superiores fines.*

[22] Avasitarum, [23] missa in transversum per Æthiopica deserta meridianum contingit oceanum. Termini Africæ ad occidentem iidem sunt qui et Europæ, id est, fauces Gaditani freti. Ultimus autem [24] finis ejus est mons Atlas, et insulæ quas Fortunatas vocant. [25] Et quia breviter generales tripartiti orbis divisiones dedi, ipsarum quoque partium regiones, sicut pollicitus sum, significare curabo. Asia ad mediam frontem orientis habet in Oceano Eoo ostia fluminis Gangis, [26] a sinistra [27] promontorium Caligardamna, **13** [28] cui subjacet ad Eurum insula [29] Taprobane: e qua oceanus Indicus vocari incipit, a dextra habet [30] Imai montes, A ubi Caucasus deficit, promontorium [31] Samaram: [32] cui ad aquilonem subjacent ostia fluminis [33] Octorogorræ: ex quo oceanus Sericus appellatur. In his finibus India est, quæ habet [34] ab occidente flumen Indum, [35] quod Rubro mari excipitur: a septentrione montem Caucasum: [36] reliqua (ut dixi) Eoo et Indico **14** Oceano terminatur. Hæc habet gentes quadraginta quatuor, absque insula Taprobane, quæ habet decem civitates: et absque [37] reliquis insulis habitabilibus plurimis. A flumine Indo, [38] quod est ab oriente, usque ad flumen Tigrim, quod est ad occasum, regiones sunt istæ: Aracosia, Parthia, Assyria, [39] Persis

HAVERCAMPI NOTÆ.

22. *Avasitarum.* Edit. prima et Venetæ *Anasitarum*, et sic quoque invenitur in mss. Ultr. et Perizon. *Ausitarum* habet Lugd. B. pr. et tert.

23. *Missa in transversum.* Lugd. Bat., tert. *missa transversum* deleto *in*, quart. *emissa in transversum.*

24. *finis ejus est.* Mediam vocem *ejus* non agnoscit ms. Periz.

25. *Et quia breviter.* In Æthici Cosmographia p. 724 Edit. Gronov. ad Melæ finem: *Breviter trium inter se partium divisiones diximus: Sed ne quid ad plenissimam instructionem desit, ipsarum quoque partium regiones, situs et provinciarum terminos demonstrabo, ut absque fastidio universa lector agnoscat, vel numerum gentium commanentium. Asia a media fronte in oriente habet*, etc. Quæ adduxi, ut pateat ex Orosio fuisse descriptam, paucis immutatis, illam Cosmographiæ, sub Æthici nomine, partem; puto enim scriptum illud Orosii temporibus esse posterius.

26. *A sinistra.* Cod. Perizon. *in sinistro.*

27. *Promontorium Caligardamna.* Sic est in vetustis, cum in vulgatis legatur, *Calligicum.* FABR. — Codices mss. Flor. sec. *Caligar damana*, tert. conjunctim *Caligardamana*, quod et in prioribus Fabricii editionibus et Augustana exstat, et in mss. Lugd. Bat. pr., tert., quart., ut et Ultr. et Perizon. Lugd. Bat. sec. *Caligardama* scribit, Meus *Caligardamnen.* Antiquissima vero edit. prima *Caligardamanam.* Cosmographia Æthici *Calidardam;* at Vincentius Bellovacensis, *Taligardamana*, littera C, quæ vocem inchoare debebat, translata ad *Taprobane* quod sequitur, et apud illum *Caprobana* scribitur. In Speculo enim Historiali hujus Vincentii lib. v, cap. 47 excerptum Orosii de Asiæ situ occurrit, a verbis, *Asia ad mediam* usque ad *aliis insulis habitabilibus plurimis.* At Venetæ edit., Hittorp. et Bolsuing. habent *Calligicum*, quod sine dubio ex mss. hauserunt; nam editiones Venetæ, sive earum prima (reliquæ enim eamdem sequuntur) ex mss. expressæ sunt. Videtur igitur illud *Calligicum* esse depravatum pro *Colligicum*, pro quo apud Plinium quoque exstat *Coliacum* lib. VI, cap. 22; nam, sicuti observavit Christoph. Cellarius tomo II Geographiæ Antiquæ, sive Notit. Orb. Antiq. p. 877, κώρυ ἄκρον καὶ κολλίγικον, id promontorium a scriptoribus Græcis vocatur.

28. *Cui subjacet.* Editiones Venetæ, *cui sumanet*, quod et invenitur in editione prima.

29. *Taprobane.* Lugd. Bat. omnes, *Taprobrana* et hic et infra. De hac insula plerique doctorum conveniunt, eamdem esse, quæ hodie *Ceylan* dici solet, de qua vide Christoph. Cellarii Notitiam Orbis Antiqui tomo II, p. 876, 877.

30. *Imai montes.* Edition. antiquæ, prima, Venetæ, Hittorp., Bolsuing., *Emodos montes.* August. *Tinavi montis*, Vincent. Bellov. *Timani montis.* Mss. Florent. sec. *Inmavi montis*, tertius *in mari habet montis.* Ultr. *ima in montium*, Perizon. et Meus *Imani montis*, Lugd. Batt. omnes *Immavi montis.* In quibus omnibus *montis* pro *montes* scribitur more antiquo, vel adjici debet *jugum*, prout in Æthici fit Cosmographia, in qua legitur, *dextra* (vel *a dextra*) *habet Imai montis jugum.* Imaum vero montem Emodo aliisque cohærere, docuit Plinius lib. VI, cap. 17: *Junguntur inter se Imaus, Emodus, Parapamisus, Caucasus, a quibus tota decurrit* (India scilicet) *in planitiem immensam et Ægypto similem.* Docet ibidem, Plinius, *Emodorum promontorium Imanum vocari.*

31. *Samaram.* Alii legunt *Samara*, inter quos Vinc. Bell. et Æthicus, quod confirmant Florentt. sec. et tert., nisi quod in posteriori sit *Somora;* præterea Lugd. Bat. pr., Periz. et Meus, atque edit. Aug. *Samaram* servant ed. prima et ms. Ultr. *Samaræ* malunt Hittorp. et Bolsuing. *Samaraa* Lugd. Bat. sec. *Samarata* tert. Qui *Samara* legunt, ut quartum casum numeri pluralis, generis neutrius, considerant.

32. *Cui ad aquilonem subjacent.* Æthicus a lectione vulgata discedit; in eo enim legitur, *quod aquiloni subjacet, ad ostia*, etc.

33. *Octorogorræ* Vincent. Bellov. *Ortorogortæ.* Æthici Cosmogr. *Octacordis* vel *Octocordis.* Ed. Aug. *Ottoroborræ.* Mss. vero omnes et editiones reliquæ vel *Ottorogorræ* vel *Octorogorræ* exhibent. A Cellario juxta Emodos et Sericos montes *Octorocorrhæ* recensentur Tom. II Geogr. Antiq. p. 889. Pro *Sericus* vulgari errore *Syricus* quidam edit. et mss.

34. *Ab occidente.* Ultr. *ad occidentem.* Flumen *Indum* in *Melum* transmutat Vinc. Bellov.

35. *Quod Rubro mari excipitur.* Transponit lenius Periz. *mari Rubro.* At apud Vincentium legitur, *quod Rubro mari accurrit.*

36. *Reliqua* (*ut dixi*). Id est, reliqua India; at mss. Lugd. Bat. pr., sec. et tert., *reliqua, ut dixi, Eoo et Indico terminantur Oceano.* Ed. Hittorp. et Bolsuing. interjecta voce, *reliqua pars, ut dixi, Eoo et Indico Oceano terminatur.* Vulgatum tuentur mss. Florentt. sec., tert., Lugd. Bat. quart., Periz., Ultr. et Meus.

37. *Reliquis insulis habitabilibus plurimis.* Sic exstat in Lugd. Bat. pr., tert., quart., et in reliquis mss. omnibus, præterquam in Lugd. Bat. sec. et Ultr., in quibus est, *insulis reliquis habitabilibus quam plurimis.* Ed. Hittor. et Bolsuing. quoque amant *quam plurimis*, contra reliquas vetustiores omnes.

38. *Quod est ab oriente.* Lugd. Bat. delet *est*, et mox cum ed. August. legit, *quod est ab occasu*, non male.

39. *Persis.* Mss. plures, ut Florent. sec., tert., Lugd. Bat. pr., sec., quart., et Ultr., una cum edit. Bolsuing., August., Venetis, et prima, *Persida* legunt, pro *Persia*, ut puto, sicut in meo codice exstat.

et Media : situ terrarum [40] montoso et aspero. [41] Hæ a septentrione habent montem Caucasum, a meridie mare Rubrum et sinum Persicum : [42] in medio autem sui, flumina præcipua [43] Hydaspem et Arbim. In his sunt gentes triginta duæ. Sed generaliter Parthia dicitur, quantumvis [44] Scripturæ sanctæ universam sæpe Mediam vocent. A flumine Tigri, usque ad flumen Euphratem, Mesopotamia est, incipiens a septentrione inter montem Taurum et Caucasum : [45] cui ad meridiem succedit Babylonia, deinde Chaldæa, novissime [46] Arabia Eudæmon : quæ inter sinum Persicum et sinum Arabicum angusto terræ tractu orientem versus extenditur. In his sunt gentes [47] **15** viginti et octo. A flumine Euphrate, quod est ab oriente, usque ad mare Nostrum, quod est ab occasu, deinde a septentrione, id est [48] a civitate Dacusa, quæ in confinio Cappadociæ et Armeniæ sita est, haud procul a loco ubi Euphrates nascitur, usque ad Ægyptum [49] et extremum sinum Arabicum, qui est ad meridiem, longo angustoque sulco saxis insulisque [50] creberrimo, a Rubro mari, id est, ab Oceano, occasum versus [51] extenditur Syria, quæ sic generaliter nominatur, habetque maximas provincias, [52] Commagenam, Phœniciam et Palæstinam, **16** absque Saracenis et Nabatæis, quorum gentes sunt duodecim. In capite Syriæ Cappadocia est, quæ habet ab oriente Armeniam, ab occasu Asiam, ab aquilone [53] Themiscyrios campos et mare Cimmericum : a meridie Taurum montem, cui subjacet Cilicia et Isauria [54] usque ad Issicum sinum, qui spectat con-

HAVERCAMPI NOTÆ.

40. *Montoso et aspero.* Lugd. Bat. tert., Meus et Perizon., *montuoso*, et sic quoque edit. Bolsuing. cum Venetis. Utrumque a Latinis scriptoribus usurpatur, unde sicuti hic *montoso atque aspero*, invenies *montosis asperis* conjunctim apud Plin. edit. Harduin. tom. II, p. 401; contra apud eumdem *montuosis partibus, et montuosa planis præferenda*, ibid. p. 108 et p. 49. *Montosa* vero dixit idem tom. II, p. 3, sive lib. XVI, cap. 5, *jam etiam in montosis, planisque distant.*

41. *Hæ a septentrione habent.* Mss. Lugd. Bat. tert. et Meus, atque Ultr., ad solam referunt Mediam, et scribunt, *Hæc a septentrione habet*, etc.

42. *In medio autem sui.* Meus, *in medio sui.*

43. *Hydaspem et Arbim.* In Cosmographia Æthici legitur, *Hydraspem et Carbin.* Ed. Aug. *Indaspen et Arbimin.* Flor. sec. *Ydaspen et Arbin*, sed correctum alia manu *Arben*; tert. *Iadasper et Arbra.* Lugd. B. sec. cum edit. August., Venetis et prima, *Hydaspen et Arabin*, vel *Arabim*; pro quo Lugd. Bat. tert., *Ara Arbim.* Hunc autem, qui in Gedrosia est, fluvium varie apud veteres auctores scribi docuit Cellarius Geograph. Vet. tom. II, p. 849, nimirum, *Arbin*, *Arabin*, *Arabium*, *Artabin* et *Artabium.*

44. *Scripturæ sanctæ.* Ed. Aug. *scripturæ sacræ*, prout voces illæ sæpissime in mss. et antiquis editionibus permutari solent. Mox eadem edit. legit *A flumine igitur Tigri :* aliquanto post vox *sæpe* a Flor. tert. abest; *montem Tauri* vero, pro *montem Taurum* legit Flor. tert.

45. *Cui ad meridiem.* Flor. tert., *cui a meridie.*

46. *Arabia Eudæmon.* Editio omnium princeps ita hunc locum constituit, *novissime Arabia, ea demum inter sinum Persicum*, etc. Sed contra mss. ed. August. *Eudæmon* delet.

47. *Viginti et octo.* Copulam *et* ex mss. melioribus interseruimus. *Viginti quatuor* exhibet Lugd. Bat. quartus; in *quod est*, posteriorem vocem delet L. B. tert.

48. *A civitate Dacusa.* Ita nos ex iisdem libris, pro quo vulgo, *Dascuta*, et *Dagusa*, legitur. Apud Plinium libro sexto capite vigesimo quarto, et libro sexto capite decimo nono hoc oppidum *Dascusa*, nominatur. FABR. — Varie hujus urbis nomen, non modo in Orosii codicibus, sed et aliorum scribitur, sicuti patere potest ex Cellarii Geogr. Antiq. tom. II, p. 353, et Notis clariss. Petri Wesselingi ad Antonini Itinerarium p. 209. Ex mss. Orosii *Dacusa* clare exhibent Flor. sec., Perizonian. et Meus; *Dotusa*, Flor. tert.; *Decusa* Lugd. Bat. pr., sec., tert., quart., ut et Ultr.; in Æthici Cosmogr. *Adcusa* legitur. Edit. princeps omnium *Dacusa* quoque præfert, cum qua consentit Augustana. At vero *Dascuta* habent Venetæ omnes et Hiltorpiana atque Bolsuing. sive Cervicorn., in qua ad marg. notatur, Al. *Dagusa*. Fabricii vero editiones *Dacusa* exhibent, quod ille in Notis suis probat. Urbium vero nomina, præsertim minus illustrium, apud antiquos scriptores, et in ipsis nummis, quod Saxiæ, Cretensis urbis, exemplo, nuperrime, ad Syllogen scriptorum de vera Pronunt. Linguæ Græcæ probavimus, non uno modo neque nunc scripta inveniuntur neque olim efferri solebant.

49. *Et extremum sinum Arabicum.* Editiones Venetæ *et ad*, etc. Sed prima omnium, *et ad extremum sinum Arabiæ.* Mox *est* delet L. B. tert. et legit, *qui ad meridiem.*

50. *Creberrimo.* Aug. *creberrimis;* aliquanto post, *extenditur* pro *extenditur* Florent. sec.

51. *Extenditur Syria.* Omnes hactenus editiones fœdissimum hic occupavit mendum, ex mala distinctione natum, qualis passim in mss. quoque invenitur. In omnibus enim major distinctio ponitur post *extenditur*, cum tamen minime ibi sensus distingui debeat, neque integer sit, nisi cohæreat cum *Syria*, quomodo in membranaceo meo codice, optimæ notæ, inveni. Ita videlicet hactenus lectum fuit, *ab Oceano occasum versus extenditur. Syria generaliter nominatur, habens maximas provincias*, etc., et sic quoque in editione principe et reliquis, nisi quod rectius Augustana reponat *habetque maximas provincias*, quod a quatuor Lugd. Bat. atque insuper Ultrajectino confirmatur, qui legunt *habetque max. prov.;* unicus vero Perizonianus, chartaceus quidem et recens, sed multis membranaceis et antiquioribus haud raro melior, huic loco medicinam affert, dum post *Syria* interserit, *quæ sic.* Quare non dubitavimus ex hisce adminiculis locum ita constituere, *extenditur Syria, quæ sic generaliter nominatur, habetque maximas*, etc., licet *habens* sit in Flor. sec., tert., et Meo, eodem sensu.

52. *Commagenam.* Propius ad scripturam Græcam *Commagenen* editio prima Hiltorp. et Cervicorn. Sed tamen constanter mss. omnes *Commagenam*, quibus et ed. Aug. ut et Æthici Cosmographia accedit. Ultima hujus commatis transponunt ed. pr. et Venetæ *duodecim sunt.*

53. *Themiscyrios.* Monstra lectionum, ut sæpe, in mss.: *chemis cyrios* Flor. sec., *Themisciros* tert., *Themisterios* Ultr. et Lugd. Bat. sec., *Themistrios* Perizon., et mox *Cimbricum* pro *Cimmericum* Lugd. Bat. pr. Themiscyrii campi (per *y* enim, secus quam per *i*, uti a Fabricio factum est, scribuntur) noti sunt apud geographos et scriptores Græcos fertilitate sua.

54. *Usque ad Issicum sinum.* Edit. Hiltorp. et Cervicorn. sive Bolsuing. *usque ad Cilicinum sinum.* Prima, ut et Augustina et Fabricianæ, *usque ad Cilicum sinum*, quomodo in mss. Flor. sec., tert., et in omnibus Lugd. Bat. Meoque et Perizon. exstat, neque Ultr. aliquid mutat, sed *ad* delet. Vetus adeo mendum est, ut in Æthici Cosmographia quoque legatur. Scribi tamen debet, ut reposui, *usque ad Issicum si-*

tra insulam Cyprum. [55] Asia regio, vel (ut proprie dicam) Asia Minor, absque orientali parte [56] quæ ad Cappadociam Syriamque progreditur, undique circumdata est mari : a septentrione Ponte Euxino, ab occasu Propontide atque Hellesponto, a meridie mari Nostro, ubi est mons Olympus. Ægyptus inferior ab oriente habet Syriam Palæstinam, ab occasu Libyam, a septentrione mare Nostrum, [57] a meridie montem, qui appellatur [58] Climax, et Ægyptum superiorem, fluviumque Nilum, [59] qui [60] de littore incipientis maris Rubri **17** videtur emergere in loco, qui dicitur [61] Mossylon emporium : deinde diu ad occasum profluens, [62] faciensque insulam nomine Meroen in medio sui : novissime [63] ad septentrionem inflexus, tempestivis auctus incrementis, [64] plana Ægypti rigat. Hunc aliqui auctores ferunt, haud procul ab Atlante habere fontem, et continuo [65] arenis mergi : inde interjecto brevi spatio, [66] vastissimo lacu exundare, atque hinc Oceano tenus, orientem versus per [67] Æthiopica deserta prolabi, rursusque inflexum [68] ad sinistram, ad Ægyptum descendere. Quod quidem verum est, esse hujusmodi fluvium magnum, qui tali ortu, talique cursu sit, et re vera [69] omnia Nili monstra gignat; **18** [70] quem utique prope fontem barbari

HAVERCAMPI NOTÆ.

num, ad quam lectionem nos relegant codices Veneti, ex quibus editio, quæ prima in illa urbe anno 1483 prodiit, nos manuducit; in ea enim legitur *Isicus*, quod cum vel scripturæ vel typorum mendum agnoscerent editiones, quæ postea ibidem prodierunt, *Isicum* reposuerunt.

55. *Asia regio.* Lugd. Bat. sec. et quart. *Asiæ regio;* pr. et tertius *Asiæ vero regio.* Pro vulgata stant reliqui omnes, et Æthici Cosmographia.

56. *Qua ad Cappadociam.* Flor. sec. *quæ* pro *qua*, Perizon. mox *et Syriam* pro *Syriamque.*

57. *A meridie.* Perizon. *ad meridiem.* Mox Flor. tert., *ibi est mons Olympus :* verum *ubi* (quod in textu deerat) in margine ponitur.

58. *Climax.* Flor. tert. *Dimax.* In Fabricianis editionibus male per *y* scribitur *Clymax*, contra rationem appellationis Græcæ, a gradibus sive scalis desumptam. Κλίμακα scriptores Græci hunc montem vocant, faucium angustiis nobilem, atque non longe ab ultima Lyciæ urbe, quæ ad Pamphyliæ fines est, Phaselide, collocant, ut Polyb. lib. I, cap. 72, Plutarch. in Vita Alexandri p. 674, aliique.

59. *Qui de latere incipientis maris.* Olim *littore* legebatur, quo quid aridius? Laut.

60. *De littore.* Non potuit hanc lectionem concoquere Lautius, itaque mutandam censuit. Servant nihilominus unanimi consensu omnes mss. et editi. Id certum est, Nili fontes olim fuisse incognitos et propterea varias et absurdas quoque de origine nobilissimi fluvii opiniones fuisse traditas. Inter quas hæc quoque videtur una fuisse, ex littore Rubri maris, ubi id incipit, ad Mossylon, emergere. Novum certe haud est, neque nostris temporibus incognitum, in arenoso littore, immo ad littus, sub aquis marinis, scaturire fontes magnoque impetu perrumpere et ebullire. Præterea, cum Mossylon nominat Orosius, ex loci ejus ad mare situ, defendi videtur vetus lectio, ut sic non *de latere*, sed *de littore*, ad quod Mossylon situm fuit, incipientis maris Rubri, crediderint quidam ex Veteribus Nili fontes erumpere.

61. *Mossylon emporium.* Vera scriptura promontorii hujus et emporii ad maris Rubri initium, quo Veteres testantur cinnamomum devehi solitum fuisse, est *Mossylon*, vel *Mosylon*, vel potius *Moissylon* quomodo in Lugd. Bat. tertio scribitur, ex origine appellationis suæ. Æthici Cosmographia et Plinius lib. VI, cap. 29, hic tomo I ed. Hard. p. 342 et 343, ita efferunt : *Promontorium* (scribit Plinius) *et portus Mossylicus, quo cinnamomum devehitur. Huc usque Sesostris exercitum duxit.* Et mox : *A Mossylico promontorio Atlanticum mare incipere vult Juba.* Nunc dici *le Cap de Gardafu* notat Harduinus. Æthici Cosmographia, p. 725, *A meridie montem, qui appellatur Climax, et Ægyptum superiorem, fluviumque Nilum, qui de littore incipientis maris Rubri videtur emergere in loco, qui dicitur Mossylon emporium.* Codices quidam ibi *Moissylon* habent, et in Orosii Codicibus varie quoque hoc nomen depravatum fuit : in Flor. sec. *Mossilonporium* superscript. *Monstilonporium;* Lugd. Bat. pr. et sec. *Mosselon*, ut et Ultr.; *Moysilon* ed. Aug. Quidam codices et editi *Mosilon* scribunt, sed recte cum *y* Perizon., nam Ptolemæo vocatur Μόσυλον ἄκρον καὶ ἐμπόριον. Notabilis autem sequitur lectio in Lugd. Bat. sec. et Ultr. qui post hæc verba subjungunt, *id est ortus aquæ*, explicantes scilicet vocem *Mosylon*, idemque in quarto Lugd. Bat. superscribitur, quod egregie confirmat veterem et constantem codicum lectionem in Orosio *de littore*, non *de latere*, contra Lautium; nam si emporium id ab ortu aquarum nomen traxit, si in littore ad mare situm fuerit, de littore Nili fontes ibidem nasci credere quidam potuerunt.

62. *Faciensque insulam.* Ita Ed. Aug. et mss. quidam, alii, *faciens insulam.* Lugd. Bat. sec. supra *dein* pro *deinde.*

63. *Ad septentrionem.* Florent. sec. et tert. *a septentrione :* pro *tempestivis* edd. pr. et Venetæ habent *tempestivisque.*

64. *Plana Ægypti rigat.* Flor. sec. *inrigat*, ed. Aug. *irrigat :* pro *plana* Lugd. Bat. sec., *plagam*, Ultr. *plaga.*

65. *Arenis mergi.* Perizon., *ab arenis mergi.*

66. *Vastissimo.* Meus *et vastissimo.* Lugd. Bat. sec. *faustissimo.*

67. *Æthiopica deserta.* Lugd. Bat. sec. et Ult. *Æthiopiæ deserta.* mox *rursumque* Flor. sec. et tert.

68. *Ad sinistram.* Lugd. Bat. pr., sec., tert., addunt *partem.*

69. *Omnia Nili monstra gignat.* Edit. pr. *tot tantaque monstra gignat*, neque aliter Venetæ. In Æthici Cosmographia hæc leguntur : *Quod quidem verum est, esse hujusmodi fluvium manifestum et magnum, qui tali ortu talique cursu sit, ut Nilos intelligatur : nam et monstra et cætera similia gignit.* Recenset hic Orosius opinionem eorum, qui Jubæ junioris, regis Mauritaniæ, et nobilis historici, sententiam sequebantur. Fontes enim Nili is ex Mauritania inferiore et Atlante monte arcessiverat. Plinius lib. V, cap. 9, sive tom. I, p. 255, *Originem (ut Juba rex potuit exquirere) in monte infericris Mauritaniæ, non procul Oceano habet, lacu protinus stagnante, quem vocant Nilidem. Ibi pisces reperiuntur alabetæ, coracini, siluri. Crocodilus quoque inde ob argumentum hoc Cæsareæ in Iseo dicatus ab eo spectatur hodie.* Sequitur deinde luculenta ejus fluvii, Orosianæ non absimilis, descriptio. Est et Ammiani Marcellini locus commode ab Harduino Emend. 31 p. ibid. 295 adductus ex scriptoris ejus lib. XXII p. 229 : *Rex autem Juba, Punicorum confisus textu librorum, a monte quodam oriri eum exponit, qui situs in Mauritania despectat Oceanum : hisque indiciis hoc proditum ait, quod pisces et herbæ, et belluæ similes, per eas paludes gignuntur.*

70. *Utique prope fontem.* Auxilio lib. Colon. huic loco medicinam feci. Prius erat : *quem utique proprie :* sane improprie, probant hoc ea quæ sequuntur ; *Cæteri vero accolæ, Nuchul vocant. Prope*

[71]Dara nominant, cæteri vero accolæ [72] Nuchul vocant. Sed hic in regione gentis, quæ [73] Libya Ægyptia vocatur, haud procul ab illo fluvio, quem a littore maris Rubri prorumpere diximus, immenso lacu acceptus [74] absumitur : Nisi forte occulto meatu in alveum ejus, qui ab oriente descendit, eructat. Ægyptus superior in orientem per longum extenditur, cui est a **19** septentrione sinus Arabicus, a meridie Oceanus. Nam ab occasu ex inferiore Ægypto incipit, [75] ad orientem Rubro mari terminatur, ubi sunt gentes vigintiquatuor. Et quoniam [76] meridianam partem universæ Asiæ descripsimus, superest ut ab oriente ad septentrionem pars, quæ restat, expediatur. Mons Caucasus inter Colchos, qui sunt super Cimmericum mare, et inter Albanos, qui sunt ad mare Caspium, primum attollitur : cujus quidem [77] usque in ultimum orientem unum videtur jugum, sed multa sunt nomina : et multi hoc ipsum jugum [78] Tauri montis credi volunt : quia re vera [79] Parchoatras, mons Armeniæ, inter Taurum et Caucasum medius, continuare Taurum cum Caucaso putatur : sed hoc [80] non ita esse, discernit fluvius Euphrates, [81] qui, de radice Parchoatræ montis effusus, tendens in meridiem, ipsum ad sinistram, [82] Taurum excludit ad dexteram. Itaque ipse Caucasus inter Colchos et Albanos, ubi et [83] portas habet, mons Caucasus dicitur, à portis Caspiis usque ad Armenias pylas, vel usque ad fontem [84] Tigridis flumnis, inter Armeniam et Iberiam, montes Acroceraunii dicuntur : a fonte Tigridis usque ad [85] Carras civi-

HAVERCAMPI NOTÆ.

fontem ergo, id est, ubi oritur. LAUT. — Immo sic legebatur diu ante Lautium (qui solas Fabricianas consuluit editiones), in prima edit. ut et Aug. Venetis, Hittorp., Cervicorn, adeoque vetustis omnibus, ut et libris mss. qui passim exhibent solito scribendi more *ppe*, nisi quod in Lugd. Batt. pr. et quarto legatur *propemodum*. Unde igitur in Fabricianas editiones *proprie* irrepserit vix scio. Florent. sec. pro *utique* legit *utice*, quasi vellet *Uticæ*, quæ urbs, prope Carthaginem, longissime a fonte Nili, quem Juba ad Atlantem in Mauritania quæsivit, abest.

71. *Dara nominant*. Barbari illi, qui prope fontem sunt vel habitant (quod subintelligi debet) fluvium hunc, sive principium cursus ejusdem Dara vocant, qui longius ad eumdem habitant, id est, cæteri accolæ, Nuchul vocant. Pro *barbari dara*, Flor. sec. et Ed. Aug. *Barbarida*. Lugd. Bat. sec. ut et Ultr. *herbam clara*.

72. *Nuchul*. Terminatio probat Africanum esse nomen, quod inflectendo ad Latii sermonis usum in *Nilidem* migrasse (prout apud Plinium legitur, citato loco) existimo. *Dara* et *Nuchul* quoque legit Æthicus : in mss. varie : Flor. sec. *Nehul*, tert. et Meus *Nuhul*, Lugd. Bat. quart. et edd. pr. et Aug. et Venetæ *Nuhul*, sec. *eum Nichul*, ut et Ultr. In Perizon. desunt illa, *cæteri vero a N. v.*

73. *Libyæ Ægyptiæ*. In duobus manuscriptis, *Libyo Ægyptiæ :* apud Plinium libro quinto capite septimo, *Libyægyptii*, eosque super Getulos habitare tradit. FABR. — Terra harum gentium *Libya Ægyptia*, gentes hæ vocantur Libyægyptii, quasi mixti Ægyptiis Libyes. Ad occasum Thebaidis, ubi nunc deserta Barcæ et Libyæ sunt, poni notat Harduin. ad Plinii locum hunc, qui exstat lib. v, cap. 8 : *Interiori autem ambitu Africæ ad meridiem versus, superque Getulos, intervenientibus desertis, primi omnium Libyægyptii, deinde Leucæthiopes habitant*. Flor. sec. et Periz. *Libyoægyptiæ*. Sed Lugd. Batt. pr., sec., tert. et quart., ut et Ultr., *Libya* vel *Libia Ægyptiæ :* pro *vocantur*, tres Lugd. Batt. *vocatur* et cum sic in Æthici Cosmographia quoque exstet, lectionem illam recepi. In editt. Fabricii quibusdam *Libya Ægyptiis* exstat.

74. *Absumitur*. Ed. Aug. *assumitur;* mox *eructet* edit. prima.

75. *Ad Orientem*. Aug. ed. *ab oriente*, et pro *ubi* habet *ibi*.

76. *Meridianam partem*. Posteriorem vocem delent Lugd. Bat. sec. et Ultr.

77. *Usque in ultimum orientem*. Meus, *usque in orientem*. Ed. Aug. et ms. Flor. tert. *usque ad ultimum orientem*. Quod præcessit modo *primum* delet Ultr.

78. *Tauri montis*. Ed. prima *Tauri montes*. Æthicus, *Tauri montem*.

79. *Parchoatras*. Hic Straboni est *Parachoatras*, Plinio *Choatras*. Flor. sec. *Parcho hatras*. Sed. tert. liquido *Parchoatras*. Lugd. Bat. pr. *Parthoatras*, quart. *Parchoastras*, Meus *Parchoatas*. Reliqui vulgatam servant scripturam, ut et Æthicus et editi vetustiores, sed Hittorp. *Parchoateas*.

80. *Non ita esse*. Sic Æthicus et mss. Flor. sec., Lugd. Batt. pr., tert, quart., ut et ed. Aug. Transponunt alii *ita non esse*. Hittorp. et Bolsuing., *non ita se habere posse*.

81. *Qui, de radice*. *Qui radice*, cum Fabricianis editt., Flor, sec. et tert., Lugd. Bat. pr. et Periz., *qui a radice*, præter Æthicum Meus et ed. Aug.; sed præferunt *qui de radice* Lugd. Batt. sec., tert., quart., et editiones reliquæ atque Moguntina.

82. *Taurum excludit*. Edit. Hittorp. inserit *montem*, quam sequitur Bolsuing.; in reliquis, ut et mss. abest. Verum Aug. sensum interpunctione sic mutat, *Taurum excludit. Ad dexteram itaque ipse Caucasus*, etc.

83. *Portas habet*. Ed. pr. *portas habere mons Caucasus dicitur;* pro *portas* Ultr. *semper*.

84. *Tigridis*. Mss. editi quidam *Tigris* et hic et passim.

85. *Carras*. Lugd. Batt. pr., sec., tert., et editi quidam *Charras* scribunt. Sed amant sine aspiratione exprimere scriptores Latini et Græci, quæ consuetudo nummis firmatur, quales Haymius publicavit, cumque in Museo nostro alios quoque possideamus, aliquot ex iisdem appingi curavimus.







tatem, inter Massagetas **20** et Parthos, mons [86] Ariobarzanes : a Carris civitate usque ad oppidum Cathippi, inter Hyrcanos et Bactrianos, mons [87] Memarmali, ubi amomum nascitur : a quo proximum jugum, mons [88] Parthau dicitur : ab oppido Cathippi usque ad vicum Saphrim, inter [89] Dahas ac Araucas **21** et [90] Parthyenas, mons [91] Oscobares, ubi Ganges fluvius oritur, et Laser nascitur ; a fonte fluminis Gangis usque ad fontes fluminis [92] Ottorogorræ, qui sunt a septentrione, ubi sunt [93] montani Paropamisadæ, mons Taurus : a fontibus Ottorogorræ usque ad civitatem Ottorogorram, inter [94] Hunnos et Scythas et [95] Gandaridas, mons Caucasus. Ultimus autem inter [96] Eoas et Pasiadras, mons [97] Imaus, ubi flumen Chrysorrhoas, et promontorium [98] Samara orientali excipiuntur oceano. Igitur a monte Imao, hoc est, ab imo Caucaso, [99] et dextra orientis parte, **22** qua oceanus Sericus tenditur,



Hi nummi partim Apollinis caput a parte priore exhibent, partim Jovis. Duo quidem priores, quos depinxit Haymius in Thes. Britannico tom. II, pag. 117, Appollinis habent caput, sed mei quatuor, nequaquam Apollinis, sed Jovis barbatum caput ostentant, quos, quamvis non valde dissimiles, conjungi et sculpi jussi, ut pateat, in illis non Apollinis sed Jovis esse caput. Cur ab altera parte lupus dimidiatus astri radiis circumdatus cernatur, obscurum est; nisi forte ista pars ad Apollinis et Dianæ spectet cultum, unde in cunctis fere hujus urbis nummis, sub imperatoribus Romanis cusis, luna crescens, cum solis astro conspicitur.

HAVERCAMPI NOTÆ.

86. *Ariobarzanes.* Ed. pr. *Ariobarzones.* Ms. Lugd. Bat. pr. *Ariorbarzanes.* Addunt post montis nomen *dicitur* Lugd. Batt. pr. tert.

87. *Memarmali.* Lugd. Bat. pr. *Memarmoli*, sec. *Memoli*, quart. et Perizon. *Marmali.*

88. *Parthau dicitur.* Lugd. Bat. pr. *Parchau.* Æthicus *Partao.* Pro *dicitur* malunt *appellatur* Hittorp. et Bolsuing.

89. *Dahas ac Araucas.* Ita Bolsuinge scripsit, cum ante *Dahassacaraucas*, et *Dachastauriocas* legeretur. Nostri antiqui partim *Daassacauracas*, partim *Daassacaraucas*, habent. Flor. sec. *Dasseraucas*, et in marg. *Dastauraucas*; tertius (cum quo Meus consentit) *Daas et Sacaraucas*; Lugd. Bat. pr. *Dacaustaraucas*, sec. *Duas Satauracas*, tert. *Dachastaraucas*, quart. *Dachaustraucas*, Perizon. *Dahassa Carautas*, Ultr. *Duas Sacaurautas.* Inter editos *Dahassaraucos* omnium prima, *Dachas Tarucas*, Aug., *Dahassarau-cas*, Venetæ. *Dagas ac Araucas* Hittorp. In Æthici Cosmographia, *Dapsassa Cauracas.*

90. *Parthyenas.* Flor. pr. *Parhieas.* Ascriptum *f. Parhinas, ut dicat Parthinas.* Lugd. Bat. pr. *Parchyenas.* Meus *Parthrenas.* Ed. Aug. *Parthynas.* Æthicus *et Parthenasis mons Oschobaris.*

91. *Oscobares.* Flor. sec. *Achobares*, tert. *Osobalers*, Meus *Oscobates.* Editio autem Aug. *Oschobates.*

92. *Ottorogorræ.* Flor. sec. *a fontibus Octorogorræ*, et mox, *ad civitatem Ottorogorrem*, tert. *a fontibus Ottorogorræ*, et mox *ad civitatem Otorogorum.* Lugd. Batt. pr. et quart. *Octorogorræ* et *Octorogorram* scribunt, ut et editt. pr. et Venetæ. *Ottorogorræ* et *Ottorogorram* reliquæ, ut et Æthici Cosmographia. Cellarius tom. II, p. 888 et 889, *Ottorocorrham* Sericum appellat oppidum, prope montes *Ottorocorrhas.*

93. *Montani Paropamisadæ.* Vulgo legitur, *Montana Paropamissadæ* : nos libros vetustos secuti sumus. Stephanus, Παροπάμισσος πόλεως ὄρος Ἰνδικῆς, ἀφ' οὗπερ Παροπαμισσάδαι οἱ παροικοῦντες. Ἀπολλόδωρος δὲ ἐν δευτέρῳ περὶ γῆς, ἀπ' αὐτῶν φησι τὸ ὄρος κεκλῆσθαι, οἱ δὲ τοῦτο κατοικοῦντες Παροπαμισσάδαι. Apud Arrianum hoc nomen modo unico σ, modo gemino σσ scribitur : sed apud Diodorum et Eustathium Dionysii interpretem unicum σ habet. Fabric. — Flor. sec. *Paropadissadæ*, ascribitur f. *nis*, ut dicat *Paropanisadæ*, tert. *Paropanissadæ*; Lugd. Batt. pr., sec. et quart. *Paropanisadæ*; reliqui mss. *Paropamisadæ.* Sed insuper conjunctionem *et* interserunt Lugd. Batt. pr. et tert. Mox *Taurus est* in Meo legitur.

94. *Hunnos et Schythas.* Flor. pr. *inter unos* (superscripto *h*) *Scitasque.* Sed *Hunos* correctum ibi est in *Ilunas*; sec. *inter Funos Sitas.* Lugd. Batt. pr. et quart. *Chunos et Scithas*, sec. *Hunos*, tert. *Chimos*, Periz. et Ultr. *Hunos Scitas*, Meus *Funoscitas.* Vulgata lectio se recte habet, et apud Æthicum quoque exstat. Ilunni enim ut accolæ hujus montis quoque memorantur a Procopio lib. IV Goth., cap. 3, p. 160, ubi de Caucasi partibus ad orientem et meridiem. Οἱ δὲ πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον καὶ ἄνεμον νότον, ἐς τὰς διεξόδους ἐξικνοῦνται οὗτοι, αἳ τὰ τῇδε ὠκημένα Οὐννικὰ ἔθνη ἐς τὴν γῆν τῶν Περσῶν καὶ Ῥωμαίων ἄγουσιν. *Illæ vero, in orientem ac meridiem vergentes, ad portas evadunt, quæ Hunnos vicinos in Persarum ac Romanorum oras inducunt.* Commemorat deinde Hunnos, qui Sabiri vocantur, et alias ibidem gentes Hunnicas.

95. *Gandaridas.* Lugd. Batt. quart. et Perizon. *Gangaridas.* Scribitur utroque modo.

96. *Eoas et Pasiadras.* Edit. prima *Eosas et Pasiadras* : litteram *s* in *Pasiadras* geminant quartus Lugd. Bat., Perizon. et Meus, ut et Flor. tert., nam in sec. legitur itidem *Passiadras*, sed superscribitur *tro*, quasi vellet *Passitroas.* Lugd. Bat. sec. *Paidras.*

97. *Imaus.* Varie in mss. corrumpitur hoc nomen hic et infra. Flor. sec. *Inmavus*, tert. *Immanus*, Lugd. Bat. pr. *Emaavus*, et ascribitur, lege *Thimarus*; tert. et quart. *Emavus*, sec. *Ymavus* : Ultr. et Periz. *Imanus*, ed. prima *Imavus*, Aug. *Timavus.*

98. *Samara.* Aug. edit. *Samora*, et mox *excipitur* editt. pr. et Venetæ. *Syricus* pro *Sericus* Ultr. ms. vulgari errore.

99. *Et dextra orientis parte.* In Flor. sec. est, *et dextra orientis partem*, sed corrigitur *et usque ad dextram*, etc.

usque ad promontorium Boreum et flumen Boreum, [100] inde tenus Scythico mari, quod est a septentrione, usque ad mare Caspium, quod est ab occasu, et usque ad [101] extentum Caucasi jugum, quod est ad [102] meridiem, Hyrcanorum et Scytharum gentes sunt [103] quadraginta duæ, propter terrarum infecundam diffusionem late oberrantes. Mare Caspium sub Aquilonis plaga ab Oceano oritur, cujus [104] utraque circa Oceanum littora, et loca deserta incultaque habentur : inde meridiem versus, per longas angustias tenditur, donec per magna spatia dilatatum; Caucasi montis radicibus [105] terminetur. Itaque a mari Caspio quod est [106] ad orientem, [107] per oram Oceani septentrionalis usque ad Tanaim fluvium et [108] Mæotidas paludes, quæ sunt ad occasum, per littus Cimmerici maris, quod est ab africo usque ad caput et portas Caucasi, quæ sunt [109] ad meridiem, gentes sunt [110] triginta quatuor. Sed generaliter regio proxima Albania ulterior, sub mari et monte Caspio, Amazonum [111] nominatur.

[112] Expliciti sunt quam brevissime fines Asiæ: nunc Europam, **23** [113] in quantum cognitioni hominis conceditur, stylo pervagabor.

A montibus Riphæis ac flumine Tanai, Mæotidisque paludibus, quæ sunt ad orientem, per littus septentrionalis Oceani usque ad Galliam Belgicam et flumen Rhenum, quod est ab occasu, deinde usque ad Danubium, quem et Istrum vocant, qui est [114] a meridie ad orientem directus, ponto excipitur : ab oriente Alania est, in medio Dacia, [118] ubi et Gothia : deinde Germania est, ubi plurimam partem [116] Suevi tenent : quorum omnium [117] sunt gentes quinquaginta quatuor. Nunc quidquid Danubius [118] a barbarico ad mare Nostrum secludit, expediam. Mœsia ab oriente habet ostia fluminis Danubii, ab euro Thraciam, a meridie Macedoniam, ab africo Dalmatiam, ab occasu Istriam, a circio Pannoniam, a septentrione Danubium.

Thracia habet ab oriente Propontidis sinum et civitatem Constantinopolim, quæ Byzantium prius dicta est : a septentrione partem Dalmatiæ, et sinum Euxini ponti, ab occasu et africo Macedoniam, a meridie Ægæum mare. Macedonia habet ab oriente Ægæum mare, a borea Thraciam, ab euro Eubœam et Macedonicum sinum, a meridie Achaiam, a favonio [119] montes Acroceraunios in angustiis Adriatici sinus, qui montes [120] sunt **24** contra Apuliam [121] atque Brundusium [122] ab occasu Dalmatiam, a circio Dardaniam, a septentrione Mœsiam. Achaia undique propemodum cincta est mari : nam ab oriente habet Myrtoum mare, ab euro [123] mare Creticum, a meridie Ionium mare, ab africo et occasu Cephaleniam et

HAVERCAMPI NOTÆ.

100. *Inde tenus.* Lugd. Batt. pr., tert., quart., *exinde tenus*, *et inde tenus* editt. pr., Hitt., Venetæ et Bolsuing.; verum delet *et* Aug., neque in mss. Florentinis apparet.

101. *Extentum.* Lugd. Batt. sec., quart. et Ultr. *extensum.* Flor. tert. *extremum.* Vulgata melior. Ovidio extentus utroque clivo mons Tmolus dicitur Metam. lib. xi vers. 150 :

Late riget arduus alto
Tmolus in ascensu ; clivoque extentus utroque,
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.

102. *Ad meridiem.* Sic malunt constanter libri mss. omnes, quam *a meridie*, quod in vulgatis plerisque est, præter ed. Augustanam.

103. *Quadraginta duæ.* Largiores assignant *tres*, cum ed. Aug. mss. Lugd. Batt. pr. et tert., *quatuor* quartus; *defusionem* mox Aug. ed. et *longe* Meus pro *late*.

104. *Utraque circa oceanum.* Lugd. Bat. pr. *utraque parte circa oceanum*, pro *circa* Lugd. Bat. quart. *citra.* Conjunctionem *et* delet Meus.

105. *Terminetur.* Lugd. Bat. *terminatur.* Quo respectu videri potest Flor. tert. supra pro *dilatatum* scribere *dilatatur.*

106. *Ad orientem.* Ed. Aug. *ab oriente.*

107. *Per oram.* Flor. sec. et tert. *per ora :* ut et Periz. reliqui vulgatam retinent cum Æthico.

108. *Mæotidas paludes.* Ed. pr. *Mæotias paludes.*

109. *Ad meridiem.* Lugd. Bat. quart. *a meridie.*

110. *Triginta quatuor.* Flor. tert. *Quatuor et triginta.* Lugd. Batt. pr., tert., quart., nunc parciores, duas modo tribuunt.

111. *Nominatur.* Ita Flor. sec. ut et Lugd. Batt. pr., tert., quart., Meus et Periz. Lugd. Bat. sec. *vocatur.* Editt. passim *nuncupatur*, præter Augustanam, quæ *nominatur.* In Æthici codd. eadem scripturæ est varietas.

112. *Expliciti.* Flor. sec., tert. et Lugd. Bat. quart, *Explicati sunt.* Edd. pr. et Venetæ, *Expliciti autem sunt* ; eædem infra, *nunc autem*, etc. Mox *quamquam brevissime* in editt. quibusdam ut Hittorp. et Bolsuing.

113. *In quantum cognitione hominis conceditur.* Ante edebatur : *cognitioni conceditur*, et *conscenditur* in scriptis; unde hanc lectionem pro germana erui, et, nisi fallor, ea maxime cum proxima dictione congruit. LAUT. — At tunc scribendum foret *adscenditur.* Verum ego a vulgata lectione, quam mss. Florentini omnesque, quos inspexi, comprobant, non discedo, neque cum Andrea Scotto temere alteram reciperem. Firmat receptam quoque Æthici Cosmographia, quæ eamdem sic interpretatur, *in quantum conditioni humanæ conceditur.*

114. *A meridie.* Ed. Aug. *ad meridiem.* Copulam *et* editiones tollunt vetustiores usque ad Fabricianas, sed contra omnes, quos inspexi, vel quorum habeo collationem mss., ut et contra Æthici Cosmographiam. Ister igitur, sive Danubius, incipit a meridie, ubi oritur, deinde ad orientem cursum dirigens, pergit, donec in mare influit seseque exonerat.

115. *Ubi et Gothia.* Ed. eadem *ibi et Gothia, deinde et Germania est.*

116. *Suevi tenent.* Sic in mss. et edd. vetust. *Suevi obtinent*, in Hittorp. et Bolsuingiana.

117. *Sunt gentes.* Sic in mss. Editt. transponunt, *gentes sunt.*

118. *A barbarico.* Lugd. Bat. sec. et Ultr. addunt *oceano*, quart. *mari.* Pro *Mœsia* male *Mysia* in Flor. sec. et tert. hic et infra.

119. *Montes Acroceraunios.* Legitur et *Acroceraunia*, Horatius libro primo Carmin. *Qui vidit mare turgidum, et Infames scopulos Acroceraunia*, Diodorus libro quadragesimo primo, ἐπεραιώθη πρὸς τὰ ἄκρα τὰ Κεραύνια ὠνομασμένα. FABR.—Flor. sec. *montes Acroceaneos.* Lugd. Batt. omnes, ut et Perizon. et Fabric. *montes Acrocerauniæ.* Mox *maris* pro *sinus* in Meo.

120. *Sunt.* Hittorp. et Bolsuing. editt. contra reliquas et mss. omnes infarciunt *siti.* Lugd. Bat. sec. et Ultr. insuper *sunt* delent.

121. *Atque Brundusium.* Amant ita mss. et editi vetustiores, reliqui *et Brundusium.*

122. *Ab occasu.* Lugd. Bat. quart. præponit *et.*

123. *Mare Creticum.* Ed. pr. *Arcticum mare.*

Cassiopam insulas, a septentrione sinum Corinthium, ab aquilone angustum terræ dorsum, [124] quo Macedoniæ conjungitur, vel potius Atticæ, qui locus Isthmos vocatur, [125] ubi est Corinthus, [126] habens in Attica ad boream non longe Athenas civitatem. Dalmatia habet ab oriente Macedoniam, ab aquilone Dardaniam : a septentrione Mœsiam, ab occasu Istriam, et sinum Liburnicum, et insulas Liburnicas : a meridie Adriaticum sinum. Pannonia, Noricus, et Rhetia habent ab oriente Mœsiam, a meridie Istriam, ab africo [127] Alpes Penninas, ab occasu Galliam Belgicam, a circio Danubii fontem, et limitem, qui Germaniam a Gallia inter Danubium Galliamque [128] secernit, a septentrione Danubium et Germaniam. Italiæ situs a circio in eurum tenditur, habens ab africo Tyrrhenum mare, a borea Adriaticum sinum : cujus ea pars [129] qua continenti terræ communis et contigua est, Alpium obicibus obstruitur : [130] quæ a Gallico mari super Ligusticum sinum exsurgentes, primum Narbonensium fines, **25** deinde Galliam Rhetiamque secludunt, [131] donec in sinu Liburnico defigantur. Gallia Belgica habet ab oriente limitem fluminis Rheni et Germaniam, [132] ab euro Alpes Penninas, a meridie provinciam Narbonensem, ab occasu provinciam Lugdunensem, a circio oceanum Britannicum, a septentrione [133] Britanniam insulam. Gallia Lugdunensis, ducta per longum, et per angustum inflexa, Aquitanicam provinciam semicingit. Hæc ab oriente habet Belgicam, a meridie partem provinciæ Narbonensis, qua Arelas civitas sita est, [134] et mari Gallico Rhodani flumen excipitur. Narbonensis provincia, pars Galliarum, habet ab oriente Alpes [135] Cottias, [136] ab occidente Hispaniam, a circio Aquitaniam, a septentrione [137] Lugdunensem, ab aquilone Belgicam Galliam, a meridie mare Gallicum, quod est inter Sardiniam et [138] insulas Baleares, habens in fronte qua Rhodanus fluvius in mare exit, insulas Stechadas. [139] Aquitanica provincia obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus ejus est, in orbem agitur. Hæc [140] a circio Oceanum qui Aquitanicus sinus dicitur, ab occasu Hispanias habet, a septentrione et oriente Lugdunensem, ab euro et meridie Narbonensem provinciam contingit. Hispania [141] universa terrarum situ trigona est, et circumfusione Oceani Tyrrhenique pelagi **26** [142] pene insula efficitur. Hujus [143] angulus prior, spectans ad orientem, a dextris Aquitanica provincia, a sinistris Balearico mari coarctatus, Narbonensium finibus inseritur. Secundus angulus circium intendit : [144] ubi Brigantia Calleciæ civitas sita, altis-

HAVERCAMPI NOTÆ.

124. *Quo Macedoniæ conjungitur*. Lugd. Bat. sec. et Periz. *quod*, quart. *qui*, etc.

125. *Ubi est*. Abest posterior vox ab edit. Aug.

126. *Habens in Attica ad Boream*. Lugd. Bat. tert. et quart. *habens in Atticam*, etc., quibuscum consentit ed. pr. quæ insuper legit *a borea*. At Lugd. Bat. pr. *spectans in Atticam ad boream*, etc. In Æthici Cosmographia legitur, *Hic est in Attico ad boream non longe civitas Athenæ* : corrige, *Hinc est in Attica*, etc.

127. *Alpes Penninas*. Ita clare scribitur in Lugd. Batt. tertio, quarto et Perizoniano, et exhibet edit. Aug. *Peninas* Meus cum Lugd. Bat. sec. Flor. sec. scribit, *Appenninas* vel *Apenninas* Flor. tert. et edit. pr. atque Lugd. Bat. pr. Alpes vero istas *Penninas* a deo Pennino, non *Pœninas*, ut alii, præsertim Græci scriptores, quasi a Pœnorum et Annibalis transitu vocari ostendit Livius lib. XXI, cap. 38 : *Nec verisimile est, ea tum ad Galliam patuisse itinera; utique quæ ad Penninum ferunt, obsepta gentibus semigermanis fuisse; neque hercule, montibus his si quem forte id movit, ab transitu Pœnorum ullo Veragri, incolæ jugi ejus, norunt nomen inditum : sed ab eo, quem in summo sacratum vertice Penninum montani appellant.*

128. *Secernit*. Ed. pr. et Venetæ *discernit*. Mox copula *et* delet Ed. Aug.

129. *Qua continenti*. Pro *qua* Lugd. Batt. pr. et sec. ut et ed. Aug. *quæ* exhibent.

130. *Quæ a Gallico mari super Ligusticum sinum*. Lugd. Bat. sec. *qui*. Ed. Aug. *quæ Gallico mari per Lig. s.* Ultr. ms. quoque *per Lig. s.*

131. *Donec in sinu Liburnico defigantur*. Lugd. Batt. sec. *defiguntur*. Sed quart. *donec in sinum Liburnicum desinant.*

132. *Ab Euro*. Addunt *habet* Lugd. Batt. pr. sec., tert., et ed. Aug. *Alpes Penninas* autem hic iterum scribunt Periz., Lugd. Batt. tert. et quart. et insuper primus, sed in primo, manu secunda *a* præponitur, ut notet *Apenninas*, sicuti in quibusdam exstat.

133. *Britanniam*. Ms. Ultr. et edd. pr. Venetæ et Aug. *Britannicam*. Addit aliquanto post *Galliam*, denuo in iis *habet Belgicam*, Ultr. *Aquitaniam* pro *Aquitanicam prov.* habent edd. pr. Aug. et Venetæ *Arelatum* pro *Arelas*.

134. *Et mari*. Interserit *ubi* Lugd. Bat. quart. *excipitur* pro *accipitur* scribit secundus.

135. *Cottias*. Id verum nomen. Mss. Lugd. Batt. pr. et tert. *Gutticas*, sec. *Chotias*, quart *Cothicas*, Periz. *Cotias*, Meus *Cutias*, mendose, ut multa locorum nomina.

136. *Ab occidente*. Lugd. Bat. quart. *ab occasu* et mox *Aquitaniam* sec., tert. et quart.

137. *Lugdunensem. Galliam* quædam editiones præponunt, sed in mss. abest.

138. *Insulas Baleares*. Priorem delent Lugd. Batt. sec. et quart.

139. *Aquitanica*. Ultr. *Aquitania*, et *ejus* in illis, *ejus est*, delet.

140. *A circio oceanum*. In Ed. Aug. est *oceano* Editt. pr. et Venetæ *a circio habet oceanum*. Mox *Hispanos* Ultr.

141. *Universa*. Lugd. Batt. pr., tert., edd. pr., Aug. et Venetæ *universo*, ut ad situm non ad Hispaniam referatur. Vulgatum tuetur Æthici Cosmographia. Delent *est* mss. Flor. uterque, Lugd. Batt. sec. quart., Periz. et Meus, ut et *que* post *Tyrrheni* pr. et tert.

142. *Pene insula efficitur*. Ex editis quidam *peninsula efficitur*. Post quæ additur in Aug. *ac insulæ nomine censetur*.

143. *Angulus prior*. Lugd. Bat. quart. *propior*. Idem mox legit, *a dextris habet Aquitanicam provinciam*, quam lectionem in tertio quoque inveni. In *angulus ejus*, quod sequitur postremam vocem delent mss. Flor. uterque et edd. Venetæ.

144. *Ubi Brigantia Caleciæ*. Ita scripsimus ex libro vetusto, pro quo in vulgatis est, *Gallæciæ*. Diodorus libro trigesimo septimo, Βριγάντιον πόλιν Καλλαικίας dicit. FABR. — Flor. sec. *Galleciæ* superscripto *i*, ut notet *Gallitiæ*, prout in sec. Flor. et Lugd. Bat. atque Ultr. et Æthici Cosmogr. exstat. Lugd. Batt. pr. tert. et quart. *Galliæ*. Perizon. *Galleciæ*. Meus *Galiciæ*. Sed *Callæciæ* rectum est. Præter Diodorum Dio Cassius, ubi de Cæsare loquitur, Callæ-

simam pharum, et inter pauca memorandi operis, ad speculam Britanniæ erigit.[145] Tertius ejus angulus est,[146] qua Gades insulæ intentæ in africum, Atlantem montem interjecto sinu Oceani prospiciunt. Hispaniam citeriorem ab oriente[147] incipientem, Pyrenæi saltus a parte septentrionis[148] usque ad Cantabros Asturesque deducunt, atque inde per Vaccæos et[149] Oretanos, quos ab occasu habet, posita in Nostri maris littore Carthago determinat. Hispania ulterior habet ab oriente Vaccæos, Celtiberos, et Oretanos: a septentrione Oceanum, ab occasu Oceanum, a meridie Gaditanum
27 Oceani fretum[150]: unde mare Nostrum, quod Tyrrhenum vocatur, immittitur. Et quoniam Oceanus habet insulas, quas Britanniam et Hiberniam vocant, quæ[151] in aversa Galliarum parte ad prospectum Hispaniæ sitæ sunt, breviter explicabuntur. Britannia Oceani insula, per longum in boream extenditur. A meridie Gallias habet, cujus proximum littus transmeantibus[152] civitas aperit, quæ dicitur[153] Rhutubi portus: unde haud procul[154] a Morinis in austro positos Menapios Batavosque prospectat. Hæc insula habet[155] in longo millia passuum octingenta; in lato millia ducenta: a tergo autem, unde Oceano infinito patet,[156] Orcadas insulas habet, quarum viginti desertæ sunt,[157] tredecim coluntur. Deinde insula Thule, quæ per infinitum a
28 cæteris separata, circium versus[158] medio sita Oceani, vix paucis nota habetur. Hibernia insula, inter Britanniam et Hispaniam[159] sita, longiore ab africo in boream spatio porrigitur. Hujus partes priores intentæ Cantabrico oceano, Brigantiam Calleciæ civitatem, ab africo sibi in circium[160] occur-

HAVERCAMPI NOTÆ.

ciæ urbem vocat, lib. XXXVII, p. 54, Βριγάντιον πόλιν αλλαικίας παραπλεύσας, *Brigantium, urbem Callæciæ, prætervectus*, unde patet maritimum fuisse oppidum, quod egregie confirmatur hoc Orosii loco, neque enim memorandi operis pharus alibi usum sui nautis præbere potest. Sequentia sic constituunt mss. quidam: *sita est, et altissimam pharum, inter p. m. o. ad spectaculum Br. erigit.* Lugd. Bat. primus; *sita est, et altissimam pharum, et inter p. m. o. ad spectaculum Br. erigit* Lugd. Bat. quart.; *sita est*, quoque habet Lugd. Bat. tert.; pro *speculam* Flor. sec. et tert. *speculum*. Ultr., *ad spectaculum Britanniæ erigitur*. Edd. pr. et Venetæ *ad speculam Britanniæ exigit*. Æthici Cosmogr. *Ubi Brigantia civitas sita est Galliciæ, ac altissimum* (alii *ad*) *altissimum farum: et inter pauca memorandi operis ad speculam Britanniæ erigitur.*

145. *Tertius ejus angulus est.* Transponunt *tertius angulus ejus* codd. Florentini et Perizon.; *ejus* abest a codice Meo, *est* a Lugd. Bat. pr. et a Meo.

146. *Qua.* Lugd. Bat. sec., tert., quart. et Flor. sec. atque Ultr. *quo*, et sic quoque in Æthici Cosmogr. edit. pr. et ante Fabricianas vetustis omnibus. Meus codex *qua* servat. Mox *ad Africum* Lugd. Bat. quart.

147. *Incipientem.* Abest a Perizon. servant alii, ut et Æthicus, *ab oriente incipit ex Pyrenæis saltibus.* In Meo *Pyreneus saltus*, pro *Pyrenæi.*

148. *Usque ad.* Posteriorem vocem delet Lugd. Bat.

149. *Oretanos.* Ed. pr. *Oreatanos*, dein Meus, *quos ab occasu habet positos, in n. m. l. Carthago d.*; at ed. pr. *q. a. o. habet positam in n. m. l. Carthaginem determinat.*

150. *Unde.* Ed. Aug. *inde mare Nostrum.* Sic quoque Venetæ.

151. *In aversa Galliarum parte. Aversa*, non *adversa*, recte est in manuscriptis. FABRIC. — *Aversa* quoque legitur in Æthici Cosmographia, et in mss. Flor. sec.: reliqui fere cum vetustis editionib. *adversa* legunt.

152. *Civitas aperit*, in Æthici Cosmographia iisdem verbis hæc loca describuntur. Verum mss. Lugd. Bat. quart. et Ultr. legunt *civitas apparet*, contra reliquos et scriptoris mentem. Geographis enim proprio verbo dicit Orosius civitatem Britannicam Rhutubi transmeantibus proximum littus Galliæ aperire; quibus significat ita angustum ibi trajectum esse maris, ut inde Galliæ littora prospici queant, quare olim inde in Gallias et ex Galliis in Britanniam frequens erat trajectus, antequam ut hodie fit, portus Dubris, nunc *Dover* eidem succedens, sibi illum usum vindicasset. E regione Bononiæ fuit, unde, sive ex Gessoriaco solventes, directo cursu ex Gallia solvebant. Ammian. Marcellin. lib. XX, cap. 1: *Observato flatu secundo ventorum ad Rutupias, sitas ex adverso, defertur, petitque Lundinium.* Idem lib. XXVII, cap. 8: *Cum venisset ad Bononiæ littus, exinde transmeato lentius freto, defertur Rutupias, stationem ex adverso tranquillam.*

153. *Rhutubi portus.* Varia nominis est scriptura et nomenclatio, non modo in mss. et editis, sed et apud priscos auctores. Lugd. Batt. pr. et tert. *Rutupi portus.* Meus *Rhutubi portus.* Antonini Itinerarium *Ritupas*, alii scriptores passim *Rutupias* vel *Ritupias* appellant. Observat autem clariss. Petrus Wesselingius ad Antonini Itin. p. 473 plurali numero dici, quod binæ ibi essent arces ad portum appositæ, quarum ad septentrionem vergentem *Regulbium* vocabant, ejusque nominis reliquias hodieque in *Reculver* durare: testemque citat, præter Notitiam Imp. Occident. libellum, Jo. Battely de Antiquitatibus Rutupinis Oxonii vulgatum.

154. *A Morinis. A Morynis* edd. pr. et Venetæ. Sed Lugd. Batt, tert., quart., et Perizon. *a Morinis*, (quart. *Morineis*), *in austro positis* Lugd. Batt. sec., quart. et Periz.; dein *Menapos* Lugd. Batt. sec., quart., Periz. et Ultr., ex quibus ultimus, *Bathavosque*, pro quo *Batrasiosque* ed. prima.

155. *In longo.* Cum mox sequatur *in lato*, mirum, cur contra Æthicum et omnes mss. nescio quomodo in quibusdam editionibus irrepserit *in longum*, præsertim cum infra, ubi insulam Cyprum describit, *in longo*, et *in lato* pariter ejus spatium describat. *Ad millia passuum octingenta*, Lugd. Bat. quart. *tria* in initio addit.

156. *Orcadas.* Ita mss. meliores, editi quidam *Orcades*, quæ varietas in Æthici Cosmogr. quoque est.

157. *Tredecim coluntur. Quatuordecim coluntur* Æthicus et ed. Aug.; *tredecim incoluntur* edd. pr. Venetæ, Hittorp. et Bolsuing., sed contra omnes mss. et Æthici quoque Cosmographiam. Pro *Thule* ed. pr. et mss. Flor. *Tile*, Aug. *Thile.* Dein Lugd. Bat. sec. *quæ per infinitum Oceanum*, etc.

158. *Medio sita Oceani. Medio sita est Oceani*, Ultr.; *Medio sita Oceano*, edd. pr., Hitt. et Bolsuing. atque mss. Flor. sec., tert., Perizon. et Meus.

159. *Sita longiore.* Ultr. *sita, longiori spatio*, etc. Ed. pr. et Venetæ, *sita est, quæ longiore ab A.* Mox Periz. *colligitur.*

160. *Occurrentem.* Ed. pr. *occurrente.* In edit. Moguntina ad *procul spectant*, notatur in marg. *prospectant.*

rentem, spatioso intervallo procul spectant ; ab eo præcipue promontorio, ubi [161] Scenæ fluminis ostium est, et Velabri [162] Lucenique consistunt. Hæc propior Britanniæ, spatio terrarum angustior : [163] sed cœli solique temperie magis utilis, a Scotorum gentibus colitur. Huic etiam [164] Mevania insula proxima est, et ipsa spatio non parva, [165] solo commoda ; æque a Scotorum gentibus [166] habitatur. Hi sunt fines totius Europæ. Africam, ut dixi, [167] cum tertiam orbis partem majores nostri accipiendam descripserint, non spatiorum **29** mensuras, sed divisionum rationes secuti sunt. [168] Mare hoc siquidem Magnum, quod ab occasu ex Oceano oritur, in meridiem [169] magis vergens, angustiorem inter se et Oceanum coarctatæ Africæ limitem [170] facit. Unde etiam aliqui, quamvis eam longitudine parem, tamen multo angustiorem intelligentes, [171] inverecundum arbitrati sunt tertiam vocare partem, sed potius [172] in Europam Africam A deputantes, [173] secundæ portionem appellare maluerunt. Præterea cum [174] multo amplius terræ in Africa ardore solis, quam in Europa rigore frigoris incultum atque incognitum sit [175] (quippe cum omnia pene animantia vel germinantia, patientius et tolerabilius ad summum frigoris quam ad summum caloris accedant), ea scilicet causa est, Africam per omnia situ et populis minorem videri : [176] quia et natura sui minus habeat spatii, et cœli inclementia plus deserti : cujus descriptio per provincias et gentes hæc est : Libya Cyrenaica et Pentapolis, [177] post Ægyptum in parte Africæ prima est. Hæc incipit a civitate [178] Parætonio, et montibus Catabathmon : **30** inde secundo mari usque ad aras Philenorum extenditur. Post se habet usque ad oceanum meridianum, gentes [179] Libyæ, Æthiopum et Garamantum. [180] Huic est ab oriente Ægyptus, a septentrione mare Libycum, ab occasu Syrtes majores et Troglodytæ, contra quos insula [181] Calypso est : a meridie B

HAVERCAMPI NOTÆ.

161. *Scenæ fluminis.* Nomen fluminis in ms. Ultr. abest, in Æthici Cosmographia *Sacanæ* appellatione insignitur. *Senæ* autem scribunt mss. Flor. sec., tert., Meus, ut et edit. pr., in reliquis *Scenæ* legitur, quod cum appellatione ejusdem hodierna congruit : *Scennon* enim dici testatur Cellarius lib. II, cap. 4, p. 441.

162. *Lucenique.* Lugd. Batt. pr. et tert. *Lugenique. Lucinique.* ed. Aug. *Velabri Luceni*, deleto *que* Ultr. Pro *spatio* mox *spatioso* Perizon.

163. *Sed cœli solique temperie.* Vulgo *cœli solisque.* Tautologia puerilis. LAUT. — Addit ad marginem editionis Mogunt. Andr. Scottus *solique* melius et merito. Omnes tamen mss. cum editis et ipsa Æthici Cosmographia præferunt *cœli solisque temperie*, exceptis meis membranis, in quibus clare exstat *cœlo solique temperie.* Malim *solo cœlique temperie*, etc., nam temperies proprie de aere sive cœlo dicitur, atque ita laudatur ab Orosio Hibernia, quod aere gaudeat temperato, et solo fertili. Mox in illis *a Scotorum*, præfigitur et in Lugd. Bat. quarto.

164. *Mevania insula.* Aug. *Mevania insula est proxima.* Pro *Mevania* habent *Evann* Lugd. Batt. pr., tert., *Eumania* sec. et Ultr., *Eumonia* quart.

165. *Solo commoda.* Ultr. et edit. Aug. *sola commoda*, sed Fabricianæ editt. notant in marg. vocem *solo.* Ego, ex Æthici quoque Cosmographia, *solo* prætuli : nam, sicuti supra a cœlo et solo laudavit Hiberniam, sic nunc quoque a solo et amplitudine commendat *Mevaniam.* Edit. pr. legit, *spatio non parvo, solo commoda.* Hanc, ut sæpe, sequuntur Venetæ. C

166. *Habitatur.* Lugd. Bat. quart. *habetur.* Pro *hi sunt fines*, etc., in Ultr. est, *Hic sunt fines*, etc.

167. *Cum tertiam orbis partem.* Lugd. Bat. sec. delet *orbis*, Ultr. insuper *cum*, legens *tertiam partem*, at in Lugd. Bat. pr. est, *cum tertiam orbis propepartem*, etc. Mox *descripserunt* Lugd. Batt. sec., tert., quart., et *accipiendam esse* Flor. tert.

168. *Mare hoc*, etc. Transponit cum edit. Hittorp. cod. Periz., *Mare siquidem hoc magnum.*

169. *Magis vergens.* Vox prima a Periz. codice abest.

170. *Facit.* Mss. Florent. sec. et tert., Lugd. Batt. pr., sec., ter., Meus, Ultr. et editt. pr. et Aug. et Venetæ *fecit.* Lugd. Bat. quart. *fec̄.*, Perizon. *fc̄it.* superposita linea, quæ corrumpendæ scripturæ dedit occasionem.

171. *Inverecundum.* Meus cum Flor. tert. et ed. Aug. *verecundum.* Delent autem *sunt* Lugd. Bat. tert., Meus et Periz.: *vocare partem* transponit ed. pr. cum Venetis.

172. *In Europam.* Sic magno consensu mss. Flor. sec., tert., Lugd. Batt. sec., quart., Ultr. et Meus. Editio quoque Aug. Servat vulgatum Perizon. et Lugd. Bat. tert. Monuimus supra præpositionem *in* ab antiquis promiscue cum quarto et sexto casu conjunctam fuisse.

173. *Secundæ portionem.* Ita lego. Vulgati habent *Secundæ portionis portionem* præeunte edit. Hittorp. Magna hic varietas in mss. est: Florent. sec., tert., *hoc est secundæ portionem*, etc., quam comprobant Lugd. Bat. quart., Perizon. et Meus. At Lugd. Batt. pr., tert., *hoc secundam portionem*, sec. cum Ultr., *hoc est secundam eam portionem.* Ed. pr. cum Venetis *ac secundam portionem*, Aug. *secundam portionem.* Æthicus, in Africæ præcipue descriptione, verba Orosii immutat, et hunc locum ita circumscribit, *sed in Europa eam judicaverunt reputandam, hoc est, ut non eam similem duabus dicerent, sed de duabus uni subjectam.*

174. *Multo amplius.* Lugd. Bat. quart., *multo magis.*

175. *Quippe cum omnia.* Media vox in Fabr. Edit. deficit, unde *accedant* mutatur ibidem in *accedunt.*

176. *Quia et natura sui.* Edd. pr. et Venetæ *et q. n. s.*, Lugd. Bat. tert. *quia ex n. s.*, dein *minus habet spatii* Flor. sec. et tert. et edd. Venetæ.

177. *Post Ægyptum.* Lugd. Bat. sec. et Ultr. *quæ post Ægyptum.* D

178. *Parætonio.* Vitiose apud Æthicum *Parthenio.* Mox quidam *secundum mare.*

179. *Libyæ Æthiopum.* Lugd. Batt. pr. et tert. simpliciter *Æthiopum.* Meus et Flor. tert. *Libycum, Æthiopum*, etc. Ed. pr. cum Æthici Cosmographia, *Libyorum, Æthiopum*, etc., Aug. *Libyos Æthiopum*, Flor. sec. *Libyoæthiopum*, Ultr. ms. *Libie Æthiopum.* Veram scripturam censeo, *gentes Libyæ, Æthiopum et Garamantum.* Hæc enim omnes in plures dividuntur gentes; nam Libyoæthiopes, sive incolæ Libyæ Ægyptiæ quas supra memoravit p. 18, alii sunt et diversi ab his, et ex eo loco videtur id nomen *Libyæthiopum* hic quoque in Hittorpiana primum editione, deinde in Bolsuing. et Fabric. et Moguntina Andr. Scotti fuisse repositum.

180. *Huic est.* Abest posterior vox a Flor. sec. *Hinc est* in quibusdam.

181. *Calypso.* Flor. tert. *Calypsa.* Ed. Aug. *Calyps.* Scriptoribus Latinis hæc insula *Calypsus* vocatur, ut

Æthiopicus oceanus. Tripolitana provincia, quæ et Subventana, vel [182] regio Arzugum dicitur, ubi Leptis magna civitas est, quamvis Arzuges per longum Africæ limitem generaliter vocentur, habet ab oriente aras Philenorum inter Syrtes majores et Troglodytas, a septentrione mare Siculum, vel potius Adriaticum, et Syrtes minores, ab occasu [183] Byzacium [184] usque ad lacum Salinarum, a meridie barbaros Getulos, [185] Nothabres, et Garamantas, usque ad oceanum Æthiopicum pertingentes. Byzacium, [186] Zeugis, et Numidia. Zeugis autem prius non unius conventus, sed totius provinciæ generale [187] fuisse nomen invenimus. Byzacium ergo, ubi **31** [188] Adrumetus civitas : Zeugis ubi Carthago magna, Numidia ubi Hippo regius et [189] Rusiccadâ civitates sunt : habent ab oriente Syrtes minores et lacum Salinarum, a septentrione mare Nostrum, quod spectat ad Siciliam et Sardiniam insulas, [190] ab occasu Mauritaniam Sitifensem, a meridie [191] montes Uzaræ : et post eos Æthiopum gentes : pervagantes usque ad oceanum Æthiopicum.

[192] Sitifensis et Cæsariensis Mauritania habent ab oriente Numidiam, a septentrione mare Nostrum, ab occasu flumen [193] Malvam, a meridie montem [194] Astrixim, qui dividit inter vivam terram et arenas jacentes [195] usque ad Oceanum : [196] in quibus et oberrant Gangines Æthiopes. Tingitana Mauritania ultima est Africæ. [197] Hæc habet ab oriente flumen Malvam, a septentrione mare Nostrum usque ad fretum Gaditanum, [198] quod [199] inter Abennem et Calpen, duo contraria sibi promontoria, coarctatur : ab occidente Atlantem montem, et oceanum Atlanticum, sub africo Hesperium montem, a meridie gentes [200] Aulolum, quas **32** nunc [201] Galaulas vocant, usque ad oceanum Hesperium contingentes. Hic est [202] universæ terminus Africæ. Nunc insularum quæ in Nostro mari sunt, [203] loca, nomina, et spatia dimetiar. Insula Cypros ab oriente mari Syrio, [204] quem Issicum sinum vocant, ab occidente mari Pamphylico, a septentrione [205] Aulone Cilico, a meridie Syriæ et Phœnices pelago cingitur : cujus spatium [206] in longo tenet millia passuum centum se-

HAVERCAMPI NOTÆ.

Plinio lib. III in fine cap. decimi, *Promontorium Lacynium; cujus ante oram insula decem mille passuum a terra Dioscuron : altera Calypsus, quam Ogygiam appellasse Homerus existimatur.* Græcam Inflectionem sequitur Orosius, et ex eo Æthicus. Scylacis Periplus p. 5, Ed. Huds. : Λακίνιον ἱερὸν Ἥρας καὶ νῆσος Καλυψώ, ἐν ᾗ Ὀδυσσεὺς ὤχει παρὰ Καλυψοῖ : *Lacinium fanum, Junonis et Calypso insula, in qua Ulysses habitabat apud Calypso.* Ogygiam hanc insulam, in qua Atlantis filia Calypso habitaverit, vocat Homerus Odyss. II, v. 244. Periz. ms. *insula est Calyopso.*

182. *Regio Arzugum. Azotum*, quod alii ascripserunt, nos in nullis antiquis invenimus. FABRIC. — Flor. sec. *Arzutum*, Lugd. Bat. pr. *Arguzum*, tert. *Arrugum;* posteriores mox quoque *Arguzes* et *Arruges.*

183. *Byzacium.* Vulgo mendose *Byzantium* legitur. *De Byzacio* Plinius lib. v capit. 4. In vetusto Indice dignitatum et administrationum Romanarum, jam *Byzacium*, jam *Bisacium* legitur. FABR.—Lugd. Bat. pr., sec., tert., et hic et infra *Bizantium*, tert. *Bizagium.* Reliqui lectionem probam servant. Ed. Aug. *Bizachium.*

184. *Usque ad lacum.* Lugd. Bat. pr. delet *ad.*

185. *Nothabres.* Lugd. Batt. pr. et tert. *Nabazares*, sec. et Meus *Natabros*, quart. et Periz. *Nathabres.* Mox *Garamantes* Lugd. Batt. pr., tert., quart.

186. *Zeugis.* Flor. sec. hic et infra *Zeuges*, ut et ed. Aug.

187. *Fuisse nomen.* Transponunt mss. quidam *nomen fuisse.*

188. *Adrumetus civitas.* Lugd. Bat. pr. *Adrumeta civitas;* posterior vox in Meo non apparet.

189. *Rusiccada.* Apud Plinium lib. v, cap. 3, et Melam lib. I, cap. 7, est *Rusicade.* FABR. — Lugd. Batt. pr., sec. et tert. ut et Ultr. *Rusicada*, quart. *Rusicida.* Ed. pr. *Nisiccada.*

190. *Ab occasu.* Lugd. Bat. pr. *ab occidente.*

191. *Montes Uzaræ.* Meus *montes Uazaræ.* In edit. Cervicorn. *fontes Uzaræ :* quæ lectio invenitur quoque in pr. et Venetis. *Montem Suzare* Flor. sec., *montes Vazare* Flor. tert. Mox *post eum* Ultr. qui in *ad oceanum* priorem vocem delet.

192. *Sitifensis et Cæsariensis Mauritania.* Lugd. Batt. pr., tert. et quart. cum edit. pr. *Sitifenses et Cæsarienses Mauritania.* Distinguitur vero in editione prima post *Cæsarienses*, quasi scilicet ad ea quæ præcesserunt, pertinerent. Mox *habet* pro *habent* Lugd. Bat. tert. et Perizon.

193. *Malvam.* Dividit hic fluvius duas Mauritanias. *Flumen Malva* legitur in mss. Lugd. Batt. pr., sec., quarto et Ultr. Sed in pr. superscribitur *Muluca.*

194. *Astrixim.* Flor. sec. *Astrinxim*, tert. *Astrixim.* Lugd. Bat. pr. *Astrinxi*, sed ascribitur, lege *Astricii.*

195. *Usque ad Oceanum.* Mediam vocem delet Meus.

196. *In quibus oberrant.* Edit. pr. atque Venetæ *et oberrant.*

197. *Hæc habet.* Lugd. Bat. pr. *Et hæc habet*, etc.

198. *Quod.* Ed. Aug. *quo.*

199. *Inter Abennem et Calpen. Havennem, Habennen, et Abennen* scriptum invenitur. Intelligit duas columnas Herculis : quarum una Europæa a Barbaris *Calpe*, a Græcis Ἀλύβα, nominatur : altera Libyca ab illis *Abenne*, ab his Κυννηγετικὴ dicitur, auctore Eustathio in Dionysium. FABR. — *Inter Avenne et Calpis* Florent. sec. et Lugd. Batt. omnes ut et Meus; *inter Avene et Calpen* Ultr.; *inter Habenne et Calpis* Flor. tert. : *inter Avenne et Calpes* ed. Aug. Delet mox *coarctatur* Ultr.

200. *Aulolum.* Flor. tert., Meus et Lugd. Bat. tert. *Aulososum.*

201. *Galaulas.* Sic prima editio cum Venetis, et Fabr. *Gaulales* edd. Hittorp. et Cervicorn., quod mss. Lugd. Batt. pr. et tert. quoque exhibent, sed quart. *Gaulades* Flor. sec. *Galaulas*, tert. et Meus *Galaulolas.*

202. *Universæ terminus.* Ita in mss. Florentinis, et in Meo. Ed. pr. et Venetæ cum Hittorp. *terminus universæ;* at Bolsuing. cum Fabr. et mss. quibusdam *universus terminus Africæ.*

203. *Loca, nomina et spatia.* In Meo, *loca et nomina et spatia.* Mox in ed. Aug. *spatia demetiar, Al. dimetiar*, recepta in contextum utraque lectione.

204. *Quem Issicum sinum vocant.* Flor. sec. *quem Missicum sinum vocant*, tert. *quem Misicum sinum vocant.* Lugd. Batt. pr., tert., quart., Meus, et ex editis prima et Venetæ, *quod Missicum sinum vocant.* August. *quod Mesicum*, ms. Ultr. *quem Missicum.* Servant legitimam scripturam Lugd. Bat. sec. et Perizon., nato errore ex compendio scribendi et transmigratione litteræ *m*, ita *qm̄ Issicum.*

205. *Aulone Cilico.* Ed. pr. *Aulone Ciliciæ.* Venetæ, easque secuta Parisina, *Vulonæ Ciliciæ.* Mox *Phœnicis* pro *Phœnices* mss. Florent.

206. *In longo... in lato.* Editi. quædam, ut prima

ptuaginta quinque, in lato millia passuum centum viginti quinque. Insula Creta finitur ab oriente Carpathio mari, ab occasu et septentrione mari Cretico, [207] a meridie mari Libyco, quod et Adriaticum vocant : [208] habet in longo millia passuum centum septuaginta duo, in lato quinquaginta. [209] Insulæ Cyclades, quarum est ab oriente prima Rhodos, a septentrione Tenedos, a meridie Carpathos, ab occasu Cythera, ab oriente finiuntur littoribus Asiæ, ab occidente [210] mari Icario, a septentrione mari Ægæo, a meridie mari Carpathio. Sunt autem omnes Cyclades numero [211] quinquaginta tres. **33** [212] Hæ tenent a septentrione in meridiem [213] millia passuum quinquaginta, ab oriente in occasum millia ducenta. Sicilia insula tria habet promontoria, unum quod dicitur [214] Pelorum, et [215] aspicit ad aquilonem, cui Messana civitas proxima est : secundum, quod dicitur Pachynum, sub quo civitas Syracusana, [216] respicit ad euronotum : tertium, quod appellatur Lilybæum, ubi et civitas ejusdem nominis sita est, [217] dirigitur in occasum. Hæc habet [218] a Peloro in Pachynum millia passuum [219] centum quinquaginta novem, a Pachyno in Lilybæum [220] centum septuaginta septem. Hæc ab oriente cingitur mari Adriatico, a meridie mari Africo, quod est contra Subventanos et Syrtes minores : ab occidente et septentrione habet mare Tyrrhenum : a borea [221] usque subsolanum, fretum Adriaticum, quod dividit Tauromenitanos Siciliæ, et Bruttios Italiæ. Sardinia et Corsica insula parvo freto, hoc est, [222] millium viginti, dividuntur : ex quibus Sardinia habet a meridie contra Numidiam [223] Caralitanos : contra Corsicam insulam, hoc est, septentrionem versus, habet Ulbienses : cujus [224] in longo **34** spatium tenet millia passuum [225] ducenta triginta, in lato millia [226] ducenta octoginta. Hæc habet ab oriente [227] et a borea [228] Tyrrhenum mare, quod spectat ad [229] portum urbis Romæ : ab occasu mare Sardum, ab Africo insulas Baleares longe positas, a meridie Numidicum sinum, a septentrione (ut dixi) Corsicam. Corsica insula multis promontoriis angulosa est. Hæc habet [230] ab oriente Tyrrhenum mare, [231] et portum Urbis, a meridie Sardiniam, ab occasu [232] insulas Baleares, longe positas, a circio et septentrione Ligusticum

HAVERCAMPI NOTÆ.

Venetæ, Aug. et Bolsuing, hic et infra exhibent *in longum, et in latum.*

207. *A meridie mari Libyco.* Excidit vox *mari* in editt. Fabricianis et Mogunt., quæ tamen in omnibus mss. reliquisque editis invenitur.

208. *Habet in longo millia passuum centum septuaginta duo, et in lato quinquaginta.* Ed. Augustana, *Hæc habet in longum m. p. c. s. d. in lato q.* Sed prima, *Habet in longum m. p.* CLXXVII *et in latum* L. In illis *et in lato.* Mss. Flor. sec., tert., Lugd. Batt. sec., tert., quart., Meus et Periz. atque edit. quidam copulam *et* delent. Pro *centum septuaginta duo* ms. Lugd. Bat. pr. *quatuor* tert. *septem* supra septuaginta numerat.

209. *Insulæ Cyclades.* Meus transponit *Cyclades insulæ*, quam transpositionem quoque amat supra in *insula Creta* et *insula Cypros.*

210 *Mari Icario.* Ed. Aug. *mari Ionio.*

211. *Quinquaginta tres.* Ut passim apud auctores, sic in editis et mss. discrepat harum insularum numerus : *quinquaginta et tres* scribit atque enumerat ms. Florent. sec., *quinquaginta quatuor* omnes mss. Lugd. Batt. ut et Ultr. Æthicus quoque atque ed. Aug., in qua insuper legitur, *Sunt autem omnes Cyclades insulæ*, etc. Vulgatam lectionem retinent mss. Periz. et Meus cum reliquis editionibus.

212. *Hæ tenent. Hæc tenent.* Edit. Aug. cum Venetis. Dein *in meridie* Flor. sec.; *meridiem*, deleto *in*, Flor. tert.

213. *Millia passuum quinquaginta.* Et hic et infra *mille* pro *millia* amat Lugd. Bat. quart. In numero passuum magna est varietas. Enumerat ms. Florent. sec. cum edd. prima et Aug. *millia passuum quingenta*, cui astipulantur omnes Lugd. Bat. mss. ut et Ultr. : Flor. tert. *millia passuum quinquaginta*, quem numerum Meus cum Perizon, plurimisque editis servant. Mox *ab oriente in occasu* Ultr.

214. *Pelorum.* Ed. prima, ut et Parisina *Pelorus*, infra quoque *Pachynus* atque *Lilybæus.*

215. *Aspicit.* Lugd. Batt. sec. quart. *respicit.*

216. *Respicit ad euronotum.* Ultr., Lugdun. Bat. quart. *quæ* præponit.

217. *Dirigitur. Dirigiturque* Ed. pr.

218. *A Peloro in Pachynum millia passuum centum quinquaginta novem.* In uno ms. est, *centum quadraginta novem*, in aliis *centum quinquaginta novem.* Si Strabonis stadia sequamur, minor numerus verior videbitur. FABR.

219. *Centum quinquaginta novem.* Flor. sec. CLXIX, Lugd. Bat. pr. CXLIX, cum edit. prim. et Æthico.

220. *Centum septuaginta septem.* Addit in fine *millia* ed. pr. cum Venetis et Paris. atque ms. Lugdun. Bat. tertio ; verum is amplius scribit CLXXVII M. Æthicus quoque, *millia passuum* CLXXIV.

221. *Usque subsolanum.* Interserunt *ad* mss. Flor. sec., Lugd. Batt. pr., tert., quart., Perizon., Ultr., ut et editt. pr. Aug. et Venetæ cum Paris. Delent reliqui mss. et editi.

222. *Millium viginti.* Ed. pr. et Venetæ *millium viginti passuum.*

223. *Caralitanos.* Meus *Calitanos.*

224. *In longo.* Ed. Hittorp. *in longum.*

225. *Ducenta triginta.* Ed. Aug. CCCXX, totidemque agnoscunt mss. Lugd. Batt. pr., tert., quartus.

226. *Ducenta octoginta.* Sic ed. Aug. et mss. plures. Alii, ut et ms. Perizon. et Flor. sec. CLXXX. In Æthici Cosmographia centenarii numeri exciderunt, et scribitur tantum LXXX.

227. *Et a borea.* Mss. Flor. sec., tert., Meus et ed. pr. *et borea.*

228. *Tyrrhenum mare.* Sic scribunt Ultr. Lugdun. Batt. pr., sec., tert., cum editt. pr., Aug. et Venet. *Tyrrhenicum mare* reliqui, quod non præfero, quia *Tyrrhenum* quoque scribit Æthicus, et *Sardum* quoque mox Orosius, non *Sardicum*, licet id (sed tantum in membranis meis) inveniatur.

229. *Portum urbis Romæ.* Ed. pr., *et portum urbis.* Parisini *et portum urbis Romanæ.* Æthici Cosmographia, *portum æternæ urbis Romæ.* Vulgatum tuentur mss.

230. *Ab oriente.* Addunt dein Lugd. Batt. sec., quart., *et borea.*

231. *Et portum Urbis.* Lugd. Batt. sec. et quart. *quod spectat ad portum Urbis.* Deinde post *Urbis* addunt iidem cum pr. et tert. atque Ultr., *Romæ.* Sed irrepsisse ex superioribus videtur, veluti ex glossa enim in August. editione legitur, *scilicet Romæ.*

232. *Insulas Baleares, longe positas.* Auxi Orosium postremis duabus vocibus ex Lugd. Batt. sec. et quarto, quoniam in Æthici Cosmographia quoque inveniuntur.

sinum. Tenet autem [233] in longo millia passuum centum sexaginta, in lato millia viginti sex. Insulæ Baleares duæ sunt, major et minor, quibus insunt bina oppida : major Tarraconem, Hispaniæ civitatem, minor [234] Barcinonem in [235] septentrionem versus contra se habet. Majori subjacet insula Ebusus. Deinde ab oriente Sardiniam, ab aquilone mare Gallicum, a meridie et Africo Mauritanicum pelagus, [236] ab occasu Ibericum pelagus spectat. Hæ sunt insulæ ab Hellesponto usque ad Oceanum per totum Magnum pelagus constitutæ : quæ et cultu et memoria magis celebres habentur. **35** [237] Percensui breviter (ut potui) provincias et insulas [238] orbis universi : nunc locales [239] gentium singularum miserias, sicut ab initio incessabiliter exstiterunt, [240] et qualiter [241] quibusque exortæ sunt, in quantum suffecero, proferam.

CAPUT III.

De diluvio sub Noe.

[1] Cum post fabricam, ornatumque mundi hujus, A homo, quem rectum atque immaculatum fecerat Deus, [2] ac perinde humanum genus libidinibus depravatum peccatis obsorduisset, continuo injustam licentiam **36** justa punitio [3] consecuta est. Sententiam creatoris Dei et judicis; peccanti homini ac terræ propter hominem destinatam, semperque dum homines terram habitaverint duraturam, omnes, [4] inviti licet, aut probamus negando, aut confitendo toleramus : [5] obstinatisque mentibus testis sibi infirmitas sua inurit, quibus fidelis scriptura non suaserit. [6] Deinde refuso in omnem terram mari, immissoque diluvio, cum toto orbe contecto unum spatium cœli esset ac pelagi, deletum fuisse universum humanum genus, paucis in arca fidei suæ merito [7] ad substituendam originem reservatis, evidentissi- B me [8] veracissimi scriptores docent. [9] Fuisse tamen etiam illi contestati sunt, qui præterita quidem tempora, ipsumque auctorem temporum nescientes, tamen [10] ex indicio et conjectura lapidum, quos in remotis montibus conchis et ostreis scabros, sæpe

HAVERCAMPI NOTÆ.

233. *In longo millia passuum.* Quædam edd. hic *in longum*, et mox *in latum mille passus* Lugd. Batt. pr.: idem pro *viginti sex* scribit XXVII.

234. *Barcinonem.* In mss. *Barcelonam*, *Barchilonam*, *Barcinolam* et *Barcilon* legitur. In quibusdam supra, *Tarraconam*, *Tragonam*, etc.

235. *In septentrionem. In* abest a Lugd. Bat. pr. Mox *habent* pro *habet* ed. Aug.

236. *Ab occasu Ibericum pelagus spectat.* Illa *ab occasu Ibericum* desunt in ed. Aug. Legit vero eadem cum quatuor mss. Lugd. Bat. *spectant pelagus*, quasi de insulis Balearibus, non de Corsica, esset sermo. Post *Mauritanicum* delet *pelagus* Flor. sec.

237. *Percensui.* Flor. tert., *Recensui.*

238. *Orbis universi.* Transponit Lugd. Bat. pr.

239. *Gentium singularum.* Mss. Lugd. Batavi omnes *gentium insularumque*, ex quibus secundus cum Ultr. insuper legit *gentium insularumque singularum.* Sed vulgatam, præter Florentinos mss. Meus quoque cum Periz. tuetur, eamque veram et germanam esse judico.

240. *Et qualiter.* Delent *et* Lugd. Batt. tert. et quartus.

241. *Quibusque exortæ sunt.* Delet Lugd. Bat. quart. *que* post *quibus.* At *temporibus* superscribebatur in Lugd. Bat. primo. Videtur id haud incongrue posse] addi, neque enim modo narrabit Orosius quæ mala, qualiter, respectu magnitudinis, quibusque, respectu hominibus sive gentibus, sed et temporibus, evenerint. In postremo enim maxime enituit Orosii industria, qui propterea omnibus eruditis in D manu haberi, auctoritatemque suam commodare solet. Quare hunc locum sic puto esse legendum, *nunc locales gentium, singularumque miserias, sicut ab initio incessabiliter exstiterunt, qualiter, quibus, quibusque temporibus exortæ sunt*, etc.

CAP. III. — 1. *Cum post fabricam, ornatumque mundi hujus homo, quem rectum atque immaculatum fecerat Deus, morti se substravisset : ac proinde humanum genus libidinibus depravatum peccatis funditus obsorduisset.* Illud *morti se substravisset* liber Venetus Orosio reddidit. Similiter et illud, *funditus;* omisit vero Marcoduranus. Ego ex *obsorbuisset*, et *obsurbuisset* feci *obsorduisset.* Recte fortasse. Posset et *obsorbuisset* rectum esse, vel *obsurduisset.* LAUT. — Præter Venetas edit. et Paris., Hitt. et Cervicorn. illud *morti se substravisset* prima quoque exhibet; verum neque Augustana, neque ullus ex libris mss. quos consuluimus, illud augmentum agnoscunt. In prima ed. quoque est *funditus absorberetur*, pro quo in Venett. et Paris. *funditus obsorberetur.* Sed in mss. Florentinis et reliquis, quos inspexi, cunctis, legitur *peccatis obsorduisset*, quod verbum respondet illi, quod supra invenitur, *immaculatum.* In Mogunt. vero edit. quam curavit Andr. Schottus, legitur *homo, quem ad imaginem suam rectum atque immaculatum f. D.*, intrusis tribus vocibus contra omnium mss. et editt. fidem.

2. *Ac perinde humanum genus libidinibus depravatum peccatis obsorduisset.* Ante hæc verba in vulgatis additur, *morti se substravisset :* quæ quando in nullis libris antiquis invenimus, tanquam suppositicia, nihil tamen præjudicantes, delevimus. FABR.

3. *Consecuta est.* Lugd. Bat. sec. et Hitt. et Ultr. *subsecuta est.* Scribit dein August. *Quam sententiam creatoris Dei*, etc.

4. *Inviti licet.* Ed. prima *videlicet.*

5. *Obstinatisque.* Meus, *obstinatis.* Edd. Venetæ, *obstinateque mentibus testes*, etc., Paris. *obstinatique mentibus testes.*

6. *Deinde refuso sub Noe.* Duæ postremæ voces in libr. vet. non leguntur, et possunt non incommode abesse. FABR. — Delent easdem mss. Ultr. et Meus. Inter Lugd. Batavos in sec. et tert. legitur *suffuso sub Noe in o. t. m.*, quart. *refuso sub Noe ipso in o. t. m.* Reliqui cum editt. vetustis *refuso sub Noe in o. t. m.* Mox *missoque diluvio.* Meus et Flor. sec. pro *immissoque.*

7. *Ad substituendam originem.* Meus *ad sufficiendam originem.*

8. *Veracissimi scriptores.* Primam vocem delet Periz., sed editt. Hittorp. et Bolsuing. legunt, *veracissimi scriptores doctoresque.*

9. *Fuisse tamen etiam.* Lugd. Bat. sec. et Ultr., *Hæc fuisse tamen.*

10. *Ex indicio et conjectura lapidum.* Gen. VIII legimus arcam Noe requievisse super montes *Ararath*, id est Armeniæ, ubi, auctore Hieronymo, usque hodie ejus permanent vestigia. De *Ararath* idem undecimo Commentariorum in Esaiam. Josephus lib. I Antiquit. scribit, Armenos loco, in quo Noe ex arca egressus est, ἀποβατήριον nomen fecisse. FABR. — *Ex judicio e collectura.* Sic lego ex fide cod. Colon. non *conjectura.* LAUT. — Nihil muto, quamvis *judicio* quoque exstat in edit. Aug. Mox Ultr. *et conchis et ostreis.*

etiam cavatos aquis visere solemus, conjiciendo didicerunt. Et quamvis hujusmodi adhuc et relatu digna et fide certa proferri [11] a nobis queant, tamen hæc veluti principalia duo de prævaricatione primi hominis, et condemnatione generationis vitæque ejus, ac deinde [12] perditione totius generis humani, dicta sufficiant : tantum, ut, [13] si qua gentiles historici de nostris aliquo ordine [14] contigerint, hæc plenius cum cæteris ipso, quo [15] incurrerint, ordine proferantur.

37 CAPUT IV.

De Nino et Semiramide, eorumque regnis.

Ante annos Urbis conditæ mille trecentos [1] Ninus rex Assyriorum, primus (ut ipsi volunt) propagandæ dominationis libidine arma foras extulit, cruentamque vitam [2] quinquaginta annis per totam Asiam bellis egit : a meridie [3] atque a Rubro mari surgens, A sub ultimo septentrione, Euxinum pontum vastando perdomuit, Scythicamque barbariem, adhuc tunc [4] imbellem et innocentem, [5] torpentem excitare [6] sævitiam, vires suas nosse, [7] et non lacte jam pecudum, sed sanguine hominum vivere, [8] ad postremum [9] vincere, dum vincitur edocuit. **38** [10] Novissime Zoroastrem Bactrianorum regem, eumdemque magicæ (ut ferunt) artis repertorem, pugna oppressum interfecit. Post ipse, dum deficientem a se oppugnat urbem, [11] sagitta ictus interiit. [12] Huic mortuo Semiramis uxor successit, virum animo, [13] habitu filium gerens : avidosque jam usu sanguinis populos, per duos et quadraginta annos cædibus gentium exercuit. Non contenta [14] terminis mulier, quos a viro suo tunc solo bellatore [15] quinquaginta annis acquisitos B susceperat, Æthiopiam [16] bello oppressam, sanguine interlitam, imperio adjecit. [17] Indis quoque bellum intulit : [18] quo præter illam et Alexandrum Magnum

HAVERCAMPI NOTÆ.

11. *A nobis.* Delet cod. Periz.

12. *Perditione.* Flor. sec., *de perditione.*

13. *Si qua.* Lugd. Bat. tert., *si qui.*

14. *Contigerunt.* Edd. vetustiores, *contigerint.* Aug. *contigerint aliquo ordine.*

15. *Incurrerint.* Flor. sec., *incurrerunt*, tert. *incurrerat.*

Cap. IV. — 1. *Ninus rex Assyriorum.* Ninus non primus, sed tertius Assyriorum rex fuit, ut ex Beroso notum est. Sed quia *Ninus* est πρῶτος τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδομένων, ut scribit Diodorus initio libr. II, idcirco a Nino historici, in quibus Ctesias, Diodorus, Eusebius, Justinus, Orosius, Cassiodorus et alii, initium fecerunt. Fabr.

2. *Quinquaginta annis.* Ed. Ven. *quinquaginta per annos.*

3. *Atque a Rubro mari.* Lugd. Bat. pr. *Rubro mari*, quart. *atque Rubro mari.* Sic et edd. Venetæ.

4. *Imbellem et innocentem.* Vulg. *et imbellem et inn.*, sed delent edd. Venetæ cum prima et Aug., mss. Lugd. Bat. tribus et Perizon. C

5. *Torpentem excitavit.* Hunc locum nos ex fide librorum manuscriptorum emendavimus, quamvis vulgata lectio ferri posse videretur. Fabr. — Non modo ferri potest vetus lectio *excitare*, sed et novæ *excitavit*, præferri, adjuvantibus mss. debet. Tres enim ex illis cum Florentinis, Periz. Meoque *excitare*, non *excitavit* legunt. Ninus, inquit, edocuit Scythicam barbariem adhuc tunc imbellem et innocentem, torpentem sævitiam excitare, atque vires suas nosse, etc. Lugd. Bat. pr. et tert. *Scythiamque barbariam*, quart. *Scythianque barbaricam*, sec. et Ultr. *Scythicamque barbariem.* Dein in mss. Lugd. Batt. pr., tert., quarto, Meo et Periz. legitur *torpentem* non *torpentemque*, ut vulgati, vel *torpentem*, ut Perizon.

6. *Sævitiam.* Edd. Hittorp. et Bolsuing. *Sævitiæ.*

7. *Et non lacte jam pecudum, sed sanguine hominum vivere*, etc. Ita mss. omnes et editiones prima D atque August. Sed Hittorp. et Bolsuing. cum Paris. et Venetis, *et non lac jam pecudum, sed sanguinem hominum bibere.* De Scythis Justin. lib. II, cap. 2, *Lacte et melle vescuntur.* Versiculus in Tiberium Romæ jactatus a dictione Orosii non abludit, apud Sueton. in Tiberio cap. 59 :

> Fastidit vinum, quia jam sitit iste cruorem :
> Tam, bibit hunc avide, quam bibit ante merum.

8. *Ad postremum.* Lugd. Batt. pr. et tert., *et ad postremum.* Flor. tert. *ac postremum.*

9. *Vincere, dum vincitur, edocuit.* Ita mss. Lugd. Batavi omnes. Reliqui, *vincere dum vincit, edocuit*, ut ad ipsum Ninum pertineat illud *vincit.* Verum et ipsi victi, dum vincuntur, vincendi artes addiscunt, quibus ipsi rudes ante succubuerint, quibus indurati hostes, evaserint superiores. Nam Ninus *primus intulit bella finitimis, et rudes adhuc ad resistendum populos, terminos usque Libyæ perdomuit.* Just. lib. I, cap. 1.

10. *Novissime Zorcastrem. Zoroastrem* hunc regem Trogus Pompeius nominavit, qui in Græcis Diodori Siculi libris, quos beneficio Henrici Stephani habemus, Ὀξυάρτης appellatur, cum a Latino interprete *Zoroastes* vocetur. Berosus libro quinto *Camesenum* nominat, qui in Bactrianis magno præsidio regnum stabilivit, eumque non a Nino, sed Ninya Nini filio, victum et interfectum scribit. Fabr.

11. *Sagitta ictus.* Vulgati et mss. aliquot, *sagittæ ictu.* Præstuli lectionem codicum Florentinor., Periz. Meique, eamque ante exhibuit ed. Augustana. Interitum Nini aliter narrat Ælian. Var. Hist. lib. VII cap. 1, quod fabulis videtur debere annumerari. Justinus l. c. simpliciter ait, occiso Zoroastre, Bactrianorum rege, Ninum, et ipsum, relicto impubere filio Ninya, decessisse.

12. *Huic mortuo Semiramis uxor successit.* De *Semiramide* copiose Diodorus libro secundo. Fabr.

13. *Habitu filium gerens.* Recte, nam *simulat se, pro uxore Nini, filium, pro femina puerum.* Justin. lib. I cap. 2, quem vide. Male *feminam.* Lugd. Batavi omnes cum Ultr. ; *viri animo habitu filium* Flor. sec. ; *virum animo et habitu gerens* Venetæ edit. et Aug. primaque ; *virum animo et habitu filium gerens* ed. Bolsuing.

14. *Terminis mulier.* Ed. Aug. *mulier terminis.* Lugd. Bat. sec. *mulier terminis his*, quart. et Ultr. *his terminis mulier.*

15. *Quinquaginta annis. In quinquaginta annis* mss. quidam et editi. Alii rectius *in* delent. Meus *in quadraginta quatuor annis.*

16. *Bello oppressam, sanguine interlitam.* Florentini duo et Lugd. Batavi omnes, cum Meo et Perizon. et Ultr. *bello pressam*, etc. Neque aliter exhibent editiones prima et Augusta. Pro *interlitam* habent *illitam* editt. pr. et Venetæ. Mss. quidam mox *imperio suo.*

17. *Indis quoque bellum intulit.* Præter Diodorum lege Augustinum de Civitate Dei libr. XVIII capit. 2. Strabo lib. XV ex Megasthene refert, *Semiramidem* prius quam ex India egrederetur, periisse. Fabr.

18. *Quo.* Tres ex mss. Lugd. Batt. cum editis vetustioribus, *quos.*

nullus intravit. Quod eo tempore ideo crudelius gra- A viusque erat quam nunc est, persequi et trucidare populos in pace viventes : quia tunc apud illos nec foris erant ulla incendia bellorum, nec domi tanta exercitia cupiditatum. Hæc, libidine ardens, sanguinem sitiens, **39** inter incessabilia [19] et stupra et homicidia, [20] cum omnes, quos regie arcessitos, meretricie habitos, concubitu oblectasset, occideret, tandem [21] filio flagitiose concepto; impie exposito, [22] inceste cognito, privatam ignominiam publico scelere obtexit. Præcepit enim, ut inter parentes ac filios nulla delata reverentia naturæ, [23] de conjugiis appetendis [24] ut cuique libitum esset, liberum fieret.

40 CAPUT V.

Pentapolim regionem ob nefanda libidinis scelera cœlo tactam et exustam fuisse.

Ante annos Urbis conditæ [1] mille centum sexaginta confinem Arabiæ regionem, [2] quæ tunc [3] Pentapolis vocabatur, arsisse penitus igne cœlesti, [4] inter alios etiam Cornelius Tacitus refert, qui sic ait : *Haud procul inde* [5] *campi quos ferunt olim uberes,* [6] *magnisque urbibus habitatos,* [7] *fulminum jactu arsisse : sed manere vestigia, terramque ipsam,* [8] *specie solidam, vim frugiferam perdidisse.* Et cum hoc loco nihil de incensis **41** propter peccata hominum civitatibus quasi ignarus expresserit, paulo post, velut oblitus consilii, [9] subjicit et dicit : [10] *Ego, sicut inclytas*

HAVERCAMPI NOTÆ.

19. *Et stupra.* Tres ex mss. videlicet Meus et Florentini duo, orationem vocula *et* augent; amplius etiam Ed. Aug. legit inter *convivia incessabilia et stupra et homicidia.* Forsan rectius. B

20. *Cum omnes, quos regie arcessitos,* etc. Dum vitiosam Hiltorpii et Bolsuingii editionem atque distinctionem sequuntur Fabricius et Scottus, mire hujus loci intellectum obscurant. Sic enim in illorum editionibus legitur, *cum omnes quos regiæ arcessitos meretriciæ habitos concubitu oblectasset, occideret.* Sensus Orosii est, Semiramidem omnes, quos libidinose appeteret, regie accepisse, sed postquam cum iisdem in fœdis amoribus fuisset volutata, pertæsam eorumdem, aliosque et novos desiderantem, omnes occidisse. Ed. August., *meretricio habitos concubitu oblectasset, et occiderit.*

21. *Filio, flagitiose concepto.* Verba Orosii innuere videntur, filium hunc Semiramidis, quem Ninyam scriptores vocant, non ex Nino, sed promiscua venere fuisse susceptum, ideoque a matre expositum, agnitum tamen postea, et in matris reginæ torum, primum clam et per libidinem, deinde palam et sub conjugii nomine fuisse receptum.

22. *Inceste cognito.* Membranæ meæ et ed. Aug. habent *incestu*, quam lectionem invenias quoque apud Vincentium Bellovacensem in Speculo Historiali, in quo multa ex Orosio et aliis excerpta occurrunt, lib. II cap. 105. Edit. Aug. cum Membranis meis priora in plurali numero, nullo sensu, sic exhibet, *tandem filios f. conceptos, i. expositos, incestu cognitos.* Pro *obtexit*, Ultr. *detexit.*

23. *De conjugiis appetendis.* Illud *de* inducitur apud Vinc. Bellovacensem.

24. *Ut cuique libitum esset, liberum fieret.* Hanc veram hujus loci lectionem esse patet ex capite hujus libri decimo sexto, *Quibus subjecta et patente universa terra, præsumere quam esset libitum, liberum fuit.* Vincentius Bellovacensis legit, *ut cuique libitum est, liberum fieret.* ms. Lugd. Bat. prim. *cuiquam libitum esset, liberum fieret,* sec. *ut cuique, libitum esset liberum fieret,* tert. *cuique libitum esset libertum fieret.* Ultr. *de conjugiis* (deleto *appetendis*) *ut cuique libitum esset, licitum fieret.*

Cap. V. — 1. *Mille centum sexaginta.* Ed. Aug. III. M. C. L.

2. *Quæ tunc.* Lugd. Bat. tert. posteriorem vocem delet.

3. *Pentapolis.* Non mihi videtur ante perditionem suam tale tractui huic nomen fuisse, sed postea sic a scriptoribus dictum a quinque ibidem urbium numero, ex quibus deletæ incendio sunt quatuor, una superstes mansit. Occurrit eadem appellatio apud auctorem libri, qui Sapientia inscribitur, cap. x versu 6, ubi describitur justus Lot effugisse *καταβάσιον πῦρ Πενταπόλεως.*

4. *Inter alios.* In aliis mendose legitur *inter alia.* Locus est apud Tacitum lib. XXI. De hac regione C legendus etiam Egesippus lib. IV, cap. 18. Fabr. — Editi quidam contra mss. *inter alia*, sed præter Tacitum lib. V Hist. cap. 7, Solinus quoque, Strabo aliique hujus cladis meminerunt.

5. *Campi.* Mss. Lugd. Batavi omnes, Ultr. et quædam editiones, *campos.*

6. *Magnisque urbibus.* Ms. Ultr. *magnis urbibus.* Flor. *magnis viris*, sed ante fuerat *viribus.* At secund. cum Meo et Periz. *magnis viribus.* Vulgatam lectionem tuetur Tacitus, et fuisse magnas sacræ Scripturæ et in sequentibus Orosius quoque satis testantur. Mox *habitas* pro *habitatas* ms. Periz. et editt. Aug. et Venetæ.

7. *Fulminum jactu arsisse.* Ita legendum, non *fulminum ictu* ad Tacitum docuit Pichena. Probant quoque in Orosio editiones veteres et mss. omnes præter Ultr. et tres Lugd. Batavos, primum, sec. et quartum, in quibus *ictu.* Iram Dei arguit jactus fulminum. Apud Virgil. lib. Æneid. I vers. 46 indignationem suam exemplo Palladis, quæ fulmine exusserat Argivorum classem, acuens Juno, inquit:

Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.

Tertullianus *imbrem igneum* vocat in Apologetico cap. 4, p. 343 : *Cum regiones affines ejus, Sodoma et Gomorrha igneus imber exussit.*

8. *Specie solidam.* Vulgo legitur *solida.* In Tacito est *terramque specie torridam.* Fabr. — Inter mss. qui *specie solida* præferunt, Lugd. Batt. pr. atque secundus, Meo consentiente, inveniuntur. Neque aliter Florentt. sec. et tert. atque edd. pr., Hilt., Bolsuing. et Venetæ : *specie solidam* editio Aug. et mss. reliqui, quæ lectio ex *torridam* apud Tacitum firmari videtur. Dubium vero est utrum *solidam* an *torridam* legi apud Tacitum debeat. Cum enim Orosius Tacitum descripserit, ipsa quoque verba ejus posuisse videtur. Neque de eo dubitarem, nisi verba Justini viderem immutata, ubi de Josepho agit, infra cap. 7. Opponuntur vero inter se quod extrinsecus apD paret, quodque revera existit. Si igitur extrinsecus torrida appareat terra, mirari non oportet, si cinerescant tactæ fruges. Sequitur enim apud Tacitum, *Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herba tenus aut flore, seu solitum in speciem adolevere, atra et inania veluti in cinerem vanescunt.* Adde Tert. in Apolog. l. c. : *Olet adhuc incendio terra et, si qua illic arborum poma conantur, oculis tenus, cæterum contacta cinerescunt.* Sicuti igitur specie solida sunt poma, sic ipsa terra quoque specie tantum solida est, intus squallens, exusta et torrida. Pro *frugiferam* unus ex mss. Lugd. Bat. habet *fructiferam.*

9. *Subjicit et dicit.* Edit. prima, *subjecit et ait*, quam sequuntur Venetæ et Hiltorp. : *ait* quoque in mss. Flor. sec. et tertio exstat.

10. *Ego, sicut inclytas.* *Inclytas* est etiam in Vetustis : at in Tacito est *Judaicas.* Fabr. — Mutatum id in melioribus Taciti editionibus.

quondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim : ita halitu lacus infici terram et corrumpi reor. Quo dicto, invitus licet, de exustis urbibus, quæ procul dubio peccatorum noxa [11] conflagraverunt, [12] et scisse se et concessisse confessus, palam prodidit, non sibi cognitionis fidem defuisse, sed exprimendæ fidei voluntatem : quod [13] a me nunc plenius proferetur. [14] In confinio Arabiæ et Palæstinæ, qua [15] dimissi altrinsecus montes, subjectis campis excipiuntur, quinque civitates [16] fuere, Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, et Segor; sed Segor ex his parva, [17] illæ amplæ et magnæ : quippe quibus et soli fecunditas suberat, et Jordanis fluvius per plana diffusus, ac peropportune divisus, augmentis ubertatis impendebatur. Huic universæ regioni, bonis male utenti, abundantia rerum causa malorum fuit. [18] Ex abundantia enim luxuria, ex luxuria fœdæ **42** libidines adolevere : adeo, ut masculi in masculos operantes turpitudinem, ne consideratis quidem locis, condi- A tionibus, ætatibusque [19] proruerent. Itaque iratus Deus, pluit [20] super hanc terram ignem et sulphur, totamque regionem cum populis atque urbibus exustam, testem judicii sui futuram, [21] æterna perditione damnavit : ut nunc quoque appareat quidem forma regionis, sed inveniatur [22] regio cineris, mediamque convallem quam Jordanis irrigaverat, nunc mare superfusum [23] tegat. [24] Tantumque de rebus (ut putatur) parvis divinæ indignationis accensum est, ut propter hoc quod illi male utentes bonis, [25] fructus misericordiarum, nutrimenta libidinum fecerant, terra quoque **43** ipsa, quæ has habuerat civitates, primum exusta ignibus, post oppressa aquis, in æternam damnationem [26] communi periret aspectui.

B

CAPUT VI.

Comparatio cladis Sodomiticæ et Romanæ.

Itaque nunc, si placet, hi qui in Christum, quem

HAVERCAMPI NOTÆ.

11. *Conflagraverunt.* Lugd. Batt. pr., tert,, quart., cum edd. prima, Venetis et Hittorp. *conflagraverant.*

12. *Et scisse se et concessisse.* Lugd. Batavi pr., tert., quart. *scisse confessus*, deletis reliquis. Ultr., *scisse se confessus.* Lugd. Bat. sec. *et scisse se confessus.*

13. *A me nunc.* Ita ed. Aug. et mss. Lugd. Batt. pr. et tert. Alii vulgo *nunc a me.* Mox *profertur* cum Venetis ed. prima.

14. *In confinio Arabiæ et Palæstinæ*, De eversione harum civitatum Moses Genesis decimo nono. FABR. *In confinibus* Membranæ meæ.

15. *Dimissi altrinsecus montes.* Mss. Lugd. Batavi pr., tert. et quartus, *qua dimissis altrinsecus montibus subjecti campi excipiuntur;* et sic quoque in edit. C Augustana legitur, nisi quod ibi *demissis* scribitur; demittitur autem mons, ubi sensim a cacumine versus planitiem dilatatur, *dimissos* vero montes appellare videtur Orosius eos, qui media dividuntur planitie atque dirimuntur.

16. *Fuere.* In edit. prima, Venetis et Hittorp. *fuisse referuntur.*

17. *Illæ amplæ et magnæ.* Quidam editi, *illæ magnæ et amplæ.* Mss. Lugd. Batt. pr. et tert. *illæ et amplæ et magnæ.* Ed. Aug. *illæ autem a. et m.*

18. *Ex abundantia enim*, etc. Codex meus *et ex luxuria.* Sed Lugd. Bat. quatuor sic locum constituunt, *Ex abundantia enim luxuriæ fœdæ libidines adolevere.*

19. *Prorueren.* Ex mss. et editis, quidam *proruerunt*, alii *proruerint.*

20. *Super hanc terram.* Postremam vocem delet edit. Aug.; *super terram illam* legit ms. Ultr.; *totam* mox pro *totamque* ms. Lugd. Bat. quart.

21. *Æterna perditione damnavit.* Transponunt quidam *æterna damnavit perditione.* Pro *perditione* ed. prima cum ms. Ultr. *damnatione* exhibent. Mox *quondam forma* Flor. tert.

22. *Regio cineris.* Post hæc verba insignis assuitur lacinia in editione Augustana anni 1471 apud Joannem Schuszler, his verbis concepta : *Illic poma virentia et formatos uvarum racemos, ut edentibus gignant cupiditatem, si carpas, fatiscunt in cinerem, fumumque excitant, quasi ardeant.* Verum, cum hæc totidem verbis in Hegesippo (seu S. Ambrosio potius) inveniantur, inde desumpta, non vero ab Orosio profecta esse, videntur. Hegesippi locus exstat lib. IV cap. 18 de Excid. Hierosolym. *Species illic ad speciem poma viridantia, formatos uvarum racemos, ut edendi generent spectantibus cupiditatem. Si carpas, fatiscunt ac resolvuntur in cinerem, fumumque excitant, quasi adhuc ardeant.* Pro *convallem* mox *vallem* cod. Periz.

23. *Tegat.* Ed. Aug. et mss. Lugd. Batt. pr. et tert., *tegit.*

24. *Tantumque de rebus (ut putatur) parvis divinæ indignationis furor accensus est.* Vulgo legitur, *judicium accensum est.* Vocem, *judicium*, in nullis manuscriptis reperi : sed quod est in optimo libro Cornelii Gualtheri reposui. FABR. — *Tantumque de rebus, ut putatur, parvis, divinæ indignationis accensum est.* In quibusdam libris est, *judicium accensum est*, aliis, *furor accensus est*, quod retinuit quoque Marcoduranus : puto utrumque a scribæ cujusdam glossemate in textum irrepsisse. Quapropter Latine et eleganter, jubente etiam Colon. codice ejeci. LAUT. — Editio omnium prima habet, *tantumque de rebus : ut putatur : parvis divinæ indignationis judicium accensum est.* Secunda, sive Augustana, Lautii ex ms. Coloniensi lectionem plane exhibet; Hittorp. et Bolsuing. cum Venetis, a prima non discedunt. Inter mss. Ultr. *furor* habet, ut et Lugd. Bat. sec. et tert. At inter Florentinos sec. (in quo *accessum*) et tert. atque inter Lugd. Batt. primus cum Perizoniano Meoque, Lautii confirmant emendationem. Eamque locutionem cum librarii non caperent, corruperunt, unde in ms. quarto Lugd. Bat. ita concipitur : *Tamque de rebus (ut putabatur) parvis divina indignatio accensa est.* Quod sequitur, *quod* non agnoscit editio prima, quam sequuntur Venetæ.

25. *Fructus misericordiarum.* Omnes editiones turpissimum hic insedit mendum. Legitur enim in D illis *fructus miseriarum.* Veram lectionem discimus ex mss. Lugd. Bat. quarto, Meoque. Reliqui omnes receptum errorem errant; et sæpissime in mss. hæ voces permutantur, unde hoc loco in margine codicis mei ascribitur, Al. *miseriarum.* Bona vero quæ nobis cœlitus contingunt, quibusque mali abutuntur, non sunt miseriarum, sed Dei (de quo hic agitur) misericordiarum fructus. Voculam *et* præcedit mox *nutrimenta* in ms. Ultr.

26. *Communi periret aspectui.* Lugd. Batt. pr. et tert. *communi pereat adspectu*, sec. et quart. *communi periret adspectu.* Male. Sueton. in Vespas. cap. 11 : *Quare princeps quoque et locum incunabulorum assidue frequentavit, manente villa, qualis fuerat olim : ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret.*

nos judicem sæculorum ostendimus, quantum in ipsis est, sputa conjiciunt, inter Sodomam et Romam discernant causas, et conferant pœnas : quæ a me vel maxime ob hoc retractandæ non sunt, quia omnibus notæ sunt. Et tamen quam libenter sententias eorum acciperem, si illi fideliter ita ut sentiunt faterentur : [1] quamquam quod de temporibus Christianis [2] rari, et hoc in angulis [3] murmurent, non usque adeo moleste accipiendum [4] putem, cum totius populi Romani consona voce, parique judicio sensus ac sermo [5] sit cognitus. Adeo autem [6] parvo quodam et levi motu hæsitasse erga se [7] parumper consuetudinem voluptatum [8] indubitatissime **44** contestatus est, [9] ut libere conclamaret, *Si reciperet Circum* [10] *nihil esse sibi factum* : hoc est, nihil egisse Romæ A Gothorum enses, [11] si concedatur Romanis spectare Circenses. [12] Nisi forte ([13] ut se habet apud plerosque hoc præcipue tempore) qui ex longa requie vel parvam [14] obortam sollicitudinem, intolerabilem laborem putant, [15] has clementissimas admonitiones : quibus omnes aliquando [16] perstringimur, [17] aliorum punitionibus auditis lectisque præponunt : quos saltem [18] de hoc ipso exitu Sodomorum et Gomorrhæorum moneo, ut [19] discere atque intelligere queant, qualiter Deus peccatores punierit, qualiter punire possit qualiter puniturus sit.

45 CAPUT VII.

De prælio inter Telchines et Carpathios et Phoroneum regem. Item de diluvio Achaiæ.

Ante annos conditæ Urbis MLXX [1] Telchines et

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. VI. — 1. *Quamquam quod.* Sic exstat in editione omnium prima, neque dubito quin melius locum suum tueri possit, quam *quid* : quod passim pro *quod* substituunt reliquæ omnes, excepta Augustana, quæ habet *quidquid*, sensu non incommodo. Codex Meus *quidem*, ut et Florent. tert. In Lug. Batt. pr. et quart. *Et quamquam quid de temporibus*, etc.

2. *Rari : et hoc.* Flor. tert., *raro ut hoc.*

3. *Murmurent.* Lugd. Bat. pr., *murmurant.*

4. *Putem.* Lugd. Bat. tert., *putemus.*

5. *Sit cognitus.* Periz., *est cognitus.*

6. *Parvo quodam et levi motu.* Edit. pr. et Paris., *Adeo quodam autem parvo et levi motu.* Edd. Venetæ, et Hittorp., *Parvo quodam et leni modo.*

7. *Parumper consuetudinem.* Membranæ nostræ, *pari consuetudine.*

8. *Indubitatissime.* Lugd. Batt. pr., tert., quart., et ed. Aug. hic et passim *indubitantissime.*

9. *Ut libere conclamaret.* Flor. tert., *ubi libere conclamaret.* Lugd. Bat. quart., *ut libere clamaret.*

10. *Nihil esse sibi factum.* Transponunt ed. Aug. et ms. Ultr., *nihil sibi esse factum.*

11. *Si concedatur*, Ed. pr., *si concederetur.*

12. *Nisi forte.* Venetæ et Hittorp., *Nihil forte.*

13. *Ut se habet apud plerosque consuetudo.* Ed. Aug. ironice ita exhibet, sed sola, *ut se habet fortitudo apud plerosque* : quod spernendum non videtur, propter illa quæ sequuntur. In ms. Flor. sec. et tert., *ut se habet apud plerosque.*

14. *Obortam.* Ms. Ultr., *obortamque* ; mss. Florent. sec. et tert., *parum obortam.*

15. *Has.* Unus ex Lugd. Batt., *tantas.* Flor. tert., *tantas hasce clementissimas.*

16. *Perstringimur.* Ed. pr. et Paris., *restringimur*, Aug., *adstringimur.* Ms. Lugd. Bat. pr., *constringimur*, tert., *constringuntur.*

17. *Aliorum.* Ed. pr., *alienis*, et mox ed. Aug., *præponant.*

18. *De hoc ipso.* Ms. Lugd. Bat. quart., *ex hoc ipso.* Ultr., *vel de hoc ipso.*

19. *Discere.* Lugd. Bat. pr., tert., quart., *discernere.* Quæ vero in hoc capite disputavit Orosius de temporis sui perversitate, qua ludos circenses, in quibus aurigationes, venationesque magna cum insania spectabantur, adeo vera sunt, ut a Constantini Magni temporibus, et Honorii præcipue ætate, immensa vis nummorum contorniatorum cusa, hoc ineque stultitiæ ejus testis existat, quod vel unus arguat hic ex Thesauro Regio, in quo propter reparationem muneris invicta Roma et felix judicatur Senatus.



CAP. VII. — 1. *Telchines et Carpathii. Telchines*, non *Telchises*, ideo scripsimus, quod ab his Rhodum occupatam Orosius statim scribat : qui autem Rhodum occuparunt, ii a Græcis *Telchines* dicuntur, de quibus præter Strabonem Diodorus libro quinto, τὴν δὲ νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Ῥόδον κατῴκησαν οἱ προσαγορευόμενοι Τελχῖνες, id est, *Rhodum insulam primi tenuerunt qui Telchines appellantur.* In Eusebii Chronico hæc res ita descripta legitur : *Teltaphis et Carsatis adversus Phoroneum et Parrhasios instituunt bellum.* In uno manuscripto, *Carsatii* legitur. FABR. — Vetustæ editiones nomina hæc sic efferunt. Prima et August. et Paris. *Thelcises et Carsathii.* Hitt. cum Venetis, *Telchises et Carpathii*, et sic quoque habet Bolsuing. Inter mss. Flor. sec., *Thelcises et Cariani*, tert., *Thelcises et Chariatii.* Ultr., Lugd. Batt. pr., tert., quart., Meus et Periz. omnes, *Telchises*, sed in iis pro *Carpathii*, pr. et tert., *Carthasi*, sec. et Ultr., *Carsathii*, quart., *Cartharassi.* Meus, *Chariavi*, Periz., *Charrathii.* Recte tamen prius nomen Fabricius mutavit in *Telchines*, quod servavit quoque Lugd. Bat. sec. et in primo superscriptum voci *Tel-*

[2] Carpathii pervicax **46** prælium [3] adversus Phoroneum, regem Argivorum et [4] Parapasios, [5] ancipiti spe sine fructu victoriæ gesserunt. [6] Idemque Telchines et Carpathii post paululum bello victi, [7] patria profugi, ignarique rerum, credentes **47** quod se penitus a congressu totius humanæ habitationis abstraherent, Rhodum insulam, quæ [8] Ophiussa antea vocabatur, quasi tutam [9] possessionem ceperunt.

HAVERCAMPI NOTÆ.

chises cernitur, præter adducios enim a Fabricio scriptores, ita legendum esse patet ex Pausania atque Apollodoro. Et hic quidem Biblioth. lib. II cap. 1 scribit Inachi fuisse filium Phoroneum, regem universæ terræ, quæ postea Peloponnesus vocata fuerit. Reliquisse illum filium Apin, a quo Apia sit dicta illa regio : Phoroneus, inquit, ὑπὸ Θελξίονος καὶ Τελχῖνος ἐπιβουλευθεὶς, ἄπαις ἀπέθανε. *Thelxionis ac Telchinis insidiis appetitus, sine liberis excessit e vita.* At, juxta veteres Sicyoniorum Origines, referente Pausania lib. II, cap. 5, p. 123, Ægialeus primus in ea parte Peloponnesi, quæ ab eo Ægialus dicta fuit, regnavit, ibique Ægialeam urbem condidit. Hic Europem filium reliquit, is Τελχῖνα, Telchinem, cujus filius Apis, qui Thelxionem genuit, fuerit. Telchinis posteri Telchinii dicti fuerunt, neque Rhodum modo sed et Cyprum (ut mox dicemus) incoluerunt.

2. *Carpathii.* Si hi cum Telchine bella contra Argivorum regem Phoroneum gesserint, oportet ut ipsi quoque Peloponnesum incoluerint. Sed nulli ibi Carpathii, neque quisquam Carpathiorum in illa terra meminit. Corruptum igitur id nomen apud Orosium est, quod variantium lectionum multitudo quoque ostendere videtur. Rescribo igitur *Carnasii*, vel *Carpasii*. Hujus emendationis mihi fons Pausanias, qui Messeniæ, in Peloponneso, attribuit partem regionis quæ Καρνάσιον, *Carnasium*, ut et Œchalia dicta fuerit, lib IV, cap. 11, p. 283, ibique agnoscit Messeniorum oppidum *Carnasium*, lib. VIII, cap. 35, p. 670. Commemorat ibidem fama inclytum Carnasium nemus, Καρνάσιον ἄλσος, præterfluente Charadro amne, lib. IV cap. 33, p. 362. *Carnasios* vero etiam *Carpasios* dictos fuisse existimo, quoniam una cum Telchiniis Peloponneso videntur excessisse, atque in insulam Cyprum venisse, ibique nobilem urbem Carpasiam condidisse, quam commemorat Strabo lib. XIV, p. 682, sive 1001 edit. noviss., ubi insulæ Carpasiæ quoque, non longe inde dissitæ, describuntur. Carpasiæ, Cypri urbis, duo exstant nummi, Veneris Cypriæ cultum testantes, in iisdem deæ ejus caput, sidus amictum, et puer alatus, sagittam arcu emissurus, cernuntur, cum inscriptione ΚΑΡΠΑΣΙΩΝ, *Carpasiorum*.



3. *Adversus Phoroneum.* Secundus hic Argivorum rex fuit, auctore Eusebio : cujus meminit Plato in Timæo. Pausanias libro XI scribit, hunc dispersos ante Argivos, et seorsum habitantes in unius civitatis jus compulisse. Apud Dionysium Halicarnasseum lib. I legimus, Αἰζειὸν καὶ Φορωνέα primos in Peloponneso regnasse. Fabric. — Apollodorus in Biblioth. lib. II cap. 1, ex Oceano et Tethye narrat procreatum Inachum, qui flumini Argivorum Inacho nomen dederit, cujus ex Melissa, Oceani nata, filii fuerint Phoroneus ac Ægialeus. Universæ Peloponneso imperasse Phoroneus, expulsis scilicet adversariis, Telchine et Carnasiis, sive Carpasiis, traditur. Hujus Phoronei monumentum sepulcrale, eique sua etiamnum ætate sacra apud Corinthios facta fuisse, memorat Pausanias lib. II cap. 20, p. 155.

4. *Parapasios.* Alii ascripserunt legi etiam, *Paphastos.* Ego in uno manuscripto, *parapasios*, scriptum inveni : in aliis, *Parphasios.* Fabric. — Cum nulli Parapasii in Peloponneso inveniantur, hoc quoque nomen depravatum esse videtur. Varie idem scriptum invenitur. Ex mss. Florentinis secundus habet *Parapasios*, tert., *Parphasyos* : ex Lugd. Batavis pr. et tert., *Parachasios*, sec. *Parasios*, quart., *Parapasios*, Periz., *Parthasios*, Meus, *Parphasios*, Ultr., *Pharrasios.* Editi omnes, *Paraphasios*, sola Aug. edit., *Pharphasios*, in marg. Hiltorp. et Bolsuing., *Paphasios.* Reponi debere judico *Parrhasios*, indicante veram lectionem secundo ex Lugd. Batavis. Parrhasii vero agnoscuntur in Peloponneso, atque in Arcadia commemorantur a Pausania lib. VIII, cap. 27, p. 654. Fuitque inter Olympionicas Parrhasius Arcas haud ignobilis, nomine Demarchus, cujus mentio fit apud eumdem Pausaniam, lib. VI, cap. 8, p. 471.

5. *Ancipiti spe*, etc. Locum integrum ita concipiunt editio prima cum Venetis, *Ante annos*, etc., *dum Telchises*, etc., *accipiunt, spem sine fructu victoriæ gesserunt.*

6. *Idemque Telchines et Carpathii. Iidem* in quibusdam legitur, neque tolerari potest *idem*, nisi de Telchine, ut capite eorum, qui ab eo Telchinii dicti fuerunt, capiatur. Multi vero ex mss. delent, quod sequitur, *et Carpathii*, videlicet Florentini duo, Lugd. Batt. sec. et quart. ut et Membranæ nostræ; sed repugnant illa quæ, ut a pluribus conjunctim gesta, in sequentibus narrantur. Pro *congressu* Lugd. Bat. pr. habet *congressionibus.*

7. *Patria profugi ignarique rerum, cedentes quo se.* Vulgo *credentes quia se*, sine ulla sententia, et pro historia ineptissime. Laut. — Quamvis blandiri nonnullis possit Lautiana emendatio, mihi tamen non arridet. Levissima immutatio nihil asperitatis in sensu relinquit. In Orosii mss. millies hæ voces *quia* et *quod* inter se permutari solent; pro *quia* igitur hic reponi debere *quod*, negari vix potest. Pro Vulgata quoque in reliquis lectione pugnant illa quæ præcedunt *ignarique rerum.* Sicuti enim patria erant profugi, tutum exsilio locum quæsiverunt, rerumque ignari, crediderunt quod, occupata Rhodo, quæ et insula et longius a Peloponneso aberat, penitus se ab omnium hominum congressu abstraherent. Itaque retineo *credentes*, et pro *quia* repono *quod.*

8. *Ophiussa.* Stephanus, Ῥόδος νήσος ἐπιφανεστάτη ἐκαλεῖτο Ὀφιοῦσα καὶ Ἀνθραΐα. Apud Strabonem, et Dionysii Afri interpretem Ὀφίουσα legitur. Fabr. — Hujus appellationis mentio quoque fit in Hygini Poet. Astron. lib. II cap. 14, ubi de Phorbante, cujus adventui, quoties e longinquo adveniens prospiceretur classis, sacrificare Rhodii solebant. *Nam cum eorum insulam serpentium multitudine occupatam, cives, Ophiussam appellassent, et in ea multitudine ferarum, draco fuisset ingenti magnitudine*, etc.

9. *Tutam possessionem.* Ita mss. Ultr., Flor., Lugd. Batt. pr., tert., quart., et Meus, ex quibus quart. insuper in medio auget *sibi.* At vero non solum in

Ante annos Urbis conditæ MXL in Achaia sævum diluvium, vastatione plurima totius pene provinciæ fuit. [10] Quod quia Ogygi, qui tunc [11] Eleusinæ conditor et rex erat, temporibus effusum est, nomen loco ac tempori dedit.

48 CAPUT VIII.

De sterilitate et fame Ægypti, cui Joseph solertia sua consuluit, et de vanitate Ægyptiorum sacerdotum.

[1] Ante annos conditæ Urbis MVIII fuisse apud Ægyptum primum insolitam fastidiendamque ubertatem, deinde jugem atque intolerabilem famem, cui Joseph, vir justus et sapiens, divina provisione [2] subvenerit, Pompeius historicus, ejusque breviator Justinus docet : qui inter cætera sic ait : *Minimus ætate inter fratres Joseph fuit, cujus excellens ingenium fratres veriti, interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cum magicas [3] ibi artes solerti ingenio percepisset, [4] brevi ipsi regi [5] percharus fuit. Nam et prodigiorum sagacissimus [6] erat, et somniorum primus intelligentiam condidit : nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur :* [7] *adeo, ut etiam agrorum sterilitatem futuram ante multos annos prospiciens,* [8] *fruges congregasset : tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, sed a Deo responsa* [9] *dari viderentur. Filius Joseph* [10] *Moyses fuit, quem præter paternæ* 49 *scientiæ hæreditatem etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed Ægyptii cum* [11] *scabiem et vitiliginem paterentur, responso moniti,* [12] *eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt.* [13] Hæc Justinus. Sed quoniam [14] hæc idem Moyses, quem isti sapientem scientemque fuisse [15] attestantur, plenius veriusque tamquam per se suosque gesta conscripsit, primum fide ejus atque auctoritate, quam etiam isti probant, horum ignorantia [16] supplenda est : dehinc sacerdotum Ægyptiorum fallax malitia confutanda est, qui vel astu, quod manifestius est, evidentem iram misericordiamque [17] veri Dei memoriæ subtrahere conati sunt, particulatim expositione confusa, ne in contumeliam idolorum suorum [18] eum colendum merito ostenderent, cujus consilio [19] annuntiata hæc mala et auxilio evitata docuissent; vel forte, ut indulgentius accipiamus,

HAVERCAMPI NOTÆ.

insula Rhodo sed et Cypro quoque Carpasios et Telchinem, sive Telchinios tutam invenisse possessionem, docet urbs Cypri Carpasia, de qua supra egimus, et testimonium Pausaniæ lib. IX cap. 19, p. 746 ubi cum Teumessi, in Bœotia, commemoravit existere Minervæ Telchiniæ, sine signo, ædem, addit: Ἐς δὲ τὴν ἐπίκλησιν αὐτῆς ἔστιν εἰκάζειν, ὡς, τῶν ἐν Κύπρῳ ποτὲ οἰκησάντων Τελχίνων ἀφικομένη μοῖρα ἐς Βοιωτούς, ἱερὸν ἱδρύσατο Ἀθηνᾶς Τελχινίας. *Deæ cognomen conjici potest a Telchinibus, qui in Cypro olim fuerunt, exstitisse. Eorum enim partem, cum in Bœotos venissent, ibi Minervæ credibile est Telchiniæ templum dedicasse.*

10. *Quod quia Ogygii.* Augustinus libr. XVIII de Civit. Dei capit. 3, ait inter scriptores non convenire quando *Ogygius* ipse fuerit, cujus temporibus diluvium fuit. Orosius eamdem rationem cum Eusebio secutus est. FABR. — Male scribitur *Ogygii*, nam terminatione Græca, quam sequuntur Orosii codices, scribi debet *Ogygi*, Latina, ut faciunt editiones Venetæ, cum prima. *Ogigis*, Phoronei temporibus Ogygum assignat Tatianus cap. 60 : Κατὰ Φορωνέα τὸν κατ' Ἶναχον, μνημονεύεται, παρ' Ἀθηναίοις Ὤγυγος, ἐφ' οὗ κατακλυσμὸς ὁ πρῶτος. *Phoroneo, Inachi successori, æqualis fuit Ogygus apud Athenienses, sub quo primum diluvium contigit.*

11. *Eleusinæ conditor et rex.* Transponit Meus *rex et conditor*. Pro *nomen* mox Ultr. *id non*, quasi vellet *id nomen*. Ogygum vero potiori jure vindicasse sibi Thebani videntur, a cujus claritudine ipsæ Thebæ Ogygiæ dictæ fuerunt, portaque Thebis antiquissima exstitit Ogygia. Vide Pausan. lib. IX, cap. 5 et 8, p. 719 et 728. Nihilominus Eleusinii natales suos ad illum referentes, conditum oppidum Eleusin vel Eleusinam ferunt ab Eleusine heroe, Ogygi filio, teste Pausania eodem, fingendi licentiam in iisdem carpente, lib. I cap. 38, p. 93.

CAP. VIII.— 1. *Ante annos.* Lugd. Batt. pr., tert., quart., *Anno ante Urbem conditam*, et sic quoque est in ed. Aug. quæ pro MVIII scribit MIX, quem numerum ed. pr. et Venetæ, consentiente ms. Lugd. Bat. pr., mutat in MXLVIII *Urbis conditæ* Flor. sec., tert. Pro *primum* mox *primo* in Lugd. Batt. sec. et quarto, et post *tamen* addunt ed. pr. et Venetæ *leginus*, quare deinde eædem scribunt, *ut Pompeius historicus refert :* verbum *refert*, habent quoque edit. Hittorp. et Bolsuing.

2. *Subvenerit.* Lugd. Batt. pr. et tert., *subveniret.* Sic infra *congregasset* ipse Orosius. In Perizon. dein *Justinus* non legitur. Pro *docet* Flor. sec. *docent.*

3. *Ibi.* Deest a tribus mss. Lugd. Bat.

4. *Brevi.* Lugd. Bat. omnes *in brevi.*

5. *Percharus.* Lugd. Bat. pr., tert., quart., et ed. Aug., *charus.*

6. *Erat.* Ed. Aug., Flor. tert. et codex Meus, *fuit.*

7. *Adeo, ut etiam agrorum sterilitatem.* Apud Justinum lib. XXXVI hæc plenius ita leguntur, *Adeo, ut etiam agrorum sterilitatem ante multos annos providerit, periisseque omnis Ægyptus fame, nisi monitu ejus rex edicto servari per multos annos fruges jussisset.* FABR.

8. *Fruges congregasset.* Hæc non sunt Pompeii vel Justini, sed ex interpolatione Orosii, quod in Taciti excerpto quoque observavimus supra pag. 40. *Congregasset* vero dictum, ut supra ad Notam secundam in mss. quibusdam *subveniret.*

9. *Dari.* Delent mss. Florentini duo, et Ultr., Lugd. Batt. sec., quart., Periz. Meusque.

10. *Moyses fuit.* Hæc glossa sequitur in Lugd. Bat. sec. et Ult. *Non secundum carnem, sed secundum naturam; quia filius Mambre fuit Moses.*

11. *Scabiem et vitiliginem.* Sic etiam infra cap. 10 legitur, cum in vulgatis Justini libris sit, *scabiem et pruriginem.* Sed habeo manuscriptum Justini exemplar, in quo, *scabiem et uliginem*, mendose quidem legitur, sic tamen ut vera lectionis vestigia appareant. FABR.

12. *Eum.* Abest a Lugd. Bat. quarto.

13. *Hæc Justinus.* Addit *refert* Ultr.

14. *Hæc.* Lugd. Bat. pr., *hic.* Delent quartus Meusque.

15. *Attestantur.* Lugd. Batt. pr., tert., quart. et Periz., *testantur.*

16. *Supplenda est : dehinc.* Delent *est* Periz. et Meus ; *hinc* legunt Lugd. Batt. pr. et tertius.

17. *Veri Dei.* Delent *veri* Lugd. Batt. pr., tert., quart.

18. *Eum colendum. Joseph* pro *eum* Lugd. Bat. sec. et Ultr. quasi vellent *Josephi Deum.* Sed legendum forte *Deum colendum*, prout illa oppositio idolorum et Dei plus semel in Apologetico Tertulliani occurrit.

19. *Annuntiata.* Lugd. Batt. pr. et tert. *annuntianda*, atque iidem mox *evitanda.*

obliti sunt. [20] Illius enim nostri Joseph, qui fuit veri Dei servus, [21] et pro creatura domini sui pie intenteque sollicitus, provisione ipsi abundabant frugibus quasi sacerdotes : [22] sed quia falsi sacerdotes erant, cum cæteris esurientibus non dolebant. [23] Enimvero [24] cui placet, obliviscitur : [25] cui dolet, meminit. Quamquam hujus **50** temporis [26] argumentum historiis fastisque reticentibus, ipsa sibi terra Ægypti testis pronuntiat : quæ tunc redacta in potestatem regiam, restitutaque cultoribus suis, ex omni fructu suo [27] usque ad nunc quintæ partis incessabile vectigal exsolvit. [28] Fuit itaque hæc fames magna sub rege Ægyptiorum [29] Diapolita, cui nomen erat [30] Amasis, quo tempore Baleus Assyrios, Argivos Apis regebat. Fuerunt ante annos famis septem, præcedentes alii septem ubertatis anni : quorum affluentiam tanto negligentius perituram, quanto uberius [31] natam, Joseph noster solertia sua collegit, et condidit, totamque Ægyptum conservavit. [32] Acquisivit universam Pharaoni pecuniam et Deo gloriam reddens, dispensatione justissima, [33] cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem : [34] omniumque pecora, terras, census collegit : ipsos autem, [35] qui semet cum terris suis accipiendæ stipis taxatione vendiderant, statuta quintæ partis pactione laxavit : hunc Joseph, quem constituit Deus Ægyptiis [36] conservatæ salutis auctorem, quis credat ita in brevi eorum [37] excidisse memoriæ, ut filios ejus atque universam cognationem **51** paulo post [38] servitio addixerint, laboribus [39] afflixerint, internecionibus profligarint? Quamobrem non est mirandum, si nunc quoque [40] aliqui reperiuntur, qui cum a cervicibus suis impendentem gladium prætento Christiano nomine averterint, ipsum nomen Christi, [41] quo solo salvi sunt, aut dissimulent aut [42] infament : gravarique se eorum temporibus asserant, quorum meritis liberantur.

CAPUT IX.

De inundatione sub Amphictyone et Deucalione regibus, peste Æthiopica, Libero patre Indiam vastante.

Anno DCCCX ante Urbem conditam, [1] Amphictyon Athenis tertius a Cecrope regnavit, cujus temporibus aquarum illuvies majorem partem populorum Thessaliæ assumpsit, paucis per refugia montium liberatis, maxime in monte Parnasso, in cujus circuitu Deucalion tunc regno potiebatur : qui tunc ad se ratibus confugientes susceptos, per [2] gemina Parnassi juga fovit aluitque, a quo propterea [3] genus

HAVERCAMPI NOTÆ.

20. *Illius enim nostri Joseph, cujus Joseph* ed. Aug.

21. *Et pro creatura domini sui.* Lugd. Bat. tert. *et pro curatura d. s.*, primus, *et procurator*, etc. Verum ea quæ sequuntur docent vulgatam non esse immutandam. Quamvis scilicet idololatræ erant Ægyptii, erant tamen creatura Dei; itaque pie pro creatura Domini sui et intente sollicitus fuit Joseph. Mss. vero iidem deinde legunt *cujus provisione*, et illud *cujus* in Lugd. Bat. quarto itidem invenitur.

22. *Sed quia.* Lugd. Bat. pr., *sed qui.*

23. *Enimvero.* Lugd. Bat. tert., *Et, cui placet, obliviscitur*, quart., *Vere enim cui placet obliviscitur.* Forte *Fere enim*, etc.

24. *Cui placet obliviscitur.* Sententia Ciceronis ex oratione pro Murena. FABR.

25. *Cui dolet, meminit.* Ausonius in Cæsaribus de Domitiano Epigr. 12 :

Hactenus edideras geminos, gens Flavia, justos,
Cur duo quæ dederant, tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos; quia dona bonorum
Sunt brevia, æternum, quæ nocuere, dolent.

26. *Argumentum.* Lugd. Bat. pr., tert., *augmentum.*

27. *Usque ad nunc.* Flor. sec. et Lugd. Bat. quart. *usque nunc* in ed. Aug. *suo* abest post *fructu.* Pro *exsolvit* ed. pr. et Venetæ cum Paris., *persolvit.*

28. *Fuit itaque hæc fames.* Hæc temporis notatio ex Eusebii Chronico sumpta est, atque apud Augustin. quoque legitur lib. XVIII de Civit. c. 4. Ilistoria ipsa exstat Gen. XLIV et lib. II Antiq. Josephi. FABR. *Magna* abest a Meo.

29. *Diapolita. Diapolito* edd. pr. Venetæ. Paris., Htt., Bolsuing. *Diopolita* Aug. et mss., Flor. uterque et Meus.; *Diospolita* Ultr. et Lugd. Bat. sec.; *Dioopolita* quart., *Diupolita* pr. et tert. At Perizon. *Heliopolita*, quod et in Lugd. Bat. pr. superscribitur.

30. *Amasis. Amosis* Meus, *Amosum* Ultr.

31. *Natam.* Lugd. Batt. pr., tert., *notam.*

32. *Adquisivit. Et Adquisivit* Lugd. Bat. sec.

33. *Cui vectigal, vectigal.* Locus est apud Paulum ad Rom. XIII. FABR.

34. *Omniumque pecora.* Lugd. Bat. pr., *omniumque pecora et terras.* Perizon. *omnium terras censusque ac pecora collegit.*

35. *Qui semet cum terris*, etc. Quidam ex editis et mss., *qui semetipsos*, minus grato sono. Idem non melius *statutæ* pro *statuta.* Pro *laxavit* Lugd. Batt. pr. et tert. male quoque *locavit.* Pro *vendiderant*, al i *vendiderunt.*

36. *Conservatæ.* Ed. Aug. et mss. Lugd. Batt. pr., tert., quart., *Conservandæ.*

37. *Excidisse memoriæ.* Ita Florent. mss. et Lugd. Batavi, reliquique omnes, excepto Lugd. Bat. sec. et Ultr, qui cum editis habent *excidisse memoria*, præter Aug. in qua edit. *memoriæ* quoque exstat.

38. *Servitio.* Lugd. Bat. quart., *Servituti.*

39. *Afflixerint.* Notavit ad oram edit. Moguntinæ hanc lectionem Andreas Scotus, confirmant eamdem tres mss. Lugd. Batt. pr., tert., et quartus, nisi quod in primo sit *affixerint.* Vulg. *affecerint.*

40. *Aliqui reperiuntur.* Periz. ms. *si nunc quoque reperiuntur.* Lugd. Batt. pr., sec., quart., *si nunc quoque aliqui reperiantur.*

41. *Quo solo salvi sunt.* Lugd. Bat. quart. *Quo salvi sunt.* Flor. tert. *Quo salvati sunt.*

42. *Infamant.* Lugd. Bat. quart. *diffamant.*

CAP. IX.—1. *Amphictyon.* Vulgo hic, et lib. II Justini mendose, *Amphitryon* scribitur, cum *Amphictyon*, legendum esse non modo e libris vet., verum etiam e Pausania lib. I constet, ubi scribit : *Cecrope mortuo Cranaum regno Athenarum potitum fuisse, quem Amphictyon per vim expulerit.* De hoc diluvio Augustinus de Civit. Dei. lib. XVIII, c. 10, *His temporibus*, inquit, *ut Varro scripsit, regnante Athenis Cranao successore Cecropis, ut autem nostri Eusebius et Hieronymus, adhuc eodem Cecrope permanente, diluvium fuit, quod appellatum est Deucalionis, eo quod ipse regnabat in earum terrarum partibus, ubi maxime factum est.* FABR.

2. *Gemina Parnassi juga.* Media vox abest ab ed. Aug.

3. *Genus humanum.* Malunt mss. Flor. sec., tert. cum Meo et ed. Aug. *genus hominum.*

humanum reparatum ferunt: [4]Tunc etiam in Æthiopia pestes **52** plurimas dirosque morbos, pene usque ad desolationem exæstuavisse, Plato [5] testis est. Et ne forte [6] divisa tempora credantur [7] iræ Dei furorisque bellici, ea tempestate [8] subactam Indiam Liber pater sanguine madefecit, cædibus opplevit, libidinibus polluit, gentem utique [9] nulli umquam hominum obnoxiam, vernacula tantum quiete contentam.

CAPUT X.

De populo Dei in Ægypto afflicto, x plagis Ægyptiorum, et transitu sinus Arabici, ac reliquiis ejusdem, de solis ardore quodam infesto.

[1] Anno ante Urbem conditam DCCCV [2] infanda Ægyptiis mala, atque intolerabiles plagas incubuisse, Pompeius Corneliusque testantur: qui quidem, cum hæc ambo de Judæis referenda proponant, [3] aliquantulum me pro sua diversitate moverunt. Ait enim Pompeius, [4] sive Justinus, hoc modo: *Ægyptii cum scabiem et vitiliginem paterentur, responso moniti, Moysen cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt.* **53** *Dux igitur exsulum factus sacra Ægyptiorum furto abstulit: quæ armis repetentes Ægyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt.* [5] At vero Cornelius de eadem re sic ait: *Plurimi auctores consentiunt,* [6] *orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret,* [7] *regem Bocchorim, adito Ammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, et id genus hominum, ut invisum diis, alias in terras* [8] *avehere jussum: sic conquisitum collectumque vulgus, postquam* [9] *vastis locis relictum sit, cæteris per lacrymas* [10] *torpentibus, Moysen unum exsulum monuisse,* [11] *ne quam deorum hominumve opem exspectarent,* [12] *ab utrisque deserti, sed sibimet* [13] *ut duci cœlesti crederent,* [14] *primo*

HAVERCAMPI NOTÆ.

4. *Tunc etiam in Æthiopia.* Hæc ex Eusebii Chronico descripta sunt. FABR.

5. *Testis est.* Ed. pr. cum Venetis, præferunt *testatus est.*

6. *Divisa tempora.* Periz. et Meus *divisa tempora esse credantur.*

7. *Iræ Dei.* In Florentino tertio abest *Dei*, in secundo alia manu ascribitur. Nequaquam tamen abesse debet, nam, quæ hactenus recensuit mala, justo Dei judicio ejusque ira immissa sunt; quod sequitur, furoris bellici, et cupiditatis humanæ specimen est.

8. *Subactam Indiam Liber pater.* Liberum patrem Indos subegisse Clitarchus quoque in suis historiis de Alexandro scripsit, ut refert Apollonii Rhodii Scholiastes lib. II Argonaut. Verum quis hic *Liber pater*, sive Διωνυσός, fuerit, non sine causa quærit Arrianus initio lib. V. FABR.

9. *Nulli umquam hominum obnoxiam.* Id est, qui neque aliis hactenus servierant, neque in alios fuerant dominati. Ita fere de Indis in pace viventibus supra cap. IV: *Quia tunc apud illos nec foris erant ulla incendia bellorum, nec domi tanta exercitia cupiditatum.* Pro *vernacula tantum* Lugd. Bat. quart. *vernacula tamen.*

CAP. X. — 1. *Anno ante.* Uterque Florent., *Anno autem ante.*

2. *Infanda Ægyptiis mala.* Lugd. Bat. sec., *nefanda*; quart., *Ægypto.*

3. *Aliquantulum me.* Flor. seq. *Aliquantum ut me proposui diversitatem.* Mox. ed. pr. *sua* pro *sui.*

4. *Sive Justinus.* Edd. pr. Venetæ et Paris. addunt *ejus abbreviator.* Exstant hæc apud Justinum lib. XXXVI, cap. 2.

5. *At vero Cornelius.* Hæc sunt apud Cornelium Tacitum initio libr. II. Quomodo autem nos locum descripsimus, ita in Taciti et Orosii manuscriptis libris legitur. FABR. — Invenies apud Tacitum lib. Hist. V, cap. 3.

6. *Orta per Ægyptum.* Unus et alter ex mss. et editis, *Cum orta per Ægyptum tabes corpora fœdaret.*

7. *Regem Bocchorim.* Ed. Aug., *regem ob hoc Chorim.*

8. *Avehere.* Edd. Aug. et Venetæ, *vehere.* Flor. tert., *subire.* Lugd. Bat. sec. et Ultr., *abire* ut et Meus; verum is legit, *abire jussum sit.* In Flor. tert., *sic* ante *conquisitum* abest.

9. *Vastis locis.* Lugd. Batt. tres, *vastatis locis.* Edd. pr. et Venetæ, *vastis in locis.* Tertullianus in Apolog. cap. 15, p. 157, adducto similiter in partes Tacito, scribit *vastis Arabiæ in locis.* Neque tamen addi aut hic aut in Tacito debet *Arabiæ*, quæ Tertulliani est explicatio, sicuti, quod apud eumdem mox sequitur, *et aquarum egentissimis.* Nam *vasta loca* simpliciter deserta significant.

10. *Torpentibus.* Lugd. Bat. quart., *stupentibus.*

11. *Ne quam.* Lugd. Bat. tres *nequaquam*, quod et videtur velle Ultr. in quo *ne q̄ q̄.* post *duorum* in Venetis additur *templorum*, quod et in Paris. invenitur.

12. *Ab utrisque deserti.* Hæc verba, quamvis in nostris vetustis non legantur, tamen quia sunt apud Tacitum, reliquimus. FABR. — Desiderantur quoque in omnibus, quos ego consului, mss. et ex editis in editt. pr., August., Paris. Exhibuerunt primum Venetæ, dein reliquæ omnes. Defuisse quoque in suo exemplari ms. tradit Colerus in Notis ad Tacitum, potueruntque ab Orosio ipso fuisse resecata, prouti habuimus exempla jam duo, alterum in Justini loco, pag. 48, alterum in Taciti hujus pag. 40, ubi verba scriptorum aliquantulum immutata sunt.

13. *Ut.* Abest ab Edd. pr., Paris. et Venetis, ut et ab omnibus mss. in quibus, *sibimet, duci cœlesti, crederent.* Neque displicet, quamvis in Tacito inveniatur *ut duci.* Ed. Aug. habet, *sibimet, duce cœlesti*, quasi intelligi vellet, duce Deo.

14. *Primo cujus auxilio.* Quantopere hic locus ingenia eruditorum vexaverit, in Notis eorumdem ad Tacitum cerni potest. Apud quem Scriptorem cum legatur, *sed sibimet, ut duci cœlesti crederent, primo cujus auxilio credentes, præsentes miserias pepulissent.* Ad ejus exemplum videntur verbum *credentes* Orosio largiti quidam esse. Id enim reperitur primum in editionibus Hittorp. et Bolsuing., deinde quoque in reliquis, reclamantibus tamen mss. omnibus, atque editionibus vetustioribus, Venetis, Paris., Aug. et prima. Vix quoque induci possum, ut credam a Tacito sic scriptum fuisse; verum eam lectionem puto profectam fuisse ex duplici scriptura, prout notum est, et plus semel in Orosii exemplaribus mss. impressis etiam Venetis, inveni, si diversitas scripturæ in codicibus occurreret, utramque lectionem in contextum nonnumquam fuisse receptam, addita voce *Al.* id est *Alius* (scil. Codex legit) vel omissa. Puto igitur in uno ex Taciti exemplaribus exstitisse *recentes miserias*, in altero *præsentes*, conjuncta hæc cum a descriptoribus fuissent, prius *recentes* deinde migrasse in *credentes.* Malim itaque legere *recentes miserias*, in quibus verbis exhortatio est Moysis ad Judæos, quos bene in futurum sperare jubet, corroboratos eo, quod modo recentes miserias, in Ægypto, in transitu maris Rubri, in persecutione hostium, fuerant perpessi. Si veli-

cujus **54** *auxilio credentes, præsentes miserias* [15] *pe- putissent.* Itaque Cornelius dicit, quod ipsis Ægyptiis cogentibus, Judæi [16] in deserta propulsi sint: et postea subjungit incaute, [17] quod ope Moysi ducis in Ægypto miserias pepulissent. [18] Quare ostenditur, quædam, quæ per Moysen strenue [19] acta sunt, fuisse celata. Item Justinus asserit, pulsum æque cum populo Moysen, [20] sacra Ægyptiorum fuisse furatum: quæ Ægyptios armis recipere molientes, coactos tempestatibus [21] ac repulsos domum redisse. Et hic aliquid amplius, et si non totum, prodidit, quod ille celavit. Quapropter quia Moysi magno illi duci testimonium ambo dixerunt, [22] ab ipso sicut per eum et gesta [23] et dicta sunt, [24] profe- rentur. **55** Cum populum Dei, hoc est, genus Joseph, Ægyptii, cujus ope salvi erant, servitio oppressum labore cruciarent, insuper etiam ad necandam sobolem suam, crudeli imperio cogerent, dimitti Deus populum suum liberum, ad serviendum sibi per Moysen nuntium jubet: contemptusque [25] dirissimis contumaces suppliciis [26] agit: qui decem plagis onerati ac protriti, tandem quos dimittere noluerant, etiam festinare coegerunt. [27] Post aquas in sanguinem versas, [28] ardentibus siti graviora afferentes pœnarum remedia quam pœnas: post horridos ranarum squalores, per omnia munda immundaque reptantes: post [29] ignitos ciniphes, et [30] nusquam, se toto aere vibrante, evitabiles: [31] post muscas caninas, etiam per interiora membrorum [32] horridis motibus cursitantes, acerbeque inferentes tam gravia tormenta quam turpia: [33] post omnium pecorum et jumentorum repentinam ruinam, stragemque generalem: post vesicas [34] effervescentes, ulceraque manantia, et (ut ipsi dicere maluerunt) scabiem ac vitiliginem totis corporibus erumpentem: post grandinem [35] cum igne permixtam, passim homines, armenta atque arbores [36] proterentem: post locustarum nubes, exhaustis omnibus, ipsas quoque radices seminum persequentes: post tenebras imaginibus diras, [37] crassitudine **56** palpabiles, diuturnitate ferales: postremo post uniformem in tota Ægypto primitivæ sobolis necem, paremque per universos orbitatum tempestatem, [38] qui jubenti Deo non cesserant, cessere punienti: sed mox [39] pessima pœni-

HAVERCAMPI NOTÆ.

mus retinere vulgatam lectionem *præsentes miserias*, non opus tot turbas excitare, quod in Notis ad Tacitum invenias, cum sensus sit simplex et satis clarus. Judæos in locis vastis, atque inhospitali deserto, constitutos, sitim famemque in futurum et omnia tristia veritos, deponere metum omnem vult Moses, sibi, duci cœlesti (qui non suis consiliis, sed divino auspicio, illos regat, et in hanc viam ducat) credere, et quare? quia jam opem ejus erant experti, ubi? in Ægypto, ut patet ex sequentibus. Videlicet stultum erat futura metuere et incerta eos, qui modo præsentibus, iisque certissimis malis, eodem Moysi duce, erant erepti. Restat initium hujus commatis, quod etiam viri docti vix probare possunt, *primo cujus auxilio*. Et certe languet oratio. In editione prima Orosii sic distinguitur, *sed sibimet duci cœlesti crederent primo, cujus auxilio*, etc. Fuere, qui ad Tacitum tentarent, *privo*. Ego malim *porro*, et integrum locum ita reformandum existimo: *Sed sibimet, duci cœlesti, crederent porro, cujus auxilio recentes* (vel *præsentes*) *miserias pepulissent.* Nam *credentes* omnino deleri debet. Ed. Aug. legit *repulissent*, et mox *propulsi sunt*, ubi, *sunt* pro *sint*, meæ Membranæ, et Ultr. quoque exhibent.

15. *Pepulissent.* Sic legendum cum mss. Lugd. Batt. tert. et quarto, non *propulissent*, ut est in vulgatis.

16. *In deserta.* Flor. sec., *in deserto propulsi sint*; tert., *in deserta propulsi sint.*

17. *Quod.* Quatuor mss. Lugd. Bat., uterque Flor., Ultr. præterea et Perizon., hic habent *quia.* Quod annotavi ad emendationis meæ confirmationem supra pag. 46.

18. *Quare.* Ms. Ultr., *Qua in re.*

19. *Acta sunt.* Lugd. Batt. pr. et tert., *facta sunt.*

20. *Sacra Æyyptiorum.* Lugd. Batt. pr., tert., quart., *atque sacra Ægyptiorum.*

21. *Ac repulsos domum redisse.* Lugd. Batt. iidem, *ac pulsos domum redisse.* Meus, *ac repulsos domi redisse.*

22. *Ab ipso.* Abest a Lugd. Bat. tert. Dein Lugd. Batt. pr. et sec. cum Edd. prim., Venetis et Paris., *Sicut quæ p. e.* Ed. Aug. *quæ* delet: pro *quæ* in Lugd. Bat. tert. est *qui.*

23. *Et dicta sunt.* Exposuit hæc Moyses in Exod. Fabr. — Lugd. Bat. pr. et tert., *et facta sunt.*

24. *Proferentur.* Ed. Aug., *proferuntur.* Sed editiones vetustæ reliquæ *proferantur*, sensu non incommodo. Aliquanto post, *Ægyptii* delet Perizon., *etiam* Meus.

25. *Dirissimis.* Ita Lugd. Batt. pr., tert., quart., significantius, quam quod in reliquis vulgatisque est, *durissimis.* Non enim duræ modo, sed et omnino diræ fuerunt Ægyptiorum plagæ.

26. *Agit.* Lugd. Batt. sec. et quart. cum Ultr., *egit.*

27. *Post aquas.* Lugd. Bat. pr., *Post aquas enim*; et pro *versas* edd. veteres, excepta August., habent *conversas.*

28. *Ardentibus.* Meus, *ardentibusque*, et sic quoque exstat in Flor. tert. In Flor. sec. dein deest *pœnarum.*

29. *Ignitos ciniphes.* Ed. Aug. et Florent. uterque cum tribus Lugd. Batt. et Periz., *ignitas sciniphes.*

30. *Et nusquam, se toto aere vibrante, evitabiles.* Ed. pr., *Et nusquam se toto aere vibrantes pene inevitabiles.* In mss. Lugd. Batt. quatuor est *vibrantes*, in Florent. utroque, *vitabiles*, ut et in ed. August.; in Venetis et Paris. *et numquam t. a. vibrantes pene inevitabiles.*

31. *Muscas caninas.* Ed. pr., *muscas pene caninas.* Ed. Aug., *muscas etiam caninas.*

32. *Horridis motibus.* Lugd. Bat. sec. et Ultr., *horrendis motibus*, quod non prætulerim. Ed. Aug. dein, *cursitantibus.*

33. *Post omnium pecorum.* Ed. pr. cum Venetis et Paris., *post grandem omnium pecorum.*

34. *Effervescentes.* Flor. tert. et Lugd. Bat. sec., *efferventes.*

35. *Cum igne permixtam.* Perizon., *igne permixtam.* Lugd. Bat. sec. et Ultr., *igne commixtam.*

36. *Proterentem.* Ed. Aug. et mss. Lugd. Batt. pr. et tert., *prosternentem.*

37. *Crassitudine.* Ultr. *per perenni crassitudine.*

38. *Qui jubenti Deo non cesserant.* Ed. Aug., *qui jubente Deo non cesserunt.* Ultr. ms., *qui jubente Deo non cesserant.*

39. *Pessima pœnitentia.* Ed. pr. *pessimæ* (pro *pessime*) *pœnitentes.* Venetæ et Paris. *pessime pœnitentes.* Ms. Flor. sec., *et mox pessima*, etc.

tentia dimissos persequi ausi, ultima nefandæ pervicaciæ expendere supplicia. Nam rex eorum universum Ægypti exercitum, curribus atque equitibus instructum, in circumerrantes egit : cujus numerum hoc solo vel maxime argumento conjicere possumus, quod cum sexcenta millia virorum timuerunt atque fugerunt. Sed protector [40] depressorum, et ultor contumacium Deus divisit subito Rubrum mare, ac dilatatis utrimque marginibus [41] rigentium undarum, in montis faciem latera erecta suspendit, [42] ut inoffensi spe limitis provocati, pii viam desperatæ salutis, impii foveam insperatæ mortis intrarent. Itaque Hebræis tuto per sicca gradientibus, refusis a tergo aquarum [43] astantium molibus, obruta est et interfecta cum rege suo universa Ægypti multitudo: totaque provincia plagis [44] ante cruciata, hac postremo interfectione vacuata est. Exstant etiam nunc certissima horum monumenta gestorum. Nam tractus curruum **57** [45] rotarumque orbitæ non solum in littore, sed etiam [46] in profundo, [47] quousque visus admittitur, pervidentur. Et, si forte ad tempus vel casu, vel curiositate turbantur, continuo divinitus in pristinam faciem ventis fluctibusque reparantur ; [48] ut quisquis non docetur timorem Dei propalatæ religionis studio, iræ ejus transactæ ultionis terreatur exemplo. Illis etiam temporibus adeo jugis et gravis æstus incanduit, ut sol per devia transvectus, universum orbem non calore affecisse, sed igne torruisse dicatur : impressumque [49] fervorem et Æthiops plus solitum, et insolitum Scytha non tulerit : ex quo etiam quidam, dum [50] non concedunt Deo ineffabilem potentiam, [51] suas inanes ratiuncu-las conquirentes, [52] ridiculam Phaëtontis fabulam texuerunt.

58 CAPUT XI.

De parricidio Danaidum, de Busiridis crudelitate, de Tereo, Progne, et Philomela, et Perseo Asiam populante.

Item anno ante Urbem conditam DCCLXXV [1] inter Danaï atque Ægypti fratrum filios quinquaginta parricidia una nocte commissa sunt. Ipse deinde tantorum scelerum fabricator Danaus, [2] regno,

HAVERCAMPI NOTÆ.

40. *Depressorum*. Ed. Aug. et mss. Periz. et Meus, *oppressorum*. Lugd. Batt. tres, *defensorum*.

41. *Rigentium*. Flor. tert., *rigentum*, sed sec. *regientium* superscripto *ru*, ut dicat *rugientium*. Vulgata præstat, rigebant enim utrinque velut in marmoreos montes erectæ undæ.

42. *Ut inoffensis pelagi viis provocati*. Sic mutavi codice Parisiensi provocante, qui habebat, *inoffensis pelagi viis provocatis*. Et elici hæc scriptura poterat ex aliis quoque, sed difficilius, quibus erat: *inoffensi spe limitis provocati*. LAUT. — *Ut inoffensi spe limitis provocati pii*, etc. : sensus est, ut ita pii, videntes mirabile Dei opus et adjutricem ejus dextram, non timerent intrare profunda ponti, veluti limite certo iter facientes, impii vero, occæcati ira et spe vindictæ, pariter eadem sequerentur via, quasi utrisque æque tuta. Recte igitur *inoffensi spe limitis*, quod et mss. omnes, præter Florentinos comprobant, et servavit quoque ed. Aug. et male in prima editione, *inoffensis pelagi viis*, ut et in Venetis et Paris. amplius, *inoffensis pelagi viis provocatis*. In iis quæ sequuntur, *pii viam*, etc., prima vox in utroque Florentino ms. deest., sec. autem legit, *per viam desperatæ mortis intrarent*. Reliqua desunt.

43. *Adstantium*. Lugd. Batt. pr. et tert., *instantium*, quam lectionem si præferas, significabit, nullum refugium Ægyptiis patuisse, propter undarum rapiditatem; si retineas vulgatam, respiciet moles aquarum, quæ ad latera veluti montes erectæ, solutæ, atque post terga Ægyptiorum conjunctæ, nullum illis effugium reliquerunt.

44. *Ante cruciata*. Flor. sec., *ante cruciata*. Lugd. Batt. pr. et tert., *aute sauciata*., dein Meus cum utroque Florentino haud male legunt, *hac postrema interfectione*. Lugd. Batt. sec. et quart., *ac postremo interfectione*. Copulam in *totaque* plures ex edd. primis non agnoscunt. Pro *vacuata est* in nonnullis Edd. *evacuata est*.

45. *Rotarumque orbitæ*. Membranæ meæ, consentiente Flor. tertio, scribunt *rotarumque signa, orbitæ*. Quod non videtur temere esse factum, ubi enim orbitas cernimus, de curribus judicium initur, quia orbitæ sunt signa curruum.

46. *In profundo*. Lugd. Batt. pr. et tert., *in profundo nunc*. Hæc et quæ sequuntur, sæculo, et patrum credulitati condonari debent.

47. *Quousque visus admittitur*. Editiones, et scripti, *admittitur*, barbare. Sed Orosius forte, *admittit* posuit, quod Latinum est. LAUT. — Infra post *curiositate* adjungunt quædam edd. *cujuspiam*.

48. *Ut quisquis non docetur*, etc. Flor. tert., *ubi quisque*, etc., sec., *ut quisque non docetur timorem Dei propalatæ religionis studio, ira* (et sic quoque, in tert.) *ejus*, etc. Lugd. Batt. tres, *ut quisquis non doceatur timore Dei vel propalatæ religionis studio, ira ejus*, etc., in quarto tamen est *docetur* et *iræ*, et in sec. et quarto *propalatæ*. Ultr. et Lugd. Bat. sec., *ut quisquis non ducetur timore Dei vel propalatæ religionis studio, iræ ejus*. Ed. pr., *Ut si quis timorem Dei non doceatur vel propalatæ religionis studio, iræ ejus*, etc., quam sequuntur Venetæ et Paris. At in Aug. sic exstat, *Ut quisque, si non doceatur timore Domini, prolatæ religionis studio, ira Dei transactæ u. t. e.* Non video tamen cur a vulgata discedam, quam verbotenus comprobant Perizonianus Meusque, nisi quod in Meo sit *ira* pro *iræ*. Sensus Orosii est, omnia hæc hodieque cognosci posse, ita ut quicumque studio propalatæ religionis, id est, agnitione Christianæ religionis, ut unice veræ et salutaris, non sinat se doceri, experimentum capiat iræ Dei in incredulos et pervicaces, adeoque (ut loquitur) terreatur exemplo transactæ ultionis iræ ejusdem.

49. *Fervorem*. Ed. Aug., *furorem*. In iis quæ sequuntur *plus solitum*, priorem vocem codex meus non agnoscit.

50. *Dum non concedunt Deo*. Ultr., *dum non reddunt Deo*. Ed. Aug., *dum non cedunt Deo*.

51. *Suas inanes ratiunculas*. Sic emendavi ex mss. Lugd. Batt. pr., tert. et quarto, consentientibus edd. prima, August., Venetis et Paris. Vulgo legitur atque editur, *dum non concedunt Deo ineffabilem potentiam suam, inanes ratiunculas*, etc., immo lubens quoque deleri paterer *ineffabilem*, quod a meis Membranis abest.

52. *Ridiculam Phaetontis fabulam*. Cum hac narratione conveniunt, quæ Plato in Timæo de Phaetonte scribit. FABR. — Post *Phaetontis* adsuunt *Philosophi* Lugd. Batt. pr. et tertius.

CAP. XI. — 1. *Inter Danai atque Ægypti*. Danaidum notum facinus est, de quo etiam Virg. lib. x Æn. :

> Impressumque nefas, una sub nocte jugali
> Cæsa manus juvenum fœde, thalamique cruenti.

FABR. — Edd. et mss. quidam *Ægisti*.

2. *Regno*, etc. Filiarum Danai facinus, postquam

quod tot flagitiis acquisierat, pulsus, Argos concessit. Ibique indigne [3] persuasis in facinus Argivis, **59** [4]Sthenelam, qui eum [5] profugum egentemque exceperat, regno expulit, atque ipse regnavit. [6] Busiridis in Ægypto cruentissimi tyranni crudelis hospitalitas, et crudelior religio tunc fuit : qui [7] innocentem hospitum sanguinem diis, scelerum suorum

A participibus, propinabat; [8] quod exsecrabile sine dubio hominibus, viderint, an ipsis etiam diis **60** exsecrabile videretur. [9] Tunc etiam Terei Prognes et Philomelæ incesto parricidium adjunctum, atque exsecrabilius utroque convivium per infandos cibos, additum est : cum, propter sororis pudicitiam ereptam præcisamque linguam, filium parvulum mater

HAVERCAMPI NOTÆ.

patria excesserat Danaus, contigisse fertur. Nam Danaus et Ægyptus, Beli, regis Ægypti ex Anchinoe, Nili filia, filii fuerunt, juxta Apollodorum Biblioth. lib. II, cap. 1, § 4. Danaus, oraculo monitus, cum filiabus quinquaginta, conscensa nave, Rhodum primo, deinde in Peloponnesum confugit. Cum Argos venisset, terræ ejus dominus factus est, populoque nomen suum dedit. Venerunt eo tempore ad illum quinquaginta fratris filii, poscentes, ut deposito odio, filias totidem uxores ipsis daret. Omnes sponsos suos, excepta Hypermnestra, ex patris Danai consilio, prima nocte interfecerunt. Nomina omnium exstant apud Apollodorum. Servavit Lynceum sponsum Hypermnestra, quod solus ex reliquis virginitatem sponsæ hactenus non imminuisset. Iratus pater filiam in vincula conjecit, sed postea Lynceo uxorem dedit, isque post Danaum Argis dominatus est. Quomodo reliquas filias, quas aversabantur propter commissum scelus proci, elocaverit Danaus, docet Pausanias lib. III, cap. 12, p. 235. Orosius cum *liberos* vocare potuisset, a potiore sexu *filios* dixit.

3. *Persuasis in facinus Argivis.* Pausan. lib. II, cap. 19, p. 152 et 153, hac ratione persuasos, ut Danao regnum traderent, Argivos fuisse, refert. *Danaus, cum Argos venisset, de regno cum Gelanore, Sthenelæ filio, contendit : ac cum eorum uterque ad populum multa, et ea maxime probabilia et juri consentanea dixisset, neque omnino quæ Gelanor afferebat, minus æqua viderentur, causa ampliata est in crastinum. Postero die, prima luce, in boum gregem, in pomœrio pascentem, lupus impetum fecit : atque is taurum ipsum, gregis ducem, adortus est. Visum est Argivis Gelanori cum tauro, cum lupo esse Danao aptissimam convenientiæ rationem : quod scilicet, uti lupus est animal homini minime familiare, sic propemodum ad id temporis nulla fuisset Danaus Argivorum usus consuetudine. Quare cum taurum lupus confecisset, e re nata Argivi Danao imperium adjudicaverunt.* Addit Pausanias, Danaum lupum ab Apolline immissum judicasse, et propterea Lycii Apollinis ædem dedicasse. Et hinc in antiquis Argorum nummulis Apollinis Lycii atque lupi pars prior in impetu picta, passim exprimuntur.

4. *Sthenelam, qui eum profugum. Sthenelum* vulgo hic corrupte legitur, sicut et in Eusebii Chronico hoc nomen depravatum est. Cæterum Pausanias in Corinthiaeis scribit, Danaum ex Ægypto venientem, non *Sthenelam*, sed filium Gelanorem regno expulisse. FABR. — *Sthelenum* Cod. Periz. cum edd. vett.; *Sthenelaum* Lugd. Batt. quatuor et Ultr.; *Sthenelam* Meus cum Florentinis. Quem vero *Gelanorem* Pausanias, cum *Elanorem* sive *Helanorem* vocat Apollodorus, qui eumdem Danao tradidisse regnum scribit, καὶ τὴν βασιλείαν αὐτῷ παραδίδωσι Ἐλάνωρ ὁ πότε βασιλεύων, invitum sane, ut patet ex Pausania, lib. eodem, cap. 16, p. 145 : Δαναὸς δ' ἀπ' Αἰγύπτου πλεύσας ἐπὶ Γελάνωρα τὸν Σθενέλα, τοὺς ἀπογόνους τοὺς Ἀγήνορος βασιλείας ἔπαυσεν. *Danaus vero Ægypto adnavigans, ad Gelanorem, Sthenelæ filium, Agenoris prolem regno dejecit.* Ab Argo antiquo oriundus Agenor erat, Sthenelæ avus hic fuerat.

5. *Profugum egentemque exceperant.* Præter Colon. codd. omnes habent *susceperant*, inelegantor. LAUT. —Malui cum Lautio, Florentinis duobus, sec. Lugd. Bat., Meo atque Perizon., *exceperat*, quam *susceperat*, ut vulgatum fuit. Est enim (qualis sæpe in Orosianis occurrit) imitatio Virgiliana, ex lib. Æn. IV, vers. 373 :

> Ejectum littore, egentem
> Excepi, regnique amens in parte locavi.

Mox *ipseque regnavit* Perizon., *atque regnavit* Lugd. Bat. sec.

6. *Busiridis in Ægypto.* De *Busiridis* ξενοκτονίᾳ præter Isocratem, Diodorus in posteriore parte lib. I. Augustinus de Civitate Dei, lib. XVIII, c. 12 : *Illo*, inquit, *tempore, vel rex, vel potius tyrannus, Busiris, suis diis suos hospites immolabat.* FABR.

7. *Innocentem hospitum.* Ita Florent. uterque cum Ultr., Perizon., et pr. edit. Parisin. et Venetis. Alii *innocentum hospitum.* Mox ed. Aug., *propinavit.*

8. *Quod exsecrabile*, etc. Hic locus aliter in libris impressis legitur : sed nos religioni habuimus a veteri scriptura vel unguem discedere. *Terei* facinus notum est ex Ovidiana Metamorphosi lib. VI. FABR. — Locus est mire vexatus, cujus veram lectionem sensumque editores et interpretes non videntur assecuti esse. Ed. pr. legit, *quod exsecrabile sine dubio hominibus ipsis, nedum etiam diis videri potest.* Quam sequuntur edd. Venetæ et Paris., Ilitt. et Bolsuing. At Augustana sic concipit, *Quod e. s. d. hominibus videri potest, an etiam ipsis diis exsecrabile non videretur ?* Fabr. *quod e. s. d. h. videtur, cum ipsis etiam diis exsecrabile videretur.* At in Schotti ed. Mog. temere sic mutatur, *quod exsecrabile sine dubio hominibus videretur*, resectis reliquis. In mss. duobus Florentt. legitur, *Q. e. s. d. hominibus videri, an ipsis etiam diis exsecrabile videretur.* Lugd. Batt. quatuor et Ultr., *quod exsecrabile sine dubio hominibus videri potest, an ipsis etiam diis exsecrabilius videtur*, quasi interseri deberet *non*, in iis, *an non*, etc. Meus, *Quod e. s. d. hominibus viderint, an ipsis etiam diis exsecrabile videtur.* Et sic plane quoque legit Ultr., nisi quod ibi dubium sit an superscripta τῷ *videtur* virgula quædam *videretur* significet. Ex his duobus igitur, atque Florentinorum vestigiis, sic emendo hunc locum, *quod exsecrabile sine dubio hominibus, viderint, an ipsis etiam diis exsecrabile videretur ;* vel si liceat audaciori esse, *exoptabile videretur*, vel etiam *excusabile videretur :* sensus utriusque lectionis clarus est, et illud *viderint* Tertullianus et alii amarunt, prout apud eumdem Tertull. Apolog. cap. 9, p. 90, *in iisdem arboribus templi sui, obumbratricibus scelerum*, etc., non dissimilia sunt illis quæ modo præcesserunt apud Orosium, *sanguinem diis, scelerum suorum participibus.* Orosiana autem locutio est *videretur* pro *visum fuerit.* Vide infra Notas p. 64, ad num. 6.

9. *Tunc etiam Terei.* Confirmatur hæc lectio ex mss. Florentt. sec., tert. (nisi quod in tertio sit *incestus*), Lugd. Batt. omnibus, Ultr., Perizon., Meo denique. Ex quibus *Prognes* pro *Prognæ* Meus et Florentini suppeditant. Plurimi ex iisdem *est* collocant post *adjunctum*, post *additum* delent. Ex vulgatis ante Fabricium habebant ed. pr. cum Paris. et Venetis, *Tunc etiam a Progne Terei et Philomenæ incestui parricidium adjunctum est, exsecrabilius utrique c. p. i. c. additum est.* Et sic quoque Ilitt. et Bolsuing. nisi quod ibi *est* post *adjunctum* deleatur. August., *Tunc etiam Terei Progne et Philomenæ incesto p. a. atque exsecrabilius utroque c. p. i. c. a. e.*

occidit, pater comedit. [10] Iisdem temporibus Perseus a Græcia in Asiam [11] transvectus est, ibi barbaras gentes gravi diuturnoque bello domuit, et novissime victor nomen subjectæ genti dedit : nam a Perseo Persæ [12] sunt vocati.

CAPUT XII.

Congeries multorum facinorum per præteritionem.

At ego nunc cogor fateri me prospiciendi finis commodo de tanta malorum sæculi circumstantia præterire plurima, cuncta breviare. Nequaquam enim tam densam aliquando silvam prætergredi possem, nisi etiam crebris interdum saltibus subvolarem. Nam cum regnum Assyriorum per MCLX annos usque ad Sardanapalum, per quinquaginta propemodum reges actum sit, et numquam pene vel inferendis vel excipiendis **61** usque in id tempus bellis [1] quieverit, quis finis reperietur, si ea commemorare [2] enumerando, [3] ut non dicam describendo, conemur? præsertim cum et [4] Græcorum prætereunda non sint, et Romanorum, vel maxime [5] recensenda sint. Nec mihi nunc enumerare opus est Tantali et Pelopis facta turpia, [6] fabulas turpiores : quorum [7] Tantalus rex Phrygiorum Ganymedem Trois, Dardaniorum regis filium, cum flagitiosissime rapuisset, majore conserti certaminis fœditate detinuit, sicut [8] Phanocles poeta confirmat, qui maximum bellum excitatum ob hoc fuisse commemorat : sive quia hunc ipsum Tantalum, utpote asseclam deorum, videri vult raptum pucrum ad libidinem Jovis familiari lenocinio præparasse, qui ipsum quoque filium Pelopem epulis ejus non dubitarit impèndere. Tædet etiam ipsius Pelopis contra Dardanum atque Trojanos, quamlibet magna referre certamina : quæ, quia in fabulis celebrari [9] solita sunt, negligentius [10] audiuntur. Illa quoque [11] prætereo, quæ de Perseo, [12] Cadmo, Thebanis, Spartanisque per inextricabiles alternantium malorum [13] recursus, Palæphato scribente, referuntur. Taceo flagitia Lemniadum, prætermitto Pandionis Atheniensium regis [14] flebilem fugam; Atrei et Thyestis odia, stupra [15] et parricidia, cœlo quoque invisa, dissimulo. Omitto [16] Œdipum interfectorem patris, matris maritum, filiorum fratrem, vitricum suum. Sileri malo Eteoclem **62** atque Polynicem mutuis laborasse concursibus, ne quis eorum parricida non esset. Nolo meminisse [17] Medeæ amore sævo sauciæ, et pignorum parvulorum cæde gaudentis, et quidquid illis temporibus perpetratum conjici datur : qualiter homines [18] sustinuerint, quod etiam astra fugisse dicuntur.

CAPUT XIII.

Certamen inter Cretenses et Athenienses, Lapithas et Thessalos.

[1] Anno ante urbem conditam DLX [2] atrocissimum inter Cretenses et Athenienses certamen fuit : ubi populis utrimque infeliciter profligatis cruentiorem victoriam Cretenses exercuerunt : qui nobilium Atheniensium filios Minotauro, utrum [3] fero homini,

HAVERCAMPI NOTÆ.

10. *Iisdem temporibus Perseus.* Perseus Jovis et Danaes filius profectus ad Cepheum Beli F. ejus filiam Andromedam uxorem duxit, ex eaque filium Persen sustulit, a quo Persæ, qui antea Cephenes et Artæi appellabantur, nomen sortiti sunt. Herodot. lib. VII. FABR.

11. *Transvectus est.* Postrema voce auxi ex sex vel septem mss., Meo, Periz., Ultr. et quatuor Lugd. Batt. Pro *ibi* Ultr. legit *ubi*.

12. *Sunt vocati.* Sic in plurimis mss. Lugd. Batt.; quart. *sunt* delet, ut et ed. Aug. Lugd. Bat. pr. *nam a Perseo*, etc. Pro *vocati* habent *vocitati* editt. quædam.

CAP. XII. — 1. *Quieverit.* Lugd. Batt. pr. et tert., *quieverint.*

2. *Enumerando.* Sic in uno ex Lugd. Batt. melius quam *numerando*, ut passim.

3. *Ut non dicam.* Flor. uterque et editi quidam *ne dicam*, sed superscriptum in Flor. pr., *ut ne dicam.*

4. *Græcorum p. n. s.* Adjungunt Lugd. Batt. pr., tert., *bella.*

5. *Recensenda.* Codex Meus et Florent. tert. scribunt *recolenda.*

6. *Fabulas turpiores.* Conjunctionem *et* quæ præcedit in vulgatis, unanimi mss. consensu delevi.

7. *Tantalus rex.* Quæ hoc capite de *Tantalo*, *Cadmo*, aliisque dicuntur, de illis, cum in vulgus nota sint, putidum est aliquid scribere. FABR.

8. *Phanocles.* Lugd. Batt. pr. et tert., *Phanodes*, male. Vixit Phanocles, poeta elegiacus, post Demosthenem. Meminerunt ejus Clemens Alexandrinus in Protreptico p. 24 et lib. VI Stromat. p. 627; Grotius in Stobæi Excerptis p. 262, et Scaliger ad Euseb. p. 41 Tantali et Ganymedis mentionem fecisse videtur in poemate, quod inscribebatur Ἔρωτες sive καλοί, cujus mentio est apud Clementem in Protreptico.

9. *Solita sunt.* Periz., *solent.*

10. *Audiuntur.* Mss. quidam et editi, *adjunguntur.*

11. *Prætereo.* Perizon. *præterea*, quasi præcedentibus annecteretur oratio.

12. *Cadmo.* Copulam *et* iidem præfigunt.

13. *Recursus.* Lugd. Batt. tres, *recessus.*

14. *Flebilem.* Periz. *miserabilem.*

15. *Et parricidia.* Copulam deleri jubent Lugd. Batt. pr. et tert.

16. *Œdipum.* Editi quidam *et Œdipum.*

17. *Medeæ amore sævo sauciæ.* Respicit illum locum Ennii ex Medea,

> Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem
> Medea, animo ægra, amore sævo saucia.

Qui locus exstat libr. II Rhetoricorum ad Herennium, atque de illis Euripidianis expressus est :

> Οὐ γὰρ ἂν δίσποιν' ἐμὴ
> Μήδεια πύργους γῆς ἔπλευσ' Ἰωλκίδος
> Ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσ' Ἰάσονος.

Meminit et Cicero in Cœliana. FABR. — Flor. tert. et Meus, *saucialæ.*

18. *Sustinuerint.* Flor. tert. et ed. Aug., *sustinuerunt.*

CAP. XIII. — 1. *Anno ante*, etc. Ex mss. Lugd. Batt. unus annorum ante U. C. numerum definit ad DCXL. Duo alii DCLX.

2. *Atrocissimum inter Cretenses.* Hoc bellum Minos rex Cretensium contra Athenienses movit propter *Androgei* interitum, de quo, et *Minotauro* Diod. lib. IV, Plutarchus in Theseo, Pausanias libr. I. FABR.

3. *Fero homini, an humanæ bestiæ.* Cum priscæ edd. omnes, prima videlicet, Aug. Venetæ et Paris. ita hunc locum expresserint, Hittorp. reliquis exemplum dedit reponendi, *inhumanæ bestiæ* quod et Fabr. et Scottus retinuerunt, prorsus illepide. Sustulerunt enim oppositionem quam Orosius fecit, quasi nescius

an humanæ bestiæ aptius dicam nescio, devorandos crudeliter addicebant, atque informe prodigium effossis Græciæ luminibus saginabant. [4] Iisdem diebus Lapithæ et Thessali famosis nimium certavere conflictibus. **63** Sed Thessalos Palæphatus, [5] in libro primo Incredibilium [6] prodit ipsos a Lapithis creditos dictosque fuisse [7] centauros, eo quod discurrentes in bello equites veluti unum corpus equorum [8] et hominum viderentur.

CAPUT XIV.

Vesores rex Ægypti Scythas bello infestans, vincitur. Scythæ Asiam sibi subjiciunt.

Anno ante Urbem conditam CCCCLXXX [1] Vesores, rex Ægypti, meridiem et septentrionem, divisas pene toto cœlo ac pelago plagas, aut miscere bello, aut regno jungere studens, Scythis bellum primus indixit, missis prius legatis, qui hostibus parendi leges dicerent. [2] Ad quæ Scythæ legatis responderunt, stolide opulentissimum regem adversus inopes sumpsisse bellum, quod timendum [3] ipsi magis versa vice fuerit, propter incertos belli eventus : nulla præmia, et damna manifesta. Porro sibi non exspectandum, [4] dum ad se veniatur, sed ultro prædæ obviam iturum ipsum Vesorem territum refugere in regnum cogunt : destitutum vero exercitum invadunt, omnemque belli apparatum capessunt, universam quoque Ægyptum populassent, [5] nisi paludibus impediti, **64** [6] repellerentur. Inde continuo reversi, perdomitam infinitis cædibus Asiam, vectigalem fecere : ubi per XV annos sine pace immorati, tandem uxorum flagitatione revocantur, [7] denuntiantium, ni redeant, sobolem se a finitimis quæsituras.

CAPUT XV.

Amazonum origo, mores et facinora.

Medio autem tempore, apud Scythas duo [1] regii juvenes, [2] Plynos et Scolopythus, per factionem optimatum domo pulsi, ingentem juventutem secum traxere, et [3] in Cappadociæ Pontique ora juxta amnem Thermodoontem consederunt, campis Themiscyriis sibi subjectis : ubi diu proxima quæque populati, conspiratione finitimorum per insidias trucidantur. Horum uxores exsilio ac viduitate permotæ, arma sumunt, et ut omnibus par ex simili conditione animus fieret, [4] viros qui superfuerant, interficiunt : [5] atque accensæ in hostem sanguine suorum,

HAVERCAMPI NOTÆ.

utrum Minotaurum hominem, sed ferum, vocaret, an bestiam, sed humanam; quia neque homo erat, cum taurino esset corpore, neque bestia videretur posse appellari, cum hominis haberet faciem. Consentientibus igitur cum antiquiss. edd. mss. Lugd. Batt. pr., tert., quarto, Periz. Meoque, veterem restitui lectionem.

4. *Iisdem diebus Lapithæ.* De *Lapithis* et *Centauris* præter Palæphatum, quem Orosius laudat, est legendus Diodor. lib. IV. FABR.

5. *In libro primo.* Periz. delet *in.*

6. *Prodit.* Lugd. Batt. pr., tert., *prodidit.*

7. *Centauros.* Lugd. Batt. quatuor et Ultr., *hippocentauros.*

8. *Et hominum.* Periz., *hominumque.* Meus, *et hominum et equitum viderentur.*

CAP. XIV. — 1. *Vesores rex Ægypti.* Libri veteres partim *Vesozes*, partim *Vesoges*, habent. In Justini libris impressis est *Vexores*, in nostro manuscripto, *Vizores*, ut fortasse *Vezores* rectum sit. Quidam putant hunc esse eum, quem Herodot. lib. II Σέσωστριν nominat, et Scythas domuisse scribit. Tu lege Justinum lib. II. FABR. — Rex hic Ægypti in Meo codice ms. *Væsdres*, in aliis, quos consului, passim, *Vesores*, *Vezozes*, vel *Vesoges* vocatur. Propinquum huic nomen est, quod Sesostri a Manethone datur *Seosis.* Vide Diodorum Siculum lib. I, cap. 53.

2. *Ad quæ.* Ed. Aug., *atque.* Mox edd. quædam, *respondent.*

3. *Ipsi magis.* Ed. Aug. et tres mss. Lugd. Batt., *sibi ipsi magis.* Mox Meus, *vice versa.* Ultr., inde, *sed damna manifesta.*

4. *Dum ad se veniatur.* Ultr. et Lugd. Bat. sec. *ut ad se veniatur.* Periz. *dum ad se veniant.*

5. *Nisi paludibus.* Periz. et Meus, *ni a paludibus*, unus ex Lugd. Bat. *ni paludibus.* Pro *populassent* major mss. pars amat *populavissent.*

6. *Repellerentur.* Sic in omnibus exstat mss. et ita locutus videtur fuisse Orosius, pro eo quod Latinius est, atque substituerunt editiones omnes, præter Augustanam, Fabricianam, et Mogunt., *repulsi fuissent.* Verum habuimus eamdem Orosii Latinitatem supra cap. 8, p. 48, in *subveniret* pro *subvenerit*, et *congregasset* pro *congregaverit*, et p. 60, *videretur*, pro *visum fuerit.*

7. *Denuntiantium.* Quidam ex mss. habent *denuntiantibus* vel *renuntiantibus*, subaudito scilicet *illis.*

CAP. XV. — 1. *Regii juvenes.* Tres Lugd. Batt. et Ultr., *reges juvenes.* In eorum nominibus varietatem eamdem invenimus, quam Fabricius exhibet. Prior in tribus mss. Lugd. Batt. *Plemus* vocatur, in Periz. *Plynus.* Posterior in nonnullis *Scolopeus* quoque et *Scolopeius.*

2. *Plynos et Scolopythus.* Posterius nomen varie hic et apud Justin. a quo hæc desumpta sunt, scriptum invenitur. Nam et *Scolpythus*, et *Scolopitus*, et *Scolopesius*, et *Scolopetius* in diversis legitur. FABR.

3. *In Cappadociæ Ponticæ ora.* In Justini libris est, *in Cappadociæ ora.* De Themiscyra præter alios Diodor. lib. II et Stephanus, Θεμίσκυρα πόλις, ἣ ἔστιν ἀντίον Θερμώδοντος· καὶ οἱ οἰκοῦντες τὴν χώραν Θεμισκύριοι. FABR. — Ed. Aug. *Ponti et Cappadociæ.* Mss. Lugd. Batt. tres, *Cappadociæ Pontique ora :* atque ita reposui, suffragante quoque Bongarsio ad Justinum lib. II, cap. 4, ubi mss. suos ita quoque exhibere testatur.

4. *Viros qui superfuerant. Superfuerant*, non *supererant*, est in vetustis. Ephorus lib. IX, ut est in Scoliis Argonauticorum Apollonii, scripsit Amazonas contumeliis affectas a viris, cum illi ad bellum quoddam extra fines profecti essent, eos qui domi remanserant interfecisse, cæterosque redeuntes non recepisse. FABR.

5. *Atque accensæ in hostem*, etc. In editis verba hæc ita, nullo bono sensu distinguuntur, *atque accensæ in hostem, sanguine suo ultionem cæsorum conjugum, finitimorum excidio consequuntur.* Cogitabam ejici debere illa *sanguine suo*, præsertim cum apud Justinum, unde hæc desumpta sunt, non exstent; vel poni debere post *conjugum*, ita *ultionem cæsorum conjugum sanguine suo.* Verum cum recepta lectio omnium mss. auctoritate confirmetur, sola distinctione mutata, atque reposito *sanguine suorum* ex mss. Lugd. Batt. sec. et quart. atque Ultr. pro *sanguine suo*, locum sanum esse existimo. Accensas in hostem sanguine suorum dixit has mulieres Orosius,

65 ultionem cæsorum conjugum, finitimorum excidio consequuntur. [6] Tunc pace armis quæsita, externos concubitus ineunt, editos mares mox enecant, feminas studiose nutriunt, [7] inustis infantium dexterioribus mamillis, [8] ne sagittarum jactus impedirentur, unde Amazones dictæ. Harum duæ fuere reginæ, [9] Marpesia et Lampeto, quæ agmine diviso in duas partes, vicissim curam belli et domus custodiam [10] sortiebantur. Igitur cum [11] Europæ maximam partem domuissent, Asiæ vero aliquantis civitatibus captis, [12] ipsæ Ephesum, aliasque urbes condidissent, præcipuam exercitus sui partem onustam opulentissima præda, domum revocant: [13] reliquæ, ad tuendum Asiæ imperium relictæ cum Marpesia regina, concursu hostium trucidantur. [14] Hujus locum capessit **66** [15] Sinope filia, quæ singularem virtutis gloriam perpetua virginitate cumulavit. Hac fama [16] excitas gentes tanta admiratio et formido invaserat, [17] ut Hercules quoque, cum jussus fuisset a domino suo [18] exhibere arma reginæ, quasi ad

HAVERCAMPI NOTÆ.

ut quæ jam didicissent, maritorum suorum nece, sanguinem fundere, viros trucidare, quæque sexum fortiorem decerent, facere et pati.

6. *Tunc pace a q.* Lugd. Bat. quart., *Tunc pacem armis quærunt.* Pro *enecant.* ed. Vetustæ *necant.*

7. *Inustis infantium dexterioribus mamillis.* Sic Diodorus lib. II scribit, Amazonas, τῶν θηλυτέρων τὸν δεξιὸν μαζὸν ἐπικαίειν, ἵνα μὴ κατὰ τὰς μάχας τῶν σωμάτων ἐπαιρόμενος ἐνοχλῇ· ἀφ' ἧς αἰτίας συμβῆναι τὸ ἔθνος τῶν Ἀμαζόνων ταύτης τυχεῖν τῆς προσηγορίας. Hoc est, *Virginibus dextram mammam inurere, ne in prœliis tumore suo corporis agilitatem impediat, eaque de causa factum, ut Amazonum gens hoc nomen invenerit.* FABR.

8. *Ne sagittarum jactus impedirentur.* Ed. prim. et tres mss. Lugd. Batt., *jactu.* Unus cum Ultr. *ictus.* Verum hic *sagittarum jactus* videtur esse rectius cum servet idem Justinus lib. II, cap. 4, Oros. lib. VII, cap. 36, *ultra mensuram humani jactus.* Mox ed. pr. *unde et Amazones dictæ.*

9. *Marpesia et Lampeto.* Ita sine ulla varietate in nostris manuscriptis libris Orosii et Justini harum reginarum nomina descripta leguntur, non ut in vulgatis. *Marthesia et Lampedo.* FABR.

10. *Sortiebantur.* Lugd. Bat. quart., *tuebantur.*

11. *Europam maximam partem domuissent.* Sic Colon. Latine. Quidam hic *maxima ex parte legerunt.* LAUT. — At Florentinus uterque cum Perizon., *maxima parte*, Ed. Aug. *Europæ maximam partem* quod ego prætuli.

12. *Ipsæ Ephesum aliasque urbes.* Ab Amazonibus, auctore Strab. lib. 14 conditas et cognominatas fuerunt, *Ephesum, Smyrnam, Myrrhinam et Paphon.* Meminit Eustathius quoque in Dionysium. FABR. — *Ipsæ autem Ephesum* legunt Lugd. Batt. omnes Mensque.

13. *Reliquæ ad tuendum.* Mss. Lugd. Batt. tres ita exprimunt, *reliqua ad tuendum Asiæ imperium relicta cum M. r. c. h. trucidatur.* Vulgatam defendit Justinus. Pro *imperium* Periz. habet *regnum.*

14. *Hujus locum capessit Orithya.* Sic Justinus scribit, in locum Marpesiæ filiam ejus Orithyiam regno successisse. Hic tamen in vetustis libris est, *Hujus locum Sinope filia capessit.* FABR. — Lugd. Bat. tert., *cujus locum.*

15. *Sinope filia.* Omnes libri mss. Orosii, ne uno quidem excepto, non *Orithyia*, sed *Sinope* legunt; quin et ed. Aug., quamvis sola inter editos, id comprobat. Neque me movet, quod apud Justinum *Orithya* legatur, atque ex eo id nomen in Orosio reposuerint editores, nam et in Justino quoque olim *Sinope* scriptum fuisse reor, unde in ms. suo testatur Vossius superscribi, legendum esse *Sinope.* Præterea duabus de causis reponi hoc debere nomen judico, quia scilicet et ipsa Sinope magni nominis fuit Amazon, a qua Sinope, Ponti urbs, nomen et originem traxit, ut patet ex adductis a Vossio testimoniis, et quia Justinus et Orosius eo tempore, quo Hercules expeditionem in Amazonas sumpsit, præfuisse iisdem duas tradunt sorores, Antiopen videlicet et Orithyan, hoc vero in loco, non duas sive sorores, sive filias in regnum successisse Marpesiæ matri scribant, sed unam eamque Marpesiæ filiam, quæ Sinope appellata nobis fuisse videtur.

16. *Excitas.* Flor. uterque et tres Lugd. Batt. *excitatas.*

17. *Ut Hercules quoque cum jussus*, etc. Herculis dominus fuit *Eurystheus*, qui illi duodecim labores exantlandos præscripsit. Hunc autem laborem Diodorus lib. IV exponens ait: Ἡρακλῆς δὲ λαβὼν πρόσταγμα τὸ Ἱππολύτης τὸν Ἀμαζόνος ἐνεγκεῖν ζωστῆρα, τὸν ἐπὶ τὰς Ἀμαζόνας στρατείαν ἐποιήσατο. Id est, *Cum Herculi mandatum esset, ut Hippolytæ Amazonis cingulum afferret, expeditionem contra Amazonas suscepit.* Itaque Orosius per *arma* intelligit, Ἱππολύτης ζωστῆρα παναίολον, ut Apollonius lib. II Argon. vocat. Lege etiam doctissimum Commentarium Isacii Tzetzæ in Lycophronis Cassandram. FABR.

18. *Exhibere arma reginæ.* Arma Amazonum sunt pelta et bipennis. Bipennis quam reginæ Amazonum eripuit Hercules, ut quam Omphale ab eodem dono acceperit, quæque ad Lydorum postea transierit reges, tandemque in Caria in ornatum Jovis Labradensis cesserit, meminit Plutarchus in Quæst. Græcis p. 301 et 302. Ubi regina illa Amazonum Hippolyte vocatur et interfecta ab Hercule fuisse (pro varietate fabulæ) narratur. Per arma vero cingulum intelligere potuit Orosius, illud enim ab Eurystheo afferre jussus erat Hercules, neque spoliari cingulo poterat armata virago, nisi vel occisa vel devicta. Exhibetur vero hic labor Herculis, in duobus nummis antiquis imperatoris Macrini, primi atque secundi moduli, Heracleæ in Ponto cusis, in quibus Amazonem equitem pedes insectatur Hercules, leonina tectus et clava armatus. In altero armata bipenni regina minatur, nisi insequi desistat, deditionem poscenti Herculi; in altero prehendens nudatam armis Hercules, et clava minax, jam jam captam tenet.

inevitabile periculum destinatus, universam Græciæ **67** lectam ac nobilem juventutem contraxerit, novem longas naves præpararit : [19] nec tamen contentus examine virium, ex improviso aggredi, et insperatas circumvenire maluerit. Duæ tunc sorores regno præerant, Antiope et [20] Orithya. Hercules mari advectus, incautas inermesque et pacis incuria desides oppressit. Inter cæsas captasque complurimas [21] duæ sorores Antiopæ, Menalippe ab Hercule, Hippolyte a Theseo, [22] retentæ sunt. Sed Theseus Hippolyten matrimonio ascivit, Hercules Menalippen sorori reddidit, et arma reginæ pretio redemptionis accepit. [23] Post Orithyam Penthesilea regno potita est : cujus Trojano bello clarissima inter viros documenta virtutis accepimus.

68 CAPUT XVI.

Epilogus historiæ Amazonum : in quo præsentem Romanorum cæcitatem insectatur.

Proh dolor, pudet erroris humani. Mulieres patria profugæ Europam atque Asiam, id est, [1] plurimas fortissimasque mundi partes intraverunt, pervagatæ sunt, deleverunt, centum pene annis evertendo urbes plurimas, [2] atque alias constituendo, tenuerunt : nec tamen [3] miseriæ hominum pressura temporum deputata est. [4] Modo autem [5] Getæ illi, qui et nunc Gothi, [6] quos Alexander [7] evitandos pronuntiavit, [8] Pyrrhus exhorruit, Cæsar etiam declinavit, relictis vacuefactisque [9] sedibus suis, [10] ac totis viribus tot

HAVERCAMPI NOTÆ.

19. *Nec tamen.* Edd. quædam, *nec tanto*, prima, *nec tantum.*

20. *Orithya.* Varie in mss. et editis scribitur *Orthia, Orithia, Orethia, Orthya, Oiritia.* Cum Græcis scribendum est *Otreria.* Vide Notas Salmasii in Justini novissima editione. Mox edd. quædam *quam plurimas.*

21. *Duæ sorores Antiopæ.* Diodorus scribit, Herculem e captivis *Antiopam* Theseo donasse, *Menalippam* accepto Baltheo liberasse. Apollonius Rhodius canit, Hippolytam Herculi balteum donasse, ut Menalippam per insidias captam liberaret. Tzetzes novit, *Antiopam* fuisse (ex qua Theseus Hippolytum susceperit) quam Hippolytam, ut Lycophron scripsit : Ἀλλὰ θαυμαστὸν οὐκ πράγμασιν οὕτω παλαιοῖς πλανᾶσθαι ἱστορίαν, ait Plutarchus in Theseo de hoc ipso agens : quem lege. FABR.

22. *Retentæ sunt.* Resecant postremum verbum quidam ex mss.

23. *Post Orithyam Penthesilea.* Penthesilea Amazonum regina post Hectoris cædem Trojanis auxilio venit : magnoque numero Græcorum occiso, tandem ipsa fortiter pugnans ab Achille interfecta fuit, Diodorus lib. II, Dictys Cretensis lib. IV. FABR. — Memoriam hujus Amazonis, cædisque ejus, ab Achille factæ, servat hic nummus contorniatus ex Museo Farnesiano.

CAP. XVI.—1. *Plurimas fortissimasque mundi partes.* Ed. Aug. *plurimas mundi partes fortissimasque.* Mox ed. quædam, *et centum p. a.*

2. *Atque alias constituendo.* Ed. pr. et Lugd. Bat. tert., *atque alias construendo.* Paris. et Venetæ, *in construendo.* Lugd. Bat. quart., *aliasque exstruendo.*

3. *Miseriæ hominum.* Ed. Aug. *miseria hominum.*

4. *Modo autem.* Abest vox postrema a Periz.

5. *Getæ illi, qui et nunc Gothi.* Sic Hieronymus in Genesin. *Gothos* ab eruditis antiquis *Getas* nominatos esse testatur : *Getas* autem trans Æmum apud Danubium sedes habuisse auctor est Dio lib. LI et in Domitiano Xiphilinus ex eodem. Idem Dio librum de rebus Gothorum Γετικὸν inscripserat, ut ex Suida cognoscitur. Claudianus etiam passim *Getarum* nomine *Gothos* intelligit. Sed Græci rerum ecclesiasticarum scriptores illos Γότθους vocant. FABR. — Sic B. Hieronymus in Genesin *Gothos* ab eruditis antiquis *Getas* appellatos fuisse testatur. Claudianus etiam passim *Getarum* nomine *Gothos* intelligit ; et *Getas* trans Æmum, apud Danubium sedes habuisse auctor est Diod., lib. v. Sed Græci rerum ecclesiasticarum scriptores illos Γόθους vocant. LAUT.

6. *Quos Alexander evitandos.* Strabo libr. VII scribit Alexandrum in ea expeditione, quam adversus Thracas trans Æmum incolentes suscepit, ad *Getas* penetrasse, eorumque civitatem in suam potestatem redegisse. FABR. — Oros., lib. VII, cap. 34, *Maximas illas Scythicas gentes, formidatasque cunctis majoribus, Alexandro quoque, illi Magno, sicut Pompeius Corneliusque testati sunt, evitatas.*

7. *Evitandos.* Lugd. Bat. omnes cum Ultr., *vitandos.*

8. *Pyrrhus.* Lugd. Bat. *Cyrus.* Male : is enim Alexandrum præcedere debuerat, et loquitur Orosius de magnis regibus, qui congredi cum Gothis veriti fuerint, quamvis ad eorum terras penetrarint. Cyrus eo usque non pervenit, is Scythiæ bellum inferens, turpiter victus, occubuit.

9. *Sedibus suis.* Non agnoscunt postremam vocem edd. pr., Paris. et Venetæ.

10. *Ac totis viribus tot R. i. p.* Feci ex *toti Romanas.* LAUT. — Emendationem Lautii quam in editione Moguntina recepit Scottus, confirmant ex codicibus mss. Flor. tert. et Ultr., eaque nihil certius est, quamvis lectio edd. principum, primæ et Augustanæ, ferri possit, *ac totis viribus tuti Romanas*, etc., quæ significant nemine resistente irruptionem in provincias Romanas fecisse, adeoque sine dubio Romanorum, si velint belli facere periculum, prævalere viribus. Neque solum sequuntur hanc lectionem Venetæ et Paris., verum confirmant quoque mss. Lugd. Batt. pr. et quart. Meus scribit *totos.* Quod vero in reliquis est *toti Romanas*, etc. nihili est.

Romanas ingressi provincias, simulque ad terrorem diu ostentati, societatem **69** Romani fœderis precibus sperant : quam armis vindicare potuissent ; exiguæ habitationis sedem, [11] non ex sua electione, sed ex nostro judicio rogant : quibus subjecta et [12] patente universa terra , præsumere , [13] quam esset libitum, liberum fuit : semetipsos ad tuitionem Romani regni offerunt , quos [14] solos invicta regna timuerunt. Et tamen cæca gentilitas, cum hæc Romana virtute [15] gesta non videat, fide Romanorum impetrata non credit, nec acquiescit, cum intelligat, confiteri beneficio Christianæ religionis ([16] quæ cognatam per omnes populos fidem jungit) eos viros sine prælio sibi esse subjectos, quorum feminæ majorem terrarum partem immensis cædibus deleverunt.

70 CAPUT XVII.

De raptu Helenæ, et Trojæ excidio, cum admonitione ad Lectorem.

At vero ante Urbem conditam [1] ccccxxx anno , raptus Helenæ, conjuratio Græcorum, et [2] concursus mille navium, dehinc decennis obsidio, ac postremo famosum Trojæ excidium prædicatur. In quo bello [3] per decem annos cruentissime gesto, quas nationes, quantosque populos idem turbo involverit , atque afflixerit, Homerus poeta, in primis clarus, luculentissimo carmine [4] palam fecit : nec per ordinem **71** nunc retexere nostrum est, [5] quia et operi longum et omnibus notum videtur. Verumtamen qui diuturnitatem illius obsidionis , eversionis atrocitatem, [6] cædem, captivitatemque didicerunt, videant, si recte isto , qualiscumque est , præsentis temporis statu offenduntur; [7] quos , hostes , occulta miscri-

HAVERCAMPI NOTÆ.

11. *Non ex sua electione.* Lugd. Bat. quart., *non sua electione*, supra *habitationis suæ* Flor. sec. Orosius infra lib. VII, cap. 38 : *Quamobrem Alaricum , cunctamque Gothorum gentem , pro pace optima et quibuscumque sedibus suppliciter ac simpliciter orantem*, etc. Lucanus de piratis , Pompeii Magni apparatum metuentibus, lib. II, vs. 579 :

Angustaque domum terrarum in sede poposcit.

12. *Patente.* Recte; nam *parente* quod exhibent edd. Venetæ, Paris., Hitt. et Bolsuing. contra pr. et Aug. quæ *patente* habent , locum tueri nequit : non parebat Gothis terra , sed patebat , subjecta illorum oculis, ut quoquoversum vellent, irrumpere, sedesque figere possent. Duo ex mss. Lugd. Batt. *petenda.*

13. *Quam esset libitum.* Ultr. ms. *qua esset libitum.* Ed. prima *quod.* Pro *fuit* Flor. sec. *fuisse*, quasi velit, *fuisset.*

14. *Solos.* Abest ab ed. Aug.

15. *Gesta non videat.* Rejeci *esse* , quod intrusit Fabricius, contra omnium mss. editionumque fidem. Ita enim edidit , *gesta non esse videat.*

16. *Quæ cognatam per omnes populos fidem jungit.* Sic edidit Fabricius , secutus vetustiores editiones, quæ omnes hanc lectionem probant, nisi quod *cognata fide* legatur in Aug. At mss. omnino omnes , quos inspexi , vel quorum habeo collationem , *cognitam* præferunt; quæ lectio in Hittorp. iisque, quæ postea prodierunt, editionibus, marginem occupat. In ms. Lugd. Bat. quart. insuper legitur *fide jungitur.* Vulgata recte sese habet. Christiana religio, inquit Orosius, jungit cognatam fidem per omnes populos, id est, facit, ut omnes populi per eamdem fidem, non amplius alieni ab invicem atque hostes sint, sed fratres et cognati , quique ad unum Ecclesiæ corpus pertinent , membraque sint unius corporis , cujus caput Christus est.

CAP. XVII.— 1. ccccxxx *anno.* Ita scripsimus ex auctoritate librorum manuscriptorum , cum vulgo legatur , ccccxxx *et amplius anno.* De hoc numero plura dicemus libro sequente, cap. IV. FABR.—Edd. Hittorp. et Bolsuing. exhibent , ccccxxx *et amplius anno.* Sed prima, Aug., Venetæ et Paris. ut et mss. Lugd. Batt., cccxxx *anno*, deletis reliquis. Reliqui mss. omnes Fabricii emendationem approbant. Mox *raptu Helenæ*, tres ex mss. Lugd. Batt., et *decennalis* ed. pr. cum Paris. et Venetis.

2. *Concursus mille navium.* Rotundus numerus classis Græcorum, ut apud Virg. II Æneid. et apud Ovid. XIII Metamor. *mille carinæ.* Apud Euripidem in Oreste Chorus Menelaum sic affatur : Ὦ χιλιόναυν στρατὸν ὁρμίσας ἐς γῆν Ἀσίαν, χαῖρ' , ubi in Scholiis notatur , ἀπηρτισμένῳ ἐχρήσατο ἀριθμῷ, τοσαῦται γὰρ ἦσαν αἱ νῆες τῶν Ἑλλήνων, χίλιαι πρὸς ταῖς ρνε'. Ergo ille voluit, naves fuisse, MCLV. Vide plura in Senecam Tragicum a Mart. Delrio e variis allata. FABR.

3. *Decem annos.* Ab his verbis incipit nobilis ille codex Florentinus , qui primus nobis audit , venerandæ inter omnes mss. codices vetustatis. Initium ejusdem , depictis summa cum cura ad archetypi fidem litteris , huic loco inserere spectandumque proponere visum fuit. Mox pro *quas* Lugd. Batt. quatuor cum Ultr. et ed. Aug. præferunt , *quantas nationes* , et ad illud *in primis* ed. Aug. adjicit , *Al. in pluribus.*


ECEMANNOSCRUENTISSIMEGESTOQUAS
TIONESQUANTOSQPOPULOSIDEMTURBO
VOLUERITATQADFLIXERITHOMERUSPOETA

4. *Palam fecit.* Sic mss. omnes, ut et edd. veteres, neque scio cur Fabricius et Scottus *palam facit* ediderint. *Nunc*, quod sequitur abest a duobus mss. Lugd. Batt.

5. *Quia et operi longum.* Recte, neque audienda ed. Aug. scribens *opere*, sicuti in Lugd. Bat. pr. a secunda manu quoque immutatum inveni. Lugd. Bat. tert. *et* delet.

6. *Cædem.* Ultr., *cædemque.*

7. *Quos, hostes*, etc. Hujus loci sensus erat obscurior, præcipue, si distinctio minor ante hæc verba poneretur, et, ut hactenus factum fuit, commate sic distinguerentur, *statu offenduntur, quos hostes*, etc. Ita enim illa, quæ præcesserunt, *videant, si recte*, etc., videbantur conjungi debere hisce, *quos hostes*, etc., relicta ambiguitate magna, utrum vox

cordia Dei, [8] cum per omnes terras instructis copiis bello persequi possint, pacis gratia [9] prætentis obsidibus per omnia maria sequuntur : et ne forte hæc quietis amore facere credantur, [10] seipsos ac pericula sua pro Romanorum pace adversus alias gentes offerunt.

72 CAPUT XVIII.

Æneæ in Italiam adventus, et variæ clades ejusdem temporis.

Paucis præterea annis intervenientibus, [1] Æneæ, [2] Troja profugi, adventus in Italiam quæ arma commoverit, qualia per triennium bella [3] excitaverit, quantos populos implicuerit, odio excidioque afflixerit, [4] ludi litterarii disciplina nostræ quoque memoriæ [5] inustum est. Horum præterea temporum [6] medio interjacent exsilia naufragiaque Græcorum, Peloponnensium clades [7] Codro moriente, [8] fatorum ignari Thraces, nova in bella surgentes, et generalis tunc per totam Asiam Græciamque commotio.

HAVERCAMPI NOTÆ.

hostes in primo an in quarto casu accipi deberet. Unde factum opinor, ut in primo et tertio Lugd. Batavis littera *q* cum superscripta *o* aliam lectionem, videlicet *quo*, indigitaverit. Sed sensus jam per sé clarus est. Videant, inquit Orosius, locutione Tertulliano et aliis scriptoribus Christianis, ut supra p. 59 diximus, valde familiari, utrum recte isto hujus nostri temporis statu, de quo pauci, et in angulis, queruntur, offendantur; quos ipsos, illos scilicet, qui de præsentibus queruntur temporibus, hostes Gothi (quorum potentia et multitudo, in fine capitis præcedentis descripta fuit) nequaquam hostiliter tractant, sed pro quibus, veluti sociis et amicis, contra alios barbaros pugnare, atque imperium Romanum vindicare, sese paratos ostendunt. In quo certe non miseriam temporum, et Christianos pacis Æternæ Urbis turbatores, sed Dei, propter Christianum nomen parcentem quoque aliis sibique ipsis, misericordiam, pagani agnoscere debuerant. Quæ vero hic et supra de Gothis, eorumque pro Romana re studio, scribit, respiciunt tempora et res gestas, quæ plenius ab Orosio describuntur in fine operis, sive cap. ult. libri septimi.

8. *Cum per omnes terras.* Abest prima vox a Lugd. Bat. pr. Pro *instructis* Ultr., *exstructis*. Ed. Aug., *instruens*. Pro *possint* Lugd. Batt. pr. et tert. et Flor. sec., *possunt*. Ed. pr. et Paris., *possent*. Venetæ delent *bello*. Illa vero *per omnes terras*, respiciunt tot provincias Romanas, quas supra totis viribus ingressos fuisse Gothos scribit.

9. *Prætentis obsidibus.* In Perizon. legitur, *præteritis obsidibus*, quod contrarium efficit sensum, quasi voluerit Orosius, superbos illos hostes, adeo bene de Romanis judicasse, ut ne quidem obsides ab iisdem accipere voluerint. Vulgatam tamen præfero, quæ innuit, ipsos Gothos fidem suam datis vel oblatis obsidibus ex sua gente, Romanis probasse.

10. *Seipsos ac pericula sua.* Vulgo *ad pericula sua.* Laut. — Non addit, utrum Colon. quo usus fuit codex, ita exprimat. Verum id ego affirmare possum, sic in mss. optimo et vetustissimo, Flor. primo scilicet, exstare, ut et duobus reliquis, nec non in Lugd. Bat. quarto, in Perizon., in meis Membranis, atque edd. prima Aug. et Parisina.

Cap. XVIII.—1. *Æneæ Troja profugi.* Quod Orosius suæ memoriæ ludi litterarii disciplina insitum de Ænea scribit, id hodie quoque ex Virgilio in Scholis pueri cognoscunt. Fabr. — In cod. Flor. antiquissimo ascribitur in margine, *In Italiam adventus Æneæ.* estque manus ejusdem temporis, quod annotandum duxi, ut appareat, quam vetus mos fuerit, lemmata ad oras librorum appingendi. Pro *præterea* ed. Aug. habet *interea.*

2. *Troja profugi, adventus in Italiam.* Hæc est scriptura trium codd. Flor. ut et Mei ; *a Troja profugi* amant Lugd. Batt. pr., tert., quart., cum ed. Aug.; *ex Troja*, sed minus concinne, reliqui. Nescio autem, cur, contra omnes, quæ præcesserunt, editiones, Scottus in Moguntina edere potuerit, *Æneæ ex Troja profugi adventus, in Italia quæ arma commoverit*, inepta distinctione.

3. *Excitaverit.* Flor. pr., *exciverit*, in marg. *exercuerit*, sec. in textu, *exercuerit :* sed littera *c* alia additur manu; tert. *exciverit*, superscripto, *excitaverit.*

4. *Ludi litteralis disciplinæ.* Pro *ludi litterarii.* Dein *inustum* pro *insitum*, omnes veteres libri recte agnoscunt. Laut.

5. *Inustum est.* Vera hæc et germana (quod Lautius etiam, cujus lectionem *ludi litteralis disciplinæ*, quæ contra mss. est, non probo, vidit) lectio est. Confirmant illam Florentini pr. et sec., Periz. Meusque, cum ed. Aug.; reliquæ edd. *insitum est.* Mss. Lugd. Batt. pr. et tert., *injunctum est.* Flor. tert., *inditum est.*

6. *Medio interjacent.* Non fuit hoc mutandum a Fabricio, sequente Scotto, in *interjacente*, licet *media interjacenti*, tres ex Lugd. Batt. habeant, et *medio interjacenti* Meus. Probam lectionem servant Florentini tres cum edd. Vett., sed Aug. cum mss. Ultr. et Periz. legit *media interjacent.*

7. *Codro moriente.* Nota historia est ex Eusebii Chronico, Justini lib. II, Velleii I, a quibus nonnihil discrepat Valerius Max. lib. V, cap. 7. Elegantissime rem persecutus est Lycurgus in Leocratem. Pausanias lib. I scribit, *Codrum* non longe ab Ilisso a Peloponnensibus interfectum. Fabr.

8. *Fatorum ignoti Thraces.* Colon. *fractorum.* Materni lib. *factorum*, uterque male, ex historia. Verum illud *ignoti*, pro *ignari*, quamvis multi suo loco turbarunt, Latine tamen a nobis est restitutum. Plautus, Pseudolo : *Scio, notis prædicas.* Laut. — Permutari a Veteribus significationem, sic ut pro *ignoti* ponant *ignari*, plurima Ovidii loca docent. 18 Metam. lib. I, vers. 134,

Fluctibus ignotis insultavere carinæ.

Ubi Heinsius testatur Mediceum optimum habere *ignaris*, pro quo uti Tacitum *ignoto* confirmat; adducit quoque Virgilii locum x Æneid. 706,

Ignarum Laurens habet ora Mimanta.

Idem Ovid. Metam. VII, 404,

Jamque aderat Theseus, proles ignara parenti.

Ibidem vs. 672,

Aspicit Æolidem ignota ex arbore factum
Ferre manu jaculum.

Ubi *ignara* habent mss. et illustrat pluribus Heinsius, quem vide. Similiter *ignotus* pro *ignaro* ponitur ab Orosio, neque sine exemplo. Ante illum, Quintilian. Declamat. VI, p. 128 : *Ne quis tamen erret ignotus, non est filii mei noverca, sed mater.* Ubi in Notis vide plura. *Ignoti* vero pro *ignari* inveni in sex illis, quos ipse contuli, mss., et in edit. Aug. Habet quoque sic Ultr. cod., sed Florentini a vulgatis non discrepare videntur. In tribus illis, sicut in Colon. *fractorum* (quod in sec. in *factorum* fuit mutatum) legitur, sicut et in quatuor Lugd. Batt., Meo, Perizon. et Ult. atque Aug. edit. Sed cur Thracas fatorum ignotos vel ignaros vocat Orosius? Vellem id docuissent interpretes. An oraculum aliquod illis datum fuit, quod, cum male intellexerint, frustra, ut aliis contigit, bellum repetierunt? Non memini id legisse. Unde suspicor locum jam olim fuisse corruptum, atque sic

73 CAPUT XIX.

De Sardanapalo rege Assyriorum; de Phraorte, Diocle et Astyage regibus Medorum; de Cyro rege Persarum.

Anno ante Urbem conditam LXIV novissimus apud A Assyrios regnavit [1] Sardanapalus, vir muliere corruptior: qui inter scortorum greges [2] feminæ habitu purpuram colo tractans, [3] a præfecto suo Arbato, qui tunc **74** Medis præerat, [4] visus atque exsecrationi habitus, mox etiam [5] excitis Medorum populis ad bellum provocatus, et victus, [6] ardenti pyræ se

HAVERCAMPI NOTÆ.

reformari posse, *Codro moriente, fatorum gnaro*. Fides historica emendationi huic accedit. In fine capitis Lugd. Batt. pr. et sec. *erat* addunt.

CAP. XIX.—1. *Sardanapalus*. De *Sardanapalo* Justin. lib. I, Diodor. lib. II, copiose et Velleius Paterculus lib. I. FABR. — Sicuti in mss. Justini, sic quoque in Orosii codd. passim scribitur *Sardanapallus*. Sed pro anno ante Urbem conditam LXIV Lugd. Bat. sec. ponit LXV.

2. *Feminæ habitu*. Sic constanter scribunt mss. B omnes, Florentini tres, Lugd. Batt. quatuor, Meus et Perizon. cum edit. Aug. Qui igitur habent *femineo*, id ex Justini imitatione secuti esse videntur, apud quem *muliebri habitu* lib. 1, cap. 3, unde sua hausit Orosius.

3. *A præfecto suo Arbato*. Vulgo hic *Arbasto* et *Arbacto*, sicut lib. seq. cap. 2 *Arbastus* et *Arbactus* legitur; sed quod scripsimus, id est in libris manuscriptis utroque loco. FABR. — Servant Fabricii lectionem libri mss. quos consuluimus passim, omnes. Pro *tunc*, quod sequitur, in Lugd. Bat. tert. est *e te*, quasi vellet, *eo tempore*.

4. *Visus*. Lugd. Bat. seq. et Ultr., *visus est*. Ed. Aug., *invisus atque exsecrationi habitus*.

5. *Excitis*. Flor. seq., *adscitis*. Lugd. Bat. pr. et tert. cum Ultr., *excitatis*. Transponit Flor. pr. sequentia *ad bellum Medorum populis*. Pro *provocatus*, Flor. seq., *provocatur*.

6. *Ardenti pyræ se injecit. Hoc solo*, inquit Justinus, *imitatus virum*. Hujus Sardanapali insigne monumentum quondam exstitit in urbe Ciliciæ Anchialo, haud procul a Tarso, quod descriptum reliquit Arrianus de Exped. Alex. Magni lib. II, cap. 5, p. 66. Ferebatur is rex Anchialum condidisse, unde ut conditorem suum ibidem celebrarunt, et admirabili hoc monumento honorarunt. Καὶ τὸ μνῆμα τοῦ Σαρδαναπάλου ἐγγὺς ἦν τῶν τειχῶν τοῦ Ἀγχιάλου, καὶ αὐτὸς ἐφειστήκει ἐπ' αὐτῷ Σαρδανάπαλος, συμβεβληκὼς τὰς χεῖρας ἀλλήλαις, ὡς μάλιστα ἐς κρότον συμβάλλονται. *Et Sardanapali monumentum ad ipsa Anchiali mœnia exstabat, cui insistebat Sardanapalus manus collidens, ut in plausibus fieri solet.* Addit dein inscriptionem tali rege dignam, qua jubemur edere, bibere, voluptuari, reliqua hujus vitæ ne tanti, digitorum scilicet crepitu, vel manuum plausu, digna esse. Monumentum quidem illud, cum tot reliquis ejus generis, diu periit; sed Tarsenses tamen sempiternam in ære memoriam ejus exstare voluerunt, quia et ipsa illa urbs a Sardanapalo ferebatur condita, nummosque signarunt ad rei hujus atque ipsius monumenti, cum quadam tamen discrepantia, memoriam, cujus generis sex valde nobiles inserere huic loco placuit.











injecit. **75** [7] Exin regnum Assyriorum in Medos concessit. Deinde multis prœliis undique [8] scatescentibus, quæ per ordinem disserere nequaquam aptum videtur, per varios proventus ad Scythas Chaldæosque, et rursus ad Medos parili via [9] rediit. In qua brevitate pensandum est : quantæ ruinæ, cladesque gentium fucre, quanta bella fluxerunt, ubi toties tot et talia regna mutata sunt. [10] Post hæc Medis Phraortes [11] imperitavit, qui **76** creberrimis Persarum Assyriorumque bellis viginti et duos regni sui annos consumpsit. [12] Post hunc Diocles regnavit, vir armis [13] experientissimus, semperque bellis immoratus ; qui auctum [14] late imperium moriens Astyagi dedit. [15] Astyages, virili prole vacuus, Cyrum nepotem apud Persas genitum habuit. Sed Cyrus, mox ut adolevit, congregata Persarum manu, avo certamen indixit. [16] Porro Astyages oblitus sceleris sui, quod in [17] Harpagum dudum admiserat, cum filium ejus unicum et parvulum interfecit, epulandumque patri apposuit, ac ne quid infelicissimæ orbitati felix ignorantia subtraheret, infames epulas, ostensis patri cum capite manibus, improperavit. Hujus ergo facti [18] immemor, ipsi Harpago summam belli [19] committit, qui acceptum exercitum statim Cyro [20] per proditionem tradit. Quo comperto, Astyages, raptis secum copiis, in Persas ipse proficiscitur, [21] acriusque certamen instaurat, proposito suis metu, si quis [22] e prœlio cedere moliretur, ferro [23] exciperetur. Qua necessitate instanter Medis pugnantibus, [24] pulsa iterum Persarum acies, cum paulatim cederet, matres et uxores eorum obviam occurrunt, orant, [25] in prœlium **77** revertantur : cunctantibus, sublata veste, obscœna corporis ostendunt, quærentes, [26] num in uteros matrum vel uxorum vellent refugere. Quo facto erubescentes in prœlium redeunt : et facta impressione, quos fugiebant, fugere compellunt. Ibi tunc Astyages capitur, cui Cyrus nihil aliud quam regnum abstulit, eumque maximæ Hyrcanorum genti præposuit. In Medos vero [27] reverti ipse noluit. Is finis imperii Medorum fuit. Sed civitates, quæ tributariæ Medorum erant, a Cyro defecerunt : quæ res Cyro multorum bellorum causa et origo exstitit.

CAPUT XX.

De Phalaridis tyrannide, et Aremuli Latinorum regis flagitiis.

Ea tempestate Phalaris Siculus Agrigentinos arrepta tyrannide [1] populabatur. Qui crudelis mente, commentis crudelior, [2] omnia nefaria in innocentes agens, invenit aliquando quem juste puniret injustus. [3] Nam Perillus quidam æris opifex affectans tyranni amicitiam, aptum munus crudelitati

[HAVERCAMPI NOTÆ.]

7. *Exin.* Ed. pr. ut et Flor. tert., *Exhinc.* Aug., *Exinde*, et sic quoque Flor. sec., sed a secunda manu, prius fuerat *Exin.*

8. *Scatescentibus.* Sic omnes mss. verbo apud bonos scriptores non usitato, præter Perizon. et Lugd. Bat. quart. in quibus est *Scatentibus*, quomodo in edd. pr., Paris., Venetis et Hittorp. legitur.

9. *Rediit. In* Fabr. *redit* contra mss. et reliquas editt., nam et supra *concessit* legitur.

10. *Post hæc Medis Phraortes.* Orosius hic secutus nescio quem, dissentit ab Herodoto et Eusebio, qui *Phraortem* Dejoclis, sive Dejocis filium faciunt, eique in regno Medorum successisse tradunt. Apud Megasthenem et Diodorum sunt alia nomina horum regum. FABR.

11. *Imperitavit.* Flor. sec. et tert. et tres Lugd. Batt., *imperavit.* Mox transponit Flor. pr., *Assyriorum Persarumque bellis.*

12. *Post hunc Diocles. Diocles* est etiam in manuscriptis. In Eusebii Chronico *Deiocles* legitur : ab Herodoto Δηιόκης nominatur. FABR.

13. *Experientissimus.* Mss. et editi quidam *expertissimus*, contra mss. vetustiores pluresque. Hunc regem non solum fuisse bellicosum, sed et justum paceque bonum testantur Excerpta Diodori una cum Polybianis, etc., edita ab Henr. Valesio p. 230: Ὅτι Δηϊόκης ὁ Μήδων βασιλεὺς, πολλῶν ἀνομημάτων γενομένων, ἤσκει δικαιοσύνην καὶ ἄλλας ἀρέτας. *Deioces Medorum rex, cum plurima scelera admitterentur, ipse justitiam ac reliquas virtutes colebat.*

14. *Late.* Abest a Lugd. Bat. sec. et Ultr. et mox *moriens* a Meo. Ed. Aug. ridicule *Lacedæmoniorum.*

15. *Astyages virili prole vacuus.* Hæc historia scribitur ab Herodoto lib. I et Just. item lib. I. FABR.

16. *Porro Astyages.* Ed. Aug., *Post Astyages.*

17. *Harpagum.* Mss. omnes, præter Flor. tert. et Lugd. Bat. pr., *Harpalum*, et sic quoque, præter Fabr. et Scotti, editiones omnes : male.

18. *Immemor.* Adjicitur glossa ed. Aug., *scilicet Astyages.*

19. *Committit.* Edd. pr., Venetæ et Paris., *commisit*, assentiente cod. Perizon. Porro Lugd. Batt. quatuor, una cum Ultr. et Ed. pr., in sequentibus *tradidit* legunt. Mox *auctum* pro *acceptum* Lugd. Bat. tert.

20. *Per proditionem tradit.* Legitur et *tradidit*, ut est apud Justinum, in cujus libris impressis mendose, *deditionem*, legitur, cum in antiquis recte sit, *proditionem.* FABR.

21. *Acriusque.* Copulam delet Flor. tert.

22. *E prœlio cedere.* Ultr. *secedere.* Ed. pr. et Paris., *de prœlio cedere.* Mss. Lugd. Bat. pr. et tert. *prœlio moliretur cedere*, deleto *e.* Forte *prœlio excedere.*

25. *Excipieretur.* Meus, *exciperentur*, ut et Flor. tert. in quo insuper paulo ante *molirentur.*

24. *Pulsa iterum.* Posterior vox a Lugd. Bat. quarto abest, pro *pulsa* Ultr. habet *pulsata.*

25. *In prœlium.* Edd. veteres cum mss. Lugd. Batt. pr. et tert. *ut in prœlium*, sed reclamantibus reliquis omnibus, et contradicente Justino. Ed. Aug., *viros orant, ut*, etc. At Lugd. Bat. quart. cum Ultr. legit *orant, in prœlium reverti.*

26. *Num in uteros.* Lugd. Batt. pr., tert., quart., *numquid*, ut et ed. Aug., pro quo *an*, Lugd. Bat. sec. Vulgata in reliquis et apud Justinum exstat.

27. *Reverti ipse noluit.* Sic et optimi et plures mss. cum Justino ; alii, *ipse reverti noluit.* Dein Ultr., *Hic finis*, etc. ; aliquanto post, *defecerant*, edd. pr., Venetæ et Paris.

CAP. XX.—1. *Populabatur.* Sic mss. omnes cum ed. Aug. ; et sic edidit Fabricius, eumque secutus Scottus ; reliqui *depopulabatur*, pro quo apud Vincentium Bellovacensem est *depopulatur.*

2. *Omnia nefaria.* Sic Lugd. Batt. sec., tert. et quart. Alii *omnia nefarie.*

3. *Nam Perillus.* Hic Perillus æris opifex Plutarcho in Parallelis est, Πέριλλος τῇ τέχνῃ χαλκιουργος, quem Lucianus in Phalar. I Πορίλαον nominat. De eodem Plin. lib. XXXIV, c. 8. FABR.

illius ratus, taurum æneum fecit, [4] cui fabricæ janua[m] **78** e latere composuit, quæ ad [5] contrudendos damnatos receptui foret : ut cum inclusus [6] ibidem subjectis ignibus torreretur, [7] sonum vocis extortæ capacitas concavi æris augeret, [8] pulsuque ferali competens imagini murmur emitteret, nefarioque spectaculo mugitus pecudis, non hominis gemitus videretur. Sed Phalaris, factum amplexus, factorem [9] exsecratus, et ultioni materiam præbuit, et crudelitati : nam ipsum opificem [10] sua inventione punivit. Fuerat etiam paulo superiore tempore apud Latinos rex [11] Aremulus, qui per annos octodecim flagitiis impietatibusque crescens, ad postremum divino judicio fulmine interceptus, matura supplicia immatura ætate [12] dissolvit. Eligant nunc (si videtur) Latini et Siculi, utrum in diebus Aremuli et Phalaridis esse maluissent, innocentum vitas pœnis extorquentium, an his temporibus Christianis, cum imperatores Romani [13] ipsa in primis religione compositi, post comminutas Reipublicæ bono tyrannides, ne ipsorum quidem injurias exigunt tyrannorum.

79 CAPUT XXI.

Bellum inter Peloponnenses et Athenienses : de Amazonum et Cimmeriorum in Asiam incursu : de diutina obsidione et expugnatione Messenæ. Bellum Atheniensium contra Lacedæmonios : Peloponnensium et Bœotiorum contra Athenienses.

[1] Anno ante Urbem conditam xxx Peloponnensium Atheniensiumque maximum bellum totis viribus animisque commissum est : in quo mutuis cædibus [2] ad hoc coacti sunt, ut velut victi se ab alterutro subtraherent, [3] bellumque desererent. Tunc etiam Amazonum gentis et Cimmeriorum in Asiam repentinus incursus [4] plurimam diu late vastationem stragemque edidit.

Anno vicesimo ante Urbem conditam Lacedæmonii contra Messenios [5] propter spretas virgines suas [6] in solemni Messeniorum sacrificio, **80** [7] per

HAVERCAMPI NOTÆ.

4. *Cui fabre januam.* Editiones, *adfabre*, sed vetus illud vocabulum quoniam Colon. codex retinet, etiam nos maluimus. LAUT. — *Fabre* quoque exstat in tribus Florentinis, item Lugd. Batt. tribus, Ultr., Meo et Perizon., ut et editionibus Hittorpiana vetustioribus, in qua primum in *adfabre*, quod reliquæ secutæ sunt, immutatum fuit. Sed vera lectio est *fabricæ*, quam præter ms. Lugd. Bat. pr. servavit Vincentius Bellovacensis, qui integram partem hujus capitis priorem descripsit, atque magno volumini, quod Speculum Historiale vocavit, inseruit lib. III, cap. 107. Dein *januam ex latere* ms. Ultr., *ex latere januam* Edit. Aug.

5. *Ad contrudendos.* Vincent. Bellov., *ad intrudendos.*

6. *Ibidem.* Lugd., Batt. sec. et quart., *ibi ex;* Periz., *ibi.*

7. *Sonum vocis.* Periz., *et sonum vocis.*

8. *Pulsuque ferali.* Periz. *pulsu ferali.* Mox *nefarios* pro *nefarioque.* Vinc. Bellov.

9. *Exsecratus.* Sic mss. plures et omnes editi ante Fabricium, qui *exsecratur*, edidit : minus venuste. *Exsecrans* et in Lugd. Bat. quarto et apud Vinc. Bellov.

10. *Sua inventione.* Ed. Aug. *sua adinventione.*

11. *Aremulus.* Fuit hic XII rex Latinorum, qui in Livii lib. dicitur *Romulus Silvius*, Dio Ἀλλάδην nominat, deque illius impietate plura scribit. FABR. — *Remulus*, Lugd. Batt. pr., tert. et Periz., Flor. quoque sec. et pr. hic et infra, in quod tamen in margine scribitur *Aremulus.* In Lugd. Bat. quarto est *Romulus*, ut et in edd. vetustioribus.

12. *Dissolvit.* Scottus edidit *exsolvit*, astipulantibus edd. vetustiss. pr., Aug., Venet., Paris., sed in Fabr. aliisque, ut et in omnibus quos consului mss., exstat *dissolvit*, quod mutare nolui. Supplicia debita dissolvit tyrannus, veluti debitum quoddam, quod ære alieno contraxerat. Pari modo *pœnam dissolvere* dixit Cicero lib. I Tusc. Quæst. cap. 42 : *Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea pœna mulctaverit, quam sine mutuatione, et sine versura, possem dissolvere.* Loquitur ibi Lacedæmonius, qui ad mortem damnatus, hilari vultu ducebatur.

13. *Ipsa.* mss. Lugd. Batt. pr. et tert., *ipsi.*

CAP. XXI. — 1. *Anno*, etc. Pro xxx edd. prima, Venetæ et Paris. habent XIII.

2. *Ad hoc coacti sunt.* In ms. Lugd. Bat. sec. duæ priores voces absunt.

3. *Bellumque desererent.* Ms. Mens *bellumque dimitterent.* Ed. pr. Paris. et Venetæ, *belloque discederent.* Justino, cujus plurima excerpta habet Orosius, familiare est *deserere bellum* pro *omittere*, ut lib. II, cap. 8, *Megarenses memores inlati Atheniensibus belli et deserti ;* lib. V, cap. 2, *Eatenus sustinendum bellum, ne inopia deseratur*, et lib. IX, cap. 2, *ne inopia deserere bellum cogatur.*

4. *Plurimam diu late v. s. edidit.* Ed. pr. cum Venetis et Paris., *diu lateque*, et sic quoque ms. Lugd. Bat. tert. : *late diu* Flor. pr. : *stragemque dedit* mss. Lugd. Batt. pr., tert. et Perizon.

5. *Propter spretas.* Apud Just. libr. III unde hæc descripta sunt, legitur, *propter stupratas virgines.* Paus. lib. IV scribit in ipso bello *Caryatidas* virgines, Dianæ choros agitantes, a Messeniis raptas fuisse, quas juventus quidem, vino calefacta, stuprare voluit, sed Aristomenes dux integras suis reddidit, FABR. — Omnes Orosii codices, impressi et mss. *spretas* habent, cum tamen omnino *stupratas* fuisse virgines ex Justino constet, ubi vide quæ viri docti notarunt. Videtur autem Orosius corrupto Justini codice in quo *spretas* exstiterit, usus fuisse, vel ex compendio scribendi *stpratas* vel *spratas*, superscripta (ut mos erat) lineola, in ipsis Orosii codicibus antiquioribus, vulgatum illud *spretas* natum fuisse.

6. *In solemni Messeniorum sacrificio.* Id quo in loco actum fuerit, nos docet Strabo lib. VIII, p. 362, vel ut in postrema edit. p. 556 : Τὸ δ' ἐν Λίμναις τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν Λιμναῖον, ἐφ' ᾧ Μεσσήνιοι περὶ τὰς παρθένους ὑβρίσαι δοκοῦσι, τὰς ἀφιγμένας ἐπὶ τὴν θυσίαν, ἐν μεθορίοις ἐστὶ τῆς Λακωνικῆς καὶ τῆς Μεσσηνίας, ὅπου κοινὴν συνετέλουν πανήγυριν, καὶ θυσίαν ἀμφότεροι· μετὰ δὲ τὴν ὕβριν οὐ διδόντων δίκας τῶν Μεσσηνίων, συστῆναί φασι τὸν πόλεμον. *Fanum porro Limnis Dianæ consecratum Limnæum, in quo Messenii putantur violasse virgines, quæ ad sacrificium eo se contulerant, in confinio est Laconicæ et Messeniæ, et uterque ibi populus solebat solemnem conventum ac sacrificium frequentare : cum autem Messenii de illata injuria non satisfacerent, bellum aiunt coortum fuisse.*

7. *Per annos viginti.* Per tot annos durasse bellum testatur quoque Pausanias lib. IV, cap. XII, p. 309 : Καὶ γὰρ εἰκοστὸν ἔτος ἐπῆει τῷ πολέμῳ. *Aderat jam vicesimus ejus belli annus*, et mox pag. 312 dicit tandem Messenios, amissis ducibus cunctis et optimo quoque, Ithomen collem deseruisse, finemque bello victos fecisse : Πολεμήσαντες ἔτη τὰ πάντα εἴκοσι, καθὰ καὶ Τυρταίῳ πεποιημένα εἰσὶν, *postquam in totum viginti annos pugnantes bellum gessissent ; quod*

annos viginti indefesso furore bellantes, ruinæ suæ totas Græciæ vires implicuerunt : [8] qui, cum se magnis exsecrationibus devovissent, sacramentisque obstrinxissent, domum, nisi Messena expugnata, numquam esse redituros, ac per decem annos longa fatigati obsidione, nec tamen aliquem vincendi fructum [9] adepti : porro autem **81** [10] et querelis uxorum super longa viduitate, et periculo sterilitatis [11] contestantium permoti revocarentur, consultatione habita, veriti ne, [12] intercepta spe sobolis, sibi magis hac perseverantia, quam Messeniis perditio nutriretur, [13] selectos in exercitu eos, qui post jusjurandum in supplementum militiæ venerant, [14] Spartam remittunt, quibus promiscuos [15] omnium feminarum concubitus permisere, [16] infami satis, nec tamen utili licentia. Ipsi autem proposito insistentes expugnant fraude Messenios, [17] victos servitio premunt. At illi cruentam diu dominationem

HAVERCAMPI NOTÆ.

ipsum versibus testatus est Tyrtæus; hisce scilicet :

Ἄμφω τώδ' ἰμάχοντ' ἐννεακαίδεκ' ἔτη
Νωλεμέως αἰεί, ταλασίφρονα θυμὸν ἔχοντες,
Αἰχμηταὶ, πατέρων ἡμετέρων πατέρες.
Εἰκοστῷ δ' οἱ μὲν κατὰ πίονα ἔργα λιπόντες,
Φεῦγον Ἰθωμαίων ἐκ μεγάλων ὀρέων.

Annis pugnatum est ter tribus atque decem
Hoc ab avis nostris infracto pectore bellum ;
Et res constanti gesta labore fuit.
Anno bis decimo linquentes pinguia culta,
Montis Ithomæi deseruere juga.

Versus hi Tyrtæi inveniuntur ita juncti apud Strabonem lib. VI, p. 279 seu 428; posterior autem pars apud Pausaniam loco citato, et prior apud eumdem eodem lib. cap. 15, p. 315. Notatur ibidem p. 312 apud Pausaniam tempus, quo consummatum id bellum fuit. Ὁ δὲ πόλεμος ἔλαβεν οὗτος τέλος ἔτει πρώτῳ τῆς τετάρτης καὶ δεκάτης ὀλυμπιάδος. *Finem habuit bellum hoc, anno primo quartæ et vicesimæ olympiadis.* Vigesimo autem anno debellatum fuit cum Messeniis, eo bello quod prima vice cum Lacedæmoniis gesserunt; prouti tria hæc diversa bella enumerantur a Diodoro Siculo lib. XV, p. 378; a Strabone lib. VIII, p. 362 seu 556, ex auctoritate poetæ et ducis eorumdem, in bello secundo, Tyrtæi. Primum enim bellum gestum fuisse avorum tempore canit Tyrtæus. Secundum, quo ipse Tyrtæus bello illi, Lacedæmoniorum dux adfuit, ascitis a Messeniis in societatem Eleis, Argivis ac Pisatis, quo tempore Messenios rex eorum Aristodemus in bellum eduxit, Arcadas Orchomeni rex Aristocrates, Pisatas Pantaleon Omphalionis filius. Quod deinde tertium et quartum vocat bellum Strabo, respicit defectionem Messeniorum, quam, adjuvantibus Arcadibus et Argivis, accidisse narrat Pausanias lib. IV, cap. 15, p. 315, unde quadragesimo post Ithomes excidium anno, qui quartus fuit tertiæ et vicesimæ olympiadis, qua vicit in stadio Hyperesiensis Icarus. Originem vero belli vicennalis non ad stupratas virgines, sed ad necem regis Lacedæmoniorum Telecli, ex auctoritate antiquissimi scriptoris Ephori, refert Strabo lib. VI, p. 279 seu 427: hunc enim Messenem, ad sacrificandum ibidem profectum, occiderant Messenii, frustra necis ejus ultionem exigentibus Lacedæmoniis. Contumelia vero virginibus Spartanis illata, contigit bello tertio, quod Aristomenes, Messeniorum dux inclytus, cum Lacedæmoniis gessit, ut constat ex Pausania lib. IV, cap. 16, p. 320. Sed hæc et plura apud Justinum et alios confundi solent.

8. *Qui, cum se magnis*, etc. Apud Strabonem l. c. Ephorus, insignis historicus, cujus scriptura jam deperdita sunt, Tarenti, a Partheniis conditi, originem explicans, fuse hanc historiam tradit; ejusque belli atque iræ pervicacis Lacedæmoniorum causam regis Telecli necem inultam fuisse tradit.

9. *Adepti*. Lugd. Bat. pr. addit *sunt*.

10. *Et querelis*. Ultr. et Lugd. Bat. sec., *cum querelis*; quart., *ex querelis*.

11. *Contestantium*. Additur post hæc in Perizon., *ni redirent*, *a finitimis concubitus petituras*, quæ videntur huc intrusa fuisse ex simili loco qui occurrit supra in fine cap. 15.

12. *Ne intercepta*. Ultr. et Lugd. Bat. sec. illud *ne* haud agnoscunt.

13. *Selectos*. Ultr. et duo Lugd. Batt. cum Periz., *electos*.

14. *Spartam, Ad Spartam* Ultr. et Ludg. Bat. sec.

15. *Omnium feminarum*. Ad virgines tantum restringit Ephorus apud Strabonem l. c., quod et docet sobolis inde natæ appellatio, Προσέταξαν δὲ συγγενέσθαι ταῖς παρθένοις ἁπάσαις ἅπαντας, ἡγούμενοι πολυτεκνήσειν μᾶλλον· γενομένων δὲ τούτων, οἱ μὲν παῖδες ὠνομάσθησαν Παρθενεῖαι. *Iisque mandasse, ut cum omnibus omnes virginibus rem haberent, eo copiosiorem rati inde sobolem exstituram : atque eos, qui hoc modo nati essent, Parthenias, hoc est virginum filios, patribus incertis, appellatos.* Et hi sunt, qui duce Phalantho, patria profecti, Tarentum, in Magna Græcia, condiderunt.

16. *Infami satis, nec tamen utili licentia*. Sic omnino scribendum esse, vel sola Florentini primi suadere auctoritas posset. Accedunt præterea tert. et quart., Meus quoque codex et Perizon., insuper editio prima et Parisina, neque curo reliquas, quæ cum quibusdam mss. exhibent, *nec tamen inutili*. Revera enim inutilis Lacedæmoniis fuit hæc licentia, immo propemodum exitialis. Cum enim contemni se Partheniæ et in adipiscendis honoribus negligi viderent, conspiratione facta, populares trucidare, et patriam invadere constituerunt. Narrat operose hanc rem Antiochus quidem apud Strabonem lib. VI, p. 278 seu 426. Constituerant enim, ut ludis Hyacinthinis in Ampilæo commissis, quando Phalanthus, princeps eorum, galerum capiti imponeret, impetum in populares, quos coma præ reliquis notos faciebat, darent. Sed cum ex indicio quorumdam res ad Spartanorum magistratus venisset, certamine jam cœpto, præco in medium progressus, edixit, ne Phalanthus galerum capiti imponeret. Sic, cum detecta conspiratione dissolveretur consilium Partheniarum, solum vertere coacti fuerunt, adeoque nihil reipublicæ Laconicæ profuerunt.

17. *Victos servitio premunt*. Quam dura fuerit eorumdem servitus in elegis suis Tyrtæus, et ex eo Pausanias declarat lib. IV, p. 313 : Τιμωρίαι δὲ, ἃς ὕβριζον ἐς τοὺς Μεσσηνίους, Τυρταίῳ πεποιημέναι εἰσίν·

Ὥσπερ ὄνοι μεγάλοις ἄχθεσι τειρόμενοι
Δεσποσύνοισι, φέροντες, ἀναγκαίης ὑπὸ λυγρῆς,
Ἥμισυ πάνθ' ὅσσων καρπὸν ἄρουρα φέρει.

Ὅτι δὲ καὶ συμπενθεῖν ἔκειτο αὐτοῖς ἀνάγκη, δεδήλωμεν ἐν τῷδε·

Δεσπότας οἰμώζοντες, ὁμῶς, ἄλοχοί τε καὶ αὐτοὶ,
Εὖτέ τιν' οὐλομένη μοῖρα κίχοι θανάτου.

Injuriosas hasce Messeniorum pœnas declarant Tyrtæi versus :

Ut non sub æquo pondere pressi asini,
Crudeles domini quos tergo tollere cogant
Dimidium frugum, quas sua terra parit.

Cum lugubri etiam ornatu coactos fuisse interesse funeribus, ex his licet colligere :

Ipsi atque uxores, dominos plorare coacti,
Si quem horum ex vita mors rapuisset atrox.

Inter leges pacis enim dederant Messeniis Lacedæ-

inter verbera et vincula perpessi, jugum excutiunt, armas **82** sumunt, [18] bellum instaurant. Lacedæmonii [19] Tyrtæum, poetam Atheniensem, ducem prælio legunt: qui tribus conflictibus fusi, amissum exercitum, vocata in libertatem servorum manu, supplevérunt. Sed cum sic quoque [20] desistendum certamine propter metum periculi arbitrarentur, [21] Tyrtæi poetæ et ducis composito carmine et pro concione **83** recitato, rursus accensi, mox [22] in certamen ruunt: tantaque vi animorum concursum est, ut raro umquam cruentius prælium exarserit: ad postremum tamen victoria Lacedæmoniorum fuit. Tertio Messenii reparavere certamen. Nec Lacedæmoniis mora. [23] Multas in auxilium copias utrimque duxerunt. Athenienses vero Lacedæmonios alibi intentos e diverso aggredi parant. Nec Lacedæmonii quievere: nam ipsi in Messenios occupati, Peloponnenses immiserunt qui Athenienses prælio excíperent. Athenienses autem, missa in Ægyptum parva classe, impares viribus, navali congressu facile vincuntur. Dehinc, recepta classe, aucti etiam militum robore, victores in prælium vocant. Lacedæmonii quoque, [24] omissis Messeniis, in Athenienses arma convertunt. [25] Diu variæ et graves pugnæ, et anceps victoriæ status: [26] ad postremum, pendente eventu, utrimque discessum est. [27] Sciendum tamen est maxime ipsam esse Spartam quam et Lacedæmoniam civitatem dicunt, atque inde Lacedæmonios Spartanos dici. Igitur inde revocati Lacedæmonii ad Messeniorum bellum, ne medium tempus otiosum Atheniensibus relinquerent, cum Thebanis paciscuntur, ut Bœotiorum imperium eis [28] restituerent, quod temporibus belli Persici amiserant, si illi Atheniensium bella susciperent. Tantus furor Spartanorum erat, ut duobus bellis impliciti, suscipere tertium non recusarent, dummodo inimicis suis hostes acquirerent. Athenienses, tanta bellorum tempestate **84** permoti, duos duces [29] delegerunt: Periclem spectatæ virtutis virum, et Sophoclem scriptorem tragœdiarum: qui diviso exercitu, [30] et Spartanorum fines late populati sunt, et multas Asiæ civitates Atheniensium imperio adjecerunt. Hinc porro per

HAVERCAMPI NOTÆ.

monii, ut jurejurando sese obstringerent, numquam a Lacedæmoniis se defecturos, dimidiam quotannis proventuum partem comportarent Spartam; atque funera Lacedæmoniorum, ipsi cum uxoribus atrati prosequerentur.

18. *Bellum instaurant.* Quia primum bellum ad tertiam ante ætatem refert Tyrtæus, patet longius inter utrumque poni debere spatium quam factum fuit a Pausania. Confer supra notam num. 7. Fuit itaque spatium annorum nonaginta, cum singulæ ætatis γενεᾶς tempus ad triginta redigeretur annos. Vide Grævium ad Justini lib. III, cap. 5. Tres autem ætates intercessisse docet Tyrtæus, illo versu supra num. 7:

. . . πατέρων ἡμετέρων πατέρες.

Patrum enim patres tertia a nepotibus γενεᾷ distant. Initio autem olympiadis vigesimæ quartæ primum bellum Messeniacum, quod per viginti annos duravit, finem accepit, adeoque incepisse agnoscitur olympiade nona. Tyrtæus vero floruisse dicitur a Suida olympiade trigesima quinta, cujus anno tertio, Messana a Lacedæmoniorum societate descivit, ut ex Eusebio observavit Valesius ad Excerpta Diodori p. 58.

19. *Tyrtæum, poetam Atheniensem.* Ab Athenis atque Aphidna, jussu oraculi et Lacedæmoniorum rogatu, venisse Tyrtæum ducem Philochorus, Callisthenes aliique plures tradiderunt, ut notat Strabo; sed pariter annotat exstare carmina ejus, quæ docent ex Erinæo illum in Peloponnesum venisse: erat autem Erinæus Dorica urbs, sub Pindo et Œta montibus, unde ἠνεμόεντα, *ventosam* appellavit Tyrtæus, cujus versus apud Strabonem lib. VIII, p. 362 seu 557 hi sunt:

Αὐτὸς γὰρ Κρονίων, καλλιστεφάνου πόσις Ἥρης,
Ζεὺς Ἡρακλείδαις τήνδε δίδωκε πόλιν·
Οἷσιν ἅμα προλιπόντες Ἐρινεὴν ἀνεμόεντα,
Εὐρείαν Πίλοπος νῆσον ἀφικόμεθα.

Ipse Heraclidis tribuit nam Juppiter urbem
Hanc, qui Junonis conjugio fruitur:
Quiscum ventosam nos linquentes Erineum
In Peloponnesi venimus ampla sola.

20. *Desistendum certamine.* Pro *certamine*, ut est in edd. prima et Paris., immo in mss. Flor. pr., sec., tertio, Meo quoque; quidam habent *certamini*, quod significaret destituere pugnam, deserere certamen, locutione tamen minus usitata. Paulo ante pro *sùppleverunt* duo ex mss. *impleverunt*, et pro *in libertatem* Flor. pr. *in libertate*.

21. *Tyrtæi.* Hoc carmen alternis versibus longiusculis compositum fuit, quod ut armatis militibus Spartanis ad regis gubernaculum convocatis recitaretur, lege sancitum fuit, ut ait Lycurgus: κατὰ Λεωκράτους, ubi carmen illud exstat. FABR.

22. *In certamen.* Ed. Aug., *in certamina*, et mox *tanta autem vi*, ut ibi quoque mss. Ultr., Lugd. Batt. et Florentini omnes et Meus quoque. Pro *prælium* est *bellum* in Lugd. Bat. pr. et Perizon., quæ duo apud Orosium in ejus mss. passim permisceri solent; nam sic infra in *Athenienses prælio*, ed. pr. itidem habet *bello*, et pro *certamen* mox *pugnam*. Periz.

23. *Multas in auxilium copias.* Ed. Aug. sic legit, *multas enim copias in auxilium*, etc. Mox pro *intentos* Lugd. Batt. tres, *infestos*.

24. *Omissis*, Periz. *dimissis*.

25. *Diu variæ et graves pugnæ.* Ita transponunt Florentini mss. pr. et sec., Ultr. et Perizon. cum ed. Aug., *diu graves et variæ pugnæ* vulgati. At Meus cum Periz. scribit, *diu pariter graves pugnæ*. Lugd. Batt. quatuor in fine periodi addunt *fuerunt*.

26. *Ad postremum.* Quædam edd. *ac postremum*. Meus codex, *ac postremo*.

27. *Sciendum tamen est.* Ultimam vocem delet Meus: Ego libenter totam inducerem pericopen, usque ad *Spartanos dici*, nisi mss. omnium auctoritas obstaret. Ed. pr. cum Paris. sic legit, *Sciendum tamen est ipsam esse Spartam, quam Lacedæmoniam civitatem*, etc., deletis *maxime* (pro quo *maximam* in mss. Lugd. Batt. tert. et quarto) atque *est*. Ab Ultr. *et* quoque abest. Dein in Flor. pr., Lugd. Batt. tribus Meoque, desideratur *dicunt*, unde hunc locum sic reformo, deletis nimium superfluis, *Sciendum tamen ipsam esse Spartam Lacedæmoniam* (sive ut in Flor. pr. est, *Lacedæmonem*) *civitatem, atque inde Lacedæmonios Spartanos dici.*

28. *Restituerent.* Lugd. Bat. pr. *restitueretur*. Mox Ultr., *Tantus enim furor*; dein *implicati*, tres Lugd. Batt.

29. *Delegerunt.* Perizon., *eligunt*; ed. Aug., *elegerunt*.

30. *Et Spartanorum fines late populati sunt.* Pro *fines* Perizon. *civitates*; dein edit. Aug. *depopulati*.

annos quinquaginta, incerta semper victoria terra marique pugnatum est, donec Spartani, et [31] opibus imminutis et fide profligata, sociis quoque probro fuere. Sed hæc per tot ætatum volumina incubuisse Græciæ parvi penditur. Nunc autem interpellari interdum voluptates, et impediri parumper libidines non sustinetur. Quamquam inter illius temporis homines atque istius hoc interest, quod illi æquo animo hæc intoleranda tolerabant, quia in his nati et [32] nutriti erant, et meliora non noverant : isti autem perpetuo in vita sua tranquillitatum et deliciarum sereno assuefacti, ad omne vel modicum obductæ sollicitudinis nubilum commoventur. Atque utinam ipsum depulsorem hujus vel modicæ inquietudinis precarentur, cujus munere hanc ignoratam aliis temporibus jugitatem pacis habuerunt! Et quoniam spopondisse [33] memini, cum veluti articulis quibusdam dicendi ordinem definirem, dicturum me esse ab orbe condito usque ad Urbem conditam, huic volumini, quod ab orbe condito explicuimus, finis [34] hic sit, ut ab Urbe condita sequens libellus incipiat,[35] qui contextiora illorum temporum mala, exercitatioribus quippe ad nequitiam atque eruditioribus hominibus, continebit.

HAVERCAMPI NOTÆ.

31. *Opibus imminutis.* Membranæ meæ *opibus imminuti.*

32. *Nutriti.* Flor. pr. et Lugd. Bat. tert. *nutriti* legunt, prout Scottus edidit : Fabr. et reliqui, *enutriti.*

33. *Memini.* Sic edidit Scottus pro *me memini*, sicut passim legitur, præterquam in Lugd. Bat. tert.

34. *Hic sit, ut*, etc. Ultr., *finis hic est, et ab*, etc. Meus delet *hic.* In Flor. pr. ad margin. ascribitur *est.*

35. *Qui.* Deest in Meo et tribus Florentinis. Requiritur tamen necessario, nisi et ultimum hujus libri verbum *continebit* expungamus, ut legatur, *sequens libellus incipiat contextiora illorum temporum mala, exercitatioribus quippe ad nequitiam atque eruditioribus hominibus, continebit.* In fine autem hujus libri ascribitur in vetustissimo codice ms. Flor. primo, eadem antiqua manu, *contuli.* At in ed. Aug. post *continebit* hæc glossa in ipsum textum irrepsit : *Ab orbe condito usque ad Urbem conditam anni* IV *millia* CCCCLXXXVII. *Ab Urbe condita usque ad nativitatem Christi,* DCCXV *colliguntur. Ergo ab origine mundi in adventum Domini nostri anni* V *millia* XCIX. Sequitur dein, *finit liber primus feliciter.* At in Flor. primo hæc leguntur, *Pauli Orosii adversus Paganos liber* I *explicit, incipit liber secundus.* Eadem fere in aliis leguntur, nisi quod quidam scribant, *Historiarum adversus Paganos.*

LIBER SECUNDUS.

85 CAPUT PRIMUM.

De regnorum mutatione Dei providentia facta.

Neminem jam esse hominum arbitror, quem latere possit, [1] quod hominem in hoc mundo Deus fecerit rectum, unde etiam peccante homine mundus arguitur, ac propter nostram intemperantiam comprimendam terra hæc, in qua vivimus, defectu cæterorum animalium, et sterilitate suorum fructuum castigatur. Itaque si [2] creatura Dei, merito et dispensatio Dei sumus, [3] quis enim magis diligit, quam ille qui fecit? quis autem ordinatius regit, quam is [4] qui et fecit et diligit? quis vero sapientius et fortius ordinare et regere facta post, quam qui et **86** [5] facienda providit, et provisa perfecit? Quapropter omnem potestatem a Deo esse, omnemque ordinationem, et qui non [6] legerunt sentiunt, et qui legerunt recognoscunt. Quod si potestates a Deo sunt, quanto magis regna, a quibus reliquæ potestates progrediuntur! Si autem regna diversa, [7] quanto æquius regnum aliquod maximum, cui reliquorum regnorum potestas universa subjicitur! [8] quale a principio Babylonium, et deinde Macedonicum fuit; post etiam Africanum, atque in fine Romanum, quod [9] usque ad

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. I. — 1. *Quod hominem.* Mss. fere omnes, inter quos quoque opt. Flor., more ejus temporis scribunt *quia.* De quo vide supra pag. 46.

2. *Creatura Dei.* Supra lib. primo cap. octavo pag. 49, *Et pro creatura domini sui,* rectius quam *pro creatura.* Mox, *merito et dispensatione* Lugd. Batt. tres et Coll. Gron.

3. *Quis enim magis diligit.* Affectavit locutionem, quæ occurrit in Evangelio Lucæ VII, 47 : qui id non animadverterunt, adjecerunt *eam*, prout exstat in mss. Lugd. Batt. tribus, Coll. Gron. et edd. pr., Paris. et Venetis.

4. *Et fecit et diligit.* Lugd. Bat. quart., *dilexit?* Meus, *quam ille , qui fecit et diligit?*

5. *Facienda providit. Faciendo* Lugd. Batt. pr. et Periz., *prævidit* edd. quædam, *providet* Lugd. Bat. sec., *perficit* Ultr.

6. *Legerunt.* Tres Lugd. Batt. et edd. Vett. cum Coll. Gronov. *legunt* hic et mox iterum; *agnoscunt* Periz. pro *cognoscunt;* Flor. prim. *recognoscunt*, quod præfero, ut scriptoribus Christianis familiare. Vide Indicem ad Tertulliani Apologeticum, in quo libro cap. 20, p. 191, *Dum patimur, leguntur ; dum recognoscimus, probantur.*

7. *Quanto æquius.* Lugd. Bat. sec. et Ultr., *quanto magis esset æquius.* Lugd. Bat. quart. paulo ante, *diversa sint.*

8. *Quale a principio Babylonium.* Coll. Gron. et Lugd. Batt. tres, *quale illud a principio Babylonium.* In margine Flor. pr. hoc lemma ascribitur, *Ordo regnorum, Babylonium, Macedonicum, Africanum, Romanum*, et in secundo, *Primum regnum Babylonium, secundum Macedonicum, tertium Afrum.* Orosius autem Medorum atque Persarum imperium non commemorat, quia ex Babylonio veluti orta sint, cum Græci, Romani, Afri, plane aliæ gentes, a se invicem genere, lingua et moribus discrepantes, exstiterint. Ultr. *in fine*, deleto *atque.* Edd. quædam *postea.*

9. *Usque ad nunc. Usque nunc* Lugd. Batt. quart. et Periz. In Flor. sec. erasum est. Editi quidam *ineffabiliore*, extrema syllaba ex prima sequentis vocis repetita.

nunc manet : eademque ineffabili ordinatione per quatuor mundi cardines, quatuor regnorum principatus [10] fuerunt, distinctis gradibus eminentes, ut Babylonium regnum ab oriente, a meridie Carthaginense, a septentrione Macedonicum, [11] ab occidente Romanum : quorum inter primum [12] ac novissimum, id est, inter Babylonium et Romanum, quasi inter patrem senem ac [13] filium parvulum, Africanum et Macedonicum, brevia et media, quasi tutor curatorque venerunt, potestate temporis, non jure hæreditatis, [14] admissa. Quod utrum ita sit, apertissime expedire curabo.

87 CAPUT II.

Supradictorum quasi epilogus diversorumque regnorum ac temporum collatio, deque viçissitudine regnorum.

Rex primus [1] apud Assyrios, qui eminere cæteris potuit, Ninus fuit. Occiso Nino, Semiramis, uxor ejus, totius Asiæ regina, Babyloniam urbem [2] instauravit, caputque regni [3] Assyrii ut esset instituit. [4] Regnum Assyriorum diu inconcussa potentia stetit, sed cum [5] Arbatus, quem alii Arbacem vocant, præfectus Medorum, idemque natione Medus, Sardanapalum regem suum apud Babyloniam interfecisset, regni nomen et summam ad Medos transtulit. [6] Ita Nini et Babylonis regnum eo anno in Medos derivatum est, quo anno apud Latinos Procas, Amulii et Numitoris pater, avus autem Rheæ Sylviæ, quæ A mater Romuli fuit, regnare cœpit. Ut autem omnia hæc ineffabilibus mysteriis et profundissimis Dei judiciis disposita, [7] non autem humanis viribus, aut incertis casibus accidisse perdoceam, omnes historiæ antiquæ a Nino incipiunt, omnes historiæ Romanæ a Proca exoriuntur. Deinde a primo anno imperii Nini usque quo Babylon a Semiramide instaurari cœpta est, interveniunt [8] anni sexaginta et quatuor. Et a primo anno Procæ, cum regnare cœpit, usque ad conditionem [9] Urbis, factam **88** a Romulo, intersunt anni [10] æque sexaginta et quatuor. Ita regnante Proca futuræ Romæ sementis [11] jacta est, etsi nondum [12] germen appareret. Eodem anno regni ipsius Procæ, Babylonis regnum defecit, etsi adhuc Babylon ipsa consistit. [13] Descendente autem Arbato B in Medos, [14] partem regni penes se retinuere Chaldæi, qui Babyloniam sibi adversus Medos vindicaverunt. Ita Babyloniæ potestas apud Medos, proprietas apud Chaldæos fuit : Chaldæi autem, propter antiquam regiæ urbis dignitatem, non illam suam, sed se illius [15] vocare maluerunt [16] : unde factum est, ut Nabuchodonosor, cæterique post eum [17] usque ad Cyrum reges, quamvis Chaldæorum viribus potentes et Babyloniæ nomine clari legantur, [18] in numero tamen et cardine regum non [19] habeantur illustrium. Babylon itaque eo anno sub Arbato præfecto [20] dehonorata est, quo Roma sub Proca rege (ut proprie dixerim) [21] seminata est. Babylon novissime

HAVERCAMPI NOTÆ.

10. *Fuerunt.* Malo exemplo verbum hoc abest ab C edd. Fabr. et Mogunt. contra mss. omnesque editiones, excepta Augustana.

11. *Ab occidente.* Tres Lugd. Batt. et Gron., *ab occasu.*

12. *Ac novissimum.* Florentini tres, cum duobus Lugd. Batt., Gron. Meoque, sic amant pro *et novissimum.*

13. *Filium parvulum.* Diminutivum illud reposui ex tribus codd. Lugd. Batt. et ed. Aug.; reliqui *parvum.*

14. *Admissa.* Ed. Aug. cum uno ex mss. Lugd. Bat. et ed. Mogunt., *admissi*, ut referatur ad *principatus*, etc., quod nimis longe abest.

CAP. II. — 1. *Apud Assyrios.* Edd. Hitt. et Bolsuing., *Assyriorum.*

2. *Instauravit.* Ultr. et Lugd. Bat. sec., *restauravit.*

3. *Assyrii. Assyriis* Periz., *Assyriorum* Meus.

4. *Regnum Assyriorum.* Lugd. Bat. sec., *Regnum autem Assyriorum.* Mox ed. Aug., *inconcussa diu potentia.* Post *stetit* in margine Flor. primi scribitur, *Sardanapallum* (quo more passim omnes mss. nomen id efferre solent) *Arbatus præfectus occidit, et ad Medos transtulit imperium.* D

5. *Arbatus, quem alii Arbacen vocant.* Ita esse in libris antiquis jam diximus. Diodorus hunc lib. II Ἀρβαικὴν nominat, sicut et Euseb. in Chronico. Unde impressi libri Velleii Paterculi sunt emendandi, in quibus scriptum est, *Sardanapalum Pharnaces Medus imperio vitaque privavit :* cum sit legendum, *Arbaces Medus.* FABR. — *Arbatus* in Florentinis quoque omnibus invenitur, ut et pluribus reliquis mss. atque ed. Aug.

6. *Ita Nini et Babylonis regnum.* Hæc ex Eusebii Chronico aperte cognoscuntur. FABR.

7. *Non autem.* Edd. Aug. prima, Paris. et Venetæ, *non aut*, etc.

8. *Anni* LXIIII. Primus ex Lugd. Bat. annos LXXIII computat.

9. *Urbis.* Delet idem Lugd. Bat.

10. *Æque anni.* Hanc transpositionem probant Florr. tres et Periz. cum ed. Aug. pro *anni æque.* Mox Perizon. *Itaque regnante*, etc.

11. *Jacta.* Ed. Aug., *jactata.*

12. *Germen appareret.* Ed. Aug. et Flor. pr. cum tertio *germen apparet ;* in Flor. sec. superscribitur *apparet.* Cod. Meus, *semen appareret.*

13. *Descendente autem Arbacto.* Codd. duo veteres, et loci natura monent ita fuisse legendum pro *discedente.* LAUT. — Probant Lugd. Batt. pr. et quartus, ut et ed. Aug.

14. *Partem regni penes se Chaldæi.* Arbacem contra Sardanapalum juvit Belochus Babyloniæ præfectus. Itaque victo Sardanapalo Arbaces Medorum et Persarum regno potitus est, Belochus Babylonem cum Assyria retinuit. FABR.

15. *Vocare.* Sic Florentini omnes, Ultr., Meus et Lugd. Batt. At Perizon. cum editis quibusdam, *vocari.*

16. *Unde.* Ed. Aug., *Inde.*

17. *Usque ad Cyrum reges.* Ed. Aug., *usque Cyrum reges.* Meus, *usque ad Cyrum regem.*

18. *In numero tamen et cardine.* Poterat tolerari prius, *ordine ;* nisi, quod melius est, *cardine* Materni liber habuisset. LAUT. — *Cardine* præferunt Florentini omnes et Lugd. Batt. sec., quart. et Perizon.

19. *Habeantur.* Editi quidam, *habentur*, contra meliores atque mss. fere omnes.

20. *Dehonorata est.* Multi ex editis delent hoc *est*, contra codices scriptos.

21. *Seminata est.* Tres ex Lugd. Batt., *fundata est*, ut et Coll. Gron. quæ delet illa, *ut proprie dixerim.*

eo tempore a [22] Cyro rege subversa, [23] quo primum Roma a Tarquiniorum regum dominatione liberata est. Siquidem sub una eademque convenientia temporum [24] illa cecidit, ista surrexit: illa tunc primum [25] alienigenarum perpessa dominatum, **89** hæc tum primum etiam suorum aspernata [26] fastidium: illa tunc quasi moriens, dimisit hæreditatem: hæc vero pubescens, tunc se agnovit hæredem: tunc Orientis [27] occidit, et ortum est Occidentis imperium. Et ne diutius [28] verbis morer, committo me dentibus insanientium, sed veritatis præsidio liberandum.

CAPUT III.

Simile pene initium, conditio et status regni Babylonii et Romani, sed exitus diversus.

Regnavit [1] Ninus annis quinquaginta duobus. Cui successit (ut dixi) [2] uxor sua Semiramis: quæ cum et ipsa [3] quadraginta et duobus annis regnaret, medio imperii sui tempore [4] Babylonem, [5] caput regni, condidit. [6] Ita Babylon post annos mille centum sexaginta et propemodum quatuor, [7] quam condita erat, a Medis, [8] et ab Arbato, [9] rege **90** eorum, præfecto autem suo, spoliata opibus et regno, atque ipso rege privata est: [10] ipsa tamen postea aliquamdiu mansit incolumis. Similiter et Roma post annos totidem, hoc est, mille centum sexaginta [11] et fere quatuor, a Gothis et Alarico rege eorum, comite autem suo, irrupta et opibus spoliata, non regno, manet adhuc, et regnat incolumis: quamvis in tantum arcanis statutis inter utramque urbem convenientiæ totius ordo servatus sit, ut et ibi præfectus ejus Arbatus regnum invaserit, et hic [12] præfectus hujus [13] Attalus regnare tentaverit: tametsi apud hanc solam merito [14] Christiani imperatoris [15] attentatio profana vacuata sit. Itaque hæc ob hoc præcipue commemoranda credidi, ut tanto arcano [16] ineffabilium judiciorum Dei ex parte patefacto, intelligant hi, qui insipienter utique de temporibus Christianis murmurant, unum Deum disposuisse tempora, et in principio Babyloniis, et in fine Romanis; illius clementiæ esse, quod vivimus: quod autem misere vivimus, intemperantiæ nostræ. Ecce similis [17] Babylonis ortus et Romæ, similis potentia, similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala; [18] tamen non similis exitus, similisve defectus. Illa enim regnum amisit, hæc retinet; illa interfectione regis orbata, hæc incolumi imperatore secura est. Et hoc quare? Quoniam ibi in rege libidinum turpitudo punita, hic Christianæ religionis [19] continentissima æquitas in rege servata est: ibi, absque religionis reverentia, [20] aviditatem voluptatis **91** licentia furoris implevit: hic et Christiani fuere qui parcerent, et Christiani quibus parcerent, et Christiani, propter quorum memoriam, et in quorum memoria parceretur. Quapropter desinant religionem lacerare, et lacessere [21] patientiam Dei: propter quam ha-

HAVERCAMPI NOTÆ.

22. *A Cyro rege.* Ultr. et Lugd. Bat. sec. delent *rege.*
23. *Quo primum.* Lugd. Batt. tres, *ex quo primum.*
24. *Illa cecidit.* Ed. Aug., *illa tunc occidit.*
25. *Alienigenarum.* Flor. pr. et sec. id voluerunt, scribentes *alienarum.* At tres Lugd. Batt., Meus et Periz. cum Flor. tert., *alienorum*; insuper ed. Aug., *etiam alienorum.*
26. *Fastidium.* Ed. Aug., mss. Meus et Periz., *fastigium.* Lugd. Batt. pr. et sec., *flagitium.*
27. *Occidit.* Lugd. Batt. tert., quart., Meus et Periz., *cecidit.* Transposuimus sequentia ex pluribus et melioribus mss. Vulgo, *Orientis occidit imperium et ortum est Occidentis.*
28. *Verbis morer.* Ed. Aug., *verbis immorer*, quod non displicet.

CAP. III. — 1. *Ninus.* Tres ex mss. Lugd. Batt. et Coll. Gron., *Ninus rex.* Quæ sequuntur *cui successit... regnaverit* exciderunt in edd. pr., Venetis et Paris.
2. *Uxor sua.* delet *sua* Periz.
3. *Quadraginta et duobus annis.* Augent ed. Aug. L *duobus.* Mss. Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., LXII *annis.* Perizon. mox delet *imperii.*
4. *Babylonem.* Sic tres mss. Lugd. Batt. cum Coll. Gron. quod eligo, quia sequitur *Babylon.* Florentini tres, *Babylonam*, vulgati, *Babyloniam.*
5. *Caput regni.* Periz., *caput regni sui.* Ed. Aug., *regni caput.* At Coll. Gronov., *caput regni erexit* pro *condidit*, quasi vellet *in caput*, etc. Non muto, quia vulgatam defendunt ea quæ sequentur.
6. *Ita Babylon.* Quomodo ceciderit Babylonis imperium, capite, quod præcessit, enarravit. Frustra igitur Florent. sec. et tert., *item*, cum primis sex vel septem editionibus præferunt, quia scilicet sequitur, *Similiter et Roma.* Numerum annorum male computat ed. Aug. III *millia* CLX. Pro *et propemodum quatuor* Florent. tert., *et fere quatuor.* Venetæ et pr., *et quatuor.*
7. *Quam condita erat.* Delet ms. Flor. tert.; *postquam*, etc., Lugd. Batt. pr., tert.
8. *Et ab Arbato.* Sic Flor. optimus et Lugd. Batt. pr., quart.; *et Arbato* reliqui.
9. *Rege eorum.* Meus, *rege suo*, sed *suo* ultimum mox delet. *Præfecto suo* usque *comite* in Flor. tert. desunt.
10. *Ipsa tamen.* Flor. sec., *Ita tamen*; sed pr., *ipsa autem* et in marg. *tamen.*
11. *Et fere.* Abest a Flor. sec. et Venetis.
12. *Præfectus hujus.* Sic omnes transponunt mss. vulgati, *hujus præfectus.*
13. *Attalus.* Coll. Gronov., *Athalus.*
14. *Christiani imperatoris.* Nomen, *Honorii*, vulgo additur, ex glossemate, ut puto, illius qui exprimere voluit, quis hic imperator esset, de quo libro VII cap. 40. FABR. — Honorii nomen merito delevit Fabricius, quamvis ex mss. agnoscant Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. Delet autem Longobardicus Florent. cum duobus aliis, Meo, Perizon., Ultr. et Lugd. Bat. sec. cum edit. Aug.
15. *Attentatio.* Coll. Gronov. cum Lugd. Bat. tert., *tentatio.*
16. *Ineffabilium.* Abest a Perizon.
17. *Babylonis.* Sic mss. meliores, alii *Babyloniæ.* Pro *similis* Coll. Gronov., *simul.*
18. *Tamen.* Ita miro consensu Florentini tres, Lugd. Batt. quatuor, Perizon., Meus, et denique Ultr. cum Collatione Gronoviana exhibent. Ex editis sola Augustana. Reliquæ omnes *tametsi*, illepide sane, scribunt.
19. *Continentissima.* Delet Perizon., *in rege continentia, æquitas* legit Ultr.
20. *Aviditatem voluptatis.* Præter editionem Augustanam codd. Florentini tres exhibent *voluntatis.* Malo tamen vulgatam, quia respicit libidinum turpitudinem.
21. *Patientiam.* Videtur hæc vox magis convenire, quam *potentiam*, ut exhibent Col. Gr. et Lug. Bat. pr.

bent, [22] uti et hoc quoque impunitum habeant, si aliquando desistant. Recolant sane mecum majorum suorum tempora, bellis inquietissima, sceleribus exsecrabilia, dissensionibus fœda, miseriis continuatissima, quæ et merito possunt horrere, quia [23] fuerunt, et necessario debent rogare ne sint : eum sane rogare solum Deum, qui et tunc occulta justitia permisit ut fierent; et nunc aperta misericordia præstat, ut non sint : quæ modo a me plenius, ab ipso Urbis exordio, [24] revolutis per ordinem historiis, proferentur.

92 CAPUT IV.

De Roma condita, et tempore quo Regum imperio paruit.

[1] Anno post eversionem Trojæ ccccxiv, olympiade autem vi, quæ [2] quinto demum anno, quatuor in medio expletis, apud Elidem, Græciæ civitatem, agone et ludis exerceri solet, urbs Roma in Italia [3] a Romulo et Remo, geminis auctoribus, condita est. Cujus regnum continuo Romulus parricidio [4] imbuit : parique successu crudelitatis [5] sine more raptas Sabinas, improbis nuptiis confœderatas, maritorum et parentum [6] cruore dotavit. Itaque Romulus, [7] interfecto primum avo Numitore, dehinc Remo fratre, arripuit imperium, Urbemque constituit : regnum avi, muros fratris, templum soceri sanguine **93** dedicavit : [8] sceleratorum manum, [9] promissa impunitate, collegit. Primus illi campus ad bellum, forum Urbis fuit, mixta simul externa civiliaque bella numquam defutura significans. [10] Sabinorum, quos fœdere ludisque pellexerat, feminas tam inhoneste præsumpsit quam nefarie defendit. [11] Ducem eorum Titum Tatium, senem, honestis pietatis causis insistentem, diu armis propulsatum, mox ut in societatem regni assumpsit, occidit. [12] Cum Veien-

HAVERCAMPI NOTÆ.

22. *Uti et hoc quoque*, etc. Quamvis sic in omnibus, quos consului, mss. hic locus constituatur, neque incommodus ejus sit sensus, arridet tamen mire, quod editio omnium prima, et Paris. et Venetæ, ut et insignis atque vetus, quæ Augustæ Vindelicorum ex mss. prodiit, exhibet. In ea sola sic legitur, *Propter quam habent quod habent, et utinam hoc quoque impunitum habeant, si aliquando desistant.* Ultima in ms. Ultr. qui in prioribus, cum reliquis omnibus consentit, ita scribuntur, *sed aliquando desistant.* Desinant, inquit, Romani gentiles lacerare religionem Christianam, et Dei patientiam lacessere, propter quam patientiam Dei habent quod habent; videlicet, exitum et defectum haud similem imperio Babylonico, prout mala utriusque supra contulit. Immo, addit, utinam, ne quidem propter laceratam religionem Christianam, et blasphemias suas, puniantur, quod consequentur, si ad meliorem redierint mentem, et ab insciti sua suoque furore desistant. Idem sensus est, si admittamus in postremis lectionem cod. Ultr. et aliquanto majore cum emphasi, *et utinam*, inquit, *hoc quoque impunitum habeant! sed aliquando desistant.* Immo, dicit, habituri sunt, per misericordiam Dei, sed tamen, tempus est, desistere a pristina malevolentia, ne, nimis irritando Numen, Deum reddant implacabilem.

23. *Fuerunt.* Sic fere omnes mss. et meliores. Vulgatum *fuere* quod alii præferunt, radit aures propter *horrere* quod præcessit. Flor. tert., *qua fuerunt.* Pro *horrere* Coll. Gronov., *horreri* (quod et in secundo Florentino superscribitur) et aliquanto post *præstet* pro *præstat.*

24. *Revolutis per ordinem.* Edd. Venetæ, *pervolutis.* Ed. Aug., *revolutis ex ordine.*

Cap. IV. — 1. *Anno post eversionem Trojæ* ccccxiv. Hunc numerum restituimus, non quod eum omnino verum judicemus, sed quia illum in omnibus libris veteribus invenimus, atque ab Orosio scriptum non dubitamus. Nam cum Eutropius scripsisset, Romam conditam kal. Maias, olympiadis sextæ anno tertio, ccccxix post Trojæ excidium : deinde Paulus Diaconus subjecit, *Sive, ut placet Orosio*, ccccxiv. Scio hæc aliter et vulgo legi, et a Schonhovio edita : sed sequor fidem mei libri antiqui, in quo Eutropii historia ita descripta est, ut quæ Paulus adjecit, illius nominis appositione sint separata; Orosio igitur sua restituimus : quamquam non sine causa certiora judicamus, quæ sunt apud Dionys. Halicarnasseum, et Solinum capit. 2. Fabr. — In ed. Aug. annus definitur ccccxiii, in reliquis cccxxxv; in mss. Lugd. Batt. pr. quarto, atque Coll. Gronov. ccccliii, quibuscum consentiunt Florentini, ex quibus pr. ita exhibet numeros, cccc (superscripto *mo*) *quartodecimo*, sec., *quadringentesimo* xiii, tert. *quadringentesimo*, quarto decimo. Post *anno* quædam editiones infarciunt *igitur*, sed invitis mss.

2. *Quinto demum anno.* Ridicule ed. Aug., *quintodecimo anno.*

3. *A Romulo et Remo.* Tres ex Lugd. Batt. præpositionem tollunt, ut et Flor. pr. in quo legitur, *Romulo et Remulo.*

4. *Imbuit.* Mens, *invadit.*

5. *Sine more raptas.* Probat hanc lectionem Virgilius : etiamsi hic scripti libri *sine mora* habeant. Laut. — At cod. Longob. sive Florent. et Lugd. Bat. pr. cum Perizon. et Collat. Gronov. et edd. Venetis veram servarunt lectionem. Transponit quoque Perizon., *raptas sine more Sabinas.*

6. *Cruore dotavit.* Et hoc ex Virgiliana imitatione, Æneid. lib. vii, vs. 318,

Sanguine Trojano et Rutulo, dotabere, virgo,

ut est apud Poetam. *Mulieres* cum ed. Aug. infarciunt Lugd. Batt. pr. et tert. et Coll. Gronov. Præter Orosium Justinus quoque illa adumbravit lib. i, cap. 7, *Et uxor, mariti sanguine dotata, regnum viri et se pariter adultero tradidit*, de uxore Candaulis Lydorum regis.

7. *Interfecto primum avo Numitore.* Hoc me alibi legere non memini. Fabr.

8. *Sceleratorum manum.* Nota res est de asylo a Romulo patefacto. Fabr.

9. *Promissa impunitate.* Ed. prima, *promiscua impunitate*, quod sequitur ed. Parisiensis.

10. *Sabinorum, quos*, etc. Codex Perizon. exhibet, *Sabinorum imperium, quos*, etc. Pro *quos* Lugd. Bat. quart. cum ed. Aug. præfert *quas* : utrumque defendi potest.

11. *Ducem eorum Titum Tatium.* Non commemorabo ea quæ vel pueris nota sunt; hoc tantum monebo, Tatium Lavinii interfectum fuisse, non a Romulo, sed ab iis, qui per illius propinquos rixati erant, Dionysius, Livius et Plutarchus. Fabr.

12. *Cum Veientibus prælium adhuc parvo nomine, sed jam magnis viribus agitatum est.* Quia omnes libri hic, *parvo nomine* legunt, nihil mutavi, tamen facile adducar, ut credam cum Jo. Guilielmo Suntzio legendum esse, *momine*, pro momento : vel *molimine.* Is enim ingeniosissimus, et nostri litterarumque studiosissimus adolescens, dum forte mecum hæc legit, offensus antithesi hac, *parvo nomine, sed jam magnis viribus*, conjecit, in Orosio reponendum esse *momine.* Et certe quod postea Romani cum Veientibus gesse-

tibus prælium, adhuc parvo nomine, [13] jam magnis viribus, agitatum. Cæninensium [14] captum ac dirutum oppidum. Assumptis semel armis, [15] numquam quies: quippe quibus egestas turpis, atque obscœna fames [16] domi timerentur, si umquam paci acquievissent. Jam hinc incessabilia certamina, et juxta quantitatem **94** virium semper gravia, quam brevissime [17] strinxerim. Tullum Hostilium, militaris rei institutorem, fiducia bene [18] exercitæ juventutis, Albanis intulisse bellum; et diu altrinsecus, spe incerta, [19] certa clade, tandem pessimos exitus et dubios eventus compendiosa [20] Tergeminorum congressione [21] finisse. Rursus pace [22] dirupta, [23] Mettum Fufetium, Fidenate bello, [24] meditata etiam prodi- A tione suspensum, curribus in diversa raptantibus, duplicis animi noxam pœna divisi corporis expendisse. Latinos, Anco Martio duce, sæpe congressos, aliquando superatos. Tarquinium Priscum omnes finitimos et [25] potentes tunc Tusciæ duodecim populos innumeris concidisse conflictibus. Veientes Ser. Tullio insistente, victos [26] fuisse, nec domitos. Tarquinii Superbi regnum, [27] occisi soceri scelere assumptum, habita in cives crudelitate detentum, flagitio adulteratæ Lucretiæ amissum, [28] inter domestica vitia, virtutesque **95** forinsecus emicantes, id est, oppida valida in Latio per eum capta, Ardeam, [29] Ocricolum, [30] Suessam Pometiam, et quidquid in Gabios vel fraude propria, vel pœna filii, vel Roma-

HAVERCAMPI NOTÆ.

runt, mominis majoris fuit, anno scilicet, CCCLXVI. B LAUT. — Ineptam hanc judico emendationem, si vel usitata Orosio vox esset *momen*, quæ momentum et impulsum significat. Lucret. lib. III, vs. 189 et 190:

Momine uti parvo possint impulsa moveri.
Namque movetur aqua, et tantillo momine flutat.

13. *Jam magnis viribus*. Cum sic constanter, præeunte codice Longobardico, scribant omnes membranæ, Florentinæ, Lugdun. Batavæ, Ultr., Perizon. et Meæ, et accedat insuper Collat. Gronov., ab Orosii manu profectam illam lectionem fuisse arbitror, neque immutari debuisse ab editoribus. Nomen enim Romanorum tum quidem haud inclytum, sed vires satis magnas fuisse indicat. Addiderant edd. *est* post *agitatum*, invitis iisdem mss. omnibus.

14. *Captum ac dirutum*. Interserunt *est* cum Coll. Gronov. tres codd. Lugd. Bat.

15. *Numquam quies*. Brevitatem orationis hic affectavit Orosius. Expunxi igitur *fuit*, quod editiones omnes illi largiebantur; feci autem, cum auctoritate codicis Longob. qui primus inter Florentinos est, tum duobus reliquis, Meo atque Perizoniano. C

16. *Domi timerentur*. Hoc iterum ex mss. Flor. pr. et sec., duobus Lugd. Batt., Ultr., Perizon. Meoque, approbante ed. Aug. Vulgo, *domi timeretur*. Pro *fames* Flor. pr. scribit *famis*, quod et in sec. fuit, sed correctum ibi in *fames*.

17. *Strinxerim*. Ed. Aug., *perstrinxerim*. Prima vero cum Paris., Venetis et Hittorp. atque Bolsuing., *strinxero*. Vulgatam confirmant mss. omnes.

18. *Exercitæ*. Tres ex mss. Lugd. Batt. cum Meo et edit. quibusdam legunt, *exercitatæ*. In Flor. sec., *et exercitæ*, in ed. Aug., *exercitatæ*, *Al. exercitæ*.

19. *Certa clade*. Confirmat hoc Flor. optimus cum aliis melioribus et ed. Aug. neque audiendi sunt quidam ex editis et mss. qui præferunt, *certaque clade*, ex quibus Lugd. Bat. quart., *incertaque clade*. Male vulgo interpungunt, *et diu, altrinsecus spe incerta*, D etc.

20. *Tergeminorum*. Addunt ex Lugd. Batt. pr., tert., quart., cum Coll. Gron., *populorum*.

21. *Finisse*. Sic constanter in mss. omnibus pro *finiisse*.

22. *Dirupta*. Flor. pr., *disrupta*.

23. *Mettum Fufetium*. Hæc nomina ita scripsimus, sicut ea in libris antiquis scripta invenimus. Tu lege, quæ de his Jo. Pierius in lib. VIII Æneid. et Sigonius libr. I Emendat., cap. 52, doctissime scripserunt. FABR. — *Metium* pro *Mettum*, scribunt Lugd. Bat. sec., Perizon., Meus et duo Florentini, sed Longobardicus codex *Mettum* servat.

24. *Meditata proditione suspectum*. *Suspectum*, quod in libro veteri legitur, aptius visum est sententiæ illius, qui Regum scelera auget, quam *suspensum*, quod in aliis libris legitur. De hoc supplicio Livius et Dionysius lib. III. FABR. — Non regum scelera auget, sed miserias temporum persequitur Orosius. Nolim igitur meliorem lectionem, quæ cunctis melioribus probatur mss. unius aut alterius codicis pejore permutare. *Suspensum* præferunt codices Florentini et Lugd. Batt. omnes, Meus quoque et Coll. Gronov. quibus vett. editionum accedit auctoritas. Significat dubium animi, qualem describit Fufetium Livius. Virgil. Æneid. lib. VI, vs. 145,

Dicam equidem, nec te suspensum, nate, tenebo.

25. *Potentes tunc duodecim Tusciæ populos*. Florus lib. I, capit. 1, de Tarquinio, *duodecim*, inquit, *Tusciæ populos frequentibus armis subegit*. FABR. — Transponunt mss. meliores, *Tusciæ duodecim populos*. Pro *concidisse* Perizon., *cecidisse*.

26. *Fuisse, nec domitos*. Hæc in tribus mss. Lugd. Bat. non apparent, ut nec in Coll. Gronov.

27. *Occisi soceri*. Edd. prima et Venetæ cum Paris., *occiso socero*.

28. *Inter*. Magno consensu pro *et intus* Florentini tres, totidem Lugd. Bat., Periz., Meus, accedente ed. Aug. scribunt, *et inter*. Collatio Gronov. insuper delet *et*, quod abesse debet, neque in Lugd. Bat. quarto invenitur. Potest tolerari vulgata lectio, *et intus domestica vitia*, etc. Sed non prætulerim; nam non in genere de regibus, sed in specie de Tarquinii Superbi regno agitur, quod ait fuisse scelere acquisitum, crudelitate retentum, libidine amissum, idque inter vitia domestica et virtutes forinsecus emicantes, id est, bella egregie gesta, etc.

29. *Ocricolum*. Stephanus, Ὀκρίκολα, πόλις Τυρρηνίων, Διονύσιος ὀκτωκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας, τὸ ἐθνικὸν Ὀκρικολανὸς, ὡς αὐτός φησιν. FABR.

30. *Suessam Pometiam*. Ita scripsimus ex auctoritate librorum antiquorum. Vulgo legitur, *Sinuessam Pometiamque*. Eutropius, *Gabios civitatem*, et *Suessam Pometiam subegit*. Florus lib. I, cap. 7: *Sic valida oppida in Latio capta sunt, Ardea, Ocricolum, Gabii, Suessa Pometia*. Dionysius libro quarto, Ἐπὶ τοὺς καλουμένους Πωμεντίνους ἦγε τὴν δύναμιν, οἳ πόλιν Σούεσσαν ᾤκουν. Strabo libro quinto Σύεσσαν τῶν ποντίων vocat: quamquam locus ille vulgo admodum corruptus est. Hæc autem *Suessa Pometia* dicta est, ad differentiam illius, quæ in Campania *Suessa Aurunca* dicebatur. Mendose igitur apud Messallam legitur, *Oppida Suessam et Pometiam expugnavit*. FABR. — Antiquitus *Pomesia* dicebatur, prouti docet insignis nummus argenteus in Museo nostro, qui vetustissimis litteris, retrogrado ordine exaratis, ab utraque parte illam inscriptionem exhibet, quam vulgavimus in Dissertatiuncula nostra de litterarum Græcarum Varia Scriptura, quæ reperitur in Sylloge Script. de Linguæ Græcæ Pronuntiatione, p. 211 et 212.

nis viribus, perpetravit. Sed Romani quanta mala [31] per ducentos quadraginta et tres annos continua illa regum dominatione pertulerint, non solum unius regis expulsio, verum etiam [32] ejuratio regii nominis et potestatis, ostendit. Nam si unius tantum superbia fuisset in culpa, ipsum solum oportuisset expelli, servata regia dignitate melioribus. Igitur regibus Urbe [33] propulsis, Romani consulendum sibi [34] quam cuiquam suæ libertati dominandum rati, consules creaverunt: quibus, veluti [35] adulta reipublicæ crescentis ætas, robustioribus ausis exercebatur.

96 CAPUT V.

Bruti primi cos. facinora. Tarquiniensium et Sabinorum bellum. Discessio plebis. Fames et pestilentia ingens Romæ. Veientum et Etruscorum bellum, quo familia illa Fabiorum interiit.

[1] Anno post Urbem conditam CCXLIV Brutus, primus apud Romanos consul, primum conditorem regemque Romæ, non solum exæquare parricidio, [2] sed et vincere studuit, quippe duos filios [3] suos adolescentes, totidemque uxoris suæ fratres, Vitellios juvenes, revocandorum [4] in Urbem regum placito [5] insimulatos, in concionem [6] protraxit, [7] virgis cecidit, securique percussit. Ipse deinde [8] Veientum Tarquiniensiumque bello, cum [9] Arunte, Superbi filio, congresso sibi commortuoque, procubuit. [10] Porsena, rex Etruscorum, gravissimus regii nominis suffragator, [11] Tarquinium manu ingerens, tribus continuis **97** annis trepidam Urbem terruit, conclusit, [12] obsedit: et nisi hostem vel [13] Mucius constanti [14] urendæ manus patientia, vel virgo Clœlia [15] admirabili transmeati fluminis audacia permovissent; profecto Romani [16] compulsi fuissent perpeti, aut captivitatem, hoste insistente superati: aut servitutem recepto rege subjecti. Post hæc Sabini [17] corrasis undique copiis, magno apparatu belli, Romam contendunt: quo metu consternati Romani [18] dictatorem creant, cujus auctoritas et potentia [19] consulem

HAVERCAMPI NOTÆ.

31. *Per* CCCXL *et* III *annos*. Lugd. Batt. pr. et tert. legunt *per* CCCXL et II vel *duos annos*; quart. cum ed. pr., Paris. et Aug. quatuor pro tribus largiuntur annis, Coll. Gronov. denique exhibet CCLX, et II annos.

32. *Ejuratio regii nominis*. Quidam legunt *abjuratio*; sed codex Perizon. cum Flor. secund. *ejuratio* præfert. Reliqui passim, præeunte Flor. primo, cum scribant *et juratio*, ad illam lectionem inclinare videntur.

33. *Propulsis*. Meus, *pulsis*, quod Latinius dictum est.

34. *Quam cuiquam*. Editiones Venetæ hisce præponunt *potius*, non intellecta ista ratione loquendi, de qua consule Barn. Brissonium in lib. De Verb. Signific. in voce QUAM, et contra omnes mss.

35. *Adulta*. Mss. tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. scribunt *adulte*, id est *adultæ*, prout exhibet ed. Aug. in qua pro *crescentis* et *ausis*, legitur *crescens* et *causis*, et in Flor. sec. *ausibus*.

CAP. V. — 1. *Anno post Urbem conditam* CCXLIV. Idem numerus est apud Eutropium, Messallam, et Sex. Rufum. Sed Dionysius lib. V scribit, Romanos regio imperio paruisse annos CCXLIV. Livius item lib. I extremo ait, *Regnatum Romæ ab Urbe condita ad liberatam annos* CCXLIII. Diversitatis causam Sigonius indicavit. FABR. — In Lugd. Bat. tert. est numerus CCXLIII. Typorum vero errore in postremam ex Fabricianis influxit CCLXIII: in reliquis enim et Moguntiaca, ipsiusque adeo illius editionis Notis, servatur verus numerus, qui in codice Longobardico et duobus reliquis Florentinis ita concipitur, CC^mo XLIII.

2. *Sed et vincere*. Ed. Aug. et Coll. Gronov., *sed etiam vincere*, prout et in Flor. pr., sed ibi altera lectio in margine ascribitur.

3. *Suos*. Abest ab edd. pr., Paris. et Venetis, ut et Lugd. Batt. sec. et quarto.

4. *In Urbem*. Tres ex Lugd. Batt., *in Urbe*, accedunt edd. pr. et Paris.

5. *Insimulatos*. Iidem tres Lugd. Batt., *insimulato*, quod mendum in codice illo quoque exstitit, quem contulit Gronovius.

6. *Protraxit*. Coll. Gronov., *pertraxit*. Non muto. Virgil. Æneid. lib. II, vs. 122,

> Tunc Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
> Protrahit in medium.

7. *Virgis*. Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov., *virgisque*, Longius abit ed. Aug., *virgisque cæsos securi percussit*.

8. *Veientum*. Coll. Gronov., *Veientium*.

9. *Arunte*. Cod. Longobard., *Arrunte*.

10. *Porsena, rex Etruscorum*. Porsenæ nominis mediam syllabam Latini poetæ modo produxerunt, modo corripuerunt. Unde et varie scriptum invenitur. Apud Græcos Πορσίνας et Πορσίνος legitur. FABR.

11. *Tarquinium manu ingerens*. Sic habent libri veteres, non, *Tarquiniensium manum*, ut est in vulgatis. FABR. — Ex mss. quos consului, veram lectionem, quam reposuit Fabricius, et quam ex editis solus servat Augustæ Vindelicorum impressus, defendunt cod. Longobard. et duo reliqui mss. Florentini, unus ex Lugd. Bat., Perizon. et Meus. *Tarquiniensium manum* legunt Lugd. Batt. pr., tert., quart., cum Coll. Gron., nam Ultr. præter *Tarquinium* nihil habet, ibique *manu ingerens* excidisse videtur. Porsena vero dicitur *Tarquinium manu*, id est, vi maxima, *ingerens*. Alia lectio multitudinem Tarquiniensium significat.

12. *Obsedit*. Post hæc Glossa mirabilis hæc sequitur in Lugd. Bat. primo, *Hic portabat candens ferrum in manu sua ad hostem, et jactabat illis de muro*.

13. *Mucius constanti urendæ manus*. Hic est. *C. Mucius*, cui postea *Scævolæ* a clade dextræ manus cognomen inditum, Livius et alii. FABR.

14. *Urendæ*. Lugd. Batt. pr. et tert., *horrendæ*. *Constanti* in Ultr. deest.

15. *Admirabili*. Flor. sec., *admirabilis*, quasi ad Clœliam referri debeat; dein *permovisset*, pro *permovissent* edd. pr., Paris. et Venetæ. Vocem *profecto* delet Perizon.

16. *Compulsi fuissent*. Ex decem, qui usibus meis inservierunt, mss. octo habent *forent*, quod sermo Latius non patitur, licet in Longobardico et reliquis Florentinis exstet. *Forent* quoque scribit ed. Aug., sed prima et reliquæ, *fuissent*.

17. *Corrasis*. Meus, *contractis*, quod in scribendo prætulerim, sed alterum ab Orosii manu esse videtur. Pro *undique* Lugd. Batt. pr., quart., *ubique*, ut et Coll. Gron. quæ et habet, *in servitutem recepto rege subjecti*.

18. *Dictatorem creant*. Eutropius, *Nono anno post reges exactos*, etc. Livius et Cassiodorus scribunt, primum dictatorem creatum Postumo Cominio et T. Lartio coss. Tu lege Sigonii Commentarium doctissimum in Fastos. FABR.

19. *Consulem præiret*. Id est potestatem consularem, sed quod non attenderunt, qui in Lugd. Batt. pr. et quarto *consules* scripserunt.

præiret : quæ res, [20] in illo tunc bello plurimum [21] emolumenti tulit. Sequitur discessio plebis a patribus. [22] Cum M. Valerio dictatore delectum militum agente, variis populus stimulatus injuriis, Sacrum montem insedit armatus. Qua [23] pernicie quid atrocius, cum **98** corpus a capite desectum [24] perditionem ejus, per quod [25] spirabat, [26] minitaretur? [27] actumque de Romano nomine intestina pernicie foret, nisi maturata reconciliatio [28] subrepsisset prius, quam se discessio ipsa cognosceret. [29] Urget se atque imminet sibi extra illas apertas bellorum clades successu misero clandestina pernicies : quippe [30] T. Geganio et P. Minucio consulibus, duo vel maxima omnium malorum abominamenta, fames et pestilentia fessam Urbem corripuere. Cessatum est paulisper a prœliis, cessatum tamen [31] a mortibus non est. [32] Veientes et Etrusci, graves hostes, adjunctis sibi finitimorum copiis, in bella surgentes, obviis M. Fabio, et Gn. [33] Manlio consulibus excipiuntur : ubi post sacramentum jurationis, quo se Romani devoverant, non nisi post victoriam ad castra redituros, adeo atrox certamen fuit, [34] et victis victoribus A que par forma, ut amisso plurimo exercitu, occisisque in pugna Manlio consule et Fabio [35] consulari, M. Fabius consul **99** oblatum sibi a senatu triumphum [36] suscipere recusarit, quia tantis Reipublicæ detrimentis luctus potius debebatur. Gloriosissima [37] illa numero et viribus Fabiorum familia, [38] Veientanum sortita certamen, quantam Reipublicæ orbitatem occasu suo intulerit, infamibus [39] usque ad nunc vocabulis, testes sunt [40] fluvius qui perdidit, et porta [41] quæ misit. Nam cum [42] sex et trecenti Fabii, vere clarissima Romani status lumina, speciale sibi adversus [43] Veientes decerni bellum expetivissent, spem temere sumptæ expeditionis primis successibus firmaverunt : dehinc inducti in insidias, circumventique [44] ab hostibus, omnes ibidem trucidati sunt ; uno tantum [45] ad enuntiandam cladem [46] reservato, ut miserius audiret patria perditos, quam perdidisset. Ad hæc non Romæ tantum talia gerebantur, sed quæque provincia suis ignibus æstuabat : et, quod poeta præcipuus in una urbe descripsit, ego de toto orbe [47] dixerim :

Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.

HAVERCAMPI NOTÆ.

20. *In illo tunc bello.* In edd. Fabricianis et Moguntina frustra quæras illud *in*, quod omnes ante editi cum mss. cunctis exhibent.

21. *Emolumenti tulit.* In Perizon., *emolumenti contulit;* in Lugd. Batt. pr., quarto et Coll. Gronov., *emolumenti tulit eis.*

22. *Cum M. Valerio dictatore.* Hujus *Valerii* prænomen est, non *Marcus*, sed *Manius*, ut ex fragmentis Triumphorum cognoscitur. Dionysius etiam libro sexto illum appellat Μάνιον Οὐαλέριον ἀδελφὸν Ποπιλίου τοῦ πρώτου ὑπατεύσαντος. Tu lege Ciceronem in Bruto. FABR.

23. *Pernicie.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *pernicitate.*

24. *Perditionem.* Lugd. Bat. quart., *per proditionem*, quasi vellet, *proditionem ejus*, etc.

25. *Spirabat.* Cod. Longob. cum Ultr. : *inspirabat.*

26. *Minitaretur.* Sic restitui, hoc ex *meditaretur* et *imitaretur :* et imitatio est Sallustiana. LAUT. — Ex mss. solus hanc comprobat Ultr. Verissima tamen emendatio est, et vel uno suffragante codice recipienda, *Meditari* enim de capite, in quo prudentia est, *minitari* de corpore, quod vi manuum valet, congrue et recte dicitur.

27. *Actumque.* Lugd. Bat. pr., *Actum*, et mox *ni* pro *nisi.*

28. *Subrepsisset.* Vulgata hæc et vera lectio est. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. et ed. Aug., *subripuisset.* Meus, *surrexisset.*

29. *Urget se.* Vetustæ quædam editiones *enim* interserunt, at Aug. non agnoscit, et recte fecit Fabricius, quod exsulare jusserit. *Urguet*, etc., scribit cod. Longobard. et sic semper.

30. *T. Geganio et P. Minucio.* Prioris consulis nomen mendose erat in libris Orosii. Fuerunt hi coss. an. ab U. c. CCLXI. Lege Dionysium initio libri VII et Livium in II. FABR. — Nomen prioris consulis in tribus Florent. scribitur *Gesonio*, sed in sec. superscribitur *Gessonio*, quæ lectio est in vetustis edd. et mss. tribus Lugd. Batt. et Meo. Perizon. dein, *P. Mucio* pro *P. Minucio* profert. *Munisio* Ed. Aug., *Numisio* prima, *Numitio* Paris.

31. *A mortibus.* Meus, *motibus.* Sed Vulgata mutari non debet, *a mortibus* videlicet *cessatum* non est, propter famem et pestilentiam, quæ multas et imbelles et fortes etiam animas ad inferos miserunt.

32. *Veientes et Etrusci.* Copulam *et* delent Florentt. pr. et sec. cum Coll. Gronov. ut et quatuor Lugd. Batt. cum Periz.

33. *Manlio.* Lugd. Bat. tres, *Mallio*, quæ corruptio huic nomini apud Suetonium et alios scriptores in mss. passim accidere solet.

34. *Et victis.* Edd. vett., *Ut victis victoribusque par forma esset.* Sed *esset* ab ed. Aug. abest.

35. *Consulari.* Ed. Aug., *proconsulari.*

36. *Suscipere recusarit.* Reposui ex tribus Florentinis et Ultr. Meoque pro *recusaret.* Perizon. delet *suscipere*, pro quo *recipere* habet Coll. Gronov.

37. *Illa numero et viribus.* Meus mavult *et numero et viribus*, at codd. Lugd. Batt. pr., tert. et quart. cum. Coll. Gronov. sic locum constituunt : *Gloriosissima illa cohors numero et viribus Fabiorum, Veientanum.*

38. *Veientanum.* Ed. Aug., *Veientium.*

39. *Usque ad nunc.* Ita mss. Florentt. omnes cum reliquis; at edd. veteres, *usque nunc.*

40. *Fluvius qui perdidit, et porta.* Fluvius *Cremera* fuit, porta *Carmentalis.* Livius, Dionysius, et Ovid. libr. II Fast. FABR. — Fluvii nomen in Meo. Perizon. et Lugd. Bat. quarto ascribitur *Chiemera* (pro *Cremera*) *fluvius*, etc.

41. *Quæ misit.* Sic amant Florentini tres et Lugd. Bat. pr. cum Coll. Gronov. et ed. Aug. meoque codice. Vulgati, *quæ emisit.*

42. *Sex et trecenti Fabii.* Ridicule ed. Aug., *sex millia et* CCC *Fabii.*

43. *Veientes.* Lugd. Batt. pr., tert. et Coll. Gronov. *Veientanos.*

44. *Ab hostibus.* Lugd. Bat. sec., *ab hoste.*

45. *Ad enuntiandam cladem.* Coll. Gronov. et cod. Ultr. ut et Lugd. Batt. pr., sec. et Perizon., *ad nuntiandam.* Flor. sec., *ad denuntiandam.* Ed. Aug., *ad enuntiandum.*

46. *Reservato.* Lugd. Bat. quart., *servato.*

47. *Dixerim.* Ed. pr. et Venetæ cum Paris., *descripserim.*

100 CAPUT VI.

Cyrus, rex Persarum, totum Orientem populatur, Babylonem urbem munitissimam capit, Crœsum vincit.

[1] Igitur eodem tempore Cyrus, rex Persarum, quem superius explicandæ historiæ causa commemoraveram, qui tunc Asiam, Scythiam, totumque Orientem armis pervagabatur, cum Tarquinius Superbus Urbem vel rex, vel hostis aut servitio premebat aut bello, Cyrus (ut dixi) cunctis, adversum quos ierat, perdomitis, Assyrios et [2] Babyloniam petit, gentem, urbemque tunc cunctis opulentiorem : sed impetum ejus [3] Gyndes fluvius, secundæ post Euphratem magnitudinis, intercepit. [4] Nam unum regiorum equorum, candore formaque **101** [5] excellentem, transmeandi fiducia [6] persuasum, qua per rapacem alveum [7] offensi vado vorti- A ces attollebantur, abreptum, præcipitatumque merserat. Rex iratus ulcisci in amnem statuit, [8] contestans eum, [9] qui nunc tam præclarum equum voravisset, feminis vix genua tingentibus [10] permeabilem relinquendum. Nec [11] peragendo segnior, totis copiis [12] perpeti anno Gynden fluvium per magnas concisum deductumque fossas, [13] in quadringentos sexaginta alveos comminuit. Eo opere prædoctis fossoribus, etiam Euphratem longe validissimum, et mediam Babyloniam interfluentem, derivavit. [14] Ac sic meabilibus vadis siccum, etiam patentibus [15] alvei partibus, iter fecit : cepitque **102** urbem, quam vel humano [16] opere exstrui potuisse, vel humana virtute destrui posse, utrumque pene incredibile apud mortales erat. Namque Babyloniam a [17] B Nemrod gigante fundatam, a Nino vel [18] Semiramide

HAVERCAMPI NOTÆ.

Cap. VI.—1. *Igitur eodem tempore.* Lugd. Bat. tres et Coll. Gronov., *Igitur eo tempore.*

2. *Babyloniam.* Florentini tres, *Babylonam*, et sic fere semper.

3. *Gyndes fluvius.* Quod in historiis notior sit Indiæ fluvius Ganges, multi ex mss. et editis perperam nomen hoc, quod Florentini omnes Meusque intemeratum servant, scripserunt. In Florentino primo in marg. *Gynes* vocatur, *Gynes, fluvius Babylonis.* Sed vera scriptura *Gyndes* est. Tibullus lib. IV, eleg. I, vers. 141,

... Rapidus, Cyri dementia, Gyndes.

Herodotus, historiam hanc narrans lib. I, cap. 189, p. 76, Gynden amnem, ortum in Matienis montibus, per Dardaneos fluere, atque in Tigrim exire scribit.

4. *Nam cum unum regiorum equitum.* Hunc locum, ut in omnibus libris antiquis descriptum invenimus, sic imprimendum curavimus. Orosius rem ab Herodoto sumpsit, qui de Gynde et Cyro ita scribit, Ἐνθαῦτα οἱ τῶν τις ἱερῶν ἱππῶν τῶν λευκῶν ὑπὸ ὕβριος ἐσβὰς ἐς τὸν ποταμὸν, διαβαίνειν ἐπειρᾶτο· ὁ δὲ μιν συμψήσας ὑποβρύχιον οἰχώκεε φέρων. *Hic unus sacrorum equorum, candore excellens, præ ferocia flumen ingressus, transire conabatur : quem flumen vorticibus contorquens abripuit et mersit.* Fabr. — Quamvis omnes libri manuscripti sic exhiberent, nequaquam tamen ita scribere potuit, vel scripsit Orosius, foret enim hoc Herodoto in os contradicere. Orosium sic non scripsisse mss. duorum, Perizoniani Meique contextus confirmat, in quibus *equorum* clare exstat; deinde non potuisse ita scribere, illa quæ sequuntur, docent, *candore formaque excellentem*, candoris enim laus omnino ad equum pertinet, quem a candore (ejus enim coloris sacri illi equi esse debebant) itidem commendavit Herodotus. Integrum vero locum ex mss. lectione restituimus, ubi enim vulgati exhibent, *Nam cum unum*, decem libri mss. iique meliores, mediam vocem, cum edit. Aug. et Vinc. Bello- C vacensi, ejiciunt. *Merserat* quidem inter omnes Meus unice codex suppeditat, sed tamen aliter legi non posse patet, si cum mss. omnibus supra legas *nam unum*, ejecto, quod spurium est, *cum*. Ex reliquis mss. et impressis alii *mersisset*, alii *merserunt* exhibent. At editiones, excepta sola Augustana, vetustiores, prima, Venetæ, Paris. præter equi mentionem quoque equitis faciunt. In iis enim sic exstat : *Nam, cum unum regiorum equorum candore formaque præcipuum, cum equite, transmeandi fiducia persuasum*, etc., et aliquanto post, *equum equitemque vorasset.* Verum hoc contra omnes, quos inspexi, largiuntur mss.

5. *Excellentem.* Edd. pr. Paris. et Venetæ, *præcipuum.*

6. *Persuasum.* Ed. pr., *persuaso*, ut scilicet jungatur cum *equite*, quod in illa edit. invenitur.

7. *Offensi vado vortices.* Edd. pr. Paris. et Venetæ, *offensi vada vorticis.* Mss. quidam familiari errore, *vertices.*

8. *Contestans eum qui nunc*, etc. Herodotus, Καὶ οἱ ἐπηπείλησε, οὕτω δὴ μιν ἀσθενέα ποιήσειν, ὥστε τοῦ λοιποῦ καὶ γυναῖκάς μιν εὐπετέως τὸ γόνυ μὴ βρεχούσας διαβήσεσθαι. *Minatus est, se illud adeo debilitaturum, ut in posterum feminæ genua non tingentes facile sint transituræ.* Fabr.

9. *Qui nunc.* Ed. pr. Paris. et Venetæ, *qui tam.* Hittorp. liberalior utrumque posuit, quam secuti Fabr. et Scott. ediderunt, *qui nunc tam præclarum*, refragantibus mss. omnibus et Vinc. Bellovacensi.

10. *Permeabilem.* Edd. pr. Paris., Venetæ, *a se permeabilem*, etc., sequuntur Hitt. et Bolsuing. Sed ab Aug. et a mss. abest.

11. *Peragendo.* Ed. Aug., *in peragendo.* ut et prima et Parisiensis, atque Moguntina Scotti, sed contra mss. et Vinc. Bellov.

12. *Perpeti anno. Æstatem totam*, τὴν θηρείην πάσαν, trivisse in illo opere universum Cyri exercitum scribit Herodotus. Meus, *perpeti animo.*

13. *In quadringentos sexaginta alveos.* Scribendum potius, in 360. Nam apud Herod. est, Ἐς τριηκοσίας καὶ ἑξηκοντά μιν διώρυχας διαλαβών. Fabr. — Vetus esse videtur error, ipsius forte auctoris; vel in numero Orosii descriptores errarunt. Vincentius Bellov. qui hanc pericopem excerpsit lib. IV, cap. 11, eumdem habet numerum.

14. *Ac sic meabilibus vadis siccum.* Hæc scribit etiam Xenophon lib. VII Κύρου παιδείας. Fabr.

15. *Alvei partibus interfecit.* Sic unus Colon. quem propter phrasis elegantiam libenter sequor. *Interficere siccum amnem*, pro exsiccare dici, Plautus Latiniss. auctor est : *Ego si occepso, illi puteo animam omnem intertraxero* : non tamen sententiam D amiseris, si *iter* retineas. Laut. — Immo, si Coloniensis libri admiseris lectionem, sensum Orosii interficies; dicit is, hoc Cyri artificio Euphratem in locis, ubi ante vada erant, quæ superari pedibus poterant, plane siccum fuisse factum; illis autem locis, ubi olim late patens profundas habebat aquas, permeabilem exercitui redditum. Interfecit igitur potius, si ita loqui liceret, ubi vada sicca fuerunt reddita. Quomodo id peractum fuerit, urbemque, transgressi per nova vada fluminis, ceperint Cyri milites, fusius narrat Herodotus.

16. *Opere.* Flor. sec., *labore.*

17. *Nemrod.* Flor. pr. et sec., *Nebrot.* Coll. Gron., *Nebroth.* Dein Meus delet *gigante.*

18. *Semiramide.* Florentini tres, *Samiramide.* Pro *reparatam* Flor. pr. *paratam.*

reparatam, multi prodidere. Hæc, campi planitie undique conspicua, natura loci lætissima, castrorum facie mœnibus paribus per quadrum disposita, murorum ejus vix [19] credibilis relatu firmitas et magnitudo, id est, [20] latitudine cubitorum quinquaginta, altitudine quater tanta. Cæterum ambitus ejus quadringentis et octoginta stadiis circumvenitur. Murus [21] coctili latere atque [22] interfuso bitumine compactus, fossa extrinsecus late patens, vice amnis circumfluit. A fronte murorum, centum portæ æreæ. Ipsa autem latitudo in consummatione pinnarum utroque latere habitaculis defensorum æque dispositis, [23] media intercapedine sui citas quadrigas capit. Domus intrinsecus **103** quatergeminæ, [24] habitationis minaci proceritate [25] mirabiles. [26] Et tamen magna illa Babylon, [27] illa prima [28] post reparationem humani generis condita, nunc pene etiam minima [29] mora victa, capta, subversa est. Ibi tunc Crœsus, rex Lydorum, famosus opibus, cum ad auxiliandum Babyloniis venisset, victus [30] sollicite in regnum refugit. Cyrus autem, posteaquam [31] Babyloniam ut hostis invasit, ut victor evertit, ut rex disposuit, bellum transtulit in Lydiam : ubi [32] conterritum superiore jam prælio exercitum, nullo negotio superavit. Ipsum etiam Crœsum cepit, captumque [33] et vita et patrimonio donavit. Exaggerare hoc loco mutabilium rerum instabiles status non opus est : [34] quidquid enim est opere et manu factum, labi et consumi vetustate, Babylon capta confirmat : cujus ut **104** primum imperium ac potentissimum exstitit, ita [35] et primum cessit, [36] ut veluti quodam jure succedentis ætatis

HAVERCAMPI NOTÆ.

19. *Credibilis*. Edd. pr., Paris. et Venetæ, *credibili*.

20. *Latitudine cubitorum* 50. Q. Curtius lib. v : *Murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus, spatium* 50 *et duorum pedum latitudinem amplectitur, quadrigæ inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri* 100 *cubitorum eminet spatio : Turres denis pedibus quam murus altiores sunt. Totius operis ambitus* 368 *stadia complectitur*. Strab. lib. xvi scribit, muros esse in crassitudinem pedum 32, in altitudinem cubitorum 50. Sed Orosius Herodotum sequitur. Plin. lib. vi, cap. 26, scribit Babylonis muros esse dúcenos pedes altos, quinquagenos latos. Fabr. — Pro sexto casu, qui in mss. omnibus est, edd. vetustæ, excepta Augustana, exhibent, *latitudo* et *altitudo*. Copulam *et* tres ex Lugd. Batt. ante *altitudine* ponunt, *quater tantum* scribunt Florentt. pr. et sec., *ejus* a Lugd. Batt. pr. abest.

21. *Coctili latere*. Ed. Aug., *cocto latere*.

22. *Interfuso bitumine*. Recte *interfuso*, nam colliquefieri debebat bitumen, χρώμενοι ἀσφάλτῳ θερμῇ, *utentes bitumine ferventi*, inquit Herodotus lib. i, cap. 179, p. 72. In Oriente enim calcis usum præbebat bitumen, et ita ferruminatos fuisse Babylonis muros, docet quoque Plinius lib. xxxv, cap. 15, quod cum in Idumææ lacu, Asphaltitide dicto, nasceretur, inde nomen traxit, magnumque proventum accolis præbuit. Quare cum Antigonus, Asiæ rex, sibi possessionem ejus vindicare vellet, magna eumdem vi ab accolis repulsum fuisse docet Diodorus Siculus lib. xix, p. 734.

23. *Media intercapedine sui citas*. Ita scripsi ex antiquo libro Cornelii Gualteri. Herodot. ita, Ἐπάνω δὲ τοῦ τείχεος παρὰ τὰ ἔσχατα, οἰκήματα μουνόκωλα ἔδειμαν, τετραμμένα ἐς ἄλληλα, τὸ μέσον δὲ τῶν οἰκημάτων ἔλιπον τεθρίππῳ περιέλασιν. Valla : *Super murum circa oras exstruxerunt diætas singularias, altrinsecus conversas, inter quas tantum intercapedinis relinquebatur, ut quadriga interagi posset*. De rebus Cyri Persarum regis excerptam historiam ex Ctesiæ Persicis edidit H. Steph. quæ cum Xenophontis narratione magis quam cum Herodoti congruit. Fabr. — Lectio, quam ex Cornelii Gualteri libro reposuit Fabricius, verissima est. Confirmat eam insignis ille codex Longobardicus, ut et Flor. tert. Reliqui omnes aberrant longius, Flor. sec., *media intercapedine sui vinctas*. Quæ quidem lectio illam videtur voluisse indicare quæ invenitur in cod. Perizon., *junctas*. Editi priores *actas*, nisi quod editio Augustana exprimat, *media intercapedine sui vicenas*, quæ lectio quoque est in quatuor mss. Lugd. Batt. et Ultr. ut et Coll. Gronov. sed expuncto *sui*. Meus codex eamdem indicare videtur, dum scribit *sui vicis*. Orosius autem *citas quadrigas* elegisse videtur, quia ad amplitudinem loci omnino facit, quod quadrigæ citato cursu prætervectæ nullum subeant periculum collisionis. Nam aliam lectionem admitti non posse docet citatus a Fabricio Herodotus, cujus verba sunt lib. i, cap. 179, p. 72, tantum intercapedinis intra domunculas ad utramque murorum oram exstructas fuisse relictum, ut quadriga circumagi posset, Τὸ μέσον δὲ τῶν οἰκημάτων ἔλιπον τεθρίππῳ περιέλασιν. Perspicue item Diodorus Siculus lib. ii, p. 96, τὸ δὲ πλάτος πλεῖον ἢ δυσὶν ἅρμασιν ἱππασίμου, *et latitudo aliquanto plus, quam duobus curribus satis esset, spatii obtineret*.

24. *Habitationis*. Ita omnes mss.; *habitationes* præferunt edd. quædam vetustæ.

25. *Mirabiles*, Lugd. Batt. sec. et quart. addunt *erant*.

26. *Et tamen*. Ed. Aug., *At tamen*.

27. *Illa prima*. Quod ultima vice hic repetitur *illa* non agnoscunt Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov. et edd. quibusdam vetustis. Florentt. omnes et reliqui retinent.

28. *Post reparationem*. Ed. Aug., *post separationem*.

29. *Mora victa*. Ridicule Ultr. et Lugd. Bat. tres, *muro victa*, quart. ex Lugd. Bat., *muro videtur*. Mox, *ac subversa est* edd. quædam ex primis. Pro *ac* Meus *et*.

30. *Sollicite*. Edd. quædam vetustæ, *sollicitusque*.

31. *Babyloniam*. Florentini tres, ut passim, *Babylonem* scribunt. Lugd. Batt. quatuor, Periz. Ultr. et Vinc. Bellov. cum Coll. Gronov., *Babylonem*. Orosius exemplo Justini et *Babylonia* et *Babylone* usus promiscue fuisse videtur.

32. *Conterritum*. Vincentius Bellovacensis in Speculo Histor. lib. iv, cap. 17, *contritum* scribit. Pro *ubi* Coll. Gronov. habet *ibi*, et Vinc. Bell. *fudit* pro *superavit*.

33. *Et vita et patrimonio*. Prius *et* delent edd. pr., Paris., Venetæ, *captumque* Meus. Mox Vinc. Bellov., *matrimonio*.

34. *Quidquid enim*, etc. Desumptum est ex Ciceron. Orat. pro Marcello cap. 4 : *Nihil enim est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas*.

35. *Et primum*. Edd. cædem *primum*, deleto hic quoque *et*.

36. *Ut veluti*, etc. Sic omnino scribi debet, non ut in omnibus editis, excepta sola Augustana, *et veluti*. Lectionem nostram confirmant quoque mss. Lugd. Batt. tert., quart. et Meus, cum Coll. Gronov.

debita posteris traderetur hæreditas, ipsis quoque eamdem tradendi formulam servaturis. Ita ad proxima adventantis Cyri tentamenta succubuit magna Babylon, et ingens Lydia;[37] amplissima Orientis cum capite suo brachia, unius prælii expeditione ceciderunt: et nostri incircumspecta anxietate causantur, si potentissimæ illæ quondam[38] Romanæ reipublicæ moles, nunc magis imbecillitate propriæ senectutis quam alienis[39] concussæ viribus contremiscunt.

CAPUT VII.

Cyrus Scythis bellum intulit, et a Tomyri regina victus et occisus est.

[1] Igitur idem Cyrus proximi temporis successu, Scythis bellum intulit: quem [2] Tomyris regina, quæ tunc genti præerat, [3] cum prohibere transitu Araxis fluminis posset, transire permisit. Primum propter fiduciam sui, dehinc propter opportunitatem ex objectu fluminis hostis inclusi. Cyrus itaque Scythiam ingressus, [4] procul a transmisso flumine **105** castrametatus, insuper astu [5] eadem instructa vino epulisque deseruit, quasi territus refugisset. Hoc comperto, regina tertiam partem copiarum et [6] filium adolescentulum ad persequendum Cyrum mittit. Barbari, veluti ad epulas invitati, [7] primum ebrietate vincuntur: mox revertente Cyro, universi cum adolescente obtruncantur. Tomyris, exercitu ac filio amisso, vel matris vel reginæ dolorem sanguine hostium diluere[8] potius, quam suis lacrymis parat. Simulat diffidentiam desperatione cladis illatæ, paulatimque[9] cedendo, superbum hostem in insidias vocat. Ibi quippe, compositis inter montes insidiis, ducenta millia Persarum cum ipso rege delevit: adjecta super omnia illius rei admiratione, quod[10] ne nuntius quidem[11] tantæ cladis superfuit. Regina caput Cyri amputari, atque[12] in utrem humano sanguine oppletum conjici jubet, non mulicbriter[13] increpitans: *Satia te,*[14] inquit, *sanguine quem sitisti, cujus per annos triginta insatiabilis perseverasti.*

106 CAPUT VIII.

Darius, rex Persarum, Scythas infestans, fugatur: Asiam, Macedoniam, et Ionas vincit. Athenienses cum vitæ suæ multorumque discrimine aggreditur.

Anno [1] ab Urbe condita CCXLV Darius, Cyro apud Scythas interfecto, post [2] aliquantum intervallum forte regnum adeptus est. Regnavit enim [3] medius eorum Cambyses Cyri filius: qui, devicta Ægypto, cunctam Ægypti religionem [4] abominatus [5] cære-

HAVERCAMPI NOTÆ.

37. *Amplissima.* Ed. Aug., *maxima.*

38. *Romanæ.* Deest in Meo et Florentinis sec. et tertio.

39. *Concussæ.* Coll. Gronov., *concessisse.*

CAP. VII.—1. *Igitur idem Cyrus.* Abest vox media ab edd. pr. Venetis et Parisina.

2. *Tomyris regina.* Græce apud Herodotum libro primo est Τόμυρις, apud Luciam in Charonte Τώμυρις. Historia describitur etiam a Justino lib. I et Valerio Max. lib. IX, c. 10. FABR. —*Thamyris* et *Tamyris* in mss. Utroque modo plerisque scribitur, ut et in Vincent. Bellov. excerptis ex petro Comestore qui sæculo undecimo floruit. Adde Notas Vossii ad Justin. lib. I, cap. 8.

3. *Cum prohibere transitu.* Sic in manuscripto libro Justini est. *Cum prohibere eos transitu Araxis fluminis posset, transire permisit*, cum vulgo aliter legatur. FABR.

4. *Procul.* Lugd. Batt. pr. et sec. et quartus cum Ultr., *haud procul*, eodem aliquando sensu, ut notum ex Virgilio Ecl. 6 versu 16:

Serta procul tantum capiti delapsa jacebant.

Ubi Servius per *prope* et *juxta* explicat. Justinus lib. I, cap. 8, *Itaque Cyrus, trajectis copiis, cum aliquantisper in Scythiam processisset, castra metatus est.* Idem tamen hic significare nequit, quoniam iter diei ab Araxe castra metatus fuit Cyrus. Herodot. lib. I, cap. 211. p. 85, κῦρος δὲ προελθὼν ἀπὸ τοῦ Ἀράξεω ἡμέρης ὁδόν. *Cyrus autem ab Araxe progressus diei iter.* Ex Lugd. Batt. tertius cum Coll. Gronov. *procul* delet. Ed. Aug. habet *castra metatus est.*

5. *Eadem.* Coll. Gronov. et Lugd. Batt. tres, *eadem castra.*

6. *Filium adolescentulum.* Hic filius ab Herodoto Σπαργαπίσης nominatur. FABR.—Idem Herodotus vino obrutum, captum a Cyro tradit, atque ubi ad sese rediisset, orasse, ut vinculis laxaretur, id ubi impetrasset, confestim semetipsum interemisse. Justinus, quem sequitur Orosius, minus operose historiam narrat lib. I, cap. 8, *Cyrus, reversus per noctem, saucios opprimit, omnesque Scythas cum reginæ filio interficit.* Mox *misit*, Lugd. Bat. sec. pro *mittit.* Ed. Aug. in sequentibus item *adolescentulo* habet.

7. *Primum.* Abest a Florentino primo. Ex Lugd. Batt. tres cum ed. Aug. et Coll. Gronov. *primo* malunt.

8. *Potius.* Præeunte codice Longob. duo reliqui mss. Florentini ita exhibent pro Vulgato *promptius.* Lectionem eamdem confirmant Lugd. Bat. sec. et quart. cum Ultr., Meo atque Perizoniano. Meus insuper *diluere* post *lacrymis* collocat; *suis* delet ed. Aug.

9. *Cedendo.* Lugd. Bat. sec. et Ultr., *decedendo.* Posterior insuper copulam *que* delet.

10. *Ne nuntius quidem.* Ed. pr. et Paris., *nec nuntius quidem.*

11. *Tantæ cladis.* Perizon., *tantæ cladi.*

12. *In utrem.* Flor. pr., *in utre.*

13. *Increpitans.* Meus, *increpans.* Virgilium imitari voluit: is Æneid. lib. I, vers. 742:

Tum Bitiæ dedit increpitans. Ille impiger hausit
Spumantem pateram.

14. *Inquit.* Abest ab edd. pr., Venetis et Paris.

CAP. VIII.—1. *Ab Urbe condita.* Lugd. Batt. pr. et quart., *post Urbem conditam.*

2. *Aliquantum.* Prima editio cum Paris. et Venetis, *aliquantulum.*

3. *Regnavit medius eorum Cambyses.* Cambyses regnavit annos septem, menses quinque. Herod. lib. III. In Ctesiæ excerptis Cambysis regno anni 18 tribuuntur. De hoc quoque Lucianus in Charonte. FABR.

4. *Abominatus.* Addit *est* ed. Aug. Mox *religiones* pro *cæremonias* Perizon.

5. *Cæremonias ac templa deorum polluit.* Ex notis veteris lib. Colon. sic conjeci legendum; vulgatum erat, *deposuit.* Sed ibi *de* in modum contractionis scriptum, suspicionem movit; et facile ex *posuit* fit *polluit*, mutatione litteræ *s* in *l.* LAUT. — Nihil mutandum censeo, nam *deposuit* Orosio est, destruxit, diruit. De Cambyse Justin. lib. I, cap. 9, *Sed offensus superstitionibus Ægyptiorum, Apis, cæterorumque deorum ædes dirui jubet.* Adde Brisson. de Verb. Sign. in *Deponere.*

monias ejus et templa deposuit. Post hunc etiam [6] Magi, sub nomine quem occiderant regis, regno [7] obrepere ausi : qui quidem mox deprehensi et oppressi **107** sunt. [8] Darius itaque, unus ex his qui Magorum audaciam ferro coercuerant, consensu omnium rex creatus est, qui, postquam Assyrios ac Babyloniam a Persarum regno deficientem, bello recuperavit, [9] Attyro, regi Scytharum, hac vel maxime causa bellum intulit quod filiæ ejus petitas sibi nuptias non obtinuisset. Magna scilicet necessitas, pro unius libidine hominis septingenta millia virorum periculo mortis exponi. Incredibili quippe apparatu cum septingentis millibus armatorum Scythiam ingressus, non facientibus hostibus justæ pugnæ potestatem, insuper repentinis incursibus extrema copiarum dilacerantibus, metuens ne sibi reditus interrupto ponte Istri fluminis negaretur, amissis octoginta millibus bellatorum, trepidus refugit, quamvis hunc amissorum numerum inter damna non [10] duxerit : et quem habendum vix quisquam ambire ausus esset, perditum ille non sensit. Inde Asiam Macedoniamque [11] aggressus perdomuit. [12] Ionas quoque navali congressione superavit. Deinde in Athenienses [13] quod Ionas adversum se auxilio [14] juvissent, impetum fecit, atque arma direxit. [15] Porro autem Athenienses, ubi adventare Darium [16] compererunt, quamvis auxilium a Lacedæmoniis poposcissent, tamen, [17] cum detineri quatriduanæ religionis **108** otio compertum haberent, spem occasione sumentes, instructis tantum [18] decem millibus civium, et Plateensibus auxiliaribus mille, adversum sexcenta millia hostium campis Marathoniis proruperunt. Miltiades ei tunc bello præfuit, qui, celeritate magis quam virtute fretus, alacri satis expeditione prius hosti cominus inhæsit, quam posset expedito sagittarum [19] jactu propulsari. Tanta in eo bello diversitas certandi fuit, ut alia ex parte viri ad occidendum parati, [20] ex alia pecudes ad moriendum præparatæ putarentur. [21] Ducenta millia Persarum **109** ad campos Marathonios ea tempestate cecide-

HAVERCAMPI NOTÆ.

6. *Magi.* Tres ex Lugd. Batt., *Magi duo.* Habet istum numerum quoque Coll. Gronov. cum editt. antiquioribus; sed neque ed. Aug. neque mss. Florentt. aut reliqui agnoscunt. Nomina Magorum fuerunt Cometes et Oropasta juxta Justinum, juxta Herodotum Patizeithes et Smerdis; septem menses regnum tenuerunt. Vide Rutgers. Var. Lect. lib. I, cap. 8, p. 22. Videtur autem Oropasta inde Smerdis fuisse dictus, quod pro Smerdi, Cambysis fratre, quem occidere jussus erat Magi ejus frater Cometes seu Patizeithes, assumpto ejus nomine, sese gereret.

7. *Obrepere.* Mendose in mss. et editis quibusdam, *obripere. Obrepere rei alicui* vel *ad aliquam rem*, est incautos decipere et falsa specie virtutis cujusdam vel juris rem aliquam consequi. Plin. lib. XXXVI, cap. 3 : *Nec potest videri Scaurus rudi et hujus mali improvidæ civitati obrepsisse quodam vitæ rudimento.* Cicero Orat. in L. Pisonem cap. 1 : *Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum : quarum simile habes nihil, præter colorem;* et Orat. pro Cn. Plancio cap. 7, *Cn. Plancium non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse cursu.*

8. *Darius itaque, unus.* De Dario Herod. lib. III, et Just. lib. I extremo. FABR.

9. *Attyro regi.* In libris veteribus, partim *Anthiro*, partim *Antyro*, legitur. In impressis Justini (nam in nostro ms. nomen regis Scytharum non invenitur), rex *Lanthinus* vocatur. Herodot. lib. IV, hoc bellum copiose describens, regem Scytharum Ἰνδάθυρσον nominat : ab aliis Σκυθάρχης nominatur. FABR.

10. *Duxerit.* Perizonian., *tulerit.* Mox *numerum* post *quisquam* repetit Lugd. Bat. tertius, ut et Coll. Gron.

11. *Aggressus.* Tres Lugd. Batt. *ingressus.* In Macedonia tum regnabat Amyntas, Alexandri Philellenis pater. Is prudenter majori cedendum ratus, poscenti aquam et terram, Persis se submisit, atque filiæ suæ nuptiis, quam Bubari, primo inter Persas viro, collocaverat, regnum et pacem retinuit. Vide Herodot. lib. V, cap. 17, 18, 19 et 94, atque Justin. lib. VII, cap. 3.

12. *Ionas navali congressione.* De hoc prælio navali quo Iones a Persis victi fuerunt, lege Herodotum lib. VI. FABR.

13. *Quod Ionas adversum se auxilio juvissent.* Hæc eadem Justinus lib. II. Plato in Menexeno, αἰτιασάμενος δὲ Δαρεῖος ἡμᾶς τε δὲ Ἐρετριέας, Σάρδεσιν ἐπιβουλεῦσαι προφασιζόμενος, etc. Plutarchus in Aristide ait, Darium hujus belli contra Athenienses causam attulisse, ὅτι Σάρδεις ἐνέπρησαν. FABR.

14. *Auxilio juvissent.* Lugd. Bat. quart., *auxilio venissent*, pr., *in auxilio venissent.* Sed superscribitur *juvissent.*

15. *Porro autem.* Posteriorem vocem addunt cod. Longob. cum tribus Lugd. Batt. et Coll. Gronov. astipulante ed. Aug.

16. *Compererunt.* Ultr. ms. *comperunt;* ed. Aug. *compererant.*

17. *Cum detineri quatriduanæ religionis otio.* Fœdum mendum hic insederat, addita voce *Persas.* Neque enim *Persæ*, sed *Lacedæmonii* quatridui religione tenebantur, ut scribit Justinus, et Herodotus lib. VI apertius his verbis, Ἦν γὰρ ἱσταμένη τοῦ μηνὸς εἰνάτη· δὲ οὐκ ἐφελεύσασθαι ἔφασαν, μὴ οὐ πλήρεος ἐόντος τοῦ κύκλου, id est, *Erat enim eo mense dies nonus lunæ, eo autem die se exercitum educturos negarunt, cum luna suum orbem nondum complesset.* Lucianus de Astrologia, de Lycurgo ait : καὶ νόμον σφίσιν ἐποιήσατο μηδαμᾶ μηδὲ ἐς πόλεμον προχωρέειν, πρὶν τὴν σεληναίην πλήρεα γενέσθαι. *Legem iis scripsit ne usquam ad bellum ante plenilunium proficiscantur.* Plato lib. III de Legibus, cur tardius Lacedæmona venerint, in causa fuisse putat bellum cum Messeniis gestum. FABR.

18. *Decem millibus civium.* In vulgatis, una Aug. ed. excepta, *armatorum civium* legitur; quod *armatorum* recte expungunt cum illa edit. mss. Florent. omnes, ex mss. Lugd. Batt. duo atque Periz. Meusque. *Auxiliatoribus* pro *auxiliaribus* habet Lugd. Bat. pr.

19. *Jactu.* Coll. Gronov. et Lugd. Bat. pr. et quart., *ictu.*

20. *Ex alia.* Periz. repetit *parte.* Pro *præparatæ*, Lugd. Bat. sec. habet *paratæ.*

21. *Ducenta millia Persarum apud campos Marathonios.* Hæc est nobilis illa in Marathone Miltiadis auspiciis reportata victoria, de qua multa passim apud omnes. FABR. — Sicuti ipsa nobilis ad Marathonem pugna fuit, sic exstare ejusdem memoriam atque æternum victoriæ præconium voluerunt Marathonii in moneta sua, cujus unicus hicce nummus in antiquaria supellectile sese mihi obtulit, nobilis ipse et memorabilis; ab altera enim parte exhibet grandem litteram M, quæ mediam nummi aream occupat, inserta per medium ex transversis ductibus frumenti spica, ad denotandam agri fertilitatem. Subscribitur infra MAPAT., quod puto vitiose fuisse lectum a

runt. [22] Sensit Darius hoc damnum : [23] nam victus fugatusque, arreptis navibus, refugit in Persas. Cum autem instauraret bellum, et ulcisci in victores moliretur, in ipso apparatu concidit, olympiade septuagesima quarta, hoc est, post Urbem conditam CCLXXV, quo tempore Romæ [24] Popillia virgo ob crimen stupri viva defossa est.

CAPUT IX.

Xerxes, rex Persarum, cum numerosissimo exercitu, a Spartanis paucis, duce Leonida, ingentem cladem accipit, astuque vincitur.

Xerxes, [1] Dario patri in regnum succedens, bellum, adversus Græciam a patre susceptum, per quinquennium instruxit : [2] quod Demaratus Lacedæmonius, qui tunc forte apud Xerxem exsulabat, per tabellas primum scriptas, deinde ceratas, suis prodidit. Igitur [3] Xerxes septingenta millia armatorum de regno, et trecenta millia [4] de auxiliis, [5] rostratas etiam naves mille ducentas, [6] onerarias autem tria millia numero habuisse narratur; ut merito inopinato exercitui immensæque classi [7] vix ad potum flumina, vix terras ad ingressum, vix maria ad cursum suffecisse memoratum sit. Huic tam incredibili temporibus nostris agmini, cujus numerum nunc difficilius est astrui, quam tunc fuit vinci, [8] Leonida, rex Spartanorum, cum quatuor millibus hominum in angustiis Thermopylarum obstitit. Xerxes autem, contemptu paucitatis objectæ, iniri pugnam, conseri manum imperat. Porro illi, quorum cognati et commanipulares in campis Marathoniis occubuerant, et certaminis simul et cladis exstitere principium. Deinde succedens sibi turba major ac segnior, cum jam, neque ad procurrendum libera, [9] neque ad pugnandum expedita, neque ad fugiendum prompta, [10] solis mortibus subrigeretur,

HAVERCAMPI NOTÆ.

Wolfg. Lazio; is enim nummum in Comment. Rer. Græcar. inserto Thes. Gron. tom. VI, p. 3419, publicavit pro MAPAΘ. i. e. MAPAΘONIΩN, *Marathoniorum*. In priore nummi parte cernitur vultur unguibus anguem, rostro lauri tenens ramum, prius avium earumdem copiam et venatum significat; posterius ad nobilem victoriam de Persis est referendum.

22. *Sensit.* Adludit ad id quod modo præcessit. *Quamvis hunc amissorum numerum*, etc., *perditum ille non sensit.*

23. *Nam victus.* Ed. Aug, *jam victus.* Sed Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *nam motus.* An scribendum *submotus fugatusque?*

24. *Popillia virgo.* Magna varietas est in hujus Vestalis nomine Quam enim Orosius hic *Popilliam*, Dionysius lib. VIII Ὼπιμίαν, Livius libr. II *Oppiam* nominat. Damnata incesti fuit, M. Fabio, L. Valerio coss. qui annus Dionysio est post Urbem conditam CCLXXI. FABR. — In mss. Lugd. Batt. sec. scribitur CCLXXXV, tert. CCLXXVI, quart. CCLXXII: Ultr. CCXXXIV.

CAP. IX. — 1. *Dario patri.* Lugd. Bat. quartus *defuncto* interserit, mox *in regno succedens*, ed. pr., Paris. et Venetæ.

2. *Quod Demaratus Lacedæmonius.* Hoc præter Justinum scribit Herodotus lib. septimo, extremo.

3. *Igitur Xerxes septingenta millia.* Herodotus scribit pedestres copias Xerxis fuisse ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μυριάδων, id est, *decies septies centena millia.* Isocrates in Panathenaico ait, Xerxem habuisse ἑβδομήκοντα μυριάδας τῶν μαχίμων, id est *bellicosorum* IↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. Diod. lib. II. ἠριθμήθησαν δὲ τῆς πεζῆς δυνάμεως μυριάδες πλείους τῶν ὀγδοήκοντα, *pedestrium copiarum supra octingenta millia numerata sunt.* FABR. — *Xerxem* tres ex Lugd. Batt. et Coll. Gronov.

4. *De auxiliis.* Vinc. Bellov. et ed. Aug., *de auxiliatoribus.* Duo autem ex Lugd. Batt. cum Col. Gron. eorumdem numerum augentes scribunt CCCC vel CCCCM.

5. *Rostratas etiam naves* MDCC. Lysias et Isocrates scribunt Xerxem in Græciam appulisse classem MDCC navium. Apud Diod. lib. II numerantur ejusdem classis νῆες σύμπασαι μακραὶ πλείους τῶν χιλίων δὲ διακοσίων, *naves omnes longæ amplius* MDCC (Juxta Græcum MCC). Sed de hac re ex Herodoto et Æschylo plura diximus in Scholiis nostris in Lysiæ Ἐπιτάφιον. FABR.

6. *Oneraria autem tria* M. Hæc sunt Diodoro τριηκόντοροι (sic) τρισχίλιαι. FABR.

7. *Vix ad potum flumina.* Notum est illud Juvenalis satir. 10 :

> ... Credimus altos
> Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
> Prandente.

FABR. — Scribendum *Leonida*, non *Leonidas*, vel *Leonides*. Nam præter omnes Orosii codd. mss. et Vinc. Bellov. sic quoque legitur in Justino, quem hic discripsit Orosius. Mox pro *obstitit* habent *obsistit* edd. pr. Paris. et Venetæ : *contempto paucitatis objectu*, ed. Aug.; ms. Flor. sec., *contemptu paucitatis interjectæ.*

8. *Leonidas, rex Spartanorum, cum quatuor millibus.* Horum trecenti Spartani fuerunt. Cicero de Finib. II, *Leonidas, rex Lacedæmoniorum, se in Thermopylis trecentosque eos, quos eduxerat Sparta, cum esset proposita aut fuga turpis, aut gloriosa mors, opposuit hostibus.* Verum de ratione pugnæ lege Herod. lib. VII, Diodorum II, Pausaniam III. FABR.

9. *Neque ad pugnandum expedita.* De acie Pompeii Lucanus lib. VII, vs. 494 :

> Vixque habitura locum, dextras ac tela movendi,
> Constiterat, gladiosque suos compressa timebat.

10 *Solis mortibus subrigeretur.* Inepte *subjacer* ed. pr.; Paris. et Venetæ, *subjicerent*, pro quo ms. Lugd. Batt. *subjiceretur*. Coll. Gronov., *subigeretur.*

triduo continuo non duorum pugna, sed cædes unius populi fuit. [11] Quarta autem die cum **111** videret Leonida undique hostem circumfundi, hortatur [12] auxiliares socios, ut subtrahentes se pugnæ, in cacumen montis evadant, ac se ad meliora tempora reservent : sibi vero cum Spartanis suis aliam sortem esse subeundam : plus se patriæ [13] debere quam vitæ. Dimissis sociis, Spartanos admonet, de gloria plurimum, de vita nihil sperandum : neque exspectandum, vel hostem, vel diem, sed occasione noctis perrumpenda castra, [14] commiscenda arma, [15] conturbanda agmina [16] fore. Nusquam victores honestius, quam in castris hostium [17] perituros. Persuasi igitur mori malle, in ultionem futuræ mortis armantur, tamquam ipsi interitum suum [18] et exigerent et vindicarent. Mirum dictu, [19] sexcenti viri castra sexcentorum millium irrumpunt. Tumultus totis castris oritur. Persæ quoque ipsi Spartanos adjuvant [20] mutuis cædibus suis. Spartani, quærentes regem, nec invenientes : cædunt sternuntque omnia, castra pervagantur universa, et inter densas strues corporum raros homines vix sequuntur. [21] Victores sine dubio, nisi mori elegissent. Prælium a principio noctis in majorem diei partem tractum : ad postremum vincendo fatigati, ubi quisque eorum, deficientibus membris, visus est sibi mortis suæ ultione satiatus, ibi inter impedimenta cadaverum, **112** [22] campumque crasso et semigelato sanguine palpitantem, [23] lapsus et mortuus est.

CAPUT X.

Xerxem Themistocles, dux Atheniensium, bello excepit. Dein, cum Ionas ab eo alienasset, fugat.

Xerxes, bis victus in terra, [1] navale prælium parat. Sed Themistocles, dux Atheniensium, cum intellexisset Ionas (quibus dum auxilium superiore bello præbet, in se Persarum impetum verterat) in auxilium Xerxis instructam classem deducere, sollicitare eos parti suæ, [2] hostique subtrahere statuit. Et, quia colloquendi facultas negabatur, locis, [3] quibus Iones accessuri navibus videbantur, [4] proponi symbolos, [5] saxisque affigi jubet, socios quondam et participes periculorum, [6] nunc autem injuste agentes, apta increpatione corripiens, atque ad antiquorum **113** jura fœderum religiosa adhortatione persuadens : præcipueque admonens, uti commisso prælio cedentium vice inhibeant remos, [7] seseque bello auferant. Igitur rex, partem navium sibi deti-

HAVERCAMPI NOTÆ.

Sensus enim est, ita conferta stetisse hostium agmina, ut condensata occisorum corpora locum cadendi in terram non habuerint, sed steterint sibi invicem innixa, nullo vitali motu adjuta.

11. *Quarta*. Vulgati plures, *quarto*. Sed *quarta* habet Justinus cum Vinc. Bell. edd. et mss. quibusdam Orosii. Pro *hostem* Vincentius scribit *hostes*.

12. *Auxiliares socios*. Ed. Aug., Coll. Gronov. et mss. Lugd. Batt. pr., tert., quart., *auxiliatores socios*, sec., *auxiliarios socios*. Perizon., *auxiliares socios suos*. Justinus simpliciter *socios* habet. Mox *evaderent* et *conservarent* Lugd. Batt. pr., tert. quart., cum Coll. Gronov.

13. *Debere*. Lugd. Batt. pr. et quart., *parcere*, sed in pr. superscribitur *parere* : in Coll. Gronov. utrumque sic exstat *debere parcere*.

14. *Commiscenda*. Cod. Longob., *conniscenda*. Coll. Gronov., *permiscenda*.

15. *Conturbanda agmina fore*. Quod, *fore*, hic in *esse*, mutarunt, id equidem a Vallensibus factum credo, quasi vero optimi scriptores ita non sint locuti, atque adeo parens linguæ Latinæ, M. Tullius, non dixerit : *Quasi divinarem fore mihi aliquando expetendum studium tuum*, etc. FABR.

16. *Fore*. Sic reposuit Bolsuinge cum Fabricio et Scotto, consentientibus mss. omnibus et ed. Aug., nam *esse* habent reliquæ.

17. *Perituros*. Lugd. Batt. tres cum Meo et Perizon., *esse perituros*, quod languidum neque a Justino, quem sequitur Orosius, profectum.

18. *Et exigerent*. Delent *et* ed. Aug. et mss. duo Lugd. Batt. Mox *exoritur* pro *oritur* Lugd. Batt. pr. et *ipsos* pro *ipsi* Lugd. Bat. sec. et Ultr.

19. *Sexcenti viri castra*. Verba sunt Justini. Diod. scribit Leonidam secum habuisse, οὐ πλείους τῶν πενταχοσίων, id est, *non amplius quingentos*. FABR.

20. *Mutuis cædibus suis*. Lugd. Bat. sec., Ultr. et Coll. Gronov., *mutuis in se cædibus suis*.

21. *Victores sine dubio*. In vulgatis libris additur, *non essent*, quod in nullis manuscriptis invenio. FABR.

22. *Campumque crasso*, etc. Ed. pr. Paris. et Venetæ, *campumque crassum et semigelatum sanguine palpitando lapsus et mortuus est*. Lugd. Batt. pr., tert., quart., *campum quoque crasso*, etc.

23. *Lapsus et mortuus est*. Lugd. Batt. sec. et quart., *lapsusque et mortuus est*. Verum omnes editi, exceptis pr., Venetis et Paris., exhibent *lassus, lapsus et mortuus est*. Omnesque libri mss., exceptis Lugd. Bat. secundo, Meo atque Coll. Gronov., eodem modo scribunt. Prorsus inepte, *lassus* enim ex varia lectione verbi *lapsus* primo formatum, deinde utroque verbo, pro more, in mss. posito, ascitum fuit.

CAP. X.— 1. *Navale prælium parat*. De prælio navali, quod hoc capite describitur, consule Herodotum libro octavo, Æschylum Πέρσαις, Diodor. undecimo, Plutarch. in Themistocle, et alios. FABR.

2. *Hostique*. Lugd. Bat. tert. cum ed. Aug. et Coll. Gronov., *Hostibusque*.

3. *Quibus*. Edd. nonnullæ, *ad quæ*.

4. *Proponi symbolos*. *Symbolos* non *symbola* libri veteres, quomodo est etiam in impressis Justini libris. Plautus Bacch.: *Eo præsente homini extemplo ostendit symbolum, quem tute dederas ad eum*. Apud Herod. de Themistocle est, ἐντάμνων ἐν τοῖσι λίθοισι γράμματα, etc. Plutarchus, Ἐνεχάραττε κατὰ τῶν λίθων ἐπιφανῆ γράμματα τοὺς μὲν εὑρίσκων ἀπὸ τύχης τοὺς δὲ αὐτὸς ἱστὰς περὶ τὰ ναύλοχα δὲ τὰς ὑδρείας, i. e. *litteras perspicuas lapidib. insculpebat, quorum alios casu offendebat, alios ipse ad stationes et aquationes collocabat*. FABR.

5. *Saxisque*. Lugd. Batt. pr. et quart., *proponi symbolos funiculis, saxisque*, etc.

6. *Nunc autem injuste agentes*. Sic Herod. ἄνδρες Ἴωνες, οὐ ποιέετε δίκαια, *Iones, injuste agitis*. Verum in nostris manuscriptis est, *injuste desides*. FABR. — Sic quoque præter ed. Aug. tres Florentini, unus ex Lugd. Batt. videlicet sec. (quart. *insistentes scribit*) Periz., Meus atque Ultr. habent. Ex increpatione tamen, quæ apud Justinum invenitur, patet non *injuste desides*, sed *injuste agentes* scribendum esse; eamque lectionem servant Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov. et plerisque editis.

7. *Seseque*. Copulam *que* non agnoscit Meus. Mox ed. Aug. legit, *Xerxes igitur rex*. Mss. aliquot delent *rex*, et pro *spectator* habent *exspectator* aliqui ex mss., sicut aliquanto post *exspectaretur* pro *spectaretur*, familiari errore.

nens, spectator pugnæ in littore manet. Contra autem [8] Artemidora, regina Alicarnassi, quæ in auxilium [9] Xerxi venerat, inter primos duces acerrime bello immiscetur, ita ut versa vice in viro feminea cautela, in femina virilis audacia spectaretur. Cum autem anceps pugna esset, Iones, juxta præceptum Themistoclis, paulatim se certamini subtrahere [10] cœperunt: quorum defectio Persas, jam fugam circumspicientes, aperte fugere persuasit. In qua trepidatione multæ naves mersæ captæque sunt; plures tamen sævitiam regis, [11] velut immanitatem hostis timentes, [12] domum dilabuntur. Anxium tot malis regem Mardonius aggreditur, suadens, [13] regem in regnum redire oportere, priusquam [14] adversa fama novas res domi moliretur. Se autem, si residuæ sibi copiæ traderentur, et ultionem ab hoste exacturum, et ignominiam domesticam propulsaturum; aut, si adversa belli [15] perseverassent, cessurum se quidem hosti, sed tamen sine regis infamia. Probato consilio, exercitus Mardonio traditur. Rex Abydum, ubi pontem veluti victor maris conseruerat, cum paucis proficiscitur. Sed cum pontem hibernis tempestatibus dissolutum offendisset, **114** piscatoria scapha trepidus transit. Erat sane quod spectare humanum genus et dolere [16] debuerit, mutationes rerum hac vel maxime varietate permetiens, exiguo contentum latere navigio, sub quo [17] ipsum pelagus ante latuisset, [18] et jugum captivitatis suæ, vinctum ponte, portasset; [19] vilissimo unius servuli egere ministerio, cujus potentiæ, dum montes exciduntur, valles replentur, amnes exhauriuntur, ipsa etiam rerum natura [20] cessisset. Pedestres quoque copiæ, quæ ducibus commissæ fuerant, labore, fame, [21] ac metu distabuerunt, et, crudescente morbo, tanta pestis, tantaque fœditas morientium exorta est, ut viæ cadaveribus replerentur: diræ etiam alites atque improbæ bestiæ, escarum illecebris sollicitatæ, [22] moribundum sequerentur exercitum.

115 CAPUT XI.

Mardonius, Xerxis præfectus, dum reliqua belli exsequitur, copiis amissis, aufugit. Xerxes, dum a suis ut infortunatus contemnitur, occiditur.

At vero Mardonius, cui reliqua belli Xerxes commiserat, adflatus primum successu brevi, mox in extrema dejectus est. [1] Olynthum **116** siquidem,

HAVERCAMPI NOTÆ.

8. *Artemidora, regina Alicarnassi.* *Artemidoræ* nomen, quod in omnibus libris inveni, reliqui. Cæterum non so'um Herodot. verum etiam Justin. et Paus. in Laconicis hanc reginam *Artemisiam* nominat. Meminit et Plut. Ἀρτεμισίας in Themist. FABR.

9. *Xerxi venerat.* *Xerxis venerat* Ed. Aug. et ms. Flor. sec.

10. *Cœperunt.* Ed. Aug. *ceperant.*

11. *Velut immanitatem.* Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov. exhibet *cum.* Forsitan non de nihilo, ut Orosius olim scripserit, *plures tamen sævitiam regis quam immanitatem hostis timentes*, subintellecto *magis.*

12. *Domum dilabuntur.* Ita ex Justino videtur scripsisse Orosius, et exhibent vetustæ editiones omnes. *Domos* ex mss. pluribus (qui sic habent) reposuerunt Fabricius et Scottus. Lugd. Bat. primus tamen, *domum dilabebantur.*

13. *Regem in regnum.* Meus, *eum in regnum.*

14. *Adversa.* Editiones Fabricii et Scotti *aversa* ex mendo, ut videtur, occupavit.

15. *Perseverassent.* Perizon., *perseverarent.*

16. *Debuerit.* Ita scribendum est cum mss. optimis, tribus Florentinis, Perizon. Meoque. In editis *debuerat.* Mox *maxima varietate* edd. quædam et mss.

17. *Ipsum pelagus ante.* Lugd. Batt. pr. et tert. atque Coll. Gronov. *prius ipsum pelagus.*

18. *Juncto ponte portasset.* Ita scripsimus ex libro Cor. Gualtheri: quam veram esse lectionem alii quoque suspicati sunt. *Vinctum ponte, portasset* Andr. Papius. FABR. — *Et jugum captivitatis suæ, vinctum ponte*, etc. Hæc ab ingenio sunt Andreæ Papii, qui in *Dionysii Orbe* vertendo et castigando tam feliciter versatus est. Editi et scripti partim, *Vincto ponto*, item: *Victo Ponto*; partim *juncto.* Cassæ glandes. LAUT. — In mss. has inveni lectiones, in Perizon., *victo ponto.* Lugd. Batt. pr., sec., quarto et Ultr., Coll. Gronov., *vecto ponte*; in Florent. pr. et sec. ut et Meo, *vincto ponte.* At in Flor. tertio, atque Lugd. Bat. tert. ut et ed. Aug., *juncto ponte.* Ferri hæc lectio, quam amplexi sunt Fabr. et Scottus, potest, at ingeniosior est Papii, quam si scivisset Lautius confirmari editionibus Venetis, Parisiensi, atque prima omnium illa, quam curavit sine loci annique indicio Æneas Vulpes Vicentinus, id haud reticuisset.

19. *Vilissimo.* Tres Lugd. Batt., Meus atque Perizon. cum Coll. Gronov., *et vilissimo.* Pro *servuli* eadem Coll. cum Lugd. Batt. pr. et tertio, *servi*, ut et *potentia* pro *potentiæ*, cum iisdem insuper habent Lugd. Bat. quart. et ed. Aug.

20. *Cessisset.* Ed. Aug., *cessit.*

21. *Ac metu ita distabuerunt.* Ed. princeps cum Venetis et Paris., *ac metu tabuerunt.*

22. *Moribundum sequerentur exercitum.* Lucan. lib. VII. vs. 831,

> Jamque diu volucres, civilia castra secutæ,
> Conveniunt.

Justinus lib. II, cap. 13: *Tantaque fœditas morientium fuit, ut viæ cadaveribus implerentur, alitesque et bestiæ, escæ illecebris sollicitatæ, exercitum sequerentur.* Vulturum hanc naturam notat Ælianus lib. II de Animal. cap. 46: Καὶ μέντοι καὶ ταῖς στρατιαῖς ἕπονται γῦπες, καὶ μάλα μαντικῶς ὅτι γε εἰς πόλεμον χωροῦσιν εἰδότες, καὶ ὅτι μάχη πάσα ἐργάζεται νεκρούς καὶ τοῦτο ἐγνωκότες. *Expeditos in bellum exercitus, præsentione quadam, sequuntur vultures, plane scientes, et quod ad bellum proficiscuntur, et quod omnis pugna strages edere solet.*

CAP. XI. — 1. *Olynthum.* De Olyntho Stephanus Byzantinus, Ὄλυνθος, πόλις Θράκης, πρὸς τῇ Σιθωνίᾳ τῆς Μακεδονίας. *Olynthus, urbs Thraciæ, prope Sithoniam Macedoniæ.* Sita autem fuit in regione Chalcidica prope montem Atho, unde Ὄλυνθον Χαλκιδικὴν vocat Thucydides lib. IV, p. 283, et Chalcidenses eamdem, etiam post hunc casum, quem Persico bello perpessi sunt, obtinuisse scribit Herodotus lib. VIII, cap. 127. Desciverant autem Olynthii, vel de defectione deliberabant, cum a Persis oppressi fuerunt, ut ibidem cap. præced. narrat Herodotus; qui lib. VII, cap. 122, fecisse cum Persis innuit, quando Persas naves et commilitium narrat sumpsisse ex Torone, Galepso, Sermyla, Mecyberna atque Olyntho, quæ regio, ejus temporibus, ut addit, Sithonia nuncupabatur. Fuerat jam ante a Philippo Macedone, Amynthæ filio, excisa Olynthus, post grave bellum, quod libera et potens civitas cum

Græciæ oppidum, [1] expugnavit. Athenienses varia [3] sollicitatione adducere in spem pacis [4] aggressus, ubi inexpugnabilem eorum libertatem videt, [5] incensa urbis parte, in Bœotiam omnem belli apparatum [6] deducit. Illuc quoque eum centum millia Græcorum insecuta sunt, et, commisso sine mora prælio, [7] Mardonium, deletis copiis ipsius, [8] velut e naufragio nudum, cum paucis fugere compulerunt : castra [9] regiis opibus referta ceperunt, non parvo quidem antiquæ industriæ damno. Nam post [10] hujus prædæ divisionem, aurum Persicum prima [11] Græciæ virtutis corruptio fuit. Urget igitur [12] inceptus miseros extrema perditio. Nam forte potentissimo illo rege gesserat. Quo tempore, et a quibus restituta fuerit, non invenio, Persæ non destruxerunt, sed, cæsis incolis, novos introduxerunt. Unde supersunt hodie etiamnum nobilissimæ istius urbis nummi, atque ex duobus sequentibus unum

A eodem die, quo in Bœotia Mardonii copiæ deletæ sunt, pars Persici exercitus in Asia [13] sub monte Mycale navali prælio dimicabat. Ibi novus repente rumor **117** utriusque classis et populi implevit [14] aures, Mardonii exstinctas copias Græcos exstitisse victores. Mira divini judicii ordinatio, in Bœotia, oriente sole, bellum fuisse commissum, [15] in Asia, meridianis horis sub eodem die, tantis spatiis maris terræque interjacentibus, nuntiatum! [16] cui rumori vel maxime astipulatum est, quod Persas, audita clades sociorum; primum dolore, dehinc desperatione correptos, nec bello expeditos, nec fugæ habiles reddidit. Atque ita consternatos profligatosque, con-

argenteum servat Gaza Fridericiana, Dianæ et Jovis cultu conspicuum, et propter scripturam ΟΛΟΝΤΙΩΝ notabilem. Alterum æreum suppeditat Goltzius B communione et concordia Toroneorum atque Olynthiorum (erant autem urbes vicinæ), insignem.



HAVERCAMPI NOTÆ.

2. *Expugnavit*. Sequitur Orosius Justinum. Herodotus autem lib. VIII scribit, Olynthum non a Mardonio sed altero præfecto Artabazo expugnatam esse. FABR.

3. *Varia sollicitatione*. Lugd. Bat. p., *vana*. Sed pluribus modis constantiam Atheniensium frustra tentavit Mardonius.

4. *Aggressus*. Lugd. Batt. omnes cum Perizon., Ultr. et Coll. Gronov. atque primis aliquot edd. addunt *est*. Mox *vidit* pro *videt* ed. Aug.

5. *Incensa urbis parte*. Partem illam intelligit, quam Athenienses jam reædificare cœperant, auctore Justino. Herodotus et Diodorus scribunt, Mardonium, incensis Athenis, evertisse quidquid murorum ædiumque tam sacrarum quam profanarum reliquum erat. FABR.

6. *Deducit*. Perizonianus codex, *ducit*. Edd. quædam vett., *in omnem Bœotiam* pro *in Bœotiam omnem*.

7. *Mardonium deletis copiis ipsius*, etc. Vereor equidem ne Justinus, in sua Epitoma deceptus, cum ea quæ Artabazo tribuenda erant, ad Mardonium retulerit, Orosium quoque in errorem induxerit. Nam Artabazum aufugisse, Mardonium in pugna ad Platæas cecidisse, Herodotus, Diodorus, Plutarchus, aliique omnes scribunt. Pausanias lib. I ait, Mardo- D nium a Spartano milite interfectum fuisse. Interfectorem Herodotus lib. IX, Ἀδείμαντον, Plutarchus in Aristide Ἀρόμνηστον nominat. Verum ab his dissentit Ctesias, qui Mardonium accepto vulnere fugisse tradit, ac deinde a Xerxe missum ad spoliandum Apollinis templum magna vi grandinis oppressum interiisse. Eum igitur Justinus et Orosius sequuntur. FABR.

8. *Velut e naufragio*. Tres Lugd. Bat. cum Coll. Gronov., *veluti de naufragio*.

9. *Regiis*. Tres Lugd. Batt., *reges*.

10. *Hujus prædæ*. Sic reposui ex cod. Longobardico, astipulantibus septem aliis mss. Vulgati *istius prædæ*.

11. *Græciæ virtutis*. Defendunt hanc lectionem cum ed. principe, iisque quæ illam secutæ sunt, atque Aug. tres codd. Florentini et tres item Lugd. Batt. cum Ultr. et Coll. Gronov. atque Vinc. Bellovacense. *Græcæ virtutis* malunt mss. Lugd. Bat. sec., Perizon. et Meus cum edit. Hittorp. et Bolsuing.

12. *Inceptus*. Ed. Aug. et ms. Flor. tert. mendose, *inceptos;* sicuti mox prima et illam secutæ, *quo* C *in Bœotiam Mardonii copiæ delatæ sunt*. Atque dein *sub mœnibus Michales*.

13. *Sub monte Mycale*. Ἐν Μυκάλῃ τῆς Ἰωνίης, est apud Herodotum libro ultimo, ubi historia pluribus describitur, sicut et apud Diodorum libro undecimo. Lege præterea Thucydidem libro primo. FABR.

14. *Aures*. Glossam *audientes* addunt Lugd. Batt. pr., tert. et quart. cum Coll. Gronov.; *opes* pro *copias* Lugd. Batt. pr.

15. *In Asia, meridianis horis*. Herodotus. Τὸ μὲν ἐν Πλαταιῆσι πρωΐ ἔτι τῆς ἡμέρης ἐγίνετο, τὸ δὲ ἐν Μυκάλῃ, περὶ δείλην, id est *Res ad Platæas matutino tempore gesta est, ad Mycalen vespertino*. Orosius Justinum sequitur. FABR.

16. *Cui rumori vel maxime astipulatum est*. Sic exhibent edd. princeps, Paris., Venetæ, Hittorp. et Bolsuing. At Augustana, *Qui rumor ei rei vel maxime astipulatus est*. Quod receperunt Fabricius et Scottus, atque plures ex mss. confirmare videntur; *ei* D tamen delet Meus, et in Florr. primo et tert. est *qui rumore vel maxime rei astipulatus est;* in sec. *rus* (sic) *more*, etc.; ut in pr. Si vulgatam velimus amplecti, sensus est, qui rumor ei rei, id est, divini judici ordinationi, astipulatus est. Verum ego malui veterem reducere lectionem, quia videtur magis commode fluere oratio, præsertim si pro *clade* (prouti omnes exhibent) scribamus *clades*, quod omnino videtur poscere sensus, atque miror alicui in mentem non venisse. Nisi enim hanc admittamus emendationem, nullum verbum, nulla vox in iis quæ præcedunt occurrit, cui conveniant quæ sequuntur, *nec bello expeditos*, etc., *reddidit*. Id enim fecit *audita clades sociorum*, pro quo melius potuerat scribere Orosius *suorum;* nam Persæ fuerunt, qui in Græcia perierunt, sicuti et hic Persæ, qui certamine navali victi fuerunt.

stantior factus hostis successu felicitatis, invasit. A Xerxes bello in Græcia infeliciter gesto, contemptibilis suis factus, [17] per Artabanum, præfectum suum, in regia circumventus, occiditur. O tempora [18] desiderio et recordatione dignissima! O dies illos inoffensæ serenitatis, qui nobis [19] veluti e tenebris respiciendi proponuntur, quibus, brevissimo intervallo, de visceribus unius regni decies novies centena millia virorum, tribus proximis regibus, tria bella rapuerunt: ut taceam de infelicissima tunc Græcia, quæ totum hunc, [20] de quo **118** nunc hebescimus, numerum moriendo superavit. Leonida, ille clarissimus Lacedæmoniorum, in bello isto adversus Xerxem, quod supremum ipsi atque hostibus fuit, cum [21] sexcentis suis famosissima illa incitamenta dixisset: [22] *Prandete, tamquam apud inferos cœnaturi*, auxiliaribus tamen, quos excedere bello jubebat, misericorditer suasit, ut se ad meliora tempora reservarent. Ecce [23] cum ille promisit [24] futura meliora, isti asserunt meliora præterita, quid aliud colligi datur, utroque in suis detestante præsentia, nisi aut semper bona esse, sed ingrata, [25] aut numquam omnino meliora?

CAPUT XII.

Roma gravi pestilentia, bellis intermissis, divexata.

De bello exsulum et fugitivorum, item Æquorum et Volscorum.

At Romæ, ut ad id tempus redeam unde digressus sum (neque enim intervallo miseriarum ad alios transire compellor, sed, [1] sicut se quondam effervescentia ubique mala ipsis actibus colligarunt, ita etiam permixta [2] referantur: nobis quippe conferre inter se tempora **119** orbis, non cujusquam partis ejus laboribus insultare propositum est): Romæ ergo, post Urbem conditam [3] anno ccxc suspenso ad modicum bello, gravis pestilentia, quæ semper ibi raras inducias aut factas intercepit, aut ut fierent coegit, per universam civitatem violenter incanduit, ut merito [4] præcedente prodigio cœlum ardere visum sit, quando caput gentium tanto morborum igne flagravit. Nam eo anno Æbutium et Servilium, ambos consules, pestilentia B [5] consumpsit, militares copias plurima ex parte confecit; multos nobiles, præcipueque plebem fœda tabe delevit: [6] quamvis etiam superiore quarto anno oborta jam lues, eumdem populum depopulata sit. [7] Proximo dehinc anno cives exsules, servique fugitivi, duce Herdonio, viro Sabino, invaserunt, [8] incenderuntque Capitolium: ubi fortissime quidem, Valerio consule et imperatore, obstitere juniores: sed adeo atrox et grave discrimen prælii fuit, ut ipse quoque consul Valerius ibi fuerit occisus, et in-

HAVERCAMPI NOTÆ.

17. *Per Artabanum.* Artabanus Xerxem interfecit anno ante olympiadem septuagesimam nonam, ut scribit Diodorus. FABR.

18. *Desiderio et recordatione.* Ed. Aug. *desiderata* C *et memoria dignissima.*

19. *Veluti e tenebris.* Lugd. Batt. pr., tert., quart. et Coll. Gronov. legunt, *O dies illos inoffensæ virtutis, qui nobis, veluti serenitates, e tenebris respiciendi proponuntur.*

20. *De quo nunc hebescimus*, Ed. Aug., *de quo nunc erubescimus, numerum.* Quæ lectio contemnenda non videtur. Pudet, inquit, querulos de nostris temporibus, fateri illius temporis miserias et pereuntium innumerabilem multitudinem. Si *hebescimus* placet, accipi debet pro stupemus.

21. *Sexcentis suis.* Deest posterior vox in Venetis, Paris. et prima ed.

22. *Prandete, tamquam apud inferos.* Hoc apophthegma refertur a Plutarcho et M. Tullio lib. I Tusc. FABR. — Subjungunt *inquit* post *prandete* Lugd. Batt. quatuor et Coll. Gron. Mox *auxiliatoribus* pro *auxiliaribus* iterum mss. aliquot et editi.

23. *Cum ille promisit.* Cod. Perizon., *iste.* Ultr., D *promiserit.*

24. *Futura meliora*, etc. Pro *isti asserunt* edd. prima, Paris. et Venetæ habent *istique asserunt.* At Lugd. Batt. aliquot cum Coll. Gronov. sic locum constituunt, *Ecce, cum ille promisit futura meliora tempora, isti asserunt meliora præterita et majora.*

25. *Aut numquam omnino meliora.* Contra omnes libros mss. quos decem numero consului, contra Coll. quoque Gronovianam et cod. seu ed. Augustanam editi hic *futura* inculcarunt, legentes, *aut numquam omnino futura meliora.*

CAP. XII.—1. *Sicut se quondam effervescentia.* Cod. Long., *sicuti.* Meus delet *se.* Lugd. Bat. pr. cum quarto et Coll. Gronov. primam syllabam in *effervescentia.* Pro *ipsis* habet *ipsa* ed. Aug.

2. *Referantur*, Cogitabam scribendum *referentur*, antequam consulens meum cod. ibi *referantur* scriptum inveni. Vulgati *referuntur*, ut et mss. aliqui.

3. *Anno* ccxc. Sic recte hic numerus descriptus est in manuscriptis, cum vulgo mendose sit impressum, CCLX. Nam etiam in antiquis Fastis Romanis, annus, quo P. Servilius Priscus et L. Æbutius Elua coss. fuerunt, post Urbem conditam ccxc numeratur. De gravissima hac peste Livius libro tertio et Dionysius libro nono, ubi scribit eam cœpisse ad K. Septembr. ac toto illo anno durasse. FABR.— Mendosus ille numerus in omnibus edd. ante Fabricianas invenitur; neque discrepant, nisi quod Aug. numerum uno anno augeat. In tribus Florentinis verus numerus sic exprimitur, CCmo *nongmo* in cod. Longob. seu primo, *ducentesimo nonagesimo* in duobus reliquis, numerumque hunc mss. omnes servant. Errorem librariorum castigavit dudum Pighius in Annal. tom I, p. 123.

4. *Præcedente prodigio.* In ed. Aug. additur *vel signo.* Id cum in aliis cod. degenerasset in *regno*, pr. et quart. Lugd. Bat. cum Coll. Gronov. utrumque expresserunt *præcedente regno, præcedente prodigio.*

5. *Consumpsit.* Cod. Perizon., *absumpsit.*

6. *Quamvis etiam.* Unus ex Lugd. Batt. cum Ultr., *quamvis jam etiam.*

7. *Proximo dehinc anno.* Appianus Herdonius Capitolium occupavit P. Valerio Poplicola, C. Claudio coss. anno CCXCIII. Historia est apud Livium et Dionysium libro decimo. FABR. — In omnibus mss. *Herbonio* vel *Erbonio* scribitur.

8. *Incenderuntque Capitolium.* Capitolium hoc tempore conflagrasse nemo tradit: quare puto contra fidem etiam librorum, legendum, *inscenderunt.* FABR. — In margine cod. Longob., *Herbonius vir Sabinus, cum servis incendit Capitolium, et Valerium occidit consulem.* Ex capitolio, quod occupaverant, dejecti fuerunt a Valerio, qui ibidem pugnans cecidit. Adde, præter alios, Augustinum de Civitate Dei lib. III, cap. 17.

dignam de servis victoriam insuper etiam sua morte fœdaverit. [9] Sequitur annus, in quo cum victo exercitu consul obsessus est. Nam Minucium consulem, congressum prælio, Æqui Volscique superarunt: et fugientem, [10] in Algido fame ferroque cinxerunt: actumque infeliciter **120** foret, ni Quinctius Cincinnatus, præcipuus ille dictator, [11] arctam obsidionem oppresso hoste solvisset: qui repertus [12] ruri, ab aratro arcessitus [13] ad fasces, sumpto honore, instructoque exercitu, mox victor effectus, [14] jugum boum [15] Æquis imposuit, victoriamque quasi stivam tenens, subjugatos hostes [16] præ se primus egit.

CAPUT XIII.

Fames et pestilentia Romæ. Potestas consulum in decemviros translata, perniciosa reipublicæ. Crebri in Italia terræmotus. Fidenatium bellum.

[1] Anno, qui proximus trecentesimo ab Urbe condita fuit, dum legati ad Athenienses propter Solonis leges [2] deferendas missi exspectantur, arma Romana fames pestilentiaque compescuit. [3] Ipso autem trecentesimo anno, hoc est, [4] olympiade nonagesima quinta, potestas **121** consulum decemviris tradita, constituendarum legum Atticarum gratia magnam perniciem Reip. invexit: nam primus ex decemviris, cedentibus cæteris, solus Appius Claudius sibi continuavit imperium: statimque aliorum conjuratio subsecuta est, ut, more contempto, quo insigne imperii penes unum, potestas autem communis erat, omnes omnia propriis libidinibus agitarent. Itaque inter cætera, quæ insolentissime cuncti præsumebant, repente singuli cum duodenis fascibus cæterisque [5] imperii insignibus processerunt: et, novo improbæ ordinationis incepto, [6] ablegata religione consulum, emicuit agmen tyrannorum, duabus tabulis legum ad decem priores additis, agentes insolentissimo fastu [7] plurima, die, quo deponere magistratus mos erat, cum iisdem insignibus processerunt. [8] Maxima etiam [9] Appii Claudii libido auxit invidiam, qui, ut Virginiæ virgini stuprum inferret, prius servitutis causam intulit; quamobrem [10] adactus Virginius pater dolore libertatis, et pudore dedecoris, protractam ad servitutem filiam, in conspectu populi [11] pius parricida prostravit: qua

HAVERCAMPI NOTÆ.

9. *Sequitur annus.* Is annus consules habuit L. Minucium et C. Nautium. De Quinctio Cincinnato plena sunt omnia monumenta. FABR.

10. *In Algido.* Venetæ edd. cum prima et Parisiensi, *in Algidum.*

11. *Arctam obsidionem.* Vulgati *arctatam*; at recte edd. pr. Paris. et Venetæ *arctam*, idemque voluerunt codd. Lugd. Batt. pr. et tert. scribentes cum Coll. Gron. *ortam.*

12. *Ruri.* Poscit id Latinitas, sed mss. omnes, *in rure*, forte scripsit *repertus rure.*

13. *Ad fasces.* Edd. quædam vett. *ad imperii fasces.*

14. *Jugum boum*, etc. Hunc locum Diaconus Eutropianæ historiæ inseruit. FABR.

15. *Æquis.* Deest in Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. Intolerabili vero errore in omnibus, nulla exceptа, editionibus legitur *equis.*

16. *Præ se primus egit.* Edd. quædam primæ, *per se egit primus.* August., *præ se missos primus egit.*

CAP. XIII. — 1. *Anno qui proximus trecentesimo.* Annum ab Urbe condita CCXCIX intelligit, coss. Sp. Tarpeio, et A. Aterio, quibus legatos in Græciam missos fuisse præter Livium et Dionysium Cassiodorus scribit.

2. *Deferendas.* Flor. pr., *transferendas.* Pro *compescuit* Lugd. Bat. pr., *consumpsit.*

3. *Ipso autem tricesimo.* Consulare imperium ad decemviros translatum esse anno ab Urbe condita CCC altero, Livius et Eutropius scribunt, CCCII auctores Fastorum Romani. Eusebius et Solinus. FABR.

4. *Olympiade* XCV. Varietatem numeri ab aliis notatam reliqui. In duobus manuscriptis XCV inveni, in tertio XXC. Cum Orosius Eusebium in hac re fere auctorem sequatur, qui decemvirum creationem confert in olympiadem XXCII: vide num ita hic quoque scribendum sit. Dionysio decemviri creati sunt olympiadis XXCCII anno secundo. Diodorus libro duodecimo: olympiade octogesima quarta. FABR.

5. *Imperii insignibus.* Ed. Aug. et mss. ad unum omnes, *imperatoriis insignibus*, quod etiam in Vincentio Bellovacensi invenitur.

6. *Ablegata religione consulum.* Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov., *obligata* scribunt. Ed. Aug., *obligataque*, Meus, *abnegata.* Sed Vincentius Bellovacensis in Speculo suo *oblitterata* exhibet.

7. *Plurima.* Ex compendio scribendi error natus in Lugd. Bat. quarto et apud Vinc. Bellov. apud quos *prima* (in ed. Aug. *primo*) scribitur, ut cum sequenti *die* conjungatur.

8. *Maxima*, etc. *Maximam* tres Florentini, duo Lugd. Batt., Perizon., Coll. Gronov. et Vinc. Bellov. scribunt. *Maximam* quoque exhibet ed. Aug. quasi *maximam invidiam* vocaret Orosius, quod perpetuum facerent magistratum qui erat annuus, et illum pro voluntate sua administrarent. Ego puto rescribendum esse *maxime.* Vulgati *maxima* cum *libidine* conjungunt.

9. *Appii Claudii libido.* Nota res est ex Dionysii libro undecimo, Diodori duodecimo, Livii tertio, Eutropii primo. FABR.

10. *Adactus Virginius pater.* Legitur et *adductus.* Cicero libro secundo De Finibus: *L. Virginius, sexagesimo anno post libertatem receptam, Virginiam filiam sua manu occidit, potius quam ea Appii Claudii libidini, qui tum erat summo in imperio, dederetur.* FABR.

11. *Pius parricida.* Locutio similis apud Ovidium in Ibi. vs. 311:

> Aut pia, te cæso, dicatur adultera, sicut
> Qua cecidit Leucon vindice, dicta pia est.

Ad cujus loci intellectum ascriptum ab interprete fuit, *Leucon, unus ex Ponti regibus, Spartacum, fratrem suum, interfecit, provocatus ab uxore sua, quam cum vellet adulterari Leucon, ab eo interfectus est, unde Arion,*

> Leucon occidit fratrem pro conjuge, eumque
> Conjux: sic causa cædis utrisque fuit.

Lusus in his vocabulis inscriptionem antiquam mihi in memoriam revocat, in qua mulier quæ *nimia* (pro *nimium*) *pia* fuisse dicitur, *facta impia* legitur. Illi ut aliquam lucem adfundam, ex eleganti Jacobi Sponii libello, qui inscribitur *Recherche des antiquités et curiosités de la ville de Lyon*, p. 86, eamdem hic subjiciam, ita se habet:

D. M.
ET MEMORIÆ
ÆTERNÆ
SUTIÆ ANTHIDIS
QUÆ VIXIT ANNIS XXV.
M. IX. D. V. QUÆ DUM
NIMIA PIA FUIT FACTA
EST INPIA ET ATTIO PRO

populus necessitatis atrocitate **122** permotus et periculo libertatis admonitus, montem Aventinum occupavit armatus. Nec tueri libertatem armis [12] destitit, nisi postquam se conjuratorum conspiratio ipsis quoque honoribus abdicavit. Tertia et quinta post centesimam [13] olympiade, per totum fere annum tam crebri, tamque etiam graves in Italia terræmotus fuerunt, ut de innumeris quassationibus ac ruinis villarum oppidorumque [14] assiduis Roma nuntiis fatigaretur. Deinde [15] ita jugis [16] et torrida siccitas fuit, ut præsentis tunc futurique anni spem gignendis terræ fructibus [17] abnegarit. [18] Iisdemque temporibus, [19] cum Fidenates hostes, maximorum **123** auxiliorum manu stipante, terribiles Romanis arcibus imminerent, [20] Æmilius, tertium dictator, magnam mali molem ipsis Fidenis vix captis depulit, et sanavit : [21] tanta in ipsis erat malorum animorumque contentio, ut vel [22] domesticas clades superfusa forinsecus bella oblitterarent : vel, post damna bellorum, inducias relaxatas diversæ pestes, cœlo terraque excandescentes, incessabili infestatione corrumperent.

CAPUT XIV.

De Siciliæ imperio, rebusque in ea gestis.

[1] Sicilia, [2] ab initio patria Cyclopum, et post eos semper nutrix tyrannorum fuit. Sæpe etiam captiva servorum, quorum primi carnibus hominum, medii cruciatibus, postremi mortibus pascebantur : excepto eo, quod externis bellis aut præda habebatur, aut præmium. [3] Hæc, ut quam brevissime absolvam, requiem malorum, nisi nunc, nescit : immo, ut [4] evidentius diversitates temporum declarentur, sicut antea vel intestinos vel externos tumultus perpessa est inter omnes sola semper, ita nunc ex omnibus sola [5] numquam patitur. Nam etiam **124** (ut sileam de diuturnitate vel illius calamitatis, qua pressa est, vel istius e contrario, qua fruitur, pacis) Ætna ipsa, quæ tunc cum excidio urbium atque agrorum crebris eruptionibus æstuabat, nunc tantum innoxia specie ad præteritorum fidem fumat. Igitur ut prætermittam interim de tyrannis, quorum mox qui fuit [6] ultor, successor effectus est; medio tempore, hoc est, anno ab Urbe condita CCCXXXV, cum Rhegini apud Siciliam discordia laborarent, civitasque per [7] dissensionem divisa in duas partes esset, pars una veteranos ab Himera, urbe Siciliæ, in auxilium vocavit. Porro illi, pulsis civitate primum his, contra quos implorabantur, deinde mox cæsis etiam illis, quibus ad auxiliandum convenerant, urbem cum conjugibus et liberis sociorum oc-

HAVERCAMPI NOTÆ.

BATIOLO CERIALIUS CALISTIO CONJUX ET PATER ET SIBI VIVUS PONENDUM CURAVIT ET SUB ASCIA DEDICAVIT.

Mulieri huic, ut et filio suo Attio Probatiolo, Cerialius Calistio, illius conjux, hujus pater, monumentam illud erexit, in quo uxorem ex nimia pietate impiam factam dolet. An innuit illam transiisse ad Christianorum sectam, dum eorumdem probatos mores amplexa, hoc uno peccasset, quod illis, qui *impii* vocari solebant, sese addixisset? An, quoniam filio simul scriptum fuit epitaphium, mortis ejusdem filii causa exstitit pietate nimia, quæ invitam reddiderit impiam?

12. *Destitit.* Lugd. Batt. tres et Coll. Gronov., *destituit.*

13. *Olympiade.* Flor. sec. et tert,, Ultr., Coll. Gronov. atque Perizon., *Olympiadem.*

14. *Roma nuntiis fatigaretur. Nuntiis* recte est in manuscriptis, pro quo vulgo mendose *intus* legitur. Livius scribit his temporibus M. Cornelio, L. Papirio coss. crebris motibus terræ in agris tecta corruisse, sed hi consules aliis cadunt in annum secundum olympiadis 84, Diodoro in tertium olympiadis 87. FABR.

15. *Ita jugis.* Vocem priorem tres Lugd. Batt. delent, ut et Coll. Gronov.

16. *Ita jugis et torrida siccitas.* Siccitate plurimum laboratum fuisse, A. Cornel. Cosso, T. Quinctio Penno, coss. anno 327, Livius libr. IV scribit. FABR.

17. *Abnegarit.* Lugd. Batt. tres., Perizon., Ultr. t Coll. Gronov. et ed. Aug., *abnegaret.*

18. *Iisdemque.* Meus cum Perizon., *Isdem.* Lugd. att. pr. et quart., *His denique. Auxiliatorum* mox ro *auxiliorum* Lugd. Bat. tert.

19. *Cum Fidenates hostes.* Legitur etiam *Fidenas hostis:* de quo Eutropius lib. I an. 315. ab U. C., *Fidenates, contra Romanos rebellaverunt. Auxilium præstabant his Veientes, et rex Veientium Tolumnius. Conjunxerunt se iis et Volsci.* Plura Livius lib. IV. FABR.

20. *Æmilius tertium dictator.* Mam. Æmilius Mamertinus dictator primum an. CCCXVI cum Fidenatibus acerrime dimicavit, et triumphans in Urbem rediit. Idem dictator tertium, an. CCCXXVII cum Fidenates iterum rebellarent, Fidenas urbem cepit atque excidit. Hæc Liv. lib. IV. FABR.

21. *Tanta.* Lugd. Batt. duo, *tantaque.*

22. *Domesticas clades.* In vulgatis est *domesticæ*, nostram lectionem ex libris antiquis acceptam *ἀντιθεσις* comprobat. FABR.

CAP. XIV. — 1. *Sicilia, ab initio.* Quæ hoc capite ab Orosio explicantur, ea plenius a Justino ex Trogo commemorantur lib. IV. Antiquissimos esse in parte Siciliæ *Cyclopas* Thucydides initio lib. VI scribit. FABR.

2. *Ab initio. Initio* ed. Aug. *Ab initio pene* Lugd. Bat. pr.

3. *Hæc ut quam. Hæc, inquam, ut*, etc., ed. Aug.

4. *Evidentius.* Lugd. Bat. pr., *evidentis*, quasi vellet, *evidentes diversitates.*

5. *Numquam.* Addunt *patitur* edd. vett. et mss. quidam, sed contra codices meliores.

6. *Qui fuit ultor; successor effectus est.* Id est, qui sustulit tyrannum, tyrannidem et ipse occupavit, *qua re factum est, ut tyrannus quidem occideretur, sed patria non liberaretur;* sicuti loquitur Justinus, ubi agit de tyrannis Heracleæ lib. XVI cap. 5. De Siciliæ tyrannis idem lib. IV cap. 2: *Cocalus regnum insulæ occupavit; post quem singulæ civitates in tyrannorum imperium concesserunt, quorum nulla terra feracior fuit.*

7. *Dissensionem.* Perizon., *divisionem*, Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *discessionem*, Flor. tert., *discessiones.*

cupavere, ausi facinus [8] nulli tyranno comparandum ; quippe cum Rheginis [9] quidvis perpeti satius fuerit, quam [10] ut ultro invitarent, quibus patriam, conjuges, liberos ac penates, ipsi extorres ad prædam relinquerent. At etiam Catanenses, cum Syracusanos graves infestosque paterentur, ab Atheniensibus auxilia proposcerunt. Sed Athenienses, suo magis quam sociorum studio instructam classem, in Siciliam misere : cum [11] et sibi propagare molirentur imperium, et Syracusanam classem nuper instructam Lacedæmoniis proficere vererentur. Et quoniam **125** Athenienses, qui missi erant, [12] cæsis hostibus, prospera initia sumpserant, majores copias robustioremque exercitum cum [13] Lachete et Charœade ducibus in Siciliam reduxerunt. Sed Catanenses, belli tædio permoti, cum Syracusanis fœdus ineunt, auxilia Atheniensium spernunt. [14] Post autem Syracusanis, conditiones pacis meditatione dominationis transgredientibus, denuo legatos Athenas mittunt : qui capillo barbaque squalidi, [15] et lugubribus induti, misericordiam atque auxilium et sermone et habitu precarentur. Igitur magna classis instruitur, [16] ducibus Nicia et Lamacho : tantisque viribus Sicilia repetitur, [17] ut suffragia sua et hi timerent, qui impetravissent. Athenienses duas illico pedestres pugnas secundis successibus faciunt, [18] confectosque in **126** urbe hostes, et objecta classe circumdatos, terra marique concludunt. At Syracusani, fractis fessisque rebus, auxilium a Lacedæmoniis petunt : a quibus mox mittitur Gylippus, solus quidem, sed in quo omnium præsidiorum instar præferebatur : qui veniens, ut audivit inclinatum jam belli statum, auxiliis partim in Græcia, partim in Sicilia contractis, opportuna bello loca occupavit. Deinde duobus præliis victus, nec territus, tertio congressu Lamachum occidit, hostes in fugam vertit, socios obsidione liberavit. [19] Hinc Athenienses, terrestri prælio victi, experimenta maris ineunt, et navali certamine congredi parant; quo cognito, Gylippus classem instructam a Lacedæmoniis arcessit : æque Athenienses in locum amissi ducis, [20] Demosthenem et Eurymedonta cum supplemento copiarum mittunt. Peloponnesii [21] quoque, cum multarum urbium consensu et decreto, ingentia Syracusanis auxilia misere. [22] Ita sub specie socialis belli domesticos motus exsequuntur, et, quasi placito de Græcia translatum certamen in Siciliam fuerit, sic ex utraque parte summis viribus dimicatur. Igitur Athenienses prima congressione vincuntur, [23] castra quoque cum omni pecunia vel publica, vel privata, et cum universo instructu diuquoque, quæ Fabricianas antecesserunt, omnes, una Aug. excepta, *pannis exhibent*, quod ego assutum opinor ab illis, qui deesse aliquid putabant, sicuti *vestibus* similiter legitur in Flor. sec. ; sed Longob. codex cum reliquis omnibus haud agnoscit. Ovid. Metam. lib. XI, vers. 134 :

> Surge, age, da lacrymas, lugubriaque indue, nec me
> Indeploratum sub inania tartara mitte.

Seneca in Herc. Fur. vers. 626 :

> Unde iste, genitor, squallor, et lugubribus
> Amicta conjux?

16. *Ducibus Nicia et Lamacho.* Tertius dux fuit Alcibiades, sed is non ita multo post quam in Siciliam pervenerat, domum revocatus, in exsilium abiit, Thucydides libro VI, Diodorus libro decimotertio. Plutarchus in Alcibiade et Nicia. Unde historia plenior petenda. FABR.

17. *Ut suffragia sua.* Justinus lib. IV, cap. 4, *Tantisque viribus Sicilia repetitur, ut ipsis terrori essent, in quorum auxilia mittebantur.*

18. *Confectosque.* Vulgati, excepta Augustana, *confertosque*, id est condensatos, constipatos. Sed, præter ed. illam Aug., cod. Longob. et mss. ad unum omnes, *confectosque* vel *confectos* exhibent, quæ locutio Orosio haud insueta est, et omnino hic reponi debet. Confecerant enim Syracusanos variis pugnis Atheniensis, et nisi venissent Lacedæmonii, jam urbe egredi non ausos, ad summam adegissent desperationem.

19. *Hinc Athenienses. Hic Athenienses* ed. Aug.

20. *Demosthenem et Eurymedonta.* Δημοσθένην τὸν Ἀλκισθένους, καὶ Εὐρυμέδοντα τὸν Θουλκέους. Thucyd. lib. VII. FABR.

21. *Quoque.* Lugd. Batt., *quoque tunc.*

22. *Ita sub specie.* Lugd. Batt. codd. cum Coll. Gronov. et ed. Aug. legunt, *Ita ut* (vel *ut sub*) *specie socialis belli domesticos motus exsequantur, et quasi* (*placito*, quod retinet ed. Aug., delentes) *de Græcia translatum certamen in Siciliam* (plerique *Sicilia*) *fuerit, sic*, etc.

23. *Castra quoque.* Lugd. Batt. quart., *castraque.*

HAVERCAMPI NOTÆ.

8. *Nulli tyranno comparandum.* Sumpsit hoc ex Justino, apud quem perperam nonnulli lectionem istam sollicitare ausi sunt. Confirmant eamdem edd. et mss. Orosiani codd. omnes, uno Lugd. Bat. tertio excepto, in quo legitur *tyrannorum.*

9. *Quidquid vis perpeti.* Ita Colon. Alii hic *Quidvis.* Sic apud Varronem venuste et vetuste : *Quotquot annis*, et *Quotquot kal.* pro *Quotannis et Quot kalendis* est. LAUT. — Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov., *quidquid esset jus*, quod tolerari posset, si *belli* adderetur, *Nam sive victoribus captivitatis jure servissent, sive amissa patria exsulare necesse habuissent, non tamen inter aras et patrios lares trucidati, crudelissimis tyrannis patriam cum conjugibus ac liberis prædam reliquissent.* Justin. lib. IV. cap. 3. Pro *quidvis* Florr. tres, Lugd. Batt. duo cum Meo et Perizon. efferunt *quidquid vis*, quod Lautius ex Colon. prætulit.

10. *Ut ultro. Quod ultro* Perizon.

11. *Et sibi.* Ed. Aug., *et ibi.* Justinus *studio majoris imperii* dixit.

12. *Cæsis hostibus.* Tres mss. Lugd. Batt. videlicet pr., tert. et quart. cum Coll. Gronov. mire transponunt verba, *In Siciliam reduxerunt majores copias robustioremque exercitum cum Lachete et Cariade ducibus, cæsis hostibus prospera initia sumpserant.* Quod ideo annotandum duxi, ut pateat ex uno fonte hanc lectionem in quatuor codd. fuisse propagatam.

13. *Lachete et Charœade ducibus.* Hi duces, extrema æstate anni quinti belli Peloponnesiaci in Siciliam missi fuerunt, auctore Thucydide lib. III. Apud Dionem lib. XII mendose Χαβρίας pro *Charœade* nominatur. FABR. — *Thariade* Flor. pr. At Lugd. Batt. pr. (in quo superscribitur, lege *Carneade*), tert., quart. et Perizon cum Ultr., *Cariade.* Lugd. Bat. scc., *Chariode*, Meus, *Chunade.*

14. *Post autem.* Lugd. pr. et tert., *post hæc autem.*

15. *Lugubribus induti. Pannis*, quod vulgo additur, in lib. vet. non legitur. FABR. — *Et lugubribus pannis induti.* Non male illud, *pannis*, interjicit Venetus codex, pro ipsis squaloribus. Terent., *pannis annisque obsitus.* LAUT. — Præter Venetas editiones, reliquæ

16. *Ducibus Nicia et Lamacho.* Tertius dux fuit Alcibiades, sed is non ita multo post quam in Siciliam pervenerat, domum revocatus, in exsilium abiit, Thucydides libro VI, Diodorus libro decimotertio. Plutarchus in Alcibiade et Nicia. Unde historia plenior petenda. FABR.

17. *Ut suffragia sua.* Justinus lib. IV, cap. 4, *Tantisque viribus Sicilia repetitur, ut ipsis terrori essent, in quorum auxilia mittebantur.*

18. *Confectosque.* Vulgati, excepta Augustana, *confertosque*, id est condensatos, constipatos. Sed, præter ed. illam Aug., cod. Longob. et mss. ad unum omnes, *confectosque* vel *confectos* exhibent, quæ locutio Orosio haud insueta est, et omnino hic reponi debet. Confecerant enim Syracusanos variis pugnis Atheniensis, et nisi venissent Lacedæmonii, jam urbe egredi non ausos, ad summam adegissent desperationem.

19. *Hinc Athenienses. Hic Athenienses* ed. Aug.

20. *Demosthenem et Eurymedonta.* Δημοσθένην τὸν Ἀλκισθένους, καὶ Εὐρυμέδοντα τὸν Θουλκέους. Thucyd. lib. VII. FABR.

21. *Quoque.* Lugd. Batt., *quoque tunc.*

22. *Ita sub specie.* Lugd. Batt. codd. cum Coll. Gronov. et ed. Aug. legunt, *Ita ut* (vel *ut sub*) *specie socialis belli domesticos motus exsequantur, et quasi* (*placito*, quod retinet ed. Aug., delentes) *de Græcia translatum certamen in Siciliam* (plerique *Sicilia*) *fuerit, sic*, etc.

23. *Castra quoque.* Lugd. Batt. quart., *castraque.*

turnæ expeditionis amittunt; fractis opibus et in angustum redactis, suadet Demosthenes, [24] dum non omnino res perditæ sint, [25] quamlibet videantur afflictæ, domum redeant, Siciliaque decedant. Nicias autem, pudore male gestarum rerum ab initio desperatior redditus, [26] remanere contendit. Reparant navale certamen: et mox per inscitiam in angustias **127** Syracusani maris deducti, insidiis hostium circumveniuntur. [27] Eurymedon dux primus occiditur: [28] undecim naves incenduntur. Demosthenes et Nicias classem dimittunt, quasi tutius terrena expeditione fugituri. Gylippus autem primum [29] naves eorum relictas centum triginta invadit: dehinc ipsos fugientes persequi aggressus, capit cæditque [30] quam plurimos. [31] Demosthenes dedecus servitutis voluntaria morte [32] declinat; [33] Nicias vero indignam turpemque vitam dedecore captivitatis [34] accumulat.

128 CAPUT XV.

Athenienses bello Lacedæmoniorum, adhortante sese-que ob exsilium ulciscente Alcibiade, excipiuntur.

[1] Igitur Athenienses, biennio apud Siciliam non sine Lacedæmoniorum damno conflictati, [2] aliis domi malis circumveniuntur. [3] Alcibiades enim, dux pridem adversus Syracusas pronuntiatus, mox ad judicium pro quadam insimulatione detentus, voluntario exsilio [4] Lacedæmona se contulit, impulitque Spartanos, ut turbatis Atheniensibus novo rursus bello insisterent: neque eis respirandi spatium, quin opprimerentur, relaxarent, cui incepto ita Græcia omnis astipulata est, quasi ad commune incendium restinguendum, bono publico, congestis viribus consulerctur. [5] Darius etiam, rex Persarum, memor paterni avitique in hanc urbem odii, per [6] Tissafernem, præfectum Lydiæ, cum Lacedæmoniis fœdus paciscitur, eisque sumptus belli et copias pollicetur. Mirum dictu, Atheniensium tantas ea tempestate opes fuisse, ut, cum adversus eos, hoc est, [7] adversus unam urbem, Græciæ, Asiæ, totiusque Orientis viribus incursum sit, pugnando sæpe, nec umquam

HAVERCAMPI NOTÆ.

24. *Dum non omnino.* Ita reposui, præeuntibus cod. Longob. atque Flor. tert. et confirmante Meo, qui insuper *ut* præfigit. Ultr., *Dum jam nondum;* Flor. sec., *cum nondum omnino;* Vulgati *dum nondum omnino.*

25. *Quamlibet.* Editiones vetustiores, excepta Aug., *quantumlibet*, ut et mss. aliquot. Sed prius illud significatu posterioris passim poni solet.

26. *Remanere.* Sic omnes libri mss. ut et ed. Aug. Vulgati reliqui, *manere.*

27. *Eurymedon dux primus occiditur.* Ita ex Augustinianorum libro scripsimus. Nam reliqui ab impressis non discrepant: quomodo in manuscripto nostro Justino *Eurylochi* nomen etiam pro *Eurymedontis* legitur. Notum vero est ex Thucydidis lib. VII, Diodori XIII et Plutarchi Nicia: *Eurymedontem*, qui in dextro cornu curabat, cum hostes circumvenire vellet, interclusum a suis, interiisse. FABR.

28. *Undecim naves incenduntur.* Ita quidem constanter omnes libri Orosii: at apud Justin., a quo hæc desumpta sunt, legitur: *Triginta naves, quibus præfuerat, incenduntur.* Thucydides et Diodorus incendii patrati ab hostibus meminerunt, sed de numero navium, quæ flamma perierint, nihil scribunt. FABR.

29. *Naves eorum relictas* 130. Idem numerus est in Just. Thucydides scribit, Atheniensibus reliquas fuisse naves circiter 60. Dio 50 naves relictas ait. FABR.

30. *Quam plurimos.* Lugd. Bat. sec., *plurimos.*

31. *Demosthenes dedecus.* Hac de re alii, præter Justinum, nihil. Tantum Plutarch. in Nicia hæc scribit: Αὐτὸς δὲ Δημοσθένης σπασάμενος τὸ ξίφος ἔπληξε μὲν ἑαυτὸν, οὐ μὴν ἀπέθανε, ταχὺ τῶν πολεμίων περισχόντων καὶ συλλαβόντων. Id est. *Ipse Demosthenes stricto gladio se quidem percussit, verum non interfecit, subito ab hostibus circumventus et captus.* De morte Demosthenis et Niciæ Timæum diversa a Thucydide et Philisto tradidisse, ibidem Plutarchus scribit. FABR.

32. *Declinat.* Florentt. sec. et tert., *declinavit.*

33. *Nicias vero.* Lugd. Batt. duo, *Nicias autem.*

34. *Accumulat.* Ultr., *cumulat.* Peculiare aliquid, quod apud alios non invenitur, de Nicia atque Demosthene, eorumque ad posteros memoria, legitur apud Pausaniam lib. I p. 74: is, postquam enarravit columnas positas in honorem Atheniensium, qui pugnantes extra patriam occubuerant, addit, Γεγραμμένοι δέ εἰσιν οἵ τε στρατηγοὶ πλὴν Νικίου, καὶ τῶν στρατιωτῶν ὁμοῦ τοῖς ἀστοῖς Πλαταιοῖς. Νικίας δὲ ἐπὶ τῷδε παρέλθη, γράφω δὲ οὐδὲν διάφορα ἢ Φίλιστος, ὃς ἔφη Δημοσθένην μὲν σπονδὰς ποιήσασθαι τοῖς ἄλλοις, πλὴν αὐτοῦ, καὶ ὡς ἠλίσκετο, αὐτὸν ἐπιχειρεῖν ἀποκτεῖναι, Νικίᾳ δὲ τὴν παράδοσιν ἐθελοντῇ γενέσθαι. Τούτων εἵνεκα οὐκ ἐνεγράφη Νικίας τῇ στήλῃ, καταγνωσθεὶς αἰχμάλωτος ἐθελοντὴς εἶναι, καὶ οὐκ ἀνὴρ πολέμῳ πρέπων. *Duces etiam ascripti sunt, præter Niciam, et Plateenses milites una cum oppidanis. Niciam quidem præteritum, non aliam ob causam, quam Philistus prodidit, crediderim. Scribit enim ille, Demosthenem, in deditione facienda, se unum excepisse; ac, cum in hostium potestatem veniret, sibi ipsi manus consciscere conatum. Niciam vero, ultro deditionem fecisse; eamque ob rem nomen ejus in columna inscriptum non esse, quod, cum sese hostibus ultro dedidisset, id quod imperatore ac forti viro dignum erat, non fecerat.*

CAP. XV. — 1. *Igitur Athenienses.* Quæ hoc capite Orosius narrat, ea præter Justinum Thucydides lib. VIII, Diodorus lib. XIII, Plutarchus in Alcibiade. FABR.

2. *Aliis.* Cod. Perizon., *et aliis.*

3. *Alcibiades dux primum.* Excusi, *pridem:* male; arguit hoc particula, *mox*, quæ sequitur. LAUT. — Non opus ea mutatione, sat enim intercesserat temporis, ex quo in Siciliam ire jussus fuerat Alcibiades. Confer Plutarchum in Nicia.

4. *Lacedæmona.* Ita, non *Lacedæmonem*, ut vulgati habent, scripsisse Orosium, patet ex Justino, quem descripsit, et ex mss. qui *Lacedæmonam, Lacedæmoniam*, vel denique, ut oportet, *Lacedæmona* exhibent.

5. *Darius, rex Persarum.* Sextus hic Persarum rex fuit, qui Artaxerxi Xerxis filio in regno successit. FABR.

6. *Tissafernem præfectum Lydiæ.* Τισσαφέρνης βασιλεῖ Δαρείῳ τῷ Ἀρταξέρξου στρατηγὸς ἦν τῶν κάτω. *Tissafernes, regis Darii Artaxerxis filii præfectus in ora maritima erat.* Thucydides. FABR.

7. *Adversus unam urbem.* Mutavi vitiosam in omnibus editis distinctionem, ea hæc erat, *hoc est, adversus unam urbem Græciæ, Asiæ totiusque Orientis viribus incursum sit.* Minus concinne. Amplificat enim Orosius quod scripsit Justinus lib. V, cap. 2, *Cum ad opprimendam unam urbem totius Orientis vires concurrerent*, conjungit enim *Asiæ* et *Græciæ*; nimirum dixerat modo, *Cui incepto ita Græcia omnis*, etc.

cedendo, consumpti magis videantur [8] fuisse quam victi. Principio enim Alcibiades **129** omnes socios deficere ab his ad Lacedæmonios coegit : sed et ab his quoque per invidiam insidiis [9] appetitus aufugit, et [10] ad Tissafernem in Mediam concessit : cui statim accommodato ingenio [11] et apti eloquii gratia familiarior factus, persuadet, ne Lacedæmonios tam profusis opibus [12] juvet : eum potius istius certaminis arbitrum spectatoremque fieri debere, integrasque Lydiæ vires adversus victorem [13] reservandas. Quamobrem Tissafernes partem classis cum aliquanta manu deduci Lacedæmona jubet : ne vel abundantes [14] suffragiis alieno tuti periculo dimicarent, vel in totum destituti, susceptum certamen omitterent.

130 CAPUT XVI.

Atheniensium adversus Lacedæmonios prælia gravia, horrendæque calamitates ac strages utrimque acceptæ.

Apud Athenienses vero cum diu domestica discordia agitaretur, imminente periculo, [1] summa imperii ad senatum populi voluntate transfertur, [2] quippe otio discordiæ nutriuntur : [3] at, ubi necessitas incubuit, postpositis privatis causis atque odiis, in commune consulitur. Sed hoc ipsum, cum propter [4] insitam genti superbiam et tyrannicas libidines, perniciosum foret; tandem Alcibiades exsul ab exercitu revocatur, et [5] dux classis constituitur. Quo comperto, principes [6] primo A Spartanis urbem prodere moliti sunt : deinde, cum id frustra [7] cogitassent, in exsilium sponte cesserunt. Igitur Alcibiades, patria liberata, classem in hostes dirigit. [8] Commisso prælio, victoriam Athenienses capessunt. Porro autem major pars Spartani exercitus cæsa, duces quoque [9] pene omnes interfecti, et octoginta naves captæ, absque his, quæ in conflictu incensæ demersæque [10] perierunt : rursus bellum, in terram translatum, Spartanis æque infeliciter cessit : quibus rebus fracti [11] Lacedæmonii, petiere pacem, nec tamen impetrare potuerunt. **131** Præterea [12] Syracusana præsidia in Siciliam, audita Carthaginensis belli infestatione, revocata sunt. Quamobrem Alcibiades classe victrici totam Asiam pervagatur, bellis, incendiis, [13] B cædibusque rapit sternitque omnia. Urbes, quæ dudum a societate defecerant, capit, recipitque quamplurimas. [14] Sic Alcibiades, magni nominis factus, Athenas, cum admiratione et gaudio omnium, victor ingreditur. Parvo post intervallo auget vires, exercitum [15] classemque numero provehit, rursusque Asiam petit. Lacedæmonii vero Lysandrum ducem, classi belloque præficiunt. [16] Cyrus etiam, filius Darii, in locum Tissafernis, Ioniæ Lydiæque præpositus, magnis eos opibus auxiliisque confirmat. [17] Lysander itaque Alcibiadis exercitum, præ-

HAVERCAMPI NOTÆ.

8. *Fuisse.* Abest a Lugd. Batt. pr. et Coll. Gronov. Meus mavult *esse.* Lugd. Bat. quart. mox, *sed ab his,* deleto *et.*

9. *Appetitus.* Edd. quidam *impetitus,* Lugd. Bat. sec. et Ultr., *petitus.* Mox *effugit* pro *aufugit,* Lugd. Bat. quart.

10. *Ad Tissafernem in Mediam concessit.* Thucydides, ὑποχωρεῖ δείσας παρὰ Τισσαφέρνην, *metu adductus clam se ad Tissafernem confert.* Plutarchus, Τισσαφέρνη δὲ τῷ βασιλέως σατράπῃ δοὺς ἑαυτὸν ὑπὲρ ἀσφαλείας, εὐθὺς ἦν παρ' αὐτῷ πρῶτος καὶ μέγιστος, *ubi se Tissaferni, ut extra periculum esset, dedit, statim apud eum summum locum obtinuit.* FABR.

11. *Et apti eloquii gratia.* Delet *apti* Perizon. codex, at in Florent. primo, seu Longob. cod. scribitur *et aptii,* in secundo, *et apud eloquii,* verum ibi, expuncto *apud,* superscribitur *ob,* ut suspicer reponendum esse, *et ob eloquii gratiam,* vel, *et ab eloquii gratia.*

12. *Juvet.* Edd. vett. quædam, *adjuvaret, jubet,* etc. Mss. Lugd. Batt. pr., sec., tert., cum Ultr. et Coll. Gronov., *adiret, jubet cum potius,* etc. In quibus *jubet* ex duplici scriptura ib. *juvet* natum est, *adiret* scriptum fuit pro *adjuvet.* Verum *juvet* ex antiquis ed. Aug. habet, idque tres codd. Florentini cum reliquis et Justino, apud quem, *sed nec auxiliis nimis enixe Lacedæmonios juvandos :* retinere jubent.

13. *Reservandas.* Ultr., *servandas.*

14. *Suffragiis.* Amat vocem hanc eo sensu Orosius, quo meliores scriptores Latini repudiarunt. Pro auxiliis enim usurpat. Sic supra cap. 14 : *Ut suffragia sua et hi timerent qui impetravissent.*

CAP. XVI. — 1. *Summa imperii ad Senatum transfertur.* Quomodo summa imperii ad senatum quadringentorum hominum translata fuerit, item de reditu Alcibiadis, copiose Thucydides, Diodorus et Plutarchus locis citatis. FABR.

2. *Otio.* Lugd. Bat. tres, *odio,* vitiose.

3. *At ubi necessitas.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. *at* delent, leguntque, *positis privatis causis,* etc.

4. *Insitam.* Superscribitur in Lugd. Bat. pr. ; textus habet *ingenitam.*

5. *Dux classis constituitur.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *dux classi constituitur.*

6. *Primo.* Abest a meo codice.

7. *Cogitassent.* Ed. Aug., *agitassent.*

C 8. *Commisso prælio.* Duplicem victoriam describit, unam navalem, alteram terrestrem, quas Athenienses ad Cyzicum de Spartanis reportarunt, duce illorum Mindaro interfecto. Xenophon lib. I de Rebus Græcorum, Diod. libr. XIII, Plutar. Alcibiade. FABR.

9. *Pene omnes.* Primam vocem non agnoscit Ultr.

10. *Perierunt.* Lugd. Bat. tres et Coll. Gronov., *perierant.* Mox *in terra* pro *in terram* Perizon., sicut aliquanto post *in Sicilia* pro in *Siciliam* ed. Aug.

11. *Lacedæmonii petiere pacem.* Legationis de pace Athenas missæ princeps fuit Endius : Athenis vero Cleophon maxime paci impedimento fuit. Lege Diod. FABR.

D 12. *Syracusana præsidia.* Post Atheniensium cladem in Sicilia, Ægestæi socii Atheniensium, pressi a Selinuntiis et Syracusanis, opem a Carthaginiensibus petierunt : hique illis præsidium cum Annibale Gesconis F. duce miserunt : itaque Syracusani suos, quos auxilio Lacedæmoniis contra Athenienses miserant, domum revocarunt. Xenophon et Diod. FABR.

13. *Cædibusque.* Sic mss. vulgati, *cædibus.* Quidam mox etiam, *urbesque.* Dein mss. plerique, *recepitque.*

14. *Sic Alcibiades magni nominis.* Magnificum Alcibiadis reditum in patriam præter Xenophontem, Diodorum et Plutar. describit Justinus lib. V.

15. *Classemque numero provehit. Numero* adverbium hic est pro celeriter : aut certe classis numerus deest. LAUT.

16. *Cyrus etiam, filius Darii.* Vulgo turpi errore legitur, *Cyrus autem, frater Darii.* FABR.

17. *Lysander itaque Alcibiadis.* Hæc clades, absente Alcibiade, Antiochi, quem classi præfecerat temeritate, accepta fuit. Xenoph. lib. I, Diod. XIII,

die intentum, ac per hoc ubique dispersum ac vagum, repentino incursu opprimit, sine conflictu aliquo vincit, cæditque fugientem. Magna hæc clades Atheniensibus, et [18] multo hoc atrocius vulnus, quam dudum inflixerant, susceperunt : quo comperto, Athenienses opinati sunt Alcibiadem [19] antiquum exsilii sui dolorem, isto scelere proditionis vindicare curasse : ideoque [20] in locum ejus Cononem constituunt, cui residuam manum et summam belli committunt, qui supplere saltem numero exhaustas copias volens, senes ac pueros legit, exercitumque [21] conscripsit. Sed hujusmodi manus **132** moram bello non attulit : quippe quod robore, non numero, confici solet. [22] Itaque statim imbellis manus vel capta vel cæsa est, tantaque strages occisorum [23] illo prælio facta est, ut delectum non solum regnum, sed etiam nomen Atheniensium videretur. At illi, desperatis rebus, [24] statuunt urbem peregrinis dare; ut, qui per totam Asiam paulo ante dominati sunt, nunc ex hac [25] colluvie muros saltem libertatemque tueantur : et, quamvis vel suo judicio ad hæc tuenda etiam objectis muris non sufficiant, iterum tamen experire navale prælium parant. Expers consilii furor, dolorem virtutem putat : quantumque meditatur ira, tantum promittit audacia. Itaque, omnibus partim captis, partim interfectis, de ipsis quoque reliquiis nihil reliqui factum est. Solus dux Conon, superstes bello et populo, timens civium crudelitatem, [26] ad Cyprium regem concessit Evagoram. At dux Lacedæmoniorum, ademptis omnibus civitatibus, nihil Atheniensibus præter inanem urbem reliquit, nec hoc diu : nam et ipsam urbem postea obsidione circumdedit. [27] Angebat intrinsecus fames, desolatio et morbus obsessos. Et cum post [28] omnia miseriarum abominamenta, quæ etiam dicere [29] horror est, nihil spei præter mortem occurreret, pacem petivere.

133 CAPUT XVII.

Atheniensibus certis legibus ac conditionibus pax datur, triginta que rectores constituuntur, qui, cum tyrannidem exercerent, Thrasybuli industria ejecti sunt.

Magna hinc inter Spartanos et socios deliberatio fuit, [1] cum plurimi inquietissimam civitatem sternendam solo, [2] populumque infestissimum cum ipso nomine abolendum pronuntiarent : [3] Spartani negaverunt, [4] se permissuros, ut e duobus Græciæ oculis unus erueretur : insuper etiam pacem promiserunt, [5] si Piræei portus ducentia in urbem [6] munimina everterentur, [7] navesque reliquas ultro traderent : deinde si rectores sibi triginta [8] lectos susciperent. Huic conditioni addictis et succumbentibus, Lacedæmonii Lysandrum ad componendas in urbe parendi leges constituerunt. Insignis hic annus et expugnatione Athenarum, et morte Darii, [9] Persarum regis, et exsilio Dionysii, Siciliæ tyranni, fuit. Igitur triginta rectores Atheniensibus ordinati, **134** triginta tyranni exoriuntur : qui primo se tribus millibus sa-

HAVERCAMPI NOTÆ.

Plutarch. Alcibiade et Lysandro. Pausanias lib. III. FABR.

18. *Multo hoc atrocius vulnus.* Sic omnino scribendum ex mss. qui magno consensu omnes ita exhibent. Vulgati *multo atrocius*, præter ed. Aug., quæ cum mss. facit.

19. *Antiquum.* Lugd. Bat. pr., *antiqui.*

20. *In locum ejus.* Edd. quædam, *ideo in locum ejus.* Mss. Lugd. Bat. duo cum Coll. Gronov., *in loco ejus.*

21. *Conscripsit.* Mss. hæc est lectio. Vulgo *conscribit.*

22. *Itaque statim imbellis manus*, etc. Ultimum hoc prælium navale inter Lacedæmonios et Athenienses, bello Peloponnesiaco (quod 27 annos duravit) commissum fuit ad *Ægos flumina*, quo Atheniensium classis deleta est : de quo eosdem auctores consule, quos modo nominavi. FABR.

23. *Illo prælio.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. et ed. Aug., *in illo prælio.*

24. *Statuunt urbem peregrinis dare.* Id est, peregrinos civitate donare. Diod. ἐποιήσαντο πολίτας τοὺς μετοίκους, καὶ τῶν ἄλλων ξένων τοὺς βουλομένους συναγωνίσασθαι. FABR.

25. *Colluvie.* Tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov., *congerie.*

26. *Ad Cyprium regem concessit Evagoram.* Hujus loci mendum alii quoque animadverterant, ac sine ullo negotio ex Justino emendari potuit. Xenoph. lib. II, Κόνων ὀκτὼ ναυσὶν ἀπέπλευσε παρ' Εὐαγόραν ἐς Κύπρον. Sed ne in re minime dubia testibus videar uti non necessariis, Κόνωνα δὲ τίς οὐκ οἶδεν, ὅτι δυστυχησάσης τῆς πόλεως ὡς Εὐαγόραν ἦλθε : ut ait Isocrates in Evagora. FABR. Legebatur putide, *ad Cyrum regem concessit. Evagoras autem* (vel *Evacinas*) *dux Lacedæmoniorum*, etc.

27. *Angebant.* Plures ex mss., *agebat.*

28. *Omnia.* Lugd. Bat. pr., *omnium.*

29. *Horror est.* Edd. vett. præter August., *horrori* vel *horroris* est, dein, *nihil spei præteritæ.*

CAP. XVII.—1. *Cum plurimi.* Edd. quædam vett., *et cum plurimi.*

2. *Populumque.* Lugd. Batt. pr., tert. et quart. cum Coll. Gronov., *populum.*

3. *Spartani negaverunt.* Sic quidem Justin.; at Xenophon. lib. II ita : Λακεδαιμόνιοι δὲ οὐκ ἔφασαν πόλιν Ἑλληνίδα ἀνδραποδιεῖν, μέγα ἀγαθὸν εἰργασμένην ἐν τοῖς μεγίστοις κινδύνοις γενομένοις (sic enim legendum e vetustis non γενομένην ut est impressum) τῇ Ἑλλάδι. *Lacedæmonii negarunt se Græcam urbem, quæ in summis Græciæ periculis optime de illa esset merita, eversuros.* FABR.

4. *Se.* Abest a Coll. Gronov. et Lugd. Bat. tert.

5. *Si Piræei portus.* Justin., *Si demissa Piræeum versus muri brachia dejecerint*, ubi *muri brachia* vocat, quæ Græci μακρὰ σκέλη, μακρὰ τείχη. FABR.

6. *Munimina.* Lugd. Batt. duo cum Coll. Gronov., *munimenta.* Idem voluit cod. Longob. scribens *monumenta*, litteræ *u* superscripta *i*. Ed. Aug., *ducentiaque.* Mss. plures, *verterentur* pro *everterentur.* Flor. tert., *eruerentur.*

7. *Navesque reliquas.* Lugd. Bat. tert., *navesque reliquæ ultro traderentur.*

8. *Lectos.* Fabricius restituit ex mss. In editis antea decrat, præterquam in Aug., in qua *electos.* Aliquanto post Meus pro *constituerunt* habet *constituunt.*

9. *Darii, Persarum regis.* Darius non ita multo post pacem inter Athenienses factam mortuus fuit, cum annos 19 regnasset, Diodorus libr. XIII, Dionysius vero, ut idem scribit, non tam exsulavit, quam in extremum discrimen amittendæ tyrannidis venit. FABR.—Ms. Lugd. Bat. tert. atque ed. Aug. ex tribus *et*, primum delent.

tellitum stipant, mox etiam septingentos milites victoris exercitus lateribus suis circumponunt : cædem omnium passim futuram, [10] occiso Alcibiade, auspicantur : qui fugiens, in itinere clausus cubiculo, [11] vivus incensus est, quo interfecto, quasi sublato ultore securi, miseræ urbis reliquias cædibus rapinisque exhauriunt. [12] Theramenem quoque, unum ex numero suo, cui hæc displicere senserunt, in exemplum timoremque reliquorum trucidant. Itaque omnes passim ex urbe diffugiunt, sed [13] interdictu Lacedæmoniorum, cum per totam Græciam exsulibus negaretur hospitium, omnes se [14] Argos ac Thebas contulerunt : ubi ita hospitalitatis obsequio [15] foti sunt, ut non solum dolorem amissæ patriæ lenirent, [16] verum etiam spem recuperandæ meditarentur. Erat inter exsules [17] Thrasybulus, vir strenuus, et generis nobilitate inter suos clarus, qui auctor audendi pro patria fuit. Itaque [18] castellum Phylen Atticorum **135** finium collecti exsules capiunt, multarumque civitatum opibus adjuti, vires capessunt : [19] quibus Lysias quoque, Syracusanus orator, quasi in auxilium urbis, quæ esset patria communis eloquentiæ, [20] quingentos milites cum stipendiis suis misit. Atrox id prælium fuit, sed his [21] pro propria libertate, illis pro aliena dominatione certantibus, animorum atque causarum [22] ipsa quoque tulit pugna judicium : nam victi tyranni in urbem refugerunt, omnesque quos ex Atheniensibus sibi prius satellites legerant, tunc suspectos proditionis, urbis custodia removerunt. [23] Thrasybulum quoque ipsum tentare corruptione ausi sunt : quod ubi frustra speratum est, arcessitis a Lacedæmone auxiliis, rursus in bellum ruunt, ubi [24] duo sævissimi omnium longe tyrannorum trucidantur. Cæteros, victos et in fugam versos, [25] Thrasybulus, ubi vel **136** maxime Athenienses esse [26] intelligit, clamore consequitur, ora-

HAVERCAMPI NOTÆ.

10. *Occiso Alcibiade.* Trogus, cujus sententiam Orosius sequitur, videtur scripsisse Alcibiadem a Triginta viris occisum fuisse, quod illi, et præcipue Critias, ut est apud Plutarch. Lysandrum impulerint, ut Alcibiadem a Pharnabazo interficiendum curaret. Variæ tamen ejus necis causæ commemorantur a Plutarcho et Diodoro lib. XIV.

11. *Vivus incensus est.* Plutarchus scribit Alcibiadem, in Phrygiæ quodam vico deprehensum ab iis, quibus Pharnabazus hanc cædem mandaverat, qui cum ad eum ingredi non auderent, ædibus circumfusi eas incenderunt. Alcibiades sinistram manum pallio involvit, gladioque districto integer a flamma erupit, et submotis interfectoribus, eminus ab iis telis oppressus est. Sed Ephorus lib. VII ut est apud Diodor. tradidit, ædibus incensis, ipsum quidem eruptionem tentasse, verum flamma telisque impeditum interiisse. FABR.

12. *Theramenem quoque.* Theramenis præclara mors non tantum a Xenophonte eleganter describitur, sed et a Cicerone Tusc. I magnifice laudatur. FABR.

13. *Interdictu.* Lugd. Batt. tert., quart. et Coll. Gronov., *interdicto.*

14. *Argos.* Lugd. Bat. tert., Coll. Gronov. et ed. prima atque Aug., *ad Argos.*

15. *Foti sunt.* Male Venetæ *freti sunt.*

16. *Verum etiam spem reciperandi meditarentur.* Ita cod. Colon. pro quo inscite editiones verbum *recuperandi* occupavit. In Jure et Pandectis Florent. frequens est *reciperare*, quo veteres utebantur pro *reparare* : sicuti *reciprocare*, pro *reprocare* : et apud Gellium *reciperatores.* LAUT.

17. *Thrasybulus, vir strenuus.* Θρασύβουλος ὁ Τιρισὺς ὀνομαζόμενος, ὢν Ἀθηναῖος, Diod. FABR.

18. *Castellum Phylen.* Vulgo mendose, *Phylenen*, legitur, sicut apud Isocratem de Pace τῶν φυλακὴν καταλαβόντων, Apud Dionem lib. XLIV, οἱ τὴν φυλακὴν καταλαβόντες, pro Φυλήν : Xenophon, φυλὴν χωρίον καταλαμβάνει ἰσχυρὸν. Diod., κατελάβετο χωρίον τῆς Ἀττικῆς ὀνομαζόμενον Φυλήν, ἦν δὲ τὸ φρούριον ὀχυρόν τε σφόδρα καὶ τῶν Ἀθηνῶν ἀπέχον σταδίους ἑκατόν, id est, *Occupavit Atticæ castellum Phylen nomine : quod et bene munitum erat, et Athenis aberat millia passuum fere* XIII. FABR. — Manavit inde proverbialis illa locutio apud Aristophanem in Pluto, vers. 1147 :

Μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες.

Ne quæso memineris injuriarum, quamvis nunc Philen occupaveris. Ubi consule Scholiastem. Emendavit jam olim Orosii locum Leopardus in Gruteri Face Critica tom. III p. 400.

19. *Quibus Lysias quoque.* Exstant optimi hujus oratoris aliquot orationes, quarum lepidissimam *Funebrem* nos ante annos aliquot auxilio libri manuscripti integram edidimus, Latinamque, una cum *Defensione cædis Erathostenis*, fecimus. FABR.

20. 500 *milites.* Plut. in Lysia auctor est ipsum juvisse Thrasybulum duobus millibus drachmarum, scutis ducentis, et militibus a se conductis trecentis. FABR.— Pro *misit* est *mittit* in ed. Aug.

21. *Pro propria libertate.* Recte iis quæ sequuntur, *pro aliena dominatione* hæc opponi videntur, sed cum codex Longobard. legat *pro patria libertate*, idque ipsum velle videatur Ultr. in quo, *pro pata propria libertate*, immo dudum exhibuerint edd. princeps, Paris. et Venetæ, quin et ed. illa præstantissima, quæ Augustæ Vindelicorum emissa fuit, in qua est, *pro patria pro libertate.* Editionum quidem illarum lectionem duplicem codd. scripturam esse existimo, et legendum, *pro patria et libertate*, vel *pro patria libertate*, ut codicum habet optimus, et confirmare videtur Justinus lib. V, cap. 9, *Sed cum hinc pro patria summis viribus, inde pro aliena dominatione securius pugnaretur.*

22. *Ipsa quoque tulit pugna judicium.* Sic omnino locus hic ex iisdem editionibus atque insuper mss. Meo atque Lugd. Bat. tertio, restitui debet. Vulgati *indicium* habent. Lucani imitatio est, ex lib. I vers. 126 :

Quis justius induit arma
Scire nefas : magno se judice quisque tuetur :
Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni.

Mox edd. princeps, Venetæ et Paris., *refugerunt* et *ab armis.*

23. *Thrasybulum quoque ipsum.* Hunc conatum exposuerat Diodorus lib. XIV, ubi post occupatum Piræeum scribit magnum numerum exsulum ad Thrasybulum confluxisse : ac deinde in Henrici Stephani libris sequitur, φανερὸς μὲν περὶ τινων αἰχμαλωτῶν διαλεξόμενος, etc., ubi hæc verba, ἦλθον δὲ καὶ ἀπὸ τῶν τριάκοντά τινες, aut his similia, desunt. FABR.

24. *Duo sævissimi. Critias* nimirum et *Hippomachus* Xenophon, et Justinus. Diodorus *Critiæ* tantum meminit. FABR.

25. *Trasybulus clamore consequitur.* Hæc Cleocriti præconis voce pronuntiata fuisse Xenophon scribit. FABR.

26. *Intelligit.* Meus cum duobus Lugd. Batt. et Coll. Gronov. habent *intellexit.*

tione retinet, precibus ligat, proponens ante oculos eorum, quos fugere vel ad quos refugere [27] vellent, sibi, adversus triginta dominos, non adversus cives miseros, bellum esse susceptum. Quin potius omnes, qui se meminerint esse Athenienses, sequi oportere Atheniensium libertatis ultores. Itaque hæc [28] adhortatio tantum apud eos valuit, ut mox reversi in civitatem tyrannos arce decedere atque [29] Eleusinam migrare compulerint: qui, postquam in societatem urbis cives suos, eatenus exsules, [30] receperunt, tyrannos in bellum æmulatione suscitant, quibus libertas aliorum quasi ipsorum servitus videbatur. [31] Tunc indicta pugna, cum prius quasi ad colloquium convenirent, circumventi insidiis, veluti pacis victimæ, trucidantur: [32] ita revocati in unum, post [33] inexplebiles magnorum lacrymas gaudiorum, hæc prima [34] fundamina recuperatæ libertatis instaurant, proposita jurisjurandi contestatione, uti discordiæ, animositatesque præteritæ, in oblivionem perpetuam atque immortale silentium deducantur. Quod pactionis genus quasi [35] novam vitæ institutionem, novamque felicitatem status sui informantes, [36] amnestiam vocaverunt, id est, abolitionem **137** malorum. [37] Sapientissima Atheniensium, præsertim post tanta miseriarum documenta, provisio: si quo pacto res humanæ manente consensu hominum, [38] ut ordinantur, valerent. Sed adeo hoc idem placitum, [39] inter ipsa pene placiti verba corruptum est, ut, vix intercedente biennio, [40] Socrates ille, clarissimus philosophorum, adactus malis, veneno sibi apud eos vitam extorserit: deinde vix quadragintâ annis intervenientibus, ut alia sileam, iidem Athenienses, adempta sibi penitus libertate, sub Philippo Macedonum rege [41] servierint. Verumtamen sapientissimi omnium Athenienses, etiam suis malis satis docti, [42] concordia minimas res crescere, discordia maximas labi, [43] cunctaque vel bona, vel etiam mala, quæ foris geruntur, internis esse radicata et emissa principiis, domi abstersere odia, et foris bella presserunt: reliquerunt posteris suis [44] de ruina sui exemplum, de reparatione consilium: si tamen ob infirmissimam humanæ mentis mutabilitatem, quod in afflictis rebus consulitur, in prosperis servaretur.

138 CAPUT XVIII.

De bello civili inter Artaxerxem et Cyrum filios Darii, quod parricidio finitum fuit. De terræmotu Siciliæ, et Atalante insula facta.

Iisdem fere diebus [1] bellum civile, [2] immo etiam plusquam civile, vix parricidio terminatum, ad Persas gerebatur. Mortuo enim rege Dario, cum Artaxerxes et Cyrus, filii ejus, de regno ambigerent, tandem magnis apparatibus, [3] magnis provinciarum ac

HAVERCAMPI NOTÆ.

27. *Vellent.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. cum ed. Aug., *velint.* Mss. iidem in iis, quæ præcesserunt, delent *eorum.* Aliquanto post *esse* quoque expungunt, et scribunt cum Lug. Bat. sec. *meminerint Athenienses.*

28. *Adhortatio.* Edd. veteres, *exhortatiô.* Ms. Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., *oratio.*

29. *Eleusinam migrare compulerint.* Edd. quædam *Eleusin* et *emigrare*, ut et *compellerent.*

30. *Receperunt.* Edd. quædam *exceperunt.*

31. *Tunc indicta pugna.* Ms. Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., *inclita*, unde patet hausta hæc ex eodem fonte. Orosii verborum sensus esse videtur bellum et pugnæ diem atque locum a tyrannis, indicta fuisse Atheniensibus. Justin. lib. v, cap. 10, *Bellum Atheniensibus inferunt.*

32. *Ita.* Mens codex, *Itaque.*

33. *Inexplebiles.* Edd. vett. *inexplicabiles.* Rectius aliæ cum mss., *inexplebiles.*

34. *Fundamina.* Lugd. Bat. quart. atque Ultr., *fundamenta*, ut ed. August.

35. *Novam.* Cod. Perizon et Ultr. *novæ.*

36. *Amnestiam.* Ἀμνηστίαν. Valerius Max. lib. IV, cap. 1 de Thrasybulo, *Plebis scitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret. Hæc oblivio, quam Athenienses ἀμνηστίαν vocant*, etc. Hinc Plutarchus in Civilibus Præceptis scitum illud Atheniensium vocat τὸ τῆς ἀμνηστίας ψήφισμα. Hoc Græcum verbum usurpavit M. Tullius, cum post cædem C. Julii Cæsaris omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censuit. Philip. I. Hinc Paterculus lib. II: *Et illud decreti Atheniensium celeberrimi exemplum relatum a Cicerone oblivionis præteritarum rerum decreto patrum comprobatum est.* Vopiscus in Aureliano, *Amnestia etiam sub eo delictorum publicorum decreta est de exemplo Atheniensium, cujus rei etiam Tullius in Philippicis meminit.* Hæc ideo pluribus, quod videam esse, qui affirment (ut Muretus in Variis lib. II, cap. 15) verbum illud, quod Cicero usurpavit, esse non ἀμνηστίαν, sed μὴ μνησικακεῖν. Fabr. — Confer Aristophanis locum ex Pluto supra pag. 134 et Orosii lib. VII, cap. 6.

37. *Sapientissima Atheniensium.* Lugd. Batt. tert. et quart. cum Coll. Gron. et quibusdam edd. vett., *Sapientissima fuit hæc*, etc. Mox pro *post tanta* cod. Perizon. habet *post tot.* Post *provisio* Cod. Ult. et ed. Aug. addit *esset.*

38. *Ut ordinantur.* Præter ed. Aug. sex vel septem ex mss. scribunt, *ita ut ordinantur, valerent.* Videlicet Ultr., Lugd. Batt. sec., tert., quart., Coll. Gronov., Perizon., Mens.

39. *Inter ipsa pene placiti verba.* Recte neque audiendi sunt Lug. Batt. tert. et quart. qui cum Coll. Gronov. exhibent *inter pia beneplaciti verba.*

40. *Socrates ille.* Socrates, ab Anyto et Melito impietatis accusatus, et condemnatus, venenum bibit, anno primo olympiadis 95. Laertius lib. II et Diodor. XIV. Fabr.

41. *Servierint.* Perizon. cum Lugd. Bat. tert. et ed. Aug., *servierunt.*

42. *Concordia minimas res crescere.* Sententia Sallustiana ex Jugurthino. Fabr.

43. *Cunctaque.* Copulam abjicit ed. Aug. et mox exhibet *intrinsecus* pro *internis.*

44. *De ruina sui.* Hæc meliorum et fere omnium codd. lectio est. Quidam cum edd. nonnullis, *de ruina sua.* Mox ed. Aug., *et de reparatione.*

Cap. XVIII. — 1. *Bellum civile.* Bellum hoc inter duos fratres, Cyrum et Artaxerxem, gestum, Xenophon, ejus particeps et socius, septem libris Κύρου Ἀναβάσεως descripsit: quos bene Latinos fecit doctissimus Romulus Amasæus. De eodem Diodorus lib. XIV et Plutarch. in Artaxerxe. Fabr.

2. *Immo etiam plusquam civile.* Imitari voluit illud Lucani, quo poeta Carmen suum orditur,

Bella per Æmathios plus quam civilia campos.

Editt. quidam vett. *immo* non habent.

3. *Magnis provinciarum.* Alterum hoc *magnis* a cod. Longobardico abest.

populorum ruinis,[4] utrimque certatum : in quo conflictu cum e diverso[5] concurrentes sibi ambo fratres mutuo casus objectavisset, prior Artaxerxes vulneratus a fratre, equi velocitate[6] morti exemptus evasit. Cyrus autem, mox a cohorte regia oppressus, finem certamini dedit. Artaxerxes ergo et præda fraternæ expeditionis, et exercitu potitus, potestatem regni parricidio[7] firmavit.[8] Sic universa Asia atque Europa, partim in se singulæ, partim in se invicem funeribus et flagitiis permiscebantur. Ecce parvissima pagina; verbisque paucissimis, quantos de tot provinciis, **139** populis atque urbibus, non magis explicui actus operum, quam implicui globos miseriarum.[9] Quis enim cladem illius temporis, quis fando funera explicet, aut æquare lacrymis possit dolores ?[10] Verumtamen hæc ipsa, quia multo interjectu sæculorum exoleverunt, facta sunt nobis[11] exercitia ingeniorum, et oblectamenta fabularum : quamquam si quis intentius adhibeat animum, seseque toto mentis affectu[12] ipsis pene causis bellisque permisceat, ac rursus velut in arce spectaculi constitutus : utrumque in suis qualitatibus tempus permetiatur, facile dixerim, eum judicaturum, neque illa, nisi irato atque[13] aversato Deo[14] posse tam infeliciter perturbari ac permisceri, neque ista sic, nisi propitio et miserante, componi.[15] His deinde temporibus gravissimo motu terræ concussa Sicilia, insuper exæstuantibus Ætnæ montis ignibus[16] favillisque calidis, cum detrimento plurimo agrorum villarumque vastata est. Tunc etiam Atalante civitas, Locris adhærens, terræ contigua,[17] repentino maris impetu abscissa, atque in insulam desolata est. Atheniensium quoque miserabiles reliquias pestis invasit, diuque populata est.

140 CAPUT XIX.

Romanorum parum honesta ad Veios obsidio. Urbs a Gallis capta et vastata. Collatio istius excidii cum præsenti Gothorum invasione.

[1] Anno ab Urbe condita CCCLV obsidio Veiorum decem[2] continuis annis magis obsessores quam obsessos detrivit. Nam Romani repentinis sæpe hostium eruptionibus comminuti, præterea in hibernis bella[3] sortiti, hiemare sub pellibus, postremo famem ac frigus in conspectu hostium perpeti coacti sunt : urbem novissime, sine ullo[4] digno Romanæ virtutis testimonio, cuniculis et clandestina obreptione ceperunt. Hanc utilem magis quam nobilem victoriam, primo dictatoris[5] Camilli, qui eam de

HAVERCAMPI NOTÆ.

4. *Utrimque certatum.* Hæc est lectio codd. Longob. et Flor. sec., trium Lug. Batt. cum Coll. Gronov. et Ultr. Cod. vulgati et Lugd. Bat. pr. atque Flor. tert., *est utrimque certatum.* Quod *est* si addi placet, melius cum ms. Meo et ed. Aug. in fine periodi locari potest.

5. *Concurrentes sibi ambo fratres,* etc. Cod. Perizon. cum Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *ambos.* Dein editi plures, *objectassent* vel *objectavissent*, contra mss. meliores. Dixit Orosius *ambo* vel *ambos fratres*, pro eo quod Justinus *utrumque fratrem*, lib. v, cap. 11 : *Sed cum in bello sors prælii utrumque fratrem pugnæ obtulisset;* quare nolim ibi cum Scheffero mutare in *utrimque.*

6. *Morti exemptus evasit.* Ed. Aug., *morti exemptus est.*

7. *Firmavit.* Cod. Longob., *finivit*, quasi *contestationem* vel simile quid præcessisset.

8. *Sic universa.* Lugd. Batt. tert., quart., Coll. Gronov., *Ac sic*, etc. Mox editi plures, *inter se invicem.*

9. *Quis enim cladem.* Παρῳδία Virgiliana e lib. II Æneid. FABR.

10. *Verumtamen*, etc. Ed. Aug., *Verum hæc ipsa, quæ*, etc.

11. *Exercitia ingeniorum.* Scilicet ad belle declamandum. Juvenal. sat. 10 vers. 167 :

> Ut pueris placeas et declamatio fias!

12. *Ipsis.* Ed. Aug., *in ipsis.*

13. *Aversato deo.* Puto reponi debere *aversante deo*, ut est in Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. quodque Meus forte vult, scribens *adversato*, vel scripsisse Orosium, prout exhibet ed. August., *averso deo.* Martialis de poeta infelici et cacatas scribente chartas, lib. VIII, epigr. 56 :

> Scribit in aversa Picens epigrammata charta :
> Et dolet, averso quod facit illa deo.

i. e. iratis Apolline et Musis. Ovid. III Amor. 12, vers. 17 :

> Aversis utinam tetigissem carmina Musis ;
> Phœbus et inceptum destituisset opus.

14. *Posse.* Cod. Perizon., *potuisse.*

15. *His deinde temporibus.* Hic terræmotus accidit anno tertio olymp. 88 anno quinto belli Peloponnesiaci, de quo Diod. lib. XII : Τηλικούτους δὲ συνέβη τοὺς σεισμοὺς γενέσθαι κατὰ πολλὰ μέρη τῆς Ἑλλάδος, ὥστε καὶ πόλεις τινὰς ἐπιθαλαττίους, ἐπικλύσασαν τὴν θάλατταν διαφθεῖραι, καὶ κατὰ τὴν Λοκρίδα χερσονήσου καθεστώσης ῥῆξαι μὲν τὸν ἰσθμὸν, ποιῆσαι δὲ νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Ἀταλάντην, i. e., *Tum in plerisque Græciæ partibus terra ita movit, ut nonnullas urbes maritimas superinfusa maria obruerint, et Locridis latus, in quo Atalante oppidum in mare projectum continenti adhærebat, maris impetu abscissum in insulam abierit.* FABR.

16. *Favillisque calidis.* Edd. quædam vett. *favillisque grandibus et calidis.* Ms. Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *flabris favillisque calidis.*

17. *Repentino maris impetu abscissa.* Codd. Perizon. et Meus *abscisa* habent. Verum vulgata hic retinenda est, ut patet ex distinctione quam viri docti faciunt inter *abscisus* et *abscissus.* Confer Notas Dukeri ad Florum lib. II. cap. 11, p. 227, et Oudendorpii ad Frontin. p. 49.

CAP. XIX. — 1. *Anno ab U. C.* CCCLV. Cuspinianus vult in hoc numero errorem inesse, quem ego, qui puto Orosium respexisse non tempus cœptæ obsidionis Veiorum, sed captæ urbis, contra fidem librorum mutare nolui. Sigonio, cujus diligentiam in perficiendis Fastis admiramur, annus captæ urbis Veiorum est post Romam cond. CCCLVII. De Veiorum obsidione et expugnatione copiose Liv. lib. v. FABR.

2. *Continuis.* Lugd. Bat. tert., Coll. Gronov. et ed. Aug., *continuatis.*

3. *Sortiti.* Meus cum Perizon. et ed. Aug., *sortiri*, ut referatur ad *coacti sunt.* Dein Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. *postremoque.*

4. *Digno Romanæ virtutis.* Ed. Aug., *dignæ virtutis testimonio.*

5. *Patravit.* Lugd. Bat. sec., *paravit.* ut et Ultr.

Veientibus [6] patravit, exsilium, dehinc irruptio Gallorum, et incendium Urbis insequitur : cui cladi audeat quisquam, si potest, aliquos motus temporis hujus comparare : quamvis non æque pendat præteriti mali fabulam præsentis injuria. Igitur Galli Senones, duce Brenno, exercitu copioso et robusto nimis, cum [7] urbem Clusini, [8] quæ nunc Tuscia dicitur, obsiderent, legatos Romanorum (qui tunc componendæ inter eos pacis gratia venerant) in acie adversum se videre pugnantes : qua indignatione permoti, Clusini oppidi **141** obsidione dimissa, totis viribus Romam contendunt. Hos ita ruentes [9] Fabius cum exercitu consul excepit, nec tamen obstitit, immo potius hostilis ille impetus, quasi aridam segetem [10] succidit, stravit et transiit. [11] Testatur hanc Fabii cladem fluvius Allia, sicut Cremera Fabiorum. Non enim facile aliquis similem ruinam Romanæ militiæ recenseret, etiam si Roma insuper incensa non esset. Patentem Galli Urbem penetrant, trucidant rigentes simulacrorum modo in suis [12] sedibus senatores : eosque incendio domorum crematos, lapsu culminum suorum sepeliunt. Universam reliquam juventutem, quam constat vix mille hominum tunc fuisse, in arce Capitolini [13] montis latitantem, obsidione concludunt : ibique infelices reliquias, fame, peste, desperatione, formidine [14] terunt, subigunt, vendunt : nam mille libris auri discessionis pretium paciscuntur : non quod apud Gallos Roma parvi nominis fuerit, sed quod illam sic jam ante detriverint, ut amplius tunc valere non posset. Exeuntibus Gallis remanserat in illo quondam Urbis ambitu informium ruinarum obscœna congeries, [15] et undique impedita errantium, et inter sua ignotorum offensæ vocis imago respondens, trepidos suspendebat auditus. [16] Horror quatiebat animos, silentia ipsa **142** terrebant. Si quidem materia pavoris est [17] raritas ipsa vocis in spatiosis. [18] Hinc illis mutare sedes, aliud incolere oppidum, altero etiam censeri nomine cogitatam, placitum atque tentatum est. En tempora quorum comparatione præsentia ponderantur ; quibus recordatio suspirat : en, quæ incutiunt [19] de electa, vel potius de neglecta religione, pœnitentiam. [20] Revera pares sunt et conferuntur inter se hæ duæ captivitates, illa [21] sex mensibus desæviens

HAVERCAMPI NOTÆ.

6. *Camilli exsilium.* N. Furius Camillus, die dicta ab L. Appuleio tribuno pl. ob prædam Veientanam inique divisam, in exsilium abiit quinto anno postquam Veios ceperat. Livius, et Plutarchus in Camillo. FABR.

7. *Urbem Clusini quæ nunc Tuscia.* Orosio hic suam lectionem reddidimus. Verum hoc oppidum ab aliis *Clusium*, oppidanos *Clusinos*, dici notius est, quam ut sit admonendum. FABR. — Membranæ meæ *Clusium* habent, ut et edd. Ven. cum principe et Paris. At Vinc. Bellov. lib. IV, cap. 81, *Dusim*, *quæ nunc Tuscia dicitur.*

8. *Quæ nunc Tuscia dicitur.* Absunt a Meo. Vulgati olim, *Dusia*, cod. Longob., *Thuscia*. Flor. sec., tert. aliique mss., *Tuscia.*

9. *Fabius cum exercitu consul.* Nullus Fabius hoc tempore consul fuit : sed eo anno, quo Roma capta est, tres Fabii tribuni militum consulari potestate fuerunt, Livius lib V, Diod. XIV, Plutarchus in Camillo. FABR. — Vox *consul* a sciolo in margine notata, forsan in textum irrupit. Certe non suo loco, et luxato verborum ordine ponitur. Unde scribitur in Meo, *consul cum exercitu.*

10. *Succidit, stravit et transiit.* Mss. Lugd. Batt. tert. et quart. cum Coll. Gronov. *succendit*, etc. Ed. Aug. *succendit, stravit et transivit.* Et quia *aridam segetem* dixit, videri posset non incommoda lectio. Vulgatam tamen quam servat quoque Vinc. Bellov. præfero, propter id quod sequitur *stravit et transiit.*

11. *Testatur hanc Fabii cladem.* Eodem die nempe XV kal. Sext. utraque clades accepta fuit; isque dies a posteriore *Alliensis* dictus est, Livius lib. VI, Plutar. in Camillo, Tacitus lib. XVIII, Servius in VII Æneid. FABR.

12. *Sedibus.* Male *ædibus* mss. et editi quidam.

13. *Latitantem.* Meus, Perizon. et Lugd. Bat. sec., *latentem.*

14. *Terunt.* Vulgati *terrent*, sed *terunt*, quod ad oram in plerisque notatur, et meliorem efficit sensum, optimis atque antiquissimis mss. fulcitur. Sic enim exstat in tribus Florentinis, duobus Lugd. Bat. Meo atque Perizon. et primis edd. ut et Vinc. Bel. confirmatur.

15. *Et undique per impedita.* Lectionem illam, quam hic Gerardus Bolsuinge in margine ascripsit, nos in antiquis non invenimus : sed quod in illis sine ulla differentia legitur, nos bona fide descripsimus. FABR. — In margine Hitiorp. et Bolsuing. ed. hæc ascribuntur : *Et dum per impedita ruinarum errabant, et inter sua claustra manentes aliis ignoti erant, illorum plangentium voces aliorum trepidos suspendebant auditus.*

16. *Horror*, etc. Desumptum ex Virgilio de strage urbis Trojæ, lib. *Æn.* II, 755.

Horror ubique animos simul ipsa silentia terrent.

Ed. pr. et Venetæ, *Horrore q a. silentioque ipso terrebat.*

17. *Raritas ipsa vocis in spatiosis.* Ita scriptum inveni in ed. Augustana, eamque lectionem verissimam esse puto. Nam raritas vocis horrorem facit, sed auget horrorem, si in locis amplis et spatiosis, ut erat Roma, stratis ædificiis desolata et late patens, vastum sit silentium. Editi antiquiores tantum habent *raritas ipsa vocis*, usque ad Fabricianas. Fabricius enim maluit nulla tamen addita nota, *raritas ipsa in spatiosis.* Quæ lectio, quamvis tribus mss. Florentinis, Lugd. Bat. pr. ut et Meo et Perizon. confirmetur, nequaquam tamen præstat illi quæ in antiquis edd. et tribus Lugd. Batt. et Coll. Gronov. invenitur *raritas ipsa vocis.* Cujus enim rei raritas Orosio in spatiosis agnoscitur? si hominum? eorum nulla mentio in iis quæ præcesserunt, ergo vocis. Quare amplector lectionem cod. August. cum illam insuper confirmet ms. Ultrajectinus.

18. *Hinc illis mutare sedes.* Intelligit consilium migrandi Veios : de quo Livius lib. V extremo.

19. *De electa.* Sensus hic est, en qualia sint illa tempora, quæ merentur, ut pœniteat vos, receptam publice sub imperatoribus piis religionem Christianam esse, immo, quæ potius vos confundant, tam diu eamdem fuisse neglectam, et tam sero receptam. Ed. pr., *rejecta*, Aug. *relicta.*

20. *Revera pares sunt*, etc. Puto esse scribendum, *Revera pares sunt, sed conferantur inter se*, etc.; sic minima mutatione sensus qui nunc cespitat, clarus et rei atque orationi est conveniens. Fateor, inquit, sicuti olim a Gallis, sic nunc a Gothis captam Urbem esse, sed si clades acceptæ conferantur, immane erit discrimen, etc.

21. *Illa sex mensibus desæviens.* Plutarchus Romam septem mensibus in Gallorum potestate fuisse, his

et tribus diebus ista transcurrens. Galli, exstincto populo, Urbe deleta, [22] ipsum quoque Romæ nomen in extremis cineribus persequentes, et Gothi, relicta intentione prædandi, ad confugia salutis, hoc est, sanctorum locorum, agmina ignara cogentes. Ibi vix quemquam inventum senatorem, qui vel absens evaserit : hic vix quemquam requiri, qui forte ut latens, perierit. Recte sane [23] compararim hunc fuisse ibi servatorum numerum, qui hic fuerit perditorum.[24] Plane quod reprobitur, fatendum est, in **143** hac clade præsenti plus Deum sævisse, [25] homines minus, cum peragendo ipse, quod illi non implevissent, cur eos miserit, demonstravit : quippe cum supra humanas vires esset, incendere æneas trabes, et subruere magnarum moles structurarum, ictu fulminum Forum cum imaginibus vanis, quæ, superstitione miserabili, vel Deum vel hominem mentiuntur, abjectum est : [26] horumque omnium abominamentorum, quod immissa per hostem flamma non adiit, missus e cœlo ignis evertit. Et quoniam uber dicendi materia est, quæ nequaquam hoc concludi libro potest, hic præsentis voluminis finis sit, ut in [27] subsequentibus cætera [28] prosequamur.

verbis in Camillo scribit : Οὕτω μὲν ἡ Ῥώμη παραλόγως ἥλω, καὶ παραλογώτερον ἐσώθη, μῆνας ἑπτὰ τοὺς πάντας ὑπὸ τοῖς βαρβάροις γενομένη. FABR.

22. *Ipsum*. Edd. vett. *ipsius*, contra mss. plures et meliores.

23. *Compararim*, Ed. Aug., *comparavi*. Prima omnium, *potest comparari*. Mss. Lug. Bat. tert. et Ultr., *comparari inter se possunt*.

24. *Plane*. Flor. sec., *sane*.

25. *Homines minus*. Ed. Aug., *quam homines*.

26. *Horumque*. Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *forumque*, quasi luderet Orosius in voce, et hic pro mercatu poneret.

27. *Subsequentibus*. Ultr., *sequentibus*.

28. *Prosequamur*. Florent. sec. et tert., *persequamur*, sed prim., *subsequamur*, alia manu corr. in *persequamur*.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

144 [1] Et superiore jam libro contestatus sum, et nunc necessarie repeto, secundum præceptum tuum, de anteactis conflictationibus sæculi, [2] nec omnia nec per omnia posse quæ gesta, et sicut gesta sunt, explicari, quoniam magna atque innumera copiosissime, et [3] a plurimis scripta sunt; scriptores autem etsi non easdem causas, easdem tamen res habuere propositas : quippe cum illi bella, nos bellorum miserias evolvamus. Præterea ex hac ipsa, de qua queror, abundantia, angustia oritur mihi, et concludit me sollicitudo nodosior. Si enim aliqua studio brevitatis omitto, putabuntur aut mihi nunc defuisse, **145** aut in illo tunc tempore non fuisse. Si vero significare cuncta, nec exprimere studens, compendiosa brevitate succingo, obscura faciam : et ita apud plerosque [4] erunt dicta, ut nec dicta videantur : maxime, cum e contrario nos vim rerum, non imaginem commendare curemus. Brevitas autem atque obscuritas, immo ut est semper obscura brevitas, etsi cognoscendi imaginem præfert, [5] aufert tamen intelligendi vigorem. Sed ego, [6] cum utrumque vitandum sciam, faciam, ut, quocumque modo [7] alterutra temperentur, [8] nec multa prætermissa, nec multum [9] constricta videantur.

HAVERCAMPI NOTÆ.

PRÆFAT. — 1. *Et superiore*, etc. Mss. Ultr. et Lugd. Bat. sec., *Superiore*, deleta copula. Meus et Perizon. cum edit. prima, *ut superiore*. Lugd. Batt. tert. et quart., *Ex superiore*. Parisin. edd. et Venetæ, *Et in superiori*. Sed post *contestatus sum*, in Coll. Gronov. repetitur ex cap. 18. Virgiliana imitatio, *Quis cladem illius temporis, quis funera explicet, aut æquare lacrymis possit dolores?* Quod et in uno ex mss. Lugd. Batt. inveni. Pro *conflictationibus* eadem cum tribus Lugd. Batt. habet *conflictionibus*.

2. *Nec omnia nec per omnia*. Constans hæc mss. est lectio, quam, ex vetustis editionibus ante Fabricianas, sola servat August.; reliquæ exhibent, *et me nec omnia posse quæ gesta sunt, nec sicut gesta sunt explicare*.

3. *Et a plurimis*. Ex iisdem mss. et ed. August. conjunctionem *et* reposuimus, haud supervacaneam, nam pauci etiam copiosissime scribere possunt. Lugd. Batt. duo, *et a pluribus*.

4. *Erunt dicta*. Et hic mss, certe optimorum retinui lectionem, videlicet cod. Longob. cum duobus reliquis Florentinis, Mei et Perizoniani. Editiones omnes exhibent *dubia*, sed ex mss. *dicta* plerique in margine annotant.

5. *Aufert tamen*. Lugd. Bat. tert. et Coll. Gron., *haud refert tamen*. Idem ms. pro *cognoscendi* supra, *noscendi*.

6. *Cum utrumque vitandum sciam*, etc. Variæ hæc periodus in editionibus novis et antiquis legi solet. Edd. prima, August. et Paris. sic expresserunt, *cum utrumque vitandum sciam, utrumque faciam, ut, quocunque modo alterutra temperentur, nec multa* (ed. Aug. *multum*) *prætermissa, nec multum constricta videantur*. Venetæ ita legunt, *sed ego cum utrimque vitandum sciam utrumque, faciam*, etc. Quam lectionem inveni quoque in Hittorp, et Bolsuing. verum illæ *si* interserunt, ibi, *si nec multa*, etc. Quod fecerunt quoque Fabricius et Scottus, qui pro *utrimque* tamen utrobique *utrumque* exhibent. Quamvis autem bis *utrumque* in mss. invenerim, omnino alterutro loco ejici debere existimo. Nam cum in quibusdam codd. inveniretur, *cum vitandum sciam utrumque, faciam*, etc. in aliis, *cum utrumque vitandum sciam, faciam*, etc. videntur scribæ utrumque, pro more suo, retinuisse. Ego, ut putidum, exulare jussi, una cum *si* ante *nec multa*, quod perperam intrusum fuit.

7. *Alterutra*. Ms. Ultr., *utraque*. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *aliter utraque*.

8. *Nec Multa*. Ms. meus, *ut nec multum*. Unus ex Lugd. Bat. et Coll. Gron., *non hæc multum*.

9. *Constricta videantur*. In meo ms. legitur *extensa videantur*. Non inepte; nam prætermissa brevitatem includunt, cui extensio opponitur. Vulgata sic explicari potest, haud multa erunt prætermissa, neque tamen nimis pressa erit et contracta oratio.

146 CAPUT I.

De pace jussu Artaxerxis regis per Græciam facta, deque variis bellis ante illam pacem a Lacedæmoniis cum rege et Thebanis gestis, ubi de Cononе.

[1] Anno ab Urbe condita CCCLXIV quem annum sicut gravissimum propter ignotam sibi captivitatem Roma persensit, ita magnificum [2] propter insolitam pacem Græcia habuit; eo siquidem tempore, quo Galli Romam captam incensamque tenuerunt ac vendiderunt, Artaxerxes, rex Persarum, discedere ab armis et quiescere in pace universam Græciam per legatos præcepit, denuntians contradictorem pacis bello impetendum: quem ita jubentem potuissent utique Græci tam constanter contemnere, quam fortiter sæpe vicerunt, nisi porrectam undecumque occasionem, quam avide desideraverant, tam libenter B hausissent: ostenderunt enim quam ægre admisere illa quæ eatenus gesserunt, quæ tam facile, indigna etiam conditione, deposuerunt: nam quid tam indignum liberis et fortibus viris, quam longe remoti, [3] sæpe victi, adhuc hostis, et deinde minitantis, imperio arma deponere, pacique servire? [4] si non ipso tantum annuntiatæ pacis sono per **147** corda cunctorum ægra belli tabuisset intentio: et, post diuturnas laborum vigilias, oscitantes ac stupefactos [5] quies inopina laxasset, priusquam A ipsam quietem [6] voluntas pacta componeret. Unde autem tanta fatigatio omnium per totam Græciam populorum corda corporaque oppresserit, quæ efferos animos ignoto acquiescere otio tam facile persuasit, quam brevissime ostendam. [7] Lacedæmonii, utpote homines, et Græci homines, quo plura habebant, eo ampliora cupientes, [8] postquam Atheniensium potiti sunt, [9] universam Asiam spe dominationis [10] hauserunt. Itaque [11] toti Orienti bellum moventes, [12] Dercyllidam ducem in hanc militiam legunt, qui cum sibi adversus duos potentissimos Artaxerxis Persarum regis præfectos, Pharnabazum et Tissafernem pugnandum videret, proviso ad tempus consilio, ut pondus geminæ congressionis eluderet, [13] unum denuntiato bello appetit, alterum pacta pace suspendit. Pharnabazus Tissafernem apud Artaxerxem, communem tunc regem, defert ut proditorem, præsertim qui cum hoste belli tempore de fœderis conditione pepigisset: hortaturque **148** regem, ut [14] in locum ejus [15] Cononem, Atheniensem virum, qui tunc forte apud Cyprum exsulabat, ducem navali bello constituat. [16] Acceptis igitur quingentis argenti talentis, Conon per Pharnabazum [17] evocatur, classique præficitur, quibus compertis, Lacedæmonii et ipsi auxilia navalis belli [18] a rege Ægypti Hercynione per le-

HAVERCAMPI NOTÆ.

Cap I.—1. *Anno ab Urbe condita* CCCLXIV. Hic numerus est quoque apud Plinium lib. XXXIV cap. 1. Livius libr. V in orat. Camilli, Romam captam significat anno ab *Urbe condita* CCCLXV. Fabr. Mox pro *ignotam* edd. quædam et mss. *ignoratam*. Repetunt quoque *sibi* ante *propter insolitam pacem*.

2. *Propter insolitam pacem*. Quo anno Roma capta fuit, eo Lacedæmonii τὴν ἐπὶ Ἀνταλκίδου γενομένην εἰρήνην πρὸς βασιλέα τῶν Περσῶν ἐκύρωσαν, *id est pacem, per Antalcidam cum rege Persarum factam ratam habuerunt*, ait Polybius libr. I. Verum de hac pace inferius dicetur. Fabr.

3. *Sæpe victi, adhuc hostis*. Fabricius et Scottus ediderunt, *sæpe etiam victi adhuc hostis*, etc., secuti Hittorp. et Bolsuing. Editiones, nam Venetæ, prima et Paris., *sæpe etiam victi hostis*. At ex mss. quos consului, nullus illud *etiam* admittit, sed omnes, consentiente ed. Aug. scribunt, *sæpe etiam victi, adhuc hostis*, etc.; ita enim verba illa distinxi, cum quatuor enumeret Orosius causas, propter quas repudiare pacis auctorem potuerint Græci, quod rex ille Persarum longe esset remotus a Græcia, quod sæpe victus, quod animo etiamnum hostis esset hæreditarius, et denique, quod non sine minis loqueretur.

4. *Si non ipso*. Cod. Longob., *si non in ipso*.

5. *Quies inopina*. Præter cod. Longobard. et reliquos duos mss. Florentt., Lugd. Bat. quart. *inopina* mavult. Reliqui cum vulgatis *inopinata*.

6. *Voluntas pacta componeret*. Mss. Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov. et edd. quibusdam vetustis, *peracta*, quod natum credo ab iis descriptoribus, qui compendium scripturæ in medio vocis *pacta* quæsiverunt. Sensus Orosii hic est, Græcos nimio pacis desiderio, velut attonita mente, eamdem ad primam ejusdem mentionem fuisse amplexos, etiam antequam *voluntas pacta*, id est, per deliberationem assensum præbens, conditiones pacis agnosceret atque approbaret; simile quid supra scripsit lib. II, cap. 5: *Nisi maturata reconciliatio subrepsisset prius quam se discessio ipsa cognosceret.*

7. *Lacedæmonii, utpote homines*. Orosius hæc e Justini libro VI descripsit. Pluribus eadem Xenophon. libr. III, Diodor. XIV. Fabr.

8. *Postquam Atheniensium potiti sunt*. Qui hanc scribendi formulam non intellexerunt inutiliter inseruerunt *auxilio*, ante *Atheniensium*, quod legitur in edd. prima, Paris. et Venetis.

9. *Universam Asiam*. Cum mss. quidam haberent *Græciam*, quod et in Lugd. Batt. duobus et Coll. Gronov. exstat, plures *Asiam* conjunctim ediderunt. Bosuing. Hittorp. et Veneti *Græciam et Asiam*, cum tamen augmentum illud non agnoscant edd. prima et Augustan., et rejiciant mss. meliores cum cod. Longob.: sequentia quoque ostendant, de sola Asia hic loqui Orosium.

10. *Hauserunt*. Blanditur magis quod exstat in cod. Perizon. *hauserant*.

11. *Toti Orienti*. Tres mss. Lugd. Batt. cum Perizon. et meo atque Coll. Gronov. scribunt *toto*, quasi vellent *toto Oriente*.

12. *Dercyllidam ducem*. Vulgo male hic dux *Hircilides* nominatur, qui Græcis est Δερκυλλίδας. Fabr.

13. *Unum denuntiato bello appetit*. Dercyllidas certis conditionibus pactus cum Tissaferne, in Pharnabazi fines exercitum duxit. Xenophon et Justinus. Fabr.

14. *In locum*. Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., *in loco*.

15. *Cononem, Atheniensem*. Hæc eadem leges apud Diodor. lib. XIV. Fabr.—Lugd. Bat. tert. cum Perizon. et Coll. Gronov., *appetiit*.

16. *Acceptis quingentis argenti talentis*. Sic Diodor., λαβὼν ἀργυρίου τάλαντα πεντακόσια. Fabr.

17. *Evocatur*. Meus, *vocatur*.

18. *A rege Ægypti Hercynione*. Apud Justin. est, *a rege Ægypti Hercymone*. Diodor. hunc regem, qui Lacedæmoniis dedit σκευὴν ἑκατὸν τριηρέσι, σίτου δὲ μυριάδας πεντήκοντα, vocat Νεφρέα, vel, ut est in aliis libris, Νεφερέα. Fabr.

gatos petunt, atquo centum instructas triremes et sexcenta millia modium frumenti acceperunt : a sociis etiam undique magna contraxere subsidia. Cui militiæ consensu omnium, Agesilaum ducem decreverunt, [19] virum pede claudum, sed qui in difficillimo rerum statu mallent sibi regem claudicare quam regnum. Raro umquam ita pares omni industria duces in unum coiere bellum, qui acerbissimis invicem prœliis fatigati, et multo sanguine obliti, velut invicti ab alterutro recesserunt. [20] Igitur Conon, accepto iterum, [21] per se ipsum, a rege Magno, stipendio, reversus ad classem, invadit hostiles agros, turres, castella, cæteraque præsidia [22] expugnat : et veluti effusa tempestas, quacumque incubuit, cuncta prosternit. [23] Lacedæmonii vero domesticis malis circumventi, externis inhiare desistunt, abjiciuntque spem dominationis, imminente periculo servitutis : Agesilaum autem, quem cum exercitu in Asiam miserant, **149** ad subsidium patriæ revocant. [24] Interea Pisander, dux apud Spartam per Agesilaum regem relictus, [25] maximam munitissimamque tunc classem instruxerat, motus [26] æmulatione virtutis Agesilai, ut, illo pedestrem expeditionem agitante, ipse quoque navali discursu oram maritimam pervagaretur. Conon vero [27] susceptum negotium duplici cura intendebat, debens sociis sollicitudinem, patriæ fidem : ut huic exhiberet naturam, illis præberet industriam : in hoc propensior civibus, quod quieti libertatique eorum alieni sanguinis discrimen impenderet, et pugnaret adversus insolentissimos hostes periculo regis, præmio patriæ. Conserunt itaque navale certamen Persæ Cononc, Spartani Pisandro duce : [28] milites, remiges, ipsique ductores, uno pariter in mutuam cædem ardore rapiuntur. [29] Magnitudinem atque atrocitatem belli **150** istius, inclinatus ex hoc semper in posterum Lacedæmoniorum status, prodit. [30] Namque ex illo fluere ac retro sublapsa referri spes Spartanorum [31] visa, donec [32] assurgendo ægre, ac misere recidendo, confecta, et po-

HAVERCAMPI NOTÆ.

19. *Virum pede claudum.* Nota est contentio de regno Spartano inter Leotychiden Agidis filium, et Agesilaum ejusdem fratrem : cum Leotychides Agesilaum regno prohibere ex oraculo vellet, quod altero pede claudicaret : sed vicit hic illum, cum oraculum in eum convenire contendisset, qui neque legitimus, neque ab Agide esset genitus. Xenophon. libro III et in Agesilao. Plutarchus in eodem et Lysandro, Pausanias libro III. FABR.

20. *Igitur Conon.* Quare Conon ad regem profectus fuerit, copiose Justin. libro. VI. FABR.

21. *Per se ipsum.* Græci dicunt αὐτος et δι' ἑαυτοῦ, confer Ælian. Var. Hist. lib. I, cap. 21, de Ismenia, Thebanorum legato.

22. *Expugnat.* Ed. Aug., *impugnat.* Mox mss. omnes et editi meliores, *incubuit*, alii *incumbit.*

23. *Lacedæmonii vero domesticis malis.* Significat tempus illud quando circa olympiadem 96 Lacedæmonios injuste imperantes, omnes fere socii deseruerunt, ut ait Cicero libro II de Offic. Tum Bœotii, Athenienses, Corinthii, Argivi et alii conspiratione facta, contra Lacedæmonios moverunt bellum. Cujus causa Agesilaus ex Asia demum revocatus fuit. Xenophon libro III et IV, Diodorus libro XIV. Plutarchus in Agesilao; Pausanias libro III. FABR.

24. *Interea Pisander, dux apud Spartam.* Mirum profecto, qui factum fuerit, ut contra fidem librorum veterum tam apud Justinum quam Orosium, hic dux *Lysander* hactenus sit dictus : cum tamen ex omnibus scriptoribus, quos modo nominavi, certum sit, *Agesilaum* classi præfecisse *Pisandrum* conjugis suæ fratrem, eumque relictum in Asia, et prælio navali superatum ad Gnidum a Pharnabazo et Cononc, periisse. Nam quod in vulgato Diodori libro ναύαρχος non Πείσανδρος, sed Περίαρχος appellatur, procul dubio mendosum est. FABR.

25. *Maximam munitissimamque tunc classem instruxèrat.* Hæc est constans lectio mss. meliorum, videlicet trium Florentinorum, Perizonii, Mei, Lugd. Bat. tertii, Ultr. et Coll. Gronov., ut et ed. August. et ultimæ Scotti. Vulgo, *maximam munitamque classem tunc instruxerant.*

26. *Æmulatione.* Lugd. Bat. duo, *admiratione.*

27. *Susceptum negotium*, etc. Hactenus editum fuit, *Conon vero suscepto negotio, duplicem curam impendebat*, etc. Prima ed. et illam secutæ similiter legunt, sed post *negotio* inserunt *omni.* Longe vero melior est lectio, quam ex mss. revocavimus, unius tantum litterulæ mutatione a nobis adjuta. Nam in mss. tribus Florentinis, Meo atque Perizoniano, qui quinque reliquis bonitate multum præstant, ita scribitur, *Conon vero susceptum negotium duplici cura impendebat*, pro *impendebat* autem reposuimus *intendebat*, quæ sine dubio vera olim scriptura fuit. Ita apud Livium *intendere bellum* lib. XXI, cap. 6 : *Alii provincias consulibus Hispaniam atque Africam decernentes, terra marique rem gerendam censebant : alii totum in Hispaniam Annibalemque intendebant bellum.* Adde, quæ pro emendatione similis loci Orosiani in extremo libri IV scripsimus.

28. *Milites, remiges, ipsique ductores.* Ex hoc Orosii loco patet, quomodo ejus tempore lectum apud Justinum fuerit, quem hinc emendare licet, lib. III, cap. 1, ubi vulgo legitur, *Eadem militum et omnium regum cura erat.* Idem vero prælium navale inter Cononem et Pisandrum describitur. Neque vulgata lectio *regum* defendi ullo modo potest. Nam, prout Orosius memorat milites, remiges et ductores ; sic ductores, nomine non tantum suo, sed et vincendi contentione jam ante descripserat Justinus in præcedentibus : *Porro Pisandrus, pro conjunctione Agesilai, etiam virtutum æmulator erat; contendebatque ne a rebus gestis ejus et gloriæ splendore recederet : neve tot bellis ac sæculis quæsitum imperium brevis momenti culpa subverteret.* Pergit deinde : *Eadem militum*, etc.

29. *Magnitudinem atque atrocitatem belli istius, inclinatus ex hoc semper in posterum Lacedæmoniorum status prodit.* Et hanc vulgata venustiorem multo lectionem, iisdem mss. Florentinis, quibuscum Meus et Perizon. conspirant, debemus. In omnibus edd. legitur, *magnitudine atque atrocitate belli istius inclinatus, ex hoc semper in posterum Lacedæmoniorum status proruit.*

30. *Namque ex illo fluere.* Παρῳδία Virgiliana ex lib. II Æneid. FABR.

31. *Visa.* In Vulgg. additur *est*, quod codd. mss. meliores et edd. principes non agnoscunt.

32. *Assurgendo ægre, ac misere recidendo.* Statum Lacedæmonis non ineleganter velut moribundum describit, ex Virgiliana iterum imitatione : Dixerat poeta de Didone Æn. lib. IV, vers. 688 :

> Illa, graves oculos conata attollere, rursus
> Deficit. Infixum stridit sub pectore vulnus.
> Ter sese attollens, cubitoque adnixa, levavit :
> Ter revoluta toro est, etc.

testate careret, et nomine. Atheniensibus vero hæc eadem pugna initium recuperandæ potentiæ, sicut Lacedæmoniis amittendæ, fuit. [33] Primi igitur Thebani, auxilio Atheniensium fulti, superiore clade saucios ac trepidos aggrediuntur, multa animati fiducia [34] propter virtutem atque industriam Epaminondæ ducis sui, cum quo sibi facile obtinere posse imperium totius Græciæ videbantur. Fit itaque terrestre prælium, Thebanis minimo negotio vincentibus. Vincitur etiam hoc conflictu Lysander et occiditur. [35] Pausanias quoque, dux Lacedæmoniorum, **151** insimulatus proditionis, in exsilium truditur. Thebani autem victoria potiti, collecta universi exercitus manu, Spartam contendunt, putantes se vacuam præsidio civitatem nullo intraturos negotio, cujus jam omnes pene copias cum ipso rege delessent, atque ab omnibus sociis destitutos viderent. Lacedæmonii periculo civitatis impulsi, habito inexercitati militis qualicumque delectu, obviam hosti procedunt. Sed victis semel, adversus victores obsistendi nec virtus nec animus erat. Cum igitur cædes tantum unius pene partis ageretur, [36] repente rex Agesilaus, arcessitus ex Asia, improvisus bello supervenit: Thebanos jam successu duplicis victoriæ lætiores segnioresque aggreditur: nec difficile superat, maxime cum adhuc apud ipsum pene integræ vires haberentur. Ipse tamen Agesilaus graviter [37] vulneratur. At vero Athenienses, cum comperissent insperata Lacedæmonios victoria sublevatos, pristinæ servitutis, [38] de qua tunc respirare vix cœperant, trepidi metu, exercitum contrahunt, eumque Bœotiis in auxilium adjungunt, commissum [39] Iphicrati duci, qui adolescens admodum, vixdum annos viginti natus, infirmitatem ætatis maturitate animi muniebat. Conon quoque, [40] vir quidem Atheniensis, dux autem Persici exercitus, audito Agesilai reditu, ad populandos Lacedæmoniorum agros revertitur. Ita Spartani, strepitu [41] circumsonantium undique hostium clausi atque exterriti, ultima propemodum desperatione tabuerunt. [42] Sed Conon, postquam **152** vasta hostilis soli populatione satiatus est, Athenas pergit, in maximo gaudio civium ipse tristis, quippe cum videret urbem, populo quondam cultuque ornatissimam, [43] nunc miserabili ruinarum ac desolationis squalore confectam. Itaque magnum pietatis miserationisque monumentum in reparatione ejus operatus est. Namque eam, a Lacedæmoniis exinanitam, Lacedæmoniorum [44] prædis replevit. Persis incendentibus concrematam, Persis ædificantibus reformavit. [45] Interea Ar-

HAVERCAMPI NOTÆ.

33. *Primi igitur Thebani.* Belli hujus, Bœotici dicti, principes fuerunt Locri Opuntii et Phocenses, quorum hi a Lacedæmoniis, illi a Thebanis auxilia accersiverunt. Thebani Athenienses in suas partes pertraxerunt. Prælio commisso ad Haliartum Lacedæmonii victi sunt, et Lysander occubuit, Xenophon libro tertio extremo. Diodorus XIV, Pausanias III et IX, Plutarchus in Lysandro. FABR. — Cod. Longobard. pro *retro referri* habet *retro ferri*. Pro *auxilio* Ed. Aug. habet *auxiliis*. Lugd. Batt. tres cum Perizon. transponunt *sublapsa retro referri*.

34. *Propter virtutem atque industriam Epaminondæ.* Videtur Orosius, deceptus verbis Justini, putasse huic prælio interfuisse Epaminondam, quod verum non est. FABR.

35. *Pausanias quoque, dux alter.* Pausaniæ, qui cum Lysandro adversus Thebanos missus fuerat, crimini datum, quod serius in Bœotiam venisset, quodque cæsorum corpora fœdere quam prælio tollere maluisset. Itaque capitis accersitus ad causæ dictionem non adfuit, sed Tegeam in exsilium aufugit, Xenophon et Pausanias. lib. III. FABR. Fuit is Pausanias filius Pleistianactis, nepos Pausaniæ illius, qui, Mardonio et Persis ad Plateas victis, immortalem gloriam prava libidine et proditione scelesta fœdavit. Hujus vero Pausaniæ innocentiam, qui a Lysandri factione, altera jam vice, capitis arcessebatur, prodiderunt Xenophon Hist. Gr. lib. III, p. 507, Plutarch. in Lysandro p. 450, Pausan. lib. III, p. 216 et Justin. lib. VI, cap. 4. In jus vocatus prima vice fuerat, ut qui exsulibus Atheniensium favisset, atque ægerrime, pari suffragiorum numero, periculum evaserat. Cum secunda vice accusaretur, noluit iratis propter Lysandri mortem civibus, salutem suam credere, sed Tegeam, in Minervæ templum, quod tutum miseris erat asylum, confugit, ibique morbo diem obiit. Vide quæ de eo diximus in Serie regum Lacedæmoniorum stirpis Eurytionidarum, quæ post Vitam Antigoni Tutoris, a quo, Cleomene victo, capta fuit Lacedæmon, sequitur in Historia regum Macedoniæ.

36. *Repente rex Agesilaus.* De adventu Agesilai in Bœotiam, non omnino convenit Just. et Orosio cum Xenophonte, Diodoro et Plutar. Pugna commissa fuit ad Coroneam: mendose enim in Plutarchi Agesilao est, περὶ τὴν Χαιρώνειαν, pro Κορώνειαν. FABR.

37. *Vulneratur.* Ed. Aug., *vulneratus est*, quam lectionem tres Florentini quoque agnoscunt.

38. *De qua tunc respirare vix cœperant.* Perizon., *de qua respirare vix cœperant.* Lugd. Bat. sec. et Ultr., *de qua tunc respirare cœperant.* Mox ed. Aug., *in auxilio.*

39. *Iphicrati duci.* De Iphicrate Xenophon. lib. IV *et deinceps*, Diod. lib. XIV et XV.

40. *Vir quidem.* Vocem posteriorem delent Lugd. Batt. tert. et quart. cum Coll. Gronov.

41. *Circumsonantium.* Iidem mss., *circumstantium.*

42. *Sed Conon, postquam vasta.* De Cononis beneficio in Athenienses, deque honore illi a suis habito, præter cæteros, quos jam sæpe nominamus, eleganter Demosthenes de immunitate contra Leptinem. Legendus quoque Isocratis Evagoras. FABR.

43. *Nunc.* Edd. quædam vett., *tunc.*

44. *Prædis.* Edd. quædam ut et cod. Ultr., *præsidiis*, quasi innuerentur opes Persicæ, ex quibus, Lacedæmoniorum quondam præsidiis, urbem restituit Conon. Sed non muto vulgatam, quam confirmat Justinus, scribens lib. VI, cap. 52: *Itaque quæ incensa fuerunt, prædarum sumptu*, etc., ubi sequitur paulo post, *ex spoliis Lacedæmoniorum.*

45. *Interea Artaxerxes, rex Persarum.* Cum Pharnabazus et Conon regia classe maritimam Laconiæ oram cum maleficio pervaderent, et Athenæ muro cingerentur, placuit Lacedæmoniis pacem facere cum rege Persarum, eaque re Antalcidam ad Tiribazum regis præfectum miserunt, ut illius opera pax firmaretur. Hac de causa pacem hanc Græci τὴν ἐπ' Ἀνταλκίδου γενομένην εἰρήνην vocant, ut demonstravimus paulo ante ex Polybio. Tu lege Xenophontem lib. V, Diodor. XIV, Plutarchum in Agesilao et Artaxerxe. Meminit Strabo in fine lib. VI, Pausanias initio IX. FABR.

taxerxes, rex Persarum, sicut [46] principio dictum est, universis Græciæ populis per legatos, ut ab armis discederent, et paci acquiescerent; imperavit: non quod misericorditer fessis consuleret, sed, [47] ne se in Ægypto bellis occupato, aliqua in regnum suum tentaretur irruptio.

CAPUT II.

De Lacedæmoniorum offensione in Arcadia, victoria Thebanorum, Epaminondæ morte, cum Epilogo dictorum.

Cunctis igitur Græcis optatissima quiete [1] resolutis, domesticoque otio [2] torpentibus, [3] Lacedæmonii, inquieti magis quam strenui, et furore potius, quam virtute intolerabiles, post bella deposita tentant **153** furta bellorum. [4] Nam speculati absentiam Arcadum, castellum eorum repentina irruptione perfringunt. Arcades vero, [5] exciti injuria, juncto sibi Thebanorum auxilio, amissa furto, bello repetunt. [6] In eo prælio Archidamus, dux Lacedæmoniorum, vulneratus, [7] cum jam cædi suos ut victos videret, [8] occisorum corpora [9] per præconem ad sepulturam poscit: quod signum victoriæ traditæ inter Græcos haberi solet. Thebani autem hac confessione contenti, dato parcendi signo, finem dedere certamini. Paucis deinde intervenientibus inducciarum diebus, [10] Lacedæmoniis ad alia bella conversis, Thebani cum Epaminonda duce, de invadenda [11] Lacedæmonia, quasi secura et destituta, cepere fiduciam. Taciti, intempesta nocte, Lacedæmonem veniunt: **154** sed non ita incautam vel indefensam, sicut rebantur, offendunt. Armati enim senes cum reliqua turba imbellis ætatis, [12] præcognito adventu hostium, in ipsis se portarum angustiis objecerunt, et, adversus quindecim millia militum, vix centum confecti ævo homines prorupcrunt. His itaque tantam molem belli sustinentibus, juventus superveniens congredi adversus Thebanos aperto certamine incunctanter decrevit. [13] Commisso prælio, cum Lacedæmonii vincerentur, repente Epaminondas, dux Thebanorum, incautius dimicans, vulneratur. Quare dum his ex dolore metus, illis ex gaudio stupor nascitur, veluti ex consensu tacito utrimque discessum est. Epaminondas autem, graviter [14] saucius, cum de victoria suorum comperisset, scutumque exosculatus esset, [15] remota manu [16] qua vulnus occluserat, egressum sanguinis [17] ac mortis patefecit introitum: cujus mortem sic Thebanorum perditio subsecuta est, ut non perdidisse ducem, sed ipsi cum eo tunc perisse viderentur. Contexui [18] indigestæ historiæ inextri-

HAVERCAMPI NOTÆ.

46. *Sicut principio.* Ultr. et Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., *sicut in principio.* Meus, *sicut a principio.*

47. *Ne se.* Ita mss.; *illo*, plures edd. sed male.

CAP. II. — 1. *Resolutis.* Florent. pr. et Perizon., *solutis.*

2. *Torpentibus.* Lugd. Bat. quart., *stupentibus.*

3. *Lacedæmonii, inquieti magis quam strenui, et furore potius, quam virtute intolerabiles.* Ita cod. Colon. et Materni perfecte, præ illo quod editur: *Lacedæmonii inquieti magis, quam virtute intolerabiles.* LAUT. — Augmentum illud, quod Lautius ex codd. Col. et Materni affert, in omnibus, non tantum mss. sed et editis invenitur, una ex Fabricianis anni 1573 excepta, in qua typothetarum negligentia verba illa exciderant.

4. *Nam speculati absentiam.* Quæ de Arcadum et Thebanorum bello hic et apud Justinum post Antalcidæ pacem subjiciuntur, ea non statim subsecuta sunt. Nam illa facta est anno secundo olymp. 98. Arcades autem bellum cum Eleis gesserunt quarta et centesima olympiade, ut etiam Pausan. scribit libro v. Tum Elei pressi ab Arcadibus Lacedæmonios socios suos impulerunt, ut Archidamus Agesilai filius cum exercitu missus in Arcadiam Cromnum ceperit. Nam quod Justinus *castellum* dicit, Xenophon, qui hanc historiam lib. ult. Ἑλλην. scribit, Κρῶμνον vocat. FABR.

5. *Exciti.* Quædam edd., *excitati.*

6 *In eo prælio.* Cromno capto, Archidamus, præsidio trium cohortium ibi relicto, reliquas copias domum reduxit. Sed cum præsidium ab Arcadibus ex Elide reversis obsideretur, Archidamus iterum missus, ut Spartanos obsidione liberaret, prælio commisso ὁ Ἀρχίδαμος ἐτέτρωτο τὸν μηρὸν διαμπάξ. inquit Xenoph., i. e., *Archidamus telo per femur trajecto vulneratus est.* FABR.

7. *Cum jam cædi suos, ut victos, videret.* Hæc est lectio cod. Longobardici; alii codices sic legunt: Flor. sec., *cum etiam cædi suos jam ut victos videret*; tert., *cum etiam cædi suos jam enim victos videret*; Ultr., Lugd. Bat. sec. et quart. cum Coll. Gronov. et ed. August., *cum cædi suos jam et victos videret.* Reliqui, *cum etiam cædi suos jam ut victos videret.* Eadem diversitas est in Justini codicibus, quorum alii *ut victos*, alii *et victos* scribunt, vulgatam tamen *ut victos* non incommode retineri posse judicant interpretes.

8. *Occisorum corpora per præconem.* τοὺς νεκροὺς ὑποσπόνδους ἀναιρεῖσθαι. Exemplorum plena sunt omnium monumenta. FABR.

9. *Per præconem.* Coll. Gronov., *per præconium.* Lugd. Bat. sec. et Ultr., *per præconem ornatum ad s. p.* Pro *poscit* Lugd. Bat. sec., Meus et Perizon., *poposcit.*

10. *Lacedæmoniis ad alia bella conversis.* Mantinenses a Thebanis desciverant, iisque suppetias venerant Lacedæmonii duce *Agesilao*, ut Xenophon et Plutarchus scribunt: nam quod Diodor. lib. XV *Agidem* hunc nominat, equidem qui verum esse possit ignoro. FABR.

11. *Lacedæmonia.* Perizon., *Lacedæmona.* Lugd. Bat. tert., *Lacedæmone*, prout statim *Lacedæmonem* vocabit Orosius, sed ibi ed. Aug. *Lacedæmoniam* habet, Justinus, *Lacedæmona.*

12. *Præcognito adventu hostium.* Euthynus enim Thespiensis, auctore Calisthene, seu, Cres quidam, ut Xenophon scribit, Epaminondæ consilium Agesilao enuntiavit. Lege Plutarchum in Agesilao. FABR.

13. *Commisso prælio.* Prælium commissum fuit ad Mantineam, ibique Epaminondas, vulneratus ab Anticrate Lacedæmonio, paulo post decessit. FABR.

14. *Saucius.* Edd. quædam, *sauciatus.* Mox itidem, *deosculatus.*

15. *Remota manu.* Aliter de vulnere scribunt Cic. epist. 12. lib. v, ad Fam. Valer. lib. III. c. 2. et Diod. XV. FABR.

16. *Qua vulnus occluserat.* Ita mss. atque editi meliores, alii *quæ vulnus occluserat.*

17. *Egressum sanguinis*, etc. Edd. prima, Paris. et Venetæ, *egressu sanguinis ad mortem patefecit introitum*: haud male.

18. *Indigestæ.* Meus, *digestæ.*

cabilem [19] cratem, atque incertos bellorum orbes, A que prurientibus, ipsa etiam vita [25] fastidio est. [20] huc et illuc lymphatico furore gestorum, verbis e vestigio secutus implicui : quoniam tanto (ut video) inordinatius scripsi, quanto magis ordinem custodivi. Improba dominandi Lacedæmoniorum cupiditas, quantis populis, qualibus urbibus, quibus provinciis, cujusmodi odiorum motus, quantas causas certaminum suscitarit, quis vel numero, vel ordine, vel ratione disponat? cum ipsi quoque non plus afflicti bellis quam bellorum confusione referantur : siquidem, tracto per aliquot ætates hoc continuo bello, Athenienses, Lacedæmonii, Arcades, Bœotii, Thebani, **155** postremo Græcia, Asia, [21] Persis, atque Ægyptus cum Libya, insulisque maximis, navales simul pedestresque conflictus indiscretis egere discursibus. Referre cæsa hominum millia non possem, etiam si B bella numerarem. At nunc [22] increpet hæc tempora atque illa collaudet, quicumque nescit hosce omnes istarum urbium provinciarumque populos, ita nunc in solis ludis ac theatris consenescere, sicuti tunc in castris maxime præliisque [23] tabuisse. Florentissima illa, [24] et totius tunc imperium Orientis affectans, Lacedæmoniorum civitas, vix centum habere potuit senes : ita incessabilibus circumventa malis, immaturas misere expendebat ætates : et queruntur nunc homines, quorum refertæ pueris et senibus civitates, secura juvenum peregrinatione ditantur, pacificisque exercitiis stipendia domesticæ voluptatis acquirunt? nisi forte (ut assolent humanæ mutabilitati omnia sordere præsentia) novitates rerum actu auditu-

CAPUT III.

Terræmotus Achaiæ collatus cum Constantinopolitano. Romani civitates aliquot capiunt.

[1] Anno ab Urbe condita CCCLXXVI sævissimo terræmotu Achaia universa concussa est, et duæ tunc civitates, id est, [2] Bura et Helice, abruptis locorum hiatibus devoratæ sunt. At ego nunc e contrario poteram similia in diebus nostris apud Constantinopolim, æque **156** modo principem gentium, prædicta et facta, sed non perfecta narrare, cum, post terribilem denuntiationem conscientiamque mali sui [3] præsciam, subter commota funditus terra tremeret,[4] et desuper fusa cœlitus flamma penderet, donec [5] orationibus Arcadii principis et populi Christiani, præsentem perditionem Deus exoratus averteret : probans se solum esse et conservatorem humilium, et punitorem malorum. [6] Sed hæc, ut commemorata sint magis quam explicata, verecundiæ concesserim, ut et qui scit, recolat, et qui nescit, inquirat. [7] Interea Romani, qui per septuaginta annos ab urbe Volscorum, prælerea Faliscorum, Æquorum, et Sutrinorum, subacti et attriti, assiduis bellis conficiebantur, tandem in [8] suprascriptis diebus, Camillo duce, easdem cepere civitates, et redivivo finem dedere certamini. [9] Prænestinos etiam eodem tempore, qui [10] usque ad portam Romæ bellando et cædendo pervenerant, ad flumen Alliam, T. Quinctio pugnante, vicerunt.

HAVERCAMPI NOTÆ.

19. *Cratem.* Respondet hæc vox verbo, quod præ- C cessit, *contexui.* Ex mss. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. hanc glossam pro ea habent, *molem seu materiam*; edd. prima, Paris. et Venetæ legunt *cladem*, sed *cratem* cum reliquis August.

20. *Huc et illuc.* Sic mss. omnes cum ed. August. Reliquæ, *huc atque illuc.*

21. *Persis.* Meus, *Persia.* Mox Perizon., *cum Libyis.*

22. *Increpet.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gron., *reputet* : male.

23. *Tabuisse.* Lugd. Bat. pr., *tabuissent.*

24. *Et totius tunc imperium Orientis.* Lugd. Bat. sec., *totius imperium Orientis.*

25. *Fastidio est.* Lugd. Bat. quatuor cum Coll. Gronov., *fastidium est.*

CAP. III. — 1. *Anno ab U. c.* CCCLXXVI. Euseb. in lib. de temporibus hunc terræmotum ascribit olymp. centesimæ. Strabo libro VIII scribit has urbes eversas biennio ante pugnam Leuctricam, id est, anno ante D olympiadem 102 Diodoro auctore, qui annus ex aliorum supputatione est CCCLXXX. FABR.

2. *Bura et Helice.* Ita scripsimus ex Eusebii Chronico, Thucydidis libro III, Strabonis libro I et VIII, Pausaniæ libro VII, Plinii libro II, capit. 92, cum in Orosii libris esset, *Ebora et Helice.* Diodor. libro XV hanc inauditam eluvionem describens addit ἐγένετο δὲ τοῦτο τὸ πάθος τῆς Ἀχαΐας περὶ δύο πόλεις, Ἑλίκην τε καὶ Βοῦραν, id est, *Hanc cladem duo Achaiæ oppida, Helice et Bura, exp rta sunt.* FABR. — Apud Polybium post hæc tempora Buræ urbis et Buriorum mentio fit, nimirum, quia is non Buram, sed Olenum et Helicen hac clade periisse affirmat lib. II, cap. 41, p. 179, ubi democratiam duodecim in Achaia urbium describit, ex quibus suo tempore decem, quas enumerat, et inter illas Buram, superfuisse testatur, cum Olenum et Helicen, paulo ante cladem Leuctricam, adeoque maturius, quam statuit Orosius, mare hauserit. Clausulam *sunt* nulli ex mss. quos consului agnoscunt, neque edd. veteres, nisi August.

3. *Præsciam.* Florentt. pr. et tert., *consciam* ut et ed. pr. et Paris. Ex hisce Orosii patet, quorsum sit referendum, quod præcessit, *prædicta.*

4. *Et desuper.* Conjunctionem delent mss. Ultr., Meus et Perizon. Male in Scotti edit. est *perderet.* Historiam vide in Annal. Basnagii tom. III, p. 155. Accidit A. D. 396.

5. *Orationibus.* Edd. prima, Paris. et Venetæ, *oratione.*

6. *Sed hæc*, etc. Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., *sed ut commemorata sunt.* Dein Perizon., *magis quam explicita.* Sensus Orosii est, Quæ recentia de Arcadii temporibus digito attingo, haud minus vera sunt, quam illa antiqua, quæ descripta a me et aliis sunt. Malui tamen quasi in transitu indicare, quam large explicare, idque propter verecundiam.

7. *Interea Romani.* Camillus, cum tribunus mil't. III anno CCCLIX Faliscos justitia in ditionem populi R. redegisset, ut est apud Livium libro V, Plutarchum in Camillo, et Auctorem libri de Viris Illustribus : sexto anno post dictator Volscorum civitatem, quæ per 70 annos bellum gesserat, vicit, et Æquorum urbem occupavit, Sutrinorum recuperavit, deletis Etruscorum exercitibus, et tres simul triumphos egit. Hæc ita emendata a Cuspiniano paucis Eutropius libro II, pluribus Livius libro VI. FABR.

8. *Suprascriptis.* Ed Aug. et cod. Ultr., *superdictis.*

9. *Prænestinos etiam eodem tempore.* Prænestini T. Quinct. Cincinnato dictatore victi fuerunt anno 375. Liv. Eutrop. et Euseb. in Chronico. FABR.

10. *Usque ad portam.* Unus Ultr., *usque ad portas.* Quædam editiones, *venerant.*

157 CAPUT IV.

De pestilentia gravissima, ejusque expiatione.

[1] Anno ab Urbe condita CCCLXXXIV L. Genucio, et Q. Servilio consulibus, ingens universam Romam pestilentia corripuit : [2] non, ut assolet plus minusve solito temporum turbata temperies, hoc est, aut intempestiva siccitas hiemis, aut repentinus calor veris, aut incongruus humor æstatis, vel [3] autumni divitis indigesta illecebra, insuper etiam exspirata de Calabris saltibus aura corrumpens, repentinos acutarum infirmitatum afferre transcursus : sed gravis diuturnaque in nullo dispar sexu, in nulla ætate dissimilis, generali cunctos per biennium jugiter tabe confecit : ut etiam quos non egit in mortem, turpi macie exinanitos afflictosque dimiserit. Conquerentur hoc (ut arbitror) loco obtrectatores B temporis Christiani, si forte silentio [4] prætermerim, quibus tunc cærimoniis Romani placaverint deos, et sedaverint morbos. Cum pestilentia in dies crudesceret, auctores suasere pontifices, ut ludi scænici diis expetentibus ederentur : [5] ita pro depellenda temporali peste corporum, arcessitus est perpetuus morbus animorum. Uber nunc quidem **158** mihi iste doloris atque increpationis locus est, sed, [6] in quo jam Reverentia tua studium sapientiæ et veritatis exercuit, mihi super eo audere fas non est. Commonuisse me satis sit, et ex qualibet intentione lectorem ad illius lectionis plenitudinem remisisse.

CAPUT V.

Ingens terræ hiatus medio Romæ apparuit, quem Marcus Curtius præcipitio sui avertit.

Sequitur hanc miseram luem, miserioremque ejus expiationem [1] proximo anno satis triste prodigium. Repente siquidem medio Urbis terra dissiluit, [2] vastoque præruptu hiantia subito [3] inferna patuerunt. Manebat diu ad spectaculum terroremque cunctorum patenti voragine impudens specus, nefariamque vivi hominis sepulturam diis interpretibus **159** [4] expetebat. Satisfecit improbis faucibus præcipitio sui [5] Marcus Curtius, eques armatus, injecitque crudeli terræ [6] inopinatam satietatem, cui [7] parum esset, quod ex tanta pestilentia mortuos per sepulcra [8] susciperet, nisi etiam vivos scissa sorberet.

CAPUT VI.

Gallorum ingentem multitudinem Romani sternunt ac fugant, Tusci superantur, Galli tertio irruentes trucidantur.

[1] Anno ab Urbe condita CCCLXXXVIII iterum terri-

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. IV. — 1. *Anno ab U. c.* CCCLXXXIV. Orosius in numeris istis suam rationem sequitur, nam hunc non esse depravatum consensus librorum, et sequentes numeri ostendunt. Alii hunc annum CCCLXXXVIII alii alium faciunt. De hac pestilentia Livius initio lib. VII. FABR.

2. *Non, ut assolet*, etc. Depravata hactenus hæc circumferebantur, cum illa, *ut assolet*, uncinulis in- C cluderentur, et deinde, aliquot post lineis, legeretur, *repentinos acutarum infirmitatum afferret transcursus*, Quæ nullum omnino sensum fundunt, aptissimum vero, si demas cum mss. Florentinis sec. et tert. (nam in primo, hoc in loco, deest pagina), Lugd. Batt. pr., tert., Paris. et Ultr. unam litterulam, mutando *afferret* in *afferre*. Pro *exspirata* legunt *inspirata* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov.

3. *Autumni divitis indigesta illecebra*. Colon., *divitiis*; forte legendum : *Autumni divitiis ingesta illecebra*. Sed nihil esset. LAUT. — Hoc verum est; nam *indigesta* præstat, et significat nimietatem fructuum, qui male concoquuntur.

4. *Prætermerim*. Lugd. Bat. pr. et tert., *præterirem*.

5. *Ita pro*, etc. Sic mss. Florentt., Lugd. Batt., Meus, Perizon., Ultr. et Coll. Gronov. Conjunctionem *et* intruserant editi præter August. *Animorum* quoque meliores, pro quo plures *animarum*.

6. *In quo jam Reverentia tua*. Intelligit disputationem Augustini contra Ludos scenicos libr. III c. 17 de Civit. Dei. FABR.

CAP. V. — 1. *Proximo anno*. Curtius equo insidens armatus se in specum immisit, L. Genucio, Q. Servilio iterum coss. Livius lib. VII, Valerius Max. lib. V cap 6, August. de Civit. Dei lib. IV c. 20. FABR.

2. *Vastoque præruptu*. Sic lego ex *prærupte* et *prærupti*, quorum neutrum satis intelligo. LAUT. — *Præruptu* quoque exstat in editt. prima, Paris. et Venetis. In August. ut et mss. Florentt. sec. et tert., Ultr., Perizon. atque quatuor Lugd. Batt. et Coll. Gronov., *prærupto*, nisi quod primus ex iis exhibeat *perrupto*, Meus, *vastoque rupto*. Certe *vastoque prærupte*, quod in Fabricii et Scotti editionib. invenitur, nullum sensum habet. *Præruptus* hic est adjectivum, Græcis κρημνώδης, quod substantivi loco ponitur, sibique pro adjectivo appositum habet *vastum*. Itaque *vasto præruptu* significat ingens præcipitium et immane barathrum. *Præruptæ* enim rupes dicuntur, quæ facili clivo haud ascendunt, sicuti *prærupta* pro rupibus ejusmodi apud Plinium lib. VIII, cap. 32, *Ad prærupta ducunt, saltumque demonstrant*. Apud eumdem Plinium adverbium *præ- C rupte* occurrit lib. XXXIV, cap. 14, *Mons prærupte altus*. At hic adverbium poni nequit, nisi forte sic reformari locum placeret, *vastaque, prærupte hiantia, subito inferna patuerunt*.

3. *Inferna patuerunt*. Contrarium, utpote apud Inferos, in Lucani lib. VI, vers. 743 :

> Immittam ruptis Titana cavernis,
> Et subito feriere die.

Ovid. quoque lib. II Metam vers. 260.

> Dissilit omne solum, penetratque in Tartara rimis
> Lumen, et infernum terret cum conjuge regem.

4. *Expetebat*. Florent. tert., Perizon., Lugd. Bat. tert. et edd. vett. præter August., *exspectabat* eodem sensu. Malo tamen vulgatam, quia, diis interpretibus, id est, monitu sacerdotum, petebat aliquid patens specus, et petitioni satisfecisse dicitur Curtius.

5. *Marcus Curtius, eques*. Impressi, *vir eques*, a scholiis nimirum intrusum *vir*. LAUT. — Periz., *vir* D *eques et armatus*. Ed. August., *vir nobilis, eques armatus*.

6. *Inopinatam satietatem*. Colon. codex, *inopinam*, ex quo restituo *opimam*, si tamen docti probarint. LAUT. — Florent. sec., *inopiam*, forte pro *inopinam*, sicuti haud male scribitur in cod. Periz., Col. Gron. atque editur in ed. August.

7. *Parum esset*. Ed. Aug. et Coll. Gronov. *parvum esset*.

8. *Susciperet*. Periz., *acciperet*, et mox *scissa absorberet*, quod et in ed. Aug. invenitur et mss. Lugd. Bat. pr. et tert. atque Coll. Gronov.

CAP. VI. — 1. *Anno ab*, etc. Annus quo Galli Anienem transgressi, non longe ab Urbe castra posuerunt, consules habuit C. Sulpicium et C. Licinium, atque ex Fastis consularibus CCCXCII numeratur. FABR.

bilis Gallorum inundatio juxta Anienem fluvium, [2] ad quartum ab Urbe lapidem consedit, facile sine dubio, pondere multitudinis et alacritate virtutis, perturbatam occupatura civitatem, nisi [3] otio et lentitudine torpuisset : ubi atrocissimam pugnam [4] Manlius Torquatus singulariter inchoavit **160**, [5] T. Quinctius dictator cruentissima congressione confecit. Fugati ex hoc prælio plurimi Galli, instauratis iterum copiis in bellum ruentes, [6] a C. Sulpitio dictatore superati sunt. Post paululum quoque Tuscorum pugna [7] sub C. Marcio consecuta est : ubi conjici datur [8] quantum hominum cæsum sit, quando octo millia sunt capta Tuscorum.

Tertio autem in iisdem diebus Galli se in prædam per maritima loca subjectosque campos, [9] ab Albanis montibus diffuderunt : adversum quos novo militum delectu habito, conscriptisque legionibus decem, sexaginta millia Romanorum, negatis sibi Latinorum auxiliis, processerunt. Confecit hanc pugnam [10] M. Valerius, auxiliante corvo alite, unde postea Corvinus est dictus. Occiso enim provocatore Gallo, hostes territi, sparsimque fugientes, graviter trucidati sunt.

161 CAPUT VII.

Fœdus Romanorum cum Carthaginiensibus complurium malorum causa. Inter alia mira veris lapidibus pluit. Alexander Magnus nascitur. Rex Persarum Judæos captivos abducit.

Numerandum etiam [1] inter mala censeo, primum illud [2] ictum cum Carthaginiensibus fœdus, quod iisdem temporibus fuit : præsertim ex quo tam gravia orta sunt mala, [3] ut exin cœpisse videantur. [4] Anno siquidem ab Urbe condita ccccii legati a Carthagine Romam missi sunt, fœdusque pepigerunt. [5] Quem ingressum Carthaginiensium in Italiam malorum grandinem secuturam, continuarumque miseriarum tenebras juges, historiarum fides, locorumque infamia, et abominatio dierum, quibus ea gesta sunt, protestantur. [6] Tunc etiam nox usque ad plurimam diei partem tendi visa est : et saxea de nubibus grando descendens, veris terram lapidibus verberavit. [7] Quibus diebus etiam [8] Alexander Magnus,

HAVERCAMPI NOTÆ.

2. *Ad quartum ab Urbe lapidem.* Apud Livium est, *ad tertium lapidem :* Eutropius scribit Gallos *quarto milliario* ab Urbe consedisse. FABR.

3. *Otio et lentitudine.* Sic pono, adjutus duobus mss. contra quam fuit in vulgatis, *lenitudine.* LAUT. — Editiones quædam cum mss. quibusdam, *lenitudine.* Sed ego quoque præfero quod meliores habent, *lentitudine. Lenis* autem et mansuetus acri et fero opponuntur, *lentus* vi subitæ, quam si adhibissent Galli, prævenire poterant Romanos.

4. *Manlius Torquatus.* Hic T. Manlius' qui cum Gallo apud Anienem depugnavit provocatus, ex ejus spoliis sibi et torquem et cognomen induit, ait Cicero lib. II de Finibus. Historia est apud Livium lib. VII, et Eutropium II. Elegantissime eam Quadrigarius lib. I Annalium descripsit, qui locus est apud Gellium lib. IX, cap. 1. FABR.

5. *T. Quinctius dictator.* Livius Gallos non hoc anno a Quinctio dictatore, verum sequenti a Q. Servilio Ahala dictatore, cum Quinctius magister equitum esset, cæsos ait. Sed Orosius alios auctores secutus est, sicut et Appianus in Celtica, ubi scribit, Καὶ τρίτη δὲ Κελτιῶν στρατία ἐμβέβληκεν εἰς τὴν Ἰταλιάν, ἣν καὶ αὐτὴν οἱ Ῥωμαῖοι διεφθάρκασιν ὑφ' ἡγεμόνι Τίτῳ Κοϊντίῳ, i. e., *Atque etiam tertius Gallorum exercitus in Italiam venit, quem Romani quoque ductu et auspiciis T. Quinctii deleverunt.* FABR.

6. *A. C. Sulpitio.* C. Sulpitius Peticus dictator an. CCCXCV Gallos vicit, ac de iis triumphavit nonis Maii, ut est in triumphis Capitolin. De arte qua Gallos vicit, Livius et Frontinus lib. II Stratagematum. FABR.

7. *Sub C. Marcio.* C. Marcius Rutilus dictator primus e plebe biennio post Sulpitium cum Tuscis congressus, 9 millibus captis, cæteros aut cecidit, aut agro Romano fugavit. Livius et Eutropius. Ejus triumphus in antiquis marmoribus sic descriptus est : C. MARCIUS. L. F. C. N. RUTILUS. DICT. AN. CCCXCVII. DE TUSCEIS. PRIDIE. NON. MAI. Pro *consecuta*, Perizon. habet *subsecuta est.*

8. *Quantum hominum cæsum sit.* Ita cod. Longob. et reliqui mss. Sed edd. pr., Paris., Venetæ, Hitt. et Bolsuing. adeoque veteres omnes ante Fab., sola August. excepta, *quanta hominum multitudo cæsa sit.*

9. *Ab Albanis montibus.* Sic recte legi in libris vetustis e Livio cognoscitur. Meminit hujus belli Polybius lib. II, Flor. lib. I, tit. 13. FABR. — Quidam scilicet ex edd. et mss. legunt *subjectisque* vel *subjectosque campos Albanis montibus.*

10. *M. Valerius.* De hujus singulari certamine præter superiores lege Valerium Max. lib. VIII, cap. 16, et Gell. lib IX, cap. 11. Est vero sciendum hunc M. Valerium in antiquis lapidibus non *Corvinum*, sed *Corvum* cognominari. M. tamen Manilii versus de hoc sunt :

Et cum militia volucris Corvinus adeptus
Et spolia, et nomen, qui gestat in Alite Phœbum. FABR.

— Pro *Corvinus* Coll. Gronov. scribit *Corvus.*

CAP. VII. — 1. *Inter mala.* Edit. quædam Vett., *inter cætera mala*, contra mss.

2. *Ictum fœdus.* Lugd. Bat. pr. et Perizon., *initum fœdus.*

3. *Ut exin.* Edd. pr. et Paris., *ut exhinc.*

4. *Anno siquidem ab U. C.* Cum Carthaginiensibus legatis, auctore Livio libr. VII Romæ fœdus ictum, cum amicitiam ac societatem petentes venissent, M. Valerio Corvo, M. Popilio Lænate IV coss. qui annus in Fastis Capitolinis est ab U. c. CDV. FABR.

5. *Quem ingressum.* Sic recte restituit Fabricius, ante quem edebatur, nullo sensu, *quam ex ingressu.* August. ed. sola servabat veram lectionem, ut et Vincentius Bellovacensis in Speculo Historiali lib. IV, cap. 93.

6. *Tunc etiam nox.* Hæc prodigia quarto anno post fœdus cum Carthaginiensibus ictum evenisse, Livius narrat. Diaconus hæc Eutropio ex Orosio addidit. FABR.

7. *Quibus diebus etiam Alexander Magnus.* Infra cap. 16 Orosius scribit Alexandrum patri Philippo successisse anno ab U. c. CCCCXXVI; quare si Alexander natus annos 20, ut Plutarchus et Arrianus scribunt, regnum Macedoniæ suscepit, certe circa idem tempus, quo prodigia illa evenerunt, hic natus fuit. FABR.

8. *Alexander Magnus.* In cod. Longob., *Alexander magnus vere*, etc., ut et in Perizon. et Coll. Gronov.; *Alexander Magnus, ille gurges*, etc., Vincent. Bellov. Apud eumdem legitur ibid., *veris terram lapidibus verberavit* 25 *diebus, quibus diebus*, etc.; quæ 25 *diebus*, ex *quibus diebus* nata, expungi debent.

magnus vere ille gurges miseriarum, atque atrocissimus turbo totius Orientis est natus. [9] Tunc etiam Ochus, qui et **162** Artaxerxes, post transactum in Ægypto maximum diuturnumque bellum, plurimos Judæorum in transmigrationem egit, atque in Hyrcania ad Caspium mare habitare præcepit: quos ibi usque in hodiernum diem amplissimis generis sui incrementis consistere, atque exinde quandoque [10] erupturos, opinio est. Cujus etiam belli tempestate [11] transcurrens, et Sidonem opulentissimam Phœnicis provinciæ urbem delevit, et Ægyptum, [12] quamvis prius victus, tunc tamen subactam, comminutamque ferro, Persarum subjecit imperio.

CAPUT VIII.

Breviter comprehendit sequentium bellorum a Romanis gestorum clades : et de Jani portis clausis.

Jam hinc statim a Romanis adversum Samnitas, gentem opibus armisque validam, pro Campanis et Sidicinis bella suscepta sunt. [1] Samniticum bellum ancipiti statu gestum, Pyrrhus, vel maximus Romani nominis hostis, excepit. Pyrrhi bellum mox Punicum consecutum est : et quamvis [2] numquam post mortem Numæ a bellorum cladibus **163** fuisse cessatum, [3] patentes semper Jani portæ indicent, ex eo tamen, veluti per meridiem, toto impressus cœlo malorum fervor incanduit. Porro autem, inchoato semel bello Punico, utrum aliquando bella, cædes, ruinæ atque [4] omnia infandarum mortium genera, [5] nisi Cæsare Augusto imperante cessaverint, inquirat, inveniat, prodat, quisquis infamanda tempora Christiana putat. Absque illo tamen, [6] inter bella Punica unius anni, veluti avis prætervolantis excursu, Romani propter clausas Jani portas, inter febres morbosque reipublicæ, [7] ad hoc brevissimo pacis signo, velut tenuissimo aquæ gelidæ haustu, illecti sunt, ut, in pejus recalescentes, multo gravius vehementiusque [8] afflictarentur. At vero, [9] si indubitatissime constat, sub Augusto primum Cæsare, post [10] Parthicam pacem universarum terrarum orbem, positis armis, abolitisque discordiis, generali pace et nova quiete compositum, Romanis paruisse legibus, Romana jura quam propria arma maluisse, spretisque ducibus suis, judices elegisse Romanos : postremo omnibus gentibus, [11] cunctis provinciis, innumeris civitatibus, infinitis populis, totis terris, unam fuisse [12] voluntatem, libero honestoque studio **164** inservire paci, atque in commune consulere : quod prius ne una quidem civitas, unusve populus civium, vel, quod majus est, una domus fratrum, jugiter habere potuisset : quod si etiam, cum imperante Cæsare ista provenerint, in ipso [13] imperio Cæsaris illuxisse ortum in hoc mundo Domini nostri Jesu Christi, li-

HAVERCAMPI NOTÆ.

9. *Tunc etiam Ochus, qui et Artaxerxes.* Artaxerxes ὁ ἐπικληθεὶς Ὦχος, Eusebio est XII Persarum rex, ad cujus annum 6 hæc ascripta leguntur : *Ochus Apodasmo Judæorum capta, in Hyrcaniam accolas translatos juxta mare Caspium collocavit.* FABR.

10. *Erupturos.* Lugd. Bat. quart., *ereptos iterum in Judæa opinio est.* Pro *exinde* codex Longob. et Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., *exin.*

11. *Transcurrens et Sidonem.* Defecerat a rege Persarum Tripolis, præsidioque a Nectanebo rege Ægyptiorum acceperat tria millia Rhodiorum. Ochus, cum Babylone in Ægyptum maximis copiis contenderet, Phœnicas primum adortus, Sidonem Mentoris Reguli proditione in suam potestatem redegit, atque evertit. Hæc pluribus Diodorus libr. XVI, Gemisthus Pletho lib. II. FABR. — *Sidona* malunt edd. Venetæ cum Coll. Gronov.

12. *Quamvis prius victus.* Impressi, *victam.* Sed quis historiam novit, et non videt utrum sit melius? LAUT. — Cum Lautio *victus* agnoscunt mss. Lugd. Batt. pr., tert. et Coll. Gronov. Victos a Nectanebo Ægypti rege, fuisse Persas, sed Græcorum ducum opera docet Diodor. lib. XV, p. 359 et XVI, p. 445.

CAP. VIII. — 1. *Samniticum bellum.* De Samnitico bello infra hoc lib. agetur : de Tarentino et Punico deinceps. FABR.

2. *Numquam post mortem Numæ.* Numa Janum ad infimum Argiletum indicem pacis bellique fecit : apertus, ut in armis civitatem, clausus, pacatos circa omnes populos significaret. Numa regnante Janus 43 annos continenter clausus fuit; Livius lib. I, Plutarch. in Numa. FABR.

3. *Patentes semper Jani portæ.* Sic mss. omnes atque editi ante Fabricium. Unde nescio, quid illum impulerit edere *semel patentes Jani portæ.* Semel videlicet sub Numa fuerunt clausæ, sed dein (quod hic dicere vult Orosius) semper, usque ad Augustum patuerunt.

4. *Omnia.* Sic mss.; edd. quædam vett., *omniumque*, quæ et aliquanto post *cessaverant.*

5. *Nisi Cæsare Augusto imperante.* Post bellum Actiacum, pace terra marique parta libr. VI, cap. 22. FABR.

6. *Inter bella Punica unius anni.* Hic annus fuit T. Manlio Torquato, C. Atilio Bulbo coss. inf. lib. IV, c. 12. FABR.

7. *Ad hoc.* Ita restituimus ex cod. Longob. consentientibus mss. Meo et Perizon. ut et ed. August.; in vulgatis inepte *adhuc* legitur. Ad hoc inquit Orosius, illecti sunt brevissimo, etc., ut in pejus recalescentes, etc.

8. *Afflictarentur.* Meus et Perizon., *conflictarentur.*

9. *Si indubitatissime.* Illud *si* tolluut mss. quidam et editi, invito auctore, cujus post longam satis periodum verba illa, *quod si etiamnum imperante Cæsare*, etc., ostendunt, abesse idem hoc loco non posse.

10. *Parthicam pacem.* Bene : et contra vulgatam *partam*, Suetonius habet. LAUT. — *Parthicam* scribunt insuper tres Florentini, quatuor Lugd. Batt., Coll. Gron., Ultr., Meus, Perizon. adeoque omnes mss. cum edd. primis, ut mirer Fabricio, Hittorp. et Bolsuing *partam* placuisse. Quæ sequuntur ex Lucani imitatione hausta, lib. I, 60 :

> Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,
> Inque vicem gens omnis amet : pax, missa per Orbem,
> Ferrea belligeri compescat limina Jani.

11. *Cunctis provinciis.* Vulgati, *cunctisque*, sed conjunctionem illam non agnoscunt mss. meliores. Pro *innumeris* Coll. Gronov. *in universis.*

12. *Voluntatem.* Cod. Longob., *voluptatem.* Aliquanto post *nec una* pro *ne una* ed. Aug., ubi *prius* delet cod. Perizon.

13. *Imperio Cæsaris.* Subjungunt *nati* mss. Lugd. Bat. quatuor, Ultr. et Coll. Gronov. cum ed. August. ut referatur ad *Domini nostri Jesu Christi*, quod sequitur, quo non opus est.

quidissima probatione manifestum est, inviti licet illi, quos in blasphemiam [14] urgebat invidia, cognoscere faterique coguntur, pacem istam totius mundi et tranquillissimam serenitatem, non magnitudine Cæsaris, sed potestate filii Dei qui in diebus Cæsaris apparuit, exstitisse, nec unius Urbis imperatori, sed creatori orbis universi, orbem ipsum generali cognitione paruisse : qui, sicut sol oriens diem luce perfundit, ita adveniens misericorditer, extenta mundum pace vestierit. Quod plenius, [15] cum ad id, ipso perficiente Domino, ventum fuerit, [16] proferetur.

CAPUT IX.

Romani Latinis bellum inferunt. Manlius Torquatus filium occidit. Minucia, Vestalis virgo, incesti damnata.

[1] Igitur anno ab Urbe condita CDIX Romani bellum Latinis rebellantibus intulerunt, Manlio Torquato, et [2] Decio Mure consulibus : **165** in quo bello unus consul interfectus est, alter exstitit parricida. Manlius enim Torquatus filium suum, juvenem, victorem, interfectoremque [3] Metii Tusculani, nobilis equitis, et tum præcipue provocantis atque insultantis hostis, occidit. [4] Alius vero consul, cum iterato conflictu, illud cornu, cui præerat, cædi atque affligi videret, in [5] confertissimos hostes sponte prolapsus, occubuit. Manlius, quamvis victor, [6] occursum tamen nobilium juvenum Romanorum, qui legitime exhiberi solet, triumphans parricida, non meruit. [7] Anno autem post hunc subsequente, Minucia, virgo Vestalis, ob admissum incestum damnata est, vivaque obruta in campo, qui nunc Sceleratus vocatur.

CAPUT X.

Permultæ matronæ Romanæ veneficii accusatæ et damnatæ sunt.

At vero, parvo exin tempore interjecto, horresco referre quod gestum est : [1] nam Claudio Marcello et Valerio Flacco consulibus, incredibili rabie et amore scelerum Romanæ matronæ exarserunt. Erat utique fœdus ille ac pestilens annus, [2] inflictæque jam undique catervatim **166** strages egerebantur, et adhuc tamen penes omnes de corrupto aere simplex credulitas erat, cum existente quadam ancilla indice et convincente, primum multæ matronæ ut biberent, quæ coxerant, venena, compulsæ : deinde simul [3] atque hausere, consumptæ sunt. Tanta autem multitudo fuit matronarum in [4] his facinoribus consciarum, [5] ut trecentæ septuaginta damnatæ ex illis simul fuisse referantur.

HAVERCAMPI NOTÆ.

14. *Urgebat invidia.* Hæc meliorum et antiquiorum codd. Florent. trium, Mei et Perizon. ut et ed. August. est lectio. Vulgati *urget invidia*, mox *tranquillissimamque* pro *et tranquillissimam* tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov.

15. *Cum ad id, ipso perficiente Domino.* Secutus sum lectionem, quam constanter servant mss. omnes. Vulgati, *cum ad ipsum* (vel *ad id ipsum*) *perficiente Domino*, etc.

16. *Proferetur.* Sic tres Florentini, Meus, Ultr. et Perizon. cum ed. Aug., *proferimus*, vulgati, *proferemus*. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *profitebitur*.

CAP. IX.—1. *Igitur ann. ab Urbe condita* CDIX. Hic annus quo L. Manlius et P. Decius consules fuerunt : in antiquis Fastis est CDXIV, a quo numero cum hic longe absit, vereor ne mendum hic lateat. FABR.

2. *Decio Mure.* Vulgo errore manifesto pro *Mure*, quod est in omnibus manuscriptis, hic, et infra capit. 21 *Muræna* legitur, sicut et apud Florum lib. I, capit. 14. FABR.

3. *Metii Tusculani, nobilis equitis.* Sic est in Manuscriptis, non, *militis*, ut habent vulgati. Hunc præfectum equitum Livius lib. VIII et Valer. II, capit. 2, *Geminium Metium* vocant.

4. *Alius vero consul.* Alterum consulem P. Decium patrem intelligit, qui se bello Latino devovit, Cic. lib. II de Fin. et libr. I de Divin. et alii omnes. FABR.

5. *Confertissimos.* Lugd. Batt. quatuor et Coll. Gronov., *infestissimos*.

6. *Occursum tamen nobilium juvenum.* Liv., *Bello gesto, T. Manlius Romam rediit, cui venienti seniores tantum obviam exisse constat : juventutem et tum et omni vita deinde aversatam eum exsecratamque.* Idem Val. Max. lib. IX, c. 3. FABR.

7. *Anno autem post hunc subsequente.* Minucia damnata incestus fuit, non proximo anno post Manlium et Decium consules, sed tertio anno post, auctore Livio in VIII. *De pœna Vestalium* Dionys. libr. II, Plut. in Numa, *De campo Scelerato* Festus. FABR.

CAP. X. — 1. *Nam Claudio Marcello.* M. Claudius Marcellus et C. Valerius Flaccus consules fuerunt anno CDXXII : quo anno Romæ primum de veneficiis quæsitum est. Livius Libr. VIII. FABR.

2. *Infletæque.* Nisi hoc bene, pro illo *inflictæque* et *impletæque* Orosio restitui, nihil usquam viderim. LAUT. — Elegans est emendatio Lautii, qui pro *inflictæque* vel *impletæque*, reponit *infletæque*. Nullam tamen adducit auctoritatem, qua probet *infletus* poni pro *indefletus*. Neque tamen analogia obstat, nam *fletus* pro *defletus* occurrit apud Virgil. lib. Æn. VI, 481 :

> Hic multum fleti ad superos, belloque caduci
> Dardanidæ.

Ubi notat Servius, *multum fleti, id est nobiles, quorum mortem sequitur magna lamentatio.* Et certe evincere id solet multitudinem mortuorum et magnitudinem stragis, si propter crebra et numquam intermissa funera planctus omittatur, atque *indefleti*, seu *infleti* (ut videtur scripsisse Orosius) a propinquis rogo injiciantur Ovid. Metam. VII, 610 :

> Deque rogis pugnant : alienisque ignibus ardent.
> Qui lacryment, desunt : indefletæque vagantur
> Natarum matrumque animæ, juvenumque senumque.

Quamvis autem nullus ex mss. legat *infletæque*, quod tamen Meus, Perizon. atque Ultr. exhibent *impletæque* proxime ad illam lectionem accedit, quoniam inter litteras p et f in codd. mss. minima est discrepantia.

3. *Atque hausere.* Ita mss. Florentini tres cum Perizon. Meus. *hæ quæ hausere.* Vulgati, *ut hausere.*

4. *His facinoribus consciarum.* Paulo Latinius est hoc in lib. Colon. quam in aliis, quibus legitur : *in his facinoribus ;* malim tamen *hujus facinoris consciarum.* LAUT. — In fine tamen cap. sequentis ms. Ultr. itidem scribit, *magna in parvis.*

5. *Ut trecentæ septuaginta damnatæ.* In numero consentiunt manuscripti libri Orosii, sed Livius scribit damnatas fuisse ad 170. Valerius libr. II, cap. I : *Pars*, inquit, *capitali judicio damnatæ centum et* 70 *numerum expleverunt.* FABR. — *Trecentæ octoginta*

CAPUT XI.

Alexander, rex Epirotarum a Samnitibus victus et occisus est.

Anno ab Urbe condita ccccxxii [1] Alexander, rex Epirotarum, Alexandri illius Magni avunculus, trajectis in Italiam copiis, cum **167** bellum adversus Romanos pararet, et circa finitimas Romæ urbes [2] firmare vires exercitus sui, auxiliaque vel sibi acquirere vel hostibus subtrahere studens, bellis exerceretur, a Samnitibus, qui Lucanæ genti suffragabantur, maximo bello in Lucania victus atque occisus est. Sed, quoniam aliquantum Romanas clades recensendo progressus sum, vel Alexandri istius mentione commonitus, de Philippo Macedonum rege, qui Olympiadem hujus Alexandri Epirotæ sororem uxorem habuit, ex qua Alexandrum Magnum genuit, paucissimis annis retro repetitis, [3] magna parvis, in quantum potero, colligam.

CAPUT XII.

Philippi, regis Macedoniæ, res gestæ, et quas gentes seu urbes subegerit.

[1] Anno ab Urbe condita cccc Philippus, Amyntæ filius, Alexandri pater, [2] regnum Macedonum adeptus, viginti quinque annis tenuit : quibus hos omnes acerbitatum acervos cunctasque malorum moles struxit. [3] Hic primum ab Alexandro fratre obses Thebanis datus, **168** per triennium apud Epaminondam, strenuissimum imperatorem et summum philosophum, eruditus est. Ipso autem Alexandro [4] scelere Eurydices matris occiso, quamvis ea, jam commisso adulterio, et altero primum filio interfecto, filiaque viduata, generi nuptias mariti morte pepigisset, compulsus a populo regnum, quod parvo occisi fratris filio tuebatur, suscepit, qui cum foris concursu exsurgentium undique hostium, domi autem deprehensarum sæpe insidiarum metu fatigaretur, [5] primum bellum cum Atheniensibus gessit. Quibus victis, [6] arma ad Illyrios transtulit, multisque millibus hostium trucidatis, Larissam urbem nobilissimam cepit. Inde Thessaliam non magis amore victoriæ, quam ambitione habendorum equitum Thessalorum, quorum robur ut exercitui suo admisceret, invasit. Ita Thessalis ex improviso præoccupatis atque in potestatem redactis, jungendo equitum peditumque fortissimas turmas et copias, invictissimum fecit exercitum. Igitur victis Atheniensibus, subjectisque Thessalis, [7] Olympiadem, Arubæ regis Molossorum cum annum regnasset, a Ptolomæo Alorite filio Amyntæ notho occisus fuit : qui deinde triennium Macedoniæ regnum obtinuit : hunc Perdiccas, frater germanus Alexandri, interfecit, ac quinque annis in regno exactis ab Illyriis victus occubuit. FABR. — Hanc controversiam ex professo discussimus in majore opere, de quo supra mentionem fecimus, ubi vide quæ a nobis in Vita Alexandri, Philippi fratris, atque ipsius Philippi, super hac re afferuntur.

HAVERCAMPI NOTÆ.

mss. Lugd. Bat. pr., tert., Coll. Gronov. et ex impressis Venetæ, Paris. et prima omnium. Erratum in numeris suspicatur Pighius Annal. tom. I, p. 333.

CAP. XI. — 1. *Alexander, rex Epirotarum.* Quæ hoc capite de Alexandro Epiri rege Orosius scribit, ea copiose Livius lib. VIII in consulatu L. Papirii et C. Pœtelii. Lege etiam ea quæ Diaconus Eutropio addidit; Strab: lib. v. et inf. c. 18. FABR.

2. *Firmare.* Meus cum Perizon. et Flor. tertio *firmaret*, quod non est contemnendum, et in edd. primis usque ad Fabricianas invenitur; *firmare* tamen in cod. Longob. et Flor. sec. ac reliquis invenitur.

3. *Magna parvis.* Videri potest scripsisse Orosius, *magna in parvis*, ex collatione eorum quæ cap. præcedente exstant *in his facinoribus consciarum. In parvis* solus quidem scribit cod. Ultr., sed tamen lectionem illam velle videtur quoque optima ed. August. in qua legitur *in magnis parva.*

CAP. XII. — 1. *Anno ab U. c.* cccc. Philippus Amyntæ filius Macedonum regnum, auctore Diod. lib. XVI, suscepit olympiade 105, consulibus Romæ Cn. Genucio et L. Æmilio. Hi autem ex antiquis Fastis referuntur ad annum post *U. c.* cccxc quos tamquam certiores duces sequi mallem. FABR.

2. *Regnum Macedonum.* Lugd. Batt. tert. et quart. cum Coll. Gronov., *regnum Macedoniæ.*

3. *Hic primum ab Alex. fratre.* Orosius in his rebus exponendis Justinum sequitur. Plutarchus quoque in Pelopida scribit, Philippum ab Alexandro fratre obsidem Thebanis datum : sed Diod. libr. XVI tradit ipsum Amyntam patrem superatum ab Illyriis Philippum, minimum natu filium, victoribus obsidem dedisse, eosque illum apud Thebanos deposuisse. Gemistus Pletho, qui tam Plutarchi quam Diodori sententiam refert, ait Philippum primum patre vivo Thebis obsidis loco fuisse, ac deinde iterum a fratre datum, cum is societatem cum Pelopida coivisset, cujus rei auctorem Diodorum libr. XV habet. Sed quærendum, quomodo Philippum triennio Thebis obsidem fuisse Justinus et Orosius scribant, si a fratre datus non ante e custodia elapsus est, quam Perdiccas ab Illyriis victus occubuit, ut Diodorus et Pletho tradunt. Nam Alexander, iisdem auctoribus,

4. *Scelere Eurydices matris occiso.* Ita in mss. et edd. Fabricianis legitur. Reliquæ, *interfecto scelere Eurydices matris, quamvis ea jam commisso*, etc. Sed cum mss. consentit ed. August. Orosius vero in hisce Justinum sequitur, qui Eurydicem hoc nomine infamat, quo jure, videri potest in Historia nostra Universali, sive Thesauro Regio, ubi in Vita regis Philippi, Eurydices innocentiam ex testimonio scriptorum, qui eodem tempore vixerunt, demonstravimus.

5. *Primum bellum cum Atheniensibus.* Hoc bellum gestum est duce Mantia, cum Athenienses Argæo Macedoniæ regnum dare conarentur. Diodorus. FABR.

6. *Arma ad Illyrios transtulit.* Illyrios Philippus anno II regni sui vicit, Macedoniæque oppidis cedere coegit, Diodorus et Plethon; Thessalos Philippus quarto anno regni sui sibi adjunxit, iisdem auctoribus. FABR.

7. *Olympiadem, Arubæ regis Molossorum.* Ita scripsimus ex optimo libro Cornelii Gualtheri, cum vulgo *Euruchæ*, legeretur, credo ex eo quod in nonnullis manuscriptis est, *Aruchæ.* Magna autem varietate hujus regis nomen scriptum invenitur. Justini libri impressi partim *Arymbam*, meus manuscriptus *Arybbam* nominat; apud Demosthenem Olynth. I et Diodor. lib. XVI est Ἀρύμβας, apud Plutarchum in Pyrrho Ἀρύβας, apud Pausan. lib. I Ἀρύββας. Est vero quærendum, quibus auctoribus Orosius *Olympiadem Arubæ* sororem, et Justinus *Arybbam* Olympiadis fratrem patruelem nominet : cum ex Pausania et Plutarcho constet, *Arubam* fuisse patruum Olympiadis, nam *Aruba* et Neoptolemus, pater Olympiadis, Alcetæ satu editi fuerunt. Et Ulpianus, Demosthenis interpres, *Arymbam* Olympiadis Philippi uxoris θεῖον, i. *patruum*, non (ut Wolfius putavit) *avunculum* nominat. Expeditionis Philippi contra *Arymbam* memi-

169 sororem, duxit uxorem. Qui Aruba, cum per hoc quod societatem Macedonum affinitate regis paciscebatur, imperium suum se dilataturum putaret, per hoc deceptus amisit, privatusque in exsilio consenuit. Deinde Philippus, cum [8] Methonam urbem oppugnaret, [9] ictu sagittæ oculum perdidit. Ipsam vero urbem mox expugnavit, et cepit. Exin [10] Græciam prope totam, consiliis præventam, viribus domuit. Quippe Græciæ civitates, dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt : et dum [11] in mutuum exitium sine modo ruunt, [12] omnibus perire, quod singulæ amitterent, [13] oppressæ demum servientesque senserunt : quarum dum [14] insanas concertationes Philippus, veluti e specula **170** [15] observat, auxiliumque semper inferioribus suggerendo, contentiones, bellorum fomites, callidus doli artifex fovet, victos sibi pariter victoresque subjecit. Huic autem ad obtinendam totius Græciæ dominationem, A immoderata Thebanorum dominatio facultatem dedit, qui victos Lacedæmonios ac Phocenses, cædibus etiam rapinisque confectos, cum insuper [16] in communi Græciæ concilio tanta pecuniæ mulcta onerassent, quantam illi solvere nullo modo possent, ad arma confugere coegerunt. Itaque Phocenses, [17] Philomelo duce et auxiliis [18] Lacedæmoniorum Atheniensiumque fulti, commissa pugna, hostibusque fugatis, Thebanorum castra ceperunt. Sequenti prælio inter immensas utriusque populi strages Philomelus occisus est : in cujus locum Phocenses [19] Onomarchum ducem creaverunt. Porro autem Thebani et Thessali, omisso delectu civium, Philippum Macedoniæ regem, quem hostem prius repellere laborabant, ultro sibi ducem expetiverunt. [20] Commisso **171** prælio, et Phocensibus pene ad internecionem cæsis, victoria ad Philippum concessit. [21] Sed Athenienses, audito belli eventu, ne Philip- B

HAVERCAMPI NOTÆ.

nit Demost. Olynth. I FABR. — Lugd. Batt. pr. et quart., *Aurubæ*, et superscribitur in primo, lege *Aribas;* tert., *Cherubæ*, Perizon., *Aurubæ*, Florentini tres et reliqui, *Arubæ*.

8. *Methonam*. Mss. tres Florentini scribunt *Mothonam*, de qua lectione atque hujus nominis appellatione Latina disputant quoque interpretes ad Justini lib. VII, cap. 6. *Mothonam* quoque scribit Vincent. Bellov. Spec. Hist. lib. V, cap. 18.

9. *Ictu sagittæ oculum perdidit*. *Aster* miles hic a Plutarcho et Ulpiano vocatur, qui Philippum oculo privavit. Hujus incommodi meminit præter Diodorum Strabo lib. VIII. Sagittam vero Philippi oculo extraxit Critobulus, et citra deformitatem oris curavit orbitatem luminis, auctore Plin. lib. VII, cap. 37. FABR. — Sagittæ, is qui jecerat, Aster, hæc inscripserat jactabundus,

Ἀστὴρ Φιλίππῳ θανάσιμον ἐπιπέμπει βέλος.

Aster Philippo lethale mittit telum. Iratus rex, sagittam quoque mitti intra muros curavit sic inscriptam,

Ἀστέρα Φίλιππος, ἢν λάβῃ, κρεμήσεται.

Asterem Philippus, ubi ceperit, suspendet. Neque alia conditione dedi urbem passus, quam tradito Astere, cruci eumdem suffixit. Suidas tomo II, p. 242 in voce Κάρανος. Adde Strabonem lib. VII p. 330, et lib. VIII p. 274; Diod. Siculum lib. XVI p. 434, Plutarch. in Parall. p. 307, et Ptolem. Hephæstionem apud Photium cod. 190, p. 478.

10. *Græciam prope totam*. Ita mss. Florentt. aliique, sed Perizon et Meus, *Græciam pene totam*. Quædam edd., *Græciam totam prope*.

11. *In mutuum exitium*. Perizon., *in mutuum excidium*.

12. *Omnibus perire*. Meus, *omnes pariter*, sed malo vulgatam.

13. *Oppressæ demum*. Ed. Augustana, *non nisi oppressæ demum*.

14. *Insanas concertationes*. Hoc verum verbum esse, non *concursationes*, quod hic limen tamquam Cerberus obsederat : etiamsi scriptus Colon. non diceret, tamen facile arguunt quæ sequuntur : *contentiones bellorum fomites*. LAUT. — *Concursationes* illud, de quo queritur Lautius, in mss. codd. non inveni, in iis enim legitur *conversationes*, quod propius ad ejus emendationem, quam veram esse puto, accedit. *Conversationes* quoque vett. edd. exhibent, nisi quod in Venetis sit *concursationes*. Prima ex editis *concursiones* habet Hittorp. quam reliquæ deinde secutæ sunt.

15. *Observat*. Ita reposui, consentientibus mss. omnibus, ut et infra *fovet*, pro *observaret* et *foveret*. Mss. accedit ed. August.

16. *In communi Græciæ concilio*. Ἐν Ἀμφικτύονι, Diodorus. Hoc autem bellum *Sacrum* et *Phocicum* nominatum est, quo de Diodor. et Pausanias lib. X, ubi scribit fanum Apollinis Delphici a Phocensibus occupatum fuisse Archonte Agathocle olympiadis quintæ et centesimæ anno quarto. FABR.

17. *Philomelo duce*. Φιλόμηλος ὁ Θεοτίμου, est Græcis, qui hic vulgo *Philomenes vocatur*. FABR. — Pro *in cujus locum* mss. Flor. pr. et sec., *in cujus loco*.

18. *Lacedæmoniorum Atheniensiumque*. Quod Phocensibus in bello Sacro faverint Lacedæmonii, atque auxilia sub rege Archidamo, Agesilai filio, miserint, ratio fuit simile contra illos in communi Græcorum concilio decretum, quod Amphictyones, urgentibus Thebanis, tulerant. Olim per proditionem Thebarum arcem Cadmeam occupaverant Lacedæmonii; C Thebani, occasionem injuriæ vindicandæ nacti, quingentorum talentorum mulcta eosdem per Amphictyonas condemnaverant, duplicata postea pœnæ nomine mulcta, quod stato tempore non solvissent. Lacedæmonii propterea exasperati, ne et ipsi mulctam solverent, Phocensium causam suam fecerunt. Athenienses, odio Philippi et metu libidinis, quæ in illo erat, dominandi in omnes, impulsore præcipue Demosthene, Phocensibus auxilium tulerunt. Quod bellum, inter memorabilia Græciæ numerandum, plenius exsecuti sumus in Historia atque Vita Philippi.

19. *Onomarchum ducem*. Ita ab omnibus vocatur, cujus nomen hic vulgo corruptum est. FABR.

20. *Commisso prælio*. Hoc prælium commissum cum Phocensibus fuit anno tertio belli *Sacri*, quo amplius sex millia Phocici nominis cum Onomarcho duce cæsa, et ad tria millia capta sunt. Diodor. lib. XVI. FABR. — Non statim a Philippo victus fuit D Onomarchus, sed postquam Philippum ipsum bis fugere coegerat, tertio prælio ipse victus fuit. Multi tum ex Phocensibus in mare se præcipites dederunt, atque ad præternavigantem forte Atheniensium classem incolumes pervaserunt. Conatus idem facere dux Onomarchus, periit, ejusque cadaver a Philippo cruci suffixum fuit. Onomarcho tertius ex fratribus Phayllus successit, quo per morbum absumpto, imperium ad Phalæcum, Onomarchi filium, valde juvenem, delatum fuit. Tunc res Phocensium dolo et virtute Philippi penitus afflictæ fuerunt, et Phalæcus impetrato libero cum mercenariis abitu, suos deseruit, atque in Cretam delatus, ibi periit.

21. *Sed Athenienses audito belli eventu*. Philippus,

pus transiret in Græciam, angustias Thermopylarum pari ratione sicut adventantibus antea Persis, occupavere. Igitur Philippus ubi exclusum se ab ingressu Græciæ, præstructis Thermopylis videt, paratum in hostes bellum, vertit in socios : nam civitates, quarum paulo ante dux fuerat ad gratulandum ac suscipiendum patentes, hostiliter invadit, crudeliter diripit : omnique societatis conscientia penitus abolita, conjuges liberosque omnium sub corona vendidit, templa quoque universa subvertit, spoliavitque, nec tamen umquam per viginti quinque annos [21] quasi iratis diis victus est. Post hæc in Cappadociam transiit, ibique bellum pari perfidia gessit, captos per dolum finitimos reges interfecit, totamque [22] Cappadociam imperio Macedoniæ subdidit. Inde post cædes, incendia deprædationesque in sociis urbibus gestas, parricidia in fratres convertit, quos patri [24] ex noverca genitos cum cohæredes regni vereretur, **172** interficere aggressus est. Cum autem unum ex his occidisset, [25] duo in Olynthum [26] confugerunt : quam mox Philippus hostiliter aggressus, urbem antiquissimam et florentissimam, cædibus ac sanguine repletam, opibus hominibusque vacuavit, abstractos etiam fratres supplicio et neci dedit.

[27] Dein cum, excidio sociorum et parricidio fratrum elatus, licere sibi omnia, quæ cogitavisset, putaret, [28] auraria loca in Thessalia, argenti metalla in Thracia invasit : ac ne quod jus vel fas inviolatum prætermitteret, præoccupato mari et classe dispersa, [29] piraticam quoque exercere instituit. Præterea cum eum [30] fratres duo, Thraciæ reges, de regni terminis ambigentes, judicem ex consensu præoptavissent, Philippus more ingenii sui ad judicium tamquam ab bellum, cum instructo exercitu ingressus, inscios juvenes vita regnoque privavit. Athenienses vero, qui prius Philippi ingressum Thermopylarum munitione repulerant, ultro pacem ejus expetentes, fraudulentissimum hostem de neglecta introitus custodia commonuerunt. Cæteræ etiam Græciæ civitates, ut intentius civilibus bellis vacarent, sub specie pacis et fœderis, sponte se externæ dominationi subjecerunt : maxime, cum Thessali Bœotique poscerent Philippum, ut professum se adversum **173** Phocenses ducem exhiberet, susceptumque [31] bellum gereret : contra Phocenses, adhibitis secum Atheniensibus et Lacedæmoniis, vel differri bellum, vel auferri, et pretio et precibus laborarent.

HAVERCAMPI NOTÆ.

superato Onomarcho ad Thermopylas contendebat, ut cum Phocensibus bellum in eorum finibus gereret; sed Athenienses navibus circumvecti eum transitu prohibuerunt, Diodorus, et Libanius in argumento orationis Demosthenis περὶ τῆς εἰρήνης. FABR.

22. *Quasi iratis diis victus est.* Infra cap. 14 : *Nec ab iratis diis, quos semper parvipenderat, quorumque aras, templa et simulacra subverterat, quin lectissimam, ut ipsi videbatur, mortem adipisceretur. potuit impediri.* Post illa *victus est* in ed. Augustan. tota illa pericope inseritur, quæ legitur supra lib. II, cap. 3, ab illis, *Itaque hæc ob hoc præcipue, commemoranda credidi*, usque ad *hic et Christiani fuere qui parcerent, et Christiani, quibus parcerent.*

23. *Cappadociam.* Falsum hoc est, neque umquam usque in Cappadociam Asiæ penetravit Philippus, quare et hic et apud Justinum lib. VIII, cap. 3, ut viderunt ibidem interpretes, reponi debet *Chalcidem*, vel *Chalcidicam.* Expeditionem enim in Chalcidicam Thraciam his temporibus sumpsit Philippus, atque urbes Græcas circa sinum Singiticum et Strymonium sitas bello vexavit. Confer Diodorum Siculum lib. XVI, p. 450. Aliquanto post edd. quædam habent *in socias urbes* pro *in socijs urbibus.*

24. *Ex noverca genitos.* Susceperat Amyntas, Philippi pater, ex Gygea tres filios, Archelaum, Argæum et Menelaum. Horum unum interfecerat Philippus, reliqui duo Olynthum confugerant, quæ urbs in initio Philippo faverat, atque ab eodem Potidæam atque Anthemonem urbes dono acceperat. Sed Olynthii videntes sese a Philippo inescari, cum Atheniensibus contra illum conspirarunt, neque facile victi fuissent, nisi a ducibus suis, Lasthene et Euthycrate, a Philippo corruptis, fuissent proditi. Vide quæ congessimus ad annum Philippi 13.

25. *Duo in Olynthum confugerunt.* Hanc Olynthiaci belli causam facit Justinus lib. VIII, cujus neque Diodorus, neque Libanius mentionem ullam fecerunt. Gestum autem est hoc bellum (ut ex Philochoro Dionysius Halicarnasseus refert) anno ante olympiadem 108, archonte Callimacho. Anno autem insequente, auctore Diodoro, Olynthus capta fuit. FABR.

26. *In Olynthum.* Contra veteres edd. mss. omnes, abjecto *in*, Fabricius edidit *Olynthum.*

27. *Dein cum.* Sic mss. meliores et cod. Longob. ; alii, *dein excidio*, etc.

28. *Auraria loca in Thessalia.* Barbarus aliquis addiderat, *statuas idolorum : et loca :* a glossa est. FABR.

29. *Piraticam quoque exercere.* Præter Justinum lib. IV, cap. 3, docet nos Demosthenes orat. prima in Philippum p. 18 et secunda p. 29, atque orat. de Corona p. 329, quomodo exscensione facta in insula Lemno, Athenienses aliquot cives inde abduxerit, Imbrum insulam occupare conatus fuerit, ipsamque sacram Atheniensium triremem prope Marathonem abduxerit.

30. *Fratres duo, Thraciæ reges.* Vide num *Cersobleptem et Amadocum intelligat :* de quibus Demosthenes κατὰ Ἀριστοκράτους. *Cersobleptem* quidem certe a Philippo oppugnatum fuisse, quando Athenienses pacem cum eo fecerunt, ex Demosthene, Æschine, et Plethone constat. Pax autem cum Philippo ab Atheniensibus facta archonte Themistocle septem annos duravit, ut ad Ammæum Dionysius scribit. FABR. — Si de hisce intelligas, non quidem eos interfecit Philippus, sed partes suas sequi coegit; Cersobleptem certe, qui Thraciæ ad Chersonesum imperabat, et in ipsa Chersoneso urbem maximam, Cardiam, obtinebat. Is Cersobleptes, Cotyis filius, Thraciæ rex, Philippi inopinato adventu oppressus, coactus fuit fœdus cum eodem facere, et filium dare obsidem. Sed postea, a Philippo deficiens atque iterum bello subactus, tributum eidem pendere necesse habuit.

31. *Bellum gereret.* Edit. Augustan., *bellum Græciæ gereret.* Forsitan non male. Quia enim bellum Sacrum erat contra Phocenses, qui donaria Delphici Apollinis spoliaverant, *bellum Græciæ* vocari potuit. Bœoti vero tum demum Philippum imperatorem et ducem ejus belli fecerunt, cum, rebus adversis fatigati, Phocensibus qui pro rege Phalæco, quod male res gesserat tres duces creaverant, qui rebus præessent, resistere amplius non possent.

Philippus tacite utrisque diversa promisit, [32] Phocensibus pacem et veniam se daturum sacramento confirmans. Thessalis vero adfuturum se mox cum exercitu spondet : bellum tamen ab utrisque parari vetat. Igitur Philippus, instructis copiis, angustias Thermopylarum securus ingreditur, easque occupatas dispositis præsidiis [33] emuniit. Tunc primum se non Phocenses soli, sed et omnis Græcia captam esse persensit : siquidem primos Phocenses Philippus, rupta fide calcatoque sacramento, infandæ dilacerationi dedit. Inde omnium urbes finesque populatus, cruenta præsentia effecit, ut etiam absens timeretur. Ubi vero in regnum rediit, more pastorum, [34] qui pecora sua nunc per æstivos, nunc per hibernos saltus circumducunt, populos et urbes, ut illi replenda vel relinquenda quæque loca videbantur, ad libidinem suam transfert. Miseranda ubique facies, et atrocissimum miseriarum genus obversabatur, perpeti excidium sine irruptione, sine bello captivitatem, sine crimine exsilium, [35] sine victore dominatum. Premit miseros inter injuriarum stimulos superfusus pavor, [36] ipsaque dissimulatione dolor crescit : **174** hoc altius demissus, quo minus profiteri licet, timentibus, ne ipsæ quoque lacrymæ pro contumacia accipiantur. Alios populos avulsos a sedibus suis, finibus hostium opponit : alios in extremis regni terminis statuit : quosdam æmulatione virium, ne possint quod posse creduntur, [37] in supplementa exhaustarum urbium dividit. Ita gloriosissimum illud quondam florentis Græciæ corpus in multas laceratasque particulas, exstincta primum libertate, concidit.

CAPUT XIII.

Byzantium Philippus frustra obsidet. Scythiam bello aggreditur, et vincit. Triballi prædam ei eripiunt.

Sed hæc cum per aliquantas Græciæ civitates exercuisset, et tamen omnes metu premeret, conjiciens ex præda paucorum opes omnium, ad perficiendam æqualem in universis vastationem, utili emolumento [1] necessariam maritimam urbem ratus Byzantium, nobilem civitatem, aptissimam judicavit, ut receptaculum [2] sibi terra marique fieret, eamque obsistentem illico obsidione cinxit. [3] Hæc autem Byzantium, quondam a Pausania rege Spartanorum condita, post autem a Constantino, Christiano principe, in majus aucta et [4] Constantinopolis dicta, gloriosissimi nunc imperii sedes et totius caput Orientis est. Philippus vero post longam et irritam obsidionem, ut pecuniam quam obsidendo **175** exhauserat, prædando repararet, piraticam aggressus est. Captas itaque [5] centum et septuaginta naves mercibus confertas, distraxit, et anhelanti inopiæ parva recreatione subvenit. Inde propter agendam prædam et curandam obsidionem divisit exercitum. Ipse autem cum fortissimis profectus, multas Chersonesi urbes cepit : profligatisque populis opes abstulit. Ad Scythiam quoque cum Alexandro filio prædandi intentione [6] pertransiit. [7] Scythis tunc Atheas regnabat : qui cum Istrianorum bello premeretur, [8] auxilium a Philippo per Apollonienses petiit : sed continuo Istrianorum rege mortuo, et belli metu, et auxiliorum necessitate liberatus, pactionem fœderis cum Philippo habitam dissolvit. Philippus, dimissa obsidione Byzantii, Scythicum bellum totis viribus aggreditur; commissoque prælio cum Scythæ [9] et numero et virtute præstarent, Philippi fraude vincuntur. In ea pugna viginti millia puerorum ac feminarum Scythicæ gentis capta, pecorum magna copia abducta, [10] auri

HAVERCAMPI NOTÆ.

32. *Phocensibus pacem et veniam se daturum.* Hoc Philippum sibi confirmasse Æschines reversus a Philippo Atheniensibus renuntiavit, qua de re Demosthenes περὶ παραπρεσβείας et περὶ στεφάνου. FABR.

33. *Emuniit.* Meus cum Flor. pr. et tertio, *emunit.* Flor. sec., *emunivit.* Mox pro *primos* ed. August. et mss. quidam legunt *primo.* Florentini tres, *sed omnis Græcia* pro *sed et omnis Græcia.*

34. *Qui pecua sua.* Ita Colon. nec muto illud in *pecora.* Ut enim nunc *genu* dicimus, sic veteres *pecu.* Ergo ut nunc *genua*, ita tunc *pecua.* LAUT. — Idem postea fecit Philippus rex, Persei pater, cum bellum adversus Romanos meditaretur. Confer Vitam ejusdem et Historiam.

35. *Sine victore.* Ed. August., *sine victoria*, quod non præfero.

36. *Ipsaque.* Meus, *et ipsa quoque.* Pro *timentibus* mss. quidam et editi, *timendum.* August., *timendum fuit.*

37. *In supplementa.* Ed. Aug. *in supplemento*, quod et in cod. Meo exstat.

CAP. XIII. — 1. *Necessariam maritimam urbem ratus Byzantium.* Amicitiæ et societatis fœdera inter Philippum manserunt usque ad Nicomachi magistratum : anno autem sequente, qui primus fuit olympiadis 110, Philippus primum Perinthum expugnare aggressus est, atque inde rejectus Byzantium obsedit, quo tempore epistolam ad Athenienses misit, violati fœderis eos accusans, et bellum denuntians, quæ omnia Dionysius ex Philochoro perspicue narrat. Epistola vero Philipdi exstat inter Philippicas orationes Demosth. FABR.

2. *Sibi terra marique.* Ed. Aug., *terra marique copiis suis.* Coll. Gron. nihil nisi *terra marique.*

3. *Hæc autem Byzantium.* Cassiodorus scribit *Byzantium* conditum Tullo Hostilio regnante. Unde *Byzantium* nomen invenerit refert Eustathius in Dionysium. FABR.

4. *Constantinopolis dicta.* Lege infra cap. 28 lib. VII FABR.

5. *Centum et septuaginta naves.* Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov. et Ed. Aug. *centum et octoginta* enumerant, sed pro vulgato stat Justinus.

6. *Pertransiit.* Lugd. Bat. tert., *transit.* Ed. Aug., *transivit.*

7. *Scythis tunc Atheas regnabat.* Regis nomen, quod in impressis erat, reliqui : nam in manuscriptis *Atheas et Natheas* legitur : in vulgatis Justini libris est *Mattheas*, in nostro manuscripto *Metheas.* FABR. — In Orosii mss. fere omnibus, Justino item nunc, *Atheas* legitur, idque verum viro nomen fuit. Venetæ edd. *Scythis tunc Etheas regebat.*

8. *Auxilium a Philippo.* Hoc mss. omnes, uno aut altero excepto, malunt, quam *auxilia.* Pro *petiit* Perizon. *petit.*

9. *Et numero et virtute.* Primum *et* delet Perizon. et abesse potest.

10 *Auri atque argenti.* Meus cum Justino, *auri ar-*

atque argenti nihil repertum : et ea res primo fidem inopiæ Scythicæ dedit. Viginti millia nobilium equarum sufficiendo generi in Macedoniam missa ; sed revertenti Philippo Triballi bello obviant, in quo ita Philippus in femore vulneratus est, ut per corpus ejus equus interficeretur. [11] Cum omnes occisum putarent, in fugam versi, prædam amiserunt. Aliquantula deinde mora dum convalescit a vulnere, in pace conquievit. Statim vero ut convaluit, Atheniensibus bellum intulit : qui in tanto discrimine positi [12] Thebanos, **176** quondam hostes, tunc socios adsciscunt : totiusque Græciæ civitates legationibus fatigant, ut communem hostem communibus viribus petant. Itaque aliquantæ urbes Atheniensibus sese conjunxere, quasdam vero ad Philippum belli metus traxit. [13] Prælio commisso, cum Athenienses longe majori numero militum præstarent, assiduis tamen bellis indurata Macedonum virtute vincuntur : quam pugnam longe omnibus anterioribus bellis atrociorem fuisse, ipse rerum exitus docuit. Nam hic dies apud universam Græciam acquisitæ dominationis gloriam, et vetustissimæ libertatis statum finivit.

CAPUT XIV.

Philippi crudelitas in Thebanos, et interitus.

Postea Philippus cruentissimam victoriam [1] in Thebanos et Lacedæmonios exercuit : siquidem principes civitatum alios securi percussit, alios in exsilium egit, [2] omnes bonis privavit. Pulsos dudum a civibus, in patriam restituit : ex quibus trecentos exsules judices rectoresque præfecit, qui ut antiquum dolorem nova potestate curarent, pressos infeliciter populos in spem libertatis respirare non sinerent. Præterea magno delectu militum [3] in subsidium regiæ dispositionis, ex tota Græcia habito, ducenta millia peditum, et quindecim millia equitum, absque exercitu [4] Macedonum et infinita gentium [5] barbarie, Persicæ expeditioni **177** in Asiam missurus instruxit. [6] Tres duces, hoc est, Parmenionem, Amyntam et Attalum, præmittendos in Persas, legit. Et dum suprascriptæ copiæ de Græcia [7] congregantur, Alexandri, qui erat Olympiadis uxoris suæ frater, et post [8] a Sabinis in Lucania prostratus est, quem Epiri regem ob mercedem stupri in eum perpetrati constituerat, nuptias in copulando ei filiam suam Cleopatram, celebrare decrevit : qui cum pridie quam occideretur interrogatus fuisset, quis finis homini magis esset optandus, respondisse fertur, eum esse optimum, qui viro forti, post virtutum suarum [9] gloriam in pace regnanti, sine conflictatione corporis et dedecore animi, subitus et celer, inopinato ferro potuisset accidere, quod ipsi mox [10] obtigit. Nec ab iratis diis, quos parvi semper penderat, quorumque aras, templa et simulacra subverterat, quin [11] electissimam, ut ipsi videbatur, mortem adipisceretur, potuit impediri. Nam die nuptiarum, cum ad ludos magnifice apparatos inter duos Alexandros, filium generumque, contenderet, a Pausania, nobili Macedonum adolescente, [12] in angustiis sine custodibus circumventus, occisus est. Asserant nunc multisque hæc vocibus efferant, quasi virorum fortium laudes et facta felicia, quibus amarissimæ aliorum calamitates in dulces fabulas cedunt, si tamen numquam ipsi injurias, quibus aliquando vexantur, [13] relatu tristiori deplorant. Si vero de propriis querimoniis tantum alios audientes affici volunt, quantum ipsi

HAVERCAMPI NOTÆ.

gentique nihil. Mox Meus cum edd. quibusdam, *missa sunt.*

11. *Cum omnes.* Edd. quædam, *cumque omnes ;* Venetæ, *cumque eum omnes ;* ed. Aug. mox, *conversi* pro *versi.*

12. *Thebanos, quondam hostes. Lacedæmonios* pro *Thebanos* manifesto errore hic legebatur. Nam cum Philippus Elateam occupasset, Athenienses, qui tempore exclusi ad reliquos socios legatos mittere non poterant, Thebanos Demosthenis eloquentia in suas partes pertraxerunt. Demosthenes pro Ctesiphonte, Diodorus lib. XVI, Plutarchus in Demosthene. FABR.

13. *Prælio commisso.* Hoc prælium commissum fuit ad *Chæroneam*, Diodorus, Plutarchus, et Strabo lib. IX. FABR.

CAP. XIV. — 1. *In Thebanos et Lacedæmonios.* Sic est etiam in manuscriptis : cum tamen nec alii crudelitatis in Lacedæmonios, et Justinus, quem auctorem sequitur, tantum Thebanorum meminerit. FABR.

2. *Omnes bonis.* Editio princeps et eam secutæ, *omnibus bonis.* Mox *pulsos dudum a civitatibus* ed. Aug., *pulsos quidem a civibus* ed. princeps.

3. *In subsidium.* Cod. Longob., *in subsidio.*

4. *Macedonum.* Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov. et ed. Aug., *Macedonico.*

5. *Barbarie.* Mss. iidem et Aug. ed., *barbaria.* Exstat quoque sic in Flor. pr. et sec. sed in sec. repositum *barbarie.*

6. *Tres duces, hoc est Parmenionem*, etc. Diodorus et Plutho duos duces præmissos scribunt, nempe *Attalum et Parmenionem ;* qui de Philippi interitu satis multa. FABR.

7. *Congregantur.* Edd. princeps et Venetæ *congregarentur.* Mox *Alexandro* tres mss. Lugd. Batt. cum Coll. Gronov.

8. *A Sabinis in Lucania prostratus.* Livius a Lucano exsule occisum scribit Gemisth. διαβὰς ἐς Ἰταλίαν Ταραντίνοις βοηθῶν ἔν τινι μάχῃ καλῶς ἠγωνισμένος ἐτελεύτησεν. *Transgressus in Italiam ut Tarentinis opem ferret, in prælio quodam, cum strenue rem gessisset, occubuit.* FABR. — Ed. Aug., *a Samnitibus*, quod et voluit cod. Ultr. scribens *a Samnitis.*

9. *Gloriam.* Mss. optimi, videlicet tres Florentini, Meus et Perizon. exhibent *glorias.* Vix tamen puto ita ab Auctore scriptum fuisse.

10. *Obtigit.* Malunt hoc codd. Long., Flor. tert., Lugd. Bat. sec., Meus et Perizon., *contigit* reliqui.

11. *Electissimam.* Cum, præter ed. August. mss. tres Lugd. Batt., Meus et Coll. Gronov. sic exhibeat cod. Longob. ab Orosio profectum esse existimo ; vulgati *lectissimam.*

12. *In angustiis.* Meus, *in angusto.* Lugd. Batt. tres, *inter angustias.* Mox Lugd. Bat. pr., *occiditur.*

13. *Relatu tristiori deplorant.* Ed. princeps, *deplorent.*

perpetiendo senserunt, prius ipsi non præsentibus præterita, [14] sed gestis gesta comparent : **178** et utraque ex auditu, [15] velut certi alienorum arbitri judicent, per viginti quinque annos incendia civitatum, excidia bellorum, subjectiones provinciarum, cædes hominum, opum rapinas, prædas pecorum, mortuorum venditiones captivitatesque vivorum, unius regis [16] fraus, ferocia, et dominatus agitavit.

CAPUT XV.

Samnites Romanorum copias capiunt. Romani ictum fœdus rumpunt, Satricum expugnant.

Sufficerent ista ad exemplum miseriarum insinuata memoriæ nostræ gesta per Philippum, etiamsi Alexander ei non successisset in regnum. Cujus bella, immo sub cujus bellis mundi mala ordine sequentia suspendo paulisper, ut in hoc loco pro convenientia temporum, Romana subjiciam. [1] Anno ab Urbe condita CCCCXXVI Caudinas furculas satis celebres et famosas, insignis Romanorum fecit infamia. Nam cum superiore bello [2] viginti millia Samnitium, Fabio magistro equitum pugnam conserente, cecidissent, circumspectiore cura Samnites ac magis instructo apparatu apud Caudinas furculas consederunt, ubi cum **179** [3] Veturium et Postumium consules, omnesque copias Romanorum angustiis locorum armisque clausissent, [4] Pontius, dux eorum, in tantum abusus est victoriæ securitate, ut Herennium patrem consulendum putaret, utrum occideret clausos, an parceret subjugatis : ut vivos tamen dedecori reservaret, elegit. Romanos enim antea sæpissime vinci et occidi, [5] numquam autem capi, aut ad deditionem cogi potuisse constabat. Ita Samnites, victoria potiti, universum exercitum Romanum turpiter captum armis etiam vestimentisque nudatum, tantum singulis vilioribus operimentis ob verecunda corporum tegenda concessis, sub jugum missum servitioque subjectum, longum agere pompæ ordinem præceperunt. Sexcentis autem equitibus Romanis in obsidatum receptis, oneratos ignominia, cæteris rebus vacuos, consules remiserunt. Quid de exaggeranda hujus fœdissimi fœderis macula verbis laborem, qui tacere maluissem ? Hodie enim Romani aut omnino non essent, aut Samnio dominante servirent, si fidem fœderis, quam sibi servari a subjectis volunt, ipsi subjecti Samnitibus servavissent. Posteriore anno infringunt Romani firmatam cum Samnitibus pactionem, eosque in bellum cogunt, [6] quod Papyrio consule insistente commissum, magnas strages utriusque populi dedit. Cumque hinc ira recentis infamiæ, inde gloria proximæ victoriæ pugnantes [7] instimularet, tandem Romani pertinaciter moriendo vicerunt : nec cædi pariter vel cædere destiterunt, nisi postquam victis Samnitibus, [8] et capto duci eorum, jugum reposuerunt. **180** Idem deinde Papyrius Satricum, expulso inde Samnitico præsidio, expugnavit, et cepit. Hic autem Papyrius adeo tunc apud Romanos bellicosissimus ac strenuissimus habebatur, ut cum Alexander Magnus disponere diceretur ab Oriente descendens obtinere viribus Africam, [9] atque inde in Italiam transvehi, Romani inter cæteros duces tunc in republica sua optimos, hunc præcipuum fore, qui Alexandri impetum sustinere posset, meditarentur.

HAVERCAMPI NOTÆ.

14. *Sed gestis gesta comparent.* In Coll. Gronoviana hæc ita leguntur multoque auctius exhibentur, *sed gestis gesta. Id est, non comparent præsentibus præterita tempora his, qui nunc injuriam sustinent. Sed male gesta præteritorum comparent in jure præsentium, et bona præsentia bonis præteritis. Ideo autem præterita comparari præsentibus vetat, quia præterita, si majore miseria affecerunt, tamen, cum non sint, seriora reputantur, præsentia autem, si parva sollicitudine afficiunt, graviora sentiuntur.* Sed facile apparet esse glossam, quam ascripserit is, qui sensum verborum Orosii elucidare voluerit.

15. *Velut certi.* Ed. Aug. cum ms. Ultr. delet *certi.* Neque in tribus codd. Florentinis aut Lugd. Bat. secundo apparet.

16. *Fraus, ferocia.* Edd. Venetæ, *fraus effera.*

CAP. XV. — 1. *Anno ab U. c.* CCCCXXVI. Hic annus in Capitolinis consulibus est post Urbem conditam CCCCXXXII. FABR.

2. *Viginti millia Samnitium, Fabio magistro equitum.* Idem numerus cæsorum hostium est apud Livium lib. VIII, ubi hæc omnia satis copiose. Q. Fabius Maximus Rullianus, quem hic Orosius significat, magister equitum fuit L. Papirio Cursori dictatori, quarto anno ante Caudinam ignominiam. Præter Livium lege Eutropium libr. II, Valerium Max. libr. II, cap. 2. FABR.

3. *Veturium et Postumium consules.* T. Veturius et Sp. Postumius iterum consules fuerunt, quando apud Caudium male pugnatum est, et legiones sub jugum missæ. Cic. lib. III de Offic., Livius lib. VI, Flor. lib. I, cap. 16, August. lib. III de Civit. Dei, cap. 17. FABR.

4. *Pontius, dux eorum.* Hæc ex Orosio Diaconus Eutropio addidit. FABR. — *Rex eorum* in cod. Longob.

5. *Numquam autem capi.* Lugd. Bat. quart. *numquam capi.* At secund., *numquam tamen capi.* Quod mox sequitur, *potuisse*, abest a Meo et Perizon.

6. *Quod Papyrio consule insistente.* Orosius et Eutropius eos auctores sequuntur, qui a L. Papyrio consule, non magistro equitum, contra Samnites rem bene gestam tradiderunt : nam de hoc ambigi Livius scribit. FABR.

7. *Instimularet.* Quidam mss. et edit. legunt *stimularet*, inter quos mss. sec. Lugd. Bat. Infra lib. VI cap. 18 de Cæsare, *Corpus ejus raptum populus, dolore instimulatus, in foro fragmentis tribunalium ac subselliorum cremavit.* Sed et verbo *instimulare* utitur quoque Ovid. Fastor. VI, 507 :

Dissimulata deam Latias Saturnia Bacchas
Instimulat fictis insidiosa sonis.

Pro *recentis infamiæ*, mss. tres Lugd. Batt. habent *præcedentis infamiæ.*

8. *Et capto duci.* Hæc est lectio cod. Longob. sive Flor. primi, atque ita quoque corrigitur in Flor. sec.; vulgati, *capto duce.* Post *reposuerunt*, addit *servitutis* ms. Perizon., et pro *idem deinde* Meus scribit *idem et.*

9. *Atque inde.* Ed. August. *ac deinde.* Quod paulo ante præcessit *ac strenuissimus* in Edd. August. et Venetis non exstat, ut nec apud Vincent. Bellov. lib, VI. cap. 7.

CAPUT XVI.

Alexander Philippo succedens, Thebanos, Illyrios, Thracas, urbesque alias perdomuit, Darium vincit.

Igitur Alexander, anno ab Urbe condita CCCCXXVI, patri Philippo successit in regnum, qui primam experientiam animi et virtutis suæ, compressis celeriter Græcorum motibus, dedit : quibus auctor, ut ab imperio Macedonum deficerent, [1] Demosthenes orator, auro Persarum corruptus, exstiterat. Itaque Atheniensibus bellum deprecantibus remisit, quos insuper etiam [2] mulctæ metu solvit : [3] Thebanos [4] cum diruta **181** civitate delevit, reliquos sub corona vendidit : [5] cæteras urbes Achaiæ et Thessaliæ vectigales fecit. [6] Illyrios quoque et Thracas, translato mox abhinc bello, domuit. Inde profecturus ad Persicum bellum, [7] omnes cognatos ac proximos suos interfecit. [8] In exercitu ejus fuere peditum triginta et duo millia, equitum quatuor mille ducenti, et naves A centum et octoginta. Hac tam parva manu universum terrarum orbem, utrum admirabilius sit [9] quod vicerit, an quod aggredi ausus fuerit, incertum est. [10] Primo ejus cum Dario rege congressu, sexcenta millia Persarum in acie fuere, quæ non minus arte Alexandri superata, quam virtute Macedonum, terga verterunt. [11] Magna igitur cædes Persarum fuit. [12] In exercitu autem Alexandri, centum et viginti equites, et novem tantum pedites, defuere. **132** [13] Deinde Gordien Phrygiæ civitatem, quæ nunc Sardis vocitatur, obsessam [14] oppugnatamque cepit ac direptioni dedit. Inde nuntiato sibi Darii cum magnis copiis adventu, timens angustias quibus inerat locorum, Taurum montem mira celeritate transcendit, et quingentis stadiis sub una die cursu transB missis, Tarsum venit : ibique [15] cum sudans in Cydnum [16] præfrigidum amnem descendisset, obriguit, contractuque nervorum proximus morti fuit. Inter-

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. XVI. — 1. *Demosthenes orator, auro Persarum corruptus.* Hoc Æschines Demostheni objicit in orat. in Ctesiphontem his verbis : Νῦν μέντοι τὸ βασιλικὸν χρυσίον ἐπικέκλυκε τὴν δαπάνην αὐτοῦ· ἔσται δ' οὐδὲ τοῦτ' ἱκανὸν, οὐδείς γὰρ πώποτε πλοῦτος τρόπου πονηροῦ περιγένετο. Sic enim hæc legenda sunt e manuscripto Æschinis et Diodori libro ab Henrico Stephano edito : estque hic sensus : *Nunc vero auri Persici affluens copia sumptibus ejus subvenit : quamquam ne hoc quidem sat erit, nullæ enim divitiæ unquam tantæ fuerunt, quæ improbos mores superare potuerunt.* FABR.

2. *Mulctæ metu solvit :* Impressi, *multo metu :* scripti, *mulctæ metu.* Ex quibus de historia illud reposui. LAUT. — Longob. cod. clare exhibet *mulctæ metu.*

3. *Thebanos cum diruta civitate.* De Thebanorum excidio Diodorus, Plutarchus, Arrianus lib. I, Pausanias in Bœoticis. FABR.

4. *Cum diruta.* Ita mss. ; sed cum quædam ed. vett. tantum *diruta civitate* agnoscant, forte legendum, *eorum diruta civitate, delevit.*

5. *Cæteras urbes.* Multi ex edd. interjiciunt *vero,* contra mss. consensum. Delent itidem multi ex iisdem illud *quoque* quod legitur post *Illyrios.*

6. *Illyrios quoque et Thracas.* Hos Alexander, antequam Thebas everteret, suæ ditioni subjecit. Diodorus et Arrian. FABR.

7. *Omnes cognatos,* etc. Primi nominis inter illos fuerunt Amyntas, regis Perdiccæ, qui Philippi Macedoni major natu fuerat frater, filius. Huic Philippus pepercerat, atque eidem conjugem dederat filiam suam ex Audata Illyria Cynnam seu Cynnanam, heroici spiritus mulierem, quæ post viri cædem, frustra monente Alexandro, nubere iterum noluit, et post mortem regis a Perdicca fuit interfecta. Deinde fratres Lyncestæ, filii Æropi, qui de regno quondam cum Philippo contenderant. Horum nomina erant, Heromenes, Arrabæus et Alexander. D Alexandro, dum in Europa erat, pepercit, quia primus regem salutaverat ipsum. Sed deinceps in Asia interfecit. Caranum, filium Philippi ex Cleopatra, jam antea crudeli modo sustulerat Olympias. Vide de his et reliqua historia Alexandri Magni Vitam ejusdem a nobis descriptam.

8. *In exercitu ejus fuere.* Arrianus scribit Alexandrum habuisse in exercitu pedites οὐ πολλῷ πλείους τρισμυρίων, equites, ὑπὲρ τοὺς πεντακισχιλίους. Plutarchus in Alexandro inter scriptores de numero copiarum non convenire ait : sed eos qui minimum numerum expresserunt, peditum XXX millia, equitum V millia ; qui maximum, illorum XXXIV millia, horum IV millia numerare. Diodor. peditum XXX millia, equitum IV M. D. fuisse scribit. FABR. — Cod. Longob. XXX *millia* scribit. Ex vett. edd. quædam legunt, *In exercitu ejus fuisse* (addunt edd. prima, Paris. et Venetæ *tantummodo*) *peditum* XXXII *millia, equitum* IIII M. D., *naves* CLXXX, *referuntur.* Pro *admirabilius* tres Florentini *mirabilius.*

9. *Quod vicerit.* Ed. August., *utrum admirabilius sit, vicerit, an aggredi ausus fuerit,* deleto utroque *quod,* quorum prius in ms. Ultr. non comparet.

10. *Primo ejus cum Dario rege congressu.* Primum hoc prælium ad Granicum flumen commissum fuit. De numero Arrianus : Περσῶν δὲ ἱππεῖς μὲν ἦσαν ἐς δισμυρίους, ξένοι δὲ πεζοὶ, μισθοφόροι ὀλίγον ἀποδέοντες δισμυρίων. Diodorus : οἱ δὲ πάντες ἱππεῖς ὑπῆρχον πλείους τῶν μυρίων, οἱ δὲ πεζοὶ τῶν Περσῶν ἦσαν οὐκ ἐλάττους τῶν δεκὰ μυριάδων. FABR.

C 11. *Magna cædes Persarum fuit.* Persarum peditum XX M., equitum duo millia cecidisse referuntur, auctore Plutarcho. FABR.

12. *In exercitu autem Alexandri.* In numeris Orosius Justinum sequitur. Arrianus scribit in exercitu Alexandri primo congressu equites numero circiter 25 cecidisse, et postea amplius 60 pedites circiter 50. Sed Aristobulus, auctore Plutarcho, scripsit ex Alexandri copiis 34 interfectos, quorum novem pedites fuerunt. Orosius libr. seq. cap. I ait, Inter quadringenta fere millia hostium interfecta novem tantummodo in exercitu Alexandri pedites defuisse. FABR. — Omnes fere mss. Orosiani *autem* delent, scribentes, *In exercitu Alexandri*, etc.

13. *Deinde Gordien Phrygiæ.* Sic est etiam sine ulla varietate in manuscriptis. Mens quoque Justinus habet, *post hæc Gordien urbem petit,* ubi in impressis est, *Gordin.* Curtius lib. III oppidum *Gordium* nominat sicut et Græci Γόρδιον. De *Gordio vinculo* Plut. in Alexandro, Arrianus lib. II, Curtius III, Justinus XI, et Erasmus in Chiliadibus. FABR.

14. *Oppugnatamque.* Melius in Longob. *oppugnatamque,* quam quod in reliquis omnibus est *expugnatamque.*

15. *Cum sudans in Cydnum.* De *Cydno* legendus Curtius lib. III. Sunt vero qui scribant, Alexandrum hunc morbum, e quo Philippi Acarnanis arte recreatus fuit, non in Cydno flumine, sed e labore contraxisse ; lege Plutarchum et Arrianum. Diodorus etiam Cydni fluminis mentionem nullam facit. FABR.

16. *Præfrigidum.* Edd. pr. Paris. et Venetæ, *perfrigidum.* Male, nam et apud Justin. lib. XI cap. 8, *In præfrigidam undam se projecit.*

ea [17] Darius cum trecentis millibus peditum et centum millibus equitum in aciem procedit. Movebat hæc multitudo hostium etiam Alexandrum maxime respectu paucitatis suæ, quamvis jam pridem sexcenta millia hostium eadem paucitate superatis non solum non timere pugnam, sed etiam victoriam sperare didicisset. Itaque cum intra jactum teli uterque constitisset exercitus, et intentos [18] ad signum belli populos discurrentes principes variis incitamentis acuerent, ingentibus utrimque animis pugna committitur. In qua ambo reges [19] et Alexander et Darius vulnerantur : ac tam diu certamen anceps fuit, [20] quoad fugeret Darius. Exinde cædes Persarum **183** secuta est. Ibi tunc [21] peditum octoginta millia, equitum decem millia cæsa, capta autem quadraginta millia fuere. [22] Ex Macedonibus vero cecidere pedites centum triginta, equites centum et quinquaginta. In castris Persarum, multum auri cæterarumque opum [23] repertum est. Inter captivos castrorum, mater et uxor eademque soror et filiæ duæ Darii fuere : quarum redemptionem Darius cum etiam oblata regni dimidia parte non impetravisset, tertio cunctis Persarum viribus sociorumque auxiliis contractis, bellum instaurat. Sed dum hæc Darius agit, A Alexander Parmenionem ad invadendam Persicam classem cum copiis mittit, ipse in Syriam proficiscitur, ibi ex multis sibi [24] regibus cum infulis ultro occurrentibus, [25] alios adlegit, alios perdidit, [26] Tyrum urbem antiquissimam et florentissimam, fiducia Carthaginiensium sibi cognatorum, obsistentem oppressit et cepit. Exin Ciliciam, Rhodum atque Ægyptum pertinaci furore pervadit. [27] Inde ad templum Jovis Ammonis pergit, ut mendacio [28] ad **184** tempus composito, [29] ignominiam sibi [30] patris incerti et infamiam adulteræ matris aboleret. Nam arcessitum ad se fani ipsius antistitem, ex occulto monuit, quid sibi tamquam consulenti responderi velit, sicut historici eorum dicunt. Ita certus Alexander fuit, nobisque prodidit, diis ipsis mutis et B surdis, vel in potestate esse antistitis quid velit fingere : vel in voluntate consulentis quid malit audire. Revertens ab Ammone ad tertium Persicum bellum, [31] Alexandriam in Ægypto condidit.

CAPUT XVII.

Darii ultimum cum Alexandro prælium, ejusque interitus.

[1] Darius vero, spe pacis amissa, quadringenta et

HAVERCAMPI NOTÆ.

17. *Darius cum* CCCXL. Arrianus : Ἐλέγετο ἡ πᾶσα ξὺν Δαρείῳ στρατιὰ μάλιστα ἐς ἑξήκοντα μυριάδας μαχίμους εἶναι, *In Darii exercitu eorum qui pugnam capessere possent ad* DC *millia esse dicebantur*. FABR.

18. *Ad signum*. Edd. pr. et Venetæ cum Paris., *in signum*.

19. *Et Alexander et Darius vulnerantur*. De C Alexandri vulnere, quo dextrum ejus femur perstrictum est, Diodorus, Plutarchus. Arrianus, et Curtius. De *Dario* in hoc prælio vulnerato præter Justinum nemo quidquam. FABR.

20. *Quoad fugeret*. Ita tres codd. Florentini cum Perizoniano. Vulgo, *quoadusque*.

21. *Peditum* LXXX *millia equitum decem millia*. Cæsorum equitum Persarum numerus idem est in Diodori, Curtii, Justini, et Orosii libris, peditum vero Justinus unum et LX millia, Curtius centum millia, Diodor. amplius CXX millia cæsa scribunt. Plutar. ait Alexandrum prostravisse ὑπὲρ ἕνδεκα μυριάτας τῶν πολεμίων. FABR.

22. *Ex Macedonibus vero cecidere pedites* 130. Ita Justinus, quicum facit Diodorus sic scribens : τῶν δὲ Μακεδόνων ἐτελεύτησαν πεζοὶ μὲν εἰς τριακοσίους, ἱππεῖς δὲ περὶ ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα. At Curtius : *Ex parte Alexandri quatuor et quingenti saucii fuere, triginta omnino et duo ex peditibus desiderati sunt, equitum centum quinquaginta interfecti*. FABR.

23. *Repertum est*. Ex mss. meliores et reliqui fere omnes *est* delent.

24. *Regibus cum infulis*, etc. Editi, *insulis*, quod forte, ut apud nobiliss. et ornatiss. juvenem Petrum a Broich Agrippinensem legi : ecquibus, inquit, tandem cum insulis occurrebant? Aut infulas, et regum insigne putavit Orosius? ridendo perscite. LAUT. — Quasi non apud Justinum, ex quo hæc hausta sunt, scribatur lib. IX, cap. 10, *Tunc in Syriam proficiscitur, ubi obvios cum infulis multos Orientis reges habuit*. Hic quoque apud Orosium in mss. legitur *infulis*, atque in Fabricii edd. Unde miror, in Scotti ed. Mogunt. *infulis* in margine, *insulis* in textu poni.

25. *Alios adlegit*. Sic est in nostris manuscriptis, non *elegit*. Justinus dixit, *alios in societatem recepit*. Præfecit vero Syriæ Alexander Parmenionem, Curtius libro quarto, Arrianus lib. II. FABR. — *Adlegit*. Ita recte tres Florentini et reliqui melioris notæ. Male alii cum edd. quibusdam *alligavit*, vel *elegit*, vel *ablegit*.

26. *Tyrum urbem antiquissimam*. Tyrus olympiade 112 septimo mense quam oppugnari cœpta erat, ab Alexandro capta fuit, ut copiose Diodorus lib. XVII, Arrian. II, Curtius IV, scribunt. FABR.

27. *Inde ad templum Jovis Ammonis*. De hoc templo, et profectione Alexandri ad Ammonem tam multa Diodor., Plutar., Arrianus, Curtius, et Justinus, ut putidum sit velle aliquid admonere. FABR.

28. *Ad tempus composito*. Lugd. Batt. pr. et tert., *ad templum composito*.

29. *Ignominiam*. Ed. Aug., *ignorantiam*.

30. *Patris incesti*. Sic scripti. Sed ut tolleretur quod vulgatum olim est, *incerti*, quis non hoc convenire melius *adulteræ matri* dixerit. LAUT. — Mss. meliores et plures *incerti* habent non *incesti*. Neque video quomodo melius *adulteræ matri* conveniat. An non poterat adultera esse sine incesto? Necessario autem pater erat incertus, si ex adulterio conceptus Alexander.

31. *Alexandriam in Ægypto condidit*. C. Pœtelio et L. Papirio anno ab Urbe condita CDXXVII Alexandriam in Ægypto conditam scribit Livius libro octavo, Solinus et Cassiodorus. De altero infra cap. 18. D FABR.

CAP. XVII. — 1. *Darius vero, spe pacis amissa* CCCIV *millia peditum*. Rectius ergo in meo Justino est : *Tum spe pacis amissa, bellum Darius reparat : cum quadringentis millibus peditum*, etc., quam ut vulgo legitur, *cum* XL *millibus peditum*. Est tamen nonnulla varietas inter eos, qui exercitum Darii recensent. Plutarch. in Alexandro scribit, Darium Alexandro obviam processisse ἑκατὸν μυριάσιν στρατοῦ, id est, *cum decies centenis millibus copiarum*, in quibus, ut Diodorus numerat, peditum DCCC millia, equitum CC millia fuerunt. Arrianus lib. III scribit Darium habuisse equitum ad XL millia, peditum CCCCIↃↃↃ. In Curtii libris ita legitur: *Summa totius exercitus equites* XLV *millia, pedestris acies ducenta millia expleverat*, sed vereor, ne hic *ducenta millia* mendose sit, pro, *decies centena millia*. FABR.

quatuor millia peditum, et centum mille equitum Alexandro, ab Ægypto revertenti, [2] apud Tarsum bello opponit. Nec pugnæ mora, omnes cæca rabie in ferrum **185** ruunt. Macedones, toties a se victis hostibus, animosi : Persæ nisi vincant, mori præoptantes. Raro in ullo prælio tantum sanguinis fusum est. Sed Darius cum vinci suos videret, mori in bello paratus, persuasu suorum, fugere compulsus est. Hoc prælio Asiæ vires et regna [3] ceciderunt, totusque Oriens in potestatem Macedonici cessit imperii, atque ita attrita est in hoc bello Persarum omnis fiducia, ut post hoc nullus rebellare ausus sit, patienterque Persæ, post imperium tot annorum, jugum servitutis [4] acceperint. Alexander [5] triginta quatuor continuis diebus castrorum prædam percensuit; [6] Persepolim, caput Persici regni, [7] urbem famosissimam confertissimamque opibus totius orbis, invasit. [8] Darium vero, cum a propinquis suis vinctum compedibus aureis teneri comperisset, persequi statuit. Itaque jusso [9] ut subsequeretur exercitu, ipse cum sex millibus equitum profectus invenit in itinere solum relictum, multis confossum vulneribus, et extrema vitæ per vulnera efflantem. **186** Hunc mortuum inani misericordia [10] referri in sepulcra majorum sepelirique præcepit : cujus non dicam matrem vel uxorem, sed etiam parvulas filias crudeli captivitate [11] retinebat. In tanta malorum multitudine, difficillima dictis fides, tribus præliis totidemque annis quinquies decies centena millia peditum equitumque consumpta sunt : et hæc quidem ex eo regno illisque populis, unde jam [12] ante annos non multo plures decies novies centena millia profligata referuntur : quamquam extra has clades per eosdem tres annos et Asiæ civitates plurimæ oppressæ sint, et Syria tota vastata, Tyrus excisa, Cilicia exinanita, Cappadocia subacta, Ægyptus [13] addicta sit : Rhodus quoque insula ultro ad servitutem tremefacta successerit, plurimæque subjectæ Tauro provinciæ, atque ipse mons Taurus, diu detrectatum jugum domitus et victus acceperit.

CAPUT XVIII.

De bellis Agidis regis Spartanorum, Alexandri Epiri, Zopyrionis præfecti : de populis post Darii mortem ab Alexandro subactis, ejusque in suos crudelitate.

[1] Et ne forte nunc quisquam opinetur, vel Orientem solum Alexandri viribus subactum, vel Italiam tantum-

HAVERCAMPI NOTÆ.

2. *Apud Tarsum bello opponit.* Non puto ullum esse historiæ studiosum, cui hic locus scrupulum non injiciat, cum præsertim omnes loquantur, ultimum hoc prælium inter Alexandrum et Darium non in Cilicia, ubi Tarsus est, sed in Assyria commissum fuisse, et tamen Orosium ita scriptum reliquisse, testimonio sunt omnes libri. Quid ergo dicemus? Vereor equidem ne Orosio Justin. quem auctorem sequitur, imposuerit : cumque ille Darium in fuga pontem Cydni fluminis (quod Tarsum perlabitur) trajecisse scripserit, hic apud *Tarsum* pugnatum esse crediderit. Sed hoc prælium commissum fuit in Assyria trans Lycum in Aturiæ campis ad vicum nomine *Gaugamela*, auctore Strabone libro decimo sexto. Quamquam enim Dionysius Halicarnasseus ad Ammæum hanc pugnam τὴν ἐν Ἀρβήλοις μάχην, Curtius *prælium apud Arbela* nominet, et Diodorus narrationem ejus ita concludat, ἡ μὲν οὖν περὶ Ἄρβηλα γενομένη παράταξις τοιοῦτον ἔσχε τὸ πέρας : Plutarchi tamen in Alexandro verba sunt, Τὴν δὲ μεγάλην μάχην πρὸς Δαρεῖον οὐκ ἐν Ἀρβήλοις, ὥσπερ οἱ πολλοὶ γράφουσιν, ἀλλὰ ἐν Γαυγαμήλοις γενέσθαι συνέπεσεν, id est, *Accidit ut magnum illud prælium cum Dario non in Arbelis, sicut plerique scribunt, sed in Gaugamelis committeretur.* Cum Strabone et Plutarcho facit Arrianus libro tertio, ubi tradit, Darium castra in *Gaugamelis* ad Bumadum fluvium, ab Arbelis oppido stadia circiter LX posuisse. Lege eumdem libro sexto. FABR. — Manifestus est error Orosii, qui Justinum hic negligenter legisse videtur.

3. *Ceciderunt.* Perizon. non male, *conciderunt.* Mox *in potestate* ed. Aug.

4. *Acceperint.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *acciperent.* Ed. August., *acceperunt.*

5. *Alexander* 34 *continuis diebus.* Idem numerus est apud Justinum, in meo manuscripto et Roberti Stephani impresso libro, cum vulgo in aliis 40, in aliis 83 legatur. FABR. — In Lugd. Batt. pr. et quarto 37 *continuis diebus.* Apud Vincent. Bellov. Speculi Histor. lib. v, cap. 37, itidem 37 *diebus* legitur. Ibid., *Persepolin, caput Persici regni urbem, multis annis illustrem, refertamque orbis terrarum*, etc.

6. *Persepolim, caput Persici regni.* De *Persepoli* capta et direpta ; ejusque immensis opibus legendus Diodorus in posteriore libro decimo septimo, et Curtius libro quinto. Meminit Strabo libro decimo quinto. FABR.

7. *Urbem famosissimam.* Delent *urbem* mss. Florentini tres, Ultr., Coll. Gronov., Meus et Perizon., atque ex editis August.

8. *Darium vero, cum a propinquis.* Darium in fuga *Bessus et Nabarsanes* vinxerunt aureis, ut Curtius et Justinus scribunt compedibus, multisque confossum vulneribus in via reliquerunt, quo de copiose Diodorus, Plutarchus, Arrianus, Curtius et Justinus. FABR.

9. *Ut subsequeretur.* Sic recte edidit Fabricius, mss. et edd. meliores secutus. Justin lib. XI cap. 15, *Jusso itaque exercitu subsequi, cum sex millibus equitum*, etc. Male in quibusdam *persequeretur, sequeretur*, et *sub se sequeretur.* Male in iisdem *cum mille militum profectus.*

10. *Efferri et in sepulcris majorum sepeliri præcepit.* Vulgares, *referri in sepulcra*, barbare. Colon., *efferri in sepulcra*, unde quod in textu est reposui : nec sane Apollo consulendus utrum bene. LAUT. — Edd. prima, August., Paris. et Venetæ, *referri et in sepulcris majorum sepeliri præcepit.* Vulgata autem lectio in mss. est; at, si Latinius auctorem loqui velis, sic locum refinge, *inferri sepulcro* (vel *sepulcris*) *majorum, sepelirique præcepit.* Confer Tacitum Annal. III, 4, IV, 44; Sueton. in Augusto cap. 101 et in Tiber. cap. 15.

11. *Retinebat.* Hæc mss. omnium lectio est. Ex edd. quædam, *detinebat.*

12. *Ante annos.* Lugd. Batt. pr. et quart., *per annos.*

13. *Addicta sit.* Florent. pr. sive cod. Longob., Meus et Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., *addita sit.* Forte, *afflicta sit.*

CAP. XVIII. — 1. *Et ne forte nunc.* Mss. tres Florentini, tres item Lugd. Bat., Meus, Perizon. Coll. Gronov. et ed. Aug. scribunt *tunc*, quod tueri suum locum nequit, quia mox occurrit in illis *tunc etiam bellum.* Pro eo igitur vocem *nunc* reposuit Fabricius. Sed rectius videntur edd. vett. prima, Paris., Venetæ, Bolsuing. et Hittorp. omisisse, quæ omnes edunt, *Et ne forte quisquam opinetur*, etc.

modo romana inquietudine **187** fatigatam, tunc etiam bellum Agidis, Spartanorum regis, in Græcia, Alexandri regis Epiri in Lucania, Zopyrionis præfecti in Scythia gerebatur: [2] quorum Agis Lacedæmonius, excitata et rebellante secum universa Græcia, cum Antipatri fortissimis copiis congressus, inter magnas utrorumque strages et ipse [3] procubuit. [4] Alexander autem in Italia affectans Occidentis imperium, æmulans Alexandrum Magnum, post numerosa et gravia bella ibidem gesta, a Bruttiis Lucanisque superatus est, [5] corpusque ejus ad sepulturam venditum. Zopyrion vero præfectus Ponti, adunato triginta millium exercitu, Scythis bellum inferre [6] ausus est: et usque ad internecionem cæsus, funditus cum omnibus copiis suis abrasus est. Igitur Alexander Magnus, post Darii mortem, [7] Hyrcanos et Mardos subegit: ubi etiam illum adhuc bello intentum, [8] Thalestris sive Minothæa [9] regina, excitata suscipiendæ ab eo sobolis gratia, cum trecentis mulieribus procax Amazon invenit. Post hæc Parthorum pugnam [10] aggressus: quos diu obnitentes delevit propemodum antequam vicit. [11] Inde Drangas, [12] Evergetas, [13] Parimas, Parapamenos, Adaspios, **188** cæterosque populos qui in radice Caucasi morabantur, subegit, urbe ibi Alexandria super amnem Tanaim constituta. Sed nec minor ejus in suos crudelitas, quam in hostem rabies fuit. [14] Docent hoc Amyntas consobrinus occisus, noverca fratresque ejus necati, Parmenio et Philotas trucidati, Attalus, Eurylochus, Pausanias multique Macedoniæ principes exstincti: [15] Clitus quoque annis gravis, amicitia vetus, nefarie interfectus. Qui cum in convivio fiducia amicitiæ regiæ adversus regem, sua opera patri Philippo præponentem, memoriam patris tueretur, [16] ab offenso frustra rege [17] venabulo transfossus, commune convivium [18] moriens cruentavit. Sed Alexander humani sanguinis [19] insaturabilis, sive hostium sive etiam sociorum, recentem tamen semper [20] sitiebat cruorem. Itaque pertinaci impetu in bella procurrens, [21] Chorasmos et Dahas indomitam gentem in deditionem accepit: [22] Callisthenem **189** philosophum, sibique apud Aristotelem condiscipulum, cum plurimis aliis principibus, quod eum, deposito salutandi more, ut Deum non adoraret, occidit.

HAVERCAMPI NOTÆ.

2. *Quorum Agis Lacedæmonius.* Hoc bellum Græcorum cum Antipatro, Macedoniæ præfecto, descripserat pluribus verbis Curtius libro sexto, sed ad nos tantum prælii eventus pervenit. Scribit idem præter Justinum Diodorus libr. XVII. Meminit Pausanias libr. III. FABR.

3. *Procubuit.* Ed. August., *occubuit.*

4. *Alexander autem in Italia.* De rebus gestis ab Alexandro Epiri rege legendus Liv. lib. VIII. et Strab. V et nos supr. c. 11. FABR.

5. *Corpusque ejus.* Lugd. Batt. tert. cum Coll. Gron., *corpus ejus ad sep.*; prim et sec., *corpusque ad sep.*

6. *Ausus est: et.* Mss. Lugd. Batt. pr., sec., tert., Meus., Perizon. cum Coll. Gronov. et ed. August. legunt *bellum inferre ausus, usque ad internecionem cæsus*, etc.

7. *Hyrcanos et Mardos subegit.* De Hyrcanorum et Mardorum gente confini Hyrcaniæ subacta, Diodorus XVI, Arrianus III., Curtius VII. FAB.

8. *Thalestris sive Minothæa.* Hanc reginam Amazonum Diodorus Θάληστριν, Curtius *Thalestrim* nominat: hique eam ad Alexandrum venisse tradunt, secuti nimirum Clitarchum, Polycritum, Onesicritum, Antigenem et Istrum. At Aristobulus, Ptolomæus, et cæteri scriptores, quos Plutarchus nominat, hoc commentitium esse dixerunt. FABR.

9. *Regina.* Abest ab omnibus mss. neque habent vett. edd. ante Hittorp. Bols. et Fabricianas. Mox *excitata* pro *excita* tres Lugd. Batt.

10. *Aggressus.* Quidam ex mss. Lugd. Batt., *aggressus est, quos diu obsistentes*, etc.

11. *Inde Drangas.* Sic recte hic est, male autem in vulgatis Justini libris *Dracas*: Nam et Arrianus ipsos Δράγγας et Diodorus eorum regionem τὴν Δραγγιάνην appellat. FABR.

12. *Evergetas.* Hoc nomen beneficii ergo a Cyro Persarum rege acceperunt, cum prius *Ariaspæ*, ut est in Arriani et Curtii libris, seu *Arimaspi*, ut habet Diodorus, nominarentur. FABR.

13. *Parimas, Parapamenos, Adaspios.* Ita hæc in manuscriptis Orosii et Justini libris invenio, nec tamen amplius quod de illis dicam habeo. De *Alexandria* super amnem Tanaim condita, præter Justinum libro duodecimo, Curtius libro septimo, Arrian. quarto. FABR.

14. *Docent hoc Amyntas.* De his omnes qui res Alexandri descripserunt. De Parmenione ejusque filio Philota interfectis Diodorus libro decimo septimo posteriore, Plutarchus in Alexandr., Arrianus libro III, Curtius libro VI et VII. De Alexandria Ægypti sup. extremo cap. 16. FABR.

15. *Clitus quoque annis gravis.* Græce est Κλεῖτος: male igitur vulgo *Clytum* scribunt. De Clito, Curt. lib. VIII, Arr. IV, Cicer. Tusc. IV, *Alexander rex cum interemisset Clitum familiarem suum, vix a se manus abstinuit.* FABR.

16. *Ab offenso frustra rege.* Sensus hanc poscit transpositionem, *memoriam patris tueretur frustra, ab offenso rege*, etc., nisi *frustra* significet inique, immerito.

17. *Venabulo transfossus.* Hasta Alexandrum Cliti latus transfixisse Curtius scribit. Arrian. tradit alios prodidisse Clitum occisum λόγχῃ, alios σαρίσσῃ; Plut. αἰχμὴν vocat. FABR.

18. *Moriens cruentavit.* Meus, *morte cruentavit.*

19. *Insaturabilis.* Ita in omnibus inveni mss. nisi quod *insatiabilis* sit in Lugd. Bat. primo. Et ita quoque omnes habent editi, excepta August. quæ habet *inexsaturabilis*, prout ediderunt Fabricius et Scottus. Cicero Orat. pro P. Sextio cap. 51: *Libelli pro vino etiam sæpe oppignerabantur, manebat insaturabile abdomen, copiæ deficiebant.*

20. *Sitiebat cruorem.* Epigramma in Tiberium apud Sueton. cap. 59:

Fastidit vinum quia jam sitit iste cruorem.

21. *Chorasmos et Dahas. Dahas* non *Ducas* est in manuscriptis Orosii et Justini libris: nec aliter eos nominat Curtius lib. VII et VIII. Græci Δάας vocant. Quos autem Justinus et Orosius *Chorasinos*, eos Arri. lib. IV, et Strabo. lib. XI Χωρασμενούς appellant, ad quos Spitamenes confugerat. Plin. lib. VI, c. 16, *hi sunt Chorasmii.* FABR.

22. *Callisthenem philosophum.* De Callisthenis Olynthii interitu copiose Arr. lib. IV, Plut. in Alexandr., Curtius lib. VIII. De eodem M. Tullius pro Rabirio Posthumo: *Callisthenem, doctum hominem, comitem Magni Alexandri, ab Alexandro necatum accepimus.* FABR.

CAPUT XIX.

Alexander Indiam domat : Porum regem superat : urbes gentesque subigit.

Post hæc [1] Indiam petit, ut Oceano ultimoque Oriente finiret imperium, [2] Nyssam urbem adiit, [3] Dædalos montes, [4] regnaque Cleophidis reginæ expugnavit : quæ cum se [5] dedisset, [6] concubitu regnum redemit. Peragrata perdomitaque Alexander India, cum [7] ad saxum miræ asperitatis et altitudinis, [8] in quod multi populi confugerant, pervenisset, cognoscit Herculem ab expugnatione ejusdem saxi terræmotu prohibitum : æmulatione permotus, ut Herculis acta superaret, cum summo labore ac periculo saxo potitus, omnes loci ejus gentes in deditionem accepit : [9] cum Poro, fortissimo Indorum rege, cruentissimum bellum **190** gessit : in A quo Alexander cum ipso Poro singulariter congressus, [10] occisoque dejectus equo, concursu satellitum præsentiam mortis evasit. Porus multis vulneribus confossus, et captus est : quo ob testimonium virtutis in regnum restituto, [11] duas ibi condidit civitates, Niceam et Bucephalam, quam de nomine equi sui ita vocari præcepit. [12] Inde Adrestas, [13] Cathæos, [14] Præsidas et Gangaridas, cæsis eorum exercitibus, Macedones expugnavere. Cumque [15] ad Chosides ventum esset, ibi contra ducenta millia equitum hostium pugnam conseruerunt. Et cum jam ætate detriti, animo ægri, viribus lassi, difficile vicissent, castra, ob memoriam plus solito magnifica condiderunt. Exin Alexander [16] ad amnem Acesinem pergit. Per hunc in Oceanum devehitur, [17] ibi Gessonas Sibosque, quos Hercules condidit, oppressit. [18] Hinc

HAVERCAMPI NOTÆ.

Cap. XIX. — 1. *Indiam petit.* Perizon., *Indiam petiit.*

2. *Nyssam urbem adiit.* Νύσσαν hanc Indiæ urbem, Strabo, Arrianus, Dionysius et Eustathius vocant : de qua multa Arrianus initio libri III. Fabr.

3. *Dædalos montes.* Cicero lib. 8, *Hinc ad regionem, quæ Dædala vocatur, perventum est.* Fabr.

4. *Regnaque Cleophidis. Cleophis* mater Assacani, filio mortuo, illius regioni præfuit, quo tempore Alexander in Indiam venit. Justinus lib. XII, Curt. VIII. Ejus regionis caput fuit oppidum, quod Arrianus Μάοσαγα, Diodorus Μάσσακα, Strabo Μαγόσα, Curtius *Mazaga* nominat : idque Alexander obsessum deditione cepit. Fabr.

5. *Dedisset.* Mss. omnes, uno aut altero excepto, *dedisset.* Sed editi plures, *dedidisset.*

6. *Concubitu regnum redemit.* Præter Justinum lib. XII, cap. 7, et Curtium lib. VIII, cap. 10, hujus mulieris meminit quoque Diodorus Siculus lib. XVII, p. 554. Traditur eadem filium ex Alexandro genuisse, cujus posteri diu isti Indiæ parti præfuerint, sed ipsam deinceps regiæ pellicis appellationem opprobrio obtinuisse.

7. *Ad saxum miræ asperitatis.* Hoc saxum, auctoribus Diodoro et Arriano, πέτρα ἄορνος dictum fuit. Unde emendandi Curtii libri, in quibus est : *Incolæ armati petram Dorinim nomine occupaverunt*, cum sit legendum *Aornon*, vel *Aornim*, quomodo est in quibusdam Diodori exemplaribus. Fabr.

8. *In quod multi populi.* Lugd. Batt. quatuor cum Flor. tert., Ultr. et Coll. Gron., *in quo*, etc. Mox Meus, *impugnatione*, atque dein, *et æmulatione.*

9 *Cum Poro, fortissimo.* Bellum cum Poro non sine clade Macedonum gestum scribunt Diodorus libro decimo septimo, Arrianus quinto, Curtius extremo libro octavo. Rem cum Poro gestam Plutarchus ex Alexandri epistolis refert. Fabr.

10. *Occisoque dejectus equo. Bucephalum* Alexandri equum in hoc bello occisum quidam tradiderunt. Plutarchus et Arrianus. Fabr.

11. *Duas ibi condidit civitates.* Τὴν μὲν Νίκαιαν, τῆς νίκης τῆς κατ' Ἰνδῶν ἐπώνυμον ὠνόμασε, τὴν δὲ Βουκεφάλαν, ἐς τοῦ ἵππου τοῦ Βουκεφάλου τὴν μνήμην ὃς ἀπέθανεν αὐτοῦ. *Alteram Nicæam a victoria de Indis reportata, alteram in memoriam Bucephali equi ibi mortui Bucephalam nominavit.* Idem scribit Diodorus, Strabo libr. XV; verum hic alteram non cum Diodoro et Arriano Βουκεφάλαν, sed cum Plutarcho Βουκεφαλίαν vocat. In nostris manuscriptis est, *Nicæam et Bucephalen.* Fabr.

12. *Inde Adræstas.* Sic est in vetustis non ut vulgo legitur, *Arestas.* Diodorus hos Ἀνδρεστὰς, Arrianus Ἀδραιστὰς nominat. Fabr.

13. *Cathæos.* In vulgatis est, *Stathenos*, in vetustis *Cathænos*, unde secutus Arrianum, *Cathæos* scripsi. In Diodori libris mendose legitur εἰς τὴν τῶν Καθαρῶν χώραν, pro Καθαίων, αρ posito pro αι, id quod ex Strabonis libr. XV perspicue cognosc itur. Fabr. — Lugd. Batt. quatuor et Coll. Gron., *Cathenos.*

14. *Præsidas et Gandaridas.* In manuscriptis Orosii non, *Passidas*, sed, *Præsidas* legitur : in Justini antiquis, *Præsidias.* Plutarchus in Alexandro Γανδαρίτας καὶ Πραισίους dicit, quamquam statim οἱ Πραισιαίων βασιλεῖς legitur. In Diodoro sic est, πέραν δὲ τούτου κατοικεῖν τό τε τῶν Ταβραισίων καὶ Γανδαριδῶν ἔθνος τούτων δὲ βασιλεύειν Ξανδράμην; in Curtio ita : *Ulteriores ripas colere gentes Gandaridas et Pharasios, eorumque regem esse Aggraminen.* His inter se collatis apud Diodorum scribendum videtur Πραισίων apud Curtium, *Præsios*, et *Xandramen.* Fabr. — *Gangaridas* meliores pluresque mss. ut et apud Curt.

15. *Ad Chosides.* Legitur *et Cophides*, atque in Justini libris, *Euphites*, vel *Cuphites.* Ego in hoc nomine hæreo : fortassis intelligendus est is qui a Curtio *Sophites*, a Diodoro et Strabone Σωπείθης nominatur : nam cum in illius regno Alexander ad Hyphasin fluvium processisset, militum precibus revocatus fuit, sed de pugna alii nihil. Fabr. — Mss. Florentini tres legunt *Chosides.* Lugd. Bat. secund., *Consides.* Reliqui passim *Cophides.* Sed *cum ad*, non *cumque ad* in mss. inveni omnibus. Ex illis vero *equitum* et *hostium*, alterutrum abundare videtur. Perizon. et ed. August. rectius videntur delere *equitum.* De omnibus hisce populis (licet duos tantum nominet) puto agere Curtium, scribentem, obsedisse vias regem eorum Agrammen *viginti millibus equitum, ducentisque peditum.* Equitum numerus in Orosio forte excidit, ut et in Justino lib. XII, cap. 8. ex quo sua hausit.

16. *Ad amnem Acesinem.* De hoc Dionysius Afer, vers. 1158 :

Τόθι λοξὸν ἀπὸ σκοπέλων Ἀκεσίνην
Συρόμενον δέχεται πλωτὸς νήεσσιν Ὑδάσπης.

17. *Ibi Gessonas, Sibosque.* In impressis Justini libris est, *Ibi Gessonas Asybosque*, in nostro antiquo, *Ibi Jacensanos Sibosque.* De prioribus Diodorus ita : ὡς δ' ἦλθὸν ἐπὶ τὴν Ἀκεσίνου καὶ Ὑδάσπου συμβολὴν ἐκβιβάσας τοὺς στρατιώτας προῆγεν ἐπὶ τοὺς ὀνομαζομένους Σίβους : id est : *Ubi pervenit in regionem, in qua Hydaspes amnis Acesini committitur, expositis militibus, copias in eos qui Sibi nominantur duxit.* Curtius libro IX : *Perventum erat in regionem, in qua Hydaspes amnis Acesini committitur : hinc decurrit in fines Siborum.* Vulgo tamen hic *Sobiorum*, et illic Ἴβους mendose legitur. Fabr. — In Meo *Gesonas*, in tribus Florentinis *Gesones.*

18. *Hinc ad Mallos et Oxydracas.* Ita emendavimus

191 ad Mallos et Oxydracas navigat : quæ gentes eum armatis [19] octoginta millibus peditum, et sexaginta millibus equitum, excipiunt. Commissoque prælio, diu anceps et cruenta pugna tandem [20] tristem pene victoriam Macedonibus dedit. Nam fusis hostium copiis, Alexander exercitum ad urbem duxit. [21] Et cum murum primus escendisset, vacuam civitatem ratus, solus introrsum desiluit, quem cum undique infesti hostes circumdedissent, incredibile dictu est, ut cum non multitudo hostium, non vis magna telorum, non tantus lacessentium clamor terruerit, solus tot millia ceciderit ac fugarit. At ubi se obrui a circumfusa multitudine persensit, [22] muri obice posteriora tutatus, contrarios facilius eo usque sustinuit, donec ad periculum ejus clamoremque hostium, perfractis muris, exercitus omnis irrumperet. In eo prælio [23] sagitta sub mamma trajectus, [24] fixo genu **192** eatenus pugnavit, donec eum, a quo [25] vulneratus esset, occideret. Inde conscensis navibus cum Oceani littora peragraret, ad urbem quamdam, [26] cui Ambira rex præerat, pervenit. Sed in expugnatione civitatis magnam partem exercitus, sagittis hostium veneno illitis, [27] amisit : ac post herba per somnium [28] sibi ostensa in potum sauciis data, cum reliquis subveniretur, urbem expugnavit et cepit.

CAPUT XX.

Omnes provinciæ ad Alexandrum territæ legatos pacem petentes, miserunt. Alexander veneno interiit. Apostrophe ad lectores.

Post quasi [1] circumacta meta, de Oceano Indum flumen ingressus, Babyloniam celeriter rediit : [2] ubi eum exterritarum totius orbis provinciarum [3] legati opperiebantur, hoc est, Carthaginiensium totiusque Africæ civitatum : sed et Hispanorum, Gallorum, Siciliæ, Sardiniæque : [4] plurimæ **193** præterea partis Italiæ. Tantus timor in summo Oriente constituti ducis populos [5] ultimi Occidentis invaserat, ut inde peregrinam toto mundo cerneres legationem, quo vix crederes pervenisse rumorem. Alexander

HAVERCAMPI NOTÆ.

secuti vestigia depravatæ lectionis antiquæ in Orosii et Justini libris. Sic autem legendum esse ex historia quæ est apud Curtium libro nono, Arrianum lib. VI, Diodoro XVII, cognosces. Nam quod in Diodoro legitur, Συρακούσας : id mendose esse Henricus Stephanus animadvertit, sed Ὀξυδράκας reponendum esse, eruditissimum hominem non vidisse miror. FABR.

19. *Octoginta millibus peditum.* Diodor. etiam scribit hos habuisse πεζοὺς πλείους τῶν ὀκταχισμυρίων, *amplius* LXX *millia peditum.* Unde emendandi Curtii libri, in quibus est, *Novem millia junctorum peditum in armis erant.* In numero equitum Orosius et Justinus non conveniunt cum Diodoro et Curtio. FABR.

20. *Tristem pene victoriam.* Fabricius edd. vet. secutus, edidit *tristem pene omnem victoriam*, contra mss. quorum nullus *omnem* agnoscit, neque ea vox in ed. August. apparet.

21. *Et cum murum exscendisset.* Impressi, *adscendisset.* Scripti lib., *extendisset* : ex quo rectene opem attuli Orosio, ut suum illi verbum antiquum redderetur, alii judicabunt. LAUT. — Reponi ex mss. codicibus debet *Et cum murum primus escendisset.* Sic enim verba transponunt scripti codices, ex quibus nonnulli *extendisset*, *insendisset*, *excidisset*, sed codex Longobard. clare, *escendisset.* De recto autem usu verbi *escendere* vide Notas Cortii ad Sallust. p. 355. Supra verbo *inscendere* usus fuit Orosius libro II, cap. 12, *invaserunt inscenderuntque Capitolium.* Sic enim ibi legendum est, non (ut passim editur) *incenderuntque Capitolium.* Secutus enim Augustinum est, apud quem de Civitate Dei lib. III, cap. 17, meliores codd. habent in eadem Capitolii oppugnati historia, *Ubi erant, quando Valerius consul et ab exsulibus et servis inscensum Capitolium cum defensaret occisus est.*

22. *Muri obice.* Florent. sec., *muri objectu.* Mox pro *tutatus*, Florent. tert. et Meus, *tutus.*

23. *Sagitta sub mamma trajectus.* Diod. τοξευθεὶς ὑπὸ τὸν μαστόν. Plutarchus, περὶ τὸν μαστόν. Arrianus, ὑπὲρ τὸν μαστόν. Curtius, *Indus duorum cubitorum sagittam ita excussit, ut per thoracem paulum super latus dextrum infigeret.* FABR.

24. *Fixo genu.* An *flexo genu?*

25. *Vulneratus esset.* Perizon., *vulneratus erat.*

26. *Cui Ambira rex præerat. Ambira* est etiam in nostris vetustis; apud Justinum lib. XII legitur : *cum venisset ad urbem Ambigeri regis.* Strabo lib. XV hoc in Oritarum finibus accidisse scribit, Diodorus ad Brachmanum urbem *Harmatelia* nominatam, Curtius in *Sambi* regno. FABR. — In Lugd. Bat. primo nomen regis scribitur *Abira*, in quarto *Ahira.*

27. *Amisit.* Cod. Periz., *perdidit.*

28. *Sibi ostensa.* Simpliciter *ostensa* Perizon. cod.

CAP. XX. — 1. *Circumacta meta.* Hæc vera est lectio, quam Cod. Longob. cum mss. et edd. melioribus servat. Quidam ex mss. *Post, quasi circumactam Indiam usque ad Oceanum et Indum flumen ingressus.*

2. *Ubi eum.* Ed. August., *ibi eum.*

3. *Legati opperiebantur.* Horum legatorum meminit Arrian. lib. VII ac præter eos, quos Justinus et Orosius commemorant, scribit venisse ad Alexandrum legationes Æthiopum, et Scytharum, qui sunt in Europa. Diodor. meminit etiam Illyriorum, Adriatici maris accolarum, Thracum finitimorumque illis Gallorum. FABR.

4. *Plurimæ præterea partis Italiæ.* Ex Italia venerunt legati a Bruttiis, Lucanis et Etruscis. Nonnulli etiam e Romanis venisse scripserunt : sed Arrianus id verum non putat. FABR. — Arrianus lib. VII, cap. 15, p. 224, ita de hujus legationis Romanæ fama disputat, ut neque asserere audeat, neque plane rejicere. Verum Clitarchus id liquido affirmat apud Plinium Nat. Hist. lib. III, p. 152 ed. Harduin. Immo, si Carthaginenses illuc miserint Hamilcarem Rhodium, speculatum Alexandri machinationes, quare non et Romani aliquem ex suis eadem de causa, vel etiam legati nomine miserint, præcipue cum narret Orosius adeo felicitate armorum Alexandri fuisse motos, ut ducem circumspexerint, quo contra illum uterentur, summamque rei fiduciam in Papirio consule habuerint, ut docet supra cap. 15.

5. *Ultimi Occidentis.* Ed. Aug., *in ultimo Occidentis.* Infra lib. VI, cap. 21, *Interea Cæsarem apud Tarraconem, citerioris Hispaniæ urbem, legati Indorum et Scytharum, toto orbe transmisso, tandem ibi invenerunt, ultra quod jam quærere non possent, refuderuntque in Cæsarem Alexandri Magni gloriam : quem, sicut Hispanorum Gallorumque legatio in medio Oriente apud Babyloniam contemplatione pacis adiit : ita hunc apud Hispaniam in Occidentis ultimo supplex cum gentilitio munere Eous Indus et Scytha Boreius oravit.*

vero apud Babyloniam, cum adhuc sanguinem si- A utrique infeliciter notus Oceano, et tamen tam vio-
tiens, male castigata aviditate, ministri insidiis [6] ve- lentæ necessitatis memoria, vel oblivione defecit,
nenum potasset, interiit. O dura mens hominum, et vel viluit vetustate. Et nos perpetuæ recordationi
cor semper inhumanum! Ego ipse qui hæc pro asse- hæsurum putamus, quod plurima orbis parte secura,
renda omnium temporum [7] alternata calamitate unum angulum fugax latro violavit : quasi vero
percenseo, in relatu tanti mali, quo vel morte ipsa Gothorum et Suevorum pacem, ut non dicam versa
vel formidine mortis accepta totus mundus intre- vice Indus et Assyrius, sed etiam vel ipse, qui
muit, numquid illacrymavi oculis? numquid corde hostem patitur, Hispanus oraverit. [11] At vero si
condolui? numquid revolvens hæc, propter com- illa Alexandri tempora laudanda potius propter
munem vivendi statum, majorum miserias meas virtutem, qua totus orbis [12] obtentus est, quam
feci? cum tamen si quando de meipso refero, ut detestanda propter ruinam, qua totus orbis eversus
ignotos primum barbaros viderim, ut infestos de- est, judicantur : invenientur [13] et modo plurimi, qui
clinaverim, ut dominantibus [8] eblanditus sim, ut in- hæc laudanda censeant, quod multa vicerunt, et mi-
fideles præcaverim, ut insidiantes subterfugerim, serias aliorum felicitatem suam reputent. Sed di-
postremo ut persequentes in mari, ac saxis [9] spicu- cat [14] quisquam : Isti [15] hostes Romaniæ sunt. Re-
lisque appetentes, manibus **194** etiam pene jam B spondebitur: Hoc et tunc toti Orienti de Alexandro
apprehendentes, repentina nebula circumfusus eva- videbatur : talesque et Romani aliis visi **195** sunt,
serim, cunctos audientes me, in lacrymas commo- dum bellis quietos ignotosque petiverunt. Sed illi
veri velim et tacitus de non dolentibus doleam, acquirere regna, isti evertere student. Separata sunt
reputans duritiem eorum, qui, quod non sustinuere, hostis excidia, et judicia victoris : siquidem et illi
non credunt. [10] Hispanus et Morinus ad supplican- prius eos bellis afflixerunt, quos postea suis legibus
dum Alexandro Babyloniam adiit, cruentumque ul- ordinarunt : et hi nunc [16] hostiliter turbant quæ
tro dominum, ne hostem exciperet, per Assyriam (quod non permiserit Deus) si edomita [17] obtinerent,
Indiamque quæsivit : terrarum metas lustrans et ritu suo componere molirentur, dicendi posteris

HAVERCAMPI NOTÆ.

6. *Cum venenum potasset, interiit.* Justinus et Orosius sequuntur eos, qui Alexandrum veneno sublatum scripserunt. Plutarcho et Arriano hic interitus non placet, quos lege. FABR. — Venenum Alexandro fuisse datum fabula est, quam nonnulli scriptores varie exornarunt. Plutarchus in Alex. p. 707 liquido id demonstrat, neque ulla de veneno suspicio exstitit, C priusquam hanc calumniam excogitavit Olympias contra domum Antipatri et Cassandri, quos muliebri impotentia oderat. Vide non uno in loco Historiam de Vita Alexandri a nobis contextam.

7. *Alternata calamitate.* Cod. Perizon., *alternatim calamitate.* Lugd. Batt. quatuor cum Meo et Coll. Gronov., *alternanti calamitate.*

8. *Eblanditus sim.* Cod. Longob. et Lugd. Bat. quart., *blanditus sum.* Non muto, nam *eblandiri* est blanditiis elicere et impetrare. Cicero ad Attic. lib. ult. ep. 19 : *Nunc, mi Capito*, etc , *elabora, vel potius eblandire, effice, Platonis*, etc.

9. *Spiculisque.* Ita omnes mss. et edd. excepta August. in qua *speculisque.* Quasi de insidiis ex specula sermo esset, quod non puto. Habet eadem ed. *adnitentes* pro *appetentes.* Lugd. Bat. quart. *addentes*, sed pr. et tert. Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. *attendentes.* In iis quæ sequuntur adluditad fabulam Homericam de Ænea, circumfusa nebula a D diis ex hostium manibus erepto.

10. *Hispanus Maurinus.* In nostris antiquis est, *Hispanus et marinus.* FABR. — Miror a Fabricio in mss. non inventam veram lectionem vel ab eodem excogitatam fuisse. Quid enim *Hispanus Maurinus* vel *Marinus?* Omnino legendum, quemadmodum exstat in ed. August. et in mss. Lugd. Batt. pr. et tertio, in Meo, Perizon., Coll. Gronov., tribus denique Florentinis, *Hispanus et Morinus*, licet Longob. cod. sive Flor. primus, scribat *Morenus.* Morini apte cum Hispanis conjunguntur, longius etiam ab Asia dissiti, qui *extremi hominum* Virgilio appellantur lib. Æn. VIII, 727 :

Extremique hominum Morini Rhenusque bicornis.

Ad Celtas olim hi pertinebant, Celtas vero inter legatos quoque eo tempore visos fuisse antiqui scriptores affirmant, prout colligi potest ex Arriani, eo quem indicavimus, loco. Quare etiam legationem Hispanorum et Gallorum, id est Celtarum, conjungit ipse Orosius lib. VI, c. 21, ut patet ex verbis supra n. 5 allatis.

11. *At vero si illa.* Florentini tres, Meo consentiente, *At vero si ulta.*

12. *Obtentus est.* Meus cod. cum Perizon. et tribus Lugd. Batt. *est* hoc in loco delet, quia statim iterum occurrit.

13. *Et modo plurimi.* Quatuor Lugd. Batt. cum Col. Gronov., *admodum plurimi.* Sed præstat vulgata, quia præcessit, *si illa Alexandri tempora*, etc. Edit. August. utramque lectionem exhibet ita, *admodum vel modo plurimi.*

14. *Quisquam.* Ita omnes mss.: sed vulgati, *quisquam.*

15. *Hostes Romaniæ sunt.* Scripsit hic Fabricius, *Romanis sunt*, territus, opinor, absurditate vocis *Romaniæ.* Sed cum Colon. liber sic habeat, non veritus sum pro Orosiano agnoscere; præsertim cum lib. VII etiam sic loquatur : *Essetque ut vulgariter loquar, Gothia, quod Romania fuisset.* LAUT.—Optime Lautius, eamque lectionem confirmant tres codd. Florentini, quos inter est optimus et vetustissimus D Longobardicis litteris conscriptus.

16. *Hostiliter turbant, quæ (quod non permiserit Deus) si edomita obtinerent.* Ita omnino hic locus Orosii legendus atque interpungendus est. Intruserunt *regna* quidam in mss. et editis legentes, *turbant regna.* Verum neque vetustæ editiones, neque mss. Florentini tres, Meus, Perizon. et Lugd. Bat. quart. cum Coll. Gronov. vocem istam agnoscunt. Dein pro (*quod non permiserit Deus*) quæ verba parentheseos nota distingui a reliquis debent, legunt, *in quo non*, etc., plerique mss. videlicet Florr. pr. et tert. (nam sec. delet), Meus, Periz., Ultr., Coll. Gronov., Lugd. Bat. pr., tert., quart., nam in pr. desideratur una pagella, adeoque mss. omnes, ut et ed. Augustana : omnes vitiose.

17. *Obtinerent.* Ed. Aug. *Obtinuerint.*

magni reges, qui nunc [18] nobis sævissimi hostes adjudicantur. [19] Quolibet autem gesta talia nomine censeantur, hoc est, sive dicantur miseriæ, sive virtutes, utraque prioribus comparata [20] in hoc tempore minora sunt : [21] atque ita utraque pro nobis faciunt in comparatione Alexandri atque Persarum : si virtus nunc vocanda est, minor est hostium ; si miseria, minor est Romanorum.

196 CAPUT XXI.

Etruscorum, Umbrorum, Samnitium et Gallorum contra Romanos conjuratio et clades.

[1] Anno ab Urbe condita CCCCL, Fabio Maximo V, Decio Mure IV consulibus, quatuor fortissimi florentissimique Italiæ populi in unum agmen fœdusque coierunt. Namque Etrusci, Umbri, Samnites et Galli, uno agmine conspirantes, Romanos delere conati sunt. Tremefacti hoc bello Romanorum animi, [2] et labefactata fiducia est : nec ausi [3] totum sperare de viribus, [4] dolo divisere hostes, tutius rati pluribus se bellis implicare quam gravibus. Itaque cum, quibusdam suis ad populandos hostiles agros, in Umbriam Etruriamque præmissis, [5] Umbrorum Etruscorumque exercitum redire ad tuitionem suorum coegissent, cum Samnitibus et Gallis [6] bellum inire properant. In quo bello cum Gallorum impetu Romani premerentur, [7] Decius consul occisus est. Fabius tamen post magnam Decianæ partis stragem tandem vicit. Eo prælio [8] quadraginta millia Samnitium sive Gallorum cæsa, Romanorum vero septem millia, ex Decii tantummodo parte, qui occisus est, exstincta referuntur. Fuisse autem absque **197** Etruscis et Umbris, quos [9] astu Romani bello avocaverunt, Gallorum et Samnitium [10] peditum centum quadraginta millia trecenti et triginta, equitum vero quadraginta quatuor millia, Livius refert : et carpentarios mille in armis contra aciem stetisse Romanam. Sed, ut sæpe dictum est, semper Romanorum aut domesticam quietem extraneis bellis interpellatam, [11] aut externos proventus morbis interioribus aggravatos, tantum, ut [12] omnimodis ingentes animi undecumque premerentur, [13] hanc cruentam tristemque victoriam pestilentia civitatis oneravit, et triumphales pompas obviæ mortuorum exsequiæ polluerunt. Nec erat cui de triumpho [14] gaudium suaderetur, cum tota civitas aut ægris suspiraret, aut mortuis.

CAPUT XXII.

Romani a Samnitibus victi eosdem vincunt : intolerabilis Romanos pestilentia affligit. Rursum Samnites superant, et cadunt. Curius consul bellum in Sabinos feliciter gerit. Romani a Gallis sociisque eorum fœdam cladem accipiunt.

[1] Sequitur annus, quo Romani, instaurato a Samnitibus bello, victi sunt, atque in castra fugerunt. Postea vero Samnites [2] novum **198** habitum, animumque

HAVERCAMPI NOTÆ.

18. *Nobis.* Lugd. Bat. tert. et quart. cum Coll. Gron., *a nobis.*

19. *Quolibet hæc gesta.* Ita reposui ex Florent. tribus, Lugd. Batt. totidem et reliquis omnibus, ut et vett. edd. pro vulgato, *quolibet autem gesta.* Mox *tali* pro *talia* unus et alter ex iisdem.

20. *In hoc tempore.* Perizon. et vett. edd., *hoc tempore.* Sed Orosius illud *in* sæpius interseruit orationi suæ.

21. *Atque ita utraque.* Sic mss. omnes. Edd. vett., *atque pro nobis ita utraque faciunt.* Aug., *et ita utraque p. n. f.*, quæ inepte in fine cap. legit *Romanorum quam Persarum.*

CAP. XXI. — 1. *Anno ab Urbe condita* CCCCL. Hic annus quo Qu. Fabius Maximus Rullianus V et P. Decius Mus IV consules fuerunt, in Fastis Capitolinis est ab U. c. CDLVIII. Livio idem est, CCCCLVII qui lib. X hoc bellum describit. FABR.

2. *Et labefactata fiducia est.* Coll. Gronov., *et labefactati :* mss. Lugd. Bat. sec. et Perizon. cum edd. vett., *et labefacta fiducia est.* Utrumque Latine dicitur.

3. *Totum sperare.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. et Perizon., *nec ausi sunt totum sperare de viribus.*

4. *Dolo divisere hostes.* Edd. prima, et illam secutæ, *dolo dividere hostes tutius rati, pluribus se bellis implicavere quem gravibus.* Pro *tutius* cod. Longob. habet *totius*, pro quo potius in edd. Venetis.

5. *Umbrorumque Etruscorumque exerc.* Livius tantum *Etruscos* populationis fama ad suos fines tuendos redire coactos scribit. Umbros tamen prælio non interfuisse ex eodem cognoscitur. FABR.

6. *Bellum inire.* Hoc bellum gestum fuit in agro Sentinate, ἐν τῇ τῶν Σεντινατῶν χώρᾳ, ut ait Polybius libro II. FABR.

7. *Decius consul occisus est.* Hic est alter e Deciis, quos ad voluntariam mortem cursum equorum incitasse Cicero in Catone ait, Filius enim patrem imitatus, in quarto consulatu se devovit, libro II de Finibus. Quod vero idem Tusc. I scribit, *Decium filium cum Etruscis decertantem se hostium telis objecisse*, in eo dissentit ab aliis, qui Decium hunc cum Gallis decertasse scribunt. FABR.

8. *Quadraginta millia.* Lugd. Bat. tert. et quart. cum Coll. Gronov., L *millia.*

9. *Astu.* Lugd. Batt. tert. et Coll. Gronov., *astute.*

10. *Peditum* CXL *millia* CCCCXXX, *equitum vero* XLVI *millia.* Ita hæc leguntur in optimo libro Cornelii Gualteri : idemque numerus est a Livio ex aliorum scriptorum annalibus relatus. FABR. — Numerus idem in tribus Florentinis, Meo quoque et Perizon. invenitur, ut et Lugd. Bat. primo, nisi quod Meus cum Perizon. et Lugd. Batt. sec. et Coll. Gronov. equitum numeret XLVII *millia.*

11. *Aut externos proventus.* Τὰς ἔξωθεν εὐτυχίας καὶ εὐημερίας. Vulgo, *eventus*, contra fidem librorum antiquorum legitur. *Pestilentiæ*, qua hic annus gravis fuit, meminit etiam Livius. FABR.

12. *Omnimodis.* Edd. vett., *omnimode.* Utrumque Latine dicitur et apud Lucretium plus semel occurrit.

13. *Hanc cruentam*, etc. Nullus in præcedentibus verbis erat sensus, quia male interpungebatur locus, ponendo punctum ante vocem *hanc.* Minima mutatione medicinam illi fecimus, reposita minori distinctione.

14. *Gaudium suaderetur.* Edd. vett. quædam, *gaudia suaderentur.*

CAP. XXII. — 1. *Sequitur annus.* Consules hic annus habuit L. Postumium Megellum, M. Atilium Regulum : estque illius parum constans memoria, inquit Livius lib. X. Quem lege. FABR.

2. *Novum habitum animumque.* Habitus armaturæ, animusque paratus ad dimicandum hic breviter indicatur : sed Livius omnia copiose libro X extremo. FABR.

Eumeni data : summa castrorum [16] Seleuco Antiochi filio cessit; stipatoribus regis satellitibusque Cassander filius Antipatri [17] præficitur. In Bactriana ulteriore et Indiæ regionibus præfecti priores, qui [18] sub Alexandro esse cœperant, permanserunt. [19] Seras, inter duos amnes Hydaspem et Indum constitutos, Taxiles habuit. In colonias in Indis conditas [20] Pithon Agenoris filius mittitur. [21] Parapamenos fines Caucasi montis [22] Oxyartes accepit. Arachosii Gedrosiique [23] Sibyrtio decernuntur. Drangas et Areos Stasanor, Bactrianos [24] Amyntas sortitur, Sogdianos Scythæus, Nicanor **203** Parthos, Philippus Hyrcanios, Phrataphernes Armenios, Tlepolemus Persas, Peucestes Babylonios, Archon Pelasgos, Archelaus Mesopotamiam adepti sunt. Igitur causa et origo bellorum [25] epistola Alexandri regis fuit, qua jussit omnes exsules patriæ libertatique restitui. Potentes enim civitatum Græciæ timentes, ne exsules recepta libertate ultionem meditarentur, a regno Macedonum defecerunt. [26] Primi Athenienses, contracto triginta millium exercitu et ducentis navibus, bellum cum Antipatro, cui Græcia sorte obvenerat gerunt : [27] per Demosthenem quoque oratorem Sicyona, Argos et Corinthum, cæterasque civitates sibi socias adjungunt, [28] Antipatrum obsidione cingunt. Ibi dux eorum Leosthenes, [29] telo e muris jacto perfossus, occiditur. Athenienses Leonnato, qui Antipatro auxilium ferebat, occurrunt, ejusque copiis comminutis, ipsum interficiunt. Perdicca vero bellum [30] Ariarathi Cappadocum regi intulit, eumque vicit; in qua victoria nihil præter vulnera et pericula conquisivit, [31] nam omnes ante irruptionem urbis suæ, succensis domibus suis, se suaque omnia concremaverant. Post hæc bellum inter Antigonum et Perdiccam oritur gravissime, multis provinciis et insulis ob auxilia **204** vel negata, vel præstita dilaceratis. Diu deliberatum, utrum in Macedoniam bellum transferretur, an in Asia gereretur : novissime ipse Perdicca Ægyptum cum ingenti exercitu petit. Sic Macedonia, in duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera armatur. Ptolemæus, Ægypti viribus et Cyrenensibus copiis instructus, occurrere bello Perdiccæ parat. Inter hæc [32] Neoptolemus et Eumenes cruentissimo inter se prælio digladiati sunt. Victus Neoptolemus, ad Antipatrum fugit : quem, ut Eu-

HAVERCAMPI NOTÆ.

16. *Seleuco Antiochi.* Hic est *Seleucus* ὁ τῆς Ἀσίας τῆν περὶ Εὐφράτην βεβασιλευκὼς, ut inquit Appianus in Syriacis : qui in Asia majore et Syria regnavit. FABR.

17. *Præficitur.* Perizon., *præponitur.*

18. *Sub Alexandro.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *ab Alexandro.*

19. *Seras.* Habet etiam noster manuscriptus Justinus, pro quo in Impressis, *Sed res, legitur.* FABR.

20. *Pithon Agenoris.* Πείθων sive Πίθων ὁ Ἀγήνορος est apud Diodorum et Arrian. Unde quomodo hoc nomen scribendum sit cognoscitur. FABR.

21. *Parapamenos fines Caucasi montis.* Mss. fere omnes magno consensu, *fine*, videlicet Flor. pr. et tert. cum Lugd. Batt. quatuor, Meo, Perizon. et Coll. Gronov. Id significare voluit Orosius, populos hos fuisse in extremis Caucasi jugis sitos. Apud Justinum lib. XIII, cap. 4 pro *et fines Caucasi montis*, Grævius, *et finem* legit. Apud eumdem pro *Extarches* ex Orosio reponi debet *Oxyartus*, vel *Oxyarches*, ut est in cod. Longob. et quibusdam aliis.

22. *Oxyartes.* Ita hoc nomen in Gualtheri libro recte scriptum est, ex quo vulgo *Axiarches*, fecerunt; Diodorus, τὴν καὶ παρὰ τὸν Καύκασον κειμένην, ὀνομαζομένην δὲ Παροπισαδῶν, προσώρισεν Ὀξυάρτῃ τῷ Βακτριανῷ βασιλεῖ, τοῦ τὴν θυγατέρα Ῥωξάνην γεγαμηκὼς ἦν Ἀλέξανδρος; id est, *Fines ad Caucasum montem, qui Paropamisadarum dicuntur, attribuit Oxyartæ Bactrianorum regi : cujus filia Roxane cum Alexandro fuerat.* Ergo Trogus, *Parapamenos fines* dixit τὴν τῶν Παροπαμισαδῶν χώραν. FABR.

23. *Sibyrtio.* Diodor. Σιβυρτίῳ ἔδωκεν Ἀραχωσίαν καὶ Κεδρωσίαν : Arrianus lib. VI de eodem *Sibyrtio* agens, τούτῳ Ἀραχωντῶν τε καὶ Γεδρωσίων ἄρχειν ἐδόθη. Plutar. quoque Γεδρωσίαν nominat, quam Diodorus Κεδροσίαν. In nostris manuscriptis, *Cedrosique* legitur. Apud Justinum locus mutilatus est, qui in nostro antiquo integre legitur hoc modo : *Arachosii, Cedrosique Sibyrtio traduntur, Drangæ et Aræi Stasanori.* Στασάνωρ ὁ Ἀρείων καὶ Δράγγων σατράπης vocatur ab Arriano lib. VI. De eodem Diodor., Στασάνορι δὲ τῷ Σολίῳ τὴν Ἀρείαν καὶ Ἀραγγιανήν. FABR.

24. *Amyntas.* Hic Diodoro est *Philippus*, apud quem sic legimus : Φιλίππῳ προσώρισε Βακτριανὴν καὶ Σαρδιανήν, Φραταφέρνῃ Παρθυαίαν, καὶ Ὑρκανίαν, Πευκέστῃ Περσίδα, Τληπολέμῳ Καρμανίαν, Ἄρχωνι Βαβυλωνίαν, Ἀρχεσιλάῳ Μεσοποταμίαν. Ubi vides nullam *Scythæi* et *Nicanoris* mentionem fieri. Deinde nostra emendatio illius quoque auctoritate munitur, quam in *Arcelai* nomine, quod est in vetustis, neglexi. FABR.

25. *Epistola Alexandri.* Hæc epistola recitata fuit in mercatu Olympiaco, ut ait Just. lib. XIII, Ὀλυμπιάσιν, ut Græci dicunt, exstatque apud Diodorum lib XVIII. FABR.

26. *Primi Athenienses.* Hoc bellum quod Græci cum Antipatro gesserunt, *Lamiacum* dictum fuit, et a Diodoro lib. XVIII copiose descriptum est. FABR.

27. *Per Demosthenem.* Propter hoc beneficium Demosthenes, qui propter pecuniam ab Harpalo captam damnatus solum verterat, ab exsilio revocatus fuit. Plutarchus in Demosthene, Justinus lib. XIII, Pausanias I. FABR. — Aliquanto post tres Florentini cum Meo et Perizon. *venerat* legunt pro *obvenerat.*

28. *Antipatrum obsidione cingunt.* Justinus, Antipatrum Heracleæ obsessum a Leosthene scribit, Diodorus lib. XXVIII, Strabo IX, Pausan. I. et Plutarch. in Demosth. et Eumene, *Lamiæ*, unde Lamiacum bellum. FABR.

29. *Telo e muris jacto perfossus.* Πληγεῖς εἰς τὴν κεφαλὴν λίθῳ παραχρῆμα ἔπεσε, Diod., quem de Leonnati cæde etiam consule. FABR.

30. *Ariarathi Cappadocum.* Ἀριαράθην τῆς Καππαδοκίας δυνάστην, Diodorus nominat. Meminit Plutarchus in Eumene. FABR.

31. *Nam omnes ante irruptionem.* En utilitatem Epitomarum! Nam cum Trogus rem primum in Cappadocia cum Ariarathe rege, deinde in Pisidia cum Larandæis et Isauriis a Perdicca gestam exposuisset, Justinus hæc ita detruncavit, ut ex duobus quasi corporibus vix unum reliquerit. Isaurii ergo hanc crudelitatem in se suosque exercuerunt, ut scribit Diodorus lib. XVIII, ubi et bellum inter Antigonum et Perdiccam exponit. FABR.

32. *Neoptolemus* et *Eumenes.* Neoptolemus Eumeni in auxilium relictus a Perdicca, consilio cum adversariis communicato, insidias Eumeni parabat, qua re patefacta prælio cum ipso dimicare coactus, in extremum discrimen venit, et copias fere omnes amisit. Diodorus, Plutarchus in Eumene. Justinus lib. XIII. FABR.

quoque cum Etruscis et Senonibus Gallis facta societate, cum redivivum **200** contra Romanos bellum molirentur, [17] Romani ad exorandos Gallos misere legatos : quos cum Galli interfecissent, [18] Cæcilius prætor ob ulciscendam legatorum necem, et comprimendum tumultum hostium cum exercitu missus, ab Etruscis Gallisque oppressus interiit. Septem præterea tribuni militum in ea pugna occisi, multi nobiles trucidati, [19] tredecim millia militum Romanorum illo bello prostrata sunt. Ita autem quotiescumque Galli exarserunt, totis opibus suis Roma detrita est, ut sub præsenti nunc concursatione Gothorum magis debeat meminisse Gallorum.

CAPUT XXIII.

Veneno Alexandro rege Macedoniæ perempto, duces ejus totum inter se orbem diviserunt, seseque mutuis bellis consumpserunt.

At ego nunc revocor, [1] ut per hæc eadem tempora, quibus Romani ista perpessi sunt, quæ inter se bella gesserint Macedonum duces, revolvam ; qui mortuo Alexandro diversas sortiti provincias, mutuis se bellis consumpserunt, quorum ego tumultuosissimum tempus ita mihi spectare videor, quasi aliqua immensa castra per noctem de A **201** specula montis aspectans, nihil in [2] magno campi spatio præter innumeros focos cernam : ita per totum Macedoniæ regnum, hoc est per universam Asiam et plurimam Europæ partem, Libyæque vel maximam, horrendi subito bellorum globi colluxerunt? qui cum ea [3] præcipue loca, in quibus exarsere, populati sunt, reliqua omnia terrore rumoris, quasi fumi caligine, turbaverunt. Sed nequaquam tantorum regum ac regnorum bella excidiaque explicabo, nisi prius ipsa cum regibus regna prodidero. Igitur [4] Alexander per duodecim annos trementem sub se orbem ferro pressit. Principes vero ejus quatuordecim annis dilaniaverunt, et veluti opimam prædam a magno leone prostratam [5] avidi discerpsere catuli : seque ipsos invicem in rixam irritatos
B prædæ æmulatione fregerunt. Itaque [6] prima Ptolemæo [7] Ægyptus et Africæ Arabiæque pars sorte provenit. Confinem huic provinciæ Syriam [8] Laomedon Mitylinæus, Ciliciam Philotas [9], Philo Illyrios accipiunt. [10] Mediæ majori Atropatus, [11] minori socer Perdiccæ præponitur. [12] Susiana gens Scyno, Phrygia major Antigono **202** Philippi filio assignatur. Lyciam et Pamphyliam Nearchus, Cariam Cassander, [13] Lydiam Menander sortiuntur. Leonnatus [14] minorem Phrygiam accipit. [15] Thracia et regiones Ponticí maris Lysimacho, Cappadocia cum Paphlagonia

HAVERCAMPI NOTÆ.

17. *Romani ad exorandos.* Polybius libro secundo scribit, hos legatos a M. Curio in Galliam missos ὑπὲρ τῶν αἰχμαλώτων, *pro redimendis captivis* : quos illi παρασπονδήσαντες ἐπανείλοντο, id est, *violato jure gentium interfecerunt.* Verum hic Livii amissione magnum damnum fecit historia. Ille enim copiose initio lib. XII exposuerat. FABR.

18. *Cæcilius prætor.* Hujus *Cæcilii prætoris* meminit Augustinus de Civit. Dei libr. III, cap. 17, et in Liviana Epitoma L. Cæcilius prætor nominatur. Unde cognoscitur error Sipontini, qui quod Polybius dixit, Λευκίου τοῦ στρατηγοῦ τελευτήσαντος, vertit, *Lucio consule amisso.* Cæterum Gallorum reliquias P. Dolabella delevit in Etruria ad lacum Vadimonis, ut ait Florus lib. I, cap. 13, περὶ τὴν Οὐάδμονα προσαγορευομένην λίμνην. Polybius. FABR.

19. *Tredecim millia militum Romanorum.* Delevi *etiam* quod inepte post *millia* in omnibus edd. mss. inserebatur. Feci autem illud auctoritate cod. Longobardici. Pro *tredecim millia* Lugd. Batt. tert. et quart. cum. Coll. Gronov. *octodecim millia* numerant, et pro *illo bello* quidam mss. legunt *in illo bello.*

CAP. XXIII. — 1. *Ut per hæc eadem tempora.* Edd. vett., *ut per eadem tempora.*

2. *Magno campi spatio.* Ita Lugd. Bat. tert, Coll. Gronov. cum tribus Florentt. At vulg., *in magni campi spatio.*

3. *Præcipue.* Flor. tres, *præcipua.*

4. *Alexander per duodecim annos. Alexander Macedo,* inquit Cic. Philip. V, *cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, tertio et trigesimo anno mortem obiit.* Vixit enim annos 32, menses 8. Regnavit an. 12, mens. 8. Arrianus lib. VII extremo. FABR.

5. *Avidi.* Perizon., *avide*, et *dilacerarunt*, pro *dilaniaverunt.*

6. *Prima Ptolemæo* Hic. est Πτολεμαῖος ὁ Λαγοῦ, *Ptolomæus Lagi F.*, primus rex Ægypti, a quo deinceps qui Ægyptum obtinuerunt usque ad *Auletem* (quem regno pulsum ab Alexandrinis A. Gabinius restituit) ejusque filium (quem C. Julius Cæsar interemit) *Ptolemæi* nomen tulerunt. FABR.

7. *Ægyptus.* Sic omnino ex mss. consensu est reponendum ; Fabr. et vulg. male *Ægypti.*

8. *Laomedon Mitylenæus.* Λαομέδων ὁ Μιτυληναῖος cui Syriam cum Phœnice datam, Curtius lib. ult. scribit. FABR.

9. *Ciliciam Philotas, Philo Illyrios.* Ita legitur quoque in nostro manuscripto Justini libr. XIII, pro quo in impressis, *Ciliciam Philotas cum filio, et Illyrios accipiunt, mendose legitur.* FABR.

10. *Mediæ majori Atropatus.* Ἀτροπάτης ὁ τῆς Μηδίας σατράπης, *Atropatus Mediæ præfectus*, est apud Arrianum lib. VII. Unde non solum Justinus et Orosius emendandi, verum etiam Diodorus, apud quem lib. XVIII est, Ἀτράτῃ δὲ Μηδίαν, duobus litteris οπ in medio prætermissis. FABR.

11. *Minori socer Perdiccæ.* Sic est etiam in manuscriptis : sed Justinus habet, *minori Alceta frater Perdiccæ præponitur.* Ἀλκέτας ὁ ἀδελφὸς Περδίκκου, nominatur a Diodoro lib. XVIII. FABR.

12. *Susiana gens Scyno.* De Scyno præter Justinum et Orosium alii, quod sciam, nihil. Antipater postea Antigono τὴν Συσιανὴν dedit, cui Perdiccas primo Παμφιλίαν, καὶ Λυκίαν, τὴν μεγάλην καλουμένην Φρυγίαν attribuerat, auctore Diodoro. Orosius vero Justinum secutus scribit, *Pamphyliam et Lyciam Nearcho datam*, quem vulgo *Learchum* vocant. De *Nearcho* Diod., Plutarchus, Arrianus. FABR.

13. *Lydiam Menander. Menander* est etiam in manuscriptis Justini et Orosii libris, sed verendum, ne notus *Menander* pro ignoto *Meleagro* in has sedes migraverit. Nam Meleagro Lydiam assignatam scribit Diodorus. FABR.

14. *Minorem Phrygiam.* Τὴν ἐφ' Ἑλλησπόντῳ Φρυγίαν, Diodorus. FABR.

15. *Thracia et regiones Pontici.* Λυσιμάχῳ ἐδόθη Θράκη καὶ τὰ συνορίζοντα τῶν ἐθνῶν παρὰ τὴν Ποντικὴν θάλασσαν, Diod. FABR.

sumentes, hoc est, deargentatis armis ac vestibus, paratoque animo, ni vincant, mori, [3] bello se offerunt. Adversum quos [4] Papirius consul cum exercitu missus, cum a pullariis auguribus vana conjectantibus congredi prohiberetur, irridens eos, tam feliciter confecit bellum, quam constanter arripuit. Nam in hoc prælio [5] duodecim millia hostium cæsa, tria millia capta referuntur. Sed hanc quoque istius vere laudandam victoriam, quam vani [6] auspices impedire non potuerunt, oborti subito corrupere morbi. Nam tanta ac tam intolerabilis pestilentia tunc corripuit civitatem, ut propter eam quacumque ratione sedandam, libros Sibyllinos consulendos putarint, horrendumque illum [7] Epidaurium colubrum, [8] cum ipso Æsculapii lapide **199** advexerint: quasi vero pestilentia aut ante sedata non sit, aut post orta non fuerit. [10] Præterea altero abhinc anno Fabius Gurges consul male adversus Samnitas pugnavit. [11] Namque, amisso exercitu, victus in Urbem refugit. Itaque cum senatus de submovendo eo deliberaret, pater ejus, Fabius Maximus, ignominiam filii deprecatus, legatum se A filio iturum ultro obtulit, si illi depellendæ ignominiæ, et gerendi iterum belli facultas daretur. Qua impetrata, prælioque conserto, cum subito pugnantem filium consulem, insistente Pontio Samnitium duce, et infestis hostium telis conclusum videret, [12] in medium se agmen pius senex equo vectus ingessit. Quo facto permoti Romani tota ibi incubuere acie, donec ipsum ducem Pontium, deleto hostili exercitu, victum oppressumque ceperunt. Cæsa sunt in eo prælio Samnitium viginti millia, capta autem quatuor millia cum rege suo : tandemque Samniticum bellum, [13] quod per quadraginta et novem annos multa Romanorum clade trahebatur, capti duB cis destitutione finitum est. [14] Anno subsequente cum Sabinis, Curio consule, bellum gestum est, ubi quot millia hominum interfecta, quot capta sint, ipse consul ostendit : qui cum in senatu magnitudinem acquisiti agri Sabini, et multitudinem capti populi referre vellet, [15] numerum explicare non potuit. [16] Anno ab Urbe condita CCCCLXIII, Dolabella et Domitio consulibus, Lucani, Brutii, Samnites

HAVERCAMPI NOTÆ.

3. *Bello sese offerunt.* Additur post hæc in Lugd. Batt. tert., quarto et Coll. Gronov., XXIV *millia.*

4. *Papirius cons.* Hic est L. Papirius Cursor, Sp. Carvilii collega in consulatu, anno post R. cond. CDLX, de quo et pullario præter Livium Valerius Max. libr. VII, cap. 2. FABR.

5. *Duodecim millia hostium*, Lugd. Bat. tert., *viginti millia hostium cæsa, quatuor millia capta referuntur.* In captivorum numero consentit Coll. Gronov. et Vincent. Bellov. lib. VI, cap. 6.

6. *Auspices.* Perizon, Lugd. Batt. tert., Coll. Gron. et ed. Aug., *aruspices.* Pro *corripuit* mox *arripuit* ed. C eadem.

7. *Epidaurium colubrum.* Hanc rem libro decimo extremo scripsit Livius, libroque undecimo persecutus fuit, ut ex epitoma cognoscitur, in qua mentio est *colubri sive anguis.* Tu lege Pausaniam libr. II et Ovid. libr. XV Metamor. FABR.

8 *Cum ipso Æsculapii lapide.* Cujus historiæ memoriam invenimus in antiquo asse Romano, cuso a quæstore Eppio. Exhibet ille consuetum assium typum, Jani geminum caput et ratem; verum inter media gemini Jani tempora memorabilis antiquitatis cernitur nota ; videlicet ara lemniscata, cui impositus est lapis, forma coni sive ovi dimidiati, eique circumvolvitur serpens. Serpens ille colubrum Epidaurium ipsumque deum designat; lapis, hunc ipsum, de quo Orosius loquitur, lapidem ; ara, cultum Æsculapii, quem advecto deo solemniter receperunt Romani. Eppius hoc typo usus videtur, quia forte aliquis ex majoribus ejus isti curæ præfuit. Nummi ipsius figura hæc est.



9. *Advexerint.* Ed. August., *adduxerint.*

10. *Præterea altero abhinc anno.* Altero anno, id est, proximo post L. Papirium, quo Q. Fabius Maximus Gurges, et D. Junius Brutus Scæva coss. fuerunt. Fallitur certe Robortellus, qui *alterum* ubique pro *secundo* accipit. FABR.

11. *Namque, amisso exercitu.* Tria millia hominum occisa refert Eutropius lib. II. FABR.

12. *In medium se agmen.* Meus, *in medium hostium agmen*, male. Pejus autem *ignem* pro *agmen* in ed. Mogunt.

13. *Quod per* 49. In aliis male 59 legitur. Nam si annus, quo Q. Fabius quintum P. Decius quartum consules fuerunt, recte 46 belli Samnitici a Livio nominatur, hic 49 sit necesse est. FABR. — Numerum annorum 59 cum mss. quibusdam habet Vincent. Bellov. lib. VI, cap. 8, ubi, aliquanto ante, legitur *cum rege suo Pontio.*

14. *Anno subsequente.* Anno ab U. c. CDLXIII consul cum P. Cornelio Rufino fuit M. Curius Dentatus, eosque ambos Samnitas vicisse Eutropius scribit. Curium etiam de Samnitibus triumphasse, Cicero in Catone ostendit, et in libro de Viris Illustribus scribitur. Orosius tantum rei in Sabinis gestæ meminit, sicut et Florus libro primo capit. 15. FABR.

15. *Numerum explicare.* Florent. secund., *numero explicare.*

16. *Anno ab U. c.* CDLXIII. Hic annus secundum Fastos Capitolinos, quos tamquam certissimos duces sequimur, est, CDLXX quo, P. Cornelius Dolabella, et Cn. Domitius Calvinus coss. fuerunt. FABR. — Errorem in numeris quoque castigat Pighius in Annal. tom. I, p. 414.

ciditur. Lysimachus, cum [59] Doricetis regis Thracum infestissimo bello urgeretur, adversus Demetrium pugnare non potuit. Demetrius augmento Græciæ et totius Macedoniæ elatus, in Asiam transire disponit. Ptolemæus autem et Seleucus et Lysimachus, experti priore certamine, quantæ vires essent concordiæ, **209** iterum [60] societate pacta adunatisque exercitibus, bellum in Europam transferunt adversus Demetrium. [61] His se comitem et belli socium Pyrrhus rex Epiri jungit, sperans Demetrium Macedonia posse depelli, [62] nec spes frustra fuit; quippe exercitu ejus corrupto ipsoque in fugam acto, regnum Macedoniæ Pyrrhus invasit. Deinde Lysimachus [63] generum suum Antipatrum, insidiantem sibi, interfecit, [64] filiumque suum Agathoclem ultra humanum morem perosus occidit. Quibus quidem diebus [65] Lysimachia civitas [66] formidolosissimo terræmotu eversa, oppressoque populo suo, crudele sepulcrum fuit. [67] Lysimachum autem assiduis se parricidiis cruentantem omnes socii descruerunt, et ad Seleucum deficientes, pronum jam regem æmulatione regni, ut bellum Lysimacho inferret, hortati sunt. Res fœdissimi spectaculi erat, duos reges, quorum Lysimachus annos septuaginta et quatuor natus, Seleucus autem septuaginta et septem, de eripiendis alterutrum regnis concurrere, in acie stare, arma gerere. Ultimum hoc quidem bellum Alexandri commilitonum fuit, sed quod ad exemplum humanæ miseriæ fuerit reservatum: quippe cum orbem terrarum, exstinctis jam triginta et quatuor Alexandri ducibus, soli possiderent, et angustissimos senectutis ac vitæ suæ terminos non aspicientes, [68] angustos esse imperio suo totius mundi terminos arbitrabantur. In eo bello Lysimachus, vel amissis vel interfectis **210** prius ante hanc pugnam quindecim liberis, [69] postremus occisus est. Sic Lysimachus [70] solutio pugnæ Macedonicæ fuit. Sed ne Seleucus quidem tanta victoria impune lætatus est: nam neque ipse post septem et septuaginta annos quietem naturalis mortis invenit: sed extortam sibi infeliciter vitam velut immatura morte finivit: quippe insistente Ptolemæo, [71] cujus sororem Lysimachus in matrimonio habuerat, insidiis circumventus et occisus est. Hæc sunt inter parentes et filios, fratres ac socios consanguinitatis societatisque commercia. Tanti apud illos divina atque humana religio pendebatur. Erubescant sane de recordatione præteritorum, qui nunc interventu solius fidei Christianæ ac medio tantum jurationis sacramento, vivere se cum hostibus, nec pati hostilia sciunt: quibus indubitatissime probatur, quia non sicut illi antea,

.... Cæsa jungebant fœdera porca,

sed quia nunc inter Barbaros ac Romanos Creatorem ac Dominum suum contestantes, tantam fidem adhibita in sacramentum servant Evangelia, quantam tunc nec inter parentes ac filios potuit servare natura. Nunc autem finis Macedonici belli, finis etiam libri fiat, præsertim cum jam abhinc Pyrrhi bella incipiant, et mox Punica consequantur.

HAVERCAMPI NOTÆ.

59. *Doricetis. Dori* est in Gualtheri libro, quod alii quoque in suis mss. invenerunt. Rectum puto *Dromichetis*: sic enim Pausanias libro primo nominat. Plutarchus quoque in Demetrio Δρομιχαΐτου mentionem facit, ab eoque Lysimachum captum fuisse scribit, et humane regieque tractatum. De eodem Strabo libro septimo. FABR. — Et ego quoque in omnibus mss. inveni *Dori regis*, unde *Doricetis* natum suspicor. Verum nomen est *Dromichetes*, ut asseruit Fabricius.

60. *Societate pacta*. Ita constanter legunt omnes mss. ut et ed. Aug. Itaque ejici debet adulterinum *societate facta*, quod et Lautius supra num. 47 vidit.

61. *His se comitem*. Quæ hic de Pyrrho Orosius scribit, ea Plutarchus in illius Vita pluribus persequitur. FABR.

62. *Nec spes frustra fuit*. Codd. et edd. quidam, *nec spes frustrata fuit*.

65. *Generum suum Antipatrum*. *Antipatrum* Cassandri filium intelligit, de quo paulo ante dixi. FABR.

64. *Filiumque suum Agathoclem*. Agathocles dolo et insidiis Arsinoes, uxoris quidem Lysimachi, sororis vero Lysandræ, quæ cum Agathocle erat, occisus fuit, ut scribit Pausanias libro primo. Strabo libro decimo tertio ait Lysimachum ab improbis familiaribus coactum filium Agathoclem interfecisse. FABR.

65. *Lysimachia civitas*. Hanc Lysimachus, eversa Cardianorum urbe, in Isthmi Thracii Chersoneso condiderat. Pausanias libro primo. De ejus interitu Strab. libro decimo. De Lysimachi et Seleuci morte lege Pausaniam libro primo. Polybius libro secundo scribit hos interiisse circa olympiada 124. FABR.

66. *Formidolosissimo terræmotu*. Ed. Aug. *formidolosis terræmotibus*.

67. *Lysimachum autem*. Mss. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *Lysimacho autem a. s. p. c. omnes eum socii deseruerunt*.

68. *Angustos esse*, etc. Ita reposui ex mss. optimis et edd. vett., *et angustiores* vulg. Imitatur Juvenalem de Alexandro sat. 10, vers. 170:

Ac veluti Gyari scopulis parvaque Seripho
Æstuat, inclusus angusto limite mundi.

69. *Postremus*. Lugd. Batt. tres, et Coll. Gronov., *postremo*.

70. *Solutio pugnat*. Inepte quæsitus lepos ex significatione Græca nominis Lysimachi.

71. *Cujus sororem Lysimachus*. Ptolemæi soror, uxor Lysimachi, fuit *Lysandra*. Pausanias. FABR.

LIBER QUARTUS.

211 PRÆFATIO.

[1] Dixisse Æneam, Virgilius refert, cum [2] post pericula sua suorumque naufragia residuos ægre socios solaretur,

Forsan et hæc olim meminisse juvabit.

HAVERCAMPI NOTÆ.

PRÆFAT. — 1. *Dixisse Æneam*. Locus est apud Virgilium lib. 1 Æneid. vers 207. FABR.

2. *Post pericula sua*. Codd. tres ex Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. delent *sua*, mox autem pro *resi-*

[50]incidit in Autariatas: qui propter intolerandæ multitudinis ranas et mures, relicto patrio solo et antiquis habitaculis, emigrantes, novas sedes prætenta interim pace requirebant. Sed Cassander et virtutem, et multitudinem gentis agnoscens, ne adacti necessitate Macedoniam bello quaterent, atque invaderent, receptos in societatem, in ultimis Macedoniæ finibus collocat. Inde cum jam [51]Hercules Alexandri filius quatuordecim esset annorum, timens
207 [52]ne cum Macedones quasi legitimum regem præoptarent, occidendum tacite cum matre curavit. [53]Ptolemæus iterum cum Demetrio navali prælio conflixit; et cum omnem pene classem atque exercitum perdidisset, victus in Ægyptum refugit. Hac victoria elatus Antigonus, [54]regem se cum Demetrio filio appellari jubet: quod exemplum omnes secuti, regium nomen sibi dignitatemque sumpserunt. Igitur Ptolemæus et Cassander, cæterique alterius factionis duces, cum decipi se ab Antigono singillatim viderent, per epistolas se invicem confirmantes, coeundi in unum tempus locumque condicunt: et bellum adversus Antigonum communibus viribus instruunt. Cassander, finitimorum bellis implicitus, Lysimachum, clarissimum inter omnes ducem, cum ingenti manu pro se sociis in auxilium misit. Seleucus quoque ex Asia majore descendens, novus Antigono hostis accessit. Hic siquidem Seleucus plurima

A per Orientem inter socios regni Macedonici bella gessit. Principio Babyloniam bello expugnavit et cepit. Bactrianos novis motibus assurgentes perdomuit. Transitum deinde in Indiam fecit: quæ post mortem Alexandri, veluti detracto excussoque a cervicibus jugo, præfectos ejus occiderat, [55]Androcotto quodam ad vindicandam libertatem duce: qui postea crudeliter in cives agens, quos de externa dominatione defenderat, ipse servitio premebat. Cum hoc ergo Androcotto Seleucus quamvis multa
208 et gravia bella gessisset, novissime firmatis regni conditionibus, et pacta pace, discessit. Adunatis itaque copiis Ptolemæi sociorumque ejus, pugna committitur: cujus quanto potentior apparatus, tanto ruina gravior fuit. Nam in ea tunc totius pene B Macedonici regni vires conciderunt. In ipso bello Antigonus occisus est: sed finis belli hujus initium alterius fuit. Nam cum victoribus de præda non conveniret, iterum in duas factiones diducuntur. [56]Seleucus Demetrio, Ptolemæus Lysimacho jungitur. [57]Cassandro defuncto, filius Philippus succedit. Sic quasi ex integro nova Macedoniæ bella nascuntur, [58]Antipater Thessalonicen matrem suam, Cassandri uxorem, quamvis miserabiliter pro vita precantem, manu sua transverberavit. Alexander frater ejus, dum bellum adversus fratrem ob ultionem matris instruit, a Demetrio cujus auxilium petierat, circumventus oc-

HAVERCAMPI NOTÆ.

fuit: Diodorus lib. XIX, Pausanias I, Plutarchus in Demetrio. FABR.

50. *Incidit in Autariatas.* In Meo codice ut et Perizon., Ultr., Lugd. Batt. atque tribus Florentt. et C Coll. Gronov. legitur *Avienitas*, vel *Aviniatas*, *Abienatas*; *Avicinatas*. In ed. Aug., *Aveniatas*. Ex quibus patet reponendum esse *Autariatas* pro *Abderitas*, ut est in vulgatis; de quo dubitare nemo potest, cum similiter commemorentur a Justino lib. XV, cap. 2: *Dum hæc aguntur, Cassander, ab Apollonia rediens, incidit in Autariatas, qui propter ranarum murium que multitudinem, relicto patriæ solo, sedes quærebant.* Autariatarum bellicosa fuit natio, quæ postea quoque sub Lysimacho contra Demetrium militavit. Sed Abderitæ, ex mendosis olim Justini editionibus, unde jussi sunt ab editoribus migrare, in Orosio quoque Autariatarum locum occupavere. Itaque non deceptus fuit Orosius corruptis Justini codicibus, ut judicabat ad Justinum clariss. Græv ius, sed uterque a correctoribus importunis male habitus.

51. *Hercules Alexandri.* Hunc Polyperchon in regnum restituere parabat, sed a Cassandro magnis pollicitationibus adductus eum interfecit. Diodorus D libro XX, qui addit Herculem tum fuisse natum annos circiter 17. FABR.

52. *Ne eum Macedones.* Quia Macedoniæ regnum affectabat Cassander, non poterat securus esse, vivente filio Alexandri; itaque utrumque et Herculem et Alexandrum, hunc Alexandri ex Roxane, illum ex Barsine filium, e medio sustulit. Et Herculem quidem, pactione cum Polyperchonte inita, Polyperchon enim cum exercitu reducere in paternum regnum volebat Herculem: Cassander, verbis et muneribus Polyperchonta, cui et universa cessit Peloponneso, corrupit, ut juvenem qui in utriusque cresceret perniciem, neque beneficio parem gratiam Polyperchonti olim esset habiturus, interficeret. Ita Hercules in convivio apud Polyperchontem, jussu ejusdem fuit strangulatus. Defecissent vero, nisi sce-

lus id perpetratum fuisset, ad Herculem et Polyperchontem omnes Macedones. In nullis mss. autem quos consului, inveni *Macedones*, sed pro eo *omnes* scribunt cuncti, ut et edit. August. Errat vero Orosius cum reliquis dum Herculem, Barsines filium, et Alexandrum Roxanes confundit.

53. *Ptolemæus iterum cum Demetrio.* Hoc prælium navale quo Ptolemæus victus in Ægyptum refugit, ad Cyprum commissum fuit, et accurate a Diodoro lib. XX, Plutarcho in Demetrio, describitur. Meminit Pausan. lib. I de regio nomine, Diodorus et Plutarchus. FABR.

54. *Regem se.* Ed. Aug., *regem secum Demetrium filium*, etc.

55. *Sadrocotto.* Legitur etiam *Androcotto*, et apud Justinum, *Sandrocotto*. Sed Strabonis auctoritate lib. XV, nostra lectio confirmatur. Prælium hoc in quo Antigonus cecidit describit Plutarchus in Demetrio. Meminit Pausanias lib. I. Commissam pugnam fuisse ἐν ἰψῷ legimus in Arrian. lib. VII. FABR. — Fide cod. Longob. et meliorum reposui *Androcotto*.

56. *Seleucus Demetrio.* Duxit tum Seleucus uxorem *Stratonicen*, filiam Demetrii et Philæ, Plutarchus in Demetrio. FABR.

57. *Cassandro defuncto.* Cassander ex morbo aquæ intercutis, vivens etiamnum, erumpentibus undique vermibus, extabuit; Philippus filius ejus natu maximus, regno jam inito, tabidi corporis lue periit. Pausanias lib. IX. FABR. — Mox mss. quidam et edd. legunt *nova in Macedonia bella nascuntur.*

58. *Antipater Thessalonicen.* Cassander Macedoniæ rex tres filios moriens reliquit, *Philippum, Antipatrum et Alexandrum.* Horum Philippus initio regni periit, Antipater matrem Thessalonicen, Philippo Amyntæ filio et Nicasipolide genitam, ideo interfecit, quod ea Alexandro propensior esset. Alexander Pyrrhi et Demetrii auxilio implorato, ab hoc interemptus fuit. Plutarchus in Pyrrho et Demetrio, Pausanias libro nono, Justinus decimosexto. FABR.

menem [33] de insperato opprimat perurget : quod Eumenes futurum ratus, insidiantes insidiis capit. In eo bello [34] Polyperchon occiditur, Neoptolemus et Eumenes mutuis vulneribus confossi, sed Neoptolemus interiit, Eumenes victor evasit. Perdicca cum Ptolemæo acerbissimo bello congressus, amissis copiis, ipse quoque interfectus est. [35] Eumenes, Pithon, et Illyrius, et Alceta frater Perdiccæ, a Macedonibus hostes pronuntiantur, bellumque adversum eos [36] Antigono decernitur. Itaque Eumenes et Antigonus collatis adversum se maximis copiis conflixerunt. Eumenes victus [37] in quoddam castellum munitissimum fugit, unde auxilia Antipatri tunc potentissimi per legatos poposcit : quo nuntio territus Antigonus, ab obsidione discessit. Sed nec sic Eumeni **205** spes firma aut salus certa. Quare ultimo consilio [38] Argyraspidas, ob arma deargentata sic dictos, hoc est, milites, qui sub Alexandro militaverant, in auxilium rogat. Qui fastidiose ducem in disponendo bello audientes ab Antigono victi, castrisque privati, et uxores et liberos, simulque omnia quæ sub Alexandro acquisiverant, perdiderunt. Qui postea turpiter per legatos reddi sibi quæ perdiderant, victorem rogant. Antigonus autem [39] redditurum se pollicetur, si sibi vinctum Eumenem pertraherent. Ita illi spe recuperationis illecti, dedecorosissima proditione ducem suum, cujus signa paulo ante secuti fuerant, captivi ipsi captum catenatumque duxerunt, et mox cum fœdissima ignominia in exercitu Antigoni dispersi sunt. Interea Eurydice, [40] Arridæi regis Macedonum uxor, multa sub nomine viri [41] nefaria egit per Cassandrum, quem, flagitiose cognitum, ad summum fastigium per omnes honorum gradus provexerat, qui ex libidine mulieris multas Græciæ civitates afflixit. Tunc Olympias, mater Alexandri regis, hortante Polyperchonte, cum ab Epiro in Macedoniam, prosequente [42] Æacida rege Molossorum, veniret, et ab Eurydice finibus prohiberetur, adnitentibus Macedonibus, Arridæum regem et Eurydicen jussit occidi : quamquam et ipsa Olympias continuo meritas crudelitatis pœnas luit. Nam cum muliebri audacia multas principum cædes ageret, audito adventu Cassandri, diffisa Macedonibus, cum [43] Rhoxane nuru sua et nepote Hercule, [44] in urbem Pydnam concedit : [45] ubi continuo **206** per Cassandrum capta [46] et interfecta est. Filius Alexandri Magni cum matre in arcem Amphipolitanam custodiendus est missus. Perdicca, Alceta et Polyperchonte, cæterisque ducibus, quos commemorare longum est, [47] diversæ partis occisis, finita bella inter successores Alexandri videbantur. Tum Antigonus ardens cupiditate dominandi, [48] liberandum bello Herculem regis filium ab obsidione simulat. His cognitis, Ptolemæus et Cassander, inita cum Lysimacho et Seleuco societate, bellum terra marique enixe instruunt. Antigonus in eo bello [49] cum filio Demetrio vincitur. Cassander Ptolemæo in victoria particeps factus, cum Apolloniam rediret,

HAVERCAMPI NOTÆ.

33. *De insperato*. Flor. tert. et Meus, *ex insperato*.

34. *Polyperchon occiditur*. De *Polyperchonte* in hoc prælio occiso alii, excepto Justino, nihil quidquam. Diodorus et Plutarchus Craterum ducem a Perdiccæ partibus in hoc prælio cecidisse, memoriæ prodiderunt, quos de congressu Eumenis cum Neoptolemo, ac mutuis vulneribus lege. FABR. — In morte Polyperchontis errat Justinus, vixit enim satis diu post hæc tempora, ut docuimus in Historia seu Vita Antigoni et in Vita Cassandri, videturque eodem fere tempore senio fuisse exstinctus, quo Cassander aqua intercute periit. Quæ vero toto hoc capite recensentur, uberius exposuimus in extremo tomi I et toto tomo II Historiæ Universalis.

35. *Eumenes, Pithon*, etc. Hi quatuor ita nominantur a Justino : Plutarchus *Eumenis* tantum meminit : Diodorus scribit Eumenem cum quinquaginta viris illustribus, in quibus *Alcetas* frater Perdiccæ erat, a Macedonibus capitis condemnatum. FABR.

36. *Antigono decernitur. Ab Antigono*, mendose est in impressis. Diodor., Ἀντιγόνῳ προστεταγμένον ἦν καταπολεμῆσαι Εὐμένην τε καὶ Ἀλκέταν. FABR.

37. *In quoddam castellum*. Plutarch. in Eumene καταφυγὼν εἰς Νῶρα χωρίον ἐν μεθορίῳ Λυκαονίας καὶ Καππαδοκίας. *Confugiens in castellum, quod in finibus Lycaoniæ et Cappadociæ positum, Nora appellabatur*. De eodem castello Diodor. FABR.

38. *Argyraspidas*. De his, et proditione eorum Diod. et Plutarch. FABR.

39. *Redditurum se pollicetur*. Cod. Longob., Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gron., denique Perizon. et Meus codex illud *se* delere jubent.

40. *Arridæi regis*. Arridæus filius fuit Philippi patris Alexandri Magni : quo mortuo, rex a Macedonibus creatus Philippi nomen tulit, Diodor. initio lib. XVIII. Regnavit annos sex, menses quatuor, eodem auctore lib. XIX. FABR.

41. *Nefaria egit*. Meus, Perizon. Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov. et ed. Aug., *nefaria* vel *nefarie gerit*.

42. *Æacida rege*. Hic Pyrrhi Epirotarum regis, de quo paulo post, et libro sequente, pater fuit. FABR.

43. *Roxane nuru*. Roxane, Oxyartis Bactriani filia, inter Alexandri uxores fuit. Lege Arrianum lib. VII. FABR.

44. *In urbem Pydnam*. In impressis Justini libris mendose *Pictuam* legitur, cum in manuscripto bene sit, *Pydnam*. Diodorus de Olympiade, Αὐτὴ δὲ παρῆλθεν εἰς Πύδναν, ἔχουσα τὸν υἱὸν τοῦ Ἀλεξάνδρου, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ Ῥωξάνην. Non ergo Alexandri Magni filium Herculem ex Barsine susceptum, sed Alexandrum Roxanes filium Olympias secum Pydnam duxit. Vide Diodor. lib. XIX. FABR. — Aliquanto post Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gron. et ed. Aug., *obnixe instruunt*, pro *enixe instruunt*.

45. *Ubi continuo*. Sic omnes mss. ut et ed. Aug. ; vulgati, *ibique continuo*.

46. *Et interfecta est*. Copulam *et*, quam omnes agnoscunt mss., male ejiciunt vulgati.

47. *Diversis artibus*. Ita huic loco medicinam feci : ex Colon. libro in quo erat, *diversis partibus*, recte opinor : quia alii clam alii palam. Vulgo, *diversæ partis* editur. *Iterum societate pacta*. Editi omnes, *facta*, de quo illi viderint. LAUT. — *Diversæ partis* hic significat idem quod, ab utraque parte.

48. *Liberandum bello Herculem*. Justinus lib. XV : *Divulgat se velle Alexandri regis sui filium cum matre obsidione Amphipolitana liberare*. Non ergo Barsines, sed Roxanes filius hic quoque intelligendus ; quem Alexandrum fuisse nominatum Diodorus libro decimo nono, Pausanias libro I et IX scribunt. FABR.

49. *Cum filio Demetrio vincitur*. Solus Demetrius, Antigono in Hellespontum profecto, cum Ptolemæo apud Gazam oppidum manus conseruit, victusque

Hæc sententia semel apte ficta, semper vim sui triplicem [3] diversissimis effectibus refert, cum et præterita tanto gratiora habentur in verbis, quanto graviora referuntur in gestis : et futura, dum desiderabilia fastidio præsentium fiunt, semper meliora creduntur : ipsis autem præsentibus **212** ob hoc nulla in parte miseriarum justa comparatio adhiberi potest, quia multo majore molestia afficiunt, quantulacumque sint, ista quæ sunt, quam illa, quæ sive transacta sive ventura, etsi magna dicuntur, interim [4] omnino tunc non sunt : veluti si quis nocturnis pulicibus titillatus, atque ex eo vigiliis anxius, alias forte, quas aliquando ex ardentissimis febribus diu sustinuit, vigilias recordetur, procul dubio impatientius [5] feret istarum inquietudinem, quam illarum recordationem. Sed quamvis apud omnium sensus pro captu temporum ita videri queat, numquid tamen aliquis existet, qui vel in ipsa anxietate pronuntiet, graviores pulices esse quam febres? aut acerbius accipiat, se vigilare sanum, quam dormire non potuisse moriturum? Quæ cum ita sint, delicatis istis et querulis nostris utcumque concedo, ut hæc, quibus nunc, quia sic expedit, interdum [6] admonemur, sentiendo gravia putent. [7] Non tamen conniveo ut etiam asserant comparando graviora. Quemadmodum si quis e mollissimis stratis cubiculoque percommodo matutinus egrediens nocturno gelu [8] lacunarum dorsa obriguisse herbasque incanuisse **213** prospiceret, et inopinato visu admonitus diceret, frigus est hodie ; hic mihi nequaquam reprehendendus videretur, quia [9] vel communi usu, vel proprio sensu locutus esset. At si trepidus in cubiculum recurrens, stratisque [10] sese adoperiens, vel magis abdens, clamaret tantum omnino frigus esse, quantum nec in Apennino aliquando fuerit, [11] cum Annibal elephantos, equos, plurimamque exercitus sui partem, nivibus clausus atque oppressus amisit ; hunc ego puerilibus licentiis nauseantem, non modo dicentem ista non ferrem, sed etiam ab ipsis stratis, otii sui testibus, in populum publicumque protraherem : eique foras producto infantes in eo atque ex eo gelu ludentes, [12] jucundantes, sudantesque monstrarem ; ut verbosa nugacitas delicatis vitiata nutrimentis non in tempore violentiam, sed in se esse [13] segnitiam doceretur : et in comparatione rerum dijudicanda, non majores parva tolerasse, sed se nec parva tolerare [14] sufficere, probaretur. Quod evidentius ipsis in memoriam revolutis præteritorum cladibus, approbabo Pyrrhi bello in primis, sicut ordo est, prodito : cujus causa et origo hæc fuit.

HAVERCAMPI NOTÆ.

duos scribunt *suos*, dein *consolaretur* pro *solaretur* primus ex iisdem.

3. *Diversissimis effectibus*. Sic restitui ex omnibus mss. atque edd. ante Fabricium, neque video cur ille de suo maluerit edere *diversissimis affectibus*. Nam diversi affectus sunt dolor et gaudium atque similia ; sed diversi effectus sunt, quos sentimus audiendo vel videndo, sperando vel sentiendo, quæ longe diversum habent in homine effectum, licet multum magnitudine sua discrepent, sic ut malum præsens, licet exiguum, eum in nobis sortiatur effectum, ut gravius feramus id ipsum, quia præsens est, quam graviora alia mala, quia præterierint vel longe abesse videantur. Pro *apte ficta*, meus codex scribit *apte dicta*.

4. *Omnino tunc non sunt*. Distinctione apta locum adjuvi, qui antea erat obscurior. In meo cod. et edd. Venett. abest *tunc* pro quo *tamen* reponunt Lugd. Batt. duo cum Coll. Gronov.

5. *Feret*. Florentt. tres cum ed. Aug., *ferret*.

6. *Admonemur*. Ita mss. et edd. meliores Bols. et Hittorp. *movemur*.

7. *Non tamen conniveo*. Sic omnino est reponendum, et ita scriptum inveni in Lugd. Bat. primo, atque Edd. pr. Paris. Venetis, Bols. et Hittorp. Verum Aug. Fabricianæ et ultima Scotti, reposuerunt *cohibeo*. Et sane id verbum in omnibus, Lugd. Batt. pr. excepto, inveni mss. ; sed affirmare ausim, neque ab auctore esse profectum, et plane repugnare ejus sententiæ. Immo, cum videam in vetustissimo omnium, quotquot sunt, Orosii codd. Flor. pr. sive Longobardico, scribi *conhibeõ*, nullus dubito, quin pro *conniveo*, ut oportuit, inde in aliis factum fuerit *cohibeo*.

8. *Lacunarum dorsa*. In Vulgatis ea est lectio, qua ineptior in Orosio vix reperiri potest, videlicet *lacunarium dorsa*, cum tamen omnes mss. cum præstantissima illa ed. August. exhibeant *lacunarum*. Et quæ quæso sunt *lacunarium dorsa*, aut quomodo aliquis, stratis exsiliens, et cubiculo egrediens, lacunaria spectare in viis aut plateis potest? At *lacunarum dorsa*, quæ nocturno obriguisse gelu, sicuti herbas incanuisse videt, sunt summitates aquæ stagnantis vel pluviæ, quæ in foveis vel in depressioribus terræ partibus observari solet. Virgil. 1 Georg. 24 :

> Præsertim incertis si mensibus amnis abundans
> Exit, et obducto late tenet omnia limo :
> Unde cavæ tepido sudant humore lacunæ.

Dum vero *dorsa lacunarum* dicit, Virgilium, non tamen satis apte, imitatur. Nam is *dorsum maris* quidem dixit, sed phrasi poetica, neque de summa aqua maris, sed de brevibus, et congestis compactisque iniquo loco inter fluctus arenis, quibus si inhærcant puppes, ægre, nisi crescant fluctus, avelli possunt. Virgilii loca sunt Æneid. 1, 114 :

> Dorsum immane mari summo.

et Æneid. x, 303,

> Namque inflicta vadis, dorso dum pendet iniquo.

9. *Vel communi usu*. Cod. Longob., *vel communius*. Sic quoque legit Coll. Gronov. sed dein repetit *vel communi usu* post *proprio sensu*.

10. *Sese adoperiens*. Lugd. Batt. pr., quart., cum Coll. Gronov., *se adponens*.

11. *Cum Annibal elephantos*. De transitu Annibalis in Italiam, et detrimento accepto dicetur infra cap. 14. FABR.

12. *Jucundantes, sudantesque*. *Jucundantesque* tantum exhibent tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. et in omnibus mss. scribitur *jocundantes*. At in Meo *ictum dantes*, quasi pilas ex nive compactas, earumque jactum vel ictum innueret Auctor.

13. *Segnitiam*. Ita plures mss. cum cod. Longob. efferunt pro *segnitiem*.

14. *Sufficere, probaretur*. Edd. prima et Paris. atque Venetæ, *sufficienter probarent*. Et quoniam supra pro *doceretur : et in comparatione*, etc., Florent. sec. scribit. *docere, cum et in comp.*, videntur illi codd. innuere quasi *doceret*, et dein *sufficienter probaret*, foret legendum ; sed ego vulgatam non muto.

214 CAPUT I.

De bello Tarentinorum, quibus Pyrrhus Epirota auxilio fuit adversus Romanos.

[1] Anno ab Urbe condita CCCCLXIV Tarentini Romanam classem forte prætereuntem, [2] spectaculo theatri prospectam hostiliter invaserunt, quinque tantum navibus vix per fugam elapsis : cætera [3] retracta in portum classis, et profligata est ; præfecti navium trucidati, omnes bello utiles cæsi, reliqui pretio venditi sunt. Continuo missi Tarentum a Romanis legati, ut de illatis quererentur injuriis, [4] pulsati ab iisdem, auctas insuper injurias retulerunt. His causis bellum ingens exortum est. Romanos, qui quantique hostes circumstreperent permetientes, ultima adegit necessitas, [5] proletarios quoque in arma cogere, hoc est, eos qui in Urbe semper sufficiendæ B prolis causa vacabant, militiæ ascribere : quippe cum frustra de prole [6] cura sit, nisi rebus præsentibus consulatur. Itaque irruit in universos Tarentinorum **215** fines [7] cum Æmilio consule Romanus exercitus, igni ferroque vastat omnia, plurima expugnat A oppida, injuriam insolenter acceptam crudeliter vindicat. Continuo Tarentinos, [8] plurimis finitimorum præsidiis fultos, maxime Pyrrhus auxit, qui etiam in se, ob magnitudinem virium consiliorumque, summam belli nomenque traduxit : [9] nam Tarentum, utpote ex Lacedæmoniis conditam cognatamque Græciæ civitatem, vindicaturus, totas vires Epiri, Thessaliæ et Macedoniæ, [10] elephantos etiam, usque in id tempus invisos Romanis, numero 20 in Italiam primus invexit : terra, mari, viris, equis, armis, belluis ad postremum viribus suis dolisque terribilis : nisi quod Delphici illius vanissimi spiritus, et mendacissimi nebulonis, quem magnum ipsi vatem ferunt, [11] responso circumventus ambiguo, [12] exitum fecit ejus, qui non consuluisset. Itaque [13] apud Heracleam Campaniæ urbem, [14] fluviumque Sirim, prima inter Pyrrhum regem et [15] Lævinum consulem pugna commissa **216** est. Consumptus est gravissimo certamine dies, utrimque omnibus mori intentis, fugere nesciis. Introductos autem inter concurrentia agmina elephantos, forma truces,

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. I. — 1. *Anno ab Urbe condita* CCCCLXIV. LXIV est in omnibus manuscriptis, non LIV, ut vulgo legitur. Sed Orosius suo more hic quoque pauciores, quam cæteri, annos numerat. Gellius libr. XVII, cap. ult., *Post annum Urbis conditæ* CCCC *fere et* LXX *bellum cum rege Pyrrho sumptum est.* Bellum Tarentinum et cum Pyrrho rege nonnulli ad annum LXXII ut in Fastis Annalium Steph. Pighii : alii ad LXXIII supra quadringentesimum referunt. FABR. — In mss. tribus Florentt. legitur CCCCmo LX *quarto.* Sed Meus cum Lugd. Bat. tert., Coll. Gronov. et ed. Aug. decem addentes, scribunt CCCCLXXIV.

2. *Spectaculo theatri.* Theatrum hoc portui Tarentino ad prospectum maris imminebat, ubi dum ludos celebrant, adremigantesque littori Romanas classes vident, hostes rati, emicant, et sine discrimine insultant. Florus libro primo capite 18. FABR. — Edd. vett. quibuscum codex meus consentit, malunt *e spectaculo.*

3. *Retracta.* Meus, *protracta.*

4. *Pulsati ab iisdem.* Legatos Romanos pulsatos fuisse a Tarentinis, scribit etiam Livius libr. XII. Valerius libro XII capite 2 ait, *præter gravissimas injurias acceptas unum etiam urina respersum fuisse.* FABR.

5. *Proletarios.* De *Proletariis* lege elegantissimum cap. 10 libro XVI Auli Gellii. FABR.

6. *Cura sit.* Omnes mss. scribunt *cura est.*

7. *Cum Æmilio consule.* Si *Æmilius* injuriarum actionem a prætore postulasset contra eos, qui ante nos hunc auctorem ediderunt, nemo negaret ; cum præsertim illos reos peragere non modo Annalium D memoria, verum etiam vetustorum librorum omnium testimonio posset, ac convincere, se hanc rem contra Tarentinos gessisse, non *Lævinum*, cui illi eam tribuerunt, quasi solus Lævinus rem cum Tarentinis sociisque eorum gesserit. At in Liviana Epitoma libro duodecimo legimus ante Lævinum adversus eos aliquot prœliis a compluribus ducibus bene pugnatum esse. In his ergo fuit L. Æmilius Barbula, consul cum Q. Marcio Philippo anno Urbis CDLXXII, isque re bene gesta proximo anno post consulatum triumphavit, qua de re in Capitolinis Triumphis ita est : L. ÆMILIUS Q. F. Q. N. BARBULA. AN. CDLXXIII. PROCOS. DE TARENTINEIS. SAMNITIBUS. ET SALENTINEIS. VI. IDUS. QUINT. *Fabr.*

8. *Plurimis finitimorum*, etc. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *plurimo finitimorum præsidio.* Pro *fultos* deinde *fultus* Florent. pr.

9. *Nam Tarentum, utpote ex Laced.* De Tarentinorum origine et opibus Strabo libro VI. FABR.

10. *Elephantos etiam.* Lege Plinium libro VIII, capite 6, Solinum capite 38. FABR. — Numerus elephantorum *viginti quinque* in ed. August. reperitur.

11. *Responso circumventus.* Responsum intelligit, quod Ennius hoc versu comprehendit,

Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.

C Cicer. libro II de Divinat. Arnobius libro ultimo, *De Pyrrho Ennius Apollinis Pythii responsa confinxit, cum jam Apollo versus facere desisset.* FABR.

12. *Exitum fecit ejus, qui non consuluisset.* Sic est in omnibus antiquis, hoc sensu : Pyrrhus deceptus oraculo Apollinis eo fato periit, quo etiam si oraculum non consuluisset, periturus erat. FABR. — Inepte antea in edd. vett. omnibus, una August. illaque optima, excepta, legebatur, *qualem putabat illum consuluisse.*

13. *Apud Heracleam.* De loco hujus pugnæ idem scribit Florus libro I, capite 18, et Plutarchus de Pyrrho in ejus Vita, κατεστρατοπέδευσεν ἐν τῷ μεταξὺ πεδίῳ Πανδοσίας πόλεως καὶ Ἡρακλείας, id est, *castra posuit in campo qui est inter Pandosiam urbem et Heracleam.* FABR.

14. *Fluviumque Sirim. Lyrim*, vulgo hic et in Floro mendose legitur : est enim Σίρις fluvius apud Plutarchum et Strabonem libro VI et Stephanum de D Urbibus. Plin. libro III capite 11, *Est inter Sirin et Acirin Heraclea.* FABR.

15. *Lævinum consulem.* P. Valerius Lævinus consul cum Ti. Coruncanio fuit anno CDLXXIII. In Plutarchi libris prima syllaba nominis *Lævini* est depravata : legitur enim Ἀλβῖνος pro Λαιβῖνος. Sic in postrema quoque editione Basiliensi est, προϊππευσε τῷ ποταμῷ pro προσϊππευσε. Hoc quoque quasi præteriens monebo, Ferentanæ turmæ præfectum, qui in Plutarchi libris Ὄπλακος nominatur, in meo Floro manuscripto *Obsidium* dici, quod nomen in impressis libris desideratur. FABR. — Mss. omnes, pro *consumptus est*, scribunt *consumpta est.* Aliquanto post in ms. Lugd. Bat. pr. verba *manum belluæ* præcedit hæc glossa, *qua ministrat sibi cibum, et more manus hominis pro se prœliatur.*

[6] Rheginenses omnes, quibus subsidio præerat, interfecit : prædam sibi omnem atque ipsum oppidum vindicavit. Hoc facinus in tam sceleratos defectores puniendum Genucio consuli jussum est : qui, obsessa Rheginorum urbe, [7] captisque omnibus, ipse quidem **221** in reliquos perfugas et latrones exercuit digna supplicia : Romanos vero milites integræ legionis Romam misit ; qui populi jussu medio in foro virgis [8] cæsi, securique percussi sunt. Visa sibi est tunc Roma vincere, cum [9] legionem suam integram occidit, quæ sine dubio victa fuisset, si eam hostili prælio perdidisset.

CAPUT IV.

De horrendis quibusdam prodigiis et de bello Picenti.

[1] Anno ab Urbe condita CCCCLXXVII obscœna et dira prodigia vel visa Romæ vel nuntiata sunt. Ædes Salutis ictu fulminis dissoluta, pars muri sub eodem loco de cœlo, ut dicunt, tacta est. Lupi tres, ante lucem ingressi urbem, semesum cadaver intulerunt, sparsumque membratim in foro, ipsi, strepitu hominum exterriti, [2] reliquerunt. Apud Formias multis ictibus fulminum mœnia undique ambusta et dissoluta sunt. Apud agrum Calenum [3] repente flamma, scisso terræ hiatu [4] eructata, tribus diebus tribusque noctibus terribiliter exæstuans, quinque agri jugera, exhausto penitus succo ubertatis, in cinerem extoruit, [5] ita ut non fruges solum, sed et arbores cum imis stirpibus absumpsisse referatur. **222** [6] Sequenti abhinc anno Sempronius consul adversus Picentes duxit exercitum. [7] Et cum directa intra jactum teli utraque acies constitisset, repente ita [8] cum horrendo fragore terra tremuit, ut stupore miraculi utrumque pavefactum agmen hebesceret. Diu attoniti utrimque populi [9] hæsitavere, præjudicata incepti conscientia. Tandem procursu concito iniere certamen. Triste adeo id bellum fuit, ut merito dicatur tantum humanum sanguinem susceptura etiam cum gemitu horrisono tunc terra tremuisse. Romani pauci admodum, [10] eo prælio qui evasere, vicerunt.

CAPUT V.

Rursum prodigia visa. Vulsiniensium libertini conspirant adversus dominos, quibus Romani subvenerunt. Roma iterum peste corripitur.

Anno ab Urbe condita CCCCLXXX [1] inter multa prodigia, sanguis e terra, lac visum est manare de cœlo. Nam et plurimis locis scaturiens e fontibus cruor fluxit, et de nubibus guttatim in speciem pluviæ lacte demisso, diri, ut ipsis visum est, terram imbres irrigaverunt. Eo tempore Carthaginienses, dato adversum Romanos auxilio Tarentinis, cum a senatu per legatos arguerentur, turpissimam rupti fœderis labem præsumpto accumulavere perjurio. [2] Tunc etiam Vulsinienses, **223** Etruscorum florentissimi, [3] luxuria pene perierunt. Nam cum licentia in consuetudinem [4] prorogata, servos suos passim liberos facerent, conviviis [5] adlegerent, conjugiis honestarent, libertini in partem potestatis recepti, plenitudinem per scelus

HAVERCAMPI NOTÆ.

vibus partim ejectis, partim interfectis, urbem occuparant. FABR.

6. *Rheginenses.* Hæc est constans mss. meliorum omnium lectio.

7. *Captisque omnibus, ipse quidem.* Polybius : Κρατήσαντες δὲ τοὺς μὲν πλείστους ἐν αὐτῇ τῇ καταλήψει διέφθειραν, ἐκθύμως ἀμυνομένους διὰ τὸ προορᾶσθαι τὸ μέλλον, ζωγρείᾳ δ' ἐκυρίευσαν πλειόνων ἢ τριακοσίων, ὧν ἀναπεμφθέντων εἰς τὴν Ῥώμην οἱ στρατηγοὶ προαγαγόντες εἰς τὴν ἀγορὰν, καὶ μαστιγώσαντες ἅπαντας κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος ἐπελέκισαν; id est : *Victoria potiti, maximam eorum partem, cum proviso periculo acriter resisterent, in expugnatione oppidi oppresserunt, et trecentos amplius vivos captos Romam remiserunt, quos prætores in forum productos, virgisque cæsos ad unum omnes more patrio securi percusserunt.* FABR.

8. *Cæsi s. q. p. sunt.* Omnes mss., nullo excepto, astipulante ed. August. *sunt* hoc in loco collocant, vulgati post *percussi*.

9. *Legionem.* In Fabricianis, vera lectione in margine posita, textus *legationem* exhibet. Idque sequitur editio Scotti, putidè sanè, etiamsi non contra mss. et edd. vett. ipsumque adeo esset Orosium, qui supra, hoc capite, legionem hanc fuisse octavam refert.

CAP. IV. — 1. *Anno ab Urbe condita* CDLXXVII. Hic annus proximus ante Sempronium Sophum consulem alius est ab Urbe condita CDLXXXIV. FABR. — In Flor. pr. scribitur CCCC^mo ut et in Meo atque Perizon.; in Lugd. Bat. quarto CCCCLXXX.

2. *Reliquerunt.* In Meo, *discesserunt*.

3. *Repente.* Florent. pr., *undique repente*.

4. *Eructata.* Lugd. Batt. pr. et tert., *eructa est*.

5. *Ita ut.* Prior vox a cod. meo abest.

6. *Sequenti abhinc anno.* P. Sempronius Sophus consul cum App. Claudio Crasso fuit anno CDLXXXV, et uterque de Picentibus triumphavit. FABR.

7. *Et cum directa.* Ed. Aug., *et cum jam directa*.

8. *Cum horrendo fragore terra tremuit.* Hujus terræmotus sicut et belli Picentis meminit Florus libr. I, cap. 19. Quomodo Sempronius milites terræmotu perterritos confirmaverit, scribit Frontinus libr. I. FAB.

9. *Hæsitavere.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. *æstuavere*; et aliquanto post *hominum* pro *humanum*; dein cum edd. quibusdam vett. Lugd. Bat. sec. *susceperam* et *terram*, pro *susceptura* atque *terra*. Vulgo male distinctum fuit, *hæsitavere. Præjudicata incepti conscientia, tandem*, etc.

10. *Eo prælio.* Perizon. *e prælio*.

CAP. V. — 1. *Inter multa prodigia.* Horum prodigiorum mentionem Diaconus in suis additionibus ad Eutropium fecit. FABR.

2. *Tunc etiam Vulsinienses.* De hac re Florus libr. I, cap. 21 : *Postremi Italicorum in fide mansere Vulsinii, opulentissimi Etruscorum, implorantes opem adversus servos quondam suos, qui libertatem a dominis datam in ipsos erexerant, translataque in se republica dominabantur.* Sed hi quoque duce Fabio Gurgite pœnas dederunt. In Capitolinis Triumphis legimus, M. Valerium Flaccum coss. de Vulsiniensibus triumphasse anno CDLXXXIX initio belli Punici primi. FABR.

3. *Luxuria pene perierunt.* Flor. pr., *luxurie pene perierunt*, quod probant Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. At Meus, *luxuria perierunt*. Lugd. Batt. autem sec. et quart. ut et Ultr. cum alio, qui citatur in Notis ad Aur. Victorem p. 169, *luxuriæ pœna perierunt*. Contra quam lectionem eventus stat, restituti enim a Romanis fuerunt. Quare simpliciter quoque scripsit Aur. Victor de Viris Illustribus cap. 36, *Volsiniæ, Etruriæ nobile oppidum, luxuria pene perierunt*.

4. *Prorogata.* Lugd. Bat. quart., *propagata*.

5. *Adlegerent.* Sic scribitur hoc verbum in mss. Vulgati male, *allegarent*.

CAPUT II.

Romani horrenda peste corripiuntur. Cum Pyrrho tertium bellum geritur, fugatur et interit.

[1] Sed Romanorum miseria nullis cessat induciis. Consumitur [2] morborum malis intercapedo bellorum: et cum foris cessatur a prælio, agitur introrsum ira de cœlo. [3] Nam Fabio Gurgite iterum, C. Genucio Clepsina consulibus, pestilentia gravis Urbem ac fines ejus invasit, quæ cum omnes, tum præcipue mulieres pecudesque corripiens, necatis in utero fetibus, futura prole vacuabat, et immaturis partubus cum periculo matrum extorti abortus projiciebantur: adeo ut defectura successio, et [4] defuturum animantium genus, adempto vitalis partus **219** legitimo ordine crederetur. Interea [5] reversum ex Sicilia Pyrrhum Curius consul excepit; tertiumque id bellum contra Epirotas, [6] apud Lucaniam in Arusinis campis gestum est. Itaque primo concursu, cum Pyrrhi milites Romanorum [7] impressione trepidarent, et circumspectantes fugam bello cedere molirentur, Pyrrhus elephantos ex subsidiis jussit induci. Romani assueti jam pugnare cum belluis, cum malleolos stupa involutos, ac pice oblitos, uncis insuper aculeis tenaces præparavissent, eosque flammatos in terga bellnarum turresque vibrarent, non difficile furentes ardentesque belluas in A eorum excidia, [8] quorum subsidia fuerant, retorserunt. Octoginta millia peditum in illo prælio habuisse regem dicunt, equitum vero sex millia. Ex his [9] cæsa referuntur triginta tria millia, capti autem sunt mille trecenti. [10] Pyrrhus quinto demum anno, quam venerat, ab Italia victus aufugit, qui post multa gravissimaque bella, quæ gessit, in Græcia apud Argos Achaiæ florentissimam urbem, Spartani regni aviditate seductus, [11] saxo ictus occubuit. Tunc quoque apud Romanos [12] Sextilia, virgo Vestalis, convicta damnataque incesti, ad portam Collinam viva defossa est.

220 CAPUT III.

Romani Tarentinos cum auxiliis Carthaginiensium vincunt, et in octavam legionem animadvertunt.

[1] Anno ab Urbe condita CCCCLXXV, Tarentini, Pyrrhi morte comperta, iterum nova adversum Romanos arma sollicitant, [2] Carthaginiensium auxilia per legatos poscunt, atque accipiunt. Conserto prælio, vicere Romani: ubi jam tunc Carthaginienses, quamvis nondum hostes adjudicati, vinci tamen a Romanis se posse senserunt. [3] Sequenti anno magnam viscerum suorum partem severitas Romana concidit. Nam, [4] adventante dudum Pyrrho, octava legio, diffidens Romanæ spei, [5] novum scelus ausa,

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. II. — 1. *Sed Romanorum.* Edd. vett., *Sed et Romanorum.*

2. *Morborum malis.* Florent. tert., *morborum mole.*

3. *Nam Fabio Gurgite.* Q. Fabius Maximus Gurges et C. Genucius Clepsina consules ex Capitolinis Tabulis fuerunt anno Urbis CDLXXVII. De hujus anni pestilentia Augustinus de Civitate Dei lib. III, cap. 17. FABR.

4. *Defuturum.* Mens, *defecturum.*

5. *Reversum ex Sicilia Pyrrhum.* M. Curio Dentato, L. Cornelio Lentulo coss., Pyrrhus a Tarentinis et Samnitibus in Italiam revocatus rediit. Curius consul contra eum missus exercitum ejus cecidit, ipsumque Italia expulit. Plutarchus in Pyrrho, Livius libr. XIV, Justinus XXIII, Eutropius II. FABR.

6. *Apud Lucaniam in Arusinis campis.* Supremam pugnam cum Pyrrho commissam fuisse *in Arusinis campis Lucaniæ* scribit etiam Florus. Frontinus quoque libr. IV, exponens rationem aciei instructæ a Pyrrho, eum victum in campis Arusinis ad Beneventum ait. FABR.

7. *Impressione.* Male in Fabricianis edd. et vulgatis plerisque legitur *impressionem*, contra edd. vetustiores, et codd. mss. antiquiores, facta enim impressione a Romanis trepidabant milites Pyrrhi, non propter impressionem futuram. Quæ sequuntur itidem ex mss. et vett. edd. reposui. In vulgg. legitur *circumspectantesque fugam.*

8. *Quorum subsidia.* Ed. August., *ad quorum subsidia.*

9. *Cæsa referuntur triginta tria millia.* Eutropius, *Ea die cæsa hostium viginti tria millia.* FABR. — Numerus in ed. Augustan. sic definitur, *triginta millia, capti trecenti.* Captorum numerus idem est in Coll. Gronov.

10. *Pyrrhus quinto demum anno.* Plutarchus, Οὕτω μὲν ἐξέπεσε τῶν Ἰταλικῶν καὶ Σικελικῶν ἐλπίδων ὁ Πύρρος, ἐξαετῆ χρόνον ἀναλώσας περὶ τοὺς ἐκεῖ πολέμους, id est, *Ita Pyrrhus spe Italiæ et Siciliæ dejectus est, cum sex annos in bellis ibi gestis consumpsisset* FABR.

11. *Saxo ictus occubuit.* Pyrrhum ictu tegulæ prostratum scribit Auctor de Viris Illustribus: Plutarchus etiam κεραμίδα nominat, quam Argiva mulier de tecto in illius caput dejecit. FABR. — Pro *occubuit* vett. quædam edd. legunt *interiit.* De interitu Pyrrhi fusius egimus in Vitæ ejusdem extremo.

12. *Tunc quoque Sextilia. Sextiliam* incesti damnatam fuisse post societatem cum Ptolemæo Ægypti rege initam, cognoscitur ex Epitoma Liviana XIV. Hæc autem societas, auctore Eutropio, facta fuit C. Fabricio Luscino, C. Claudio Canina coss., qui fuit annus Urbis CDLXXX secundum Fastos Capitolinos, quos sequimur. FABR. — In Lugd. Bat. tertio legitur *Vestilia.*

CAP. III. — 1. *Anno ab U. c.* CDLXXV. Aliis hic annus est post U. c. CDLXXXI, quo L. Papirius Cursor, et Sp. Carvilius Maximus iterum consules, adversus Samnites, Bruttiosque et Lucanos cum Tarentino populo declarati fuerunt, ut ait Livius libro XXIV, hique bellum Tarentinum et Samniticum confecerunt, ac de Tarentinis, Samnitibus, Lucanis et Brutiis triumpharunt, ut ex Tabulis Capitolinis cognoscitur. FABR.

2. *Carthaginiensium auxilia.* Hinc recte Carolus Sigonius, acerrimi ingenii summæque doctrinæ vir, in Liviana Epitoma lib. XIV emendavit, *Carthaginiensium classis auxilio Tarentinis venit, quo facto ab iis fœdus violatum est;* cum antea, *Mamertinis*, pro *Tarentinis*, mendose legeretur. FABR.

3. *Sequenti anno.* Qui fuit ab U. c. CDLXXXII et L. Genucium Clepsinam ac C. Quinctium consules habuit. FABR.

4. *Adventante dudum Pyrrho.* Nempe ante annos novem. Tum enim legio Campana in præsidium Rheginorum cum præfecto D. Jubellio missa, occisis Rheginis, Rhegium occupavit. Livius libr. XII et Polybius libr. I pluribus verbis. De eadem re Valerius libr. II. FABR.

5. *Novum scelus ausa, Rheginos omnes. Auxit*, pro *ausa*, vulgo mendose legitur. Polybius de hujus legionis militibus, καὶ τοὺς μὲν ἐκβαλόντες, τοὺς δὲ ἀποσφάξαντες τῶν πολιτῶν κατέσχον τὴν πόλιν, id est, *Ci-*

odore graves, mole terribiles, ut videre Romani, novo pugnandi genere circumventi et territi, equis maxime pavitantibus, diffugerunt. [16] Sed postquam Minucius, quartæ legionis primus hastatus, protentam in se manum belluæ gladio desecuit, et conturbatam dolore vulneris averti bello atque in suos sævire compulit, ejusque immoderato discursu perturbari ac permisceri cœpere, finis pugnæ etiam beneficio noctis impositus est. Victos fuisse Romanos turpis fuga prodidit, quorum tunc cecidisse referuntur [17] peditum quatuordecim millia octingenti et octoginta : [18] capti mille trecenti et decem : [19] equites autem cæsi ducenti quadraginta duo, capti octingenti et duo, signa amissa viginti duo. [20] Nam quantus e diverso numerus sociorum Pyrrhi fuerit exstinctus, memoriæ traditum non est : maxime quia scriptorum veterum mos est, ex ea parte quæ viceA rit, occisorum non commemorare numerum, ne victoriæ gloriam maculent damna victoris : nisi forte cum adeo pauci cadunt, ut admirationem terroremque virtutis augeat paucitas perditorum, sicut [21] in **217** prima Persici belli congressione apud Alexandrum Magnum fuit : cui, inter quadringenta fere millia hostium interfecta, novem tantummodo in exercitu ejus pedites defuisse referuntur. Sed Pyrrhus atrocitatem cladis, quam hoc bello exceperat, diis suis hominibusque testatus est, affigens titulum in templo Tarentini Jovis, in quo hæc scripsit :

Qui ante hac [22] invicti fuvere viri, pater optime Olympi,
Hos ego in pugna vici, victusque sum ab isdem.

Et cum a sociis [23] increparetur, cur se victum diceret qui vicisset, respondisse fertur : *Ne ego, si iterum eodem modo vicero, sine ullo milite Epirum revertar.* Interea Romanus exercitus, postquam victus clam fugit e castris, miserabilem belli cladem gravioribus monstris auctam accumulatamque persensit. Nam pabulatores forte progressos, velut hostilis quædam oborta tempestas, cum horribili fragore cœli correptos, diris fulminibus exussit : [24] quippe [25] triginta et quatuor eorum idem turbo prostravit, viginti et duo semineces relicti, jumenta exanimata et capta [26] quam plurima, ut merito contigisse [27] non signum vastationis futuræ sed vastatio ipsa referatur. [28] Secunda inter Pyrrhum et Romanos consules pugna [29] in Apuliæ finibus fuit : ubi B clades belli ad utrosque, sed maxime ad Pyrrhum, victoria ad Romanos concessit. Nam cum diu **218** obnixe cunctis in mutuam cædem ruentibus, anceps belli penderet eventus, Pyrrhus, transfixo brachio saucius, prior cessit e prælio. Sed et Fabricius legatus tunc vulneratus est. Elephanti prima pugna vulnerari, atque in fugam cogi posse deprehensi : deinde subjectis inter posteriora ac mollia ignibus exagitati, ardentes insuper machinas furore trepido circumferentes, exitio suis fuere. Cæsa sunt in ea pugna quinque millia Romanorum : de exercitu vero Pyrrhi [30] viginti millia prostrata sunt. Regis signa ablata quinquaginta et tria, Romanorum undecim amissa sunt : Pyrrhus, bello fractus, [31] Agathocle mortuo rege Syracusano, ad Siciliæ arcessitus imperium, Syracusas concessit.

HAVERCAMPI NOTÆ.

16. *Sed postquam Minucius.* De hoc Florus : *C. Minucius, quartæ legionis hastatus, unius proboscide abscissa mori posse belluas ostenderat.* FABR.

17. *Peditum* XIV *millia.* Hic numerus est in omnibus manuscriptis. Dionysius tradit, Romanorum cecidisse paulo minus XV millibus, Hieronymus tantum septem millia. FABR.

18. *Capti* MCCCX. Hic numerus in uno manuscripto integer est : in cæteris vulgaris numerus scriptus est, cum alius antea fuerit. Eutropius ait, *Pyrrhum cepisse Roman. mille octingentos.* FABR. — In ed. Aug. captorum numerus definitur *quatuordecim millia.* DCCCCLXXX.

19. *Equites autem cæsi* CCXLII. In Gualtheri lib. est, CCXLVI. Varietas nata est ex eo quod II in V sæpe coeunt, sicut et contra fieri solet. FABR. — Numerus ille, quem ex ms. indicat Fabricius, in omnibus quos ego consului mss. quoque invenitur.

20. *Nam quantus e diverso numerus.* Numerum exstinctorum sociorum Pyrrhi, quem Orosius memoriæ traditum non esse ait, Dionysius et Hieronymus prodiderunt : illi enim *tredecim millia*, hic non plane *quatuor millia* cæsa scripsit, auctore Plutarcho. FABR. — Mss. omnes habent *commendare*, aliquanto post, pro *commemorare.*

21. *In prima Persici belli.* De hoc diximus libro superiore cap. 16.

22. *Invicti fuvere viri.* Versus, uti in textu reposui, indubie Enniani sunt, male prius cum reliquis confusi. *Fuvere* autem pro *fuere*, antiquum, qualia multa eleganter in suis Spicilegiis Palmerius noster doctissime eruit. LAUT.

23. *Increparetur.* Mss. omnes, *increpitaretur.*

24. *Quippe* 33 *eorum.* Ita conjeci legendum, alioquin ut Orosius intelligatur fieri non potuit. Excusi et calamo exarati : *eorum idem turbo prostravit, semineces relicti.* LAUT.

25. *Triginta et quatuor.* Decem ex his absunt in tribus Lugd. Batt. cum coll. Gronov. Sed mss. reliqui XXX *et* IV scribunt.

26. *Quam plurima.* Meus cum quatuor Lugd. Batt. et Coll. Gronov., *complurima.* Pro *capta* forte legendum *corrupta*, vel *rapta.*

27. *Non signum vastationis futuræ.* Perizon., *contigisse videatur non in signum*, etc. Meus cum quatuor Lugd. Batt. et Coll. Perizon., *contigisse non in signum*, etc.

28. *Secunda inter Pyrrhum et Roman.* Secunda hæc pugna cum Pyrrho commissa est, P. Sulpitio, P. Decio Mure coss. anno CDLXXIV, de qua Eutropius ait : *Missi sunt contra Pyrrhum ducem P. Sulpitius et Decius consules. Certamine commisso, Pyrrhus vulneratus est, elephanti interfecti, viginti millia cæsa hostium, et ex Romanis tantum quinque millia.* FABR.

29. *In Apuliæ finibus.* Pugnam commissam περὶ Ἄσκλον scribit Plutarchus in Pyrrho, et Florus ita, *In Apulia deinde apud Asculum melius dimicatum est.* FABR.

30. *Viginti millia.* In Florent. sec. præterea *tria* agnoscuntur, sed vox illa superscribitur. Pro *quinque millia* ed. prima, et illam secutæ habent *quatuor millia.*

31. *Agathocle mortuo.* Quis hic Agathocles fuerit, quibusque viis ad regnum ascenderit, e Diodori Siculi lib. XIX abunde cognosces : de eodem cap. 6 plura. FABR.

piditatem. Cui rei consilium utile ratus est, ut simulatis unicæ filiæ nuptiis, omnes senatores quorum dignitatem [28] obstaturam inceptis suis arbitrabatur, inter pocula veneno necaret. Quæ res per ministros prodita, sine ultione vitata est, ne in viro [29] tam potenti plus negotii faceret res cognita, quam cogitata. Hoc consilio elusus Anno, alio machinamento facinus aggredi parat. Servitia concitat, quibus repente incautam urbem opprimeret. Sed cum ante statutam **228** cædibus diem proditum se præventumque intellexisset, castellum quoddam [30] cum viginti millibus servorum armatus occupat. Ibi dum Afros regemque Maurorum concitat, captus est; ac primo virgis cæsus, deinde effossis oculis et manibus cruribusque fractis, velut a singulis membris pœna exigeretur, in conspectu populi necatus est. Corpus verberibus [31] lacerum cruci suffixum, filii cognatique omnes supplicio traditi: ne quis eum ejusdem familiæ umquam aut imitari, aut ulcisci meditaretur. Hæc temporibus Philippi gesta sunt. Post hæc Carthaginienses [32] cum Tyrum urbem auctorem originis suæ, ab Alexandro Magno captam eversamque didicissent, timentes transitum ejus in Africam futurum, Amilcarem quemdam, cognomento Rhodanum, virum facundia solertiaque præcipuum, ad perscrutandos Alexandri actus direxerunt: qui per Parmenionem quasi transfuga exceptus, dehinc in militiam regis admissus, omnia civibus suis per tabellas scriptas, [33] et post cera superlitas, enuntiabat. Hunc mortuo Alexandro Carthaginem reversum, [34] quasi urbem regi venditasset, non ingrato tantum animo verumetiam crudeli invidia, necaverunt. Deinde cum assidua, nec umquam satis prospera adversus Siculos bella gererent, et Syracusas urbem Siciliæ tunc florentissimam obsidione cinxissent, per Agathoclem Siciliæ regem miro circumventi ingenio, usque ad extrema desperationis [35] adducti sunt. [36] Namque Agathocles, cum apud Syracusas a Carthaginiensibus obsideretur, ac se neque bello parem instructu copiarum, neque **229** obsidionis patientem [37] stipendiorum sufficientia videret, bene proviso, ac melius dissimulato consilio, in Africam cum exercitu [38] transit, ibi suis, quid moliatur, aperit: deinde quid facto opus sit, docet. Illico unanimiter naves primum, in quibus venere, [39] incendunt, ne qua spes refugiendi foret. Dehinc cum omnia in quæ direxisset, prosterneret, villas castellaque incenderet, [40] Annonem quemdam cum triginta millibus Pœnorum [41] obvium habuit; quem [42] cum duobus millibus suorum interfecit. Ipse autem duos tantum in eo bello perdidit. Qua pugna et Afrorum animis incredibiliter fractis, et suorum in immensum auctis, urbes castellaque expugnat, prædas ingentes agit, hostium multa millia trucidat. Castra deinde ad quintum lapidem a Carthagine statuit, ut damna rerum opulentissimarum vastationemque agrorum et

HAVERCAMPI NOTÆ.

28. *Obstaturam.* Confirmant hanc lectionem, pro qua *obstiturum* in quibusdam codd. et edd. est, mss. Longob. et vetustiores alii, ut et Vincent. Bellov. hæc excerpsit lib. IV, cap. 93. Quinctilian. II, cap. 12, *Video, inquit, quosdam in ipso statim limine obstaturos mihi.* Mox *ceptis* Meus pro *inceptis.*

29. *Tam potenti.* Abest vox prima a Vincentio et a mss. Meo, Periz., tribus Lugd. Batt., Coll. Gron. et edd. vett. aliquot. In plerisque ex iisdem mox *constitutam* pro *statutam.*

30. *Cum viginti millibus.* In ed. Aug. XXIV *millibus.* Plures deinde mss., *servorum armatis occupavit*, et sic quoque Vincent. Bellovacensis.

31. *Lacerum.* Edd. quædam ex primis, *laceratum cruci fixum est*, ut et Vincent. Bellov. qui *affixum* legit.

32. *Cum Tyrum urbem.* De *Tyri* expugnatione dictum libro superiore capite 16. Carthaginem vero Tyrii condiderunt, semper parentum loco culti, ait Curtius libro IV. Unde Diodorus libro XVII, Καρχηδονίους Τυρίων ἀπογόνους vocat. Virgilius Æneid.,

> Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
> Carthago. FABR.

33. *Et post cera superlitas.* Calliditate simili, qua usus traditur Demaratus Lacedæmonius supr. lib. II, cap. 9.

34. *Urbem regi venditasset.* Sic feci ex *vindicasset* et *vendicasset.* Simile est apud Justinum, ubi hoc verbum usurpatur, pro *vendidisset*: nec dubito quin etiam probabit lector. LAUT. — Male in editis *vendicasset*, nam vel *indicasset* vel *venditasset* scribendum est. Patet ex notis Bongarsii et Bernecceri ad Justin. lib. XXI, cap. 6, unde Orosius sua hausit, utrumque recte dici, pro venalem offerre. Ego in quatuor codd. Lugd. Batt. et Coll. Gronov. *indicasset* scriptum inveni. Sed ed. August. utramque lectionem repræsentavit, edens *indicasset* vel *vindicasset*, quod ultimum verbum reliquos mss. obsedit pro *venditasset.*

35. *Adducti sunt.* Ita malo cum mss. omnibus atque edd. vetustis, quam *adacti sunt*, quod habent recentiores.

36. *Namque Agathocles.* Diodorus initio libri XX a Troja capta usque ad profectionem Agathoclis in Africam numerat annos 883. FABR.

37. *Stipendiorum sufficientia.* Ed. August., *stipendiorum sufficientiam.*

38. *Transit.* Cod. Longob. cum Meo, *transiit.*

39. *Incendunt.* Plurimi ex mss., *succendunt.* Justin. lib. XXII, cap. 6, *universas naves, consentiente exercitu, incendi jubet.*

40. *Annonem quemdam cum triginta millibus.* Hæc quidem ita Justinus libro XXII. At Diodorus scribit, non solum Annonem, sed et Bomilcarem contra Agathoclem missum cum exercitu, in quo pedites non pauciores XL millibus, equites mille, curruum duo millia fuerint, quibus Agathocles opposuit primum filium suum Archagathum cum duobus millibus peditum et quingentis deinde Syracusanorum tria millia L, tum Græcorum millia tria, totidemque Samnitium, Etruscorum et Gallorum. Cecidisse idem in prælio ait, Græcos ducentos, Carthaginienses, non amplius *mille*, tametsi quidam *sex millia* scripserint. FABR.

41. *Obvium habuit.* Cod. Longob., *obviam habuit.*

42. *Cum duobus millibus.* Apud Justinum, unde hæc desumpta sunt, tria millia periisse dicuntur. Legitur apud illum lib. XXII, cap. 6, *Sed prælio commisso, duo de Siculis, tria millia de Pœnis cum ipso duce cecidere.* Id vero prorsus incredibile, duos tantum, ut vult Orosius, de exercitu Agathoclis cecidisse. Unde suspicor apud Justinum illud *duo* ad *millia*, itidem ut, quod sequitur, *tria*, referendum esse. Clades autem Pœnorum longe gravior fuit, quod non modo multo plures, sed et ipsum ducem Annonem amiserint.

tibus hominum occisione hominum satisfieret, intelligendum fuit, se operarios atque adjutores pestilentiæ conduci : ut ipsi, quos illa non corripuisset, occiderent : sanas enim atque incorruptas offerri hostias mos est, [10] ita illi non sedarent morbos sed prævenirent. Itaque Carthaginienses [11] adversis diis propter istiusmodi sacra, sicut Pompeius Trogus et Justinus fatentur, sicut autem apud nos constat, propter præsumptionem impietatemque ipsorum **226** irato Deo, cum in Sicilia diu infeliciter dimicassent, translato in Sardiniam bello, iterum infelicius victi sunt : propter quod [12] ducem suum Mazeum et paucos qui superfuerant milites, exsulare jusserunt. Exsules veniam per legatos petentes [13] repulsi, patriam bello et obsidione cinxerunt. Ibi tunc Mazeus, dux exsulum, Carthalonem, filium suum, sacerdotem Herculis, quod sibi velut insultans purpuratus [14] occurreret, in crucem [15] sub oculis patriæ, [16] ita ut erat, [17] cum purpuris infulisque suspendit. [18] Post paucos dies urbem ipsam cepit, qui cum, interfectis plurimis senatorum, cruente dominaretur, occisus est. Hæc temporibus Cyri regis Persarum gesta sunt. Post hæc vero [19] Imilco, rex Carthaginiensium, cum in Sicilia bellum gereret, repente horribili peste exercitum amisit. [20] Nec mora, A morbis, populo catervatim cadente, cito quisque correptus, mox mortuus, jam nec sepeliebatur : cujus mali nuntius cum attonitam repentino luctu Carthaginem replevisset, non secus ac si [21] capta esset, turbata civitas fuit. Omnia ululatibus personabant clausæ ubique januæ, cuncta privata publicaque officia damnata, universi ad portum [22] decurrunt, egredientesque de navibus **227** paucos, qui cladi superfuerant, de suis [23] percontantur. Postquam de clade suorum, [24] tacentibus illis vel gementibus, miseri intelligunt, tunc toto littore plangentium voces, tunc infelicium matrum ululatus et flebiles querelæ audiebantur. [25] Inter hæc [26] procedit et ipse de navi sua imperator, sordida servilique tunica discinctus : ad cujus conspe- B ctum [27] plangentium junguntur agmina. Ipse quoque manus ad cœlum tendens, nunc suam, nunc publicam infelicitatem accusat et deflet : ad postremum vociferans per urbem, tandem ingressus domum, cunctos qui lacrymantes prosequebantur, ultimo demisit alloquio : ac deinde obseratis januis, exclusisque etiam filiis, gladio dolorem vitamque finivit. Hæc Darii temporibus gesta sunt. Post hæc Anno, vir quidam Carthaginiensis, privatis opibus reipublicæ vires superans, invadendæ dominationis hausit cu-

HAVERCAMPI NOTÆ.

omnibus codd. esse corrupta, atque locum hunc ita legi debere : *Si enim hujusmodi ritu aliqui dæmones propitiare* (pro *præcipere*) *ausi sunt, ut mortibus hominum occisione hominum satisfieret*, etc. Propterea in sequentibus dicitur, *ut ipsi* (scilicet homines illi) *quos illa* (pestilentia) *non corripuisset, occiderent*. Occidebant enim illi qui immolabant homines, occide- C bantur vero in dæmonum gratiam.

10. *Ita illi*. In edd. Fabricii et Scotti inserto *autem* legitur, *ita autem illi*. Pro quo edd. quæ præcesserunt, habent, *ita ut illi*, quod et in Lugd. Batt. et Coll. Gronov. exstat. Sed delent mediam vocem Florentini tres, Meus, Periz. et Ultr., neque eadem indigemus.

11. *Adversis diis*. Quidam mss., *aversis diis*, vel *adversis dis*.

12. *Ducem suum Mazeum*. In vulgatis Justini libris hic dux *Machæus* nominatur : noster manuscriptus cum Orosii libris consentit. Fabr. — Nomen hujus imperatoris in Flor. pr. *Himelcho* scribitur, ut et in sec. atque in Lugd. Batt. sec. quintoque et Perizon. *Himilco* vocatur in cod. meo.

13. *Repulsi*. Ed. Aug., *et repulsi*.

14. *Occurreret*. Ita mss. omnes pro *occurrerat*, quod est in vulgatis.

15. *Sub oculis*. Meus cum tribus Lugd. Batt. et D Coll. Gronov., *in oculis*.

16. *Ita ut erat*. Ὡς εἶχεν, ὡς ἔτυχε. Male igitur vulgo contra fidem librorum antiquorum scripserunt, *ita ut erat dignus*. Fabr.

17. *Cum purpura infulisque*. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *in purpura infulisque*. Utrumque ex Justino defendi potest. Apud illum lib. xviii, cap. 7, ubi præcepit, *Quid porro tu in purpura ista coronisque aliud*, etc. ; aliquanto post sequitur, *atque ita, cum ornatu suo, in altissimam crucem, in conspectu urbis suffigi jussit*.

18. *Post paucos dies*. Edd. vett. *post paucos autem dies*. Sed in mss. illud *autem* non invenitur. Edit. August., Lugd. Batt. duo et Coll. Gronov., *Postque paucos dies*. Sed Justinus, *Post paucos deinde dies*, etc.

19. *Imilco, rex Carthag.* Hic in impressis Justini libris *Amilco*, in scriptis *Imilco*, a Græcis Ἱμίλκων dicitur. Fuit is rex Carthaginiensium olympiade 97, et rem in Sicilia contra Dionysium seniorem infeliciter gessit, quod capta Achradina, una parte Syracusarum, Cereris et Proserpinæ templa spoliavit, pesteque gravissima inde exercitus laboravit, auctor Diodorus lib. xiv. Fabr.

20. *Nec mora morbosis*. Sic me monuit legendum esse, ex *morbus is*, præstantissimus Franciscus Modius, cujus doctrinam et in auctoribus sanandis dexteritatem, in Curtio nuper ab eo edito miramur. Laut. — Recte vulgati et mss., *morbis*, quod construi debet cum *cito quisque correptus*.

21. *Capta esset*. Posteriorem vocem non agnoscunt Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov.

22. *Decurrunt*. Ed. Aug. et tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov., *recurrunt*. Sed *currunt* ed. prima, eamque secutæ Venetæ.

23. *Percontantur*. Sic cum Justino lib. xix, cap. 2 rescribere jubent codd. Perizon. et Meus. Vulgati habent *percontabantur*.

24. *Tacentibus*. Vulgati, *dicentibus*, sed mss. omnes et Aug. edit. multo significantius, *tacentibus*.

25. *Inter hæc procedit et ipse*. Diodorus de Imilcone, Εἰς τοσοῦτο δ' ἦλθεν ἀτυχίας, ὥστε μετὰ τῆς εὐτελεστάτης ἐσθῆτος περιὴει τοὺς κατὰ πόλιν ναούς, κατηγορῶν τῆς ἰδίας ἀσεβείας, καὶ περὶ τῶν εἰς θεοὺς ἁμαρτημάτων ὁμολογουμένην διδοὺς τιμωρίαν τῷ δαιμονίῳ, τὸ δὲ τέλος. ἑαυτοῦ καταγνοὺς θάνατον, ἀπεκαρτέρησε, id est : *Adeo misera ejus fortuna esse cœpit, ut cum vilissima veste urbis templa obiens suam ipse impietatem damnaret, atque testatas violati numinis pœnas persolveret ; ad extremum se capitis damnavit, inediaque vitam abrupit*. Fabr.

26. *Procedit*. Quidam ex impressis, *exiens procedit*.

27. *Plangentium junguntur agmina*. Codd. Meus et Perizon., *plangentia*, quod placere possit, quia jam præcessit *plangentium voces*, sed apud Justinum quoque legitur lib. xix, cap. 3, *ad cujus conspectum plangentium agmina junguntur*.

usurpare [6] meditati sunt; et liberati servitutis jugo, ambitù dominationis arserunt; et quos dominos subditi æquanimiter dilexerunt, eos jam liberi, [7] quod dominos fuisse meminerant, exsecrati sunt. [8] Itaque conspirantes in facinus libertini (quorum tanta manus fuit, ut sine controversia ausu potirentur) correptam urbem suo tantum generi vindicant : patrimonia, conjugiaque dominorum sibi per scelus usurpant, extorres dominos procul abigunt, qui miseri, exsules egentesque, Romam deferuntur : ubi ostentata miseria querelaque defleta, per Romanorum severitatem et vindicati sunt et restituti. Anno ab Urbe condita CCCCLXXXI [9] pestilentia ingens apud Romam conflagravit, cujus atrocitatem significare contentus sum, quia verbis implere non possum. Si enim spatium temporis quo mansit inquiritur, ultra biennium vastando porrecta est; si depopulatio, quam egerit, census indictus est, qui non quantum hominum deperisset, sed quantum superfuisset, inquireret : si violentia qua affecerit, Sibyllini libri testes sunt, qui eam cœlesti ira impositam responderunt. [10] Sed ne quem tentata usurpatio translationis offendat, quod cum Sibylla iratos deos dixerit, nos iram cœlestem dixisse videamur, **224** audiat et intelligat, quod hæc, etsi plerumque per aerias potestates fiunt, tamen sine arbitrio omnipotentis Dei omnino non fiunt. Eodem tempore [11] Capparonia, virgo Vestalis, incesti rea, suspendio periit : corruptor ejus consciique servi, supplicio affecti sunt. Ecce continuatim quæ et quanta numeramus accidisse annis singulis plurima, inter quos certe raro aut pene nullo nihil triste [12] gestum. Et hoc cum A iidem scriptores, proposito sibi magis laudandi negotio, caverent numerositates miseriarum, ne eosdem, quibus hæc et de quibus scribebantur, offenderent, auditoresque suos exemplis præteritorum terrere potius quam instruere viderentur. Porro autem nos, in ultimo temporum positi, mala Romanorum scire non possumus, nisi per eos qui laudavere Romanos. Ex quo intelligi datur quanta illa fuerint, quæ studio propter horrorem repressa sunt, cum tanta [13] inveniantur, quæ tenuiter inter laudes emanare potuerunt.

CAPUT VI.

De Carthaginiensium origine, variaque fortuna, qua ante bellum Punicum primum sunt usi.

B Et quoniam ex hoc jam Punica bella succedunt, res ipsa exigit; ut de Carthagine, quæ [1] ante urbem Romam [2] duos et septuaginta **225** annos [3] ab Elisa condita invenitur, ejusque cladibus ac domesticis malis, [4] sicut Pompeius Trogus et Justinus exprimunt, vel pauca referantur. Carthaginienses [5] vernaculum atque intestinum semper inter se malum habuere discordiam : qua infeliciter exagitante, nulla umquam tempora vel foris prospera, vel domi quieta duxerunt. Sed cum inter cætera mala etiam pestilentia laborarent, homicidiis pro remediis usi sunt : quippe homines ut victimas immolabant, [6] ætatemque impuberem, quæ etiam hostium misericordiam provocaret, aris admovebant. [7] De quo sacrorum, immo sacrilegiorum genere [8] quid potissime C discutiendum sit non invenio. Si enim [9] hujusmodi ritus aliqui dæmones præcipere ausi sunt, ut mor-

HAVERCAMPI NOTÆ.

6. *Meditati sunt* : Sic mss. et edd. meliores : quidam, *moliti sunt*.

7. *Quod dominos*. Elegans hæc est lectio Florentinor. primi et tertii, pro qua vulgo legitur, *quos dominos*. Pati enim non poterant illud pristinæ servitutis ante oculos opprobrium, et oderant benefactores suos quod domini fuissent.

8. *Itaque conspirantes*. De Vulsiniensium servorum insolentia, lege Valerium lib. IX, cap. 1. FABR.

9. *Pestilentia ingens*. Hujus pestilentiæ meminit Augustinus de Civitate Dei lib. III, cap. 17. FABR.

10. *Sed ne quem tentata*. Hæc lectio est in Gualtheri libro, quam nos rejectis iis, quæ vulgo leguntur, cupide recepimus. FABR. — In editis erat, *Sed, ne quemquam quasi tentatio cavillationis offendat*; in Aug., *Sed nequaquam tempestate*, etc.: in mss. pro *tentatio cavillationis*, legitur *tentatæ violationis*, vel *tempestate*, vel *tentatæ cavillationis*, ut in tribus Florentt. At Meus, *tentata cavillatio offendat*. Quibus D omnibus Fabricianam lectionem prætero.

11. *Capparonia*. In libris scriptis est, *Capparronia*. FABR. — Lugd. Bat. pr., *capta Romana virgo Vestalis*.

12. *Gestum*. Nullus ex mss. clausulam *est*, quam vulgati adjiciunt, agnoscit, ut nec ed. August. *Nihil triste gestum* dicit, videlicet publice, nullo bello.

13. *Inveniantur*. Flor. pr. cum ed. Aug. et mss. Lugd. Bat. tert., *inveniuntur*.

CAP. VI. — 1. *Ante urbem Romam duos et septuaginta annos*. Sic Justinus libr. XVIII de Carthagine; *Condita est urbs hæc* 72 *annis ante quam Roma*. In Liviana Epitome libr. XXXI legimus Carthaginem captam septingentesimo anno postquam erat condita. Unde cum Scipio Carthaginem expugnaverit an. ab U. c. DCVII, condita ante Romam annis 93 invenitur, sed in Eusebii Chronico Carthago condita ante Trojam captam annis fere 40 reperitur. Appianus Libycam sive Carthaginiens. historiam sic orditur, Καρχηδόνα τὴν ἐν Λιβύῃ Φοίνικες ᾤκισαν ἔτεσι πεντήκοντα πρὸ ἁλώσεως Ἰλίου. *Carthaginem, quæ est in Africa, Phœnices condiderunt annis* 50 *ante Ilium captum*. FABR.

2. *Duos et septuaginta*. Florentt. pr. et tert., *duo et septuaginta*; et sic quoque primitus in Flor. secundo fuerat.

3. *Ab Elisa*. Quæ Dido cognominata fuit, Οἰκισταὶ δ' αὐτῆς, inquit Appianus, ἐγένοντο Ξῶρός τε, καὶ Καρχηδών· ὡς δὲ Ῥωμαῖοι καὶ αὐτοὶ Καρχηδόνιοι νομίζουσι, Διδὼ γυνὴ Τυρία : *conditores ejus fuerunt Xorus et Carchedon, seu ut Romani, atque adeo ipsi Carthaginienses putant, Dido mulier Tyria*. Plura Virgilius lib. I Æneid. FABR.

4. *Sicut Pompeius Trogus*. Quæ Orosius hoc capite de Carthaginiensibus scribit, ea sunt apud Justinum ex Trogo libro XVIII, et deinceps. FABR.

5. *Vernaculum*. Lugd. Bat. pr. et edd. quædam, *velut vernaculum*. Mox ed. Aug., *discordiæ*.

6. *Ætatemque impub*. Consueverant Carthaginienses Saturno præstantissimos filios suos immolare, auctore Diodoro libro XX. FABR. — Mss. Lugd. Batt. cum Coll. Gronov., *ætateque impubères, quæ res etiam*, etc.

7. *De quo sacrorum*. Ed. Aug. *de quo sacrificiorum*. Ms. meus, *de quorum sacrorum*, etc.

8. *Quid potissime*. Ita omnes mss. vulgo, *quid potissimum*.

9. *Hujusmodi ritus*, etc. In ed. Aug. legitur *hujusmodi ritu*. Unde suspicor illa quæ sequuntur, in

incendia villarum de muris ipsius urbis specularentur. Adjicitur præsentibus malis tristior fama. Nam et apud Siciliam deletus cum imperatore Afrorum exercitus nuntiatur : quem revera incautum ac pene otiosum [43] Antander, Agathoclis frater, oppresserat. Hoc per totam Africam rumore disperso non tributariæ tantum urbes ab his, verumetiam socii reges deficiebant : inter quos [44] rex quoque Cyrenarum, Ophellas, pactus est cum Agathocle **230** communionem belli, dum regnum Africæ ardenter affectat. Sed postquam in unum exercitus et castra junxerunt, per Agathoclem blandimentis et insidiis circumventus, [45] occisus est. Carthaginienses, contractis undique copiis, in bellum exarsere. Quibus Agathocles, habens secum Ophellæ copias, congreditur, eosque magno utriusque exercitus sanguine et gravi prælio superat. Hoc certaminis discrimine tanta desperatio illata Pœnis est, ut nisi in exercitu Agathoclis orta seditio fuisset, transfugiturus ad eum [46] Bomilcar, dux Pœnorum, cum exercitu fuerit. Ob quam noxam in medio foro jussu Carthaginiensium patibulo suffixus, crudele spectaculum suis præbuit. [47] Deinde cum post mortem Agathoclis Carthaginienses Siciliam instructa classe vastarent, a Pyrrho rege Epiri ab Italia accersito, terrestri navalique certamine sæpe superati, novissime ad Romana bella conversi sunt. [48] Proh dolor! legunt ne ista de veteribus, qui [49] de recentibus conqueruntur? Immo legunt, et ea non æquitate, sed æmulatione conjiciunt. Maximo enim illo et ineffabili, [50] quem nec ipsi discernunt, stimulo compunguntur, non propter tempora mala, sed propter tempora Christiana : et derivatio est invidi ulceris, ut [51] quidquid sub exsecrabili agitur, atrocius esse videatur : sicut etiam inter nos sæpe inimicorum oculis videri solet, eos quos exsecrantur, **231** nihil non pravum, nihil non turpe, [52] nihil non subsicivum, nihil non in vulnus suum, dicto factove agere, et [53] hoc tamen pene simpliciter. In tantum enim captum cor obliquat invidia, ut rectum natura non videat, de quorum numero sunt isti : sed multo miseriores, quia inimici Dei, ac perinde inimici veritatis, de quibus [54] flentes hæc dicimus, et quos misericorditer, si patiantur, arguimus, ut sanemus, qui vitioso oculo hæc vident, atque ideo duplicia illis videntur quæ vident : et confusi caligine nequitiæ, in id cadunt, ut minus videndo plus

HAVERCAMPI NOTÆ.

43. *Antander, Agathoclis frater. Andro* in vulgatis corrupte legitur. Tu lege Diodorum, qui hæc omnia copiose exponit. FABR.

44. *Rex Cyrenarum, Ophellas.* Diodor. lib. xx : Ὁ δ' Ὀφέλλας ἦν μὲν τῶν φίλων τῶν συνεστρατευμένων Ἀλεξάνδρῳ, κυριεύων δὲ τῶν περὶ Κυρήνην πόλεων, καὶ δυνάμεος ἀδρῆς, περιεβάλετο ταῖς ἔλπισι μείζονα δυναστείαν. id est : *Ophellas erat ille quidam ex iis amicis Alexandri, qui cum ipso militaverant, sed cum Cyrenaicas urbes, magnasque copias in sua potestate haberet, majus imperium spe conceperat.* FABR. — Duxerat hic Ophellas uxorem puellam Atheniensem, ex antiqui Miltiadis generosa stirpe, Eurydicem. Quam viduam, pereunte Ophella, inter uxores recepit Demetrius Poliorcetes, cum magno Atheniensium gaudio. Consuli possunt quæ ea de re scripsimus in Historia Catholica, patrio sermone edita, tom. I, p. 345.

45. *Occisus est.* In Meo *occiditur*, in quo statim pro *superat* legitur *superavit.*

46. *Bomilcar, dux Pœnorum. Amilcar* vulgo hic male nominatur, est enim Βομίλκας, qui, cum Carthagine regnum occuparet, interfectus fuit, ut scribit Diodor. FABR.

47. *Deinde cum post mortem Agath.* Plenior historia petenda ex Justini lib. xxiii. Nam quæ Diodorus de his rebus litteris consignavit, ad nos non pervenerunt. FABR.

48. *Proh dolor.* Cod. Longob. et Meus., *pro dolor.*

49. *De recentibus.* In Perizon. legitur *de præcentibus.*

50. *Quem nec ipsi discernunt.* Sic emendavi ex codice meo, et Lugd. Bat. pr. atque Coll. Gronov., astipulantibus quoque tribus mss. Florentinis; *decernunt*, quod in vulgatis invenitur, minus convenit.

51. *Quidquid sub exsecrabili.* Ed. Augustana, *quidquid subexsecrabile.* Vulgatæ lectionis hic est sensus, *quidquid agitur sub exsecrabili*, id est, sub eo nomine, tempore, etc., quod exsecramur, *atrocius esse videtur.* Quod patet ex sequentibus, in quibus ait, nihil posse recte fieri ab aliquo, in oculis inimicorum, qui illum, et propterea omnia quæ facit idem, sine discrimine, exsecrantur.

52. *Nihil non subsicivum, nihil non in vulnus suum.* Hæc est omnium librorum vetustorum lectio. Est autem *subsicivum*, sive *subsecivum*, quod Græci πάρεργον dicunt, a re principali, ut ita dicam, alienum et quasi superfluum. Translatione sumpta ab iis quæ in agrorum assignationibus *subseciva* nominantur, de quibus Frontinus. FABR.— *Nihil non subsicivum, nihil non vulnerosum* editi, *in vulnus suum*, quod in sensum, et in figuram, qua reliqua omnia quæ in eadem periodo dicuntur, peccat : sed illud *subsicivum* seu *subsecivum*, quid sibi hic velit nescio. Neque enim puto Orosium intelligere cum Franc. Fabricio, quod Græcis est πάρεργον et quod vere significat *superfluum*, tamen sic in omnibus libris constanter legitur. LAUT. — Quam affirmat Fabricius omnium librorum veterum esse lectionem, id de iis tantum intelligi potest quos ipse inspexerit. Discrepant enim quos ego consului. Nam pro *subsicivum* in cod. Lugdun. Bat. primo, qui vetustior reliquis est, scribitur *sævum.* In Lugd. Batt. sec. et quart. atque Coll. Ultr., *suscenum* vel *suscevum*, edd. vett. *obscænum* reposuerunt, præter Aug., in qua legitur *subscivum.* Scripsit forte Orosius *subscævum*, quod subinfelix, vel mali quodammodo ominis significat. Quo sensu *scævum* usurpatur ab Arnobio contra Gentes lib. v, p. 159 : *Ac ne scævus aliquis nuptialia interrumpat gaudia.* Pro *in vulnus suum*, Lugd. Bat. pr. habet *vulnerosum*, ut et Coll. Gron. Orosii sæculo dignam vocem, quæ tamen in primis quoque edd. invenitur, et in Aug. conjungitur cum altera *in vulnus suum*, pariter in textum recepta. Cod. Longob. hæc scriptura est, *nihil non pravum, nihil non subsichivum* (sic), *nihil non in vulnus suum.* Reliqui a vulgatis recentioribus non abeunt.

53. *Et hoc tamen pene simpliciter.* Alii legunt, *et hoc tamen simpliciter*, ut duo Lugd. Batt. et plures ex vetust. edd. Alii, *et hoc jam pene simpliciter*, inter quos tres Florentini, Meus et Perizon., Coll. Gron. *et hoc tamen similiter.* Vulgata lectio significare videtur : et tamen hoc quod ab inimicis tam acerbe in malam partem rapitur, simpliciter fere et sine dolo malo fieri solet.

54. *Flentes hæc dicimus.* Respicit apostol. Pauli verba Ep. ad Philipp., cap. III, v. 18.

videant, cum tamen id quod est, ita ut est, videre non [55] possint : qui graviora arbitrantur flagella patris quam hostis incendia : qui acerbiorem vocant blandientem, admonentem, et redimentem Deum, quam persequentem, dominantem, trucidantemque diabolum. Quamquam si de patre intelligerent, de castigatione gauderent : et si prævideretur fructus eruditionis, esset disciplina tolerabilis : ac propter spem, quæ nunc gentibus data est, antea vero non fuerat, leviora ducerent, etsi graviora paterentur : quamquam [56] contemptus **232** miseriarum possunt etiam a suis discere, apud quos summa mala pro summis bonis æstimata sunt, tantum ut [57] gloriam famæ celebrem atque illustrem consequerentur : per quos colligi datur quanta nobis, quibus æternitas beata promittitur, sint toleranda pro vita, cum illi tanta potuerint tolerare pro fama.

CAPUT VII.

Romanorum adversus Syracusanos et Pœnos res gestæ, bellorumque variorum successus. Servorum sociorumque navalium conjuratio.

[1] Anno ab Urbe condita CCCCLXXXIII, [2] Appio Claudio, [3] Q. Fabio consulibus, Mamertinis, quorum Messana nobilis Siciliæ [4] civitas erat, [5] auxilia contra Hieronem Syracusanum regem, et Pœnorum copias Hieroni junctas, [6] et Ap. Claudium consulem cum exercitu misere Romani, qui tam celeriter Syracusanos Pœnosque superavit, ut ipse quoque rex, rerum magnitudine perterritus, ante se victum quam congressum [7] fuisse prodiderit : qui [8] exin, fractis viribus amissaque fiducia, **233** cum pacem supplex rogaret, ducentis argenti talentis jussu consulum mulctatus, accepit. [9] Consules [10] Agrigentum, Siciliæ civitatem, ibique præsidia Pœnorum, operibus valloque cinxerunt. Cumque inclusus ea obsidione senior Annibal, imperator Pœnorum, ad summam egestatem redactus esset, Anno, imperator novus Carthaginiensium, cum equitibus mille quingentis, et triginta millibus peditum, triginta etiam elephantis, ex improviso intercessit, expugnationemque civitatis paulisper distulit : sed continuo civitas capta est. Pœni maximo bello victi et profligati, undecim elephanti in potestatem redacti, [11] Agrigentini sub corona omnes venditi sunt. Annibal senior, facta cum paucis eruptione, diffugit. [12] Cn. Cornelio Asina C. Duilio consulibus, cum Annibal senior oram Italiæ maritimam instructa septuaginta navium classe vastaret, Romani et ipsi classem fabricari atque instrui [13] præceperunt : quod Duilius consul celeriter implevit. Nam [14] intra sexagesimum diem, quam arbores cæsæ erant, [15] centum triginta navium classis deducta in anchoris stetit. Cornelius Asina, consul alter, [16] cum sedecim navibus Liparam insulam [17] petiit, [18] ubi ab Annibale, quasi ad colloquium pacis evocatus, Punica fraude captus **234** atque in vinculis necatus est. [19] Quod ubi Dui-

HAVERCAMPI NOTÆ.

55. *Possint.* Ms. Perizon. et ed. Aug. *possunt.*

56. *Contemptus. Contemptus* in plur. numero malunt cod. Longob. mss. Meus, Perizon., Lugd. Batt. duo, Ultr. et Coll. Gronov., atque inter editos Aug. vulgo, *contemptum.* Post *discere* in Lugd. Bat. quarto subjungitur *laudare.*

57. *Gloriam famæ.* Periz. *gloriam fama celebrem,* etc., quod melius dictum est. In fine capitis *potuerunt* edd. vett. pro *potuerint.*

CAP. VII.—1. *Anno ab Urbe condita* CCCCLXXXIII. Hic annus, quo bellum Punicum primum geri cœptum, cum varium numerum apud scriptores habeat, in Fastis Capitolinis est CDLXXXIX. FABR.

2. *Appio Claudio.* Mss. omnes et ed. Aug., *id est Appio Claudio.*

3. *Q. Fabio.* Solus Orosius, quod sciam, cum Ap. Claudio *Fabium* cos. comparat : pro quo omnia alia monimenta, *Flaccum* habent qui in Fastis Capit. ita describitur, M. FULVIUS Q. F. M. N. FLACCUS. De re gesta ab Appio Claudio cum Pœnis et rege Hierone, Polybius libro I, Livius libro XVI, Florus libro II, cap. 2. FABR.

4. *Civitas erat.* Cod. Perizon., *civitas fuit.*

5. *Auxilia.* Mss. omnes, *auxilia ;* ed. Aug., *in auxilia :* sed editi *auxilio.*

6. *Et Appium Claudium.* Quia conjunctionem *et,* quæ in omnibus invenitur mss. non agnoscunt editi, reposuerunt supra *auxilio* pro *auxilia.*

7. *Fuisse.* Abest ab edit. Aug.

8. *Cum exin, fractis.* Vulgo, *ex infractis,* quod textus ipse redarguit. LAUT.— Ridiculum est mendum in omnibus editis. Quid enim est hoc, *cum infractis,* vel *ex infractis viribus ?* Recte igitur Lautius.

9. *Consules Agrigentum.* Consules anni tertii hujus belli L. Postumium Megellum, Q. Mamilium Vitulum intelligit. Hi enim ad Agrigentum rem gesserunt, oppidumque ceperunt. Polybius lib. I. FABR.

10. *Agrigentum.* Edd. vett., *Consules itaque Agrigentum Siciliæ civitatem adeuntes, ibi præsidia,* etc., contra mss. omnes et ed. August.

11. *Agrigentini.* Cod. Lugd. Bat. pr., *Agrigentini omnes sub corona venditi sunt.*

12. *Cn. Cornelio Asina, C. Duilio.* Hi anno quinto hujus belli, et post Ur. con. CDXCIII consules fuerunt. Quod de celeritate in classe comparata Orosius scribit, est apud Florum lib. II. FABR.

13. *Præceperunt.* Edd. quædam vett., *præcipiunt.*

14. *Intra sexagesimum diem.* Mss. omnes, quos consului, ut et Vincent. Bellov. lib. VI, cap. 34 : *intra sexaginta dies.* Edit. prima, *intra* LXX *dies.* Paris. et Venetæ *intra* LXX *diem.* Dein August., *intra* LX *dies, quam arbores cæsæ sunt,* pro *erant.*

15. CXXX *navium classis.* Apud Florum est CLX. FABR.

16. *Cum sedecim.* Ed. Aug., *cum* XVII *millibus.*

17. *Petiit.* Ita scribere jubent codd. Longob. et Flor. secund. cum Perizon. pro *petit.*

18. *Ubi ab Annibale.* Tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. et ed. Aug., *Ibi ab Annibale;* etc., quod non displicet, quia sequitur, *quod ubi Duilius,* etc. Vincentius Bellovacensis eamdem quoque lectionem confirmat.

19. *Quod ubi Duilius.* Hic est C. *Duilius* M. F. qui Pœnos primus classe devicit. Cicero in Catone, Valer. lib. III, cap. 3, Plin. lib. XXXIV, cap. 5. FABR.— Post excerptum ex Orosio, de Duilio, subjungit in Speculo Historiali l. c. Vincent. Bellov. hæc : *Hunc, quem vocat Orosius Duilium, dicit Helinandus* (scriptor et compilator is vixit paulo ante tempora Vincentii) *eumdem esse, quem vocat Hieronymus Duellum, lib.* I *contra Jovinianum.* De Duillio vel Duellio (quomodo sæpe in mss. vocari solet, vel Duello, ut Hieronymus) ib. hæc habentur : *Duellus, qui primo Romæ navali certamine triumphavit, Iliam virginem duxit uxorem, tantæ pudicitiæ, ut illo quoque sæculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia monstrum erat non*

lius, alter consul, audivit, cum triginta navibus adversus Annibalem profectus est. Commisso navali prælio, Annibal, amissa navi, qua vehebatur, scapha subductus aufugit, [20] triginta et una naves ejus captæ, tredecim mersæ, tria millia hominum occisa, [21] septem millia capta referuntur. Postea Carthaginienses, C. Aquillio Flore, [22] L. Cornelio Scipione consulibus, Annonem [23] in locum Annibalis subrogatum, pro Sardis et Corsis defensandis, navali prælio præfecerunt; qui a Scipione consule victus, amisso exercitu, ipse confertissimis hostibus se immiscuit, [24] ibique interfectus est. Eodem anno tria millia servorum, et quatuor millia navalium sociorum in urbis Romæ excidium conjurarunt: et nisi [25] maturata proditio consilium prævenisset destituta præsidio civitas servili manu periisset.

235 CAPUT VIII.

Romani, Camerinam urbem petentes, in insidias incurrunt. Annibal senior a suis lapidatur. Regulus Liparam Melitamque vastat. Clupea se Romanis dedit. Regulus, ingentis magnitudinis serpente confecto, de Carthaginiensibus victoriam refert.

[1] Anno ab hoc proximo, Calatinus consul, Camerinam Siciliæ urbem petens, temere in angustias deduxit exercitum, quas Pœnorum copiæ jam dudum A præstruxerant. Cui cum omnino nulla vel obsistendi vel evadendi facultas esset, [2] Calpurnii Flammæ virtute et opera liberatus est: qui lecta [3] trecentorum virorum manu, insessum ab hostibus tumulum occupavit, et in se Pœnos omnes pugnando convertit, donec Romanus exercitus obsessas angustias, hoste non urgente, transiret. Cæsi sunt [4] in eo bello omnes trecenti, solus Calpurnius, quamvis multis confossus vulneribus, et cadaveribus obtectus, evasit. Annibal senior, [5] a Carthaginiensibus iterum classi præpositus, infeliciter cum Romanis navali prælio congressus et victus, ab exercitu suo, seditione orta, [6] lapidibus coopertus interiit. [7] Atilius consul **236** Liparam Melitamque, insulas Siciliæ nobiles, pervagatus evertit. [8] Consules in Africam jussi transferre B bellum, [9] cum trecentis triginta navibus Siciliam petierunt, quibus Amilcar Pœnorum imperator et Anno classi præfectus occurrit. Conserto navali prælio Carthaginienses, in fugam versi, [10] sexaginta et quatuor naves perdiderunt. Victores consules in Africam transvecti sunt, [11] primamque omnium Clupeam urbem in deditionem receperunt. Inde Carthaginem petentes, trecenta [12] aut eo amplius castella populati sunt, infesta Carthagini signa circumtulerunt. Manlius consul [13] ab Africa cum victrici classe decedens, viginti septem millia captivorum cum ingentibus spo-

HAVERCAMPI NOTÆ.

vitium. Is jam senex et trementi corpore, in quodam jurgio audivit sibi exprobrari os fœtidum, et tristis se domum contulit. Cumque apud uxorem questus esset, quare numquam se monuisset, ut huic vitio mederetur? Fecissem, inquit, illa, nisi putassem omnibus viris sic os olere.

20. *Triginta et una naves.* Idem numerus est in C Eutropio, nisi quod 14 naves mersas scribit. Polybius tradit, Pœnos in hoc prælio naves 50 amisisse. FABR.

21. *Septem millia capta referuntur.* Tres ex Lugd. Batt. et Coll. Gronov., *tria millia* captivorum numerant. Iisdem assentitur Vincentius Bellovac.

22. *L. Cornelio Scipione.* Inter nomina consulum conjunctionem *et* interserunt editi, quam ex mss. nullus agnoscit.

23. *In locum.* Flor. secund., *in loco.*

24. *Ibique interfectus est.* Anno, dux Carthaginiensium, pro *Olbia* oppido fortissime pugnans occidit, Valerius lib. v, cap. 1. FABR. — In Meo *occisus.* Cecidit Anno ante muros Olbiæ, quod Sardiniæ fuit oppidum. Cadaver ejus, propter viri virtutem, honorifice ex tabernaculo suo, atque amplo funere Romanum ducem, Scipionem Asinam, fratrem ejus, qui ab Annibale seniore captus et occisus fuerat, extulisse tradit Val. Maximus, lib. v, cap. 1, ex. 2. Meminit et D Silius Italicus lib. VI, vers. 670:

> Cernit et extremos defuncti civis honores:
> Scipio ductoris celebrabat funera Pœni,
> Sardoa victor terra.

25. *Maturata proditio.* Meus, *manifestata proditio.* Hujus periculi præter Orosium, mentionem quoque facit Zonaras Annal. lib. II.

CAP. VIII. — 1. *Anno ab hoc proximo.* Hic annus in Fastis Capitol. est ab Urbe con. CDXCV quo A. Atilius Calatinus, C. Sulpicius Paterculus coss. fuerunt. FABR.

2. *Calpurnii Flammæ.* Sic nominant hunc tribunum Livius libro XXII, Florus libr. II, Auctor de Viris Illustribus; Plinius lib. XXII, capite 6, *M. Calpurnium Flammam* appellat, Cato illum *Q. Cædicium*, Quadrigarius *Laberium* vocavit. Lege Gellium libr. II, cap. 7, et Frontinum lib. I. FABR.

3. *Trecentorum virorum manu.* Sic malunt mss. omnes quam *tercentum.*

4. *In eo bello.* Vulgati, *in eo prælio*, sed Orosius sæpissime, Sallustii exemplo, *bellum* pro prælio usurpat, atque hoc in loco *bellum* reponere jubent omnes mss.

5. *A Carthaginiensibus iterum classi præpositus.* Et hæc omnium mss. et vett. edd. lectio est. Fabricius mutavit in *Carthaginensium iterum classi præpositus.*

6. *Lapidibus coopertus interiit.* In Epitoma Liviana lib. XVII de Annibalis interitu ita scriptum est: *Annibal, dux Pœnorum, victa classe, cui præfuerat, a militibus suis in crucem sublatus est.* De eodem Polybius, Χρόνοις δ' οὐ πολλοῖς κατόπιν, ἐν τῇ Σαρδόνι συγκληισθεὶς ὑπὸ Ῥωμαίων ἔν τινι λιμένι, καὶ πολλὰς ἀποβαλὼν τῶν νεῶν, παραυτίκα συλληφθεὶς ὑπὸ τῶν διασωθέντων Καρχηδονίων ἀνεσταυρώθη; id est: *Tempore non ita longo post in Sardinia circumventus a Romanis in quodam portu, cum magnum numerum navium amisisset, continuo a Carthaginensibus, qui evaserant, comprehensus atque in crucem sublatus est.* FABR. — Intellige ita, ut postquam in seditione lapidibus fuerit coopertus, deinceps cadaver ejus, eodem tumultu, in crucem sublatum fuerit.

7. *Atilius consul.* C. Atilius Regulus significatur, qui anno octavo hujus belli cum Cn. Cornelio Blasione consul fuit, et de Pœnis triumphum navalem egit, ut est in tabulis Capitolinis. FABR.

8. *Consules in Africam.* Consules hi fuerunt M. Atilius Regulus, et L. Manlius Vulso, Polybius, Eutropius et Florus, quos lege. FABR.

9. *Cum trecentis triginta navibus.* Tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov., *cum* CCCCXXX *navibus.*

10. *Sexaginta et quatuor naves.* Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., LIV *naves.*

11. *Primamque omnium.* Ed. August., *primum omnium.*

12. *Aut eo amplius.* Meus, *et eo amplius.*

13. *Ab Africa. Africa* tantum, deleto *ab*, legunt tres

liis Romam revexit. Regulus, bellum Carthaginiense sortitus, iter cum exercitu faciens, haud procul a flumine Bagrada castra constituit, ubi cum plurimos militum, aquandi necessitate ad flumen descendentes, [14] serpens miræ magnitudinis devoraret, Regulus ad expugnandam bestiam cum exercitu profectus est: sed nihil in tergo ejus proficientibus jaculis, atque omni telorum ictu irrito, quæ per horrendam squamarum cratem quasi per obliquam scutorum testudinem labebantur, mirumque in modum, ne corpus læderent, ipso corpore pellebantur, cum insuper magnam multitudinem morsu comminui, impetu proteri, halitu etiam pestifero exanimari videret, [15] balistas deferri imperavit, per quas [16] murale saxum spinæ ejus incussum, compagem totius corporis solvit. Talis siquidem est natura serpentis, ut cum pedibus carere videatur, **237** costis tamen et squamis, quas a summo gutture usque ad imam alvum parili modo dispositas habet, ita instruatur, ut squamis quasi unguibus, costis quasi cruribus innitatur. Non enim ut vermis, cui spinæ rigor non est, [17] et in directum corpusculi sui partes gradatim porrigendo contractas, contrahendo porrectas, motum explicat, sed alternis intenta conatibus latera sinuosa circumfert, ut per exteriorem spinæ curvaturam, rigentem costarum aciem tendat, costis autem natura ad summum rectis squamarum ungulas figat: quod vicissim et celeriter agendo, non solum plana perlabitur, sed etiam convexa conscendit, tot vestigiis instructa quot costis. Hujus itaque rei causa est, ut si in qualibet corporis parte ab alvo usque ad caput ictu aliquo collidatur, debilis reddita [18] cursum habere non possit, quia [19] ubicumque ille ictus inciderit, spinam solvit, per quam costarum pedes et motus corporis agebantur; unde etiam [20] hic serpens, qui tamdiu tot jaculis invulnerabilis obstitit, ad unius saxi ictum debilis cessit, ac mox circumventus telis facile oppressus est. Corium autem ejus Romam devectum (quod fuisse centum viginti pedum spatio ferunt) aliquamdiu cunctis miraculo fuit. [21] Regulus adversus tres imperatores, id est, Asdrubales duos et accitum ex Sicilia Amilcarem, atrocissimum bellum gessit, in quo [22] cæsa sunt Carthaginiensium septemdecim millia, capta autem quinque millia, elephanti decem et octo abducti, [23] oppida octoginta duo in deditionem cessere Romanis.

238 CAPUT IX.

Carthaginienses, negata sibi pace, auxilia undique contraxisse, ac Xanthippo Lacedæmonio duce Romanos stravisse, Regulum cepisse, eamque injuriam Æmilium et Fulvium ultos fuisse.

Carthaginienses, fracti bellis et cladibus exinaniti, pacem a Regulo poposcerunt: sed cum intolerabiles et [1] duras conditiones pacis audissent, [2] tutius rati sese armatos mori quam miseros vivere, pretio non solum Hispanorum vel Gallorum auxilia, quæ jam dudum plurima habebant, sed etiam Græcorum comparanda duxerunt. [3] Itaque Xanthippum, Lacedæmoniorum regem, cum auxiliis accitum, ducem bello præfecerunt. Xanthippus, inspectis Pœnorum copiis atque in campum deductis, longe in melius mutato apparatu, pugnam cum Romanis conseruit. Ingens ibi ruina [4] Romanarum virium fuit: nam triginta millia [5] Romanorum in illa tunc congressione prostrata sunt. Regulus ille [6] dux nobilis cum quingentis

HAVERCAMPI NOTÆ.

Florentt. cum Perizon., Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov.

14. *Serpens miræ magnitudinis.* Hanc historiam de serpente a T. Livio curiose pariter ac facunde relatam initio lib. XVIII scribit Valerius libro I extremo. Recitat eamdem e Tuberone Gellius libr. VI cap. 3. FABR.

15. *Balistas deferri.* Quidam ex mss. et edd., *balistas deferre.*

16. *Murale saxum.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *molare saxum.* Idem in Vincentio Bellovacensi inveni Spec. Histor. lib. VI, cap. 35.

17. *Et in directum.* Male coaluit in edd. Fabr., *indirectum.* Male quoque paulo ante in edd., *instruitur*, pro *instruatur*, quod in mss. est.

18. *Cursum habere non possit.* Ed. August. haud inepte legit, *cursu abire non possit*, coactus scilicet in loco, ubi vulnus accepit, manere.

19. *Ubicumque ille ictus inciderit.* Pro *ille ictus*, vulgati, excepta August., exhibent *illi ictus.* Sed aliter legere jubet cod. Longob. cum tribus Lugd. Batt. atque Coll. Gronov. et Perizon., qui omnes probant *ille ictus.* In Meo legitur *illic ictus*, quod locum tueri satis potest.

20. *Hic serpens.* In Florentt. pr. et sec. pluribusque aliis mss. *hæc serpens* legitur, et dein *quæ*, ut et *circumventa*, atque *oppressa.*

21. *Regulus adversus tres imperatores.* Eutropius tres duces sine nomine edit. Polybius, Ἀσδρούβαν, Βώσταρον καὶ Ἀμίλκαν nominat. FABR.

22. *Cæsa* XVII *millia.* Eutropius, X et IX *millia hostium cecidit.* FABR.

23. *Oppida* 82. Eutropius, 74 *civitates in fidem accepit.* FABR.

CAP. IX. — 1. *Duras conditiones.* Idem scribit Polyb. lib. I, Eutrop. II. FABR.

2. *Adjurati sese.* Hoc quia mss. habebant, Fabricius ad marginem ascripserat, præ quo retinuit vulgatum, *tutius rati.* Ferri scripta lectio potest, si *malle* Græco more exaudias. LAUT. — Ego in iis, quos consului, mss. inveni *tutius rati.*

3. *Xanthippum Lacedæmoniorum regem.* Regem hunc Lacedæmoniorum fuisse, nemo, quod sciam, scribit, ducem missum Carthaginiensibus omnes. Cicero, III de Offic. Xanthippum Lacedæmonium vocat. Polybius Ξάνθιππόν τινα Λακεδαιμόνιον ἄνδρα, τῆς Λακωνικῆς ἀγωγῆς μετεσχηκότα, καὶ τριβὴν ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἔχοντα σύμμετρον; id est: *Xanthippum virum Lacedæmonium, qui Spartano more educatus mediocrem in re militari usum habebat.* FABR.

4. *Romanarum.* *Romanorum* Meus et Lugd. Bat. pr. cum ed. Scotti. Tres Florentini, *militum Romanorum.* Melius sonat *Romanarum virium*, ut vires *Romanæ*, non *Romanorum*, innuantur.

5. *Nam triginta millia.* Appianus in Libyca: Ἀπὸ τρισμυρίων ἀνδρῶν, οὓς ὁ Ἀτίλιος ἦγεν, ὀλίγοι μόλις αὐτῶν ἐς Ἀσπίδα πόλιν διέδρασαν· οἱ δὲ λοιποὶ πάντες, οἱ μὲν ἀπώλοντο, οἱ δ' ἐζωγρήθησαν. *E triginta millibus, quibus Atilius dux præerat, pauci Aspidem ægre confugerunt: reliqui omnes partim occisi partim capti sunt.* Duo millia evasisse Polybius et Eutropius tradunt. FABR.

6. *Dux nobilis.* Quidam, *vir nobilis*, alii utrumque, *dux vir nobilis* habent. Cod. Florent. sive Lon-

viris captus est, et, in catenas conjectus, [7] decimo demum anno Punici belli nobilem triumphum Carthaginiensibus præbuit. [8] Xanthippus, tam audacis facti conscius, rerum **239** instabilium mutationem timens, illico ex Africa migravit in Græciam. Igitur Æmilius Paulus et Fulvius Nobilior consules, audita captivitate Reguli et clade exercitus Romani, transire in Africam [9] cum classe trecentarum navium jussi, Clupeam petunt. Eo confestim Carthaginienses cum pari classe venerunt, nec differri potuit navale certamen. Centum et quatuor naves Carthaginiensium demersæ, triginta cum pugnatoribus captæ, [10] præterea triginta quinque millia militum [11] ex ipsis cæsa sunt Romanorum autem novem navibus depressis, mille centum periere milites. Consules apud Clupeam castra posuerunt. Duo Annones, imperatores Pœnorum, eo rursum cum magno exercitu convenerunt, prælioque commisso, novem millia militum perdiderunt. [12] Sed et tunc apud Romanos numquam diuturna felicitas erat, et qualescumque successus magnis continuo malorum molibus obruebantur. Cum Romana classis ad Italiam prædis onusta remearet, infando naufragio eversa est: [13] nam de trecentis navibus [14] ducentæ et viginti perierunt, octoginta vix abjectis oneribus liberatæ sunt. Amilcar, dux Pœnorum, cum exercitu in Numidiam Mauritaniamque missus, postquam hostiliter cruenteque in universos egit, quod Regulum [15] libenter suscepisse dicerentur, mille argenti talentis, et viginti millibus boum reliquos condemnavit. Principes autem omnium populorum patibulo **240** suffixit. [16] Tertio anno, sicut semper indomitus furor cito periculorum obliviscitur, Servilius Cæpio et Sempronius Blæsus consules, [17] cum ducentis sexaginta navibus in Africam transgressi, universam oram maritimam, quæ circa Syrtes jacet, depopulati sunt: atque in superiora progressi, captis eversisque civitatibus plurimis, ingentem prædam ad classem [18] devexerunt. Inde, [19] cum ad Italiam rediirent, circa Palinuri promontorium, quod a Lucanis montibus in altum excurrit, illisi scopulis, centum quinquaginta naves onerarias, nobilemque prædam crudeliter acquisitam, infeliciter perdiderunt. Vicit aliquando apud Romanos improbissimam cupiditatem enormitas miseriarum: nam Patres, quibus jam nauticæ rei [20] pertæsum esset, decrevere ne amplius quam sexaginta navium classis ad subsidium haberetur Italiæ, quod quidem decretum continuo, adacti indomita cupiditate, ruperunt. [21] Præterea Cotta consul in Siciliam transgressus, plurimis præliis adversum Pœnos et Siculos terra marique pugnavit, et per totam Siciliam partim hostium, partim etiam sociorum, [22] inhumatas strages reliquit. L. Cæcilio Metello, [23] C. Furio Pacilo consulibus,

HAVERCAMPI NOTÆ.

gob., *dux nobilis*, et sic plerique mss.

7. *Decimo demum anno.* Decimus annus hujus belli fuit post consulatum Reguli et Manlii, Fulvio et Æmilio coss., quo anno Regulum captum recte putat Sigonius. Nam et Appianus de captivis agens, καὶ μετ' αὐτῶν, inquit, ὁ στρατηγὸς Ἀτίλιος, ὕπατος γεγονὼς, αἰχμαλωτὸς ἦν. Cicero tamen lib. III de Offic. ita scribit: *M. Atilius Regulus, cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset*, etc. FABR.

8. *Xanthippus, tam audacis.* De causis, quare Xanthippus subito ex Africa discesserit, Polybius legendus, et Appianus. FABR. — Polybium, quem vide lib. I, cap. 36 sequitur Orosius, Romani aliam, ut probrosam Pœnis, passim secuti sunt sententiam, quam pluribus refert Appian. in init. de Bel. Punico, atque his verbis persequitur Silius Italicus lib. VI, vers. 680:

> Nec non projectum puppi, frustraque vocantem
> Numina, Amycleum mergebat perfida ponto
> Rectorem manus, et feras tibi, Regule, pœnas
> Xanthippus digni pendebat in æquore lethi.

9. *Cum classe trecentarum navium.* Idem numerus est in Eutropio, Polybius: τριακόσια καὶ πεντήκοντα σκάφη habet. FABR.

10. *Præterea, triginta quinque millia.* In impressis Eutropii libris est *Quindecim millia hostium aut occidit aut cepit.* Sed cum in nostro manuscripto sit: v *millia*, puto numerum, quo *triginta* significata fuerunt, intercidisse. FABR.

11. *Ex ipsis.* Abest hoc in vett. edd. ante Bolsuingianam et Hittorp. In quibus ipsis male mox *deprehensis* pro *depressis*, quod ed. Aug. cum mss. exhibet.

12. *Sed et tunc.* Mss. omnes, *sed ut tunc*, etc., verum tum minor distinctio poni debet post *obruebantur.*

13. *Nam de trecentis navibus.* Eutrop. aliter, *Tanta tempestas fuit, ut ex 463 navibus, 80 servari vix potuerint.* Sic et Polybius τῶν γὰρ ἑξήκοντα καὶ τετττάρων πρὸς ταῖς τριακοσίαις ναυσὶν, ὀγδοήκοντα μόνον συνέβη περιλειφθῆναι σκάφη. FABR.

14. *Ducentæ et viginti*, etc. Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov., CCXXX *perierunt*, *septuaginta vix*, etc.

15. *Libenter.* Abest a duobus Lugd. Batt. et Coll. Gronov.

16. *Tertio anno.* Orosius hic duos annos extremos connumerat. Nam inter hos consules ac superiores Paulum, et Nobiliorem, unus tantum annus interfuit. De rebus ab his coss. gestis Polybius et Eutrop. FABR.

17. *Cum ducentis.* Sic repone ex cod. August. pro *ducentis*, quod in reliquis est.

18. *Devexerunt.* Duo ex Lugd. Batt. cum Coll. Gron. et ed. Aug., *deduxerunt.*

19. *Cum ad Italiam.* Ed. Aug., *cum Italiam rediirent.*

20. *Pertæsum esset.* Editi omnes, præter August. *erat* reposuerunt, ut melius Latine dictum, sed mss. omnes constanter scribunt *esset*, quod ab Orosio, ejusdem sæculo profectum videtur.

21. *Præterea Cotta consul.* C. Aurelius Cotta consul cum P. Servilio Gemino fuit anno urbis DI quo eum de Pœnis et Siculis triumphasse Capitolinis tabulis est proditum. FABR.

22. *Inhumatas strages.* Vulgati, *inhumanas*: inhumane certe. LAUT. — Comprobatur ea lectio Lautii non modo iis mss. ex quibus in edd. reliquis, ut Bols. Hittorp. et seqq. fuit reposita, sed et Florentt. primo et tertio, et meo codice, ut et illo qui quondam Perizonii fuit. Flor. sec. habet *innumeras strages.* Cotta vero proconsulare imperium eo anno in Sicilia habuisse videtur. Vox *etiam* in duobus mss. Lugd. Batt. non invenitur.

23. *Furio Pacilo. Pacilus*, non *Placidus* Furii cognomen est in Fastis Capit. quorum auctoritas nobis gravissima est. De re a Metello gesta Polyb. et Eutrop. FABR.

Asdrubal, novus Carthaginiensium imperator, cum elephantis centum triginta et equitum peditumque amplius triginta millibus, Lilybæum venit ex Africa, et continuo cum Metello consule apud Panormum pugnam conseruit. Sed Metellus, vim magnam belluarum timens, prius eas, magno usus consilio, vel in fugam, vel in mortem egit, et sic facile quamvis magnam vim hostium superavit. Viginti millia Carthaginiensium in eo prælio cæsa sunt, elephanti quoque viginti sex interfecti **241** [24] centum et quatuor capti, et per Italiam ducti, maximum Italicis gentibus spectaculum præbuerunt. Asdrubal cum paucis Lilybæum profugit, atque absens a Pœnis capitis damnatus est.

CAPUT X.

Quod Pœni pace sibi negata Regulum crudeliter interemerint. Romanos parum feliciter in Siciliam semel atque iterum pugnantes, tandem vicisse.

Post hæc, fessi tot malis Carthaginienses, petendam esse a Romanis pacem decreverunt. [1] Ad quam rem Atilium Regulum antea ducem [2] Romanum, quem jam per quinque annos captivum detinebant, inter cæteros legatos præcipue mittendum putaverunt: quem, non impetrata pace, ab Italia reversum, [3] resectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necaverunt. [4] Alter deinde Atilius Regulus, et Manlius Vulso ambo iterum consules, cum classe ducentarum navium et quatuor legionibus Lilybæum [5] profecti sunt: quod oppidum in promontorio situm, **242** Romani obsidere cōnati, superveniente Annibale, qui Amilcaris filius fuit, victi, majore exercitus sui parte perdita, ipsi ægre evaserunt. [6] Post hos Claudius consul [7] cum classe centum et viginti navium ad Drepani portum [8] contra hostem profectus, ibique mox exceptus classe Pœnorum, superatus est. Et ipse quidem cum triginta navibus Lilybæum in castra [9] confugit: reliquæ omnes, hoc est nonaginta, aut captæ, aut demersæ fuerunt: octo millia militum cæsa, viginti millia capta referuntur. Caius quoque Junius, collega Claudii, universam classem naufragio amisit: [10] Anno etiam [11] consequenti, classis Punica in Italiam transiit, ejusque plurimas partes longe lateque vastavit. Interea [12] Lutatius cum classe trecentarum navium in Siciliam transvectus, dum apud Drepanum civitatem pugnam [13] inter primores ciet, transfixo femore ægerrime, cum jam obrueretur, ereptus est. Porro autem Pœni cum quadringentis navibus magnisque copiis ad Siciliam, duce Annone, concurrunt. Nec Lutatius segnior, immo consilia Pœnorum celeritate mira prævenit. **243** Postquam proxime sibi utrorumque classes [14] apud Ægates insulam, per totam

HAVERCAMPI NOTÆ.

24. *Centum et quatuor capti et per Italiam ducti.* In Eutropio est, *Metellum per Italiam duxisse elephantos* 130. Plin. lib. VIII, c. 6 scribit *Metellum in Italiam transvexisse* 142. At in Epitoma, lib. XIX legimus in Metelli triumpho ductos 120. FABR.

CAP. X. — 1. *Ad quam rem Atilium.* Victis a Metello Carthaginiensibus, Regulus Romam ad senatum missus juratus, et captivos reddendos negavit, Carthaginemque ad supplicium rediit, qua de re disputat Cic. lib. III de Offic. multisque aliis locis mentionem facit. Vide Livium lib. XVIII, Eutropium II, Valerium I cap. 1, Gell. VI cap. 4, Horat. libr. III, Carm. oda 5, Silium lib. VI. FABR.

2. *Romanum.* Ed. August., *Romanorum.*

3. *Resectis palpebris.* Verba sunt Ciceronis de supplicio Reguli in orat. in Pisonem. Quod vero M. Tullius ait Regulum in machina esse necatum, id Appianus sic expressit, *καὶ αὐτὸν οἱ Καρχηδόνιοι καθείρξαντες ἐν γαλεάγρᾳ κέντρα πάντοθεν ἐχούσῃ διέφθειραν.* FABR.

4. *Alter deinde Atilius Regulus.* C. Atilius Regulus et L. Manlius Vulso consules iterum fuerunt anno DIII. Horum consulum nomina in meo manuscripto Justino libr. XLI integra sunt, nisi quod pro *Vulsone* more antiquo scriptum est, *Bulsone*: unde in vulgatis factum est *Pisone.* Ea quæ hi consules cum Pœnis gesserunt, multis verbis narrat Polybius. FABR.

5. *Profecti sunt.* In solo cod. meo postremum verbum apparet, a reliquis mss. abest.

6. *Post hos Claudius consul.* Hic est P. Claudius Ap. F. qui, cum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollent. Cic. lib. II de Natur. FABR.

7. *Cum classe centum et viginti navium.* His tres addit Polybius, qui omnem rem copiose narrat. FABR.

8. *Contra hostem profectus.* In cod. meo additur *est.* Dein pro *ibique mox*, cod. Perizon. legit *ibi mox*, at reliqui omnes *ubi mox*, quorum magna deinde pars delet *est* post *superatus*; unde puto sic reformari verba debere, *contra hostem profectus, ubi mox exceptus classe Pœnorum et superatus, ipse quidem* etc. Pro *exceptus* in Lugd. Batt. tribus et Coll. Gronov. est *acceptus.*

9. *Confugit.* Meus, *profugit*, et mox *mersæ* pro *demersæ.* Ed. Aug. *demersæ sunt.* Pro *referuntur* in Meo *feruntur.*

10. *Anno etiam consequenti.* Hæc a Diacono Eutropii historiæ inserto pro Eutropianis vulgo leguntur. FABR.

11. *Consequenti.* Tres ex Lugd. Batt. cum Coll. Gronov., *sequenti.*

12. *Lutatius cum classe trecentarum navium.* C. Lutatius Catulus cos. cum A. Postumio Albino fuit anno ab Ur. con. DVI. Catulum cum *classe* 300 *navium transvectum* ex vetustis libris scripsimus, cum vulgo sit *classis* 200 *navium.* Eutropius quoque auctor est, Catulum cum 300 navibus in Siciliam prefectum fuisse. Neque vero adduci possum ut credam populum R. præter 200 illas quinqueremes, quas a privatis ædificatas scribit Polybius, nullas alias naves publicas habuisse. FABR.

13. *Inter primores ciet.* Ita reposuimus ex auctoritate Cod. Longob., astipulantibus quoque sec. et tertio Florentt. In Vulgatis legitur inepte *inter primores Siciliæ cieret.* Videlicet ex *ciet*, vel *cieret*, nata videtur varia lectio *Siciliæ* in quibusdam mss., atque inde utraque lectio fuisse conjuncta. Et hinc *cieret* deest in ed. August. atque in Coll. Gronov., et pro eodem verbo *gerit* in Lugd. Batt. pr. et quart. invenitur. In meo ms. quoque melior illa lectio *inter primores ciet*, invenitur, sed ita ut supra *ciet* lineola ducatur, quæ innuere videtur *cieret* ibidem debere scribi. Pro *inter primores* Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov. habet *inter primos.*

14. *Apud Ægates insulam.* Polybius, *ἔπλευσε πρὸς τὴν Αἴγουσαν νῆσον τὴν πρὸ τοῦ Λιλυβαίου κειμένην.* Silius lib. I:

..... Avet Ægates abolere parentum
Dedecus.

noctem intertextis propemodum ancoris constiterunt, orta luce, prior Lutatius signum bello dedit. Crudescente pugna, victus Anno navem avertit, et dux fugæ primus fuit. Aliquanta cum eo pars exercitus sui Africam [15] petit, alii confugere Lilybæum, [16] sexaginta et tres Punicæ naves captæ sunt, centum viginti quinque demersæ, triginta duo millia hominum capta, cæsa quatuordecim millia fuere. Romanorum autem duodecim naves demersæ sunt. Lutatius deinde ad Erycinam civitatem, quam Pœni tenebant, venit; ibique duo millia Carthaginiensium, conserta pugna, interfecit.

CAPUT XI.

Carthaginienses conditionibus pretioque pacem impetrasse: calamitosam Tiberis inundationem, ignisque cujusdam vastationem Romæ fuisse. De bello in Faliscos.

Tunc Carthaginienses præcipiti festinatione ad Lutatium consulem, ac deinde Romam mittunt, orant pacem: quam conditionibus [1] ante propositis illico consequuntur. Conditiones autem erant, [2] ut Sicilia Sardiniaque decederent, [3] proque impensis bellicis puri **244** argenti tria millia [4] talentorum Euboicorum, æquis pensionibus, per annos viginti penderent. Hujus pacis conditio est habita [5] post annum tertium et vigesimum, ex quo bellum Punicum primum fuerat inchoatum. Quis, rogo, duarum civitatum unum bellum per annos viginti tres gestum fando explicet? quot reges Carthaginiensium, quot consules Romanorum, quot agmina exercituum, quantum numerum navium contraxerit, profligarit, oppresserit? et tum demum, si illa ad plenum perpensa videantur, de præsentibus judicetur. [6] Anno ab Urbe condita DVII repentina subversio ipsius Romæ prævenit triumphum Romanorum: neque enim temere dixerim, quando non vel modicam lætitiam Romæ superveniens repente quam gravissimus luctus oppresserit. Si quem [7] Q. Lutatio, A. Manlio consulibus, diversæ ignium aquarumque clades pene absumpsere Urbem. Nam Tiberis insolitis auctus imbribus, et ultra opinionem vel diuturnitate vel magnitudine redundans, omnia Romæ ædificia [8] in plano posita delevit. Diversæ qualitates locorum, ad unam convenere perniciem: quoniam et quæ segnior redundatio tenuit, madefacta dissolvit, et quæ cursus torrentis invenit, impulsa dejecit. Aquarum gravissimam cladem gravior ignis secuta vastatio est: qui ignis, incertum unde surrexerit, plurimas civitatis partes pervagatus, cum hominum domorumque miserabilem stragem fecit, tum etiam tantum opum uno consumpsit incendio, quantum plurimæ et peregrinæ victoriæ conferre [9] vix possent. Dehinc cum omnia in circuitu fori popularetur, **245** [10] ædem Vestæ corripuit. Et ne sibi quidem diis subvenientibus, ignem illum, qui æternus putabatur, temporarius ignis oppressi: unde etiam Metellus, dum arsuros deos eripit, vix [11] brachio semiustulatus aufugit. [12] Ti. Sempronio Graccho, P. Valerio Faltone consulibus, cum Faliscis bellavere Romani, eoque prælio quindecim millia Faliscorum interfecta sunt.

CAPUT XII.

Gallos Cisalpinos, Romanis novos infestosque hostes, cæsos: Sardiniam rebellantem subactam, Pœnos æ-

HAVERCAMPI NOTÆ.

Pugnatum est VI. *idus Martias*, inquit Eutropius. FABR.

15. *Petit.* Cod. Longob. *petiit.*

16. *Sexaginta et tres Punicæ naves captæ sunt*, In numeris Orosii libri cum Eutropianis fere consentiunt. Polybio cum his magna dissensio est. FABR.

CAP. XI. — 1. *Ante propositis.* Florent. sec. cum edit. August., *ante positis.* Forte melius.

2. *Ut Sicilia Sardiniaque decederent.* Polybius, Ἐκχωρεῖν τῆς Σικελίας ἁπάσης, Καρχηδονίους, καὶ τῶν νήσων, ὅσαι μεταξὺ τῆς Ἰταλίας κεῖνται καὶ Σικελίας. *Pœni omni Sicilia et insulis, quæ inter Italiam et Siciliam sunt, decedunto.* Livius libro XXI: *Pœni navali ad Ægates clade accepta, Sicilia et Sardinia cessere.* FABR.

3. *Proque impensis bellicis.* Ἀργυρίου κατενεγκεῖν Καρχηδονίους Ῥωμαίοις ἐν ἔτεσιν εἴκοσι δυσχίλια καὶ διακόσια τάλαντα Εὐβοϊκά. *Pœni Romanis in annos 20 duo millia et ducenta talenta Euboica pendunto.* Sed decem legatos tempus stipendii mutasse, ac mille talenta addidisse, idem subjicit. FABR.

4. *Talentorum.* Florentt. tres, *talentum.* Mox edd. vett. quædam, *portionibus* pro *pensionibus.*

5. *Post annum tertium ac vigesimum.* Polybius et Livius, qui tempus hujus belli excitati respiciunt, scribunt id gestum annis 24; sed Orosius numerat ab Ap. Claudio et Q. Fulvio coss. quibus bellum Punicum primum geri cœptum est. FABR.

6. *Anno ab Urbe condita* DVII. Hic annus, quo Q. Lutatius et A. Manlius coss. fuerunt, in Fastis Capitolinis est DXII. Ubi vides Orosium, ut superius, ita hic quoque, annos quinque minus numerare. FABR.

7. *Q. Lutatio, A. Manlio coss. Catuli* nomen, quod Lutatio in Orosii libris datur, nos delevimus: cum ille non ex Catulorum, sed *Cerconum* familia fuerit, atque in Capitolinis Fastis sic describatur, Q. LUTATIUS C. F. C. N. CERCO. FABR. — In editt. Fabricianis et illa Scotti, omittitur cognomen Catuli, quod in reliquis, ut et mss. omnibus invenitur; contra veritatem certe, nisi ipsum Orosium errasse dicamus.

8. *In plano posita delevit.* Lugd. Bat. tert., *in plano posita dejecit*, et sic quoque legit Vincent. Bellov. lib. VI, cap. 38. Ed. Aug., *in plano sita dejecit.*

9. *Vix possent.* In omnibus mss. inveni *non possent.* Nec aliter Vincentius Bellovacensis.

10. *Ædem Vestæ corripuit.* De æde Vestæ incensa Livius lib. XIX: nocte eam arsisse tradit Valer. lib. I, cap. 4. L. Metellus pont. max. hoc incendio, cum Palladium raperet ex æde Vestæ, lumina amisit, auctor Plinius lib. VII, cap. 43, et Plutarchus in Parallelis. FABR.

11. *Brachio semiustulatus.* Mss. et editi quidam, *brachio semiusto ablatus.* Vincentius Metellum pontificem vocat.

12. *Ti. Sempronio Graccho, P. Valerio Faltone coss.* Consules hi ex Capitolin. Fastis an. DXV fuerunt. Quod autem Orosius bellum Faliscorum ad hunc annum refert, in eo dissentit ab Eutropio, qui id triennio ante, Cercone et Torquato coss., gestum scribit, eosque de Faliscis triumphasse notatum est in tabulis Capitolinis. FABR.

gre pacem impetrasse, Jani portas uno anno fuisse clausas.

Eodem anno Galli Cisalpini novi exstitere hostes, adversum quos varia sorte bellatum est : nam in primo conflictu [1] Valerii consulis tria millia quingenti cecidere Romani, secundo [2] quatuordecim millia Gallorum cæsa, duo millia capta sunt, sed ob priorem cladem triumphus consuli denegatus est. T. Manlio Torquato, C. Atilio Bulbo consulibus, [3] Sardinia insula rebellavit, auctoribus Pœnis, unde mox Sardi subacti et oppressi sunt. Carthaginiensibus autem violatoribus pacis, quam ipsi [4] poposcissent, inferri bellum decretum est. Contra Carthaginienses pacem suppliciter poposcerunt ; et cum bis missis legatis nihil profecissent, post etiam decem principibus bis æque supplicantibus, nec impetrarent, novissime Annonis, minimi hominis inter legatos, **246** [5] oratione meruerunt. [6] Hoc anno porta Jani Gemini clausa est, quia nusquam eodem anno bellum erat, quod sub Numa solum Pompilio rege provenerat. [7] Hinc demum nobis tacendum est, et tempora quibus conferri nostra nullo modo possunt, silentio transmitti expedit ; ne obtrectatores dierum vitæ suæ ad insultandum potius sibi hoc strepitu suscitemus. Ecce portæ Jani clausæ fuerunt, foris bellum Romanorum non fuit, omnem sobolem suam in gremio suo conquiescentem [8] Roma continens non suspiravit. Et hoc quando? post primum bellum Punicum : post quantum temporis? [9] post annos quadringintos et quadraginta : quamdiu? anno uno : et quid altero subsecutum est? ut de cæteris taceam, bellum Gallicum, et Annibal cum bello Punico secundo. Hei mihi cognovisse hæc et [10] denudasse quam etiam me pudet! Pax ista unius anni, vel magis umbra pacis, lenimentum miseriarum, an incentivum malorum fuit? stillicidium illud olei, in medium magnæ flammæ cadens exstinxit fomitem tanti ignis, an aluit? Parum aquæ frigidæ ardentissimis haustum in febribus, sanavit ægrotum, an potius incendit? per annos prope septingentos, id est, ab Hostilio Tullo usque ad Cæsarem Augustum, una tantummodo æstate, Romana sanguinem **247** viscera non sudarunt : et inter plurimas magnorum sæculorum ætates misera civitas, vere misera mater, vix uno tempore a timore luctuum, ut non dicam ab ipsis luctibus, conquievit. Hoc si quisquam hominum tam parum in vita sua quietis habuisset, numquid vel vixisse diceretur? Aut si quisquam per totum annum doloribus et cruciatibus [11] angatur, medio autem anni ipsius spatio unum tantum diem tranquillum, et sine conflictationibus transigat, numquid [12] ex eo levamentum malorum accipiet, ac non totum annum miseriis deputabit? Sed illi, inquit, hunc annum pro glorioso signo infatigabilis virtutis collocaverunt : atque utinam pro oblivione calamitatis [13] continuæ præteriissent. Nam sicut in corpore hominis ita demum lepra [14] dignoscitur, si variatim inter sanas cutis partes color diversus appareat ; at si ita se ubique diffundat, ut omnia unius coloris [15] quamvis adulterini faciat, perit illa discretio : ita si labor continuus æquali tolerantia, sine respirandi appetitu perfluxisset, intentio voluntatis et electio consuetudinis diceretur. Cum autem in hoc [16] pauxillulum otii [17] tantopere

HAVERCAMPI NOTÆ.

Cap. XII. —1. *Valerii consulis.* Sex ex mss., *Valerio consule.*

2. *Quatuordecim.* Ed. Aug., *tredecim.* Supra *quinginti* abest a Lugd. Bat. sec.

3. *Sardinia insula rebellavit.* De hac re Polyb. in fin. lib. I, Eutrop. III. Fabr.

4. *Poposcissent.* Ed. Aug., *poposcerant.*

5. *Oratione meruerunt.* Quam iste anno, minimus inter legatos, orationem habuerit, injuria temporis, et scriptorum penuria nescimus. Succedat igitur simile in patriam meritum, belli Punici secundi fine, Asdrubalis Hædi, qui acuto suo, quod senatui Romanorum in curia dedit, responso memorabilis et tum et nunc esse meruit. Subclamante enim senatore quodam, Carthaginiensibus pacique infesto : *Per quos deos fœdus icturi essent, cum eos, per quos ante ictum esset, fefellissent?* respondisse ferunt Asdrubalem, *Per eosdem, qui tam infesti sunt fœdera violantibus.* Livius lib. XXX, cap. 42.

6. *Hoc anno porta Jani.* Hujus rei mentionem fecimus in c. 8 lib. III. Plutar. in Numa : Μάρκου Ἀτιλίου καὶ Τίτου Μαλλίου ὑπατευόντων ὁ νεὼς τοῦ Ἰανοῦ ἐκλείσθη χρόνον οὐ πολὺν, εἶτα εὐθὺς ἀνεῴχθη πολέμου συῤῥαγέντος. *M. Atilio, et T. Manlio coss., templum Jani clausum non diu fuit, sed continuo bello exorto rursus apertum est.* Fabr.

7. *Hinc demum.* Perizon. cum Lugd. Bat. sec. et Coll. Gronov., *hic demum.* Quod præcessit aliquanto *solum*, non exstat in eadem Coll. ut nec in ed. Aug.

8. *Romana continens.* Sic Colon. et quidem Orosiane pro *orbis Romanus.* Vulgo, *Roma continens.* Laut. —In Coll. Gron. est *Roma sustinens.* Vulgata lectio se recte habet. Sic infra, *misera civitas, vere misera mater*, ubi itidem de Roma urbe sermo est. In Lautii emend. nullus sensus est.

9. *Post annos* CCCCXL. Legitur etiam, CCCCL, sed alter numerus verior, cum tot fere anni a principio regni Hostilii ad Manlium et Atilium numerentur. Fabr. — Cod. Longob., *post annos* CCCL, Flor. sec. et tert. ut et tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov., Codd. quoque Meo et Perizon., Ultr. et ed. Aug., CCCCL; at edd. vett. exhibent CCCCLX.

10. *Denudasse.* Edit. Aug., *enumerasse.* Lugd. Bat. tert., *dubitasse.*

11. *Angatur.* In omnibus mss. est *agatur*, defectu lineolæ, quæ solebat supra litteras duci.

12. *Ex eo.* Mss. et editi quidam, *ex eo die.*

13. *Continuæ præteriissent.* Ed. August., *continuo præterisset.* Coll. Gronov., *continuo præterissent.*

14. *Dignoscitur.* Meus, *cognoscitur.*

15. *Quamvis adulterini faciat.* Ita legendum est, non *quamvis adulteri facias*, ut in recentioribus vulgatis est. De lepra enim sermo est, quæ ita se diffundat, ut omnia unius faciat coloris, scilicet albi qui color tamen est adulterinus, quia non est candor sincerus et sanus. Illud *faciat* suppeditant nobis edd. vett. cum mss., *adulterini* vero ex edit. August. desumptum est. edd. Venetæ, *adulterari faciat.*

16. *Pauxillulum.* Cod. Longob., *pausillum.* Flor. tert. cum Meo et ed. August., *pauxillum.* Flor. sec. et Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., *pusillum.*

17. *Tantopere vel majorum gaudia.* Cod. Perizon., *tanto periculo majorum gaudia.*

vel majorum gaudia, vel minorum studia [18] reclinantur, profecto discernitur, et quam jucunditatem habuerit hæc brevitas, et quam amaritudinem illa prolixitas : hoc est, et quies illa quam grata fuisset, si diuturna mansisset, et hæc incessabilis miseria quam etiam vitanda fuerit, si vitari [19] quacumque arte potuisset.

248 CAPUT XIII.

De interitu Amilcaris, et bello Romanorum in Illyrios, ejusque causa. De bello in Gallos Cisalpinos : item in Insubres Gallos. De prodigiis variis. De nova Gallorum clade, belloque in Istros.

[1] Anno ab Urbe condita DXVII Amilcar, dux Carthaginiensium, ab Hispanis in bello, cum aliud bellum adversus Romanos clam pararet, occisus est. [2] Sequenti anno legati Romanorum ab Illyriis interfecti sunt. Post cum ipsis Illyriis atrocissimum bellum gestum est : in quo multis oppidis populisque deletis, reliqui se Fulvio Posthumioque consulibus dediderunt. Tertio deinceps anno miseram civitatem sacrilegis sacrificiis male potentes funestavere pontifices, namque decemviri [3] consuetudinem priscæ superstitionis aggressi, [4] Gallum virum et Gallam feminam cum muliere simul Græca in foro boario vivos defoderunt. **249** Sed obligamentum hoc magicum in contrarium continuo versum est. Namque diras illas quas fecerant externorum mortes, fœdissimis suorum cædibus expiaverunt, sequidem, [5] L. Æmilio Papo, C. Atilio Regulo consulibus, magna formidine [6] consternatus est senatus defectione Cisalpinæ Galliæ, cum etiam ex ulteriore Gallia ingens adventare exercitus nuntiaretur, [7] maxime Gæsatorum, quod nomen non gentis, sed mercenariorum Gallorum est. Itaque permoti consules, totius Italiæ ad præsidium imperii contraxere vires. Quo facto, in utriusque consulis exercitu octingenta millia armatorum fuisse referuntur, [8] sicut Fabius historicus, qui eidem bello interfuit, scripsit. [9] Ex quibus Ro-

HAVERCAMPI NOTÆ.

18. *Reclinantur*. Ed. Aug., *declinantur*. Lugd. Bat. tert., *redimantur*. Mox Coll. Gronov., *discernuntur*, ut et Lugd. Bat. tert. pro *discernitur*.

19. *Quacumque arte potuisset*. In mss. optimis, id est, tribus Florentt. Meo et Perizon, illud *arte* non invenitur. Edd. quoque primæ et Venetæ delent. Sic *quacumque* dictum erit, ut *aliqua* apud Virgil. Ecloga III, 15.

Et si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

Id est *aliquatenus, aliqua ratione*, ut explicat Servius.

CAP. XIII. — 1. *Anno ab Urbe con.* DXVII. Amilcar, pater Annibalis, auctore Cassiodoro, in Hispania occisus est, M. Æmilio Barbula, M. Junio Pera coss., qui annus in Fastis Capitolinis est ab Urbe con. DXXII. De Amilcaris interitu plura Polybius initio lib. II. FABR.

2. *Sequenti anno legati Romanorum*. Legatos Polybius lib. II nominat Γαΐον καὶ Λεύκιον Κορογκανίους : qui ad Teutam Reginam Illyriorum, ob injurias Italicis mercatoribus illatas missi fuerunt, atque alter eorum jussu reginæ interfectus fuit, ut idem scribit. In epitoma quoque libro vigesimo legitur, *Bellum Illyriis propter unum ex legatis, qui ad eos missi erant, occisum, indictum est*. Appianus item Coruncanii ab Illyriis interfecti meminit in Illyrico. Florus vero libro secundo, capite 5, legatos Romanos imperante Teuta occisos scribit. Plinius libro trigesimo quarto, capite sexto, nominat legatos P. Junium et T. Coruncanium, quibus, a Teuta Illyriorum regina interfectis, statuæ in Rostris positæ fuerunt. FABR.

3. *Consuetudinem priscæ superstitionis aggressi*. Pro *priscæ* Meus habet *pristinæ* : at pro *aggressi*, quomodo in vulgatis, sola Augustana excepta, legitur ; omnes mss. cum eodem ed. exhibent *egressi*. Quæ lectio nos ad veram ducere videtur ; puto enim sic esse scribendum, *Namque decemviri ad consuetudinem priscæ superstitionis regressi*. Quintilian. in Proœmio lib. I, p. 8, *Inde quidam, contempto bene dicendi labore, ad formandos animos statuendasque vitæ leges regressi*. Exemplum sacrificii similis occurrit apud Livium, aliquanto post, tempore Annibalis, peractum, lib. XXII, cap. 57.

4. *Gallum virum et Gallam*. Romani, inquit Plutarchus in Quæstionibus, δύο μὲν ἄνδρας δύο δὲ γυναῖκας ἐν τῇ βοῶν ἀγορᾷ λεγομένῃ, τοὺς μὲν Ἕλληνας, τοὺς δὲ Γαλάτας, ζώντας κατώρυξαν. Id vero eos ex libris Sibyllinis fecisse initio belli Gallici Cisalpini scribit idem in Marcello. FABR.

5. *L. Æmilio Papo*. Æmilio *Catuli* cognomen vulgo corrupte hic additur, sicut *Pauli* apud Plin. libro III, cap. 20. In Fastis Capitolinis hi consules an. DXXIIX sic nominantur, C. ÆMILIUS, Q. F. CN. N. PAPUS. C. ATILIUS. M. E. M. N. REGULUS. Hoc bellum Gallicum describunt Polybius libro II, Plutarchus in Marcello, Livius libro XX, Florus lib. II, capite 4, Eutropius libro II. FABR.

6. *Consternatus est senatus*. Revocavimus verbum *est* ex Lugd. Bat. tertio et Coll. Gronov. ; nam in Vulgg. abest, præterquam in August.

7. *Maxime Gæsatorum*. Ita hoc nomen ex optimo Corn. Gualtheri libro descripsi. Polybius : Διόπερ εὐθέως τὰ μέγιστα τῶν ἐθνῶν, τὸ Ἰνσόβρων καὶ Βοίων συμφρονήσαντα διεπέμποντο πρὸς τοὺς κατὰ τὰς Ἄλπεις καὶ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν κατοικοῦντας Γαλάτας, προσαγορευομένους δὲ διὰ τὸ μισθοῦ στρατεύειν Γαισάτους, ἡ γὰρ λέξις αὕτη τοῦτο σημαίνει κυρίως, id est : *Quo circa maxime gentes Insubrium et Boiorum, facta inter se societate, legatos miserunt ad Gallos, qui Alpes Rhodanumque accolunt, et a mercede, qua ad militiam conducuntur, Gæsati appellantur : id enim proprie hoc nomen significat*. Apud Plutarchum in Marcello hoc nomen corruptum est : legitur enim, καὶ μετεπέμποντο Γαλατῶν τοῦς μισθοῦ στρατευομένους, οἱ Γερᾶται καλοῦνται, quod mendum ego illis acceptum fero, qui παρὰ τὸ γέρας, hoc nomen deduci putarunt, Virgilius VIII Æneid.

..... Duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu. FABR.

8. *Sicut Fabius historicus*. Hic est Quinctius Fabius Pictor, qui his temporibus vixit, et non tantum huic bello, sed et paulo post secundo Punico, ut Livius scribit, interfuit. De hoc Eutropius, *Traditum est a Fabio historico, qui ei bello interfuit*, DCCC *millia hominum parata ad id bellum fuisse*. Plinius libro III capite vigesimo scribit, Italiam hoc tempore armasse equitum LXXX millia, peditum DCC millia. FABR.

9. *Ex quibus Rom. et Camp.* Polybius, Ῥωμαίων δὲ καὶ Καμπανῶν πληθὺς, πεζῶν μὲν εἰς εἴκοσι καὶ πέντε κατελέχθησαν μυριάδες, ἱππέων δὲ ἐπὶ ταῖς δύο μυριάσιν ἐπῆσαν ἔτι τρεῖς χιλιάδες. *Romanorum et Campanorum multitudo erat peditum ad* CCL *millia, equitum millia* XXIII. FABR.

manorum et Campanorum fuerunt peditum trecenta quadraginta octo millia ducenti, equitum vero viginti sex millia sexcenti : cætera multitudo sociorum fuit. Commisso prælio apud Aretium, Atilius consul occisus est: [10] octingenta millia Romanorum, nec saltem tanta, quanta **250** eos terrere debuit, cæsa sui parte, fugerunt : nam tria millia eorum tunc interfecta [11] historici tradunt, quod ideo ignominiosius turpiusque est, tam paucis amissis, tanta agmina diffugisse, quia se in aliis victoriis non viribus animorum prævaluisse, sed bellorum proventibus, prodiderunt. Quis enim, rogo, in exercitu Romanorum crederet numerum istum fuisse saltem, non dico fugisse ? Post hæc secundum cum Gallis prælium gestum est, in quo plane quadraginta millia Gallorum trucidata sunt. Sequenti anno Manlius Torquatus et Fulvius Flaccus consules, [12] primi trans Padum Romanas duxere legiones. Pugnatum est ibi cum Insubribus Gallis, quorum interfecta sunt viginti tria millia, [13] quinque millia capta sunt. Eo deinde anno, qui huic proximus fuit, dira miseram Urbem terruere prodigia. Miseram utique, quæ hinc fremitu hostium, inde nequitia dæmonum terrebatur, [14] namque in Piceno flumen sanguine effluxit, et apud Tuscos cœlum ardere visum est, et Arimini nocte multa lucem claram effulsisse, ac tres lunas distantibus cœli regionibus exortas apparuisse. Tunc quoque magno terræmotu Caria et Rhodus insulæ adeo concussæ sunt, ut labentibus vulgo tectis, [15] ingens quoque ille colossus **251** rueret. [16] Eodem anno Flaminius cos., contemptis auspiciis quibus pugnare prohibebatur, adversum Gallos conflixit, et vicit. [17] In quo bello novem millia Gallorum cæsa, decem et septem millia capta sunt. [18] Post hoc Claudius consul Gæsatorum triginta millia delevit, ubi etiam ipse [19] Virdomarum regem, in primam aciem progressus, occidit : et inter multa Insubrium, quos ad deditionem coegerat oppida, Mediolanum quoque, urbem florentissimam, cepit. [20] Deinde Istri, novi hostes, excitati sunt, quos Cornelius Minutiusque consules, [21] multo quidem Romanorum sanguine, subegerunt. Emergit hic paululum antiquus ille Romanorum improbæ laudis etiam de parricidiis appetitus. Nam [22] Fabius Censorius Fabium Buteonem, filium suum, furti insimulatum interfecit, dignum scilicet facinus, quod pater [23] vel parricidio plectendum duceret, quod ne leges quidem nisi [24] mulcta pecuniæ [25] aut ad summum exsilii, [26] circa quemlibet hominum censuerunt.

252 CAPUT XIV.

De bello Punico secundo. Annibal ingentes strages in Romanos edidit, per Gallos viam aperiens.

[1] Anno ab Urbe condita DXXXIV, Annibal, Pœnorum imperator, Saguntum, florentissimam Hispaniæ civitatem, amicam populi Romani, primum [a] bello

HAVERCAMPI NOTÆ.

10. *Octingenta millia Romanorum.* Vulgo contra fidem librorum manuscriptorum legunt, *et octoginta millia Romanorum*, non attendentes Orosium in hac historia exponenda sequi eos qui primum prælium, in quo Galli superiores fuerunt, scripserunt commissum junctis utriusque consulis copiis : ideoque cum significare vellet, universum exercitum in fugam conjectum fuisse, ait, DCCC millia Romanorum fugisse : tot enim fuisse paulo ante ex Fabio retulit. Polybius vero aliter de his rebus scribit, qui cum nostro neque in iis quæ sequuntur, consentit. FABR.

11. *Historici tradunt.* Fabr. et Scottus *historiæ*, quod est contra mss. et edd. omnes. Quod præcedit *eorum*, in quibusdam mss. et edd. non invenitur. Lugd. Bat. delet *est*, quod in fine periodi invenitur.

12. *Primi trans Padum.* Hujus rei mentio est in Epitoma Liviana libro vigesimo. FABR.

13. *Quinque millia capta sunt.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. et ed. August. *sex millia* capta fuisse scribunt, occisa vero *millia triginta tria*. In captorum numero consentit ed. August.

14. *Namque in Piceno.* Horum prodigiorum mentionem Eutropio Diaconus inseruit : sed loco alieno. De iisdem Plutarchus in Marcello, Φλαμινίου δὲ καὶ Φουρίου τῶν ὑπάτων μεγάλαις ἐκστρατευσάντων δυνάμεσιν ἐπὶ τοὺς Ἰνσόβρας, ὤφθη μὲν αἵματι ῥέων ὁ διὰ τῆς Πικληνίδος χώρας ποταμὸς ἐλέχθη δὲ τρεῖς σελήνας φανῆναι περὶ πόλιν Ἀρίμινον, id est, *Cum Flaminius et Furius coss. magnas copias adversus Insubres eduxissent, flumen quod per Picenum labitur, sanguine fluere visum est, nuntiatumque circa Ariminum tres lunas apparuisse.* FABR. — Ex Plutarchi loco patet, vulgatam scripturam debere præferri præ altera quæ in primis occurrit edd., *flumine sanguis effluxit.* Pro *effulsisse* mss. *offulsisse* passim vel *obfulsisse*.

15. *Ingens quoque ille colossus.* De hoc *colosso* Strasbo lib. XIV, Plinius lib. XXXIV, cap. 7. FABR.

16. *Eodem anno.* Ita omnes amant mss. præ *eodemque anno.*

17. *In quo bello.* Cod. Perizon., *in eo bello.*

18. *Post hoc Claudius cos.* Hic est M. Claudius Marcellus, qui post quinquies consul fuit. De victoria ejus contra Insubres, Plutarch., Polibius, Eutropius et alii. FABR.

19. *Virdomarum regem.* Hunc regem vulgo male, *Viridomarum* nominant. Propertius lib. IV :

Virdomari, genus hic Rheno jactabat ab ipso.

Apud Plutarchum in Marcello legitur, τῶν Γεσάτων ὁ βασιλεὺς Βρώματος, pro Βιρδόμαρος In Capitol. triumphis dux hostium *Virdumarus* nominatur. FAB.

20. *Deinde Istri.* Eutropius, *Minucio Rufo, P. Cornelio coss. Istris bellum illatum est, quia latrocinati naves Romanorum fuerant, quæ frumenta exhibebant, ac multo Romanorum sanguine fuso, perdomiti sunt.* FAB.

21. *Multo quidem.* Ed. princeps, *multo equidem.*

22. *Fabius Censorius.* N. Fabium Buteonem, ex censoriis, qui viverent, vetustissimum, dictatorem factum anno DXXXVII scribit Livius libro XXIII. Recte ergo Sigonius hunc Fabium C. Aurelio Cottæ in censura anni DXII collegam dedit, cum illius nomen in tabulis Capitolinis intercidisset. FABR.

23. *Vel parricidio.* In tribus Lugd. Bat. et Coll. Gronov. deest *vel.*

24. *Mulcta pecuniæ.* Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov., *multa reddendum pecuniæ.*

25. *Aut ad summum exsilii.* Cod. Longob. cum Florent. sec., duobus Lugd. Batt. et Perizon., *aut summum exsilii.*

26. *Circa quemlibet houiinum.* Tres ex Lugd. Batt., *circa quemlibet hominem.*

CAP. XIV.—1. *Anno ab Urbe cond.* DXXXIV. Hoc anno coss. fuerunt M. Livius et L. Æmilius, quibus Saguntum ab Annibale expugnatum fuisse Polybius scribit libro III. Tu lege quæ Sigonius diligentissime in Livii lib. XXI annotavit. FABR.

2. *Bello impetitam.* Sic omnes mss. et ed. quoque optima August. Vulgg. plerique, *bello petitam.*

impetitam, deinde obsidione cinctam, et fame excruciatam, omniaque fortiter contemplatione fidei, quam Romanis [3] devoverat, digna indignaque tolerantem, octavo demum mense delevit. Legatos Romanorum ad se missos, injuriosissime etiam [4] a conspectu suo abstinuit. Exinde odio Romani nominis, quod patri Amilcari, cum esset novem annos natus, fidelissime, alias infidelissimus, ante aras juraverat, P. Cornelio Scipione, et Ti. Sempronio Longo consulibus, [5] Pyrenæos montes transgressus, inter ferocissimas Gallorum gentes ferro viam aperuit, et nono demum die a Pyrenæo ad Alpes pervenit, ubi, dum montanos Gallos, repellere ab ascensu obnitentes, bello superat, atque invias rupes igni ferroque rescindit, quatriduum commoratus, quinto demum die cum maximo labore [6] ad plana pervenit. Fuisse tunc exercitum ejus [7] centum millium peditum et [8] viginti **253** millium equitum definiunt. Scipio consul Annibali primus occurrit, [9] commissoque prælio apud Ticinum, ipse graviter vulneratus per Scipionem filium, admodum prætextatum, qui post Africanus cognominatus est, ab ipsa morte liberatus evasit. Cæsus est ibi pene omnis Romanus exercitus. [10] Pugnatum deinde eodem consule ad flumen Trebiam, iterumque Romani pari clade superati sunt. Sempronius consul, cognito collegæ casu, a Sicilia cum exercitu rediit, qui similiter apud eumdem fluvium congressus, amisso exercitu, pene solus evasit. [11] In eo tamen bello etiam Annibal sauciatus est : qui postea cum in Etruriam primo vere transiret, [12] in summo Apennino tempestate correptus, biduo continuo immobiliter cum exercitu [13] nivibus conclusus et onustus, obriguit : ubi magnus hominum numerus, jumenta complurima, [14] elephanti pene omnes frigoris acerbitate perierunt. At vero alter tunc Scipio, frater consulis Scipionis, in Hispania plurima bella gessit, [15] Magonem quoque, Pœnorum ducem, bello vicit et cepit.

254 CAPUT XV.

Multa miraque tum prodigia passim apparuisse, quod Annibal astu ad internecionem pene Flaminii consulis exercitum ceciderit.

[1] Diris tunc etiam Romani prodigiis territi sunt. Nam et solis orbis minui visus est, et apud Arpos parmæ in cœlo visæ, sol quoque pugnasse cum luna, [2] apud Carpenas [3] interdiu duas lunas ortas, in Sardinia sanguine duo scuta sudasse, Faliscis cœlum scindi velut magno hiatu visum, apud Antium metentibus cruentas spicas in corbem decidisse. Igitur [4] Annibal, sciens Flaminium consulem solum in castris esse, quo celerius imparatum obrueret, primo vere progressus, arripuit propiorem, sed palustrem viam : et tum forte Sarnus late redundans, pendulos et dissolutos campos reliquerat : de quibus dictum est :

.....[5] Et quæ rigat æquora Sarnus.

In quos cum exercitu progressus Annibal, nebulis maxime, quæ de palude [6] exhalabantur prospectum auferentibus, magnam partem sociorum jumentorumque perdidit. Ipse autem uni elephanto, qui solus superfuerat, supersedens, vix difficultatem itineris evasit : sed oculum, [7] quo **255** jam dudum æger

HAVERCAMPI NOTÆ.

3. *Devoverat.* Sic malo cum tribus Lugd. Bat. et Coll. Gronov. quam *devoverant*, ut alii.

4. *A conspectu suo abstinuit. Abstinuit*, non *abstituit*, est in manuscriptis. Livius lib. VIII, *Quamquam Romano bello eum fortuna abstinuit.* FABR.

5. *Pyrenæos montes.* Pluralem numerum hic præter Vincent. Bellov. qui hoc caput excerpsit in Speculo Histor. lib. VI, cap. 42, quoque amant omnes mss. et edd. vett.; singularem editt. recentiores.

6. *Ad plana. Italiæ* quidam mss. et edd. adjungunt, ut et Vincent. Bellovac.

7. *Centum millium.* Mss. omnes (præter Lugd. Bat. quart. in quo *centum millia*) scribunt *in centum millibus equitum et viginti millibus peditum.*

8. *Viginti millium equitum. Triginta millium* vulgo male legitur. Nam in magna varietate qui plurimum, centum millia peditum, viginti equitum fuisse scribunt, auctore Livio, quem de his rebus consule. FABR.

9. *Commisso prælio apud Ticinum.* De hoc prælio Polybius, Livius, Appianus de rebus ab Annibale gestis, Silius libro quarto, et alii. FABR.

10. *Pugnatum deinde eodem cos.* Hinc Diaconus Eutropium interpolavit, cum ille cæterique scriptores paulo aliter de his rebus scripsissent. FABR. — Quædam edd., *Pugnatum est deinde.* Ed. August., *Pugnante deinde.* Mox *bello* pro *prælio*, quod sæpius usurpat auctor, in omnibus mss. invenitur.

11. *In eo tamen bello.* Sauciatus Annibal fuit in oppugnatione *Emporii* prope Placentiam, Livius libro vigesimo primo. Appianus de rebus Annibalis. FABR.

12. *In summo Apennino.* De hac re Livius libro vigesimo primo extremo. FABR.

13. *Nivibus conclusus.* Alias, *navibus.* Quod quidem si a vitio librariorum non fuerit, miror unde sit. LAUT.

14. *Elephanti pene omnes.* Editi plerique interserunt *autem*, contra mss. et Vinc. Bell.

15. *Magonem, Pœnorum ducem.* Magonem habent etiam libri manuscripti, cum tamen e Polybio et Livio certum sit, non *Magonem*, sed *Annonem* a Cn. Cornelio, P. Scipionis fratre, captum fuisse. FABR. — Quare hoc in loco quoque reponi *Annonem* vel *Hannonem* jubet claris. Oudendorpius ad Frontinum p. 174.

CAP. XV. — 1. *Diris tunc prodigiis.* Hæc prodigia sunt apud Livium initio libri XXII et Plutarch. in Fabio. FABR.

2. *Apud Capenas.* Male in edd. Fabricianis et Scotti legitur *Carpenas.* Nam Capena, sive Capenæ, oppidum fuit inter Tiberim et Veios. Livius de eodem ostento lib. XXII, cap. 1 : *Prodigia ex pluribus simul locis nuntiata : Capenæ duas interdiu lunas ortas*, etc.

3. *Interdiu.* Ed. August., ms. Lugd. Bat. et Coll. Gronov., *in die.* Aliquanto post., *in corbe* Coll. Gronov.

4. *Annibal sciens Flaminium.* C. Flaminius consul cum Cn. Servilio fuit anno Urbis DXXXVI, hujus belli II. Castra habuit ad Aretium. Polybius et Livius. FABR.

5. *Et quæ rigat æquora.* Hemistichium Virgilianum est e lib. VII Æneid. FABR.

6. *Exhalabantur.* Meus cum Perizon. et edd. quibusdam, *exhalabant.*

7. *Quo jam diu æger erat.* Colon., *egerat*, ex quo Fabricius *ægrotaverat.* LAUT. — Omnium mss. con-

erat, violentia frigoris, vigiliarum ac laboris, amisit. Ubi vero proximus castris Flaminii consulis fuit, vastatione circumjacentium locorum Flaminium in bellum excitavit. [8] Hæc pugna ad Trasimenum lacum facta est : ubi exercitus Romanus, infelicissime arte circumventus Annibalis, funditus trucidatus est : ipse quoque consul occisus, [9] viginti quinque millia Romanorum in eo prælio cæsa, sex millia capta referuntur. De exercitu vero Annibalis duo millia ceciderunt. Famosum hoc ad Trasimenum lacum certamen fuit tanta clade Romana, maxime cum ita intentus pugnantium ardor exstiterit, [10] ut gravissimum terræmotum, qui tunc forte tam vehemens factus est, ut urbes diruisse, montes transtulisse, discidisse rupes, et flumina retrorsum coegisse referatur, pugnantes omnino non senserint. Factam ad Trasimenum ruinam, sequitur pugna Cannensis, quamvis [11] Fabii Maximi dictatoris tempus medium fuerit, qui impetum Annibalis cunctando tardavit.

256 CAPUT XVI.

De miseranda Romanorum clade ad Cannas : de consilio relinquendi Italiam, quomodo Romani respirarint, exercitumque repararint. Item de variis prœliis.

[1] Anno ab Urbe condita DXL, L. Æmilius Paulus et C. Terentius Varro consules, contra Annibalem missi, impatientia Varronis consulis infelicissime apud Cannas, Apuliæ vicum, pene omnes Romanæ spei vires perdiderunt. Nam in ea pugna [2] quadraginta quatuor millia Romanorum interfecta sunt, quamquam et de exercitu Annibalis magna pars cæsa est : nullo tamen Punico bello Romani adeo ad extrema internecionis adducti sunt. Periit enim [3] in eo consul Æmilius Paulus, consulares aut prætorii viri viginti interfecti sunt, senatores vel capti vel occisi sunt triginta, nobiles viri trecenti, pedestrium militum quadraginta millia, equitum tria millia quingenti. Varro consul cum quinquaginta equitibus Venusiam fugit. Nec dubium est, ultimum illum diem Romani status futurum fuisse, si Annibal mox post victoriam ad pervadendam Urbem contendisset. Annibal in testimonium victoriæ suæ, [4] tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit, quos [5] ex manibus interfectorum equitum Romanorum senatorumque detraxerat. Usque adeo autem ultima desperatio Reipublicæ apud residuos Romanos fuit [6] ut senatores de relinquenda Italia, sedibusque quærendis consilium **257** ineundum putarint. Quod auctore Cæcilio Metello confirmatum fuisset, nisi Cornelius Scipio tribunus tunc militum, [7] idem qui postea Africanus, districto gladio deterruisset, ac potius pro patriæ defensione in sua verba jurare coegisset. Romani ad spem vitæ, quasi ab inferis respirare ausi, [8] dictatorem Decimum Junium creant : qui, delectu habito ab annis decem et septem, immaturæ inordinatæque militiæ quatuor legiones undecunque contraxit. Tunc etiam servos spectati roboris ac voluntatis, [9] vel oblatos, vel, si ita opus fuit, publico pretio emptos sub titulo libertatis, sacramento militiæ adegit. Arma, quæ deerant, templis detraxerunt, egenti ærario privatæ opes refusæ sunt. Ita equester ordo, ita plebs trepida oblita studiorum [10] in commune consuluit. Junius quoque dictator [11] antiquum Romanæ miseriæ factum recolens, pro sup-

HAVERCAMPI NOTÆ.

stans est lectio, *quo jam dudum æger erat*, ut et Vincentii Bellov. qui insuper *tamen* addit, legens, *tamen oculum*, etc. Frustra igitur editi *ægrotaverat*.

8. *Hæc pugna ad Trasimenum lacum.* Apud Plutarch. in Fabio mendose est, περὶ τὴν καλουμένην Θρασυνίαν λίμνην. Polybius, τὴν Τεαμένην λίμνην vocat. Tu lege Silium libro v et Valerium libro I. FABR.

9. *Viginti quinque millia Rom.* In pugna ad Trasimenum Romanorum millia XXV cæsa, et cæteros diffugisse scribit Eutropius : Polybius et Livius, XV millia cæsa, et sex in Maharbalis potestatem venisse referunt : Appianus tradit, XX millia cum Flaminio cecidisse, X millia a Maharbale capta. De Annibalis copiis cæsis scriptores quoque dissentiunt. FABR. — In Lugd. Bat. quart., *viginti millia*. In ed. prima, *viginti tria millia* occisa referuntur. Pro *in eo prælio*, Vincent. Bellov. legit, *in ipso prælio*.

10. *Ut gravissimum terræmotum.* De hoc Livius libro XXII et Plutarchus in Fabio. FABR.

11. *Fabii Maximi.* De hoc Ennius :

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Cic. de Offic. et in Catone. FABR.

CAP. XVI. — 1. *Anno ab Urbe condita* DXL. Ita numerat Eutropius, quem in Cannensi clade exponenda Orosius sequitur. Aliis hic annus est DXXXVII, ut Pighio in Annal. Rom. FABR.

2. *Quadraginta quatuor millia.* Livius, *Quadraginta millia peditum, duo millia septingenti equites cæsi dicuntur.* Appianus et Plutarchus scribunt in hac pugna cæsa fuisse quinquaginta millia. FABR.

3. *In eo.* Mss. Lugd. Batt. tres addunt *bello*, ut et Coll. Gronov.

4. *Tres modios annulorum.* Trimodia annulorum ab Annibale Carthaginem missa tradit Plin. lib. XXXIII, cap. 50. Tu vide Livium lib. XXIII. Annibal apud Lucianum jactat se uno die tot Romanos interfecisse : ὥστε τοὺς δακτυλίους αὐτῶν μεδίμνοις ἀπομετρῆσαι. FABR.

5. *Ex manibus.* Cod. Meus, *de manibus.*

6. *Ut Senatores de relinquenda Italia.* Hoc consilium de relinquenda Italia non Romæ senatores, sed reliquiæ Cannensis cladis, quæ Canusium perfugerant, inierunt, auctore Livio libr. XXII. FABR.

7. *Idem qui postea Africanus.* Ita mss. et edd. vett. Sed in edd. recentt. illud *qui* desideratur.

8. *Dictatorem Decimum Junium.* Hunc dictatorem Livius et Plut. in Fabio *M. Junium* vocant, eumque viri docti esse putant, qui consul anno DXXIII in Fastis Capitolinis sic describitur, M. JUNIUS. D. F. D N. PERA. FABR.

9. *Vel oblatos, vel publico pretio emp.* Indicat Orosius non idem de servitiis armatis auctores tradidisse. Livius ait dictatorem octo millia ex servitiis publice empta armasse. Appian. de reb. Annibalis, auctor est, senatum octo millia servorum, dominis ultro donantibus, manumisisse. FABR. — Mox *ad sacramentum militiæ*, Vincent. Bellov.

10. *In commune consuluit.* Quamvis hæc mss. et edd. vett. sit lectio, in Fabricianis tamen invenias *in communi consuluit* quod ne in postrema quidem Scotti emendatum fuit.

11. *Antiquum Romanæ miseriæ factum recolens.* Sic omnes habent mss. nisi quod in Longob. simplex *colens* inveniatur. Editi quidem, ut Hittorp. et Bolsuing., *recolens statum.* Sed edd. antiq. amant quoque

plemento exercitus, edicto, velut asylo patefacto, homines quicumque sceleribus ac debitis obnoxii essent, impunitate promissa, militiæ mancipavit, quorum numerus [12] ad sex millia virorum fuit. Campania vero, vel potius omnis Italia, ad Annibalem, desperata penitus Romani status reparatione, defecit. Post hoc Lucius Postumius prætor adversum [13] Gallos pugnare missus, cum exercitu cæsus est. Deinde Sempronio Graccho, Q. Fabio Maximo consulibus, Claudius **258** Marcellus ex prætore proconsule designatus, [14] Annibalis exercitum prælio fudit, primusque post tantas Reipublicæ ruinas spem fecit, Annibalem posse superari. Scipiones autem in Hispania Asdrubalem, Pœnorum imperatorem, ad Italiam exercitum comparantem, [15] gravissimo bello oppresserunt. [16] Nam triginta quinque millia militum de exercitu ejus [17] vel cæde vel captione minuerunt. Celtiberos milites, [18] quam primam externam manum Romani in castris habere cœperunt, pretio sollicitatos, ab hostium societate in castra sua duxerunt. [19] Sempronius Gracchus proconsule, [20] ab hospite suo Lucano quodam in insidias inductus, occisus est. [21] Centenius Penula, centurio, decerni sibi ultro bellum adversum Annibalem petiit : a quo cum octo millibus militum, quos [22] in aciem eduxerat, cæsus est. Post hunc Cn. Fulvius, prætor, ab Annibale victus, amisso exercitu, vix evasit. Pudet recordationis. Quid enim dicam improbitatem magis, an miseriam Romanorum ? immo verius vel improbam miseriam vel miseram improbitatem. [23] Quis credat eo tempore, quo ærarium populi Romani egenam stipem privata collatione poscebat, [24] miles in castris nonnisi aut puer aut servus, aut sceleratus, aut debitor et ne sic quidem [25] numero idoneus erat, senatus in curia omnis pene novitius videbatur : postremo cum ita imminutis **259** fractisque omnibus [26] desperaretur, ut consilium de relinquenda Italia subiretur, [27] eo tempore, cum unum domesticum bellum, ut diximus, [28] ferri nullo modo posset, [29] tria insuper transmarina bella fuisse suscepta? unum in Macedonia [30] contra Philippum potentissimum Macedoniæ regem, alterum in Hispania contra Asdrubalem Annibalis fratrem, tertium in Sardinia contra Sardos et alterum Asdrubalem, Carthaginiensium ducem : extra hoc quartum Annibalis, quo in Italia premebantur : et tamen fortis in alterutrum desperatio in meliora profecit, nam in his omnibus desperando pugnarunt, pugnando vicerunt. Ex quo evidenter ostenditur, non tempora tunc fuisse tranquilliora otiis, sed homines miseriis fortiores.

CAPUT XVII.

Claudius Marcellus Syracusas capit. Annibal ad Anienem Romanos terret, nec obruendi copia datur.

[1] Anno ab Urbe condita DXLIII, Claudius Marcellus Syracusas, opulentissimam urbem Siciliæ, secunda oppugnatione [2] vix cepit, quam, cum jam pridem obsedisset, Archimedis Syracusani civis, admirabili ingenio præditi, machinis repulsus, expugnare non

HAVERCAMPI NOTÆ.

factum recolens. Aliquanto post edd. quædam *permissa*, male pro *promissa*.

12. *Ad sex millia virorum fuit.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. *virorum* delent. Ed. August., *septem millia virorum* numerat. Mox in illis *Romani status*, auget Meus *omnis Romani status.*

13. *Gallos missus.* Sic Latine erat in mss. tamen impressi addiderant, *pugnare*, nescio cur. LAUT. — Immo et *missus* et *pugnare* in mss. exstat. Decem enim, quos ego consului, unanimi consensu exhibent, *pugnare missus*, id est, ad pugnandum. Neque video cur Græcismum hunc mutaverint editores in *jussus*, quod apud omnes invenias, præterquam in edd. prima et Augustana.

14. *Annibalis exercitum prælio fudit.* Hoc prælium a Marcello ad Nolam commissum fuit. Livius libr. XXIII, Plutarchus in Marcello. FABR.

15. *Gravissimo bello oppresserunt.* Post *bello* interserit Perizon. *superatum.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. primam syllabam in *oppresserunt* delent.

16. *Nam triginta quinque millia.* Hunc numerum expressit Eutropius. Livius tantum magnam vim hominum occisam scribit. De Celtiberis Livius in fine libri XXIV. FABR.

17. *Vel cæde vel captione minuerunt.* Cod. sive edit. August. hæc est lectio, *vel cædem vel captionem invenerunt.*

18. *Quam primam.* Lugd. Batt. tres, *quam plurimam*, ut et Ultr. male. Edd. vett., *cum primum*, excepta nobili illa Augustana.

19. *Sempronius Gracchus proconsule.* Semel monuisse satis sit, Latinos, et Orosium passim nominandi casu, *proconsule* dixisse : idque mss. omnes tueri : et ita imprimendum censeo. LAUT. — Semel monuisse sufficiat, confirmari id nostris quoque mss.

20. *Ab hospite suo Lucano. Flavium Lucanum* hunc nominat Appianus et Livius libro XXV, ubi historiam de Centenio, et Fulvio etiam invenies. FABR.

21. *Centenius Penula.* Centurionis hujus veterani casum et cladem describit Livius lib. XXV, cap. 19.

22. *In aciem eduxerat.* Sic meliores scripti et editi. Alii, *in aciem duxerat;* alii, *in acie duxerat.*

23. *Quis credat.* Ed. August., *Quis enim credat.*

24. *Miles in castris.* Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov., *Miles in castris non esset, nisi aut puer*, etc.

25. *Numero idoneus erat.* Religio mihi fuit a codd. mss. discedere, qui omnes sic exhibent, non, ut editi, *numerus idoneus erat.*

26. *Desperaretur.* Meus, *desperabant*, sed tres ex Lugd. Batt. cum Collat. Gronov., cod. Perizon. et edit. Aug. malunt *desperabatur.*

27. *Eo tempore.* Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov. repetunt hic, *quis credat.*

28. *Ferri nullo modo posset.* Mss. et meliorum ex editis ea lectio est. Alii, *ferri vix ullo modo posset.*

29. *Tria insuper*, etc. Edd. quædam ex vetustioribus, *tria insuper transmarina bella quis credat fuisse suscepta ?* In ed. Augustana vero legitur, *tria insuper transmarina bella suscepta sunt.*

30. *Contra Philippum.* De re gesta cum Philippo, Macedoniæ rege, Livius libro XXIII et XXIV, Eutropius libro tertio. De re in Sardinia contra Pœnos Sardosque a T. Manlio gesta, Livius lib. XXIII et Silius XII. FABR.

CAP. XVII. — 1. *Anno ab Urbe condita.* DXLIII. M. Marcellus consul III anno Urbis DXXXIX Siciliam missus Syracusas obsedit, tertioque anno post expugnavit. Polybius libro VIII, Livius XXIV, Plutarchus in Marcello, Cicero in Verrem. FABR.

2. *Vix cepit.* Recte sic mss., cod. August. et edd. Fabricianæ. Vulgati alii, *vi cepit.*

potuit.[3] Decimo **260** anno postquam Annibal in Italiam venerat, [4] Cn. Fulvio, P. Sulpitio consulibus, Annibal de Campania movit exercitum : et cum ingenti clade omnium [5] per Sidicinum Suessanumque agrum via Latina profectus, ad Anienem fluvium [6] tribus millibus ab Urbe consedit, incredibili totius Civitatis metu, cum senatu populoque diversis curis trepido, matronæ quoque amentes pavore per propugnacula currerent, et convehere [7] in muros saxa, primæque pro muris pugnare gestirent. Ipse autem cum expeditis equitibus [8] usque ad portam Collinam infestus accessit, deinde omnes copias in aciem direxit. [9] Sed et consules, Fulviusque proconsule non detrectavere pugnam. At ubi [10] expositæ utrimque acies constiterunt, in conspectu Romæ, præmium [11] victoris futuræ, **261** tantus se subito imber e nubibus grandine mixtus effudit, ut turbata agmina, vix armis retentis, in sua se castra colligerent. Deinde cum serenitate reddita in campum copiæ atque in aciem redissent, rursum violentior fusa tempestas, majore metu mortalium audaciam coercuit, territosque exercitus refugere in tentoria coegit. Tunc conversus in religionem Annibal, dixisse fertur, potiundæ sibi Romæ modo voluntatem non dari, modo potestatem. Respondeant nunc mihi obtrectatores veri Dei hoc loco, [12] Annibali a capessenda subruendaque Roma utrum Romana obstitit fortitudo, an divina miseratio, aut forsitan conservati isti dedignantur fateri, quod Annibal et victor extimuit, et cedens probavit? At si istam divinam tutelam [13] per pluviam de cœlo venisse manifestum est, ipsam autem pluviam opportunis et necessariis temporibus non nisi per Christum, qui est verus Deus, ministrari, etiam [14] ab hujusmodi satis certo sciri, nec negari posse existimo, maxime nunc, quando ad documentum potentiæ ejus cum siccitate turbante, pluviam poscere assidue contingit, et alternis vicibus nunc gentiles, nunc Christiani rogant : nec umquam etiam ipsis testibus factum est, ut optati imbres superveniant nisi in die, [15] quo rogari Christum et Christianis rogare permittitur : procul dubio constat, urbem Romam per hunc eumdem verum Deum, qui est Christus Jesus, ordinantem secundum placitum ineffabilis judicii sui, et tunc ad futuræ fidei credulitatem servatam fuisse, et nunc [16] pro parte sui incredula castigatam. At **262** vero in Hispania ambo Scipiones a [17] fratre Asdrubale interfecti sunt. In Campania Capua capta est a

HAVERCAMPI NOTÆ.

3. *Decimo anno post.* Eutropius quoque decimum hujus belli annum numerat, qui aliis est octavus. FABR.

4. *Cn. Fulvio, P. Sulpitio.* Male Publii prænomen in Fabr. et Scotti edd. omittitur, licet in quibusdam mss. desideretur. Copulam *et*, quoniam meliores libri non agnoscunt, omisimus, sicut et delevit Fabricius.

5. *Per Sidicinum Suessanumque. Suessanum* non *Sinuessanum*, est in manuscripti. Orosii Eutropiique libris. Livius libro XXVI, *per Suessulam Alifanumque et Casinatem agrum via Latina ducit*, ubi Sigonius, per *Suessulanum*, legit. Silius libr. XII hoc agro præterito, de cæteris ita canit :

> Tum Sidicina legunt pernicibus arva maniplis,
> Treiciamque Calen, vestras a nomine nati,
> Oritbyia domos; hinc Alifanus laccho
> Haud inaratus ager, nymphisque habitata Casini
> Rura evastantur, *etc.* FABR.

6. *Tribus millibus ab Urbe.* Sic Livius : *Inter hæc Annibal ad Anienem fluvium tria millia passuum ab Urbe castra admovit.* Florus libr. II, cap. 6, Annibalem castra posuisse a tertio lapide, ait. Plinius lib. XV, cap. 18, *Castra Punica ad tertium lapidem vallata.* Eutropius vero, *Annibal usque ad quartum milliarium Urbis accessit*, quocum consentit Appianus, qui in libro de rebus Annibalis scribit ipsum XXXII ab Urbe stadia ad Anienem fluvium castra posuisse. At Polyb. lib. IX : Ἔλαθε διαβὰς τὸν Ἀννίωνα ποταμὸν καὶ συνεγγίσας ὥστε μὴ πλεῖον τετταράκοντα σταδίων ἀποσχὼν τῆς Ῥώμης ποιήσασθαι τὴν παρεμβολήν. *Annibal insciis Romanis Anienem fluvium transgressus, tam prope accessit, ut castra stadiis* XL *sive millibus passuum* V *non amplius ab Urbe fecerit.* FABR. — Vincent. Bellov., *tribus milliaribus.*

7. *In muros.* Coll. Longob. cum tribus Lugd. Batt. e Coll. Gronov., *in muris.*

8. *Usque ad portam Collinam.* Cicero Philip. I, *Annibal, credo, erat ad portas.* Sed de his omnibus Livius copiose. FABR.

9. *Sed et consules, Fulviusque proconsule.* Ita hic locus recte in omnibus manuscriptis legitur, ut mirari satis non possim negligentiam eorum, qui secuti de historia tam multa contra libros vetustos corruperunt. Consules erant Cn. Fulvius Centumalus et P. Sulpitius Galba. At Q. Fulvius Flaccus, qui superiore anno consul fuerat, et jam proconsule Capuam cum Appio obsidebat, inde accitus, inter Esquilinam Collinamque portam castra habebat. Livius et alii omnes. Livii verba lib. XXVI, cap. 11, sunt : *Nec Flaccus consulesque certamen detrectavere.* FABR. — Edd. vett. excepta, August., fœdo mendo non carent, dum exhibent, *sed et consules Fulvius et Publius non detrectavere pugnam.*

10. *Expositæ utrumque acies.* Meus codex cum Florent. tertio mavult *exposita utrimque acie.* Sed Latine magis Florent. secund., *At ubi expeditæ utrimque acies constiterunt.*

11. *Victoris.* Vinc. Bellovac., edd. et mss. quidam, *victoriæ.*

12. *Annibali.* In codice meo, ut et Ultr. legitur, *Annibalem ;* quod a me monitum non fuisset, nisi et in cod. Longob. et in reliquis duobus vetustissimis Florent. sic quoque scriberetur. Hinc suspicor lectum in mss. olim pro *obstitit*, quod sequitur, et pro quo *restitit* quædam habent edd. fuisse *abstulit.* Dei videlicet miseratio abstulit et amovit tempestate subita a muris Romæ Annibalem, quem arcere manus humanæ a capienda eadem non poterant.

13. *Per pluviam.* Quæ sæpe Romanis in dubiis rebus magnum præstitit emolumentum. Orosius autem in hisce idem tractat argumentum et eodem modo, ut Tertulianus in Apologetico cap. V.

14. *Ab hujusmodi.* Quia non satis apte cohærere verba videntur, edd. prima et Paris. et Venetæ interserunt *hominibus*, contra omnes mss. Forte scripsit Auctor *ab hujusmodi servatis*, pro quo verbo compendiose pro more scripto, deinde successisse videtur *satis.* Respondet certe emendatio nostra illis, quæ supra dixit, *conservati isti dedignantur fateri.*

15. *Quo rogari Christum.* Lugd. Bat. sec. cum Perizon., *quo rogare Christum et Christianis rogari permittitur.* Pro *permittitur* Meus vult *permittunt.*

16. *Pro parte sui.* Ed. August., *pro tarditate sui.*

17. *A fratre Asdrubale.* Ita legendum, non, *Asdrubalis.* Asdrubal Barchinus, Annibalis frater, P. Scipionem cum exercitu delevit, ac undetrigesimo die

Q. Fulvio proconsule : [18] principes Campanorum veneno mortem sibi consciverunt. Senatum omnem Capuæ, etiam prohibente senatu Romano, Fulvius [19] suppliciis necavit. Interfectis in Hispania Scipionibus, cum, omnibus incusso pavore cunctantibus, [20] Scipio se, admodum adolescens, ultro obtulisset, et pudenda penuria esset ærarii, Claudio Marcello et Valerio Lævino auctoribus, qui tunc consules erant, aurum argentumque signatum ad quæstores palam omnes senatores in publicum contulerunt, ita ut nihil præter annulos singulos, bullasque sibi ac filiis, et deinde [21] per filias uxoresque suas singulas tantum auri uncias, et argenti non amplius quam singulas libras relinquerent.

CAPUT XVIII.

De variis cladibus inter Romanos et Pœnos utrimque acceptis, modo huc modo illuc victoria inclinante.

[1] Scipio annos natus viginti et quatuor, imperium in Hispaniam pro consulare sortitus, ultionem præcipue patris et patrui animo intendens, Pyrenæum transgressus primo impetu Carthaginem novam cepit : ubi [2] stipendia maxima, præsidia valida, copiæ auri argentique magnæ [3] Pœnorum habebantur, ibi etiam Magonem fratrem Annibalis captum, cum cæteris Romam misit. [4] Lævinus consul ex Macedonia rediens, Agrigentum, urbem Siciliæ, expugnavit : ibique Annonem, Afrorum ducem, cepit, [5] quadraginta civitates in deditionem accepit, viginti et sex expugnavit. Annibal in Italia [6] Cn. Fulvium proconsulem, undecim præterea **264** tribunos, decem et septem millia militum interfecit. [7] Marcellus consul cum Annibale triduum continuum dimicavit. Primo die pari pugna discessum est, sequenti victus consul, tertio victor octo millia hostium interfecit, ipsumque Annibalem cum reliquis fugere in castra compulit. [8] Fabius Maximus consul Tarentum, quæ a Romanis desciverat, iterum expugnavit et cepit : ibique ingentes copias Annibalis cum ipso duce ejus Carthalone delevit, triginta millia hominum captivorum vendidit, pretia in fiscum retulit. [9] Sequenti anno in Italia Claudius Marcellus consul ab Annibale cum exercitu occisus est. [10] Scipio in Hispania Pœnorum ducem Asdruba-

HAVERCAMPI NOTÆ.

post conjunctis copiis cum Magone et altero Asdrubale Gisconis F. Cn. Scipionem oppressit. Livius libr. XXV, Appianus de rebus Hispanicis, Silius lib. XIII, Valerius libro III, cap. 7, Eutropius libr. III. Cicero pro Balbo : *Cum duo fulmina nostri imperii subito in Hispania, Cn. et P. Scipiones exstincti, occidissent*. FABR.

18. *Principes Campanorum.* Septem et viginti ferme senatores fuisse Livius ait libr. XXVI in quo historia de Capua explicatur. Stetisse Capuam antequam a Romanis caperetur, annis circiter CCLX M. Cato auctor est. Sed hoc tempore capta in formam præfecturæ fuit redacta, Velleius libr. II. Lege Ciceronem contra Rullum. FABR. — Interserunt editi plures *autem*, contra mss.

19. *Suppliciis.* Ed. August. et Vincent. Bellov. cum. mss. consentit, qui omnes habent *suppliciis*. Editi male, *supplicio*.

20. *Scipio se, admodum adolescens.* Natus erat Scipio annos fere quatuor et viginti. Livius libr. XXVI, Appianus de rebus Hispanicis, Valerius lib. III, cap. 9. Est autem hic *P. Cornelius Scipio*, qui postea *Africanus* fuit appellatus. FABR.

21. *Et deinde per filias*, etc. Optima ed. August. iterum cum mss. facit. Nam edd. reliquæ veteres legunt *et deinde filiabus uxoribusque singulas*.

CAP. XVIII. — 1. *Scipio annos natos* 24. De hac ætate Scipionis jam diximus. At in Epitoma Polybii lib. X sic legimus : Ἔτος γὰρ ἕβδομον ἔχων πρὸς τοῖς εἴκοσι πρῶτον μὲν ἐπὶ πράξεις αὐτὸν ἐξέδωκε τελέως παρὰ τοῖς πολλοῖς ἀπηλπισμένας, id est : *Annos natus* 27 *eas res aggressus est, quas vulgo omnes prorsus desperabant*. Ac deinde multis verbis exponit, quomodo Carthago nova ab eo fuerit capta, quod Livius eum secutus facit sub finem lib. XXVI. Idem est apud Appianum de rebus Hispanicis, et Silium lib. XV. FABR. — Quin et totidem annos ætatis Scipioni tribuunt mss. Lugd. Batt. tert. et quart. cum Coll. Gronov. Reliqui vulgatam retinent lectionem. In ed. August. et mss. iisdem Lugd. Batt. cum Coll. Gronov., *Scipio Africanus* legitur. Sed hoc nomen illi nondum tum competebat, Mox *in Hispania* Lugd. Batt. quatuor cum Coll. dicta et edd. quibusdam ; contra *Hispaniam* Florentini omnes et reliqui.

2. *Stipendia maxima.* Coll. eadem cum tribus mss. Lugd. Batt. et edd. Aug., *stipendia magna*.

3. *Pœnorum.* Perizon. Cod., *Afrorum*.

4. *Lævinus cos. ex Maced.* Quæ Orosius hic de rebus a M. Valerio Lævino consule in Sicilia gestis scribit, ea ab Eutropio sumpsit. Livius Agrigentum non expugnatum, sed proditione captum scribit. Idem Annonem non a Lævino captum, sed per aversam portam fuga elapsum in Africam trajecisse ait. FABR.

5. *Quadraginta civitates.* Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov. *quadraginta sex* numerat, quem numerum et Eutropii quidam codd. præ se ferunt. Sed mox *viginti septem* expugnatas fuisse scribunt iidem.

6. *Cn. Fulvium procons.* Fulvius ab Annibale ad Herdoneam cæsus fuit, Livius initio libr. XXVII et Appian. de rebus Annibalis. Undecim tribunos militum cum Fulvio cecidisse etiam Plutarchus in Marcello tradit, cum in Livio sint 12. Verum Sigonius id recte : nos hic, XVII *millia militum* interfecta, non *sex*, ut vulgo legitur, scripsimus, primum, quia ita est in omnibus scriptis libris, deinde quia non est simile veri, Orosium, qui id sibi studio habuit, ut calamitates augeat, hic numerum ab aliis traditum minuere voluisse. Livius ait alibi, millia XIII, alibi haud plusquam VII cæsa inveniri. Appianus et Eutropius VIII millia cecidisse referunt, Plutarchus, τῆς στρατιᾶς τὸ πλεῖστον. FABR.

7. *Marcellus consul.* Hæc Livius libro vigesimo septimo, et Plutarchus in Marcello. FABR.

8. *Fabius Maximus consul.* Q. Fabius Maximus consul V Tarentum per proditionem recepit, ut scribit Livius libro XXVII, Plutarchus in Fabio, Appianus de rebus Annibalis, quos auctores etiam de Marcelli cæde lege. FABR.

9. *Sequenti anno*, etc. Nimis otiose et oscitanter hæc ab Orosio referuntur, si quidem ab eo profecta sunt. Nam post aliquot lineas sequitur, *Annibal utrumque consulem, Marcellum et Crispinum, insidiis circumventos, interfecit*. Itaque supervacaneum erat, idem de Marcello hoc in loco dicere. Præterea falsum est, Marcellum cum exercitu ab Annibale occisum fuisse. Uterque consul speculatum iverat, ex insidiis equites Numidæ consules adorti, Marcellum interfecerunt, Crispinum graviter vulnerarunt. Et is quidem tum se atque exercitum fuga servavit, sed aliquanto post ex vulneribus obiit. Ut culpa liberetur Orosius in re nimis manifesta, et apud Livium aliosque fusius descripta, verba auctoris ita refingi possunt, sensu apto, mutatione exigua : *Sequenti anno in Italia Claudius Marcellus consul Annibali cum exercitu oppositus est. Scipio in Hispania*, etc.

10. *Scipio in Hispania.* De hac re exstat fragmen-

lem vicit, et castris exuit. Præterea octoginta civitates, aut deditione, aut bello in potestatem redegit. Afris sub corona venditis, sine pretio dimisit Hispanos. Annibal utrumque consulem Marcellum et Crispinum, insidiis circumventos, interfecit. [11] Claudio Nerone et M. Livio Salinatore consulibus, cum Asdrubal Annibalis frater ab Hispaniis per Gallias ad Italiam veniret, jussusque a Carthaginiensibus, ut fratri cum copiis jungeretur, magna secum auxilia Hispanorum Gallorumque [12] deduceret, cum maturato adventu descendisse jam ex Alpibus [13] consulibus proditus fuisset, ab exercitu Romano, ignorante Annibale, prævenius, **265** cum omni exercitu suo interfectus est. Diu quidem incertus belli eventus fuit, elephantis maxime Romanam infestantibus aciem, qui a militibus Romanis [14] occisi sunt, [15] quos a volitando velites vocant : quod genus militiæ paulo ante repertum fuerat, ut lecti agilitate juvenes, cum armis suis post terga equitum sederent : et mox cum ad hostem ventum esset, equis desilirent, et continuo pedites ipsi ex alia parte equitibus, per quos advecti fuerant dimicantibus, hostem perturbarent. Ab his ergo velitibus elephanti retroacti, cum regi jam a suis non possent, fabrili scalpro inter aures adacto, necabantur. Id genus occidendæ, cum opus esset, belluæ, [16] idem dux Asdrubal primus invenerat. Fuit hoc prælio Pœnis [17] Metaurus flumen, ubi Asdrubal est victus, quasi Trasimenus lacus : [18] et Sena Piceni civitas, ut vicus ille Cannensis : [19] nam quinquaginta et octo millia de exercitu Asdrubalis ibi occisa sunt, capta sunt quinque millia quadringenti. [20] Quatuor millia civium Romanorum inter eos reperta atque revocata sunt, quod victoribus consulibus solatio fuit. Nam **266** et ab exercitu eorum octo millia ceciderunt. Annibali caput fratris sui Asdrubalis, ante castra projectum est. Quo viso et simul clade Pœnorum cognita, [21] anno decimo tertio quam in Italiam venerat, refugit in Bruttios. Post hæc anno continuo inter Annibalem et Romanos quies a tumultu bellorum intercessisse visa est, quia inquietudo morborum in castris erat, et gravissima pestilentia [22] uterque exercitus angebatur. [23] Interea Scipio, universa Hispania a Pyrenæo usque ad Oceanum in provinciam redacta, Romam venit; [24] consul cum Licinio Crasso creatus in Africam transiit, Annonem Amilcaris filium, ducem Pœnorum, interfecit, exercitum ejus partim cæde, partim captivitate disperdidit ; nam [25] undecim millia

HAVERCAMPI NOTÆ.

tum Polybii ex libro octavo unde Livius sumpsit. consule quoque Appianum in Hispanicis. FABR.

11. *Claudio Nerone, et M. Livio.* Consules hi fuerunt anno Urbis conditæ DXLVI. Annibalisque fratrem Asdrubalem cum magnis copiis oppresserunt, quod scribit Polybius libro undecimo, Livius XXVII, Appianus de rebus Annibalis, Silius libro XV, Suetonius in Tiberio, Florus, Eutropius et alii. FABR.

12. *Deduceret.* Meus, *duceret.*

13. *Consulibus.* Meus cum Coll. Gronov., *consulibus proditus esset*, quasi paulo ante *descendisset* pro *descendisse* legendum esset.

14. *Occisi sunt.* Desiderantur hæc non modo in meo cod. ut et Ultr. atque Perizon., sed etiam in cod. Longob. et duobus reliquis Florentinis. Qui quinque mss. cum longe reliquis præstent, suspicionem aliquam movere possint. Præsertim, cum aliquanto post non a velitibus occisos elephantos, sed retroactos, atque a Pœnis et Asdrubale ipso interfectos narret. Sensus tamen postulat aliquid simile. Forte scripsit Orosius *cæsi sunt*, quod etiam vulnerare significat, et sic hoc loco innuere potest bestias vulneribus, et vexatione retroactas fuisse. Quamvis a Romanis quoque in ipsa pugna aliquot elephantos fuisse occisos innuat Livius lib. XXVII, cap. 51 : *Elephanti plures ab ipsis rectoribus quam ab hoste interfecti.*

15. *Quos a volitando Velites.* Festus, *Velites dicuntur expediti milites, quasi volites, id est, volantes.* FABR.

16. *Idem dux Asdrubal.* Coll. Gronov. non habet *idem.* Sed ed. Aug. legit *isdem* pro *iisdem*, et in Lugd. Bat. tert. legitur *penes* pro *Pœnus dux Asdrubal.*

17. *Metaurus.* Florentini tres, Meus et Perizon., *Metaurum*, forte quia in aliquo priore apographo *penes* pro *Pœnis* fuerit scriptum, unde in tertio Florentino et ed. Aug. exstat *penes Metaurum* et inde in Coll. Gronov., *fuit hoc prælium penes Metaurus flumen.*

18. *Et Sena Piceni.* Vulgo *Cæsena* corrupte legitur. Apud *Senam* pugnatum Livius, Appianus, Eutropius, Auctor de Viris Illustribus, et Silius scribunt. Hinc Cicero in Bruto hoc *prælium Senense* vocat, in quo Salinator ludos Juventatis vovit. FABR.

19. *Nam* LVIII *millia.* Hic numerus est in nostris manuscriptis, eumdem Eutropio Diaconus ex Orosio inseruit. Sed in Livii libris est, LVI millia hostium occisa, capta quinque millia et cccc. Polybius longe minorem numerum edit; nam Carthaginiensium et Gallorum circiter x millia, Romanorum ad duo millia cæsa scribit. FABR.

20. *Quatuor millia.* Mss. Florentt. tres, Meus, Perizon., Coll. Gronov., Lugd. Bat. tert. et edd. vett. omnes, post hæc verba addunt *autem.*

21. *Anno* XIII *quam in Italiam venerat.* Sic in additionibus quoque Diaconi in Eutropium legitur. FABR.

22. *Uterque exercitus angebatur.* Sic malo ex Coloniensi, quam *agebatur.* LAUT. — Mss. Meus, Perizon. Lugd. Bat. tert. et duo Florentt. cum edd. vetustis, *utrique exercitus angebantur*, cod. Florent. pr. sive Longob., *utriusque exercitus angebantur.* Quamcumque elegeris lectionem, patet verbum *angi* debere retineri, et quidem meliore jure quam *agi*, quod præferunt codd. et edd. qui *agebatur* malunt. Quomodo hæc verba differant, vide cl. Arentzenii Notam ad Aur. Victorem p. 347.

23. *Interea Scipio.* De his rebus Livius lib. XXVIII et Appianus in Hispanicis. Exstat quoque fragmentum Polybii ex libr. XI quod cum Livianis collatum magnam utilitatem studiosis afferet. FABR.

24. *Consul cum Licinio.* P. Cornelius Scipio et P. Licinius Crassus Dives coss. fuerunt anno ab Urbe condita DXLIII; quo anno Scipio Siciliam provinciam obtinuit, et sequenti in Africam trajecit, Livius libro vigesimo nono. Appianus in Libyco, Eutropius libro III; quorum scriptis inter se collatis, cognosces, quod Livius quoque fatetur, non in omnibus auctores convenire. FABR.

25. *Undecim millia.* Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov. et ed. Aug., XL *millia.* Idem numerus invenitur in excerptis Vincentii Bellov. lib. VI, cap. 51, Speculi Hist.

lia Pœnorum eo prælio occidit. Sempronius consul cum Annibale congressus et victus, [26] Romam refugit. Scipio in Africa [27] aggressus hyberna Pœnorum, atque alia Numidarum, quæ utraque haud procul ab Utica erant, nocte concubia [28] fecit incendi. Pœni trepidi cum casu accidisse ignem putarent, inermes ad exstinguendum concurrerunt : quare facile ab armatis [29] oppressi sunt. [30] In utrisque castris **267** quadraginta millia hominum igni ferroque consumpta sunt, [31] capta quinque millia, duces ipsi miserabiliter ambusti, [32] ægre effugerunt. Asdrubal imperator Carthaginem profugus venit. [33] Itaque Syphax et Asdrubal mox plurimum reparavere exercitum, atque iterum cum Scipione congressi sunt, victique fugerunt. Syphacem fugientem Lælius et Massanissa ceperunt, cætera multitudo Cirtam [34] confugit, quam Massanissa oppugnatam in deditionem recepit, Syphacem [35] ad Scipionem catenis vinctum deduxit, quem Scipio cum ingentibus spoliis, plurimisque captivis [36] Romam perducendum Lælio tradidit.

CAPUT XIX.

Annibalem in Africam revocatum, a Scipione superatum, fugatumque fuisse : et Carthaginiensibus pacem concessisse Romanos.

Annibal redire in Africam jussus, ut fessis Carthaginiensibus subveniret, [1] flens reliquit Italiam, [2] omnibus Italici generis militibus, [3] qui sequi nollent, A interfectis, cui ad Africanum littus propinquanti, jussus quidam e nauticis ascendere in arborem navis, atque inde speculari, quam regionem teneret, [4] sepulcrum dirutum se prospexisse respondit. **268** Abominatus dictum Annibal, deflexo cursu ad Leptim oppidum copias exposuit. [5] Qui continuo refecta multitudine, [6] Carthaginem venit, deinde [7] colloquium Scipionis petiit. [8] Ubi cum se diu attoniti admiratione mutua duo clarissimi duces [9] suspexissent, [10] infecto pacis negotio prælium consertum est : quod diu magnis ducum artibus dispositum, magnis copiarum molibus gestum, magnis militum viribus consummatum, Romanis victoriam contulit. Octoginta ibi elephanti vel capti vel occisi sunt, [11] Carthaginiensium interfecta sunt viginti millia quingenti, An- B nibal omnia et ante prælium et in prælio expertus, cum paucis, hoc est, vix quatuor equitibus, inter tumultum elapsus, Adrumetum confugit. Postea Carthaginem post sex et triginta annos, quam inde [12] parvus cum patre exierat, venit : [13] consultantique senatui, nullam esse residuam spem, nisi in petenda pace, persuasit. Cn. Cornelio Lentulo, P. Ælio Pæto consulibus, Carthaginiensibus pax per Scipionem voluntate senatus populique concessa est. Naves tamen plus quam quingentæ in altum productæ, in conspectu civitatis incensæ sunt. Scipio jam tunc cognomento Africanus, triumphans Urbem ingressus est, quem [14] Terentius, qui postea comicus, ex nobilibus

HAVERCAMPI NOTÆ.

26. *Romam refugit.* P. Sempronium ab Annibale C victum in agro Crotoniensi, in castra rediisse, ac deinde, accersito Licinio Crasso, feliciter dimicasse, Livius libro nono extremo scribit. FABR.

27. *Aggressus hyberna Pœnorum.* Hæc historia exstat in Polybii Fragmentis lib. XIV, apud Livium initio lib. XXX, et Appianum in Lybico. FABR.

28. *Fecit incendi.* Lugd. Batt. tres cum Vincentio et Coll. Gronov., *incendit.*

29. *Oppressi sunt.* Ed. August., *superati sunt vel oppressi.* Quod et Venetæ edd. habent, duas copulantes lectiones, ut sæpe in edd. antiquis videre licet.

30. *In utrisque castris* XL *millia.* Hunc numerum edit Livius : Appianus ita : Ἀπέθανον δὲ τῶν ἐχθρῶν ὀλίγῳ δέοντες τρισμύριοι , καὶ αἰχμάλωτοι ἐγένοντο δισχίλιοι καὶ τετρακόσιοι, id est, *cæsa sunt hostium millia fere* XXX *capta duo millia et* CCCC. FABR.

31. *Capta quinque millia.* Propius ad Appiani numerum *duo millia* capta fuisse scribit Lugd. Bat. quart.

32. *Ægre effugerunt.* Flor. pr., *ægre aufugerunt;* tertius, *ægre refugerunt.*

33. *Itaque Syphax et Asdrubal.* Hæc omnia Livius et Appianus copiose, quos lege. FABR.

34. *Confugit.* Ed. Aug., *profugit.* Meus codex, *fugit.* Mox Perizon., *in deditionem accipit* pro *recepit.*

35. *Ad Scipionem,* etc. Vincentius Bellovac. mavult *Syphacem, catenis vinctum, ad Scipionem adduxit.*

36. *Romam.* Abest ab octo mss., videlicet tribus Florentt., tribus Lugd. Batt., Meo et Perizon., ut et a Vincentio Bellovacensi in Speculo Histor. lib. VI, cap. 51.

CAP. XIX. — 1. *Flens reliquit Italiam.* Sic Eutropius : Livius eum *vix lacrymis temperasse* ait. FABR.

2. *Omnibus Italici generis.* Hac de re Appianus in fine libri de rebus Annibalis. FABR.

3. *Qui sequi nollent.* Perizon., *qui eum sequi nollent,* quod et apud Vincent. Bellov. idem mox, *appropinquanti.*

4. *Sepulcrum dirutum se prospexisse.* Livius : *Cum dixisset sepulcrum dirutum proram spectare, abominatus, prætervehi jusso gubernatore, ad Leptim appulit classem.* FABR. — Vincent. Bell., *prospicere.*

5. *Qui continuo.* Sic mss. omnes, ut et Vincentius Bellov., ut ad Annibalem referatur, non *ubi,* ut ad Leptin, quod edd. excogitarunt. Cum mss. facit ed. August. codicis sui religiose semper servans scripturam.

6. *Carthaginem venit.* Non ad Urbem accessit, sed *Zamam,* quæ iter dierum quinque abest a Carthagine, Livius libro XXX, Polyb. XV. Ubi de colloquio ducum plura. FABR.

7. *Colloquium Scipionis petiit.* Sic mss. Sed editi plerique, *Scipionis colloquium petiit.* August. vero D sola, *ad colloquium Scipionis venit. Ubi cum se diu,* etc. Pro *petiit* quatuor mss. *petit* habent.

8. *Ubi cum se diu.* Hæc mss. lectio est. Editi. vett., *Ibi cum diu se,* etc.

9. *Suspexissent.* Lugd. Bat. pr., *conspexissent.*

10. *Infecto.* Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., *interfecto pacis negotio.* Malim vulgatum. Dein *est* delet Lugd. Bat. pr.

11. *Carthaginiensium interf.* XX *millia* D. Sic Appianus, Ἀπέθανον τῶν πολεμίων δισμύριοι καὶ πεντακισχίλιοι. Polybius et Livius scribunt Carthaginiensium cæsa supra millia viginti. De Annibalis fuga eosdem auctores lege, sicut et de pace ejusque conditionibus. FABR.

12. *Parvus.* Cod. Perizon., *parvulus.*

13. *Consultantique senatui.* Codex meus *consulentique senatui,* quod et in edit. August. inveni.

14. *Terentius, qui postea comicus,* Quod Orosius

Carthaginiensium **269** captivis pileatus (quod indultæ sibi libertatis insigne fuit) triumphantem post currum secutus est.

CAPUT XX.

De bello Macedonico, in quo cum variis ac diversis Romani, præcipue adversus Macedones et Antiochum Syriæ regem, varie pugnaverunt.

[1] Anno ab Urbe condita DXLVI, bellum Punicum secundum finitum est, quod gestum est annis septemdecim : cui Macedonicum continuo successit [2] quod Quinctius Flamininus cos. sortitus, post multa et **270** gravissima prælia, quibus Macedones victi sunt, pacem Philippo dedit. Deinde cum Lacedæmoniis pugnavit, victo Nabide duce ipsorum, nobilissimos obsides Demetrium Philippi filium et [3] Armenem Nabidis filium, ante currum duxit. Romani captivi, qui sub Annibale per Græciam venditi fuerant, universi recepti, capitibus rasis ob detersam servitutem, currum triumphantis secuti sunt. [4] Eodem tempore Insubres, Boii atque Cænomani, contractis in unum viribus, Amilcare Pœno duce, qui in Italia remanserat, Cremonam Placentiamque vastantes, difficillimo bello a L. Furio prætore superati sunt. Postea Flamininus proconsule, Philippum regem et cum eo Thracas, Macedones, Illyrios, multasque præterea gentes, quæ [5] in auxilium ei venerant, bello subegit. [6] Victi Macedones castra amiserunt, octo millia hostium [7] eo die cæsa, [8] quinque millia capta Polybius scribit. Valerius dicit quadraginta millia trucidata. Claudius vero triginta duo millia interfecta commemorat. Sed hæc varietas scriptorum utique fallacia est. Fallaciæ autem causa profecto adulatio est, dum victoris laudes accumulare, virtutemque patriæ extollere vel præsentibus vel posteris student : alioquin si inquisitus non fuisset numerus, nec qualiscumque fuisset expressus. Quod si gloriosum est duci et patriæ, plurimos hostium peremisse, quanto magis lætum patriæ, et duci beatum potest videri, suorum vel nullos vel paucissimos perdidisse. Ita lucidissime patet, quod **271** simili impudentia mentiendi, qua occisorum hostium numero adjicitur, sociorum quoque amissorum damna minuuntur, vel etiam omnino reticentur. [9] Igitur Sempronius Tuditanus in Hispania citeriore, bello oppressus, cum omni exercitu Romano interfectus est : [10] consul Marcellus in Etruria a Boiis oppressus, magnam partem exercitus perdidit, cui postea Furius alter consul auxilio ac-

HAVERCAMPI NOTÆ.

hic de *Terentio comico*, id Livius libro trigesimo et trigesimo octavo de Q. *Terentio Culleone*, senatore Romano, quem Scipio inter captivos recepit, scriptum reliquit. Fenestella quoque eos refutavit, qui *Terentium* captum ex Africa Romam perductum scripserant. FABR. — Unde, quantumvis in omnibus mss., ut et Vincentio Bellov. lib. VI, cap. 52, inveniatur, Pighius ad A. U. C. DLII, tom. II Annal. p. 241, *impudens glossema* vocat, *librariorum ignorantia invectum*. Vellem sane! Sed vereor, ne nimis oscitanter et properanter Livium legerit Orosius. Orosii enim stylum sapiunt illa, *qui postea comicus*, ut supra cap. 16, de Scipione, *qui postea Africanus*. Credidisse videtur P. Terentium, postea scriptorem comicum, ex nobilibus, vel ut quædam edd. habent, ex *nobilissimis* Carthaginiensium fuisse captivis, et quidem ante triumphum, servitute exemptum et libertate donatum, atque ideo Scipionis benefactoris currum triumphalem secutum fuisse. Nam, si, ut glossema, illa tantum tollamus, *qui postea comicus*, remanent tamen, quæ male cohærent, verba, *ex nobilibus Carthaginiensium captivis*. Q. Terentius Culleo enim, cui illa felicitas, apud Livium et alios, contigisse dicitur, non potest dici fuisse ex nobilibus Carthaginiensium captivis, quia fuit ex captivis Romanorum apud Carthaginienses, sic enim *Romani captivi* in Græcia occurrunt cap. sequ. Præterea tunc foret scribendum *receptæ*, vel, ut cap. sequ., *detersæ*, non vero *indultæ libertatis*, Romano enim Romanus libertatem indulgere non poterat, quæ illi eodem jure quo sibi, ut Romano, competebat, sed herus servo indulgere libertatem solet, et sic manumissus fuit P. Terentius ille, qui postea comicus.

CAP. XX. — 1. *Anno ab Urbe condita* DXLVI. In Fastis Capitolinis hic annus est ab Urbe condita DLII. Bellum autem primum *Macedonicum*, quod hoc anno Romani susceperunt, etiam *Philippicum* a rege, quicum gestum est, nominatur, de quo Livius lib. XXXI et deinceps, Florus lib. II cap. 7, Eutropius IV. FABR.

2. *Quod Quinctius Flamininus. T. Quinctius. T. F. L. N. Flamininus* cos. in Fastis Capitolinis invenitur anno DLV. Is sortitus Macedoniam adversus Philippum in faucibus Epiri prospere pugnavit : annoque insequenti victo ei pacem dedit, Polybius libro decimo septimo, Livius XXXII et XXXIII, Plutarchus in Flaminino. Quinctii cognomen *Flamininus* in Cornelii Gualtheri libro recte scribitur, cum in aliis, et vulgo passim male scribatur : De *Nabide* præter Livium et Plutarchum, Pausanias libro IV, Justinus trigesimo et trigesimo primo. FABR.

3. *Armenem*. Is apud Romanos in Italia diem obiit. Demetrius postea patri Philippo fuit redditus.

4. *Eodem tempore Insubres*. Hæc res contra Gallos a L. Furio Purpureone prætore gesta est P. Sulpicio Galba, C. Aurelio Cotta coss. anno Urbis DLIII, Livius libro XXX. FABR.

5. *In auxilium ei*. Tres ex Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. legunt, *qui in auxilio ejus venerant*.

6. *Victi Macedones*. Prælium intelligit, quo Philippus, rex Macedonum, ad Cynoscephalas, victus est a T. Quinctio. Quod a Livio expositum fuit initio libri XXXIII, sed cum ibi non sine jactura historiæ interciderit, in Polybii fragmentis libro decimo septimo singulari beneficio conservatum est. Ubi quod a Polybio scriptum Orosius refert, sic legitur, τῶν δὲ Μακεδόνων ἀπέθανον μὲν οἱ πάντες εἰς ὀκτακισχίλιους, ζωγρεία δ' ἑάλωσαν οὐκ ἐλάττους πενταχισχιλίων. Idem numerus cæsorum est apud Plutarchum. FABR.

7. *Eo die cæsa*. Sic mss. meliores sex, videlicet Florentt. tres, Perizon., Meus et unus ex Lugd. Batt. astipulante Coll. Gronov. Alii, *eodem*.

8. *Quinque millia capta*. Numerus cæsorum in tribus mss. recentioribus *novem*, captorum *sex* millibus definitur, sed contra Polybium. Mox, pro *victoris*, cod. Perizon., *victorum*.

9. *Igitur Sempronius*. C. Sempronius Tuditanus prætor, in citeriore Hispania prælio victus, ex gravi vulnere haud ita multo post exspiravit, Livius libro XXXIII. Appianus in Hispanicis *Sempronium Tudertinum* appellat. FABR.

10. *Consul Marcellus*. M. Claudius Marcellus et L. Furius Purpureo consules fuerunt anno DLVII, in eoque magistratu rem in Etruria gesserunt, Livius lib. XXXIII. FABR.

cessit : atque ita universam Boiorum gentem igni ferroque vastantes, propemodum usque ad nihilum deleverunt. L. Valerio Flacco, M. Porcio Catone consulibus, [11] Antiochus, rex Syriæ, bellum contra populum Romanum [12] struens, in Europam transiit ex Asia. Tunc etiam Annibal propter excitandi belli rumores, qui de eo apud Romanos [13] serebantur, exhiberi [14] Romam a senatu jussus, clam ex Africa profectus, ad Antiochum migravit ; quem cum apud Ephesum invenisset cunctantem, mox in bellum impulit. Tunc etiam [15] lex, quæ ab Oppio [16] tribuno plebis lata fuerat, ne qua mulier plus quam semunciam auri haberet, neve versicolori vestimento, nec vehiculo per Urbem uteretur, post viginti annos abrogata est. P. Scipione Africano iterum, Ti. Sempronio Longo consulibus, apud Mediolanum [17] decem millia Gallorum cæsa : sequenti autem prælio undecim millia Gallorum, Romanorum vero quinque millia, occisa sunt. [18] Publius **272** Digitius prætor in Hispania citeriore, pene omnem amisit exercitum. M. Fulvius prætor Celtiberos cum proximis gentibus vicit, [19] regemque eorum cepit. Minucius a Liguribus in extremum periculi [20] adductus, et insidiis hostium circumventus, vix Numidarum equitum industria liberatus est. [21] Scipio Africanus, inter cæteros legatos ad Antiochum missus, etiam cum A Annibale colloquium familiare habuit. Sed infecto pacis negotio, ab Antiocho discessit. In utraque Hispania per Flamininum, Fulviumque prætores, bella [22] multum horrida cruentaque utrisque populis gesta sunt. [23] P. Cornelio Scipione, M. Acilio Glabrione consulibus, Antiochus quamvis Thermopylas occupasset, [24] quarum munimine tutior propter dubios belli eventus fieret, tamen commisso bello, a consule Glabrione superatus, vix cum paucis [25] fugit e prælio, Ephesumque pervenit. [26] Is habuisse fertur armatorum sexaginta millia, ex quibus quadraginta millia cæsa, capta plus quam quinque millia fuisse referuntur. Alter consul Scipio cum Boiorum gente conflixit, [27] in quo [28] prælio viginti millia hostium interfecit. [29] Sequenti anno Scipio B Africanus, habens in auxilio Eumenem Attali filium, adversus Annibalem, qui tunc Antiochi classi præerat, bellum navale gessit, Antiochus, victo **273** Annibale atque in fugam acto, simulque omni exercitu amisso, pacem rogavit : [30] filiumque Africani, quem utrum explorantem, an in prælio cepisset, incertum est, ultro remisit. In Hispania ulteriore [31] L. Æmilius proconsule a Lusitanis cum universo exercitu cæsus interiit. L. Bæbius in Hispaniam proficiscens, a Liguribus circumventus, cum universo exercitu occisus est : unde [32] adeo ne nuntium

HAVERCAMPI NOTÆ.

11. *Antiochus, rex Syriæ.* De hoc et Annibalis transitu ad ipsum Livius, Appianus de rebus Annibalis, et in Syriacis, Justinus libro trigesimo primo FABR.

12. *Struens.* Nolim hic tam munificus esse voluisset in Orosium, qui *instruens* fecit. LAUT. — Recte sane, nam *struens*, non *instruens*, invenitur in mss. Meo, Perizon. atque Ultrajectino. Verbum quoque *struo* dolum nectere subinnuit, ut fecit Antiochus.

13. *Serebantur.* Ed. Aug. *ferebantur*, ut et Ed. Scotti.

14. *Romam.* Sic melioris mss. *Romæ* alii.

15. *Lex, quæ ab Oppio.* Contentiones de *lege Oppia* ortas, commemorat Livius initio lib. XXXIV. Lata fuit anno ab Urbe condita DXL, abrogata DLVIII. FABR.

16. *Tribuno plebis.* Cod. Longob., ut et Perizon., *tribuno plebi.*

17. *X millia Gallorum cæsa.* Hanc victoriam de Gallis reportavit L. Valerius Flaccus Procos. Alterum prælium in quo Romanorum non incruenta victoria fuit, commissum est a Ti. Sempronio cos. Livius lib. XXXIV. FABR.

18. *P. Digitius.* In Gualteri libro *Digitius* prænomen nullum habet. Livius initio lib. XXXV *Sex Digitium* nominat, ubi cætera, quæ hic breviter Orosius, ordine commemorantur. FABR.

19. *Regemque eorum.* Ed. August. *regem quoque eorum.*

20. *Adductus.* Addunt Lugd. Batt. tres *est.* In ed. Aug. legitur, *in extremum periculum adductus est.* Venetæ quoque *periculum* scribunt ; sed deleto *est.*

21. *Scipio Africanus, inter cæteros legatos.* De hac legatione Livius, et Appian. in Syriaca, qui narrant Africani sermonem cum Annibale habitum *de summo imperatore.* Unde Lucianus argumentum sumpsit Dialogi, qui de hac re ἐν τοῖς νεκρικοῖς legitur. FABR.

22. *Multum.* Lugd. Bat. quart. et ed. Aug., *multa.* Mox eadem ed., *utriusque populi.*

23. *P. Corn. Scip. M. Acilio.* Hi coss. fuerunt C anno Urbis DLXI. Acil. in Capitolin. tabulis prænomen *M.* habet, quo *Manius* significatur. Plutarchus quoque hunc in Flaminio, Μάνιον Ἀχίλιον, Appianus in Syriaca, Ἀχίλιον Μάνιον Γλαβρίωνα vocant, qui de re gesta cum Antiocho sunt legendi cum Livio libr. XXXVI, Just., Floro, Eutropio et aliis. FABR.

24. *Quarum munimine.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *ex quarum munimine.*

25. *Fugit e prælio.* Meus codex, *effugit de prælio.*

26. *Is habuisse fertur armatorum* LX *millia.* Hunc numerum, Livio auctore, Valerius Antias edidit. Appianus vero scribit ex Antiochi exercitu cæsos aut captos circiter X mille. FABR.

27. *In quo prælio* XX *millia hostium.* Duodetriginta millia hostium cæsa Antias Valerius scribit, capta tria millia et CCCC, signa militaria CXXIV, equos MCC, carpenta CCXLVII, Livius. FABR.

28. *Prælio.* Perizon., *bello*, ut sæpe.

29. *Sequenti anno.* Bellum Antiochenum confecit Africani frater L. Scipio, inde *Asiaticus* appel- D latus, Livius lib. XXXVII.

30. *Filiumque Africani.* Appianus errore ductus putavit hunc esse Pauli Æmilii filium, qui in Scipionum familiam adoptatus *Africanus minor* dictus fuit : sed ille non ab Africano superiore, sed ejus filio adoptatus fuit, Cicero et alii. FABR. — Mox *prælio* pro *in prælio* ed. Aug.

31. *Lucius Æmilius proconsule.* Lucius Æmilius Paulus prætor, Scipione et Glabrione consulibus, Hispaniam ulteriorem sortitus fuit, eamque imperio consulari obtinuit proconsul. Livius libr. XXXVI, Plutarchus in Æmilio. Anno autem sequenti victus a Lusitanis sex millia de exercitu suo amisit, Livius libro XXXVII. Interiisse ipsum Orosius parum considerate scribit. De Bæbio occiso a Liguribus, Liv. extremo lib. XXXVII. FABR.

32. *Adeo.* Non comparet in ead. ed. Aug.

quidem superfuisse constat, ut internecionem ipsam Romæ Massilienses nuntiare curaverint. [33] Fulvius consul de Græcia in Gallogræciam, quæ nunc est Galatia, transvectus, ad Olympum montem pervenit, ad quem universi Gallogræci cum conjugibus et liberis confugerant, ibique acerbissimum bellum gessit, namque de superioribus locis sagittis, [34] grandibus saxis, cæterisque telis Romani graviter [35] contriti, tandem usque ad congressum hostium perrupe-runt, quadraginta millia Gallogræcorum eo prælio interfecta referuntur. [36] Marcius consul adversus Ligures profectus, superatusque, quatuor millia militum amisit: et nisi victus, celeriter refugisset in castra, eamdem internecionis cladem, quam Bæbius dudum ab eisdem hostibus acceperat, pertulisset. M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone consulibus, Philippus rex, [37] qui legatos populi **274** Romani interfecerat, propter Demetrii [38] filii sui, quem legatum miserat, verecundissimas preces, veniam meruit: eumdemque continuo velut Romanis amicum, suique proditorem, fratre quoque ipsius ad parricidium patris ministro, nihil de utroque miserum male suspicantem, veneno necavit. Eodem anno Scipio Africanus ab ingrata sibi Urbe [39] diu exsulans, [40] apud Liternum oppidum morbo periit. Iisdem etiam diebus Annibal apud Prusiam Bithyniæ regem, cum a Romanis reposceretur, veneno sese necavit. [41] Philopœmen, dux Achivorum, a Messeniis captus, occisúsque est. In Sicilia tunc [42] Vulcani insula, quæ ante non fuerat, repente mari edita cum miraculo omnium, usque ad nunc manet. [43] Q. Fulvius Flaccus prætor, in citeriore Hispania maximo prælio [44] viginti tria millia hominum fudit, quatuor millia cepit. [45] Ti. Sempronius Gracchus in Hispania ulteriore [46] centum quinque oppida vacuata quassataque bellis, ad deditionem coegit. Eadem æstate etiam L. Postumius in citeriore Hispania quadraginta millia hostium bello interfecit. Gracchus prætor ibidem iterum ducenta oppida [47] expugnavit et **275** cepit. [48] Lepido et Mucio consulibus, [49] Basternarum gens ferocissima, auctore Perseo Philippi filio, prædarum spe sollicitata, et transeundi Istri fluminis facultate, [50] sine ulla pugna vel aliquo hoste deleta est. Nam tunc forte Danubius, qui et Ister, crassa glacie superstratus, pedestrem facile transitum patiebatur. Itaque cum improvide toto et maximo simul agmine inæstimabilis hominum vel equorum multitudo transiret, enormitate ponderis et concussione gradientium concrepans gelu, et glacialis crusta dissiluit, universumque agmen, quod diu sustinuerat, mediis gurgitibus victa tandem et comminuta destituit: atque eadem rursus fragmentis impedientibus superducta, submersit. Pauci ex omni populo per utramque ripam, vix concisis visceribus, evaserunt. P. Licinio Crasso et C. Cassio Longino consulibus [51] Macedonicum bellum gestum est, merito inter maxima bella referendum. Nam in auxilio Romanorum tota primum Italia, deinde Ptolemæus

HAVERCAMPI NOTÆ.

33. *Fulvius cos. de Græcia.* Anno ab Urbe condita DLXIV, M. Fulvius Nobilior consul fuit cum Cn. Manlio Vulsone. Atque ab hoc, non a Fulvio bellum in Gallogræcia gestum scribit Livius XXXVIII. Florus lib. II cap. 11, Appianus in Syriaca. De *Gallogræcia* Livius, et Justinus lib. XXV. FABR.

34. *Grandibus saxis.* Ita mss. delcta copula *que*, quam editi quidam admittunt.

35. *Contriti.* Lugd. Bat. quart. et ed. Aug. *attriti*, quæ lectio quoque invenitur apud Vincent. Bellov. lib. VI, cap. 58, qui deinde sic pergit, *tandem*, etc., *perrumpentes* XL *millia Gallogræcorum interfecisse referuntur.*

36. *Marcius consul adversus Lig.* Q. Marcius Philippus consul cum Sp. Postumio Albino anno DLXVII profectus adversus Ligures magnam cladem accepit. Livius libro XXXIX. FABR.

37. *Qui legatos populi Romani interfecerat.* Philippus non legatos Roman. interfecit, sed Maronitas, quibus libertatem restituendam Senatus censuerat, crudeliter trucidavit, Livius lib. XXXIX. De Demetrio interfecto idem libr. XL, et Plutarchus in Æmilio Paulo. FABR.

38. *Filii sui.* in Lugd. Batt. duobus *filii* tantum legitur.

39. *Diu exsulans.* Exsulare vocem priorem jubet ed. August.

40. *Apud Liternum.* De Africani morte lege Livium libr. XXXIX. Ubi etiam Annibalis et Philopœmenis interitum scribit, quemadmodum Plutarchus in Flaminino et Philopœmene, Justin. libr. XXXII. FABR.

41. *Philopœmenes, Dux Achivorum, a Messanis captus occisusque est. In Sicilia tunc.* Demiror Marcoduranum hic non vidisse vitium, quando turbatissime hunc locum istis distinctionibus ediderit: *a Messanis captus, occisusque est in Sicilia.* LAUT. — Perperam quoque *Philopœmenes* et *Messanis* scribitur, cum ipse dux *Philopœmen* et *Messenii* dicantur qui illum ceperint apud Justinum lib. XXXII, cap. 1.

42. *Vulcani insula*, etc. In ed. Aug. legitur, *Vulcania insula, q. a. n. f. repente mari edita cum admiratione omnium*, etc. Pro *in mari* quod in Vulg. est, Lugd. Batt. duo, Meus et Perizon., *mari*, ut et tres Florentini, atque edd. Venetæ. Itaque ejeci *in* quod abundat.

43. *Q. Fulvius Flaccus.* Hic Bæbio et Æmilio coss. prætor sortitus Hispaniam citeriorem anno insequenti Celtiberos vicit, Livius lib. XL. Appianus in Hispanicis rem gestam scribit a Fulvio Consule, si modo Beraldus recte vertit, nam Græcum librum ab Henrico Stephano editum nondum vidi. FABR.

44. *Viginti tria millia.* Aug., XXXIII *millia.*

45. *Ti. Sempronius Gracchus.* Gracchus Fulvio in Hispania successit, auctore Appiano. Vide Epitomam XLI. FABR.

46. *Centum quinque oppida.* Edd. vett. plures *centum quinquaginta.* Duo ex mss. Lugd. Batt. *centumquinquaginta duo.*

47. *Expugnavit et cepit.* Meus, *oppugnavit et cepit.*

48. *Lepido et Mucio coss.* M. Æmilius Lepidus et P. Mucius Scævola consules fuerunt anno ab Urbe condita DLXXVIII. FABR.

49. *Basternarum gens.* Hanc gentem aliasque finitimas Istro, jam ante Persei tempora pater ejus Philippus ad bella Romana sollicitaverat. Vide, quæ de iis scripsimus in Opere Majori in Vita Philippi, Demetrii filii.

50. *Sine ulla pugna.* Longob. pr. *sine aliqua pugna.*

51. *Macedonicum bellum.* Secundum bellum *Macedonicum* exponit Livius libro XLI et quatuor sequentibus. De eodem Plutarch. in Æmilio Paulo, Florus lib. II cap. 12, Eutropius libro IV. De auxiliis utriusque partis, Livius libr. XLII. FABR.

rex Ægypti, et Ariarathes Cappadociæ, Eumenes Asiæ, et Massanissa Numidiæ fuerunt. Perseum et Macedonas secuti sunt Thraces cum rege Cotye, et universi cum rege Gentio Illyrii. Itaque advenienti Crasso consuli Perseus occurrit: [52] commissoque prælio, miserabiliter victi fugere Romani. Sequenti pugna pene pari clade partis utriusque in hiberna discessum est. Deinde Perseus profligato multis præliis exercitu Romano in Illyricum transgressus, [53] Sulcanum oppidum defensum a præsidiis Romanis [54] pugnando **276** cepit: ubi magnam Romanorum præsidiorum multitudinem partim occidit, partim sub corona vendidit: partim secum in Macedoniam duxit. Postea cum eo L. Æmilius Paulus consul dimicavit, et vicit. [55] Nam viginti millia peditum in eo bello interfecit. Rex cum equitatu subterfugit, sed continuo captus atque in triumpho cum filiis ante currum actus est: et post [56] apud Albam in custodia defecit. Filius ejus junior fabricam ærariam ob tolerandam inopiam Romæ didicit, ibique consumptus est. Plurima præterea et satis diversis proventibus bella multarum ubique gentium gesta sunt, quæ brevitatis causa prætermisi.

CAPUT XXI.

Scipionem Africanum Hispaniam vastasse; Scipionem Nasicam theatri ædificationem dissuasisse; Galbam parum honeste Lusitanis imposuisse.

[1] Anno ab Urbe condita DC, L. Licinio Lucullo et A. Postumio Albino consulibus, cum omnes Romanos ingens Celtiberorum metus invasisset, et ex omnibus non esset, qui ire in Hispaniam vel miles vel legatus auderet, [2] P. Scipio, qui postea Africanus est dictus, ultro sese militaturum in Hispaniam obtulit, cum tamen in Macedoniam sorte **277** jam deputatus esset. Itaque profectus in Hispaniam magnas strages gentium dedit, sæpius [3] etiam militis quam ducis usus officio. [4] Nam et barbarum provocantem singulariter congressus occidit. [5] Ser. autem Galba prætor, a Lusitanis magno prælio victus est: universoque exercitu amisso, ipse cum paucis vix elapsus evasit. [6] Eodem tempore censores theatrum lapideum in Urbe construi censuerunt: quod ne tunc fieret, Scipio Nasica gravissima oratione obstitit, dicens, inimicissimum hoc fore bellatori populo ad nutriendam desidiam, [7] lasciviæque commentum: adeoque movit senatum, ut non solum vendi omnia theatro comparata jusserit, sed etiam subsellia ludis poni prohibuerit. Quamobrem intelligant nostri (quibus quidquid extra oblectamentum libidinis occurrit, offensio est), propter hoc

HAVERCAMPI NOTÆ.

52. *Commissoque prælio, miserabiliter victi.* De hoc prælio Livius libr. XLII; et Plutarch. in Apophtegm. ita: Πόπλιος Λικίνιος ὑπατὸς στρατηγὸς, ἡττηθεὶς ὑπὸ Περσέως τοῦ Μακεδόνων βασιλέος ἱππομαχίᾳ, δισχιλίους ὀκτακοσίους ἀπέβαλε, τοὺς μὲν πεσόντας, τοὺς δὲ ἁλόντας, id est, *P. Licinius cos. imperator, victus a Perseo Macedonum rege, duo millia* DCCC *amisit, quorum alii ceciderunt, alii capti sunt.* FABR.

53. *Sulcanum oppidum. Sulcanum*, est in Gualtheri libro, Livius libro XLIII scribit *Uscanam* a Perseo captam, ibique præsidium Romanum in illius potestatem venisse. FABR. — *Sulcamum* legitur in tribus Florr.; in Meo et duobus Lugd. Batt., *Sulcanium.*

54. *Pugnare cepit.* Non dubia conjectura ex *pugnare cœpit*, quod in Colon. et Veneto erat, Fabricius posuerat, *pugnando cepit.* LAUT. — Ex mss. sic reposuit Fabricius, in illis enim legitur *pugnando.*

55. *Nam viginta millia peditum. Cæsa*, inquit Livius libr. XLIV, *ad* XX *millia hominum sunt.* Plutarchus, λέγονται ὑπὲρ δισμυρίους πεντακισχιλίους ἀποθανεῖν, *cæsa referuntur millia* XXV *amplius.* FABR.

56. *Apud Albam in custodia.* Perseus primum apud Albam in custodiam datus, postea Æmilii Pauli sententia exemptus e carcere, cum decem annos miseram vitam egisset, mortuus fuit, auctoré Diodoro Siculo libro XXXI. Velleius scribit Perseum quadriennio post in libera custodia Albæ decessisse. FABR. — De Gentii, Illyriorum regis, ipsius Persei, filiorumque ejus atque universæ domus fato, lege Vitam Persei, in extremo Historiæ nostræ regum Macedoniæ.

CAP. XXI. — 1. *Anno ab Urbe condita* DC. Aliis hic annus est DCII. Orosii locum hunc Diaconus Eutropii historiæ inseruit. FABR.

2. *P. Scipio.* De hac Scipionis Æmiliani militia lege Epitomam Livianam libro XLVIII. FABR.

3. *Etiam militis.* Edd. quædam vett., *tam militis*, etc., sed elegantius omittitur.

4. *Nam et barbarum provocantem.* Hoc in obsidione *Intercatiæ* oppidi factum scribit Appianus in Hispanicis, et auctor de Viris Illustribus. In Epitoma Liviana vulgo male, *captæ urbis*, et in vetustis, *interceptæ* legitur, pro, *Intercatiæ.* FABR.

5. *Ser. autem Galba.* Hic est Ser. Sulpic. Galba, de quo Appian. et Suetonius in Galba. *Sergius Galba*, pro *Servius*, hic antea mendose legebatur. FABR.

6. *Eodem tempore censores.* De hac re lege Epitomam XLVIII. FABR.

7. *Lasciviæque commentum.* Ita quidem edidit Fabricius, secutus vett. quasdem edd.; sed mss. Florentini omnes, ut et Lugd. Batt. tert. et quart. quibus accedunt Meus et Perizon., *Lasciviamque commentum.* Quo sensu dixit Nasica theatrum inimicissimum esse commentum ad nutriendam desidiam lasciviamque. Edd. primæ et Augustana cum Venetis huic lectioni quoque astipulantur. Aliam insuper suppeditat Lugd. Batt. pr. videlicet hanc, *ad denuntiandam desidiam, lasciviæque commentum.* Quæ nec ipsa venere sua caret. Theatrum lasciviæ veluti commentum consideravit quoque Tertullianus de Spectaculis libro cap. 10: *Censores sæpe renascentia maxime theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant.* Desidiam afferre bellatori populo sedere in theatro notavit quoque Val. Max. II, IV, 2: *Atque adeo S. C. cautum est, ne quis in Urbe, propiusve passus mille, subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet, ut scilicet remissioni animorum juncta standi virilitas propria Romanæ gentis nota esset.* De hoc Scipionis Nasicæ facto egerunt præterea Velleius Paterculus lib. I, cap. 15, Appian. Bell. Civ. lib. I, p. 367, Livius Epit. XLVIII, et Orosii Magister Augustinus de Civitate Dei, lib. I, cap. 6: *Nasica pontifex maximus caveam theatri senatum construere molientem compescuit, persuasitque, ne Græcam luxuriam viribus patriæ moribus paterentur obrepere; et id egit, ut senatus subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo jam olim uti civitas cœperat, deinceps prohiberet apponi.*

quod se infirmiores esse hostibus suis ipsi sentiunt A et fatentur, theatra incusanda, non tempora : nec blasphemandum Deum verum, qui usque ad nunc ea prohibet, sed abominandos deos vel dæmones suos, qui ista petierunt, profundo quidem satis malignitatis suæ argumento, tale sacrificium flagitantes, quo non **278** magis fuso cruore pecudum, quam profligata virtute hominum pascerentur. Nam utique tunc [8] nec hostes, nec fames, nec morbi, nec prodigia deerant, immo tunc plurima erant, sed theatra non erant, in quibus, quod incredibile dictu est, ad aram luxuriæ [9] virtutum victimæ trucidantur. Carthaginiensibus : liquando visum est, homines immolare, sed male præsumpta persuasio brevi prætermissa est, a Romanis vero exactum est, ut semetipsos [10] perditioni impenderent. [11] Factum est, fit, amatur, et clamatur B ut fiat : qui pro mactanda gregis sui pecude fortasse offenderentur, pro interficienda cordis sui virtute lætantur : quin potius Nasicæ erubescant, qui Christianis exprobrandum putant : et non nobis de hostibus, quos semper habuerunt, [12] sed illi, de theatro, quod haberi prohibuerat, conquerantur. [13] Igitur in Hispania Ser. Galba prætor Lusitanos citra Tagum flumen habitantes, cum voluntarios in deditionem recepisset, per scelus interfecit : simulans enim de commodis eorum se acturum fore, circumpositis militibus cunctos inermes incautosque prostravit : quæ res postea universæ Hispaniæ propter Romanorum perfidiam, causa maximi tumultus fuit.

279 CAPUT XXII.

De tertio bello Punico. Consules ad delendam Carthaginem profectos, fugatos fuisse. Interim de situ ejusdem.

Anno ab Urbe condita DCII, L. Censorino et M. Manilio consulibus, [1] tertium Punicum bellum exortum est. Igitur cum senatus delendam Carthaginem censuisset, profecti in Africam consules, et Scipio tunc tribunus militum, prope Uticam [2] majoris Africani castra tenuerunt. Ibi Carthaginiensibus evocatis, jussisque ut arma et naves traderent, nec moratis, tanta vis armorum repente tradita est, ut facile tota ex his Africa potuisset armari. Sed Carthaginienses postquam arma tradiderunt, et relicta urbe [3] recedere procul a mari [4] decem millibus passuum jussi sunt, dolorem ad desperationem contulerunt, aut defensuri civitatem, aut cum ipsa per ipsam sepeliendi : ducesque sibi duos Asdrubales creaverunt. [5] Arma primum facere aggressi, æris ferrique inopiam, auri argentique metallis suppleverunt. Consules oppugnare Carthaginem statuunt, [6] cujus situs fuisse hujusmodi dicitur : [7] Viginti millia passuum muro amplexa, tota pene **280** mari cingebatur, absque faucibus, quæ tribus millibus passuum aperiebantur. Is locus murum triginta pedes latum habuit, saxo quadrato, in altitudinem cubitorum quadraginta. Arx, cui Byrsæ nomen erat, paulo amplius quam duo millia passuum tenebat. Ex una parte murus communis erat urbis et Byrsæ inminens

HAVERCAMPI NOTÆ.

8. *Nec hostes.* Cod. Longob., *nec hostis.* C

9. *Virtutum victimæ.* Edd. Augustan., *Virtutes hominum victimæ trucidantur.*

10. *Perditioni inpenderent.* Addit August. *ob theatrum.*

11. *Factum est, fit, amatur*, etc. Difficilis est locus, quem vix satis capio, quod idem cum, ut puto, interpretibus acciderit, sicco pede transierunt. Editiones veteres omnes, excepta Augustana, habent, *Factum esse sic fatentur, et clamant ut fiat.* Et sic quoque legitur in Flor. tertio. Neque multum abit inde Ultr. legens, *Factum ê* (sic) *fatetur et clamatur ut fiat.* Lugd. Batt. pr., tert. et quartus (nam secundus legit, *Factum est, fatetur et clamatur ut fiat*), una cum Coll. Gronov. hanc lectionem suppeditant, *Factum est, sic canitur, et clamatur, ut fiat.* Verum cod. Longob. sive Flor. pr., ut et Flor. secundus plane scribunt, *Factum est, fit, amatur et clamatur ut fiat*, nisi quod *amatus* sit in secundo. Unde patet Fabricium lectionem suam ex mss. hausisse. Codex meus et Perizon. atque ed. August. omnium optima, ut sæpe, cum Florentinis conspirant, et eamdem hic exhibent lectionem. Sensus verborum hic esse videtur. Sedere in theatro et ibi persedere, sicut olim est factum sic quoque nunc fit. Amant miseri hanc virtutis labem, atque assiduis clamoribus efflagitant, ut fiat iterum, id est spectare ludos sibi sæpius liceat. Taxat autem hic insaniam sui temporis circa theatrales ludos, non dissimilem circensium vanitati, de qua lib. I, cap. 6, scripsit : *Adeo autem parvo quodam et levi motu hæsitasse erga se parumper consuetudinem voluptatum indubitatissime contestatus est, ut libere conclamaret, si reciperet circum, nihil esse sibi factum : hoc est, nihil egisse Romæ Gothorum enses, si concedatur Romanis, spectare circenses.*

12. *Sed illi.* Addit ed. Aug., *id est Nasicæ.*

13. *Igitur in Hispania Ser. Galba.* Hanc rem a Lucullo gestam scribit Appianus : sed cum Orosio facit Cicero in Bruto, Suetonius in Galba et Valer. Max. lib. IX, c. 6. FABR.

CAP. XXII. — 1. *Tertium Punicum bellum.* Hoc bellum exponitur in Epitoma Liviana lib. XLIX, L et LI. Scribitur ab Appiano in Libyca, a Plutarcho in Catone, ab Eutropio lib. IV, a Floro lib. II cap. 15. FABR.

2. *Majoris Africani castra.* Castra Corneliana intelligit, de quibus Cæsar lib. II Comment. de bello civili, et Lucanus lib. IV. FABR.

3. *Recedere.* Edd. quædam ex vett., *secedere.*

4. *Decem millibus passuum.* LXXX stadia habet Appian. quod huic numero respondet. FABR.

5. *Arma primum.* Sic omnes mss. : *armaque* in Vulgg. Paulo ante Coll. Gron., *et per ipsam.*

6. *Cujus situs.* Meus, *cujus situs tunc fuisse*, etc.

7. *Viginti millia.* In vetustis nostris est, XXII *millia.* D Appianus in Libyca situm Carthaginis accurate descripsit, qui in primis legendus de rebus tertio bello Punico gestis. FABR.— Prout Fabricius numerum passuum in suis mss. invenit, ita in nostris itidem reperitur; nam *viginti duo millia passuum* scribunt sex optimi, Florent. scilicet tres, Meus, Periz. et Lugd. Bat. sec.; *viginti duo millibus* habet Lugd. Bat. quart. Sed pr. inter illos cum tertio et Coll. Gronov. *triginta millia* vel *millibus*, prout et in ed. August. reperitur. Notari id debuit, quia Appianus, in cæteris diligens, non expresse scribit; quot millia passuum Carthago muris amplexa fuerit. Præter Appianum describunt quoque Carthaginis urbis situm Polyb. lib. I cap. 73, et Strabo lib. XVIII, p. 572.

mari, quod mare [8] stagnum vocabant, quoniam objectu protentæ linguæ tranquillatur. Consules igitur quamvis aliquantam muri partem quassatam machinis diruissent, tamen a Carthaginiensibus victi ac repulsi sunt : quos fugientes Scipio repulso intra muros hoste defendit. [9] Censorinus in Urbem rediit. Manilius omissa Carthagine ad Asdrubalem arma convertit. Scipio, Massanissa mortuo, inter Massanissæ filios tres Numidiæ regnum divisit : quo circa Carthaginem reverso, Manilius Tezagam urbem expugnavit atque diripuit. Duodecim millia ibi Afrorum cæsa, sex millia capta sunt. [10] Asdrubal, Pœnorum imperator, [11] Massanissæ nepos, subselliorum fragmentis in curia a suis propter suspicionem proditionis occisus est. [12] Juventius prætor in Macedonia adversus Pseudophilippum congressus, cum [13] maxima clade totius Romani exercitus interfectus est.

281 CAPUT XXIII.

De Carthaginis miseranda dejectione ac deletione.

Anno ab Urbe condita DCVI, id est, anno quinquagesimo post bellum Punicum secundum, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio coss.; P. Scipio, superioris anni cos., delere Carthaginem suprema sorte molitus, [1] Cothonem ingreditur : [2] ubi dum sex continuis diebus noctibusque pugnatur, ultima Carthaginienses desperatio ad deditionem traxit, petentes, ut quos belli clades reliquos fecit, saltem servire liceat. Primum agmen mulierum satis miserabile, virorum post magis deforme descendit. [3] Nam fuisse mulierum viginti quinque millia, virorum triginta millia, memoriæ traditum est. Rex Asdrubal se ultro [4] dedit. Transfugæ, qui Æsculapii templum occupaverant, voluntario præcipitio dati, igne consumpti sunt. [5] Uxor Asdrubalis se duosque filios secum virili dolore et furore femineo in medium jecit incendium : eumdem nunc mortis exitum faciens novissima regina Carthaginis, quem quondam prima fecisset. Ipsa autem civitas decem et septem continuis diebus arsit, miserumque spectaculum [6] de **282** varietate conditionis humanæ victoribus suis præbuit. Diruta est autem Carthago, omni murali lapide

HAVERCAMPI NOTÆ.

8. *Stagnum vocabant.* Mss. omnes et ed. August., *vocant.* Mox *strangulatur* pro *stagnabatur* ed. ead. et quatuor Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. At cod. Perizon. scribit *tranquillatur*, non inepte sane, et forte idem voluit Ultr. in quo corrupte legitur *stranquillatur*; quam lectionem *tranquillatur*, cum et cod. Longob. et duobus reliquis Florentinis vetustiss. videam confirmari, expuncta vulgata, recepi. Plinius lib. II, cap. 103, p. 124 : *Hieme mare calidius esse, autumno salsius; omne oleo tranquillari.*

9. *Censorinus in Urbem rediit.* Appianus, Κηνσωρῖνος ἐς Ῥώμην ᾤχετο ἀρχαιρεσιάσων, *Censorinus Romam ad comitia habenda profectus est.* FABR.

10. *Asdrubal.* Dixit supra Carthaginienses sibi duces creasse duos Asdrubales. Ex his alter urbe aberat cum magna militum manu patriæ infensus ob damnationem, cujus causam fusius narrat Appian. lib. de Bel. Pun. p. 41, ubi ridiculus interpretis et editorum error est. Gesserat hic Asdrubal bellum contra Massanissam infeliciter, sic ut universum, ferro, peste et fame amiserit exercitum. Reliquias, fœda pactione inita dimissas, Gulussa, Massanissæ filius, cum equitibus Numidis, satis perfide invaserat, et inermes trucidaverat, sic ut paucissimi Carthaginem reversi sint. Hæc ubi narravit, ita pergit, Καὶ σὺν αὐτοῖς Ἀσδρούβας τε ὁ στρατηγὸς, καὶ ἕτεροι τῶν ἐπιφανῶν. Quod stupenda oscitantia versum est, *inter desideratos fuit ipse dux Asdrubal, cum aliis nobilibus.* Contrarium enim verum est, et verti debuit *et inter eos* (præcessit enim, cum quo hæc cohærent, ὀλίγοι πάμπαν ἐς Καρχηδόνα περιεσώθησαν. *Pauci admodum Carthaginem incolumes pervenerunt*) *ipse dux Asdrubal* (evasit scilicet) *et reliqua nobilitas.* Sequitur enim mox, quomodo Carthaginienses, ut Romanis sese de bello cum Massanissa gesto, purgarent, Asdrubalem et alios nobiles capitis reos declaraverint.

11. *Massanissæ nepos.* Θυγατριδοῦς Μασσανάσου, habet Appianus. FABR.

12. *Juventius prætor.* In Epitoma Liviana est, *M. Juventius*, quem Eutropius *P. Juventium* vocat, atque illi hoc tertium bellum *Macedonicum* scribunt, sicut et Florus libro II, capite 14. FABR.

13. *Maxima clade.* Ed. Aug. et mss. duo Lugd. Batt., *magna clade.*

CAP. XXIII.—1. *Cothonem ingreditur.* Quomodo Cothonem portum Scipio occupaverit, scribit Appianus in Libyca. FABR.— Quamvis Cothonem portum appellet Appianus pag. 79, ubi dicit Scipionem oppugnasse simul et Byrsam arcem, ἐπεχείρει καὶ τῶν λιμένων τῷ καλουμένῳ Κώθωνι, i. e., *et portum, quem Cothonem vocant*, proprie tamen parva erat insula, Byrsæ subjacens, in qua navalia erant Pœnorum. Strabo lib. XVII, p. 832 : Ὑπόκεινται τῇ ἀκροπόλει οἵτε λιμένες καὶ ὁ Κώθων, νησίον περιφερὲς εὐρίπῳ περιεχόμενον, ἔχοντι νεωσοίκους ἑκαθέρωθεν κύκλῳ, *Arci portus subjacent, et Cothon, parva insula ac rotunda, euripo circumdata, ad cujus in utramque partem sunt in orbem navalia.*

2. *Ubi dum*, etc. Ed. Aug., *ibi*, etc.

3. *Nam fuisse mulierum* XXV *millia.* Appianus, καὶ ἐξῆεσαν αὐτίκα μυριάδες πέντε ἀνδρῶν ἅμα καὶ γυναικῶν, id est, *Exierunt confestim* L *millia virorum et mulierum.* FABR.

4. *Dedit.* Lugd. Bat. pr. et Perizon., *dedidit.*

5. *Uxor Asdrubalis.* De hujus morte et conviciis in virum suum proditorem lege Appianum et Florum. Valerius libro III, cap. 2, eam se cum tribus filiis incendio flagrantis patriæ objecisse scribit. FABR.— Unde de nobili hac et generosa femina scribit Strabo l. c. in vertice Byrsæ fuisse Æsculapii templum, ὅπερ κατὰ τὴν ἅλωσιν ἡ γυνὴ τοῦ Ἀσδρούβα συνιάρησεν [*Forte legendum* συνεπύρησεν] αὐτῇ, i. e., *quod Asdrubalis uxor, capta urbe, secum concremavit.*

6. *De varietate conditionis humanæ*, etc. Sic ut victori Scipioni (quod et Tito circa Hierosolymas et nobile illud Templum accidit) lacrymas moverit, et fatidicam insuper vocem elicuerit,

Ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή,
Καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς ἐϋμελίω Πριάμοιο.

Jamque dies aderit, quo concidat Ilion ingens
Et Priamus, Priamique ruat plebs armipotentis.

Appiano teste pag. 82, qui et illud subdit : Πολυβίου δ' αὐτὸν ἐρομένου σὺν παῤῥησίᾳ (καὶ γὰρ ἦν αὐτοῦ καὶ διδάσκαλος) ὅ, τι βούλοιτο ὁ λόγος, φασίν, οὐ φυλαξάμην [*Forte* φυλαξάμενον], ὀνομάσαι τὴν πατρίδα σαφῶς. ὑπὲρ ἧς ἄρα, ἐς τ' ἀνθρώπεια ἀφορῶν, ἐδεδίει· καὶ τάδε μὲν Πολύβιος αὐτὸς ἀκούσας συγγράφει. *Certe familiarior a præceptore Polybio rogatus, quid sibi vellent ea verba, fassus est ingenue, cogitationem incidisse sibi de patria, cui timeret, vices rerum humanarum considerans; id quod ipse Polybius in Historiis suis memorat.* Pro *victoribus suis*, Perizon. *victoribus* tantum.

in pulverem comminuto, septingentesimo post anno quam condita erat. Multitudo omnis captivorum, exceptis paucis principibus, venumdata est.[7] Ita quarto quam incœptum fuit anno, bellum Punicum tertium terminatum est. Sed mihi quamlibet studiose quærenti, verumtamen homini tardioris ingenii, nusquam omnino causa belli Punici tertii, quam in tantum Carthago accenderit, ut juste everti decerneretur, eluxit. Illudque me vel maxime movet, quod si ita, ut in superioribus bellis evidens in assurgentem causa et dolor accendebat, consultatione non opus erat. At vero[8] cum alii Romanorum propter perpetuam Romæ securitatem delendam esse decernerent, alii vero propter perpetuam Romanæ virtutis curam, [9] quæ sibi semper ex suspicione æmulæ urbis impenderet, ne vigor Romanus bellis semper exercitus, A in languidam segnitiem securitate atque otio solveretur, incolumem Carthaginem statui suo permittendam esse censerent : causam non ex injuria lacessentium Carthaginiensium, sed ex inconstantia torpescentium Romanorum ortam invenio. Quod cum ita sit, cur Christianis temporibus imputant hebetationem ac rubiginem suam, qua foris crassi, intus exesi sunt? qui porro ante sexcentos fere annos, sicut sui **283** prudentes timentesque prædixerant, cotem illam magnam splendoris et acuminis sui Carthaginem perdiderunt. Itaque finem volumini faciam, ne forsitan collidendo vehementius, discussa ad tempus rubigine, ubi necessarium acumen elicere non possum, supervacuam asperitatem inveniam : quamquam obviantem asperitatem nequaquam expavescerem, si interioris spem acuminis invenirem. B

HAVERCAMPI NOTÆ.

7. *Ita quarto quam.* Qui hanc locutionem, quam omnes mss. melioris notæ confirmant, non putarunt usitatam, mutarunt *quam* in *postquam*, ut factum fuit in aliquot ex vetust. edd.; sed Aug. ms. cod. secuta, nihil mutavit. Pro *venumdata* multi mss. et edd. *vendita* malunt, ut et *cœptum* pro *incœptum*.

8. *Cum alii propter perpetuam Romæ securitatem.* Hujus sententiæ auctor et princeps erat M. Cato, contrariæ Nasica, Livius lib. XLIX, Plutarch. in Catone majore. FABR.

9. *Quæ sibi semper*, etc. In verbis hisce aliquid ulceris latere puto. Nam pro *quæ* cod. Longob. et alii meliores, ut et edd. vetustæ omnes habent *quam*. Multi quoque ex iisdem *impenderent*, pro *impenderet*. Unde locum sic corrigo, *quam sibi*, etc., *intenderent;* virtutem scilicet, cujus contrarium *intendetur socordia* occurrit apud Tacitum Annal. lib. II, cap. 39 : *Languescet alioqui industria, intendetur socordia. Intendere* hic pro augere, promovere, sumitur. Similiter Orosius supra lib. III, p. 149 : *Susceptum negotium duplici cura intendebat.*

LIBER QUINTUS.

284 CAPUT PRIMUM.

Romanorum per aliorum clades felicitatem plus damni quam commodi secum traxisse; item sua tempora prioribus potiora.

Scio aliquantos post hæc deinceps permoveri posse, quod victoriæ Romanæ multarum gentium et civitatum strage[1] crebrescunt : quam si diligenter[2] attendant, plus damni invenient accidisse, quam commodi, neque enim parvipendenda sunt tot bella servilia, socialia, civilia, fugitivorum, nullorum utique fructuum, et magnarum tamen miseriarum. [3] Sed conniveo, ut, quemadmodum volunt, ita fuisse [4] videatur, unde arbitror esse dicturos : [5] Ecquid his temporibus beatius, quibus continui triumphi, celebres victoriæ; divites prædæ, nobiles pompæ, magni[6] ante currum reges, et longo ordine victæ C gentes **285** agebantur? Quibus breviter respondebitur, et ipsos de temporibus solere causari, et nos pro iisdem temporibus instituisse sermonem : quæ tempora non uni tantum urbi attri[illegible]d orbi universo constat esse communia. Ec[illegible]quam feliciter Roma vincit, tam infeliciter quidquid extra Romam est, vincitur. Quanti igitur pendenda est gutta hæc laboriosæ felicitatis, cui ascribitur unius urbis beatitudo in tanta mole infelicitatis, per quam agitur totius orbis eversio? Aut si ideo felicia putantur, quia unius civitatis opes auctæ sunt, cur non potius[7] infelicissima judicentur, quibus miserabili vastatione multarum[8] ac bene institutarum gentium potentissima regna ceciderunt? An forte aliud tunc Carthagini videbatur, cum post annos centum et viginti, quibus modo bellorum clades, modo pacis conditiones perhorrescens, [9] nunc rebelli intentione,

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. I. —1. *Crebrescunt.* Ed. Aug., *creverunt.*

2. *Attendant.* Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov., *appendant.*

3. *Sed conniveo.* mss. fere omnes *cohibeo.* In Flor. pr. hæc pagella lacera est, in sec. scribitur *conhibeo*, sed puncto sub littera *n* posito, quasi quæ superabundet. Confirmatur vero hinc emendatio nostra in Præfat. lib. IV, supra, p. 212 : *Non tamen conniveo, ut etiam asserant comparando graviora.*

4. *Videatur.* Lugd. Batt. omnes, *videantur.* Mox, *fuisse dicturos*, Perizon.

5. *Ecquid his temporibus.* Mss. passim omnes, *et quid his temporibus;* Perizon., *istis temporibus.*

6. *Ante currum reges.* Edd. vett., *ante currus reges.* Hittorp. et Bolsuing., *sæpe reges.*

7. *Infelicissima.* Addunt *tempora* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov.

8. *Ac bene institutarum gentium.* Perizon. *ac pene infinitarum gentium.* Non invenuste.

9. *Nunc rebelli intentione*, etc. Nescio, quomodo Fabricio placere potuerit lectio, quam præeuntibus edd. Hittorp. et Bolsuing. secutus est atque recepit,

nunc suppliciis, bello pacem, pace mutabat bella, novissime miseris civibus passim se in ignem ultima desperatione jacientibus, unus rogus tota civitas fuit? cui etiam nunc, situ parvæ, mœnibus destitutæ, pars miserarium est, audire quid fuerit. [10] Edat Hispania sententiam suam, cum per annos ducentos ubique agros suos sanguine suo rigabat, importunumque hostem ultro ostiatim inquietantem, nec repellere poterat, nec sustinere: cum se, [11] suis diversis urbibus ac locis, fracti cæde bellorum, obsidionum fame exinaniti, interfectis conjugibus ac liberis suis, ob remedia miseriarum concursu misero [12] ac mutua cæde jugulabant. Quid tunc de suis temporibus sentiebat, **286** [13] ipsa postremo dicat Italia? cur per annos quadringentos Romanis utique [14] suis contradixit, obstitit, repugnavit, si eorum felicitas, sua infelicitas non erat, Romanosque fieri rerum dominos bonis communibus non obstabat? Non requiro de innumeris diversarum gentium populis, diu antea liberis, tunc bello victis, patria abductis, pretio venditis, [15] servitute dispersis, quid tunc sibi maluerint, [16] quid de Romanis opinati sint, quid de temporibus judicarint. Omitto de regibus magnarum opum, magnarum virium, magnæ gloriæ, diu potentissimis, aliquando captis, serviliter catenatis, [17] sub jugum missis, ante currum actis, [18] in carcere trucidatis; quorum tam stultum est exquirere sententiam, quam durum non dolere miseriam. Nos, nos inquam ipsos, vitæque nostræ electionem, cui acquievimus, consulamus. Majores nostri bella [19] gesserunt, bellis fatigati, pacem petentes, tributa obtulerunt. [20] Tributum, pretium pacis est. Nos tributa [21] dependimus, ne bella patiamur: ac per hoc in portu, ad quem illi tandem pro evadendis malorum tempestatibus confugerunt, nos consistimus et manemus. Igitur [22] nostra tempora viderimus, utrum felicia? certe feliciora illis ducimus, quia quod illi [23] ultimo delegerunt, nos continue possidemus. Inquietudo enim bellorum, qua illi attriti sunt, nobis ignota est. In otio autem, quod illi post imperium Cæsaris, nativitatemque Christi tenuiter gustaverunt, nos nascimur et senescimus: quod illis erat debita pensio servitutis, nobis est libera collatio defensionis: tantumque interest inter præterita præsentiaque tempora, ut quod Roma in usum luxuriæ suæ ferro extorquebat [24] a nostris, **287** nunc in usum communis reipublicæ conferat ipsa nobiscum. Aut si ab aliquo dicitur, tolerabiliores parentibus nostris Romanos hostes fuisse, quam nobis Gothos esse: audiat et intelligat, quanto aliter, quam circa seipsum agitur, sibi esse videatur. Olim, cum bella toto orbe fervebant, quæque provincia suis regibus, suis legibus, suisque moribus utebatur: nec erat societas affectionum, ubi dissidebat diversitas potestatum. Postremo solutas et barbaras gentes [25] quid tandem ad societatem adduceret, quas diversis sacrorum ritibus institutas, etiam religio separabat? Si quis igitur tunc, acerbitate malorum victus, patriam cum hoste deseruit, quem tandem ignotum locum ignotus adiit? Quam gentem generaliter hostem hostis oravit? Cui se congressu primo credidit, non societate nominis invitatus, non communione juris [26] adductus, non religionis unitate securus? An parum exempli [27] dederunt, [28] Busiris in Ægypto peregrinorum infeliciter incurrentium impiissimus immolator; [29] cru-

HAVERCAMPI NOTÆ.

nunc rebelli intentione, nunc suppliciis belli pacem, nunc pace mutabat bella. Male hæc et distinguuntur et scribuntur. Ego sic distinguo et reliqua ex mss. et vett. edd. emendo: *nunc rebelli intentione* (id est, malo animo, et ad tempus accommodato, quo melius postea bellum refectis viribus gerere possent), *nunc suppliciis* (nam *supplici*, extrita ultima syllaba habent mss.), id est vere et ex animo profectis precibus (ut victi miseriis belli, et pacis bona desiderantes), *bello pacem* (expuncto *nunc*, quod hic contra mss. intruditur), *pace mutabat bella.* Mss. passim omnes *bellis* habent, quod quidem respondet illi quod sequitur *bella*, sed stridulum facit sonum. In Flor. sec. legitur *bello*, quod præ reliquis placet. *Supplicia*, ἱκεσίαι, pro supplicationibus, occurrunt apud optimos auctores, ut Varronem, Tacitum, Sallustium. Is in Catilin. cap. 60: *Non votis, neque suppliciis muliebribus deorum auxilia parantur.*

10. *Edat.* Flor. sec., *exserat.*

11. *Suis.* Ed. Aug., *quique diversis.* Forte legendum, *suis diversi urbibus*, vel *suis eversis urbibus*, etc.

12. *Ac mutua cæde.* Sicuti modo Carthaginis ruinam memoravit, ita nunc ad excidium Numantinum respicit. Sustuli distinctionem, quæ male ponebatur post vocem *fracti*, et ante eamdem posui.

13. *Ipsa postremo.* Codex Perizon., *jam postremo.*

14. *Suis.* Abest a Lugd. Bat. sec.

15. *Servitute.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *servitio.* Mox *tunc* in Meo ms. non invenitur.

16. *Quid.* Coll. Gronov., *qui.*

17. *Sub jugum,* Florent. sec., *sub jugo.*

18. *In carcere trucidatis.* In quibusdam Vetustis legitur, *In carcerem trusis.* FABR. — Quod voluit quoque Coll. Gronov., quæ habet *in carcerem trucidatis.* Sed vulgata lectio omnino sana est.

19. *Gesserunt.* Flor. pr., *gesserant.*

20. *Tributum.* Ed. Aug., *tributum vero.*

21. *Dependimus.* Edd. quædam vett. *pendimus.*

22. *Nostra tempora.* Sic recte Vulgg. quamvis mss. quidam scribant *nos*, etc., inter quos Perizon. et tres Florentt. in quorum tertio superscribitur Vulgata lectio.

23. *Ultimo.* Ed. Aug. et mss. plerique, cod. quoque Longob., *ultime.*

24. *A nostris.* Præpositio in cod. Long. non exstat, sed scribitur ibi *nostris.*

25. *Quid tandem.* Cum præter ed. August. ita exhibeant tres Florentt., præterea Meus, Perizon., Ultr. et Lugd. Batt. tert., puto quoque Orosium scripsisse *quid*, non *quis*, ut in Vulgg. est. Pro *diversitas* Flor. pr. habet *adversitas.*

26. *Adductus.* Ultr. *addictus*, ut et Vett. quædam edd.

27. *Dederunt.* Lugd. Batt. tres, *dederat.*

28. *Busiris in Ægypto.* De crudeli hospitalitate Busiridis lege cap. 11 lib. I. FABR.

29. *Crudelissima circa advenas.* Tauris Ponticis, ait Arnobius lib. VIII et Ægyptio Busiridi ritus fuit hospites immolare. Sed de Taurorum immanitate Mela libr. II, cap. 1. De ara, ad quam Tauri Dianæ advenas immolabant, Ovidius in tertio de Ponto, Juvenalis satyra 15. FABR.

delissima circa advenas [30] Dianæ Tauricæ littora, sed magis sacra crudelia, [31] Thracia cum Polymnestore suo usque ad propinquos hospites scelerata? Et ne antiquitatibus videar immorari, testis est Roma de Pompeio interfecto, testis Ægyptus [32] de interfectore Ptolemæo.

288 CAPUT II.

Orosio, utpote Christiano homini, ubique patria, et quovis securus accessus.

Mihi autem, prima [1] qualiscumque motus perturbatione fugienti, quia de confugiendi statione securo, ubique patria, ubique lex et religio mea est: nunc me Africa tam libenter excepit, quam confidenter accessi: nunc me, inquam, ista Africa excepit pace simplici, sinu proprio, jure communi, de qua aliquando dictum, et vere dictum est,

. . . . Hospitio prohibemur arenæ,
Bella cient, primaque vetant consistere terra:

Nunc ultro ad suscipiendos socios religionis et pacis suæ benevolum late gremium pandit, atque ultro fessos, quos foveat, invitat. Latitudo Orientis, septentrionis copiositas, meridiana diffusio, magnarum insularum largissimæ tutissimæque sedes, [2] mei juris et nominis sunt: quia ad Christianos et Romanos, Romanus et Christianus accedo. Non timeo deos hospitis mei, non timeo religionem ejus [3] necem meam, non habeo talem quem pertimescam locum, ubi et possessori liceat perpetrare quod velit, et peregrino non liceat adhibere quod convenit: [4] ubi sit jus hospitii, quod meum non sit. Unus Deus, qui temporibus, quibus ipse innotescere **289** voluit, hanc regni statuit unitatem, ab omnibus et diligitur et timetur. Eædem leges, quæ uni Deo subjectæ sunt, ubique dominantur: ubicumque A ignotus accessero, repentinam vim tamquam destitutus non pertimesco. Inter Romanos, ut dixi, Romanus, inter Christianos Christianus, inter homines homo, legibus imploro rempublicam, religione conscientiam, communione naturam. Utor temporarie omni terra quasi patria: quia quæ vera est, et illa, [5] quam amo, patria, in terra penitus non est. Nihil perdidi, ubi nihil amavi: totumque habeo, quando quem diligo, mecum est, maxime quia et apud omnes idem est, qui me non modo notum omnibus, verum et proximum facit: nec egentem deserit, quia ipsius est terra et plenitudo ejus, ex qua omnibus omnia jussit esse communia. Hæc sunt nostrorum temporum bona, quæ in totum vel in tranquillitate præsentium, vel in spe futurorum, vel in perfugio B communi non habuere majores: ac per hoc incessabilia bella gesserunt, quia mutandarum sedium communione non libera, persistendo in sedibus suis, aut infeliciter necati sunt, aut turpiter servierunt; quod clarius promptiusque ipsis veterum gestis per ordinem explicitis, aperietur.

CAPUT III.

De bello Achaico et Corinthi eversione.

Anno ab Urbe condita DCVI, hoc est, eodem anno, quo et Carthago deleta est, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio coss., ruinam Carthaginis eversio Corinthi subsecuta est, duarumque potentissimarum urbium parvo unius temporis intervallo per diversas mundi partes miserabile colluxit incendium. Nam C cum [1] Metellus prætor Achæos Bœotosque conjunctos duobus bellis, hoc est, primo apud Thermopylas, **290** iterum [2] in Phocæis devicisset: quorum priore bello occisa esse viginti millia, secundo sep-

HAVERCAMPI NOTÆ.

30. *Dianæ Tauricæ littora.* In Vulg. invenusta prorsus est lectio, *Dianæ Tauricæ litatura, seu magis crudelia sacra.* Invitis omnibus mss. in quibus ea lectio (in ed. August. quoque servata) constanter exhibetur, quam nos secuti sumus. Rationi et historiæ quoque eadem convenit. Non enim periculum et persuasionem notat Orosius, utrum litarent ibidem an non, nisi humanas immolarent hostias, sed crudelissima hospitibus vocat littora a quibus, ut cap. seq. dicit,

. . . . . Hospitio prohibemur arenæ.

Quæ ne naufragis quidem salutem a diis concessam indulgeant. Sed crudelius adhuc inquit est, quod ibidem prætextu sacrorum fuerint bis miseri immolati et trucidati.

31. *Thracia cum Polymnestore.* De Polymnestore, Thracum rege, qui Polydorum suæ fidei commissum interfecit, Euripides in Hecuba. FABR.

32. *De interfectore Ptolemæo.* Recte, neque audiendi mss. Lugd. Batt. tres, qui cum Coll. Gronov. legunt, *de interfecto rege* (*rege* in Venet. edd. abest, ut et in Paris. et prima) *Ptolemæo.*

CAP. II. — 1. *Qualiscumque.* Edd. vett. et mss. quidam, *qualescumque*; et mox *fugiendi* pro *confugiendi* tres Lugd. Batt. et Coll. Gron., qui quoque delent illa, *quam confidenter accessi: nunc me, inquam, ista Africa excepit.* Scribunt deinde, *dictum est et vere dictum est*, quod et in ed. Aug. inveni.

2. *Mei juris.* Tres Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *mei juris et mei nominis sunt.*

3. *Necem meam.* Debetur hæc emendatio cod. Longob. cui secund. Florent. quoque astipulatur. Vulgg., *nece mea.* Non timeo, inquit, religionem hospitis, ut certissimam mihi necem.

4. *Ubi sit jus hospitii.* Ita malo, cum tribus, Lugd., Batt. et Coll. Gronov., quam *hospitis*, quod alii præferunt. Tribus vero exemplis, quæ capite præcedente recensuit, respondet et sua tempora opponit. Ad exemplum Busiridis pertinent, *non timeo deos hospitis mei*, ad Dianæ Tauricæ sacra, *non timeo religionem ejus*, *necem meam.* Polymnestoris D sceleri et perfidiæ in credito sibi hospite, Priami filio, *non habeo talem*, etc.

5. *Quam amo, patria.* Nescio unde *patriam* in edd. suis exhibuerit Fabricius, illumque secutus Scottus, contra mss. certe et reliquas edd. Nata fuisse videtur corrupta lectio quod edd. putaverint lineolam superponi litteræ *a*, quæ *patriam* juberet legi.

CAP. III. — 1. *Metellus prætor.* Hic est Q. Metellus, cui ex virtute Macedonici nomen inditum, ut ait Velleius lib. I, ubi bellum Achaicum describit, de quo Livius libro LII, Florus libro II cap. 16, Eutropius lib. IV, Pausanias lib. VII, Justinus XXXIV. FABR.

2. *In Phocæis devicisset.* Florent. pr. sive Longob. *in Phocide victisset.* Sic conjunctim, unde Flor. sec. et Lugd. Batt. quatuor, Meus, Perizon. et Ultr. cum Coll. Gronov. *in Phocis* vel *Focis devicisset.* Puto scribendum esse *in Phocide devicisset.* Nam *Phocis* regio Græciæ est haud longe a Peloponneso, at

tem millia cæsa, Claudius historicus refert; Valerius Antias in Achaia pugnatum, et viginti millia Achæorum cum [3] duce suo Diæo, cecidisse confirmat; [4] Polybius Achivus, quamvis tunc in Africa cum Scipione fuerit, tamen quia domesticam cladem ignorare non potuit, semel in Achaia pugnatum Critolao duce asserit. Diæum vero, adducentem ex Arcadia [5] militem, ab eodem Metello prætore oppressum cum exercitu docet. Sed de varietate discordantium historicorum aliquanta jam diximus, quorum sufficiat detecta hæc et [6] male nota mendaciorum nota: quia parum credendum esse in cæteris evidenter ostendunt, qui in his quoque, quæ ipsi videre, diversi sunt. Igitur post exstincta totius Achaiæ præsidia, destitutarum eversionem urbium Metello prætore meditante, consul Mummius repentinus cum paucis venit in castra: qui, dimisso statim Metello, [7] Corinthum sine mora expugnavit, urbem toto tunc orbe longe omnium opulentissimam: quippe quæ velut officina omnium artificum atque artificiorum, et emporium commune Asiæ atque Europæ per multa retro sæcula fuit. Permissa crudeliter etiam [8] captivis prædandi licentia, **291** sic omnia cædibus ignibusque completa sunt, ut de murorum ambitu quasi e camino in unum apicem coarctatum exundaret incendium. Itaque plurima parte populi ferro flammisque consumpta, reliqua sub corona vendita est. Urbe incensa, muri funditus diruti sunt. Muralis lapis in pulverem redactus, præda ingens erepta est. Sane cum propter multitudinem et varietatem statuarum simulacrorumque in illo civitatis incendio permixta in unum auri argenti atque æris omniaque simul metalla fluxissent, novum genus metalli factum est, unde usque in hodiernum diem, sive ex ipso, sive ex imitatione ejus, [9] æs Corinthium, sicut memoriæ traditum est, et Corinthia vasa dicuntur.

CAPUT IV.

De bello in Hiapania cum Viriatho, deque Lusitanorum, et Salassorum Gallorum cruento conflictu; et ingenti Romæ pestilentia, aliisque bellis Romanorum cum Numantinis, item Mithridatis.

Iisdem consulibus, [1] Viriathus in Hispania, genere Lusitanus, homo pastoralis et latro, primum infestando vias, deinde vastando provincias, postremo exercitus prætorum et consulum Romanorum vincendo, **292** fugando, [2] subigendo, maximo terrori Romanis fuit omnibus: siquidem Iberum et Tagum, maxima [3] et diversissimorum locorum flumina, late transgredienti et pervaganti [4] C. Vetilius prætor occurrit: qui continuo, cæso usque ad internecionem pene omni exercitu suo, vix ipse prætor cum paucis [5] fuga lapsus, evasit. [6] Deinde C. Plautium prætorem idem Viriathus, multis prœliis fractum, fugavit. Post etiam [7] Claudius Unimanus [8] cum magno instructu omnes sine discrimine et omnia diriperent atque prædarentur; quod sane facit ad miseriam captæ urbis et pretiosarum ibidem rerum ruinam.

HAVERCAMPI NOTÆ.

Phocæa, urbs Ioniæ in Asia. Præterea hiulca est Orosii oratio, si retineamus, quod sequitur, *quorum*. Medelam adhibeas, scribendo *eorum*.

3. *Duce suo Diæo*. Nomen ducis, vulgo corruptum in *Dienum*, in Vetustis recte legitur: nam et Pausanias Δίαιον hunc nominat. FABR.

4. *Polybius*. etc. Immo ex ipsius Polybii, qui propric Megalopolitanus fuit, scriptis apparet præsentem adfuisse, cum Corinthus diriperetur. Affert enim magni ipsius scriptoris testimonium Strabo lib. VIII, p. 584, ubi scribit illum deplorasse inter alia, quæ per imperitiam Romanorum acciderint ibidem summorum artificum operibus, ita ut, ipso præsente, milites, projectis Aristidæ tabulis, interque illas Baccho, quæ tabula ad Strabonis usque tempora Romæ, artis miraculum, superfuit, talis supra easdem jactis, luserint.

5. *Militem*. Sic scribere jubent omnes mss. non *milites*.

6. *Male nota mendaciorum nota*. Posterius *nota* male repudiant Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. Nota illa mendaciorum, quia male nota erat, i. e. satis incognita, et incrustata mendaciis, detegitur ab Orosio. Pro *quia*, edd. quædam Vett. habent *quare*.

7. *Corinthum sine mora expugnavit*. De Corinthi eversione etiam Cicero lib. I de Officiis, et Verrina tertia. Plinius lib. XXXIV, cap. 2, scribit, Corinthum captam olympiadis 156 anno tertio, urbis Romæ anno DCVIII. FABR.

8. *Captivis*. Qui sunt hi captivi, an Corinthii? sed illi sub corona vendebantur. An alii? Vix puto, nam captivos Romani non solebant asservare, nisi nobiliores, qui in triumpho ducerentur, reliquos vero in servitutem vendere. Forte scribendum *cuivis*. Solebat enim præda per certos et ad illam curam electos homines custodiri, ad quem morem alludit Virgilius Æn. II, 762:

> Custodes lecti, Phœnix et dirus Ulysses,
> Prædam asservabant.

At Mummius militibus suis videtur permisisse, ut omnes sine discrimine et omnia diriperent atque prædarentur; quod sane facit ad miseriam captæ urbis et pretiosarum ibidem rerum ruinam.

9. *Æs Corinthium*. De ære Corinthio lege Plinium lib. XXXIV. Sed de origine æris Corinthii, quæ tradita sunt a veteribus, si cupis cognoscere, lege Muretum Variarum Lect. lib. III, cap. 5. FABR.

CAP. IV. — 1. *Viriathus in Hispania*. *Viriathus*, est in antiquo lapide, qui in Lusitania effossus continet testamentum Galli Favonii. In excerptis e Diodori libr. XXXII Οὐϊρίατος est, in quo τ redundare videtur: ubi multa de eo scribit, illudque imprimis de æquitate in præda dividenda, ἦν δὲ καὶ δίκαιος ἐν ταῖς διανομαῖς τῶν λαφύρων, καὶ κατ' ἀξίαν τοὺς ἀνδραγαθήσαντας, ἐξῆρε τοῖς δώροις. Unde Tullius de Officiis II, ait: *Viriathum Lusitanum, propter æquabilem prædæ partitionem, magnas opes habuisse*. De re gesta cum Viriatho Appianus in Hispanicis, Livius lib. LII et LIV, Florus libr. II cap. 17, Velleius II, Eutropius IV. FABR.

2. *Subigendo*. Edd. Vett. *subjiciendo*.

3. *Maxima et diversissimorum*. In Flor. sec. absunt illa *maxima et*. In tert. scribitur *maxima et diversissima*. Edd. vett. habent, *maxima et diversorum*.

4. *C. Vetilius prætor*. *C. Vetilius* est quoque in Appiani Iberica a Beraldo conversa, *M. Vetilius* in Liviana Epitoma lib. LII. *Sex. Vetilius* in Diaconi additionibus ad Eutropium, Diodorus, στρατηγὸν Οὐϊτέλλιον *habet*. FABR.

5. *Fuga lapsus, evasit*. At contra Livius scribit *Vetilium* captum, Diodorus et Appianus, captum atque interfectum. FABR.

6. *Deinde C. Plautium*. Hunc Vetilio successisse auctor est Appianus, qui etiam de clade ab eo accepta. FABR.

7. *Claudius Unimanus*. Claudii meminit quoque Florus, et Auctor de Viris illustribus, qui post *Claudium C. Nigidium* a Viriatho oppressum scribit. FABR.

8. *Cum magno instructu belli*. Edd. prima, *cum magno apparatu belli instructi*.

belli contra Viriathum missus, quasi pro abolenda superiore macula, turpiorem ipse auxit infamiam. Nam congressus cum Viriatho, universas, quas secum [9] deduxerat, copias, maximasque vires Romani exercitus amisit. Viriathus trabeas, fasces, cæteraque insignia Romana in montibus suis [10] tropæa præfixit. Eodem tempore trecenti Lusitani cum mille Romanis in quodam saltu contraxere pugnam, in qua [11] septuaginta Lusitanos, Romanos autem trecentos viginti cecidisse, Claudius refert, et cum victores Lusitani sparsi ac securi abirent, unus ex iis, longe a cæteris segregatus, [12] cum, circumfusis equitibus, pedes ipse deprehensus, unius eorum equo lancea perfosso, ipsius equitis ad unum gladii ictum caput desecuisset, ita omnes metu perculit, ut, prospectantibus cunctis, ipse contemptim atque otiosus abscederet.

293 [13] App. Claudio, Q. Cæcilio Metello consulibus, Appius Claudius adversus Salassos Gallos congressus, et victus, [14] quinque millia militum perdidit. Reparata pugna, quinque millia hostium occidit. Sed cum juxta legem, qua constitutum erat, ut [15] quisquis quinque millia hostium peremisset, triumphandi haberet potestatem, iste quoque triumphum expetisset, propter superiora vero damna non impetravisset, infami impudentia atque ambitione usus, [16] privatis sumptibus triumphavit. L. Cæcilio Metello, Q. Fabio Maximo Serviliano consulibus, inter cætera prodigia [17] androgynus Romæ visus, jussu aruspicum in mare mersus est : sed nihil impiæ expiationis procuratio profecit. Nam tanta subito pestilentia exorta est, ut ministri quoque faciendorum funerum primum non sufficerent, deinde non essent. [18] Itaque etiam magnæ domus vacuæ vivis, plenæ mortuis remanserunt. Largissimæ introrsum hæreditates, et nulli penitus hæredes. Denique jam non solum in Urbe vivendi, sed etiam appropinquandi ad Urbem negabatur facultas, tam sævi per totam urbem tabescentium sub tectis, atque in stratis suis cadaverum putores [19] exhalabantur. Expiatio illa crudelis, et viam mortibus hominum morte hominis [20] instruens, tandem Romanis inter miserias suas erubescentibus, quam misera **294** et vana esset, innotuit. Ante enim in suffragium præveniendæ cladis est habita, et sic pestilentia [21] consecuta est : quæ tamen sine ullis sacrificiorum satisfactionibus, tantummodo secundum mensuram arcani judicii expleta correptione, sedata est. Quam si [22] artifices illi circumventionum aruspices, sub ipsa (ut assolent) declinatione morborum forte celebrassent, procul dubio [23] sibi, diis et ritibus suis

HAVERCAMPI NOTÆ.

9. *Deduxerat.* Perizon., *duxerat ;* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. et ed. Aug., *adduxerat ;* Ultr., *deduxit.*

10. *Tropæa.* Lugd. Bat. pr., *velut tropæa.*

11. *Septuaginta Lusitanos.* Ed. August., XX, *Lusitanos.*

12. *Cum, circumfusis*, etc. Lugd. Bat. tres, *cum a circumfusis equitibus esset ipse deprehensus.* Sed Meus et Perizon. quibuscum faciunt edd. August. et Venetæ, *cum, circumfusis equitibus, pedes ipse deprehensus, unius eorum*, etc.; quod mihi præ vulgata lectione placuit. Editum a Fabricio fuit, *cum a circumfusis equitibus pedestris ipse deprehensus*, etc. Editiones vero quæ illum præcesserunt, ut et mss. omnes *pedestris*, pro *pedes*, rejiciunt.

13. *App. Claudio, Q. Cæcilio Metello coss.* App. Claudius Pulcher et Q. Metellus Macedonicus consules fuerunt anno DCX. Appium in bello contra Salassos, quinque millia militum amisisse, est in nostris vetustis : ut par numerus sit amissorum atque cæsorum. Unde jure triumphus Appio negatus fuit. Valerius libro II, cap. 3. FABR.

14. *Quinque millia.* In mss. suis hunc numerum invenit Fabricius, quem in margine posuisse contentus, reliquit *decem*, ut erat in Vulg. præterquam in Aug. in qua, ut et undecim numero mss. cum verum invenerim numerum, falsum exsulare jussi.

15. *Quisquis quinque millia.* Hic definitus ad triumphi petitionem erat numerus. Vide Casaub. ad Sueton. Julium cap. 76. FABR.

16. *Privatis sumptibus triumphavit.* Alioqui triumphantibus sumptus ex ærario erogabatur, ut indicat Livius libro trigesimo tertio, quod adolescentibus rerum Romanarum studiosis observandum est. FABR.

17. *Androgynus Romæ visus.* Hic Androgynus *Lunæ*, non *Romæ* natus fuit. *Lunæ* quoque his consulibus tantam pestilentiam fuisse, ut, jacentibus in publico passim cadaveribus, qui funerarent, defuerint, scribit Julius Obsequens. FABR. — In tertio et quarto Lugd. Batt. non exstat *visus.*

18. *Itaque etiam.* Florentt. tres cum Lugd. Bat. sec., *jamque etiam.* Perizon., *tunc etiam.* Vett. edd., *Itaque magnæ domus*, etc. Sed August. reliquis præferenda, legit, *Ita ut etiam magnæ domus*, etc., *remanerent.*

19. *Exhalabantur.* Cod. Perizon., cum ed. August., *exhalabant.*

20. *Instruens.* Florentt. pr. et secund., ut et tres Lugd. Bat. cum Coll. Gronov., *struens.*

21. *Consecuta est.* Sic tres Florentt. et ed. Aug. et ita loqui sæpe amat Orosius pro *subsecuta est*, quod hic habent quædam edd. Vett. et Lugd. Batt. sec. Meus scribit *secuta est*, at Lugd. Bat. pr. *exorta est*, sed superscribitur *consecuta est.*

22. *Artifices illi circumventionum aruspices.* Columella I, 12 : *Aruspices vana superstitione rudes animos ad impensas compellunt.* Unde digna Annibale vox ad Prusiam regem, cui exta non videbantur prosperam eo die pugnam prædicere : *An tu, inquit, caruncalæ vitulinæ mavis, quam imperatori veteri, credere?* Cicero de Divinat. II, cap. 24 : *Aucupatores eventuum et structores fallaciarum* eosdem infra hoc cap. vocat Orosius.

23. *Subsidiis et ritibus.* Scripti et excusi omnes habent : *sibi diis et ritibus.* Sed me non prius temeritatis arguant, quam viderint quomodo illi suam tueantur sententiam. LAUT. — Id cum Lautius asserat de Impressis et mss. ostendit, quam paucos in utroque genere evolverit. *Subsidiis* enim quod ipse vult, præoccupavit ante illum edit. Bolsuing., et ante Bolsuing. illam lectionem edd. Parisina et Venetæ exhibuerunt. Sola Hittorp. habent *insidiis.* Ego, cum vulgata lectio codd. mss. iisque optimis confirmetur, sensumque præterea bonum fundat, ab illa discedendum non puto. Mss., quos undecim numero consului, omnes vel *sub diis et ritibus suis*, ut Lugd. Batt. pr. et tertia cum Coll. Gronov. exhibent, vel *sibi, dis* (aut *sibi et diis*) *et ritibus suis*, ut Florentt. tres et reliqui omnes. An vero defendi illa Orosii sententia nequit ? An non et *sibi* illi Aruspices, et *diis suis*, et *ritibus* illis remissiones morborum et gloriam medelæ ascripsissent? Pro *reductæ* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gron. *productæ* amant.

reductæ sanitatis gloriam vindicassent. Ita misera [24] et ad sacrilegia male religiosa civitas, mendaciis, quibus liberari non poterat, ludebatur. [25] Igitur Fabius consul contra Lusitanos et Viriathum dimicans, [26] Bacciam oppidum, quod Viriathus obsidebat, depulsis hostibus, liberavit, et in deditionem cum plurimis aliis castellis recepit. Fecit facinus etiam ultimis barbaris Scythiæ, non dicam Romanæ fidei et moderationi, exsecrabile. [27] Quingentis enim principibus eorum, quos societate invitatos, **295** deditionis jure susceperat, manus præcidit. [28] Pompeius, sequentis anni consul, fines Numantinorum ingressus, accepta maxima clade discessit, non solum exercitu pene omni profligato, verum etiam plurimis nobilium, [29] qui ei militiæ aderant, interemptis. Viriathus autem, cum per quatuordecim annos Romanos duces atque exercitus protrivisset, insidiis suorum interfectus est : in hoc solo Romanis circa eum fortiter agentibus, quod percussores ejus indignos præmio judicarunt. At ego non modo nunc, verum etiam sæpe intertexere Orientis illa [30] inextricabilia bella poteram, quæ raro umquam nisi sceleribus aut incipiunt, aut terminantur : sed Romanorum, cum quibus nobis actio est, tanta sunt, ut jure fastidiantur aliena.

[31] Mithridates tunc siquidem, rex Parthorum, sextus ab Arsace, victo Demetrio præfecto, Babyloniam urbem finesque ejus universos victor invasit. Omnes præterea gentes quæ inter Hydaspem fluvium et Indum jacent, subegit. Ad Indiam quoque cruentum extendit imperium, Demetrium ipsum secundo sibi bello occurrentem, vicit et cepit : quo capto, [32] Diodotus quidam cum Alexandro filio, regnum ejus et regium nomen usurpavit : qui postea ipsum Alexandrum filium, quem participem periculi in pervadendo regno habuerat, ne in obtinendo consortem haberet, occidit.

[33] M. Æmilio Lepido, C. Hostilio Mancino coss. prodigia apparuere **296** diversa, et quantum in ipsis fuit, ex more curata sunt ; sed non semper aucupatoribus eventuum et structoribus fallaciarum aruspicibus, opportuni casus suffragantur. Namque Mancinus consul, [34] postquam a Popillio apud Numantiam suscepit exercitum, adeo infeliciter prælia cuncta gessit, atque in id suprema desperatione perductus est, ut [35] turpissimum fœdus cum Numantinis facere cogeretur ; quamvis et Pompeius jam aliud æque infame fœdus cum iisdem Numantinis paulo ante pepigisset. Senatus [36] dissolvi fœdus, et Mancinum dedi Numantinis præcepit, qui, nudato corpore, [37] manibus post tergum revinctis, ante portas Numantinorum expositus, ibique usque in noctem manens, a suis desertus, ab hostibus autem non susceptus, lacrymabile utrisque spectaculum præbuit.

CAPUT V.

Quam injuste Romani Mancinum Numantinis dediderint. De Bruti in Gallæcos strage, Lepidi a Vaccæis clade.

Exclamare hoc loco dolor [1] exigit. Cur falso vobis, Romani, magna illa nomina [2] justitiæ, fidei, fortitudinis et misericordiæ vindicatis? A Numantinis hæc verius discite. Fortitudine opus fuit? pugnando viceruntur. Fides exigebatur? credentes alii secundum se,

HAVERCAMPI NOTÆ.

24. *Et ad sacrilegia*, etc. Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *Ita misera et sacrilega, male religiosa civitas*. Cod. Aug. quoque sic legit, atque insuper, *et male religiosa civitas*.

25. *Igitur Fabius cos.* De Fabii Serviliani rebus gestis contra Viriathum Appianus. FABR.

26. *Bacciam*. Mss. omnes *Bucciam*, nisi quod in Meo sit *Buccina*.

27. *Quingentis enim principibus*. De hac Fabii severitate Valerius Max. lib. II, cap. 2, et Frontinus libro IV. FABR.

28. *Pompeius sequentis anni cos.* Q. Pompeius cos. cum Cn. Servilio Cæpione anno DCXII, a Numantinis victus, pacem turpem fecit, Livius libro LIV, Velleius libro II, Eutropius IV, isque Romam reversus deprecando pœnam effugit, Cicero de Offic. III. FABR.

29. *Qui ei militiæ*. Ita omnes mss. et edd. meliores ; mutarunt in *ejus militiæ* qui locutionem istam non intellexerunt.

30. *Inextricabilia*. Meus, *exsecrabilia*.

31. *Mithridates tunc siquidem*. De hoc lege Justinum libro XLI. Plura fuerunt apud Livium libro LII, ut ex Epitoma cognoscitur. FABR.

32. *Diodotus quidam*. *Diodotus* est in omnibus vett. pro quo in impressis, *Theodotus legitur*. Sigonius quoque in vett. libris Epitomæ LII, *a Diodoto quodam*, legi testatur. Appianus quoque in Syriaca eumdem Διόδοτον nominat. FABR. — Graviter hic erraat Orosius, neque ducem suum Justinum sequitur. Is de Diodoto hoc, sive Tryphone, id enim nomen cum imperio assumpsit, ita scribit lib. XXXVI, cap. 1 : *Interim in Syria Trypho, qui se tutorem Antiocho, Demetrii privigno, substitui a populo laboraverat, occiso pupillo, regnum Syriæ invadit*. Occidit Tryphon pupillum suum Antiochum sextum Alexandri Theopatoris filium. Is Antiochus insuper Alexandri nomen habuisse videtur, ex Appiano, libro de Bell. Syr., p. 132, ubi Trypho dicitur occidisse παιδίον Ἀλεξάνδρου ἐξ Ἀλεξάνδρου τοῦ νόθου καὶ τῆς Πτολεμαίου Θυγατρὸς, *puerulum Alexandrum, Alexandri Nothi* (id est Theopatoris, cui propterea Bellæ cognomen erat) *ex filia Ptolemæi*. Neque potuit esse privignus Demetrii, ut scribit Justinus, quia decennem per medicos, qui fingebant calculo laborare Antiochum, occidit tutor. Vide Epit. Livii LV.

33. *M. Æmilio Lepido, C. Hostilio*. Consules hi fuerunt anno ab Urbe condita DCXVI. Prodigia quæ tum evenerunt exponit Obsequens. FABR.

34. *Postquam a Popillio*. *Popillio* recte est in vetusti., unde alii *Pompilio*, alii *Pompeio* fecerunt. M. Popillio Lænati superioris anni consuli Mancinum ad Numantiam successisse, tradit etiam Appianus. FABR.

35. *Turpissimum fœdus*. De hoc fœdere a Mancino cum Numantinis facto, omnes. Tu lege Ciceronem lib. III de Officiis. FABR. — Sequitur in ed. Aug., *semperque Romano nomini exprobrandum*. In aliis neque edd. neque mss. id occurrit.

36. *Dissolvi*. Mss. aliquot cum edd. vett. *dissolvit*.

37. *Manibus*. Flor. pr. et tert., cum Ultr., Meo et Perizon., atque Lugd. Bat. sec., *manibusque*. Ed. Aug. et tres mss. Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *manibus quoque*.

CAP. V. — 1. *Exigit*. Perizon., *coget*.

2. *Justitiæ, fidei*. Edd. vett. quædam, *justitiæ ac fidei*.

quos occidere[3] potuerant, pacto fœdere dimiserunt. A Justitia probanda erat? **297** probavit[4] eam vel tacitus senatus, cum iidem Numantini per legatos suos aut inviolatam pacem solam, aut omnes quos pignore pacis accepto vivos dimiserant, reposcebant. Misericordia examinanda videbatur?[5] satis documenti dederunt vel emittendo ad vitam inimicum exercitum, vel ad pœnam non recipiendo Mancinum. Mancinus ne rogo dedendus fuit, qui victi exercitus impendentem trucidationem, prætento umbone pacti fœderis dispulit, qui[6] periclitantes patriæ vires in meliora tempora reservavit? Aut si displicuit fœdus quod pactum est, cur miles hoc pignore redemptus, aut cum reverteretur, receptus est, aut cum repeteretur, redditus non est? Aut si placuit servati militis qualiscumque provisio, cur Mancinus, qui hoc pepigit, solus[7] deditus fuit?

[8] Nuper Varro, ut præpropera pugna iniretur, collegam Paulum obluctantem impulit, trepidantem præcipitavit exercitum, infelices copias, apud infames illas Romanis cladibus Cannas, non disposuit certamini,[9] sed opposuit morti; plus quam quadraginta millia ibi militum Romanorum sola impatientia sua, de qua sibi victoriam jam dudum Annibal præsumebat, amisit. Collega etiam Paulo (quo tandem viro?) perdito, novissime in Urbem pene solus impudentissime redire ausus est, meruitque suæ impudentiæ præmium.[10] Nam gratiæ ei, quod de republica non desperasset, quam tamen ipse fecerat desperatam, publice in senatu actæ sunt. Porro autem Mancinus, qui, sorte bellica circumventum exercitum ne perderet, laboravit, ab eodem senatu deditione damnatus est.[11] Scio, Romanis et illud in Varrone displicuit, sed **298** tempori concessum est: et in hoc Mancino placuit, sed secundum tempus præsumptum est:[12] atque ideo ab initio perfecistis,[13] ut nec civis consulat convenienter ingratis, nec hostis fideliter credat infidis. Interea[14] Brutus in ulteriore Hispania, sexaginta millia Gallæcorum, qui Lusitanis[15] auxilio venerant, asperrimo bello et difficili, quamvis incautos circumvenisset, oppressit. Quorum in eo prælio quinquaginta millia occisa, sex millia capta referuntur, pauci fuga evaserunt. In citeriore Hispania Lepidus proconsule Vaccæos innoxiam gentem et supplicem,[16] etiam senatu prohibente, pertinaciter expugnare tentavit. Sed mox accepta clade gravissima improbæ pertinaciæ pœnas luit. Sex millia quippe Romanorum in hoc injusto bello justissime cæsa sunt: reliqui, exuti castris, armis etiam perditis, evaserunt. Nec minus turpis[17] hæc sub Lepido clades, quam sub Mancino fuit. B [18] Ita nunc sibi hæc tempora loco felicitatis ascribant, ut non dixerim Hispani, tot pulsati fatigatique bellis, sed vel ipsi saltem Romani, tam continuis subacti cladibus, totiesque superati: ut non exprobrem, quot prætores eorum, quot legati, quot consules, quot legiones, quantique exercitus consumpti sint. Illud solum revolvo, quanta fuerit timoris amentia. Miles Romanus hebetatus, ut jam ne ad experimentum quidem belli cohibere pedem, aut obfirmare animum posset: sed mox conspecto Hispano specialiter hoste, diffugiens, vinci se pene prius crederet, quam videri. Quo argumento patet, apud utrosque misera illa tempora judicata, cum **299** et Hispani, etsi vincere poterant, inviti tamen desererent otia sua dulcia, et bella externa tolerarent, et Romani C quanto impudentius alienæ quieti sese ingererent, tanto turpius vincerentur.

CAPUT VI.

De monstroso puero Romæ nato, de Ætnæ eructatione, et bello servili in Sicilia.

[1] Sex. Fulvio Flacco, Q. Calpurnio Pisone consu-

HAVERCAMPI NOTÆ.

3. *Potuerant.* Edd. Aug., *potuerunt.*

4. *Eam.* Mss. tres Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *eam etiam.*

5. *Satis documenti.* Ed. Aug., cum tribus Lugd. Batt. et Coll. Gronov., addit *indicium.*

6. *Periclitantes.* Ed. Aug., *periclitantis.*

7. *Deditus fuit?* Post hæc verba in ed. Aug. lacinia sequitur tredecim linearum, quæ infeliciter ibidem aliunde ex Orosio irrepsit. Incipit, *Quamquam inter*, et finit, *potuit servare natura.*

8. *Nuper Varro.* Bello Punico secundo, sed de Cannensi clade libro superiore, capite decimo sexto dictum est. FABR.

9. *Sed opposuit morti.* Ex imitatione Virgiliana lib. Æn. XI, 126:

. . . . Tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam aut opponere morti.

10. *Nam gratiæ ei.* Varroni redeunti in Urbem gratias a Senatu actas scribit Livius libro vigesimo secundo. Valerius libro tertio, capite quarto. FABR.

11. *Scio, Romanis,* etc. Hæc est lectio optimorum mss. Nam, ita clare exhibent Meus et tres Florentini, inter quos cod. Longob. scribens *socio*, facile ostendit, *scio* ibidem debere reponi. Vulgati codd. habent *sic Romani*, sed præter August. nulli nisi recentiores; nam Venetæ, Parisina et prima *scio* quoque exhibent. Quod vero unus aut alter ex iisdem mss. et editionibus *Romani* pro *Romanis* legant, in quibus Ultrajectinus quoque codex, *scio Romani*, nauci non est.

12. *Atque ideo.* Forte legendum, *æque ideo.*

13. *Ut nec civis.* Propter Mancini exemplum, verebitur similem patriæ præstare utilitatem civis; propter Numantinorum, ullis pacis conditionibus credere hostis.

14. *Brutus in ulteriore.* D. Junius Brutus consul anno Urbis DCXV, sortitus Hispaniam ulteriorem, devictis *Gallæcis*, cognomen inde meruit, Appianus in Iberica, Strabo libro tertio, Livius libro LV et LVI, D Florus libro secundo, capite decimo septimo. Velleius II. FABR.

15. *Auxilio.* Lugd. Batt. omnes, cum Coll. Gronov. et ed. Aug., *in auxilium.*

16. *Etiam Senatu prohibente.* Cinna et Cæcilius, legati in Hispaniam ad Lepidum missi, attulerunt S. C. quo cavebatur: ne Lepidus Vaccæos bello peteret. Appianus. FABR.

17. *Hæc sub Lepido.* In vulgatis legitur, *sub Metello.* In Epitoma LVI ita legitur: *Dissimili eventu M. Æmilius Lepidus procos. adversus Vaccæos rem gessit, clademque similem Numantinæ passus est.* FABR.

18. *Ita nunc.* Edd. quædam vett., *quare nunc.*

CAP. VI. — 1. *Sex. Fulvio Flacco, Q. Calpurnio.* Hi consules fuerunt anno Urbis DCXVIII. Cæterum Obsequens puerum illum natum non his consulibus, sed

libus, Romæ puer ex ancilla [2] natus est quadrimanus, oculis quatuor, auribus totidem, natura virili duplex. In Sicilia mons Ætna vastos ignes eructavit, ac fudit : qui torrentum modo per prona præcipites, proxima quæque corripientibus exussere flammis; longinquiora autem favillis calidis, cum vapore gravi late volitantibus, torruerunt; quod [3] Siciliæ semper vernaculum genus monstri, non portendere malum assolet, sed inferre. In Bononiensi agro fruges in arboribus [4] enatæ sunt. Igitur [5] in Sicilia bellum servile ortum est, quod adeo grave et atrox multitudine servorum, instructu copiarum, et [6] magnitudine virium fuit, ut, [7] non dicam prætores **300** Romanos, quos penitus profligavit, sed consules quoque terruerit. Nam septuaginta millia servorum, tum in arma conspirantium fuisse referuntur, excepta urbe Messana, quæ servos liberaliter habitos in pace continuit. Cæterum Sicilia in hoc quoque miserior, quia insula et numquam erga statum suum [8] juris idonei, nunc tyrannis subjecta, nunc servis : vel illis dominatu improbo exigentibus servitutem, vel istis præsumptione perversa commutantibus libertatem, maxime quia clauso undique mari, egerere foras non facile potest intestinum malum. Viperinam quippe conceptionem [9] perditioni suæ aluit, sua libidine auctam, sua morte victuram. In hoc autem servilis tumultus excitatio, quanto rarior cæteris, tanto [10] truculentior est : quia intentione commovetur libera multitudo, ut patriam augeat, servilis ut perdat.

CAPUT VII.

De Numantia, ejusque per Scipionem Africanum deletione.

[1] Anno ab Urbe condita DCXX, cum major pene infamia de fœdere apud Numantiam pacto, quam apud Caudinas quondam furculas, pudorem Romanæ frontis oneraret, Scipio Africanus [2] consensu omnium tribuum consul creatus, atque ad oppugnandam Numantiam cum exercitu missus est. Numantia autem citerioris Hispaniæ, haud procul a Vaccæis et Cantabris in capite Gallæciæ sita, ultima Celtiberorum **301** fuit. [3] Hæc per annos quatuordecim cum solis quatuor millibus suorum quadraginta millia Romanorum non solum sustinuit, sed etiam vicit, pudendisque fœderibus affecit. Igitur Scipio Africanus Hispaniam ingressus non illico se ingessit hostibus, ut quasi incautos circumveniret, sciens numquam [4] id genus hominum adeo in otium corpore atque animo resolvi, ut non ipsa qualitate habitudinis suæ apparatus aliorum præcelleret, sed aliquamdiu militem suum in castris velut in scholis exercuit. Et cum partem æstatis totamque hiemem, ne attentata quidem pugna, transegisset, sic quoque parum propemodum hac profecit industria. Namque ubi copia pugnandi facta est, exercitus Romanus, oppressus impetu Numantinorum, [5] terga convertit : sed increpatione et minis objectantis sese consulis, manuque retinentis, tandem indignatus in hostem rediit : et quem fugiebat, fugere compulit. Difficilis tunc in relatu fides, [6] Nu-

HAVERCAMPI NOTÆ.

superioribus, P. Furio et Sex. Atilio Serrano scribit. Ad hos vero coss. Ætnæ incendium aliaque prodigia refert. FABR.

2. *Natus est.* Meliores mss., videlicet tres Florent., Meus et Perizon., delent verbum posterius.

3. *Siciliæ vernaculum genus monstri.* Supra lib. IV, cap. 6, de Carthagine, *Carthaginienses vernaculum atque intestinum semper inter se malum habuere discordiam.*

4. *Enatæ sunt.* Hæc optimorum sex vel septem codd. lectio est. Vulgo, *natæ sunt.*

5. *In Sicilia bellum.* Hoc *bellum servile* excitavit *Eunus Syrus* ex urbe Apamea, servus Antigenis Ennensis. Cujus belli causam, cladem, omnemque rationem a Diodoro Siculo libro XXXIV descriptam Latine edidit Henricus Stephanus. De eodem Florus lib. III, c. 19, et Livius lib. LVI. Meminit Appianus lib. I. FABR.

6. *Magnitudine virium.* Conjunctionem *et*, invitis mss. omnibus, intruserant editores, quam sustuli.

7. *Non dicam prætores.* Quatuor prætorum, *Manilii, Lentuli, Pisonis, Hypsæi*, castra a servis capta scribit Florus. Diodorus unum *L. Hypsæum* nominat, qui Roma in Siciliam cum octo millibus Siculorum militum profectus, commisso prælio victus est a servis. De consulibus infra dicetur. FABR.

8. *Juris idonei.* Tres Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., addunt *fuit.* Quidam quoque mss. et editi *est* addunt post *insula.*

9. *Perditioni suæ.* Ita omnino refingendum ex mss. Flor. pr. et sec. atque Perizon. Meus exhibet *perditione sua.* Vulg., *perditionis suæ.*

10. *Truculentior est.* In Meo non reperi verbum *est.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *crudelior est.* Pro *commovetur*, Meus quoque *movetur.* Sed illa, *quia intentione*, etc. Cod. Perizon. ita scribit. *Qua intentione*, etc, *ea servilis ut perdat.*

CAP. VII. — 1. *Anno ab Urbe cond.* DCXX. Hoc anno alii non *Scipionem* consulem factum et ad Numantiam oppugnandam profectum, sed Numantiam ab eo expugnatam scribunt. FABR.

2. *Consensu omnium tribuum.* Nescio equidem, quibus rationibus moti alii correctores scripserunt, *consensu omnium ex tribuno consul creatur*, cum in manuscriptis secus legatur. FABR. Causa fuisse videtur, quod in quibusdam mss. invenerint vitiosam hanc lectionem, *omnium tribunorum.* Ita enim scribitur in Lugd. Bat. pr. et tertio, atque insuper Coll. Gronov. In ed. Aug. abest. Mox *ad expugnandum* præter edd. quasdam vett. Flor. sec. et Lugd. Bat. pr. *servorum* quoque pro *suorum* tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov.

3. *Hæc per annos* XIV. Florus libr. II, cap. 18 : *Numantia quatuor millibus Celtiberorum* XL *millium exercitum per annos* XIV *sola sustinuit.* Appianus in Hispanicis scribit Numantinorum ante bellum non fuisse amplius octo millia. Eos de rebus a Scipione ad Numantiam gestis lege. FABR.

4. *Id genus.* Cod. Longob. et tres mss. Lugd. Batt., cum cod. Aug., *hoc genus* scribunt.

5. *Terga convertit.* Meus, *terga vertit.* Quod melius dictum est.

6. *Numantinos et fugavere.* Cum edd. quæ Fabricianas præcesserant, haberent, *Difficilis in relatu fides, Numantinos et fugavere*, etc., ut prima omnium, atque August. Venetæ et Paris. Reliquæ autem, Bolsuing. quidem, *Difficilis tunc in relatu fides, et Numantinos fugere*, etc. Pro *fugiere* Illiturp. in Fabricianis editum fuit *fugêre ;* quod neutiquam tolerari cum posset, *fugere* reposuit Scotius. Sed vera lectio est *et fugavere*, quam diserte exhibent cod. Longob. et Meus, atque subindicant quoque illi in quibus *effugavere* scribitur, ut Ultr. et Florent. sec. cum Coll. Gronov. supra pro *vidêre* in Meo scribitur *vicêre.*

mantinos et fugavere, et fugientes videre Romani. Unde quamvis Scipio, quia præter spem acciderat, lætatus et gloriatus esset, tamen ultra [7] bellum adversus eos audendum non esse, professus est. Itaque Scipio insistendum inopinatis proventibus censuit, urbem ipsam obsidione conclusit, [8] fossa etiam circumdedit: **302** cujus latitudo pedibus decem, altitudo viginti fuit. Ipsum deinde vallum, sudibus præstructum, crebris turribus communivit: ut si qua ab erumpente hoste in eum tentaretur irruptio; jam non quasi obsessor cum obsesso, sed versa vice obsessus cum obsessore pugnaret. Numantia autem in tumulo sita, haud procul a flumine Durio, [9] tria millia passuum ambitu muri amplexabatur; quamvis aliqui asserant eam et parvo situ et sine muro fuisse. [10] Unde credibile est, quod hoc spatii cura alendorum custodiendorumque pecorum, vel etiam exercendi ruris commodo cum bello premerentur, incluserint, ipsi arcem parvam natura munitam obtinentes. Alioqui tantam paucitatem hominum, tam amplum urbis spatium non munire magis, quam prodere videbatur. Igitur conclusi diu Numantini, et fame trucidati, deditionem sui obtulerunt, si tolerabilia juberentur, sæpe etiam orantes justæ pugnæ facultatem, ut tamquam viris mori liceret. Ultimo omnes duabus subito portis eruperunt, larga prius potione usi, non vini, cujus ferax is locus non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum a calefaciendo [11] Celiam vocant. [12] Suscitatur enim igne illa vis germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur et post in farinam redacta, molli succo admiscetur, quo fermento sapor austeritatis et calor ebrietatis adjicitur. Hac igitur potione post longam famem recalescentes, bello sese obtulerunt. Atrox diu certamen et usque ad periculum Romanorum fuit: iterumque Romani [13] pugnare se adversum Numantinos, fugiendo probavissent, nisi sub Scipione **303** pugnassent. Numantini, interfectis suorum fortissimis, bello cedunt: [14] compositis tamen ordinibus, nec sicut fugientes in urbem revertuntur, corpora interfectorum ad sepulturam oblata, accipere noluerunt. Novissime spe desperationis in mortem omnes destinati, clausam urbem introrsum succenderunt, cunctique pariter ferro, veneno, atque igne consumpti sunt. Romani nihil ex his penitus habuere victis, præter securitatem suam. Neque enim eversa Numantia [15] vicisse se magis Numantinos, [16] quam evasisse dixerunt. [17] Unum Numantinum victoris catena non tenuit; unde triumphum dederit, Roma non vidit; aurum vel argentum, quod igni superesse potuisset, apud pauperes non fuit; arma et vestem ignis absumpsit.

304 CAPUT VIII.

De Gracchorum seditione, Attalique regis Pergami hæreditate.

Igitur ea tempestate cum hæc apud Numantiam gesta sunt, apud Romam [1] Gracchorum seditiones agitabantur. Scipio autem, cum, deleta Numantia,

HAVERCAMPI NOTÆ.

7. *Bello adversus eos.* Vulgati *bellum* male, et contra mss. meliores Flor. pr. Meum et Perizon., quibus accedunt tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. et cod. Ultr.

8. *Fossa etiam circumdedit.* Hanc lectionem omnes probant mss. et edd. vett Sed Bolsuing. secutæ reliquæ legunt, *et fossa circumdedit.*

9 *Tria millia passuum ambitu.* Sic Appianus scribit, Numantiæ ambitum fuisse XXIV stadiorum. FABR.

10. *Unde credibile est quod hoc spatii.* In Lugd. Batt. pr. et tert. verbum *est* non legitur. Omnes vero mss. et editi scribunt, *quia hoc spatii.* Ego vero reposui *quod.* Videlicet in omnibus mss. Orosii observavi, sæpissime et passim descriptores *quia* pro *quod* posuisse. Id, cum recte edd. correxerint, hoc in loco tamen, ubi in primis necessarium erat, neglexerunt. Pro *ultimo* cod. Longob. et mss. Lugd. Bat. *ultime* scribunt.

11. *Celiam vocant.* Hujus potionis meminit etiam Florus. FABR. — Vide Pontanum Hist. Danicæ p. 763.

12. *Suscitatur enim igne illa vis*, etc. Hæc est lectio Florent. secundi, unice probanda, quam exhibent quoque Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. Approbat eamdem editio omnium prima. Reliquæ omnes legunt, *suscitatur enim ignea illa vis.* At Florent. pr. cum Lugd. Bat. pr. delet *ignem* et legit, *suscitatur enim illa vis*, etc. Meus novam exhibet a reliquis diversam lectionem, *suscitat enim ignem illa vis germinis calefactæ frugis*, quasi per *ignem* innueretur audacia, quam improperet bibentibus. Sed cum sequatur, *ac deinde siccatur*, alteram scripturam præfero. Vox *germinis* potuit abesse, sed Orosius germen *madefactæ frugis* dixisse videtur pro granis tritici tumescentibus madore affusæ aquæ, veluti solent, cum germinare incipiunt.

13. *Pugnare se.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. et edit. Aug. *pugnare.*

14. *Compositis tamen ordinibus.* Post hæc in edd. Fabricianis, Scotti et Hittorp. legitur *non separantes se.* Quod insigne est Glossema, edd. vett. omnibus et mss. ignotum, dignumque ut inducatur.

15 *Vicisse se magis.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. et ed. Aug., *vicisse magis*, expuncto *se.* At cod. Longob., *vicisse re magis.*

16. *Quam evasisse duxerunt.* Id est existimarunt. Nam *dixerunt*, quod contra mss. edd. quædam habent, huc non convenit. Animo quidem ita censuerunt Romani, sed verbis semper, etiam in damnis, fecerunt magnifici. Inveniuntur similia apud Plinium Nat. Hist. lib. VII, cap. 28, p. 391: *Quæ Cannis corona merita? unde fugisse virtutis summum opus fuit.* De Annibale apud Horatium lib. IV, od. 4, vers 49:

Dixitque tandem perfidus Annibal:
Cervi, luporum præda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.

Sallust. Jug. cap. 104, de Jugurtha et Bocchо aliisque: *Et ipsi duces feroces, qui non fugere, pro victoribus agere.* Ubi plura et alia dat exempla cl. Wasse.

17. *Unum victoris catena non tenuit.* Idem scribit Florus, sed Appianus tradit Scipionem, quinquaginta triumpho reservatis, reliquos sub corona vendidisse. Atque hac ratione *Scipio Africanus Æmilianus Numantiam* intra annum ac tres menses quam eo venerat, circumdatam operibus, excisamque æquavit solo Velleius libro II. FABR.

CAP. VIII. — 1. *Gracchorum seditiones.* Ti. Sempronius Gracchus, P. Mucio L. Calpurnio coss., quo anno Scipio Numantiam excidit, tribunus plebis propter seditiones concitas occisus est, Plutarchus in Gracchis, Appian. lib. I de bellis Civilib., Livius, Velleius, Florus et alii. FABR.

cæteras Hispaniæ gentes pace componeret, [2] Tiresum quemdam, Celticum principem, consuluit, qua ope [3] res Numantina aut prius invicta durasset, aut post fuisset eversa : Tiresus respondit : [4] Concordia invicta, discordia exitio fuit : quod Romani tamquam [5] sibi ac de se dictum, exempli loco acceperunt, quippe quibus jam [6] de seditionibus discordantis totius Urbis nuntiabatur. Carthagine Numantiaque deleta, [7] moritur apud Romanos utilis de provisione collatio, et oritur **305** infamis de ambitione contentio. Gracchus tribunus plebis iratus [8] nobilitati, quod [9] inter auctores Numantini fœderis notatus esset, [10] agrum, a privatis eatenus possessum, populo dividi statuit. [11] Octavio tribuno plebis obsistenti ademit imperium, et [12] successorem Minucium dedit. Iis causis senatum ira, populum superbia [13] invasit. At tunc forte [14] Attalus, Eumenis filius, moriens, testamento populum Romanum imperio Asiæ succedere [15] hæredem jusserat. Gracchus, gratiam populi pretio appetens, legem tulit, [16] uti pecunia, quæ fuisset Attali, populo distribueretur. Obsistente Nasica, etiam Pompeius [17] spopondit, se Gracchum, cum primum [18] magistratu abiisset, accusaturum.

306 CAPUT IX.

De interitu Gracchi, et bello servili in Sicilia, apud Athenienses, et Delum.

Gracchus cum eniteretur, ut ipse tribunus plebis subsequenti anno permaneret, cumque comitiorum die seditiones populi accenderet, [1] auctore Nasica, inflammata nobilitas, fragmentis subselliorum plebem fugavit. Gracchus [2] per gradus, qui sunt super Calpurnium fornicem, [3] detracto amiculo, fugiens, [4] ictus fragmento subsellii corruit, rursusque assur-

HAVERCAMPI NOTÆ.

2. *Tiresum quemdam.* In Corn. Gualtheri libro hic *Thyreus* nominatur, cum in aliis varie legatur. FABR. — *Thyresum* in cod. Longob. *Thiresum* in ed. Aug. Inveni.

3. *Res Numantina.* Ed. Aug., *Numantia.*

4. *Concordia invicta, discordia exitio fuit.* Neque placet hæc lectio, neque sibi ipsi cohæret. Nam si *concordia* primus est casus, quod sequitur, *invicta*, non convenit cum illis *exitio fuit.* Si sextus casus, scribi debuerat, *concordiâ invicta, discordiâ victa fuit.* In mss. nullum hic præsidium nisi in solo cod. Perizoniano. Suppeditat is hanc lectionem, *Invicta concordia præsidio, discordia exitio fuit.* Quæ sane Vulgatis longe præstat. Orosio sic *invicta concordia* dicitur, quam nulla rupit seditio vel ambitio. Malim tamen, quod brevius est et rotundius, *Concordia præsidio, discordia exitio fuit.* Vix enim dubito, quin illud *invicta* ex iis, quæ præcesserunt, *aut prius invicta durasset*, huc influxerint.

5. *Sibi ac de se dictum.* Cod Longob. *sibi a se dictum.*

6. *De seditionibus.* Sic reponere jubent omnes mss. cum optima ed. August. pro *de seditione*, quod in reliquis edd. est. Pro *delecta* mox *eversa* legit Lugd. Bat. sec. cum Ultr.

7. *Moritur apud Romanos.* Beneficio cod. Longob. elegans hæc eruitur lectio. Quorsum enim illa quæ hactenus lecta sunt? *Oritur apud Romanos utilis de provisione collatio, et oritur infamis de ambitione contentio.* Cum hæc tam dura et inepta concoquere potuerint omnes, cod. tamen Perizonianus negat alterum illud *oritur* hic recipiendum, legitque, *Oritur apud Romanos utilis de provisione collatio, et infamis de ambitione contentio.* Sed verissima est nostra ex cod. Longob. emendatio. Romani enim, cum, quod verebantur prudentiores ex Senatu, supra apud Orosium Lib. III, cap. ult., eotem illam virtutis suæ amisissent, remisso vigore non modo soluti fuerunt otio, sed seditionibus, discordiis, et civilibus bellis turbati, vexati et oppressi sunt. In illis vero, *utilis de provisione collatio*, mirum nisi illa Justini animo contemplatus fuerit, qui in simili casu de Atheniensibus post Epaminondæ mortem scribi lib. VI, cap. 9 : *Siquidem amisso cui æmulari consueverant, in segnitiam torporemque resoluti, non ut olim in classem exercitusque, sed in dies festos apparatusque ludorum, reditus publicos effundunt.*

8. *Nobilitati.* Quidam mss. olim legerunt *senatui*, ut patet ex Meo et Perizon. in quibus utrumque legitur.

9. *Inter auctores Numantini fœderis.* Hanc causam Gracchanæ seditionis lege apud Plutarchum, Appianum, Livium et Velleium. Hinc Cicero de Arusp. resp. : *Nam Ti. Graccho invidia Numantini fœderis, cui feriendo, quæstor C. Mancini cos. cum esset, interfuerat, et in eo fœdere improbando Senatus severitas dolori et timori fuit : istaque res illum fortem et clarum virum a gravitate patrum desciscere coegit.* FABR.

10. *Agrum populo dividi.* Ferebat Gracchus legem agrariam, μηδένα τῶν πεντακοσίων πλέθρων πλέον ἔχειν. *Ne quis ex agro publico plus quam D. jugera possideret.* Quod autem amplius possidebatur, id plebi dividendum erat, Plutarchus et Appianus. FABR.

11. *Octavio Tribuno.* M. Octavium Appianus, Plutarchus et Livius lib. LVIII nominant. In impressis Flori libris est, *Cn. Octavius* in meo manuscripto est, *Caius.* FABR.

12. *Successorem Minucium.* Plutarchus Μούκιον habet, pro Μενούκιον. Apud Appianum Κοΐντος Μούμμιος est. FABR.

13. *Invasit.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *invasit elevatum.*

14. *Attalus, Eumenis F.* De Attalo ejusque hæreditate lege Plutarchum in Gracchis : Strabonem lib. XIII, Livium LVIII, Velleium, Sex. Rufum et alios. FABR.

15. *Hæredem.* Abest a Lugd. Bat. primo.

16. *Uti pecunia.* Lugd. Batt. omnes, cum Coll. Gronov. et Ultr., *ut ipsa pecunia.*

17. *Spopondit.* Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll, Gronov., *spondet.*

18. *Magistratu abiisset.* Ita recte est in Gualtheri libro, cum in aliis mendose legatur, *Magistratum adiisset.* FABR. — Confirmant meliorem lectionem codd. tres Flor., Perizon. et Meus, nisi quod in Meo legatur *a Magistratu.*

CAP. IX. — 1. *Auctore Nasica.* Sic Livius. Cicero, duce Nasica, Gracchum occisum ait in Bruto. De Nasica lege Velleium Paterculum. FABR.

2. *Per gradus, qui sunt super Calp.* Sic legitur in vett. lib. omnibus, pro quo in vulgatis est, *quibus itur super Calpurnium fornicem.* Appian., ἀνῃρέθη παρὰ τὰς θύρας παρὰ τοῦς τῶν βασιλέων ἀνδριάντας. *Interfectus est Tiberius non longe ab ingressu Capitolii, ubi sunt regum statuæ.* FABR.

3. *Detracto amiculo fugiens.* Plutarchus : αὐτοῦ δὲ τοῦ Τιβερίου φεύγοντος ἀντελάβετό τις τῶν ἱματίων. ὁ δὲ τὸν τήβεννον ἀφεὶς καὶ φεύγων ἐν τοῖς χιτῶσιν ἐσφάλη. id est : *Ti. fugientem quidam vestibus apprehendit. Tum ille relicta toga, dum in tunica fugit, corruit.* FABR. — Perizon., *detracta veste.*

4. *Ictus fragmento subsellii corruit.* Velleius : *Fugiens, decurrensque clivo Capitolino, fragmine subselliii ictus, vitam quam gloriosissime degere potuerat,*

gens, alio ictu [5] clavæ cerebro impactæ exanimatus est. [6] Ducenti præterea in ea seditione interfecti, eorumque corpora in Tiberim projecta sunt : ipsius quoque Gracchi inhumatum cadaver extabuit. Orta præterea in Sicilia belli [7] servilis contagio multas late infecit provincias. [8] Nam et Minturnis quadringenti et quinquaginta servi in crucem acti, et Sinuessæ ad quatuor millia servorum a Q. Metello **307** et Cn. Servilio Cæpione oppressa sunt. In metallis quoque Atheniensium idem tumultus servilis ab Heraclito prætore discussus est. [9] Apud Delon etiam servi novo motu intumescentes, oppidanis prævenientibus, [10] oppressi sunt, absque illo primo Siciliensis mali fomite, [11] a quo istæ velut scintillæ emicantes, diversa hæc incendia seminarunt. In Sicilia enim [12] post Fulvium consulem [13] Piso consul Mamertium oppidum expugnavit, ubi octo millia fugitivorum interfecit : quos autem capere potuit, patibulo suffixit, [14] cui cum Rupilius consul successisset, idem quoque Taurominium et Ennam, firmissima fugitivorum refugia, bello recepit, [15] ubi amplius quam viginti millia tunc servorum trucidata referuntur. Misera profecto talis belli et inextricabilis causa. Pereundum utique dominis erat, nisi insolescentibus servis, ferro obviam iretur. Sed tamen in ipsis quoque infelicissimis damnis pugnæ, et infelicioribus lucris victoriæ, quanti periere victi, tantum perdidere victores.

308 CAPUT X.

De bello Aristonici. De Ptolemæi regis Alexandrinorum flagitiis, et Antiocho a Phraate victo. Deque Ætnæ et Liparæ incendiis.

[1] Anno ab Urbe condita DCXXII, P. Licinius Crassus, consul et pontifex maximus, adversus [2] Aristonicum, Attali fratrem, qui traditam [3] per testamentum Romanis Asiam pervaserat, cum instructissimo missus exercitu : præterea [4] a magnis regibus, hoc est,

HAVERCAMPI NOTÆ.

immatura morte finivit. Plutarchus *Satureium unum* e collegis nominat, a quo primum ictus fuerit, ποδὶ δίφρου. FABR

5. *Clavæ cerebro impactæ.* Perizon. *clava cerebro impacta.* Non male.

6. *Ducenti præterea.* Plutarchus, τῶν δὲ ἄλλων ἀπέθανον ὑπὲρ τριακοσίους. *Ex reliqua multitudine amplius trecenti interfecti sunt.* FABR.

7. *Servilis contagio multas.* Diodor. interprete Henrico Stephano : *Cum victoriæ servorum dissipatus esset rumor, jam servi Lucii Romæ conspiratione inter se facta ad defectionem incensi erant, in Attica autem plus quam mille : itidem vero apud Delum multisque aliis in locis.* Huc pertinet illud Obsequentis : *In Italia multa millia servorum, quæ conjuraverant, ægre comprehensa, et supplicio consumpta.* FABR.

8. *Minturnis quadringenti et quinquaginta servi.* Lugd. Bat. quart. numerus est centenario minor. In tribus Lugd. Batt. et Coll. Gronov. abest *servis*, et mox pro *quatuor* millibus *septem* numerant pr. et sec. ex Lugd. Batt.

9. *Apud Delon.* Sic amant omnes mss. pro *Delum.*

10. *Oppressi sunt.* Sic recte cod. Perizon. Vulgg., *pressi sunt.*

11. *A quo istæ velut*, etc. Ita emendavi partim ex ingenio, partim mss. ope. Omnes enim mss. habent *seminarunt*, quod et in unica edit. August. inveni. Reliquæ omnes contra fidem codicum, *seminavit.* Error is inde natus est, quod cum mss. passim *e* pro *æ* scribant, non animadverterint editores, *istæ* non *iste* esse scribendum, in illis videlicet omnibus, quæ sic vulgarunt, *a quo iste velut scintillæ*, etc. Adeoque nullo idoneo sensu dupliciter errarunt, et licet in ed. Scotti, quæ omnium postrema est, *istæ* reperiatur, qui tamen inde sensus, manente *seminavit*, duci possit, non video.

12. *Post Fulvium consulem.* Bellum servile in Sicilia ortum, cum opprimi a prætoribus minime valuisset, C. Fulvio consuli mandatum est. Livius libro LVI. Fuit autem Fulvius consul cum Africano minore anno DCXIX. FABR.

13. *Piso consul.* L. Calpurnius Piso consul anno proximo post Fulvium, rem cum fugitivis in Sicilia prospere gessit, quod præter Orosium docet Valerius lib. II, cap. 2, et libr. IV, cap. 3. FABR.

14. *Cui cum Rupilius cos. Rutilius* hic consul passim ab omnibus vocatur etiam a Diodoro. Sed in Fastis Capitol. anno DCXXI cum P. Popillio Lænate consul est *P. Rupilius. P. F. P. N.* Cicero quoque Verr. ait : *Tenuerunt P. Popillio, P. Rupilio coss., illum locum servi fugitivi, barbari, hostes.* Ubi agit de Enna, quam hic vulgo imperite in *Ætnam* mutaverant. De *Tauromino et Enna* a Rupilio expugnatis, et servili bello confecto, Diodorus copiose, qui scribit Eunum, auctorem hujus belli, in carcere apud Morgantiam, in magnam vim pediculorum, resoluto corpore, misere periisse, Plutarchus in Sylla, λέγεται τὸν ἄρξαντα τοῦ δουλικοῦ πολέμου περὶ Σικελίαν δραπέτην, Εὔνουν ὄνομα, μετὰ τὴν ἅλωσιν εἰς Ῥωμὴν ἀγόμενον ὑπὸ φθειριάσεως ἀποθανεῖν, id est : *Traditum est Eunum fugitivum illum, qui servile bellum in Sicilia concitavit, cum jam captus Romam perduceretur, pediculorum morbo extabuisse.* FABR. — *Rutilius* passim in mss. Orosianis, sed corrupte, nominatur.

15. *Ubi amplius.* Lugd. Batt. tres cum Ultr. et Coll. Gronov. atque ed. Aug. delent *Ubi.* Idem facit codex Perizon.

CAP. X. — 1. *Anno*, etc. Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. uno ante anno id factum fuisse ponunt.

2. *Aristonicum, Attali fratrem. Aristonicus* erat Eumenis filius, non justo matrimonio, sed ex pellice Ephesia citharistæ cujusdam filia genitus, auctore Justino lib. XXXVI, ubi de bello Aristonici, quo de Livius lib. LIX, Florus lib. II, cap. ultimo. Velleius et Eutropius. Legendus quoque Cicero Philipp. II. FABR.

3. *Per testamentum.* Ed. prima, Paris. et Venetæ *testamento.* Dein *est missus exercitu* exstat in iisdem.

4. *A magnis regibus*, etc. Eutropius lib. IV, p. 158. Ed. Novissimæ, *Adversus eum missus est Licinius Crassus, infinita regum habens auxilia. Nam et Bithyniæ rex Nicomedes Romanos juvit : et Mithridates Ponticus, cum quo bellum postea gravissimum fuit : et Ariarathes Cappadox, et Pylæmenes Paphlagon. Victus est tamen Crassus et in prælio interfectus.* Notarunt jam viri docti errorem Eutropii, dum Mithridatem, patrem et filium confundit; pater enim *Evergetes*, ut ex nummo ejus patet, filius vero *Eupator* cognominatus fuit; nomen autem Pylæmenis (quod multorum Paphlagoniæ regum commune fuisse videtur) male mss. quidam et edd. vetust. per *Philomenen*, *Philimenen*, aut alio modo efferunt. Fabricius quoque diphthongum in nomine neglexit, quam servant rarissimi inter veteres reges *Pylæmenis* nummi. Subjeci iconem illius, quem ipse possideo, ex ære, pulchritudine, arte et nitore conspicuum, ut et alterum, argenteum ex nostro quoque museo Ariarathis,

Nicomede Bithyniæ, Mithridate Ponti et Armeniæ, Ariarathe Cappadociæ, Pylemene Paphlagoniæ eorumque maximis copiis adjutus, conserto tamen bello victus est : et cum, exercitu post plurimam cædem in fugam **309** acto, ipse jam circumventus ab hostibus, et pene captus esset, [5] virgam, qua erat usus ad equum, in oculum Thracis impegit, Barbarus autem, cum ira et dolore exarsisset, latus Crassi gladio transverberavit. Ita ille, excogitato genere mortis, effugit et dedecus et servitutem. [6] Perperna consul, qui Crasso successerat, audita morte Crassi, et clade exercitus Romani, raptim in Asiam pervolavit, Aristonicum, recenti victoria [7] feriatum, improviso bello adortus, nudatumque omnibus copiis, in fugam vertit ; cumque Stratonicen urbem, ad quam ille confugerat, **310** obsidione cinxisset, trucidatum fame ad deditionem coegit, Perperna consul, apud Pergamum correptus morbo, diem obiit. [8] Aristonicus Romæ jussu senatus in carcere strangulatus est. Eodem anno [9] Ptolemæi Alexandrinorum regis [10] misera vita miseriorem vitæ exitum dedit. Is enim sororem suam stupro cognitam, ac deinde in matrimonium receptam, novissime turpius quam duxit, abjecit. Privignam vero suam, hoc est, filiam sororis et conjugis, conjugem adscivit, filium suum quem ex sorore susceperat, nec non et filium fratris, occidit. Quamobrem tantis [11] incestis parricidiisque exsecrabilis ; ab Alexandrinis regno pulsus est. Iisdem temporibus Antiochus, non contentus Babylonia atque Ecbatana, totoque Mediæ imperio, adversus Phrahatem Parthorum regem congressus et victus est. Qui cum in exercituo suo [12] centum millia armatorum habere videretur, ducenta millia amplius calonum atque lixarum immixta scortis et histrionibus trahebat. Itaque facile cum universo exercitu suo, Parthorum viribus oppressus, interiit. [13] C. Sempronio Tuditano, et Man. Aquillio coss. P. Scipionem Africanum, pridie pro concione

HAVERCAMPI NOTÆ.

Cappadocum regis, atque Nicomedis, regis Bithyniæ ejus nominis secundi. Mithridatis denique, argenteum quoque ex præclaro Vaillantii opere posthumo, Achæmenidarum imperio, desumptum, in quo æram regum Ponti appositam idem existimat Vaillantius pag. 61, eamque evincere, ad quem Ponti regem Mithridatem iste nummus referri debeat. Verum ego illum nummum non puto ad antiquum illum Mithridatem debere referri, neque regis esse caput, quod in ipso nummo cernitur, verum imperatoris Romani, et quidem Claudii, adeoque numisma illud debere referri ad Mithridatem illum, qui temporibus Claudii vixit, et de quo hæc disertis verbis scribit Dio Cassius lib. LX, p. 670 : Ἄλλῳ τέ τινι Μιθριδάτῃ, τὸ γένος ἀπ' ἐκείνου τοῦ πάνυ ἔχοντι, τὸν Βόσπορον ἐχαρίσατο. *Alii cuidam Mithridati, qui genus a magno illo Mithridate deducebat, Bosporum largitus est.* Quam conjecturam fusius illustrabimus in majori opere, quod omnium Græcorum regum Nummos, jam dudum impensa nostra æri insculptos, continebit, et brevi prælo, Deo favente, subjicietur.

5. *Virgam, qua erat usus ad equum.* Hoc scribit etiam Valerius libro III, cap. 2. FABR. — Pro *impegit* cod. Perizon. *injecit.*

6. *Perperna cos.* Hic proximo anno post Crassum consul fuit, eoque consule Crassus jam proconsul occisus fuit, auctor Obsequens. De re a Perperna gesta, omnes quos modo nominavi. FABR.

7. *Feriatum.* Sic mss. ; *feriantem* editi quidam, at Perizon. *superbum* ex glossa.

8. *Aristonicus*, etc. Hæc mss. et cod. Aug. lectio est. Edd. vett. legunt : *Aristonicus vero, ductus Romam* (vel *ad urbem Romam*) *in carcere strangulatus est.* Pro *strangulatus est*, Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov. mavult, *strangulatus.* Perizon., *strangulatur.*

9. *Ptolemæi Alexandr. regis. Ptolemæum* septimum Alexandrinorum regem intelligit, qui Secundus *Evergetes* et *Physco* dictus fuit, ac flagitiosissime vixit, ut scribit Strabo lib. XVII. Quæ autem Orosius hic de Ptolemæo et Antiocho scribit, ea sumpsit de Livii libr. LIX, cujus rei testis est Epitoma. FABR.

10. *Misera vita.* Ita transponunt mss. pro *vita misera.* Ed. Aug. habet : *Ptolemæus, Alexandrinorum rex, misera vita miseriorem vitæ exitum dedit.* Sed ms. Ludg. Bat. pr. : *Ptolemæo, Alexandrinorum regi, misera vita*, etc.

11. *Incestis.* Ed. Aug., *incestubus.*

12. *Centum millia armatorum.* Magna mollities regis atque ignavia significatur, qui duplo plus turbæ inutilis, quam armatorum ad bellum duxerit : neque ulla causa est, cur veterum librorum numerus mutetur. FABR.

13. *C. Sempronio Tuditano Man. Aquillio.* Cicero de Nat. Deor. II : *Tum sole geminato, quod ut a patre audivi, Tuditano et Aquillio coss. evenerat, quo quidem anno P. Africanus sol alter exstinctus est.* De ejusdem morte in Lælio, et pro Milone. Historia est

de periculo salutis suæ [14] contestatum, quod sibi pro patria laboranti ab improbis et ingratis denuntiari cognovisset, [15] alio die mane exanimem in cubiculo suo repertum, non temere inter **311** maxima Romanorum mala recensuerim, præsertim cum tantum in ea urbe Africani vigor et modestia valeret, ut facile vivo eo, neque sociale neque civile bellum posse existere crederetur. [16] Hunc quidam uxoris suæ Semproniæ, Gracchorum autem sororis, dolo necatum ferunt, ne scelerata (ut credo) familia, [17] atque in perniciem patriæ suæ nata, inter impias seditiones virorum, non etiam facinoribus mulierum esset immanior. [18] M. Æmilio, L. Oreste consulibus, Ætna vasto tremore concussa exundavit igneis globis; rursusque alio die Lipara insula, et vicinum circa eam mare in tantum efferbuit, ut adustas quoque rupes dissolverit, tabulata navium liquefactis ceris extorruerit: exanimatos pisces supernatantesque excoxerit: homines quoque, nisi qui longius potuere diffugere, reciprocato anhelitu calidi aeris adustis, introrsum vitalibus, suffocarit.

CAPUT XI.

De ingenti et perniciosa vi locustarum in Africa, quarum interitu infectioneque horrenda ac inaudita pestis orta.

M. Plautio Hypsæo, et M. Fulvio Flacco consulibus, vixdum Africam a bellorum excidiis quiescentem, horribilis et inusitata perditio consecuta est. Namque cum per totam Africam [1] immensæ locustarum multitudines coaluissent, et non modo jam cunctam spem **312** frugum abrasissent, herbasque omnes cum parte radicum, et folia arborum cum teneritudine ramorum consumpsissent, verum etiam amaros cortices atque arida ligna [2] perrosissent, repentino [3] abreptæ vento, atque in globos coactæ, portatæque diu per aerem, Africano pelago immersæ sunt. Harum cum immensos acervos, longe undis urgentibus fluctus per extenta late littora propulissent, tetrum nimis atque ultra opinionem pestiferum odorem, tabida et putrefacta congeries exhalavit, unde omnium pariter animantium tanta pestilentia consecuta est, ut avium, pecudum ac bestiarum corruptione aeris dissolutarum, putrefacta passim cadavera, vitium corruptionis augerent. At vero quanta fuerit hominum lues, ego ipse dum refero, toto corpore perhorresco: siquidem in Numidia, in qua tunc [4] Micipsa rex erat, [5] octingenta millia hominum: circa oram vero maritimam, quæ maxime Carthaginiensi atque Uticensi littori adjacet, plus quam ducenta millia periisse traditum est. Apud ipsam vero Uticam civitatem triginta millia militum, quæ ad præsidium totius Africæ ordinata fuerant, exstincta atque abrasa sunt: Quæ clades [6] tam repentina ac tam violenta institit, ut tunc apud Uticam sub una die per unam portam ex illis junioribus plus quam [7] mille quingentos mortuos elatos fuisse narretur. Verumtamen pace et gratia omnipotentis Dei dixerim, [8] de cujus misericordia, et in cujus fiducia hæc loquor, quamvis et temporibus nostris [9] exoriantur aliquando, et hoc diversis partibus locustæ, et plerumque etiam, sed tolerabiliter, lædant, numquam tamen temporibus Christianis tanta vis inextricabilis mali accidit, ut pernicies locustarum, quæ **315** (*sic mendo typographico*) nullo modo ferri viva potuisset, mortua plus noceret: etqua diu vivente peritura erant omnia, ea perdita, pereuntibus magis omnibus, optandum fuerit, [10] ne perisset.

CAPUT XII.

De Carthagine restituta. De C. Gracchi seditione et interitu.

[1] Anno ab Urbe condita DCXXVII, Q. Cæcilio Metello et T. Quinctio Flaminino coss., [2] Carthago in

HAVERCAMPI NOTÆ.

apud Livium lib. LIX, Velleium II, Appianum I, Plutarchum in Gracchis. FABR.

14. *Contestatum.* Ed. August., *contestantem.*

15. *Alio die mane.* Codd. optimi, videlicet tres Florentt. Meus et Perizon., *alio mane exanimem*, etc.; *die* autem in secundo Florent. superscribitur.

16. *Hunc quidam uxoris suæ.* Suspicio de Sempronia uxore est in Epitoma Liviana, de *Sempronia et Cornelia* socru in Appiani libro I. Hinc Cicero in Somnio Scipionis dixit: *Si impias propinquorum manus effugeris.* Existimatus est quoque C. Carbo tribunus plebis, Africano vim attulisse, ut scribit ad Pætum epistola 21. FABR.

17. *Atque in perniciem.* Ita Flor. sec. sed Florentini pr. et tert. *in perniciem.* Mss. reliqui omnes, cum Coll. Gronov. et ed. Aug. *ad perniciem.* Pro *patriæ suæ*, Lugd. Batt. tres et Coll. Gronov. *patriæ.*

18. *M. Æmilio, L. Oreste.* De prodigiis quorum hic Orosius meminit, lege Obsequentem. FABR.

CAP. XI. — 1. *Immensæ locustarum.* Quæ hoc capite de immani vi locustarum in Africa et peste inde exorta scribit Orosius, ea fuerunt a Livio exposita libr. LX, in cujus Epitoma sic legitur: *Pestilentia in Africa a maxima multitudine locustarum, et deinde necatarum strage fuisse traditur.* Meminit ejusdem rei Obsequens. FABR.

2. *Perrosissent.* Lugd. Bat. tert. *prærosissent;* sed Lugd. Batt. reliqui, cum Coll. Gronov. et mss. Meo atque Perizon., *perroderent*, quod forsan melius est.

3. *Abreptæ vento.* Malo ita, cum cod. Perizon., Lugd. Bat. tertio et Coll. Gronov. quam *arreptæ*, quod in reliquis mss. omnibusque edd. invenitur, excepta August. in qua itidem *abreptæ* legitur.

4. *Micipsa rex.* De quo infra cap. 15. FABR.

5. *Octingenta.* Quædam edd. *octoginta*, qui numerus Numidiæ amplitudini atque incolarum numerositati non convenit.

6. *Tam repentina ac tam violenta.* Prius *tam* in edd. Fabricii et Scotti excidit, contra omnes mss. et edd. ex quibus ed. pr. alterum *tam* non agnoscit. Mox, pro *institit*, Perizon. Meusque *exstitit.*

7. *Mille quingentos.* Ed. August., *mille ducentos.*

8. *De cujus.* In Flor. pr. abest *de.*

9. *Exoriantur.* Perizon., *exoriatur;* et mox, pro *diversis partibus*, legit, *diversis temporibus.*

10. *Ne perisset.* Sic reposui ex cod. Longob. vulgo, *ne periret.*

CAP. XII. — *Anno ab Urbe condita* DCXXVII. Aliis est annus DCXXX. Consulum nomina vulgo misere depravata sunt, quæ in optimis libris recte habent, nisi quod *Metello Lucii* non *Quinti* prænomen male dant. FABR.

2. *Carthago in Africa restitui jussa.* Carthaginem jussu senatus reparatam scribit Eutropius. A senatu id decretum fuisse indicat Appianus. *Rubrium* tri-

Africa restitui jussa, vigesimo et secundo demum anno, quam fuerat eversa, deductis civium Romanorum familiis, quæ eam incolerent, restituta et repleta est, magno ante prodigio præcedente. [2] Nam cum mensores ad limitandum Carthaginiensem agrum missi, stipites, terminorum indices fixos, [4] nocte a lupis revulsos mordicus, corrososque reperissent, aliquamdiu hæsitatum est, utrum Romanæ paci expediret, Carthaginem reformari. [5] Eodem anno C. Gracchus, Gracchi illius, qui jam occisus in seditione fuerat, frater, tribunus plebis per tumultum creatus, magna reipublicæ pernicies fuit. Nam cum sæpe populum Romanum largitionibus promissisque nimiis in acerbissimas seditiones [6] excitavisset, maxime [7] legis agrariæ causa, pro qua etiam frater ejus Ti. Gracchus fuerat occisus, **316** tandem a tribunatu, [8] Minucio successore, decessit. Minucius tribunus plebis, cum maxima ex parte decessoris sui Gracchi statuta convulsisset, legesque abrogasset, Caius Gracchus cum Fulvio Flacco ingenti stipatus agmine, A Capitolium ubi concio agitabatur, ascendit : ibi maximo tumultu excitato, [9] quidam præco a Gracchanis interfectus, velut signum belli fuit. Flaccus duobus filiis armatis cinctus, comitante etiam Graccho togato, brevemque gladium sub sinistra occultante, quamvis et præconem frustra præmisisset, qui servos ad libertatem vocaret, [10] Janium tamquam arcem occupavit : [11] contra [12] D. Brutus vir consularis [13] a Clivo Publicio cum ingenti certamine irruit. Ibi Flaccus diu obstinatissime dimicavit ; Gracchus, postquam in templum Minervæ secesserat, gladio incumbere volens, [14] interventu Lætorii retentus est. Itaque **317** cum diu anceps bellum agitaretur, [15] tandem sagittarii, [16] ab Opimio missi, consertam multitudinem disturbave- B runt. Duo Flacci pater filiusque cum per ædem Lunæ [17] in privatam domum desiluissent, foresque objecissent, rescisso cratitio pariete, confossi sunt. [18] Gracchus, [19] diu pro se amicis pugnantibus ac pereuntibus, ægre ad pontem sublicium pervenit :

HAVERCAMPI NOTÆ.

bunum plebis rogationem ad populum de colonia Carthaginem deducenda pertulisse, auctor est Plutarchus in Gracchis. FABR.

3. *Nam cum mensores.* De hoc prodigio Appianus et Plutarchus. FABR.

4. *Nocte.* Vulgg. *et nocte*, sed mss. conjunctionem non agnoscunt.

5. *Eodem anno C. Gracchus.* C. Sempronius Gracchus tribunatum plebis per biennium continuavit, ut notavimus in argumento orationis de provinciis cos., eoque tempore multas leges tulit, de quibus Appianus, Plutarchus, Livius, Asconius et Velleius. FABR.

6. *Excitavisset.* Perizon., *excivisset;* edd. quidam, *excitasset.*

7. *Legis agrariæ causa.* Omittunt nonnumquam Latini vocem *causa* vel *gratia* in generandi casu, prout patet ex exemplis veterum et auctoritate virorum doctorum, a Jo. Arntzenio adductis ad Victorem pag. 55 : quare idem V. D. hic ab Orosio ex mss. auctoritate abesse vult. Non contradicerem, si pluribus vel melioribus adjuvarem mss. Nunc, cum uno nitatur Ultr. omnium pessimo, et in quo crebra admodum vocabulorum omissio, sylvaque errorum est, cum reliquis mss. omnibus posse retineri puto.

8. *Minucio successore.* Hunc videntur collegæ in Gracchi locum subjecisse, cum ille plurimis suffragiis tribunus plebis tertium creatus esset, quo de Plutarch. *Minucii* hujus meminit Florus lib. III, cap. 15. Auctor de Viris Illustr. *Minucium Rufum* nominat. FABR.

9. *Quidam præco. Atilius* præco Opimii consulis D est in libro de Viris Illustribus, qui a Plutarcho Ὀπιμίου ὑπηρέτης Κοΐντος Ἀντίλλιος nominatur, in Appiani libris idem Ἀττίλιος et Ἀντίλιος dicitur. FABR.

10. *Janium tamquam arcem.* Hæc ita leguntur in veteribus libris omnibus. Aventinum occupatum omnes scribunt, eumque intelligendum ostendit, quod sequitur de clivo publico, per quem in Aventinum ascendebatur. FABR.

11. *Contra D. Brutus.* Invitis omnibus mss. et vetante quoque ed. Aug. repositum in cunctis edd. reliquis fuit, *contra quem D. Brutus*, etc., quasi hic *contra* non significaret, ab altera parte.

12. *D. Brutus.* De quo supra capite quinto. FABR.

13. *A clivo Publicio.* Servant hanc scripturam inter codd. mss. Florent. tert. et Perizon. meliorem, quam quæ in aliis atque posterioribus quibusdam edd. est, *publico.* A Publiciis enim nomen accepit. Varro de LL. lib. IV, p. 38 : *Clivus Publicius ab ædilibus plebis Publiciis, qui eum publice ædificarunt.* Fratres fuerunt, teste Festo, *Publicius clivus appellatur, quem duo fratres, L. et M. Publicii Malleoli, ædiles curules, pecuariis condemnatis, ex pecunia, quam ceperunt, munierunt, ut in Aventinum vehicula Velia venire possent.* Quare Publicium quoque vocavit Ovidius Fastor. v. 293 :

C

Parte locant clivi, qui tunc erat ardua rupes,
Utile nunc iter est, Publiciumque vocant.

14. *Interventu Lætorii. Lætorii* restituimus ex optimo libro Gualtheri, pro quo in cæteris mendose, *Lictoris* legitur. Origo erroris inde venit, quod vulgo, *Lectorium*, pro *Lætorio* scribunt. At in optimo illo libro non modo hic, verum etiam infra capite vigesimo primo est *Lætorius*, ubi ita hoc nomen scribi debere ostendemus. In Plutarchi loco, quem modo adduximus, Λικιννίου, haud dubie corrupte, legitur, pro Λαιτωρίου. Nam qui ibi *Pomponius et Licinnius*, ii ab auctore de Viris Illustribus et Valerio Maximo, libro quarto capite 7, *Pomponius et Lætorius* dicuntur. De Pomponii, equitis Romani, fide in Gracchum lege Paterculum. FABR.

15. *Tandem sagittarii.* Τοξόται Κρῆτες, *Plutarchus.*

16. *Ab Opimio.* Ed. Aug., *Ab Opimio consule.*

17. *In domum privatam.* Ἐς ἐργαστήριον ἀνδρὸς γνωρίμου, *in officinam hominis noti*, Appianus. FABR.

18. *Gracchus diu pro se.* Appianus : Γράκχος διὰ τῆς ξυλίνης γεφύρας ἐς τὸ πέραν τοῦ ποταμοῦ καταφυγὼν εἰς ἄλσος τι μεθ' ἑνὸς θεράποντος, ὑπέσχε τῷ δράποντι (*Forte pro* θεράποντι) τὴν σφαγὴν καταλαμβανόμενος, id est : *Gracchus per pontem sublicium trans Tiberim confugiens in lucum quemdam cum uno servo, cum ibi jam comprehenderetur, cervicem servo præbuit.* Auctor de Viris illustribus *lucum Furinæ* vocat : forte *Furiarum* ; nam Plutarchus, ἱερὸν ἄλσος τῶν Ἐριννύων. Servum Velleius, et is qui de Viris Illustribus scripsit, *Euporum* nominant, Plutarchus *Philocratem.* Lege Valerium lib. VI, c. 8. FABR.

19. *Diu.* Abest a quibusdam mss. et edd.

ibique ne vivus caperetur, cervicem servo suo [20] præbuit. Caput Gracchi [21] excisum, consuli allatum est, corpus ad Corneliam matrem [22] Misenum oppidum devectum est. Hæc autem Cornelia Africani majoris filia, [23] Misenum, post prioris filii mortem, secesserat. Bona Gracchi publicata sunt. [24] Flaccus adolescens [25] in robore necatus est. Ex factione Gracchi [26] ducenti quinquaginta in Aventino cæsi referuntur. Opimius consul sicut in bello fortis fuit, **318** ita [27] in quæstione crudelis. Nam [28] amplius quam tria millia hominum suppliciis necavit : ex quibus plurimi, ne dicta quidem causa, innocentes interfecti sunt.

CAPUT XIII.

Baleares insulas a Metello subactas, Allobroges a Domitio victos fuisse, Ætnamque rursus exarsisse.

Iisdem temporibus [1] Metellus Baleares insulas [2] bello pervagatus edomuit, et piraticam infestationem, [3] quæ ab iisdem tunc exoriebatur, plurima incolarum cæde compressit. Cneus quoque [4] Domitius proconsule [5] Allobroges Gallos juxta oppidum Vindalium gravissimo bello vicit, maxime cum elephantorum nova forma equi hostium hostesque conterriti, diffugissent; viginti millia [6] ibi Allobrogum cæsa referuntur, tria millia capta sunt. Eodem tempore Ætna mons ultra solitum exarsit, et torrentibus igneis superfusis lateque circumfluentibus, Catanam urbem finesque ejus oppressit, ita ut tecta ædium calidis cineribus præusta et prægravata corruerent : cujus levandæ cladis causa, senatus decem annorum vectigalia Catanensibus remisit.

319 CAPUT XIV.

Fabius consul Bituitum, regem Arvernorum, magnis copiis instructum, cum paucis fudit, Q. Marcius alios Gallos fudit.

[1] Anno ab Urbe condita DCXXVIII, Fabius consul [2] Bituito, regi Arvernorum, [3] Galliæ civitatis, bellum maximo instructu comparanti, adeo cum parvo exercitu occurrit, ut Bituitus paucitatem Romanorum vix ad escam [4] canibus, quos in agmine habebat, sufficere **320** posse jactaret. Qui cum sibi ad transferendas copias, unum pontem Rhodani flumi-

HAVERCAMPI NOTÆ.

20. *Præbuit.* Cod. Ultr., *tradidit*, quod ineptum est. De locutione illa, *præbere cervicem* in morte voluntaria, vide Jo. Arntzen. ad Aur. Victorem. p. 257.

21. *Excisum.* Lugd. Bat. pr., *abscisum.*

22. *Devectum est.* Ed. Aug., *allatum est.* Cod. Lugd. Bat. pr., *delatum est.*

23 *Misenum, post prioris filii mortem, secesserat.* Sic cum optime legeretur in Ed. prima et post illam in Parisin. et Venetis, reliquæ tamen omnes exhibent, *Misenum, ut duxi, prioris filii morte secesserat.* At ubi hoc dixit Orosius? Non certe hoc capite neque supra cap. 9, ubi de nece Tiberii Gracchi egit. Ferri itaque, quantumvis in mss. et ed. Aug. inveniatur, nequit.

24. *Flaccus adolescens. Q. Flaccum* nominat Appianus, quem impuberem legatum a patre missum, in carcere necatum ait Cicero in Catilinam. Vellcius : *Juvenis, specie excellens, necdum duodevicesimum transgressus annum, immunisque delictorum paternorum, Fulvii Flacci filius, quem pater legatum de conditionibus miserat, ab Opimio interemptus est.* FABR.

25. *In robore. Robur* in carcere dicitur is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, Festus. Livius libr. XXXVIII : *Ut in carcere inter fures nocturnos et latrones vir clarissimus includatur, et in robore et tenebris exspiret.* FABR.

26. *Ducenti quinquaginta.* Hoc similius vero, quam quod Plutarchus scribit *τριχιλίους fuisse interfectos.* FABR. — Pro *cæsi*, Perizon. Meusque, *cæsi fuisse referuntur.*

27. *In quæstione.* Ed. Aug., cum mss. tribus Lugd. Batt. et Coll. Gronov., *inquisitione crudelis.*

28. *Amplius quam tria millia.* Mss. iidem, consentientibus tribus Florentinis, *amplius tria millia*, quod reponi posset. Iidem Lugd. Batt. mox pro *ne* amant *nec dicta quidem causa.*

CAP. XIII. — 1. *Metellus Baleares.* De *Balearico bello* Liv. lib. LX, Flor. lib. III, cap. 8. FABR.

2. *Bello.* Abest ab. ed. August.

3. *Quæ ab iisdem tunc exoriebatur.* Lugd. Bat. pr., *quæ ab iisdem oriebatur.* Meus, *quæ ab iisdem tunc oriebatur.*

4. *Domitius proconsule.* Cneus Domitius Ahenobarbus consul cum C. Fannio fuit anno DCXXXI. De bello quod cum Allobrogibus gessit Livius lib. LXI, Eutropius lib. IV, Suetonius in Nerone. FABR.

5. *Allobroges.* Mss. Florentt. malunt *Allobrogas.*

6. *Ibi.* Abest a Lugd. Bat. secundo.

CAP. XIV. — 1. *Anno ab Urbe condita* DCXXXVIII. Aliis hic annus est ab Urbe condita DCXXXIII. De *bello Allobrogico* Appianus in Celtica, Strabo lib. IV, Livius LXI, Florus libro III cap. 2. FABR.

2. *Bituito.* Supersunt ærei nummi antiqui, qui ad hunc regem referuntur, inscripti BITOYKOC et BITOYIOC BASIΛEΩΣ, quos produxit et explicavit Begerus tom III Thes. Brandenb., p. 6; eosdem, justa magnitudine servata, subjeci. De ipso Bituito, procerissimo, ad miraculum usque, homine, lege Florum lib. III, cap. 2.





3. *Galliæ.* Ed. Aug., *Gallicæ.*

4. *Canibus, quos,* etc. Ex hoc loco patet consuetudinem fuisse apud Gallos, ut proficiscentes, in bellum, canes secum ducerent. Quod Strabo, paucis comparandus auctor, annotare non neglexit lib. IV, p. 199, sive in novissima edit. 305, ubi de insula Britannia agit, et laudat inter alia molossos Britannos. Κα κύνες εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας. Κελτοὶ δὲ καὶ πρὸς τοὺς πολέμους χρῶνται καὶ τούτοις, καὶ τοῖς ἐπιχωρίοις. *Et canes ad venationem naturali indole præstantes. Iisdem quoque Galli* (sive Celtæ) *pariter, ut qui apud ipsos generantur, in bello utuntur.*

nis parum esse intelligeret, alium compactis lintribus catenisque connexum, [5] superstratis confixisque tabulis [6] instruxit. [7] Conserta pugna, et diu graviter agitata, victi Galli, conversique in fugam, dum quisque sibi timet, coacervatis inconsulte agminibus, [8] et præpropero transitu pontis vincula ruperunt, ac mox cum ipsis lintribus mersi sunt. Centum octoginta millia armatorum in exercitu Bituiti fuisse traduntur, ex quibus [9] centum quinquaginta millia vel cæsa vel mersa sunt. [10] Q. Marcius consul Gallorum gentem [11] sub radice Alpium sitam, bello aggressus est : qui cum se Romanis copiis circumseptos viderent, belloque impares fore intelligerent, occisis conjugibus ac liberis, in flammas sese projecerunt. Qui vero præoccupantibus Romanis peragendæ tunc mortis suæ copiam non habuerant, captique fuerant, alii ferro, alii suspendio, alii abnegato cibo sese consumpserunt : nullusque omnino vel parvulus superfuit, [12] qui servitutis conditionem vitæ amore toleraret.

321 CAPUT XV.

De bello Jugurthino, in quo Romani varie cum Jugurtha rege Numidarum pugnarunt.

[1] Anno ab Urbe condita DCXXXIX, P. Scipione Nasica et L. Calpurnio Bestia consulibus, Jugurthæ Numidarum regi bellum consensu populi Romani senatus indixit. Sed ego de Jugurtha ordinis tantum loco, et causa commemorationis, breviter perstrinxerim, quia ut de natura ejus varia atque intolerabili, ita et de rebus tam dolose, quam strenue gestis, propter opimam scriptorum luculentiam [2] satis sufficiens apud omnes notitia est. Igitur Jugurtha, A Micipsæ Numidarum regis, adoptivus, [3] hæresque inter naturales ejus filios factus, primum cohæredes suos, id est, Hiempsalem occidit, [4] Adherbalem, bello victum, Africa expulit. Calpurnium deinde consulem adversum se missum, pecunia corrupit, atque ad turpissimas conditiones pacis adduxit. Præterea cum Romam ipse [5] venisset, omnibus pecunia aut corruptis, aut attentatis, seditiones dissensionesque permiscuit : [6] quam cum egrederetur, infami satis notavit elogio, dicens : *O urbem venalem et mature perituram, si emptorem invenerit !* Insequenti anno A. Postumium, Postumii consulis fratrem, quem is [7] quadraginta millium armatorum exercitui præfecerat, apud Calamam, urbem thesauris regiis **322** conditis inhiantem bello oppressit : [8] cuique B victo ignominiosissimum fœdus [9] exegit, universam pene Africam a Romanis deficientem, [10] regno suo junxit. Postea tamen Metelli consulis integritate et disciplina coercitus, duobus etiam prœliis victus, vidit præsente se et vastari Numidiam suam et non posse defendi : a quo ad deditionem coactus, trecentos obsides dedit, frumentum atque alios commeatus persoluturum sese spopondit, [11] tria perfugarum amplius millia reddidit. Exin cum [12] incertus in pace improbos non [13] cohiberet excursus, C. Marii consulis, non minore pene quam ipse præditus erat astutia, Romanisque viribus fractus est : maxime postquam Marius urbem [14] Capsam, ab Hercule Phœnice (ut ferunt) conditam, regiis [15] tunc thesauris confertissimam, dolo circumvenit et cepit. Diffidens deinde [16] propriis rebus et viribus Jugurtha, societatem cum Boccho Maurorum rege fecit, cujus equitatu in immensum auctus, Marianum exercitum creberrimis

HAVERCAMPI NOTÆ.

5. *Superstratis.* Meus, *superductis.*

6. *Instruxit.* Meus, *construxit.* Perizon. et duo Florentt., *struxit.* Sed Longob., *instruxit.*

7. *Conserta pugna.* Pugnatum est apud flumen Isaram ante diem VI id. August. Plinius libro VII, capite 50. FABR.

8. *Et præpropero transitu.* Deest conjunctio *et* in ed. Aug. pro *transitu.* Lugd. Bat. pr. scribit *censu.*

9. *Centum* L *millia.* Hic numerus est in nostris Manuscriptis omnibus. Livius ait ex Bituiti exercitu cæsa millia hominum CXX. Appianus quoque δώδεκα μυριάδας edit. FABR.

10. *Q. Marcius consul. Q. Marcius Rex* consul cum M. Porcio Catone fuit anno CCXXXV. De re a *Marcio gesta,* Livius lib. LXII. FABR.

11. *Sub radice.* Meus, *sub radicibus.*

12. *Qui servitutis,* etc. Perizon., *qui servitutis conditione vitam a morte liberavit.*

CAP. XV.— 1. *Anno ab Urb. cond.* DCXXXIX. Aliis est annus hic DCXLII. *Bellum Jugurthinum,* ex Sallustio notum est. Legenda Epitoma Liviana LXIV una cum sequentibus. In Orosio invenies quædam a Sallustio non ita expressa. FABR. — In Lugd. Batt. in tert. quidem, ut et Coll. Gronov., DCXXXII legitur; at in sec. quarto, Perizon. et Meo, DXXXV.

2. *Satis sufficiens.* Ed. August., *satisfaciens.* Pro *præstrinxerim* Flor. pr. habet *strinxerim.* Mox in *ita et* conjunctionem *et* delet Flor. sec.

3. *Hæresque.* Meus *hæresque institutus,* idem *ejus* delet ante *filios.*

4. *Adherbalem.* Tres Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *Haderbalem.*

5. *Venisset.* Mss. fidem, *pervenisset.*

6. *Quam.* Ed. August., *qua cum egrederetur.*

7. *Quadraginta millium.* Sic reposui ex mss.: nam quod in vulgg. est, *quadraginta millibus,* tolerari nequit propter similem casum, qui sequitur *exercitui.*

8. *Cuique victo.* Puto esse scribendum *eique victo,* vel *cui quoque victo.* Deleta copula. Venetæ edd. cum prima malunt, *cui victo.* Pro *oppressit,* ed. August. et Lugd. Bat. tert., cum Coll. Gronov., *compressit.*

9. *Exegit.* Perizon., *extorsit.*

10. *Regno suo junxit.* Ed. Aug., *regno subjunxit.*

11. *Tria perfugarum amplius millia.* Ita cod. Longob. Sed alii *tria amplius millia* vel *tria millia amplius.* Cod. Perizon., *tria et amplius millia perfugarum.*

12. *Incertus in pace.* Ed. August. habet *receptus in pace* vel *pacem.* Sed Jugurthæ pax data non fuit, Metello autem statim successit Marius. At Jugurtha suis artibus a Metello petitus, quamvis, traditis perfugis, hactenus imperata fecisset, diffidit tamen merito Romanis.

13. *Cohibet.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov. et tribus Florentt., sic scribere jubent. Vulgo, *prohiberet.*

14. *Capsam, ab Hercule Phœnice. Hercules Libys* dicitur a Sallustio. Strabo lib. ult. κάψαν τὸ γαζοφυλάκιον τοῦ Ἰουγούρθα vocat. FABR.

15. *Tunc.* Abest a tribus Lugd. Batt. et Coll. Gronov.

16. *Propriis rebus.* Vulgg., *et vropriis rebus,* etc., sed contra mss.

incursionibus fatigavit. Postremo apud Cirtam, [17] urbem antiquam, Massanissæ regiam, adversus Romanos expugnationem ejus parantes [18] sexaginta millibus equitum instructus occurrit. Numquam [19] ulla Romano militi [20] tumultuosior pugna et terribilior **323** fuit, adeo ut discursu et fremitu circumcursantium et impetentium equitum suscitatus pulvis cœlum subtexuerit, diem ademerit, noctemque obduxerit : tantus autem telorum nimbus ingruerit, ut nulla pars corporis ab ictu tuta esset, quippe quibus et visus ad prospiciendum impedimento caliginis, et expeditio ad cavendum [21] compressione multitudinis deerat. Nec laborabat eques Maurus ac Numida, ut bene collocatum hostem [22] opportuno teli impetu rimaretur, sed potius in incertum pila mittebant, certi quod vulnera incerta non essent. Ita coacti [23] in unum Romani equites, in unum pedites densabantur. Intercapedinem tanti periculi nox interveniens dedit. Eadem postera die et belli et periculi [24] facies. Erumpere in hostem, quamvis stricto miles gladio [25] non valebat : eminus enim jaculis [26] repellebatur. [27] Fugere non poterat, undique enim velocior ad persequendum eques incluserat. **324** [28] Jam tertia dies, et nullum undecumque suffragium, dira undique mortis facies objiciebatur ; tandem Marius consul forti desperatione spei viam fecit, universo simul agmine prorupit e vallo, campoque sese simul et prælio dedit. Et cum iterum circumfusi hostes non solum agminis extrema laniarent, verum etiam media, excussis procul telis, cæderent, turbatosque Romanos insuper etiam æstus solis, intolerantia sitis, mortis circumstantia, usque ad extremum desperationis [29] defatigarent, subito notum illud Romanorum adversus Afros tempestatum imbriumque suffragium cœlo missum, [30] insperatæ saluti fuit : siquidem repentina pluvia sitientibus Romanis et æstuantibus refrigerium potumque præbuit. Porro autem Numidis hastilia telorum, quæ manu intorquere sine amentis solent, lubrica ac per hoc inutilia reddidit : scuta etiam, quæ elephanti corio extento atque durato habilia et tuta gestabant, cujus ea natura est, ut acceptum imbrem, tamquam spongia ebibat, ac per hoc intractabile repentino pondere fiat, quia circumferri non poterant, defendere nequiverunt. Ita ex insperato conturbatis destitutisque Mauris et Numidis, Bocchus et Jugurtha fugerunt. Post hoc [31] nonaginta millia armatorum novissimo bello ab iisdem regibus objecta ; hæc quoque usque ad internecionem, Romanis vincentibus, cæsa referuntur. Ex eo Bocchus spem belli abjiciens, pacem petivit : atque in pretium pacis Jugurtham, dolo captum catenisque obrutum, [32] per Sullam legatum misit ad Marium : qui in trium-

HAVERCAMPI NOTÆ.

17. *Urbem antiquam.* Mens *urbem antiquissimam.*

18. *Sexaginta millibus.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *quadraginta millibus.* Ed. Aug., *cum sexaginta millibus equitum instructis occurrit.*

19. *Ulla Romano militi.* Cod. Perizon., *ulli Romanorum tumultuosior*, etc.

20. *Tumultuosior pugna.* Hac pugna Marius Jugurtham et Bocchum apud Cirtham cecidit, ut ait Florus lib. III, cap. 1. FABR.

21. *Compressione multitudinis.* Ita mss. Florentini tres, Meo astipulante. At prorsus inepta est lectio vulgata *compressionem multitudinis.* Romani enim milites duplici de causa prohibebantur tela hostium vitare : primo quia eminus prospiciendo, cum mitterentur, videre nequibant propter caliginem; dein quia, cum prope jam adessent, exire declinatione corporis, non poterant. Virgil. Æn. v, 438, de Entello :

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.

Expedire autem se non poterant compressione multitudinis, quod suos ipsi timerent gladios, neque spatium esset ad latus vel retro cedendi, ut de exercitu Pompeii Lucanus VII, 492 :

Pompeii densis acies stipata catervis
Junxerat in seriem nexis umbonibus arma;
Vixque habitura locum, dextras, ac tela movendi,
Constiterat, gladiosque suos compressa timebat.

Sallust. in Jugur. cap. 102 : *Multos contra adversos acerrime pugnantes, ab tergo circumvenire ; neque virtus, neque arma satis tegere, quod hostes numero plures, et undique circumfusi erant.*

22. *Opportuno.* Perizon., *opportune.* Pro *pila* mox *tela* mss. aliquot.

23. *In unum equites.* Turpi defectu hæc exciderunt in mss. quibusdam, inque omnibus negliguntur edd., exceptis prima, dein August. et Parisiensi. Ubi enim equites eo tempore fuerunt, nisi in eodem loco quo pedites? Immo vehementior propterea erat compressio, quod et pedites simul et equites in unum densarentur. Sallust. in Jug. lib. c. : *Sine signis, sine ordinibus, equites pedites permixti.*

24. *Facies.* Mss. quidam addunt *erat*, sed meliores non agnoscunt.

25. *Non valebat.* Ed. prima, *non valebat ferire*, sequuntur etiam Parisiensis et Venetæ. Sed mss. tres Lugd. Batt. *valebant* scribunt, quasi *milites* legeretur, quod voluisse videtur Coll. Gronov., in qua *militis.*

26. *Repellebatur.* Tres Lugd. Batt., *repellebantur.*

27. *Fugere non poterat.* Mss. quos consului, omnes *poterant* præferunt. Utraque lectio tolerari potest.

28. *Jam tertia dies.* Inutiliter liberales hic edd. quædam vett. adjungunt *illuxerat*, et contra mss. et ed. August. Sic paulo post eodem jure augent, *et cum universo* pro *universo. Suffragium* autem, more suo, Orosius ponit pro ope, subsidio lætoque eventu. Mox infra, *subito notum illud Romanorum adversus Afros tempestatum imbriumque suffragium cœlo missum insperatæ saluti fuit.*

29. *Defatigarent.* Mss. omnes *defatigaret.* Edd. August. et princeps, Paris. et Venetæ, *fatigaret.*

30. *Insperatæ saluti fuit.* Giguendi casu mss. quidam et edd. *salutis*, sed minus recte.

31. XC *millia armatorum.* In magna varietate numerum qui est in Gualtheri libro, recepi. Nam et in meo scripto Eutropio, postquam scriptum est, *Jugurtham et Bocchum a Mario pariter superatos esse*, deinde additur, XC *millia armatorum ad internecionem cecidit.* FABR. — Pro numero majori quoque stant una cum ed. August. mss. fere omnes, nisi quod in margine Flor. sec. minor ascribatur numerus. At Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov. angent usque ad *centum et quadraginta millia.* Pro *novissimo bello*, Perizon. scribit *novissime bello*, etc.

32. *Per Sullam legatum.* *Sullam* quæstorem *Marii* omnes alii appellant. FABR.

pho ante **325** currum cum dúobus filiis suis actus, [33] et mox in carcere strangulatus est. [34] Iisdem diebus obscenum prodigium ac triste visum est. [35] L. Helvius, eques Romanus, cum uxore et filia, [36] de Roma in Apuliam rediens, tempestate correptus, cum filiam consternatam videret, ut citius propioribus tectis succederent, relictis vehiculis [37] arreptisque equis, filiam virginem, equo insidentem, in medium agmen accepit. [38] Puella continuo ictu fulminis exanimata est. Sed omnibus sine scissura aliqua vestimentis ademptis, ac pectoris pedumque vinculis dissolutis, monilibus etiam annulisque discussis, ipso quoque corpore illæso, nisi quod obscenum in modum nuda, et lingua paululum exserta jacuit, [39] equus quoque ipse, quo utebatur, [40] straturis, frenis et cingulis dissolutis passim ac dispersis, exanimis procul jacuit. Parvo post hoc [41] intercessu temporis [42] L. Veturius, eques Romanus, Æmiliam **326** virginem Vestalem furtivo stupro polluit. [43] Duas præterea virgines Vestales eadem Æmilia ad participationem incesti sollicitatas, contubernalibus sui corruptoris exposuit ac tradidit. Indicio per servum facto, supplicium de omnibus sumptum est. Iisdem præterea Jugurthini belli temporibus [44] L. Cassius consul, in Gallia Tigurinos, [45] usque Oceanum persecutus, rursumque ab eisdem insidiis circumventus, occisus est. [46] Lucius quoque Piso, vir consularis, legatus Cassii consulis, [47] interfectus. [48] C. Popillius, alter legatus, ne residua exercitus portio, quæ in castra confugerat, deleretur, obsides et dimidiam partem rerum omnium Tigurinis turpissimo fœdere dedit, qui Romam reversus, a Cœlio tribuno plebis die dicta, eo quod Tigurinis obsides dederat, in exsilium profugit, [49] Cæpio proconsule, capta urbe Gallorum; cui nomen est Tolosæ, [50] centum mille pondo auri, et argenti centum et decem mille, e templo Apollinis sustulit: quod cum ad Massiliam, amicam populo Romano urbem, cum præsidiis misisset, interfectis clam (sicut quidam contestantur) quibus ea custodienda et pervehenda commiserat, cuncta per scelus furatus fuisse narratur: unde etiam magna quæstio post Romæ [51] acta est.

327 CAPUT XVI.

De bello Romanorum adversus Cimbros, Teutonas, aliasque gentes gesto: ubi et varie utrimque pugnatum, sed Marii industria Romani superarunt.

[1] Anno ab Urbe condita DCXLII, C. [2] Manlius con-

HAVERCAMPI NOTÆ.

33. *Et mox in carcere.* Conjunctionem *et* ex mss. omnibus, astipulante ed. Aug. reposuimus. In *filiis suis* posteriorem vocem quædam edd. delent.

34. *Iisdem diebus obscenum prod.* Hoc prodigium triennio ante bellum Jugurthinum evenit, Man. Acilio Balbo, C. Porcio Catone coss. anno DCXXXIX, ut scribit Obsequens. FABR.

35. *L. Helvius, eques Romanus.* Vulgo mendose contra omnium veterum librorum auctoritatem legitur, *L. Ælius.* Eadem injuria *Helvio* facta erat ab *Ælio* apud Livium lib. XXXII, quam Sigonius, vir acerrimus in hujusmodi monstris conficiendis, vindicavit. In Obsequentis prodigiis *Pompeius Helvius* vitioso priore nomine legitur. *Helvium* recte hunc nominari etiam ex Quæstionibus Romanis Plutarchi cognoscitur: ubi virgo hæc fulmine icta Ἐλβία nominatur. Diaconus hoc prodigium cum Ciceronis ortu conjungit, credo, quod virgo illa *Helviæ*, matris M. Tullii, gentilis esset; qua de re plura dixeram in *Ciceronis Vita*, quam jam publicassem nisi eo tempore Seb. Corradi Egnatius fuisset editus. FABR.

36. *De Roma.* Rectius dicas *Roma in Apulium rediens*, ut habent Vulgg. Sed cum mss. ad unum omnes, astipulante ed. August., præferant *de Roma*, immutare lectionem antiquam nolui.

37. *Arreptisque equis.* Tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. *correptis equis.*

38. *Puella.* Edd. quædam *puella vero*, contra mss.

39. *Equus quoque*, etc. In Meo atque Perizon. legitur, *equus quoque, quo ipse utebatur*, quasi ad equum patris Helvii hoc pertineret, quod non puto. Ed. Aug. *ipse* delet.

40. *Straturis.* Lugd. Batt. quatuor et Ultr. cum Coll. Gronov., *stratoriis.* In Perizon. mox *procul* desideratur.

41. *Intercessu.* Perizon. et edd. quædam *intervallo*, quæ glossa est, nam in Perizon. additur insuper *intercessu.*

42. *L. Veturius.* Βουτέτιος Βάρβαρος nominatur in libris Plutarchi, sed ego mallem legere Βετούτιος Βάρρος. Nam Porphyrio, interpres Horatii, in illud Satyr. 6 lib. I Sermonum:

> Ut si qui ægrotet quo morbo Barrus, haberi
> Et cupiat formosus:

Scribit *Barrum* incestum cum *Æmilia* vestali fecisse. *T. Betutius Barrus, Asculanus*, illis temporibus agnoscitur a Cicerone in Bruto. FABR.

43. *Duas præterea virgines. Liciniam et Marciam*, Plutarch. et Liv. lib. LXIII, Ascon. in Milonianam. FABR.

44. *L. Cassius consul.* Cassius consul cum C. Mario anno DCXLVI in Gallia a Tigurinis occisus fuit, Liv. lib. LXV, Cæsar lib. I de bello Gallico. FABR.

45. *Usque Oceanum.* Sic amant mss. melioris notæ omnes. Vulgo, *usque ad Oceanum.*

46. *Lucius quoque Piso.* Avus L. Pisonis Cæsonini, in quem exstat Ciceronis oratio. FABR.

47. *Interfectus.* Plurimi ex mss. addunt *est.*

48. *C. Popillius.* Vulgo Q. Publius in mss. et edd. exstat, licet plures ex mss. Cai prænomen malint. Ante annos aliquot emendavimus hoc Orosii locum in Commentario nostro ad Thesaur. Morell. p. 104: clare enim Popillium appellavit Cicero lib. III de Legib. cap. 16: *Dedit huic quoque judicio Cœlius tabellam, doluitque quoad vixit. Sed ut opprimeret Cœlius Popillium, nocuit et reipublicæ.*

49. *Cæpio proconsule.* Q. Servilius Cæpio consul cum Serrano fuit anno DCXLVII, quo M. Tullius Cicero Arpini est natus. Gellius lib. XV, cap. 28. FABR.

50. *Centum mille pondo auri.* Lege Erasmum in Proverb., *Aurum habet Tolosanum.* FABR.

51. *Acta est.* Lugd. Bat. pr., *habita est*; Perizon., *agitata est.*

CAP. XVI. — 1. *Anno ab Urbe condita* DCXLII. Aliis hic annus est ab Urbe condita DCXLVIII. De re gesta cum Cimbris a Manilio et Cæpione Sallustius de bello Jugurthino, Livius libro LXVII, Florus lib. III capite 3, Eutropius lib. V Velleius et alii. FABR.

2. *C. Manilius consul et Q. Cæpio proconsule.* Ita hæc in nostris exemplaribus scriptis omnibus leguntur, nisi quod pro *Manilio*, quem Gualtheri liber agnoscit, alii *Manlium* habent, Manilius hoc anno consul erat; Cæpio, qui anno superiore consul fuerat, jam prorogato imperio proconsul erat. Recte igitur Sigonius in Liviana Epitoma restituit: *Ab iisdem hostibus C. Manilius consul, et Q. Cæpio proconsul victi prælio, castrisque binis exuti sunt.* In no-

sul et Q. Cæpio proconsule adversus Cimbros et Teutonas et Tigurinos et Ambronas, Gallorum Germanorumque gentes, quæ tunc, ut imperium Romanum exstinguerent, [3] conspiraverant, missi, provincias sibi Rhodano flumine medio diviserunt. Ubi dum inter se gravissima invidia et [4] contentione disceptant, cum magna ignominia et periculo Romani nominis victi sunt : siquidem in ea pugna [5] M. Aurelius consularis captus atque interfectus est. Duo filii consulis cæsi, octoginta millia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, [6] quadraginta millia calonum atque lixarum interfecta, Antias scribit. Ita ex omni penitus exercitu decem tantummodo homines, qui miserum nuntium ad augendas miserias reportarent, superfuisse referuntur. Hostes, binis castris atque ingenti præda potiti, nova quadam atque insolita exsecratione, cuncta **328** quæ ceperant, pessumdederunt. Vestis discissa et projecta est, aurum argentumque in flumen abjectum, loricæ virorum concisæ, phaleræ equorum disperditæ, equi ipsi gurgitibus immersi, homines laqueis collo inditis ex arboribus suspensi sunt ita, ut nihil prædæ victor, nihil misericordiæ victus agnosceret. Maximus tunc Romæ non solum luctus, verumetiam metus fuit, ne confestim Cimbri Alpes transgrederentur Italiamque delerent. Iisdem temporibus [7] Q. Fabius Maximus filium suum adolescentem, [8] rus relegatum, cum duobus servis parricidii ministris interfecit, ipsosque continuo servos in pretium sceleris manumisit. Die dicta, Cn. Pompeio accusante, damnatus est. Igitur Marius quartum consul, [9] cum juxta Isaræ Rhodanique flumina, [10] ubi in sese confluunt, castra posuisset, Teutones, Cimbri, et Tigurini et Ambrones, postquam continuo triduo circa Romanorum castra pugnarunt, si quo pacto eos excuterent vallo, atque [11] in æquor effunderent, tribus agminibus Italiam petere destinarunt. Marius, post digressum hostium, castra movit, et collem occupavit, qui campo et fluvio, ubi hostes sese diffuderant, imminebat. Cumque exercitui ejus [12] aqua ad potandum **329** deesset, querelisque omnium coargueretur, aquam quidem in conspectu esse respondit, sed eam ferro vindicandam. Primis itaque calonibus cum clamore in pugnam ruentibus, subsecutus exercitus, mox juxto certamine compositis ordinibus bellum gestum, et vicere Romani. Quarto die rursus productæ utrimque in campum acies usque ad meridiem pene pari pugnavere discrimine. Post ubi incalescente sole fluxa Gallorum corpora in modum nivium distabuerunt, usque in noctem cædes potius quam pugna protracta est. [13] Ducenta millia armatorum in eo bello interfecta sunt, octoginta millia capta, [14] vix tria fugisse referuntur. Dux quoque eorum [15] Teutobodus occisus est. [16] Mulieres eorum, constantiore animo [17] quam si vicissent, consuluere consulem, ut, si inviolata castitate [18] virginibus sa-

HAVERCAMPI NOTÆ.

stro manuscripto Eutropio initio lib. v duæ voces, *Romani consules*, non leguntur, et recte absunt. Apud Velleium ego lego : *Cum Cæpionem Manliumque cos.* non, ut est impressum *coss.* FABR.

3. *Conspiraverant.* Flor. pr., *conjuraverunt.*

4. *Contentione disceptant.* Alii libri, *dissertant.* malim tamen *decertant.* LAUT. — In ed. Aug. legitur *decertant.* Edd. Venetæ pro *ubi* exhibent *ibi.*

5. *M. Aurelius.* M. Aurelium Scaurum intelligit, qui ante triennium consul fuerat, Livius lib. LXVII vulgo mendose *M. Æmilius* legitur. FABR.

6. *Quadraginta.* Edd. quædam, LX *millia.* Mox quidam mss. malunt *scripsit.*

7. *Q. Fabius Maximus filium.* Fabius Servilianus, vir censorius, a filio dubiæ castitatis pœnas exegit, et punito pependit, voluntario secessu conspectum patriæ vitando. Valer. lib. VI, cap. 1. FABR.

8. *Rus.* Perizon., *rure.* Paulo ante idem, *qui filium suum.*

9. *Cum juxta Isaræ Rhodanique flumina.* Sic habent lib. vet. omnes. Plutarchus in Mario, τειχίσας στρατόπεδον παρὰ τῷ Ῥοδανῷ ποταμῷ, *castris munitis ad Rhodanum flumen.* FABR.

10. *Ubi in sese confluunt.* Confluvium illud est post Viennam ad Segalaunos, non procul a Valentia. In codice autem Lugd. Bat. pr. legitur quidem *Isaræ*, sed superscribitur, legendum esse *Araræ.* At fluvius Arar longius in Galliam recedit, atque ibi confluvium cum Rhodano facit juxta urbem Lugdunum. Movit autem Marius a confluente Isaræ et Rhodani versus Alpes et Italiam, hostium, qui eam petebant, tergis inhærens, usque ad Aquas Sextias sive Sextilias, ut Plutarchus docet, ibique immani strage hostem superavit. Verba Plutarchi sunt in Mario p. 415 : Οὕτω δὴ προϊόντες, ἐγένοντο πρὸς τοῖς καλουμένοις ὕδασι Σεξτιλίοις, ὅθεν ἔδει πορευθέντας οὐ πολλὴν ὁδὸν, ἐν ταῖς Ἄλπεσιν εἶναι. *In hunc modum agmine facto, ad Aquas Sextilias, quas vocant, ventum est, unde progressis breve iter restabat ad Alpes.*

11. *In æquor.* Ita Colon. diserte; quodque hujus locum occupabat, *in æquos campos*, a mera glossa profectum est. LAUT. — Id sane verissimum comperi, et in nullis mss. Glossam hanc exstare; *æquor* enim hic campum planum significat, placido æquori similem, estque imitatio Virgiliana satis aperta ex lib. IX Æneid. vers. 68 :

> Qua tentet ratione aditus, et qua via clausos
> Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.

Pro *effunderet* plerique mss. habent *refunderet.*

12. *Aqua ad potandum deesset.* Hæc omnia accurate simul et copiose a Plutarcho explicata sunt. FABR.

13. *Ducenta millia armat.* Idem numerus cæsorum et captorum est apud Eutropium. In Epitoma Liviana LXVIII capta dicuntur millia XC. Plutarchus ait cæsorum et captorum fuisse amplius centum millia. Velleius amplius CL *millia hostium trucidata* refert. FABR.

14. *Vix tria millia.* Tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. *vix quatuor millia.*

15. *Teutobodus.* In quibusdam antiquis est *Teutodobus*, sed in Eutropii libris est *Teutobodus*, apud Florum *Teutobochus.* FABR.

16. *Mulieres eorum.* Lege Valerium Max. lib. VI, cap. 1. FABR.

17. *Quam si vicissent.* Non placet hæc lectio ; tamen, ut sine opibus codicum scribam, *si viri essent*, non ausim, priusquam codices, doctique jubeant. LAUT.

18. *Virginibus sacris.* Id est Vestalibus. In Indice autem amplissimo, qui Flori melioribus adnectitur edd. reprehenditur Orosius, cujus, vel certe librarii incuria aut inscitia, vocem *virginibus* importune additam auctor ejus Indicis existimat, quia, si vox illa inducatur, idem Orosii atque Flori sit sensus. Flori

cris ac diis serviendum esset, vitam sibi reservarent. Itaque cum petita non impetravissent, parvulis suis ad saxa collisis, cunctæ sese ferro ac suspendio peremerunt. [19] Hæc de Tigurinis et Ambronibus gesta sunt. Teutones autem et Cimbri, integris copiis Alpium nives demensi, Italiæ plana [20] pervaserant : ibique cum **330** rigidum genus diu blandioribus auris, poculis, cibis ac lavacris emolliretur, Marius quintum consul et Catulus adversum eos missi, die ad pugnam et campo dato, [21] Annibalis secuti ingenium, in nebula disposuere pugnam, in sole pugnarunt. Prima siquidem perturbatio Gallorum fuit, quod Romanam aciem prius offendere dispositam, quam adesse senserunt. Cumque illico vulnerati equites retro in suos cogerentur, totamque multitudinem [22] indisposite adhuc adventantem conturbarent, [23] et sol cum vento [24] ortus ex adverso emicuisset, visus eorum pulvis [25] opplevit et splendor hebetavit, ita factum est, ut tanta ac tam terribilis multitudo, minimą Romanorum clade, sua autem ultima internecione cæderetur. Centum quadraginta millia eorum tunc in bello cæsa, [26] sexaginta millia capta dicuntur. Mulieres graviorem pene excitavere pugnam, [27] quæ plaustris in modum castrorum [28] circumstructis, ipsæ autem desuper propugnantes, diu repulere Romanos. Sed cum ab his novo cædis genere terrerentur (abscissis enim cum crine verticibus, inhonesto satis vulnere turpes relinquebantur) [29] ferrum quod in hostes sumpserant, in se suosque verterunt. Namque aliæ concursu mutuo [30] jugulatæ, aliæ apprehensis invicem faucibus strangulatæ, aliæ funibus per equorum crura consertis, ipsisque continuo equis extimulatis, postquam suas iisdem funibus, quibus equorum crura nexuerant, indidere cervices, protractæ atque exanimatæ sunt, aliæ laqueo [31] de subrectis plaustrorum temonibus pependerunt. [32] Inventa **331** est etiam quædam, quæ duos filios, trajectis per colla eorum laqueis, ad suos pedes vinxerit : et cum se ipsam suspendio morituram [33] dimisisset, secum traxerit occidendos. Inter hæc multa et miserabilia mortis genera, reguli quoque duo strictis in se gladiis concurrisse referuntur. [34] Lugius et Boiorix reges in acie ceciderunt. [35] Claodicus et [36] Cesorix capti sunt. Ita in his duobus prœliis trecenta quadraginta millia Gallorum occisa, et [37] centum quadraginta millia capta sunt, absque innumera mulierum multitudine, quæ se suosque parvulos femineo furore, vi autem virili necaverunt. Igitur talem Marii triumphum Romanamque victoriam incredibile facinus, et numquam antea Romanis cognitum, Romæ subito perpetratum, versa in horrorem ac mœrorem [38] tota Urbe, fuscavit. [39] Poblicius siquidem Malleo-

HAVERCAMPI NOTÆ.

verba sunt lib. III. cap. 3 : *Nam, cum missa ad Marium legatione, libertatem ac sacerdotium non impetrassent*, etc. Sed vir doctus non attendit ad illa Val. Maximi lib. VI, cap. 3 : *Teutonorum vero conjuges Marium victorem orarunt, ab eo ut virginibus Vestalibus dono mitterentur, affirmantes, æque se atque illas virilis concubitus expertes futuras.* Et ego quidem posteriora hæc petivisse Cimbricas mulieres existimo, non ipsum sacerdotium, absurda ejusmodi postulantes, sed, ut famulæ Vestalium atque sacrorum essent, adeoque ea quæ erant et victis et victoribus tolerabilia. Edd. quædam Vett. ita legunt, *petierunt a consule, ut inviolata castitate, virginibus sacris ministrare fas esset, quo vitam sibi reservarent.* Sed mss. vulgatam lectionem probant.

19. *Hæc de Tigurinis et Ambronibus.* Livius, Florus et Plutarchus Teutonas cum Ambronibus conjunxunt, eosque a Mario cæsos ad Aquas Sextias, Cimbros vero a Mario et Catulo in Italia victos, Tigurinos, qui Noricas Alpes insederant, fuga dilapsos tradunt. FABR.

20. *Pervaserant.* Sic mss. numero plures, legunt, ut et ed. Aug. Alii, *pervaserunt.*

21. *Annibalis secuti ingenium.* Vide Frontinum lib. II, cap. 2. FABR.

22. *Indisposite adhuc adventantem.* Tres Lugd. Batt. et Coll. Gronov., *indispositam et adhuc adventantem.*

23. *Sol cum vento ortus.* De hac re Plutarchus, qui scribit cum Cimbris pugnatum a. d. III K. Sextil. FABR.

24. *Ortus*, Lugd. Bat. tert., cum Coll. Gronov., *exortus.*

25. *Opplevit.* Flor. pr., *implevit.*

26. LX *millia capta.* LX, non XL, est in vetustis nostris : item apud Livium et Eutropium. Plutar., ἑάλωσαν ὑπὲρ ἓξ μυριάδας, *capti sunt supra* LX *millia.* FABR. — Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. augent ad LXX *millia.*

27. *Quæ plaustris.* Edit. August., *namque plaustris.*

28. *Circumstructis.* Ita scriptum in omnibus codd. mss. inveni. Sic quoque malunt edd. vett. *circum instructis* vulgo legitur.

29. *Ferrum.* Edd. Fabricianæ *ferro*, quæ inepta lectio quoque in Hitt. et Bolsuing. invenitur.

30. *Jugulatæ.* Ed. Aug.. *jugulatæ sunt.*

31. *De subrectis.* Cod. Perizon., *de subjectis.* Lugd. Batt. pr. et tert., *desuper erectis.* Vulgata proba est.

32. *Inventa est etiam quædam.* De hac muliere Plutarchus; Μίαν δέ φασιν ἐξ ἀκροῦ ῥυμοῦ κρεμαμένην, τὰ παιδία τῶν αὐτῆς σφυρῶν ἀφημμένα βρόχοις ἑκατέρωθεν ἠρτῆσθαι. Id est : *Unam aiunt de summo temone suspensam, filios pedibus ejus laqueis alligatos utrimque pependisse.* FABR.

33. *Dimisisset.* Malo *demisisset.*

34. *Lugius.* Ita nomen hoc scriptum inveni in codd. Perizon., Meo, atque Lugd. Bat. quarto, editum quoque ita in ed. August., et videtur barbaro magis convenire quam Romanum nomen *Lucius*, quod vulgatæ edd. habent.

35. *Claodicus.* Scriptura hæc est trium codd. Florenti. et Ultr. in Meo legitur *Claoclicus ;* in Perizon., *Cludicus ;* in vulgg., *Claudicus ;* in Lugd. Bat. pr., *Claudius.*

36. *Cesorix.* Lugd. Bat. pr. *Cessotrix ;* tert., *Cessorix.*

37. *Centum quadraginta millia.* Ed. Aug., *centum sexaginta millia.* Occisorum vero *trecenta quinquaginta milllia* numerant edd. Venetæ.

38. *Tota Urbe.* In Lugd. Batt. pr., tert. et quarto, ut et Coll. Gronov. desideratur *tota.*

39. *Poblicius siquidem Malleolus.* De hoc Poblicio Cornificius ad Herennium lib. I. *Malleolus judicatus est matrem necasse, ei damnato statim folliculo lupino os obvolutum est, et soleæ ligneæ pedibus inductæ sunt, et in carcerem ductus est.* Hic fuit e nobili familia, ex qua M. *Poblicius Malleolus* consul anno Urbis DXXI in Capitolinis Fastis invenitur. In Livii vetustis exemplaribus est etiam, *Poblicius Malleolus*, ut testatur Sigonius. FABR.

lus, servis adnitentibus, matrem suam interfecit. Damnatus parricidii, [40] insutusque in culleum et in mare projectus est : impleverunt Romani [41] et facinus et pœnam, [42] unde et Solon Atheniensis decernere non ausus fuerat, dum fieri posse non credidit : et Romani, qui se ortos a Romulo scirent, etiam hoc fieri posse intelligentes, supplicium singulare sanxerunt.

332 CAPUT XVII.

De ingenti Romæ seditione, auctoribus L. Appuleio Saturnino, C. Mario, cæterisque orta.

[1] Anno ab Urbe condita DCXLV, post Cimbricum et Teutonicum bellum, et quintum Marii consulatum, quo status imperii Romani jure conservatus judicatur, sexto consulatu ejusdem C. Marii ita labefactatus est, ut pene usque ad extremum intestina clade conciderit. Evolvere ac percurrere mihi discordiarum ambages et inextricabiles seditionum causas incommodum simul ac longum videtur : sane breviter strinxisse sufficiat quod primus L. Appuleius Saturninus excitati tumultus auctor exstiterit, Q. Metello Numidico, viro sane primario, acerrimus inimicus, [2] qui eum censorem creatum protractum domo, atque in Capitolium [3] confugientem, armata multitudine obsedit, unde equitum Romanorum indignatione dejectus est, plurima ante Capitolium [4] cæde facta. [5] A. Nonium deinde, competitorem suum, Saturninus et Glaucia fraude C. Marii consulis occiderunt. Subsequente anno Marius sextum consul, et Glaucia prætor, et Saturninus [6] tribunus plebis con- C giens, cum L. [17] Geganio interfectus est. Itaque aspiraverunt Metellum Numidicum in exsilium quacumque vi agere. [7] Die dicta, a suppositis ejusdem factionis judicibus per scelus innocens Metellus damnatus, in exsilium cum totius Urbis **333** dolore discessit. [8] Idem Saturninus Memmium virum acrem et integrum, fieri consulem timens, orta subito seditione fugientem per [9] P. Mettium satellitem informi stipite comminutum interfecit. Fremente pro tantis reipublicæ malis senatu populoque Romano, Marius consul, accommodato ad tempus ingenio, consensui bonorum sese immiscuit, commotamque plebem leni oratione sedavit. Saturninus [10] infamibus ausis concionem domi suæ habuit, ibique ab aliis rex, ab aliis imperator est appellatus. Marius, manipulatim plebe descripta, B [11] alterum consulem cum præsidiis in colle disposuit, ipse portas communivit. In foro prælium commissum est. Saturninus a Marianis foro pulsus, in Capitolium confugit. [12] Marius fistulas, quibus eo aqua deducebatur, incidit. Bellum deinde in aditu Capitolii horridum satis actum est, multi [13] circa Saufeium et Saturninum cæsi, Saturninus, palam clamitans, Marium auctorem esse omnium molitionum suarum contestatus est. Cum autem ipse Saturninus et Saufeius et Labienus, cogente Mario, [14] in curiam confugissent, per equites Romanos, effractis foribus, occisi sunt. C. Glaucia extractus [15] e domo Claudii, trucidatus est. [16] Furius, tribunus plebis, bona omnium publicanda decrevit. Cn. Dolabella, Saturnini frater, per forum olitorium fu-

HAVERCAMPI NOTÆ.

40. *Insutusque in culleum.* De hac pœna parricidarum Modestinus c. 9. D. de lege Pompeia de parricidiis. Meminit Cicero pro Roscio Amerino. FABR.

41. *Et facinus et pœnam.* Cum conjunctionem et utroque loco ponant mss. eam contra vulgg. recepi.

42. *Unde et Solon.* Sensus est, impleverunt Romani et facinus et pœnam ejus rei, de qua Solon, etc.; *unde et Solon* Florentt. trium aliorumque meliorum codd. est scriptura, nam conjunctio et in vulgg. non comparet. Lugd. Bat. sec., *unde hoc et Solon;* ed. Aug., *unde et hoc Solon.* Aliæ vett. ed., *de qua re Solon,* quæ glossa est vocis *unde.*

CAP. XVII. — 1. *Anno* DCXLV. Sextus Marii consulatus ex aliis Annalibus cadit in annum DCLIII. FABR.

2. *Qui eum censorem.* Q. Metellus censor, Mario v consule, Saturninum Tribunicium notavit, tumque a multitudine incitata contumeliis affectus fuit, Cicero pro Sextio, Valerius lib. IX, cap. 7, Appianus D lib. I. FABR.

3. *Confugientem.* Mss. et edd. quidam *fugientem.*

4. *Cæde facta.* Lugd. sec. et tert., cum Coll. Gronov., *cædes acta,* subintellecto *est.*

5. *A Nonium.* Ita scripsi, cum in manuscriptis quibusdam *Annonium,* in aliis *Anunium* legeretur. Nam Appianus hunc Νώνιον vocat, et in Plutarchi Mario ὁ Ὀνίου φόνος, pro ὁ Νυνίου mendose legitur. Corrupte etiam apud Florum lib. III, cap. 16, est *Annio,* una littera omissa, cum sit legendum, *A. Nonio.* FABR. — *Annium* hic quoque habet Perizon. reliqui *Anunium* vel *Annonium.*

6. *Tribunus plebi.* Ita Colon. et non semel Livius, pro *plebis.* LAUT. — Ita passim mss. Orosiani exhibent.

7. *Die dicta.* Diem Metello Saturninus dixit, quod in ejus legem agrariam jurare noluisset. Cicer. pro Sext. Liv. lib. LXIX, Appianus, Plutarchus et alii. FABR.

8. *Idem Saturninus.* Lugd. Bat. pr. *inde Saturninus.*

9. *P. Mettium.* In hoc nomine describendo secutus sum optimum librum Cor. Gualtheri. FABR. — Perizon. et Meus, *P. Metium.* Lugd. Batt., *Publium Vectoium.*

10. *Infamibus ausis.* Ita mss. non *ausibus* ut Vulgg.

11. *Alterum consulem.* L. Valerium Flaccum. Nam C. Mario, L. Valerio coss., senatus Remp. defendendam dederat, Cicero Catil. I, Philip. VIII. Sed historiam pleniorem lege in Orat. pro Rabirio perduellionis reo. FABR.

12. *Marius fistulas.* Cicero : *Marius fistulas, quibus aqua suppeditabatur Jovis Opt. Max. templis ac sedibus, præcidi imperavit.* Plutarchus, τοὺς ὀχετοὺς ἀπέκοψεν. FABR.

13. *Circa Saufeium. C. Saufeium.* Cicero, Γαΐου Σάφηον, Appianus. FABR. — Copulam *quæ* expunxi ex mss.

14. *In curiam. In curiam Hostiliam,* Velleius Paterc. FABR.

15. *E domo.* Lugd. Batt. omnes cum Coll. Gronov. *de domo.*

16. *C. Furius Tribunus plebis.* Πόπλιος Φούριος δήμαρχος οὐ δ' ἐλευθέρου πατρὸς, ἀλλ' ἐξελευθέρου. *P. Furius Tribunus p. ne patre quidem ingenuo, sed libertino natus,* Appianus, Cicero, pro Rabirio, *hominem omnibus insignem notis turpitudinis* appellat. FABR.

17. *L. Geganio.* Nota est gens Gegania in historia Romana, ex qua fuit M. Geganius ter consul tempore belli Romanorum cum Volscis; habuerunt hi Geganii quoque prænomen Lucii, ut L. Geganius

334 auctoribus tantæ seditionis occisis, quies populo fuit. Tunc Cato atque Pompeius rogationem de reditu Metelli Numidici totius Urbis gaudio promulgarunt : [18] quæ ne perferretur, Marii consulis, et Furii, tribuni plebis, factionibus intercessum est. [19] Rutilius quoque, vir integerrimus, adeo fidei atque innocentiæ constantia usus est, ut die sibi ab accusatoribus dicta, usque ad cognitionem neque capillum barbamve promiserit, neque sordida veste humilive habitu suffragatores conciliarit, inimicos permulserit, judices temperarit, orationem quoque a prætore concessam nihilo submissiorem quam animum habuerit. Cum evidenti oppugnaretur calumnia, et opinione bonorum omnium jure absolvendus putaretur, perjurio judicum condemnatus est : [20] qui Smyrnam commigrans, litterarum studiis intentus consenuit.

335 CAPUT XVIII.

De bello sociali, quo Italici populi a Romanis deficientes rebellarunt. Item de prodigiis variis.

[1] Anno ab Urbe condita DCLIX, Sex. Julio Cæsare et L. Marcio Philippo consulibus, intestinis causis sociale bellum [2] tota commovit Italia, siquidem Livius Drusus, tribunus plebis, Latinos omnes spe libertatis illectos, [3] cum placita explere non posset, in arma excitavit. [4] Eo accessit, ut mœstam Urbem [5] prodigia dira terrerent. Nam sub ortu solis globus ignis a regione septentrionis cum maximo cœli fragore emicuit. Apud Arretinos cum panes per convivia frangerentur, cruor e mediis panibus, quasi e vulneribus corporum fluxit. Præterea per septem continuos dies grando lapidum, immixtis etiam testarum fragmentis, terram latissime verberavit. In Samnitibus vastissimo hiatu terræ, flamma prorupit, et usque in cœlum extendi visa est. Complures præterea in itinere videre Romani globum coloris aurei, cœlo ad terram devolvi, majoremque factum, rursus a terra in sublime ad Orientem solem ferri, ac magnitudine sua ipsum solem obtexisse. [6] Drusus tantis malis anxius, domi suæ, incerto quidem auctore, interfectus est. **336** Igitur Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani, cum adhuc occultam defectionem meditarentur, [7] C. Servilium prætorem, legatum ad se missum, apud Asculum occiderunt, statimque clausa civitate, omnes cives Romanos [8] indicta cæde jugulaverunt. Continuo atrocissimam perniciem [9] infamissima præcessere prodigia. Namque omnium generum animalia, quæ manus hominum blande perpeti, atque inter homines vivere solita erant, relictis stabulis pascuisque, cum balatu, hinnitu, mugituque miserabili, ad sylvas montesque fugerunt. Canes quoque, [10] quorum naturæ est extra homines esse non posse, lacrimosis ululatibus vagi luporum ritu oberrarunt. Igitur Cn. Pompeius prætor cum Picentibus jussu senatus bellum gessit, et victus est; postquam sibi Samnites [11] Papium Mutilum imperatorem præfecerant, Marsi autem Agamemnonem archipiratam præoptaverant. [12] Julius Cæsar, Samnitium pugna victus,

HAVERCAMPI NOTÆ.

Macerinus tribunus militum consulari potestate A. U. C. CCCLXXXVIII. Frustra igitur in tribus Florentt. scribitur *L. Giganius*.

18. *Quæ ne perferretur*. Mss. numero plures, *quod ne perficeretur*. Florentt. tres propius ad veram lectionem, *quæ ne perficeretur*.

19. *Rutilius, vir integerrimus*. P. Rutilius Rufus, qui cos. fuit an. DCXLVIII, cum illo nemo neque integrior esset in civitate, neque sanctior, conspiratione publicanorum (quibus nihil agere in Asia provincia sua permiserat) in judicium vocatus, Socratem imitatus, nemini supplicare voluit, sed ne ornatius quidem aut liberius causam dici suam, quam simplex ratio veritatis ferebat. Lege Ciceronem libr. I de Orat. et in Bruto, Valer. lib. VI, cap. 4, Ascon. Velleium et alios. FABR.

20. *Qui Smyrnam commigrans*. Hinc Ovid. lib. I de Ponto :

> Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
> Non usi reditus conditione dati,
> Smyrna virum tenuit, etc.

Rutilium vero cum Smyrnæ exsularet, civitatis ejus civem factum fuisse, Cicero pro Balbo auctor est. FABR.

CAP. XVIII. — 1. *Anno ab Urb. cond.* DCLIX. In Fastis Capit. hic annus est ab Urb. cond. DCLXII quo *M. Livius Drusus* Tribunuspl. seditionem commovit, qua de Livius lib. LXXI, Appian. lib. I, Florus lib. III, cap. 17, Velleius libro II. Lege Præfationem Ciceronis in tertium de Oratore. FABR.

2. *Tota commovit Italia*. Mss. quidam et edd. minus recte, *totam commovit Italiam*.

3. *Cum placita explere non posset*. Florentt. tres, *cum placito*, et sic quoque Meus codex et edd. Venetæ. *Placitum explere* Lugd. Batt. sec., Ultr. et ed. August.; sed tres reliqui Lugd. Batt. cum Coll. Grono., *placitum expugnare*. Puto legendum esse, *cum pollicita explere non posset*. Epitome Liv. lib. LXXI, de eodem Livio Druso : *Cum deinde promissa sociis civitas præstari non posset*.

4. *Eo accessit*. Ita mss.; *quo*, edd. vett.; Perizon., *eoque*.

5. *Prodigia dira*. De his prodigiis Julius Obsequens. Cicero quoque libr. I de Divinat. refert nonnulla prodigia, quæ Sisenna initio belli Marsici exposuerat. FABR.

6. *Drusus tantis malis anxius*. Drusus in atrio domus suæ cultello percussus, qui affixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit, Velleius. Seneca de Brevit. vitæ ait, illum *vulnere per inguen accepto* collapsum, aliquo dubitante, an mors voluntaria esset in illo, an tempestiva. Lege præterea Plinium lib. XXVIII, cap. 9, et Auctorem de Viris Illustr. FABR.

7. *C. Servilium. C. Servium*, vulgo mendose habent libri, idemque mendum est in Velleio. Livius lib. LXXII, *Q. Servilium proconsulem*; Appianus, Σερουΐλιον ἀνθύπατον vocat. FABR.

8. *Indicta cæde*. I. e. jussa, quæ crebra apud auctores hujus verbi significatio est. Quod moneo, ne quis cum Freinshemio ad Flori lib. III, cap. 18, tentet mutare in *indigna*.

9. *Infamissima*. Meus, *infandissima*.

10. *Quorum naturæ est*. Ita reponere jubent codd. mss. meliores. Vulgg., *quorum natura est*.

11. *Papium Mutilum. Papius Mutilius* est apud Velleium; sed Appianus Γαΐον Πάπιον Μότιλον, nominat; Diod. in Excerptis lib. XXXVII, Γαΐον Ἀπώνιον Μότυλον. FABR.

12. *Julius Cæsar. L. Julius Cæsar* cos., pro quo Appianus *Sex. Cæsarem* habet. Vide Livium lib. LXXIII. FABR.

cæso fugit exercitu. Rutilius consul Marium proquinquum suum legatum sibi legit : quem assidue submonentem moram bello utilem fore, et paulisper in castris exerceri militem oportere tironem, dolo id eum agere ratus contempsit, seseque in insidias Marsorum, et universum agmen exercitus sui incautus injecit, ubi et ipse consul occisus, et multi nobiles interfecti, et octo millia Romanorum cæsa sunt. Arma et corpora interfectorum in conspectum Marii legati [13] Tolenus fluvius pertulit, atque in testimonium **337** cladis evexit. Marius raptis continuo copiis, victores [14] insperatus oppressit, octo millia et ipse Marsorum interfecit. Cæpio autem a Vestinis et Marsis deductus in insidias, cum exercitu trucidatus est. L. vero Julius Cæsar, postquam apud Æserniam victus aufugerat, contractis undique copiis, adversus Samnites et Lucanos dimicans, multa hostium millia interfecit. Cumque ab exercitu imperator appellatus esset, Romamque nuntios de victoria misisset, senatus sagum, hoc est, vestem mœroris, quam exorto sociali bello sumpserat, hac spe arridente deposuit, atque antiquum togæ decorem recuperavit. [15] Marius deinde sex millia Marsorum cecidit, septem millia armis exuit. Sulla cum viginti quatuor cohortibus Æserniam missus, ubi arctissima obsidione Romani cives et milites premebantur, maximo bello et plurima cæde hostium urbem sociosque servavit. Cn. Pompeius Picentes gravi prælio fudit, qua victoria [16] senatus laticlavia et cætera dignitatis insignia recepit, cum togas tantummodo victoria Cæsaris primum [17] respirans sumpsisset. Porcius [18] Cato prætor Etruscos, Plotius legatus Umbros, plurimo sanguine impenso, et difficillimo labore vicerunt. Cn. Pompeio, L. Porcio Catone consulibus, Pompeius diu obsedit Asculum civitatem : [19] nec tamen expugnavisset, nisi populum in campum prorumpentem, gravissima oppressione vicisset. Decem et octo millia Marsorum in ea pugna cum Franco imperatore suo cæsa sunt, capta tria millia. Quatuor autem millia [20] Italici viri ex ea cæde profugi, **338** jugum montis coacto in unum agmine [21] forte conscenderant : ubi oppressi exanimatique nivibus, [22] miserabili morte riguerunt. [23] Namque ita ut attoniti timore hostium steterant, alii stirpibus vel saxis reclines, alii armis suis innitentes, patentibus cuncti oculis, dentibusque nudatis, viventium in modum visebantur : nec ullum erat procul intuentibus mortis indicium, nisi diuturna immobilitas, quam nullo modo humanæ vitæ vegetatio diu perpeti potest. Eadem die Picentes congressi et victi sunt, quorum [24] dux Judacilius, convocatis [25] principibus suis, post magnificas epulas largaque pocula, cunctos ad exemplum sui provocans, hausto veneno absumptus est, cunctis factum ejus laudantibus, sed nemine subsequente. Anno ab Urbe condita DCLXI, cum [26] ad obsidendos Pom-

HAVERCAMPI NOTÆ.

13. *Tolenus fluvius.* Appianus scribit Rutilium et Marium ad *Lirim* fluvium non ita magno intervallo disjuncta castra habuisse, Mariumque cladem Rutilii ex cadaveribus, quæ eo flumine deferebantur, conjecisse. FABR.

14. *Insperatus oppressit. Insperatos* male ex historia. LAUT.— Lugd. Batt. omnes *insperatus*, i. e. repentinus, non prævisus, inopinatus. Cicero III Tusc. Quæst. cap. 13 : *Cyrenaici non omni malo ægritudinem effici censent, sed insperato, et nec opinato malo.*

15. *Marius deinde sex millia.* Hujus prælii, quo Marius sex millia hostium cæcidit, meminit Plutarchus in ejus Vita. FABR.

16. *Senatus laticlavia.* Sic libri vett. Livius lib. LXXIV ait propter hanc victoriam Romæ prætextas, aliaque magistratuum insignia sumpta esse. FABR.

17. *Primum respirans.* In omnibus legitur mss. et edd., *primum respirante*, nisi quod vett. quædam edd. legant *de victoria*, etc. Cod. Perizon., *victoria Cæsaris prima.* Puto esse scribendum *respirans.* Senatus enim ante, victoria Cæsaris primum a malis et ægritudine respirare cœpit, nunc vero, post illam Cn. Pompeii, bonum eventum sibi spondere. In margine ed. Scotti legitur quidem *respirante civitate*, sed contra mss. integram largiendo vocem.

18. *Cato prætor Etruscos.* Hæc quoque vulgo confuse leguntur, quæ in exemplaribus antiquis sunt distincta. Vide Livium. FABR.

19. *Nec tamen.* Ed. August., *quam non.*

20. *Italici viri.* Reduximus lectionem, quæ in omnibus invenitur mss., approbante eam ed. opt. Augustana. Vulgo, invitis antiquis codd. legebatur, *Quatuor autem millia Italicorum virorum ex ea cæde profugorum*, etc.

21. *Forte conscenderant.* Florentini tres *forte consederant*, nisi quod *forte* a primo Flor. abest. Quæ lectio satis proba est, si pro *jugum* reponamus *jugo*, ut in ed. Aug. invenio, in qua tamen *conscenderant* retinetur. In Lugd. Bat. pr. *forte* quoque abest.

22. *Miserabili morte riguerunt.* Supra de Annibale ejusque exercitu lib. IV, cap. 14 : *In summo Appennino tempestate correptus, biduo continuo immobiliter cum exercitu, nivibus conclusus et onustus, obriguit.*

23. *Namque ita*, etc. Non aliter quam illi, qui cum Phineo contra Perseum pugnantes, atque saxifico Medusæ vultu in lapides mutati, proximis vivere videbantur, apud Ovid. Metam. v. 211.

24. *Dux Judacilius.* Γαΐος Ἰουδακίλιος. Appian. qui eum *Asculi* venenum hausisse ait. FABR. — In cod. Longob. legitur *Vidacilius*, quod nomen et ad oram quarumdam edd. notatur.

25. *Principibus suis.* Posteriorem vocem delet Lugd. Bat. quart. eaque carere oratio potest. Pro *absumptus*, ed. pr. legit *consumptus est.*

26. *Ad obsidendos Pompeios.* Hæc est vera lectio, quam ex antiquis edd. sola retinuit ed. Augustana, et ascriptam in margine Hit. et Bolsuing. deteriore recepta, exhibent. Restituerunt Fabricius et Scottus, cum antea legeretur, *cum ad obsidendos Samnites Pompeius et Romanus esset exercitus.* Ex mss. pars hanc retinet lectionem, pars immutat. Meus, *cum ad obsidendos Samnitas Pompeius Romanusque isset exercitus.* Lugd. Bat. sec. et Ultr. *cum ad obsidendos Asculos Romanus isset* (vel *exisset*) *exercitus.* Lugd. Batt. pr., tert., quart. et Coll. Gron., *cum ad obsidendos Asculos Pompeius et Romanus isset exercitus.* Historia rei gestæ hæc est. A. U. C. DCLXI juxta Orosium, juxta Pighium vero DCLXV, coss. L. Cornelio Sulla et Q. Pompeio Rufo, bellum sociale gestum fuit in Campania, inter Sullam, consulem Romanum, et L. Cluentium, Italicorum, atque Mutilum, Samnitium ducem. Circumstantiæ pugnæ ex Appiano petendæ sunt, qui Bell. Civil. lib. I, p. 380, ita scribit : Λεύκιος δὲ Κλοέντιος Σύλλᾳ περὶ Πομπαῖα ὄρη στρατοπεδεύοντι μάλα καταφρονητικῶς ἀπὸ σταδίων τριῶν παρεστρατοπέδευε. *Lucius Cluentius Sullam ad Pompeianos montes castrametatum contemnere ausus, et ipse castra ad tertium inde stadium posuit.* Narrat deinde

peios **339** Romanus isset exercitus, et [27] Postumius Albinus, vir consularis, tunc L. Sullæ legatus, intolerabili superbia omnium in se militum odia suscitasset, lapidibus occisus est. Sulla consul civilem cruorem non nisi hostili sanguine expiari posse testatus est: [28] cujus rei conscientia permotus exercitus, [29] ita pugnam adortus est, ut sibi unusquisque pereundum videret, [30] nisi vicisset. [31] Decem et octo millia Samnitium eo prælio cæsa sunt; Juventium quoque, Italicum ducem, et magnum ipsius populum persecutus occidit. Porcius Cato consul, Marianas copias habens, cum aliquanta strenue gessisset, gloriatus est, C. Marium non majora fecisse: et ob hoc cum ad lacum Fucinum contra Marsos bellum gereret, [32] a filio C. Marii in tumultu belli, quasi ab incerto auctore, prostratus est. [33] C. Gabinius legatus in expugnatione hostilium castrorum interfectus est. Marrucini Vestinique, Sulpicio **340** legato Pompeii persequente, vastati sunt. [34] Pompædius et [35] Obsidius, Italici imperatores, ab eodem Sulpicio apud flumen Theanum horribili prælio oppressi et occisi sunt. Pompeius Asculum ingressus, præfectos, centuriones, cunctosque principes eorum virgis cecidit, securique percussit, servos prædamque omnem sub hasta vendidit, reliquos A liberos quidem, sed nudos et egentes, abire præcepit: et cum de hac præda opitulationem aliquam in usum stipendii publici senatus fore speraret, nihil tamen Pompeius ex ea egenti ærario contulit. Namque eodem tempore, cum penitus exhaustum esset ærarium, et ad stipendium frumenti deesset expensa, loca publica quæ in circuitu Capitolii pontificibus, auguribus, decemviris et flaminibus in possessionem tradita erant, cogente inopia, vendita sunt, et sufficiens pecuniæ modus, qui ad tempus inopiæ subsidio esset, acceptus est. Et quidem tunc [36] in sinum ipsius civitatis eversarum omnium urbium, nudatarumque terrarum abrasæ undique opes congerebantur, cum ipsa Roma [37] turpi adigente inopia, [38] præcipuas suis partes auctionabatur. Quambrem consideret tunc tempera sua, B cum quasi inexplebilis venter, [39] cuncta consumens et semper esuriens, cunctis urbibus, quas miseras faciebat, ipsa miserior, nihil relinquens, nihil habebat, et stimulo domesticæ famis ad continuationem bellicæ inquietudinis trudebatur. Iisdem temporibus rex Sothimus cum magnis Thracum auxiliis Græciam ingressus, cunctos Macedoniæ fines depopulatus est: tandemque a C. Sentio prætore superatus, redire in regnum coactus est.

HAVERCAMPI NOTÆ.

quomodo bis inter illos pugnatum fuerit, primaque pugna victus Sulla, secunda hostes vicerit, eosque ad Nolam usque urbem persecutus magna clade conciderit, sic ut triginta millia eorum in pugna atque fuga perierint, viginti insuper cum ipso Cluentio ante Nolæ portas ceciderint. Oppidum Pompeios eo tempore a Romanis oppugnatum fuisse, patet ex C verbis Vellei Paterculi lib. II, cap. 16, ubi atavi sui, Minatii Magii, commendans memoriam, de eo scribit, tanta illum, licet Asculanensem, fide fuisse in Romanos, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis *conscripserat*, *Herculaneum simul cum T. Didio caperet*, *Pompeios cum L. Sulla oppugnaret*, *Cosamque occuparet*. Ex Plinio discimus, eadem belli clade Stabias in Campano agro a Sulla deletas fuisse, lib. Hist. Natur. III, cap. 5, p. 157: *In Campano autem agro Stabiæ oppidum fuere usque ad Cn. Pompeium et L. Catonem consules, pridie kalend. Maii, quo die L. Sulla legatus bello sociali id deleret, quod nunc in villam abiit.* Patet inde Stabiarum calamitatem accidisse anno ante oppugnationem Pompeiorum.

27. *Postumius Albinus.* De hujus a Postumii Albini cæde Valerius lib. IX, cap. 8. FABR. — Nomen ejus integrum fuit A. Postumius Albinus. Quæ vero ejus superbia fuerit, penuria scriptorum, ignoramus, Valerius nullam in illo agnoscit, sed propter D falsas et inanes suspiciones, in castris ab exercitu lapidibus obrutum fuisse scribit.

28. *Cujus rei.* Perizon., *ejus rei.*

29. *Ita pugnam adortus est.* Vett. edd. *ita pugnam adorsus est.* Mss. Lugd. Bat. quartus, *ita in pugnam exortus est*, quæ ducere videntur ad lectionem hanc, quam præferunt ed. August. et mss. Lugd. Batt. pr. et sec., *ita pugnam exorsus est.*

30. *Nisi vicisset.* Codex Perizon., *nisi vinceret.*

31. *Decem et octo millia.* Sic editum in ed. August. et sic scribitur in tribus codd. Florentt. Mille plus numerant tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. In vett. edd., *duodeviginti millia.*

32. *A filio C. Marii.* Orosio hanc lucem debemus, qui scriptoribus hujus belli, quos jam desideramus, usus est. Eutrop. lib. V, cap. 3, p. 235: *P. Rutilius consul in eo occisus est: Cæpio, nobilis juvenis, et Porcius Cato, alius consul.* Appianus quoque simpliciter mortem ejus commemorat l. c. p. 380: Τοῦ δὲ αὐτοῦ χειμῶνος Κορνήλιος μὲν Κάτων, ὁ σύναρχος τοῦ Πομπηΐου, Μάρσοις πολεμῶν ἀνῃρέθη. *Eadem hieme Porcius Cato, Pompeii collega, Marcis bellum inferens, occisus est.* Præcessit igitur mors Catonis victoriam Sullæ, qui illi in consulatu et imperio successit.

33. *C. Gabinius. A. Gabinius* dicitur Livio lib. LXXVI, *Caii* prænomen ab uno manuscripto abest. FABR.

34. *Pompædius.* Ita est in Gualtheri libro. Appianus Κοΐντον Πομπάδιον appellat, qui in Livii et Velleii libris *Silo Popedius* dicitur. Apud Plutarchum in Apophthegmatis Πομπίου Σίλωνος, in Mario Ποπίου Σίλωνος, mendose legitur. Apud Diodorum recte, Κοΐντος Πομπαίδιος Σίλων. FABR. — *Q. Pompædius* quoque, non *Q. Popedius* legitur in ed. August.

35. *Obsidius.* Annotatione dignum est nomen quod huic superscribitur in membranaceo et antiquissimo codice, qui inter Lugd. Batt. primus est, *L. Opidius.* Obsidii autem vel Opidii solus meminit Orosius. In Samnio lapillum, nigerrimi coloris nasci, cui *Obsidianæ* nomen sit, unde ejusdem coloris vitrum *Obsidianum* dici, refert Plinius lib. XXXVI, cap. 26. Duces socialis belli, qui contra Romanos steterunt enumerat Freinshemius ad Florum lib. III, cap. 8.

36. *In sinum.* Malo *in sinum*, sicuti est in edd. pr. et Aug., mss. Meo et Perizon., quam *in sinus*, quod alii et edd. vulgg. habent.

37. *Turpi adigente inopia.* In ed. Aug. est *turpi vel indigente inopia.*

38. *Præcipuas sui partes.* Ms. Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., *quæ præcipua sui parte auctionabatur.*

39. *Cuncta consumens.* Cod. Perizon., *omnia consumens*, propter illud quod sequitur, ut credo *cunctis urbibus.*

341 CAPUT XIX.

De bello civili Mariano et Mithridatico, in quo Sulla et Marius maximos tumultus calamitatesque reipublicæ invexerunt.

[1] Anno ab Urbe condita DCLXII, nondum finito sociali bello, Romæ primum bellum civile commotum est : eodemque anno [2] Mithridaticum bellum, etsi minus infame, non tamen minus grave cœptum est. Et quidem de Mithridatici belli spatio varie traditum est, utrum abhinc primum cœperit, an tunc præcipue exarserit, maxime cum [3] alii triginta, alii quadraginta annis gestum [4] referant. Sed quamvis iisdem temporibus gesta perplexis coacervata malis exarserint, a me tamen speciatim, etsi breviter, singula proferentur. Marius, Sulla consule, [5] et contra Mithridatem in Asiam cum exercitu profecturo, [6] in Campania tamen propter socialis belli reliquias consistente, affectavit septimum consulatum, et bellum suscipere Mithridaticum, quo Sulla cognito, impatiens revera juvenis intemperataque ira percitus, cum quatuor legionibus primum ante Urbem consedit, ubi [7] Gratidium, Marii legatum, quasi primam victimam belli civilis occidit, mox Urbem cum exercitu irrupit, faces ad inflammandam Urbem poposcit. Omnibus metu abditis, per Sacram viam citato agmine in forum **342** venit. Marius cum permovere nobilitatem, inflammare plebem, equestrem denique ordinem perarmare adversus Sullam frustra [8] attentasset, postremo servis spe libertatis et prædæ ad arma sollicitatis, [9] nequidquam repugnare ausus, tandem in Capitolium concessit. [10] Sed cum eo Sullanæ cohortes irruissent, magna suorum cæde diffugit. Ibi tunc [11] Sulpicius, Marii collega, servo [12] suo prodente, prostratus est. Servum vero ipsum, quod hostem indicaverat, manumitti ; quod vero dominum prodiderat, saxo Tarpeio dejici consules decreverunt. Marius fugiens, cum persequentium instantia circumseptus esset, [13] in Minturnensium paludibus sese abdidit, e quibus infeliciter luto obli-

A

tus, ignominioseque protractus, turpi autem spectaculo Minturnas deductus, contrususque in carcerem ; percussorem ad se missum solo vultu exterruit. Deinde lapsus e vinculis, in Africam transfugit, [14] sollicitatoque ex Utica filio, [15] ubi in custodia observabatur, continuo Romam regressus, [16] Cinnæ consulis societate scelerum conjunctus est. Igitur ad profligandam **343** universam rempublicam, [17] exercitum sibi in quatuor partes diviserunt. Tres siquidem legiones Mario datæ, parti copiarum Cn. Carbo præpositus est, [18] partem Sertorius accepit : ille scilicet Sertorius, [19] jam hinc civilis belli incentor et particeps, qui etiam hoc finito, aliud post in Hispania

B

C

D

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. XIX. 1. *Anno ab Urbe condita* DCLXII. Ita numerat Eutrop. lib. v. Aliis est annus DCLXV, quo L. Cornelius Sulla, et Q. Pompeius Rufus consules fuerunt. FABR.

2. *Mithridaticum bellum.* Abest vox posterior ab ed. August. Mox *primum* in edd. prima et Venetis desideratur.

3. *Alii* XXX, *alii* XL. Si a Sulla et Pompeio numeres ad Pisonem et Messallam consules, quibus Pompeius confecto bello Mithridatico triumphavit, invenies annos XXVII. Sed Florus libro III, capite 5, scribit, Mithridatem annis XL restitisse : Appianus in Mithridatico ait hoc bellum gestum annis XLII. FAB.

4. *Referunt.* Sic scribo ex mss. tribus Lugd. Batt. Coll. Gronov. atque ed. August. Vulgo, *referant.*

5. *Et contra.* Copulam hanc, invitis mss. neglexerunt quædam edd. vett.

6. *In Campania tamen. Nola pertinacissime arma retinebat, excrcituque Rom. obsidebatur.* Velleius. FABR.

7. *Gratidium, Marii legatum.* Gratidium a Mario legatum missum ad Sullam, accipiendarum legionum causa, milites trucidarunt, Val. lib. IX, cap. 7, Plutar. in Mario scribit, missos ab ipso duos tribunos milit. qui Sullæ exercitum acciperent, eosque a militibus interfectos. FABR.

8. *Attentasset.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. *tentasset.* Supra pro *denique* edd. vett. nonnullæ *deinde.*

9. *Nequidquam repugnare ausus.* Ed. Aug., *neque quidquam repugnare ausus.*

10. *Sed cum eo.* Lugd. Batt. quatuor|et|Coll. Gronov., *sed cum in eum.* Mox *servorum* iidem, excepto secundo ms.

11. *Sulpicius, Marii collega.* P. Sulp. tribunus plebis legem tulerat, ut Mario bellum Mithridaticum decerneretur, atque auctor seditionis fuit, Liv. lib. LXXVII, Vellei. II, Valer. lib. VI, c. 5, Appian. lib. I. Plut. in Mario et Sulla, Cic. in Bruto, et alii. FABR.

12. *Suo.* Abest a Perizon.

13. *In Minturnensium pal.* Lege præter eos, quos nominavi, Cic. pro Sextio et in Pisonem. FABR.

14. *Sollicitatoque.* Ed. Aug., *Solutoque.* Præfero tamen Vulgatam, nam in libera custodia fuisse innuere videtur verbum *observabatur ;* præterea Sextilius, eo tempore Africæ prætor, nec amicus Mario nec hostis fuisse dicitur. Quare nihil violenter contra Marium seniorem egit, sed egresso in littus lictorem misit obviam, qui juberet, provincia decedere. Vide Plutarch. in Vita Marii p. 429. Ergo solvere filium ex custodia non potuit. Marius autem filius ipse e custodia clam aufugisse videtur. Nam quomodo in re subita et imparata, ultra mare nuntios ad filium pater captivus Minturnis mittere potuit? Marium juniorem una cum Cethego fuga pervenisse ad regem Numidiæ Hiempsalem scribit Plutarchus in Mario p. 428. Mandrestalem appellat Numidiæ istum regulum Appian. p. 388, a quo quantum deinde periculum Mariis et Marianis creatum fuerit, eorumque fugam mirabilem pete ex Plutarcho.

15. *Ubi in custodia.* Sic recte scribitur in Florent. pr. et tert. ut et cod. Med. At ed. Aug. habet *ubi is in custodia*, vulgg. *ubi is custodia.* Perizon. mox *servabatur.*

16. *Cinnæ consuli.* L. Cornelius Cinna consul cum Cn. Octavio fuit post Sullæ consulatum, a quibus bellum Octavianum commotum est, cujus meminit Cicero lib. II de Nat. Deor. Lege Plutarch. in Sulla, Appian. lib. I, Liv. LXXIX et LXXXVIII, Velleium, Flor., Eutrop., et alios. FABR.

17. *Exercitum sibi.* Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov. *exercitum sic in quatuor partes*, etc. Mox pro *siquidem* ed. Aug. *quidem.*

18. *Partem Sertorius.* De Q. Sertorio Plutarchus in ejus Vita. FABR.

19. *Jam hinc civilis belli*, etc. Revocavi pulcherrimam hanc lectionem ex mss. Lugd. Batt. pr. et tertio cum Coll. Gronov., quibuscum vett. edd. pleræque conspirant. Vulg., *jam hic*, nauci non est. De Antonio similiter loquitur Lucanus lib. v, vers. 478:

> Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
> Jam tum civili meditatus Leucada bello.

bellum excitavit, quod per multos annos maximis Romanorum cladibus traxit. Cætera vero exercitus portio Cinnam secuta est. Porro autem Cn. Pompeius, qui a senatu cum exercitu arcessitus, ut reipublicæ opitularetur, et diu sese novarum rerum aucupatione suspenderat, contemptus a Mario vel Cinna, ad Octavium, alterum consulem, sese contulit, et mox cum Sertorio conflixit. Infelicem pugnam interventus noctis diremit. [20] Sexcenti ex utraque parte milites trucidati sunt. Postera autem die cum permixtim corpora ad sepulturam discernerentur, miles Pompeianus [21] fratris sui, quem ipse interfecerat, corpus agnovit. In concursu enim [22] utrique cognitionem vultus galea, considerationem furor ademerat : quamvis parum sit culpæ circa ignorantiam, ut videatur nescisse de fratre, quem non ambigitur scisse de cive. Itaque victor victo infelicior, ubi et fratris corpus agnovit, et parricidium suum. [23] exsecratus bella civilia, illico pectus suum gladio transverberans, simulque lacrymas et sanguinem fundens, super fraternum sese cadaver abjecit. Et quid hoc profuit [24] ad confusionem crudelis incepti, quod in primo statim bellorum civilium exordio infamis fama **344** percrebuit, concurrisse ignaros quidem fratres, sed conscios cives : petiisse fratrem, scelere victorem, spolia fratris occisi : ac mox tantæ immanitatis reum, eodem gladio atque eadem manu per suam necem parricidium, quod admiserat, vindicasse? [25] Numquid aliquem in tantarum animositate partium tam triste movit exemplum? Numquid apud quemquam periculum sceleris repulit terror erroris? [26] Numquid hæc, quæ communis est etiam cum belluis pietas et reverentia naturæ, quod unus perimendo ac pereundo commisit, quia in se agi posset, intremuit, seseque ab hujusmodi incepto, conscientia victus, removit : Quin potius annis fere quadraginta consequentibus, in tantum continuata sunt bella civilia, ut magnitudo laudis, [27] appendenda ex magnitudine sceleris putaretur. Omnes enim post tale documentum [28] in tali militia parricidiorum pericula refugissent, nisi parricidia ipsa voluissent. Igitur Marius [29] coloniam Ostiensem vi ingressus, omnia ibi genera libidinis, avaritiæ et crudelitatis exercuit. Pompeius, fulmine afflatus, interiit : exercitus vero ejus pestilentia correptus, pene totus absumptus est. Nam undecim millia virorum de castris Pompeii mortua, sex millia autem de parte Octavii consulis [30] desiderata sunt. **345** Marius [31] Antium et Aritiam civitates hostiliter irrupit, cunctosque in his præter proditores interfecit, bona suis diripienda permisit. Post Cinna consul cum legionibus, et Marius cum fugitivis Urbem ingressi, [32] nobilissimos quosque e senatu, et plurimos consulares viros interfecerunt. Sed, quota hæc portio ostentatæ miseriæ est, uno verbo definisse cædem bonorum, cujus fuit tanta numerositas, tanta diuturnitas, tanta crudelitas, tantaque diversitas? Verumtamen æquius est, me aliquid utilitatis subtraxisse causæ, quam tantum horroris ingessisse notitiæ, sive peritis hæc, sive imperitis objiciantur. De patria siquidem, de civibus, et de majoribus nostris hæc loquimur : qui his exagitati malis, tam abominanda gesserunt, de quibus etiam auditis posteri perhorrescant; qui profecto nolunt ista nimis

HAVERCAMPI NOTÆ.

20. *Sexcenti.* Solus Colon., *sexcenteni* ex historia integre scripsit pro *sexcenti.* LAUT. — Mox cod. Perizon., *mixtim*; Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov., *permixta.*

21. *Fratris sui.* Lucan. lib. VII, 550 :

Ille locus fratres habuit, locus ille parentes.

22. *Utrique.* Mss. quidam et edd., *utrimque*; Lugd. Bat. pr., *in concursu enim utrimque facto.*

23. *Exsecratus.* Ed. August., *exsecrans.*

24. *Ad confusionem.* Altera additur lectio in ed. August. *ad confessionem.* Sed proba est vetus et Orosiana. Non profuit inquit publice pietas privata, neque confudit Romanos, ut vitarent exempla similia et desisterent a bello scelerato.

25. *Numquid aliquem.* Orosium una voce locupletiorem reddidit cod. Perizon. interserendo *aliquem.* Necessariam illam esse negabit nemo, cum sequatur, *Numquid apud quemquam*, etc. Lugd. Batt. quatuor et Ultr. legunt, *Numquid intentarum animositates partium.* Exstat ead. lectio in Florentt. pr. et sec., sed in sec. corrigitur.

26. *Numquid hæc quæ*, etc. Puto esse scribendum, *Num quis, hæc, quæ communis est*, etc. Num quis, inquit, intremuit hæc i. e. ad hæc? quod firmant illa quæ sequuntur, *seseque ab hujusmodi incepto, conscientia victus, removit?* Non enim video, quo modo aliter satis apte sibi verba cohæreant. Vel, recepta emendatione cod. Perizon., qui, pro *conscientia victus*, legit *conscientia victa*, locus hac interpunctione juvandus videtur. *Numquid hæc, quæ communis est etiam cum belluis* (vel *belluis*, deleto *cum*, ut facit Perizon.) *pietas et reverentia naturæ, quod unus perimendo ac pereundo commisit, quia in se agi posset, intremuit, seseque ab hujusmodi incepto conscientia victa removit?*

27. *Appendenda.* Meo periculo hoc, pro *appetenda* textus recipiat, et, nisi ut verum verbum dem, actionem injuriarum a prætore postulet. LAUT. — Eruimus hanc lectionem post Lautium ex libris mss., qui fere omnes ita legunt, vel ita legendum esse superscriptum habent. Vulgo *appetenda*, quod nequaquam alterius venustati par est. *Appendenda* enim significat æquationem laudis et sceleris; quam laudem non dicit Orosius esse simpliciter appetendam ex magnitudine sceleris, sed æstimandam, similitudine a lancibus, et rebus quæ in iisdem appenduntur, desumpta. Flor. pr. præterea legit *ad magnitudinem sceleris.*

28. *In tali militia.* Mss. et edd. quidam, *in tali malitia*, et mox, *fugissent.*

29. *Coloniam Ostiensem.* Hoc scribit Appian. lib. I, Plut. in Sulla, Liv. lib. LXXIX. FABR.

30. *Desiderata sunt.* Perizon., *deleta sunt.* Sed tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov., *siderata sunt :* quasi dicerent, pravo sidere sunt afflata. In August. quoque sic editur, *siderata, alii debilitata sunt.*

31. *Antium et Aritiam.* Ἄντιον καὶ Ἀριτίαν καὶ Λανούβιον Appian. FABR.

32. *Nobilissimos quosque.* In his fuerunt tres oratores, *Q. Catulus, M. Antonius, C. Julius Cæsar*, de quibus Cicero in Bruto. Tum quoque Octavius et Merula coss. Crassus pater et filius, multique alii interfecti : de quibus Appianus lib. I, Liv. LXXX, Lucan. lib. II, Velleius et alii. FABR.

exaggerari, aut sufficientis notitiæ moderatione, si A sciunt; aut [33] misericordis reverentiæ contemplatione, si nesciunt. Igitur Marius cum interfectorum civium capita, illata conviviis, oblata [34] Capitoliis, [35] collata rostris, ad spectaculum ornatumque congereret, ac septimum consulatum [36] cum Cinna tertium consule pervasisset, in exordio consularis imperii sera tandem morte præreptus est. Cinna, bonorum neces, malorum cæde supplevit. Nam cum [37] introducta per Marium fugitivorum manus insatiabilis prædandi esset, nullamque partem auctoribus prædæ consulibus ministraret, in forum quasi stipendii causa sollicitata, militibusque **346** circumdata, inermis exstincta est. Cæsa sunt illa die in foro Urbis octo millia fugitivorum: idemque [38] Cinna, quartum consul, ab exercitu suo interfectus est. B

CAPUT XX.

Quomodo Sulla a senatoribus revocatus fuerit ad subveniendum perditæ patriæ, quosque ipse cum suis subegerit.

Interea residui senatorum, qui potentiam Cinnæ, Marii crudelitatem, insaniam Fimbriæ, Sertoriique audaciam fuga evaserant, transvecti in Græciam, coegere precibus Sullam, ut periclitanti, immo jam pene perditæ patriæ, opem ferret. Igitur Sulla, mox ut Campanum littus attigit, Norbanum consulem prælio oppressit, [1] septem millia tunc Romanorum Romani interfecerunt, sex millia eorumdem ab iisdem capta sunt, centum et viginti quatuor de Sullana parte ceciderunt. [2] Fabius vero Adrianus, cui imperium proprætore erat, regnum Africæ servorum manu affectans, a dominis eorum apud Uticam,

HAVERCAMPI NOTÆ.

33. *Misericordis reverentiæ.* Non contemnenda forsitan lectio ed. Augustanæ, *in secundos, reverentiæ contemplatione.*

34. *Capitoliis.* Cum hæc constans sit omnium mss. lectio, approbante quoque ed. August., nescio cur reliquæ omnes retineant *oblata Capitolio*, quasi non liceret ex poetarum, et Virgilii præsertim, imitatione, Orosio, in plurali numero *Capitolia* usurpare.

35. *Collata rostris.* Ita in omnibus mss. inveni. Reposuerunt tamen edd. *collocata rostris* pro *in rostris*, ut saltem debuerant. Sed Orosius tertium casum in tribus hisce videtur continuasse; *collata* igitur est data, tributa.

36. *Cum Cinna tertium cos.* Anno Urbis DCLXVII quo C. Marius VII, Cinna iterum consul fuit, ac Marius quidem initio consulatus idibus Januariis decessit, Liv. libro LXXX, Plutarch. in Mario. In ejus locum suffectus est L. Valerius Flaccus, de quo libro C sequenti. FABR.

37. *Introducta per Marium*, etc. Appianus scribit, servos, qui proposita libertate ad Cinnam perfugerant, cum rapinæ atque cædis modum nullum facerent, ipsius jussu a Gallis trucidatos fuisse. Plutarchus tradit Sertorium ad quatuor millia servorum, quos Marius in bello socios, in tyrannide satellites habuerat, interfecisse. FABR.

38. *Cinna, quartum consul. Cinna* in quarto consulatu Ancone ab exercitu suo lapidibus occisus est. Livius libro octuagesimo tertio, Appianus I, Plutarchus in Pompeio et alii. FABR.

CAP. XX.—1. *Septem millia tunc Romanorum.* Eumdem numerum edit. Eutrop. VII millia de exercitu Norbani cæsa tradit quoque Plut. Appianus vero scribit militum Norbani millia sex, Sullæ LXX cecidisse. FABR.

2. *Fabius Adrianus. Adriani* hujus meminit Cic. Ver. III. Ubi Ascon. ita scribit: *Cinnanis temporibus cum C. Fab. Adria., ut alii aiunt, legatus, ut alii putant, proprætore, vel prætor, provinciam obti-* D *neret Afric. Uticæ in prætorio suo vivus ustus est, quod corrupto servitio civitatis illius, de principum nece conspirasse diceretur.* De eodem Livius lib. LXXXVI, Valer. lib. IX cap. 10. FABR. — De hoc C. Fabio C. F. Adriano, satis operose egimus in Commentariis ad Thesaurum Morell. tom. I, p. 171, ubi ostendimus, denarium ex argento publico, vel auctoritate publica cusum, qui ab altera parte caput muliebre turritum, ab altera victoriam in bigis cum struthiocamelo exhibet, spectare ad hunc Fabium Adrianum, atque ab eodem, proprætore tum temporis in Africa, cusum fuisse, non vero ad C. Fabium Pictorem. Hactenus enim crediderunt Antiquarii hunc denarium cusum fuisse eo anno, quo populus Romanus argento signato uti cœpit, quem nos ducentos fere annos eo tempore posteriorem fecimus. Nuperrime quoque, dum ad illustrandam, in Thesauro Regio, Vitam Mithridatis Eupatoris, veteres auctores excutio, inveni (ut opinor) fratrem hujus Fabii, vel certe ex eadem familia alium Fabium, cognomine Adrianum. Inter duces enim L. Luculli, qui post Sullam et Murenam, Mithridaticum administravit bellum, Adrianum quemdam commemorat Plutarchus, qui magna clade equitatum Mithridatis, contra pabulatores Romanos missum, affecerit, atque ad internecionem usque ceciderit. Cumque illam regii equitatus cladem tegere conaretur Mithridates, Ἀδριανὸς δὲ λαμπρὸς παρημείβετο τὸ στρατόπεδον, πολλὰς κατάγων ἁμάξας, σίτου καὶ λαφύρων γεμούσας. *Adrianus quidem iter fecit magno splendore præter illius castra, ingentem numerum secum trahens plaustrorum commeatu et præda onustorum.* Plutarchus in Lucullo p. 502. Pro Adriano autem Fabius hic dux appellatur Appiano de Bello Mithrid. p. 365, ubi narrat, quomodo Mithridates ex Armenia ad regnum suum recuperandum properans, ἐπέθετο Φαβίῳ τῷ δεῦρο ἐκ Λουκούλλου στρατηγεῖν ὑπολελειμμένῳ, καὶ τρεψάμενος αὐτὸν, ἔκτεινεν πεντακοσίους, *aggressus est Fabium, ducem a Lucullo relictum, et in fugam vertit, quingentis in ea pugna occisis.* Narrat deinde, quomodo idem Fabius, liberatis servis, quotquot castra sequebantur, iterum cum Mithridate conflixerit, iterumque graviore clade affectus fuerit. Ægre inde Cabiros effugit Fabius, ubi a Mithridate obsessus, adventu Triarii liberatus fuit, docente Dione Cassio, qui M. Fabium eumdem appellat lib. XXXV, p. 4. Quare ex Fabiis hisce, teste Dione Cassio, detegitur alter habuisse Marci, alter, testantibus Nummis, Caii prænomen. Denarii ipsius figura hæc est, cui et alium, in quo L. Cornelii Sullæ caput, ut et collegæ ejus Pompeii Rufi, accurate depingitur, adjunximus.

congestis sarmentis, **347** cum omni familia vivus incensus est. [3] Damasippus prætor,[4] incentore Mario consule, Q. Scævolam, C. Carbonem, L. Domitium, P. Antistium **348** in curiam quasi ad consultandum vocatos, crudelissime occidit. Corpora interfectorum per carnifices unco tracta, atque in Tiberim missa sunt. Eodem tempore Sullæ duces [5] plurima prælia adversus Marianas partes infelicissima felicitate gesserunt. Nam et [6] Q. Metellus Carrinatis copias cecidit, et castra pervasit, et Cn. Pompeius Carbonis equitatum graviter trucidavit. Sullæ etiam et Marii adolescentis maximum tunc prælium [7] apud Sacriportum fuit, in quo de exercitu Marii [8] cæsa sunt viginti quinque millia, sicut Claudius scribit. Pompeius Carbonem etiam castris exuit, fugientemque insecutus, nunc cædendo, nunc ad deditionem cogendo, plurima exercitus parte privavit. [9] Metellus Norbani agmen oppressit: ubi novem millia Marianæ partis occisa sunt. [10] Lucullus, cum a Quinctio obsideretur, erupit, et repentina pugna obsessorem delevit exercitum. Nam [11] plus quam decem millia ibi tunc cæsa referuntur. Sulla deinde [12] cum Lamponio Samnitium duce, et Carrinatis reliquis copiis, ante ipsam Urbem portamque Collinam [13] ad horam diei nonam signa contulit, gravissimoque prælio tandem vicit; octoginta millia hominum ibi fusa dicuntur, duodecim millia sese dediderunt: reliquam **349** multitudinem in fugam versam, insatiabilis victorum civium ira consumpsit.

CAPUT XXI.

De proscriptione Sullana aliisque crudelibus facinoribus.

Sulla [1] mox atque Urbem victor intravit, [2] tria millia hominum qui se per legatos dediderant, contra fas contraque fidem datam inermes securosque interfecit. Plurimi tunc quoque, ut non dicam innocentes, sed etiam ipsius Sullanæ partis occisi sunt, quos fuisse plus quam novem millia ferunt. Ita liberæ per Urbem cædes, percussoribus passim vagantibus, ut quemque vel ira [3] vel præda sollicitabat, agitabantur. Igitur cunctis jam quod singuli timebant [4] aperte frementibus, [5] Q. Catulus palam Sullæ dixit: Cum quibus tandem victuri sumus, [6] si in bello armatos, in pace inermes occidimus? Tunc Sulla, auctore [7] L. Fursidio primipilari, primus infamem illam tabularum proscriptionis induxit. [8] Prima **350** proscriptio oc-

HAVERCAMPI NOTÆ.

3. *Damasippus prætor.* Solus Appianus hunc prætorem *Brutum* nominat, quem Livius lib. LXXXVI, Velleius II, Valerius lib. IX cap. 2; L. Damasippum nominant. Cicero quoque epist. 21, lib. IX, ad Pætum, ita scribit: *Nam præter hunc C. Carbonem* (*Cn. Carbonem* vulgo corrupte legitur) *quem Damasippus occidit, civis e Rep. Carbonum nemo fuit.* FABR.

4. *Incentore Mario.* Supra cap. præced. de Sertorio, *jam hinc civilis belli incentor et particeps.*

5. *Plurima prælia.* Sic reponere jubet cod. Longobard. pro *plura.*

6. *Q. Metellus Carrinatis* cop. Q. Metellus Pius Carrinatem legatum ad Æsim, quem Appian. Αἰσινὸν ποτάμιον appellat, fudit. Apud Plutarchum in Pompeio est Ἄρσις ποταμὸς, corrupte, ut opinor, ad quem Carbonis equitatum in fugam conjectum scribit. FABR.

7. *Apud Sacriportum.* De victoria Sullæ apud Sacriportum Livius lib. LXXXVII, Velleius lib. II, Florus lib. III capite 21. Marius junior, Setio a Sulla occupato; prope castra posuit, cumque cedendo ad Sacriportum venisset, aciem instruxit, ut scribit Appianus, qui *Sacriportum* ἱερὸν λιμένα vocat. Plutarchus in Sulla prælium hoc ad *Signium* commissum fuisse ait. *Signium et Setium*, finitima oppida, inter viam Latinam et Appiam, collocat Strabo lib. V. FABR.

8. *Cæsa sunt viginti quinque millia.* Viginti millia partis adversæ hoc prælio se interfecisse Sylla scripsit, auctore Plutarcho, idemque numerus est apud Eutropium. FABR.

9. *Metellus Norbani agmen.* Hoc prælium commissum fuisse apud Faventiam, scribit Velleius. FABR.

10. *Lucullus, cum a Quinctio.* Vulgo mendose *Quinto* legitur. De victoria M. Luculli apud Fidentiam Velleius et Plut. in Sulla. FABR.

11. *Plus quam decem millia.* Ὀκτακισχιλίους ἐπὶ μυρίοις, Plut.

12. *Cum Lamponio. Lamponii* nomen in Orosii libris varie depravatum fuit, sed apud Livium, Appian., Plut., Florum et Eutrop. recte legitur. De pugna ad portam Collinam cum Lamponio Lucano et Telesino Samnito lege Velleium. FABR. Legitur scilicet *Campanio* in Lugd. Bat. pr., *Carponio* in Med; *Camponio*, facili permutatione litteræ L. cum C. in reliquis omnibus.

13. *Ad horam diei nonam*, σχεδὸν εἰς ὥραν δεκάτην ἤδη τῆς ἡμέρας καταστρεφούσης. Plutarchus. FABR.

CAP. XXI. — 1. *Mox atque Urbem.* Hæc est Scriptura cod. Longob., ut et Florent. sec. atque Lugd. Bat. sec., denique et Periz.; et sic quoque in Aug. ed. imprimitur.

2. *Tria millia hominum.* In uno manuscripto est IV *millia*, fortasse pro VII *millia*, errore manifesto et vulgari. Nam Aug. de Civ. Dei libro III, cap. 28, septem millia edit; Livius libro LXXXVIII, octo millia; Plutarchus in Sylla, ἑξακισχιλίους; Valerius libro IX, cap. 2, *quatuor legiones.* In meo Flor. manuscripto ita legitur: *Quatuor millia deditorum inermium civium in villa publica interfici jussit;* cum vulgo mendose legatur, *in via publica*, quod mendum e Liviana Epitoma Sigonius quoque sustulit. FABR. — *Quatuor millia* numerant Lug. Batt. tres cum Coll. Gronov.

3. *Vel præda sollicitabat.* Ed. Aug., *vel ira præcipitabat vel præda.* Forte legendum, *vel ira præcipitabat, vel præda sollicitabat.*

4. *Aperte frementibus.* Vitiose edd. quædam vett., *aperta fronte timentibus.* Quod sequitur, *palam*, in edd. vett. quibusdam omittitur, sed in omnibus quos consului mss. invenitur.

5. *Q. Catulus palam. Palam* additur quoque in Diaconi additionibus ad Eutropium. Cæterum, pro *Q. Catulo*, Plutarchus *C. Metellum* habet. FABR.

6. *Si in bello*, etc. Lugd. Batt., cum Coll. Gron., deleto *si*, malunt auferri interrogationis notam et legi, *in bello armatos, in pace inermes occidimus.*

7. *L. Fursidio.* Hujus meminit Florus, quem Plutarchus Ἀφίδιον appellat. FABR. — *Forsidium* vocant Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. et ed. August.

8. *Prima proscriptio* LXXX *hominum fuit.* Vulgo contra veterum librorum auctoritatem legunt, LXXX *millium hominum.* Plutarchus in Sylla, ὁ δ' οὖν Σύλλας εὐθὺς ὀγδοήκοντα προέγραψεν. Sic enim legendum, non προσέγραψεν, ut est impressum. FABR.

toginta hominum fuit, in quibus quatuor consulares erant, Carbo, Marius, Norbanus, et Scipio,[9] et inter eos Sertorius, tunc maxime pertimescendus.[10] Item alia cum quingentis nominibus proposita est, quam cum Lollius, quippe securus nihilque sibi conscius, legeret, ubi suum repente nomen offendit, dum se trepidus, adoperto capite, foro subtrahit, interfectus est. Sed ne in ipsis quidem tabulis fides ac finis malorum videbatur.[11] Namque alios, quos proscripserant, jugulabant; alios autem, postquam jugulaverant, proscribebant. Nec ipsius mortis erat via simplex, aut una conditio, ut in nece civium saltem jus hostium servaretur, qui nihil a victis præter vitam exigunt. [12] M. Marium siquidem, de caprili casa extractum, vinciri Sulla jussit; [13] ductumque trans Tiberim ad Lutatiorum sepulcrum, effossis oculis, membrisque minutatim desectis, vel etiam fractis, trucidari. Post hunc [14] P. Lætorius, senatorque [15] Venuleius **351** occisi. M. Marii caput,[16] Præneste missum; quo viso, C. Marius ultima desperatione correptus, ubi a Lucretio obsidebatur, ne in manus incideret inimicorum,[17] cum Telesino mutua morte concurrit. Dumque violentius ipse [18] in concurrentem manus [19] adigit, circa suum vulnus manum percutientis hebetavit. Ita eo interfecto, ipse leviter vulneratus, [20] cervicem servo suo præbuit. Carrinatem prætorem Sulla jugulavit. Inde Prænestе profectus, omnes Marianæ militiæ principes, hoc est legatos, quæstores, præfectos, et tribunos jussit occidi. Pompeius Carbonem [21] a Cossura insula in Ægyptum fugere conantem, in Siciliam ad se retractum, et complures cum eo socios ejus occidit. Sulla dictator creatus est, ut dominationis et crudelitatis libido, honesti præcipuique nominis reverentia et armaretur et velaretur. Pompeius in Africam transgressus, eruptione circa Uticam facta, [22] decem et octo millia hominum interfecit. Quo bello Domitius, dux Marianus, dum [23] inter primores repugnat, occisus est. Idemque Pompeius [24] Hiertam, Numidiæ regem, persecutus, [25] fugientem, a Bogude Bocchi Maurorum regis filio, spoliari **352** omnibus copiis fecit: quem continuo [26] Bullam reversum, tradito sibi oppido, interfecit.

HAVERCAMPI NOTÆ.

9. *Et inter eos.* Ita mss. omnes, non, *interque eos.*

10. *Item alia.* Ed. Aug. addit *tabula.*

11. *Namque alios.* In uno aut altero Lugd. Bat. legitur: *Namque alios, quos non proscripserant, jugulabant: alios autem, postquam jugulaverant, proscribebant.* Mox *a victis* exsulat a quibusdam mss.; alii simpliciter *victis* scribunt.

12. *M. Marium. M. Marium prætorem* nominat Valerius libro IX, cap. 2: *Marium ducis ipsius fratrem.* Florus. De crudeli ejus interitu Lucan. lib. II. FABR.

13. *Ductumque.* Tres Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *vinctumque.*

14. *P. Lætorius.* Hunc puto esse illum quem Sulla consul cum Mario seniore proscripsit, quemque Appianus Λαιτώριον nominat. Esse autem scribendum *Lætorium*, non *Lectorium*, cognoscitur ex libris Græcorum et antiquis Latinorum; itemque ex Fastis Capitolinis, in quibus anno Urbis CDXCVI, est, *M. Lætorius M. F. M. N. Plancianus*, magister equitum cum dictatore Q. Ogulnio Gallo. Valer. Max. hunc non *P. Lætorium*, sed *M. Plætorium* nominat, et in nonnullis Orosii libris *Lætorii* prænomen cum nomine ipso jungitur. FABR. — *P. Lectorius* in Perizon., *P. Vectorius* in Meo, *L. Lictorius* in Lugd. Bat. pr.

15. *Venuleius.* Lugd. Batt. tres. *Belnuleius.* Fuit inter quæstores Ciceronis tempore quidam Venuleius, hujus forte filius. Triumviri dignitas erat prima ad honores, videlicet eorum qui monetæ signandæ præerant, adeoque vix commemoratu digna; unde non credo appositam ab Orosio fuisse, sed emendatione egere locum, et plane esse scribendum prouti in fidissimis membranis meis exstat, videlicet, *Senatorque Venuleius occisi.* Lætorium illum senatorem quoque vocat Appianus libro I Bell. Civil., p. 386; sed non videntur mihi loqui de eodem homine Appianus et Orosius; Lætorius enim, cum Mario seniore et Sulla proscriptus, Marci prænomen gessit. Ergo Plætorii nomen hic magis convenire videtur, et pro eo quod vulgg. hactenus habuerunt, *Post hunc P. Lætorius senator, Venuleius triumvir, occisi*, reponendum integre esse, *Plætorius senatorque Veneleius occisi*, omisso in utroque prænomine. Plætorii enim cædem crudelitati Sullæ in Marcum Marium exercitæ, mox subjungit Valerius Maximus libro IX, cap. 2: *At ille etiam M. Plætorium, quod ad ejus* (M. Marii) *supplicium exanimis ceciderat, continuo ibi mactavit; novus punitor misericordiæ, apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit.* Errorem quoque, ex quo *triumvir* huc importune influxerit, detexisse ex codice meo videor. Reperi in eo verba illa, *Marci Marii*, sic exarata, *axirci Marii*, ita ut *axir* lineam finiat, *ci* novam inchoet. Ita cum in aliis mss. itidem videatur fuisse scriptum, facillimum errorem correctores sustulisse sibi visi sunt, ponendo *uvir* pro *axir* et *M* pro *ci*, dein *occisi* migrare jusso post *uvir.*

16. *Præneste missum.* Editi interserunt *est*, sed contra omnes mss.

17. *Cum Telesino.* Idem est in Epitoma Liviana. Sed alii aliter de *Marii* morte scripserunt, ut est apud Velleium. FABR.

18. *In concurrentem.* Lugd. Bat. pr., *in incurrentem.*

19. *Adigit.* Ita reposui ex melioribus mss. Florentt. duobus, Meo et Perizon. Vulg. *adegit*, præterquam in ed. August.

20. *Cervicem.* In omnibus mss. præterquam in Meo et Perizon., *cervices* inveni.

21. *A. Cossura insula. Cossura*, non *Cossyra* est in manuscriptis duobus. Nam in uno mendose *Corsica* legitur, sicut in Epitoma LXXXIX, *Corcyra.* Appianus: Κάρβωνα δ' ἐκ Λιβύης ἐς Σικελίαν μετὰ πολλῶν ἐπιφανῶν, καὶ ἀπ' αὐτῶν ἐς Κοσσύραν νῆσον ὑποφεύγοντα, πέμψας τινάς ὁ Πομπήϊος συνελάμβανε. Id est: *Carbonem, ex Africa in Siciliam multis nobilibus comitatum, atque inde in Cossuram fugientem, Pompeius, submissis quibusdam, comprehendit.* In lapidibus Capitol. exstant navales triumphi Ser. Fulvii Nobilioris, et M. Æmilii Pauli de *Cossurensibus* et *Pœneis* ann. CDXCIX. FABR.

22. *Decem et octo millia.* Lugd. Bat. pr., *decem et novem millia.*

23. *Inter primores.* Meus et Florent. tert., *inter primos.* Mox in eo *idem* legitur pro *idemque.*

24. *Hiertam, Numidiæ regem. Hiertam* habent omnes libri manuscripti, eumdemque antiquus meus Eutropius *Hierdam* nominat, cum impressi *Hierbam*, Plutarch. Ἰάρφαν, Epitoma *Hieram* edat. FABR.

25. *Fugientem.* Mss. fere omnes, *fugientemque.*

26. *Bullam.* Urbis hujus Numidiæ, vocantes *Bullam regiam*, meminerunt Plinius lib. V cap. 3, et Antonini Itinerarium.

CAPUT XXII.

Dictorum velut epilogum recitat Auctor. De novo tumultu per Lepidum excitato.

[1] Creatis itaque P. Servilio et Ap. Claudio consulibus, [2] visus est tandem Sulla privatus. Hoc fine conclusa sunt duo bella funestissima, sociale Italicum et civile Sullanum. Hæc per annos decem tracta, plus quam centum quinquaginta millia Romanorum consumpserunt, tantumque lectissimorum virorum vernaculorumque militum Roma hoc civili bello perdidit, quantum in ea superiore tempore, cum se jam adversus Alexandrum Magnum circumspiceret, [3] in discretis ætatibus census invenit. Præterea viros consulares [4] viginti quatuor, prætorios sex, ædilitios sexaginta, senatores fere ducentos, absque innumeris totius Italiæ populis, qui passim sine consideratione deleti sunt, [5] quos neget quisquam, si valet, quin eodem damno suo [6] vicerit Roma, quo amisit Italia. [7] Proh pudor! Num quidnam [8] et hic comparatione ambigua egent tempora? Immo, vel maxime, inquiunt. Nam quid [9] tam apte, quam bellis civilibus bella civilia comparantur? An forte [10] dicetur, etiam in his temporibus **353** bella civilia non fuisse? Quibus a nobis respondebitur, [11] justius quidem socialia vocari oportere: [12] sed nobis proficere, si civilia nominentur. Cum enim causis [13] vocabulis ac studiis paria docentur omnia, tum sibi in his tanto plus vindicat reverentia Christianæ religionis, quanto minus præsumpserit [14] potestas irata victoris. Nam cum plerumque improbi tyranni, temere invadentes rempublicam, usurpatoque regio statu, Romani imperii corpus abruperint, atque ex eo bella vel per se injusta importaverint, vel in se justa commoverint, [15] Britannis Gallisque A populis erecti et instructi; hæc bella, quantum externis proxima, tantum longinqua civilibus, quid nisi socialia jure vocitentur, cum ipsi Romani ne Sertorii quidem, aut Perpernæ, [16] aut Crixi, aut Spartaci bella, civilia uspiam nominarint? In tali ergo [17] vel defectu, vel perduellione sociorum, minore nunc utique invidia laboraret, si fortassis existeret vel gravis pugna, vel cruenta victoria. Verumtamen cum [18] in hisce temporibus omnia plus necessitatis afferant et minus pudoris; hoc est causa, pugna, victoria; vel pro exstinguenda insolentia tyrannorum, vel pro cohibendo sociorum defectu, vel pro inurendo ultionis exemplo, cui tandem dubium est, quanto nunc mitius, quantoque clementius excitata (ut dicunt) bella civilia geruntur, immo reprimuntur potius quam geruntur? Quis enim unum civile bellum per decem annos his temporibus agitatum audierit? Quis uno bello centum quinquaginta millia hominum, vel hostium ab hostibus, ut non dicam civium a civibus, cæsa meminerit? Quis illam, quam explicare longum est, optimorum atque illustrium virorum multitudinem trucidari in pace cognoverit? Postremo quis illas infames interficiendorum tabulas timuerit, **354** [19] legerit, senserit? ac non potius omnibus notum sit, una cunctos pace compositos, atque eadem salute securos, victos victoresque pariter communi exsultasse lætitia, [20] ac etiam in tantis totius Romani imperii provinciis, urbibus ac populis, [21] vix paucos aliquando exstitisse, quos justa ultio [22] invito etiam victore damnarit? Et, [23] ut verbis verba non onerem, non temere dixerim, tantam vel in bello saltem exstinctam modo fuisse gregariorum militum manum, quanta tunc [24] cæsa est in pace nobilium. Igitur, [25] Sulla mortuo, Lepidus, Marianæ partis assertor,

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. XXII.—1. *Creatis itaque P. Servilio.* P. Servilius Vatia, et App. Claudius Pulcher consules fuerunt anno DCLXXIII, iisque consulibus creatis Sulla dictatura se ultro abdicavit. Appianus lib. I, Plutarchus in Sulla. FABR.

2. *Visus est tandem Sulla.* Quidam *visus*, Venetæ Edd., *Lucius Sulla tandem est privatus.*

3. *In discretis ætatibus.* Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *indiscretæ ætatis.* Ed. Aug., *indiscretis ætatibus.*

4. *Viginti quatuor.* Unum plus numerat Lugd. Bat. quart.

5. *Quos.* Italiæ scilicet populos, nam vitiose edd. quædam vet. *quomodo* vel *quod*, ut et cod. Perizon., *quo neget.*

6. *Vicerit.* Florent. pr., *vicit.*

7. *Proh pudor!* Alii, *Proh dolor!*

8. *Et hic.* Lugd. Batt. pr., *et hæc.* Florent. sec., *et hinc.*

9. *Tam apte.* Lugd. Batt. duo, *tam aperte.*

10. *Dicetur.* Lugd. Batt. tert., *dicitur.*

11. *Justius quidem.* Lugd. Bat. pr., *juste quidem.* Perizon., *justius quippe.*

12. *Sed nobis.* Perperam Perizon., *Sed non.*

13. *Vocabulis.* Sic mss. et ed. Aug.; *vocabulisque* Vulgg.

14. *Potestas irata victoris.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *potestas irati victoris.*

15. *Britannis Gallisque populis erecti et instructi.* Carausium, Allectum, Constantinum aliosque ejus temporis tyrannos intelligit, hos *erectos*, id est confisos Britannis et Gallis dixit. Verum ego in nullo ms. verbum *erecti*, inveni, omnes vero habent *creati*, ut et ed. August.; quare contra mss. consensum illud *erecti* retineri non posse judico. Cod. meus, *et creati et instructi.* An scripsit Orosius? *a Britannis Gallisque populis et creati et instructi.*

16. *Aut Crixi.* De *Crixo* gladiatorum duce infra capite ult. dicemus. In impressis vulgo male, aut *Crassi* legitur. FABR.

17. *Vel defectu.* Sic mss. omnes, contra vulgg., *defectu.*

18. *In hisce.* Florentt. tres, *his temporibus*, deleto *in*, non male.

19. *Legerit, senserit?* Ed. Aug., *timuerit, scripserit, senserit, nescierit.* Quomodo opponuntur, qui scripserunt et qui timuerunt, per suas scilicet vices, item qui senserint et nescierint, cum scilicet et scripti in iis et non scripti interierint. Sed malo vulgatam.

20. *Ac etiam.* Mss. quidam, *ut etiam;* forte melius, *atque etiam.*

21. *Vix paucos.* Lugd. Bat. pr. et tert. cum Coll. Gronov., *vix perpaucos.*

22. *Invito etiam victore;* Coll. Gronov., *uno etiam victore;* mss. Lugd. Batt. tres, *uno etiam auctore.*

23. *Ut verbis verba non onerem.* Tres Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *ut verba vera non onerem.* Forte, *ut vera verbis non onerem.*

24. *Cæsa est in pace nobilium.* Tres iidem mss., cum Coll. Gron., hic legunt, *cæsa est et in pace nobilium;* supra vero, *non exstinctam modo.*

25. *Sulla mortuo, Lepidus.* M. Æmilius Lepidus

adversus Catulum Sullanum ducem surgens, redivivos bellorum civilium cineres suscitavit. Bis tunc acie certatum est. Plurimi Romanorum, jam ipsa paucitate miserorum, et adhuc illo furore insanientium, cæsi sunt. Albanorum civitas, obsidione oppugnata atque excruciata fame ultima, miserabilium reliquiarum deditione servata est. Ubi tunc Scipio, Lepidi filius, captus atque occisus est. [26] Brutus in Cisalpinam Galliam fugiens, persequente Pompeio, apud Rhegium interfectus est. Ita hoc bellum civile non magis clementia Catuli, quam tædio Sullanæ crudelitatis, ut ignis in stipula, eadem celeritate qua exarsit, evanuit.

355 CAPUT XXIII.

De quatuor novis bellis a Romanis susceptis, Hispanico, Pamphylico, Macedonico et Dalmatico.

[1] Anno ab Urbe condita DCLXXIII, sonantibus undique bellorum fragoribus, quorum unum in Hispania erat, aliud in Pamphylia, in Macedonia tertium, quartum in Dalmatia, [2] exsanguis adhuc atque exhausta intestina pernicie tamquam febribus Romana respublica, propulsare armis Occidentis Septentrionisque fortissimas gentes cogebatur. [3] Sertorius siquidem, vir dolo atque audacia potens, cum partium Marianarum fuisset, Sullam fugiens, ex Africa dilapsus in Hispanias, [4] bellicosissimas gentes in arma excitavit. Adversus hunc, ut breviter defiiniam, duo duces [5] missi, Metellus et Domitius: quorum [6] Domitius ab Hirtuleio, Sertorii duce, [7] cum exercitu oppressus est. [8] Manilius, proconsule Galliæ in Hispaniam **356** cum tribus legionibus et mille quingentis equitibus transgressus, iniquam cum Hirtuleio pugnam conseruit: a quo castris copiisque nudatus, in oppidum Ilerdam pene solus refugit. Metellus, multis prœliis fatigatus, per devia oberrans, hostem mora fatigabat, donec Pompeii castris consociaretur. Pompeius contracto [9] apud Pallantiam exercitu, Lauronem civitatem, quam tunc Sertorius oppugnabat, frustra conatus defendere, victus aufugit. Sertorius superato fugatoque Pompeio, Lauronem captam cruentissime depopulatus est: [10] reliquum agmen Lauronensium, quod cædibus superfuerat, miserabili in Lusitaniam captivitate transduxit. Pompeium autem, hoc est, illum Romanorum ducem, a se fuisse victum gloriatus est: quem magna præditum fiducia, ad hoc bellum [11] non pro consule, sed pro consulibus Roma misisset.

HAVERCAMPI NOTÆ.

et Q. Lutatius Catulus coss. fuerunt an. Urbis DCLXXV, de quibus Sallust. lib. I Hist.: *Res populi Rom. M. Lepido, Q. Catulo consulibus militiæ et domi gestas composui.* De dissensione horum consulum Cicero Catil. III, Liv. lib. XC, Appian. I, Plut. in Sulla et Pompeio, Eutrop. et alii. FABR.

26. *Brutus in Cisal.* Hic est *M. Junius Brutus*, M. Bruti, qui Cæsarem interfecit, pater, Plut. in Pompeio et Bruto. FABR.

CAP. XXIII. — 1. *Anno ab Ur. C.* DCLXXIII. Annum intelligit, quo Lepidus et Catulus consules fuerunt, quem nos jam DCLXXV post Romam conditam nominavimus; iis vero coss. quatuor hæc bella exorta fuisse Eutrop. initio lib. IV auctor est. FABR.

2. *Exsanguis adhuc.* Cod. Perizon., *exsanguis undique.* Idem supra, pro LXXIII, numerat annum LXXVII.

5. *Sertorius siquidem.* De bello Sertoriano Appian. libro I, Plutarchus in Sertorio et Pompeio, Liv. lib. XC et deinceps, Florus lib. III cap. 22, Eutropius lib. VI, et auctor de Viris Illust. FABR.

4. *Bellicosissimas.* Edd. vett. quædam addunt, *ferocissimasque*; Legunt dein, *in arma ex armis*, sed contra meliores codices.

5. *Missi.* Ed. Aug., *missi sunt.*

6. *Domitius ab Hirtuleio. Hirculeius* est in nostris manuscriptis Orosii, Eutropii et Flori libris. *Hirculeium* quæstorem nominat Livius lib. XC. Eumdem Plutarchus in Sertorio intelligit his verbis: Δομέτιον δὲ Καιλούσιον (fortasse Καλουΐνον) ἀνθύπατον ὄντα τῆς ἑτέρας Ἰβηρίας διὰ τοῦ ταμίου καταγωνισάμενος. Meminit ibidem Plutarchus *Thoranii* legati Metelli, quem Sertorius cum exercitu cæcidit. In meo etiam Floro manuscripto legitur: *Cum hinc Domitius et Thorius, inde Herculei præluderent.* Ubi impressi habent, *cum hinc Domitius et cohortes.* FABR.

7. *Cum exercitu oppressus est.* Obtinuerat hic L. Domitius Ahenobarbus proconsule Hispaniam citeriorem, ex qua Metellus, Sertorio viribus impar, eum arcessiverat. Sallust. Fragm. lib. II: *Metellus Domitium procos. in citeriore Hispania, cum omnibus copiis quas paraverat, arcessivit.* Oppressum eumdem cum exercitu atque occisum fuisse a L. Hirtuleio tradunt quoque Plutarchus et Eutropius; Plutarch. in Sertorio pag. 574: Δομέτιον δὲ καὶ Λούσιον, ἀνθύπατον ὄντα τῆς ἑτέρας Ἰβηρίας, διὰ τοῦ ταμίου καταγωνισάμενος, etc., ἀνεῖλεν. Vertunt, *Domitium et L. Manlium*, etc. Sed ego puto Λούκιον esse scribendum, atque sic vertendum, *Lucium vero Domitium quoque, alterius Hispaniæ proconsulem, per quæstorem suum superatum*, etc., *occidit.* Nam Domitius Hispaniæ citerioris, Galliæ autem proconsule fuit Manlius seu potius Manilius. Præterea cecidit in acie Domitius; turpi fuga, et exercitu amisso, evasit Manilius. Eutropii verba sunt lib. VI, cap. 1: *A Sertorii duce Hirtuleio Domitius occisus est.* Clades apud Anam flumen accepta fuit. Florus lib. III, cap. 22: *Prima per legatos certamina habita, cum hinc Domitius et Thorius, inde Hirtulei fratres proluderent: Mox his apud Segoviam, illis apud Anam flumen oppressis.* Quæ si cum adductis ex Plutarcho conferas, ubi de Thorii quoque cæde loquitur, videbis emendationem nostram stabiliri, neque L Manilio locum ibidem esse. Aliquanto post pro *consociaretur* Lugd. Bat. quart., *sociaretur.*

8. *Manilius, procons. Manilius* est in uno manuscripto, *Manlius* in cæteris. Apud Plutarch. est, ὥστε Λεύκιον μὲν Ὀλλιον ἐκ τῆς περὶ Ναρβῶνα Γαλατίας ἐλθεῖν αὐτῷ βοηθόν, ubi Sigonius legit, ὥστε Λεύκιον Μανίλιον. FABR.—Codd. mss. quos consului, fere omnes, et inter illos Longobard., recte scribunt *Hirtuleio*, et hic et infra; atque iterum *Hirtulei*, ubi aliquanto post de morte fratrum Hirtuleiorum loquitur Orosius. Hirtuleius autem, de quo hic agitur, cum fratre inter duces Sertorii fuit, et numeratur inter ejus quæstores. Pro *Manilius* in omnibus mss. exaratur *Manlius*, sed perperam.

9. *Apud Pallantiam.* In aliis est *Polentiam*, mendose. De Pallantia Strabo lib. III. De Pallantinis, Plinius lib. III, cap. 3. De Lauronis excidio Plutarch. et Appian. FABR.—*Palentium* Lugd. Bat. quart. et Mens.

10. *Reliquum agmen Lauron.* Plutarch. aliter; in Sertorio scribens, ipsum Lauronensibus pepercisse, eosque dimisisse. FABR.

11. *Non pro consule.* Lege Plutarchum in Pompeio. FABR. — Aliquanto post, pro *Mille equites*, vulgg., *et mille equites*, contra mss.

Fuisse tunc Pompeio triginta millia peditum, mille equites, Galba scribit : Sertorium autem sexaginta millia peditum, octo millia equitum habuisse commemorat. Postea vero [12] Hirtuleius cum Metello congressus, apud Italicam Beticæ urbem viginti millia militum perdidit : **357** victusque in Lusitaniam cum paucis refugit. Pompeius [13] Segidam, nobilem Celtiberiæ urbem, cepit. Sertorius deinde cum Pompeio congressus, decem millia militum ejus interfecit. Ex alio cornu, [14] vincente Pompeio, tantumdem pene ipse perdidit. Multa inter eos præterea prælia gesta sunt. [15] Memmius, quæstor Pompeii, idemque vir sororis ejus, occisus est. [16] Hirtuleii fratres interfecti. [17] Perperna, qui [18] se Sertorio junxerat, comminutus est. Postremo ipse [19] Sertorius, decimo demum anno belli inchoati, iisdem, quibus et Viriathus, suorum dolis interfectus, finem bello fecit, Romanisque victoriam sine gloria dedit : quamvis Perpernam postea pars exercitus ejus secuta sit, qui a Pompeio victus, cum universo exercitu suo interfectus est. Civitatibus vero cunctis ultro ac sine mora per deditionem receptis, duæ tantum restiterunt, hoc est, Uxama et Calaguris : quarum Uxamam Pompeius evertit, Calagurim Afranius jugi obsidione confectam, atque ad infames escas miseranda inopia coactam, ultima cæde incendioque delevit. Percussores Sertorii præmium ne petendum quidem a Romanis esse duxerunt, quippe qui meminissent antea Viriathi percussoribus denegatum. Et quamvis nullo tunc præmio patraverint **358** Romanam securitatem, tamen fortis fide ac viribus semper Hispania, cum optimos [20] invictissimosque reges reipublicæ dederit, nullum umquam tyrannorum, ab initio usque in hodiernum diem, de se editum misit vel in se extrinsecus incurrentem, vivum potentemve dimisit. Interea [21] Macedonicum bellum Claudius sortitus, varias gentes, quæ Rhodopæis montibus circumfusæ sunt, ac tunc Macedoniam crudelissime populabantur (nam inter cætera dictu audituque horrida, quæ in captivos agebant, raptis, cum poculo opus esset, humanorum capitum ossibus, cruentis capillatisque adhuc, ac per interiores cavernas [22] male effosso cerebro oblitis, avide ac sine horrore tamquam veris poculis utebantur, quarum cruentissimi atque immanissimi Scordisci erant) : has itaque, ut dixi, Claudius pellere Macedoniæ finibus bello attentavit, magnisque se malorum molibus objecit : [23] unde cum animo æger, et curis circumseptus, morbo insuper correptus esset, interiit. Hujus [24] successor Scribonius attentatarum superiore bello gentium vim declinans, in Dardaniam arma convertit, eamque superavit. [25] Publius vero Servilius exconsule, Ciliciam et Pamphyliam crudelissime adortus, dum subdere studet pene delevit. Lyciam et urbes ejus obsessas oppressasque cepit. Præterea, Olympum montem pervagatus, [26] Pha-

HAVERCAMPI NOTÆ.

12. *Hirtuleius cum Metello.* De Metelli victoria contra Hirtuleium, Liv. lib. XCI, Frontinus lib. II Stratagem. FABR. — Sallust. lib. II Fragm. : *Occurrere duci et prælium accendere, adeo uti Metello in sagum, Hirtuleio in brachium tela venirent.*

13. *Segidam.* Mss. omnes *Belgidam*, ut et edd. vett. usque ad Fabricium, qui tamen hujus suæ emendationis nullam reddit rationem. Ego neque *Belgidam* neque *Segidam* in Celtiberia invenio, *Balsonem* sive *Belsinuam* ibidem agnoscunt Ptolemæus et alii, quod proxime ad *Belgidam* accedit ; ut et *Cesatam* sive *Cesadam*, quod scriptura sua non multum a *Segida* differt.

14. *Vincente Pompeio.* Ita tres Florentt., Meus et Perizon., edd. pr. et August. cum Venetis, Lugd. Batt. quatuor, cum edd. quibusdam, *vim faciente Pompeio*. Ultr. et Coll. Gronov., *vim faciente vincente* vel *vincenteque Pompeio*.

15. *Memmius, quæstor.* Memmium in agro Segontino interfectum ait Plutarch. in Sertorio. De Memmio quæstore Pompeii Cicero pro Balbo. FABR.

16. *Hirtulei fratres interfecti.* Quanta eorum inter Sertorii duces fuerit existimatio, patet ex Frontini verbis Stratag. lib. II, cap. 7 : *Q. Sertorius, cum acie decertaret, barbarum, qui ei nuntiaverat, Hirtuleium periisse, pugione trajecit, ne et in aliorum id notitiam perferret, et ob hoc animi suorum infirmarentur.*

17. *Perperna.* *Perperna*, non *Perpenna*, scribi debere, testimonio sunt Fasti Capitolini, in quibus, anno DCLXI, cum Claudio Pulchro consul *M. Perperna* comparatur : idemque a Dione lib. XLI. Περπέρνας appellatur, unde non est dubium, quin apud Plutarchum et Appianum librarii pro *Perperna* substituerint Περπένναν, cum præsertim in Appiani Iberica ab Hen. Steph. edita *Perperna* hic, de quo agimus Περπέρνας appelletur. FABR.

18. *Se Sertorio junxerat.* A Florent. pr. abest *Se*. Flor. tert. scribit *conjunxerat*.

19. *Sertorius decimo demum an.* In Eutropii libris scriptum est, *Sertorium octavo decimo anno a suis occisum esse*, sed Cuspinianus recte corrigit, *Octavo demum anno*. Nam et Appianus de re gesta cum Sertorio ita scribit : λοιπὸν δ' ἔστι τῶν Συλλείων ἔργων τὸ Σερτορίου γενόμενον ὀκτάετες. Ac, *Sertorius quidem octavo sui ducatus anno interfectus*, bellum vero decimo confectum fuit, auctore Livio lib. XCVI. FABR.

20 *Invictissimosque.* Copulam delent, præter ed. August., cod. Longob. cum tertio Florent. et Lugd. Bat. tertio. Ex *optimos* et *invictissimos* alterutrum forsan varia est lectio.

21. *Macedonicum bellum Claudius.* Hic est Ap. Claudius Pulcher, quem consulem cum C. Servilio fuisse, diximus cap. superiore : de re ab eo gesta, Livius libro XCI, Eutropius VI. FABR.

22. *Male effosso.* Ed. Aug., *male effuso*.

23. *Unde cum animo æger, et curis.* Hæc lectio est in omnibus nostris manuscriptis, cujus loco in aliis impressis corrupte legitur : *Unde cum hæc animo gereret, curis circumseptus*, etc. FABR. — Fabricianam emendationem confirmant mss. nostri omnes et ed. insuper August.

24. *Successor Scribonius.* C. Scribonius Curio, qui cum Cn. Octavio consul fuit anno DCLXXVII, Ap. Claudio in Macedonia successit, Eutrop. lib. VI, Liv. lib. XCII et XCV. Triumphi Curionis e Macedonia meminit Cicero in Pisonem. FABR.

25. *P. Servilius exconsule.* De Servilii consulatu dictum est supra. *Ex consule*, id est, consulatu jam perfunctum missum ad Ciliciam et Pamphyliam scribit etiam Eutropius. *Exconsule*, ἀπὸ ὑπάτων, in Græca Digestorum præfatione dicitur. FABR.

26. *Phaselim evertit.* *Phaselidis* nomen vulgo corruptum est. Dionysius vers. 854 :

> Ἄλλαι δ' ἐξείης Παμφυλίδες εἰσὶ πόληες,
> Κώρυκος Πάργητε, καὶ ἠνεμόεσσα Φάσηλις.

Sallust. lib. I Hist. res a Servilio gestas describens :

selim evertit, Corycum diruit, [27] Tauri quoque
359 montis latera in Ciliciam vergentia perscrutatus, Isauros bello fractos, [28] in ditionem redegit: primus Romanorum per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit. Triennio emenso, quo bellum gestum est, Isaurici nomen assumpsit. [29] Cosconius proconsule sortitus Illyricum, protrita subactaque Dalmatia, Salonas, urbem florentissimam, post biennium tandem expugnavit et cepit.

CAPUT XXIV.

De bello fugitivorum seu gladiatorum, et cladibus ejus.

[1] Anno ab Urbe condita sexcentesimo LXXIX, Lucullo et Cassio consulibus, [2] gladiatores septuaginta et quatuor Capuæ a ludo **360** Cn. Lentuli diffugerunt: qui continuo, ducibus [3] Crixo et Œnomao Gallis, et Spartaco Thrace, Vesuvium montem occupaverunt; unde erumpentes, [4] Clodii prætoris, qui eos obsidione cinxerat, castra expugnarunt: ipsoque in fugam acto, cuncta in prædam [5] verterunt. Inde per Consentiam et Metapontum circumducti, ingentia brevi agmina collegerunt. Nam Crixo decem millium multitudo, Spartaco autem triplex tunc numerus fuisse [6] refertur. Œnomaus enim jam [7] in superiore bello fuerat occisus. Itaque cum cædibus, incendiis, A rapinis, stuprisque omnia miscerent, [8] in exsequiis captivæ matronæ, quæ se dolore violati pudoris necaverat, munus gladiatorum ex quadringentis captivis, scilicet, qui spectandi fuerant, spectaturi, utpote lanistæ, gladiatorum potius quam militum principes, ediderunt. Deinde consules Gellius et Lentulus adversus eos cum exercitu [9] missi, quorum [10] Gellius Crixum, acerrime pugnantem, prælio oppressit, Lentulus, a Spartaco superatus, aufugit. Post etiam collatis frustra ambo consules copiis, accepta gravi clade, fugerunt. Dehinc C. Cassium proconsulem [11] idem Spartacus oppressum bello interfecit. Itaque exterrita Civitate non minore propemodum metu, quam sub Annibale circa portas fremente trepidaverat, senatus Crassum cum legionibus [12] consulum novoque sup-
B plemento **361** militum misit. Is mox ut fugitivorum pugnam iniit, sex millia eorum interfecit, nongentos vero cepit. Inde prius quam ipsum Spartacum [13] ad caput Silari fluminis castrametantem, bello aggrederetur, Gallos [14] auxiliatores ejus Germanosque superavit, e quibus triginta millia hominum cum ipsis ducibus occidit. Novissime ipsum Spartacum disposita acie congressum, maximasque cum eo fugitivorum copias perculit. Nam [15] sexaginta eorum millia cæsa, sex millia capta referuntur: tria millia civium Ro-

HAVERCAMPI NOTÆ.

Ad Olympum atque Phaselida; item, *ad Corycum* dixit, auctore Prisc. lib. XV. Cicero Verr. V: *Phaselis illa quam cepit P. Servilius, non fuerat urbs ante Cilicum atque prædonum*, etc. FABR.

27. *Tauri quoque montis.* Meus, *Tauri quoque latera.* Lugd. Batt. tres, *Taurique montis latera.*

28. *In ditionem redegit.* Ita edidit Fabricius, cum C ante illum edd. omnes haberent *in deditionem redegit*, quod est receptum loquendi genus, ubi de hoste qui deditionem facit, agitur, atque invenitur in mss. Lugd. Batt. quatuor, Perizon. et Meo, scribente tamen Meo, *in deditionem recepit.* Pro Fabricii tamen lectione stat cod. Longob., et simili modo *in ditionem venire* dixit Pomponius de Origin. ac Success. Magistrat. cap. 18, p. 275, ed. Ruperti, § de Origine juris: *Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hispania, deinde Narbonensis provincia: totidem prætores, quot provinciæ in ditiones venerant, creati sunt.* Itaque *in ditionem redegit*, tantumdem est, ac populi Romani provinciam fecit.

29. *Cosconius procons.* De rebus a Cosconio gestis Eutropius libro VI, ubi libri ei *Cnei* prænomen dant, perperam, ut opinor: est enim hic C. Cosconius, cujus litteris planum factum fuit, legionem esse a Bulbo sollicitatam in Illyrico, ut testatur Cicero pro Cluentio. FABR.

CAP. XXIV. — 1. *Anno ab Urb. cond.* DCLXXIX. Eutropio hic annus est DCLXXVIII; aliis DCXXX, quo consules fuerunt M. Terentius Varro Lucullus et C. Cassius. FABR.

2. *Gladiatores* LXXIV. Eumdem numerum habet Livius, et Eutropius; Appianus, *μονομάχους ἑβδομήκοντα*; Plutarch. in Crasso, *ὀγδοήκοντα δυοῖν δέοντας.* FABR. — Lugd. Bat. quart. numerat, XLIV; sed tert., cum Coll. Gron. et codd. Meo, Perizon. ac Florentt. tribus, *sexaginta et quatuor* numerant sive scribunt.

3. *Crixo et Œnomao.* Ita hos duces nominandos esse non modo Appianus, verum etiam libri vetusti probant. FABR.

4. *Clodii prætoris. Claudium Pulchrum* legatum habet Livius libro XCV. *Clodium Glabrum* Florus libro III, capite 20. *κλώδιον στρατηγόν*, Plutarchus. FABR.

5. *Verterunt.* Plerique codd. mss., cum ed. Aug., *averterunt.*

6. *Refertur.* Sic scribere jubent mss. fere omnes, non *fertur.*

7. *In superiore.* Duo et Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *superiore*, deleto *in.*

8. *In exsequiis captivæ.* Appianus: *Ὁ δὲ Σπάρταχος τριακοσίους Ῥωμαίων αἰχμαλώτους ἐναγίσας κρίῳ, δυοδέκα μυριάδας Ῥωμαίων πεζῶν ἐς Ῥώμην ὑπήγετο. Spartacus ubi trecentos captivos Romanos Crixo inferias misit, cum* CXX *millibus peditum Romanorum ad Urbem contendit.* Hinc Florus: *Defunctorum prælio ducum funera imperatoriis celebravit exsequiis, captivosque circa rogum jussit armis depugnare.* FABR. — Mox mallem munus *gladiatorium* pro *gladiatorum.*

9. *Missi.* Mss. quidam, *sunt missi.*

10. *Gellius Crixum.* Crixum circa Garganum montem oppressum fuisse, Appianus scribit, a quo, et a Plutarcho plura pete. FABR.

11. *Idem.* Florent. pr., *ibidem.*

12. *Consulum.* Abest ab ed. August., sed scribunt *consulem* tres Lugd. Batt. et Coll. Gron. male, *consulum*, id est utriusque consulis, *totis imperii viribus*, ut loquitur Florus lib. III, cap. 20. Utriusque consu-
D lis tunc exercitum habuisse Crassum, qui tum prætor erat, in Vita Crassi testatur Plutarchus p. 548: postquam enim narravit utrumque consulem, Gellium et Lentulum, contra fugitivos missum fuisse, addit, senatum, consulibus infensum, jussisse, nihil pro imperio ut agerent, atque Crasso bellum mandasse.

13. *Ad caput Silari.* De *Silaro*, qui et *Silaris* dicitur, Strabo libro V sub fin., Plinius lib. III cap. 103 et lib. III cap. 5. De numero interfectorum Livius lib. XCVII. FABR.

14. *Auxiliatores ejus.* Vox posterior abest a Perizon. dein Meus legit, *Germanosque bello superavit.*

15. *Sexaginta eorum millia.* Perizon. XLM numerat.

manorum recepta sunt. Cæteri qui ex hoc bello lapsi oberrabant, per complures duces frequenti indagine [16] attriti sunt. At ego iterum ac sæpius repeto, [17] num quidnam et hic comparatione aliqua egent tempora? Quis, rogo, audire non horreat, non dicam bella talia, sed vel nomina [18] tanta bellorum, externa, servilia, socialia, civilia, fugitivorumque? [19] quæ ne sic quidem saltem sese, ut commoti maris fluctus, [20] quamvis molibus magnis, sequuntur, sed undique diversis causis, vocabulis, formis, malisque excitata, [21] coacervataque concurrunt. Ut e proximo repetam, et infame illud servile præteream, Jugurthinum bellum nondum adhuc ab Africo [22] detonuerat, jam Cimbricum a Circio fulminabat. De Cimbricis illis nubibus adhuc fœdi vastique torrentes effusi sanguinis agebantur, jam socialis [23] belli **362** nebulas in magna B continuo malorum nubila coituras, misera exhalabat Italia. Adhuc vero post infinitam crebramque Italici belli tempestatem discurri tuto per Italiam minime poterat : ita omnes absque illis periculosissimis inimicarum urbium voraginibus, dissoluta ac lubrica pace titubabant: jam sibi Marianum atque Cinnanum Roma parturiebat excidium, et aliud e diverso Oriens atque Aquilo, hoc est [24] Mithridaticum minabatur, quod quidem Mithridaticum a superioribus cœptum porro in ulteriora porrigitur. De Mariana face rogus Sullanæ cladis accensus est, de isto rogo funestissimo Sullani et civilis belli per plurimas terrarum partes A ardentes sudes sparsi sunt, multaque incendia ex uno fomite diffuderunt. Nam Lepidus et Scipio in Italia, Brutus in Gallia, Domitius, Cinnæ gener, in Africa, Carbo in Cossura et Sicilia, Perperna in Liguria, et post cum Sertorio in Hispania, omniumque atrocissimus Sertorius in eadem Hispania, hæc tunc civilia, vel quo alia dicenda sunt nomine, bella excitantes, de uno multa, [25] de parvo magna fecerunt; absque illis tribus vastissimis bellis, quæ tunc externa vocabantur, hoc est, Pamphylico, Macedonico atque Dalmatico, dissimulato etiam magno illo Mithridatico, longe omnium [26] diuturnissimo, infestissimo, ac formidolosissimo : deinde, adhuc Hispaniensi Sertoriano nondum finito, immo ipso adhuc vivente Sertorio, hoc fugitivorum, et [27] ut verius dicam, gladiatorium bellum inhorruit, jam non [28] spectandum paucis, sed ubique metuendum. Quod quia fugitivorum bellum dicitur, nemini vile habeatur ex nomine. Sæpe in eo singuli et aliquando simul cum agminibus frustra junctis ambo consules victi sunt, plurimique nobiles trucidati. Ipsi autem fugitivi plus quam centum millia fuere, qui cæsi sunt. Ex quo admonemus, ut ipsa se consoletur Italia de vexatione externorum præsentium, per recordationem præteritorum [29] ex se atque in se; et ipsam se incomparabiliter **363** crudelius dilaceratam noverit a suis. Quamobrem [30] huic nunc quinto volumini finem fecerim, ut bella civilia externis ubique permixta, vel

HAVERCAMPI NOTÆ.

16. *Attriti sunt.* Ed. August., *contriti sunt.*

17. *Numquidnam et hic.* Lugd. Bat. pr. legit *hæc*, Meus delet *aliqua.*

18. *Tanta.* Florent. sec., *tantorum.* Mox, pro *fugitivorum*, Perizon. et Meus recte, *fugitivorumque.*

19. *Quæ ne sic quidem.* Mss. fere omnes pro *ne* scribunt *nec*; at *quidem* delent Lugd. Batt. omnes cum Coll. Gron., item meus et Perizon.

20. *Quamvis.* Lugd. Bat. pr., *quantisvis.*

21. *Coacervataque.* Sic confidenter, hæc laudante Palmerio, posui, pro vulgari, *coacervata*, nec adhuc diffido, quia alii quoque sint probaturi. LAUT.

22. *Detonuerat.* Lugd. Bat. sec. cum tribus Florentinis et ed. Aug. legunt, *perdetonuerat;* quod idem velle videtur Coll. Gronov., cum tribus reliquis mss. Lugd. Batt., in quibus est *perditum noverat*, vel *perdito moverat*, vel denique *perditum moverat.* Meus vero codex exhibet *pertonuerat.* Mox *et jam Cimbricum*, atque aliquanto post, *et jam socialis belli* edd. quædam. Vett.

23. *Belli nebulas*, etc. Virg. Æneid. x, 809:

> Æneas nubem belli, dum detonet, omnem
> Sustinet.

24. *Mithridaticum.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. adjungunt *bellum.*

25. *De parvo magna fecerunt.* Edd. vett., *de minimo magna fecerunt.* Mss. omnes, *de magno magna;* unicus Perizon., *de magno majora fecerunt*, quod ego præ reliquis præstare puto, neque enim exiguum fuit illud bellum civile sive sociale primum, unde reliqua provenerunt.

26. *Diuturnissimo.* Superlativum hunc nolunt, sed *diuturno* scribunt, tres Florent., tres Lugd. Batt., Meus, Perizon. et Coll. Gronov.

27. *Ut verius dicam.* In Florent. sec. deest *ut.*

28. *Spectandum paucis.* Per voluptatem scilicet in C amphitheatro, in quo inclusos depugnare inter se cernerent gladiatores otiosi.

29. *Exeatque in se ipsa, nec putet se incomparabiliter dilacerari.* Monstra Herculis hic domui. Scripti omnes, *Ex se atque in se incomparabiliter dilacerantium*, quibus quid confusius? Sed tamen ut mihi tribuam fecisse, *exeatque in se ipsa* de *ex se atque in se ipsa*, ita Veneto libro illud, *nec putet se*, merito debeo. LAUT.—Venetæ (quas respicit) edd. legunt, *exeatque in seipsam, nec putet se incomparabiliter crudelius dilacerari.* Eaque omnium vett. edd. lectio est, præterquam ed. August., quæ sic habet, *ex se atque in se ipsam incomparabiliter crudelius dilacerantium suorum*, quæ quoque cod. Longob. scriptura est, nisi quod augeat ita, *ex se, atque in se, et ipsam se incomp.*; neque a Longob. discrepant Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov. et cod. Perizon. Meus vero legit, *ex se atque in se; et ipsam se incomparabiliter crudelius dilaceratam noverit a suis.* Quæ sola mihi vera videtur esse hujus loci emendatio; Lau- D tio enim nequaquam plausum, quem sibi tribuit do, nam *externa præsentia*, de quibus loquitur Orosius, debent sibi habere aliquid oppositum, quod deest in Lautiana emendatione, invenitur autem in nostra, videlicet *præterita* illa bella sive mala, *ex se atque in se.* Ad hanc quoque emendationem aliquid conferunt, vitiosi in prioribus, Florent. sec. et tert., ex quibus sec. (consentiente Ultr.) legit, *exeatque in se, et ipsam se incomparabiliter crudelius dilacerantum* (correctum fuit in Florent. *dilaceratam*) *suorum*; tert. vero, *exeatque in se et ipsam se incomparabiliter crudelius dilaceratam* (superscribitur *adflictam*) *noverit.* Fabricius et Scottus vulgarunt, *præteritorum, ex se atque in seipsam incomparabiliter crudelius dilacerantium.*

30. *Huic nunc.* Ita legere jubent mss. meliores, alii et vulgg. edd., *huic quinto volumini jam.*

quæ dicta sunt, vel etiam quæ sequuntur, quia sic A serunt, libri saltem termino separentur.
sibi [31] serie temporum [32] et malis sequacibus cohæ-

HAVERCAMPI NOTÆ.

31. *Serie temporum.* Meus, *miserie temporum.*

32. *Et malis sequacibus* Flor. sec., *ut malis sequacibus.*

In ms. cod. Longobardico, post illa, *Pauli Orosii lib. V explicit. Incipit lib. VI*, notitia quædam præclari ejus codicis sequitur, scriptura eadem, his verbis : *Confectus codex in statione magistri Viliaric antiquarii. Ora pro me scriptore, sic Dominum habeas protectorem.*

LIBER SEXTUS.

364 CAPUT PRIMUM.

Unum Deum, tam Gentilium quam Christianorum judicio.

Omnes homines, [1] cujuslibet vel sectæ, vel vitæ, B vel patriæ, ita semper ad prospectum prudentiæ naturali bono [2] eriguntur, ut oblectamento corporis rationale mentis, etsi non actu præferant, judicio tamen præferendum sciant. Quæ mens, ratione duce [3] illustrata, in medio virtutum, quibus genuino favore, quamvis vitiis inclinetur, assurgit, [4] scientiam Dei quasi arcem prospicit. [5] DEUM enim quilibet hominum contemnere ad tempus potest, nescire [6] in totum non potest. Unde quidam, [7] dum in multis Deum credunt, multos deos indiscreto **365** timore finxerunt. [8] Sed hinc jam vel maxime, cum auctoritate veritatis operante, tum ipsa etiam ratione discutiente, discessum est. [9] Quippe cum et [10] philosophi eorum, ut de nostris [11] sanctis sileam, cum [12] intento mentis studio quærunt, scrutanturque omnia, unum Deum auctorem omnium [13] repererunt, ad quem unum omnia [14] referrentur: unde etiam nunc pagani, [15] quos jam declarata veritas de contumacia magis quam de ignorantia [16] convincit, cum a nobis discutiuntur, non se plures deos sequi, sed sub uno Deo [17] magno plures ministros venerari fatentur. Restat igitur de intelligentia veri Dei per multas intelligendi suspiciones [18] confusa dissensio, quia de uno Deo omnium pene una opinio est. Hucusque humana scrutatio, etsi cum labore, [19] potuit : at ubi ratiocinatio [20] defecit, fides [21] subvenit. Nisi enim crediderimus, non [22] intelligemus. Ab ipso audias, ipsique Deo credas, quod verum velis scire de Deo. Itaque [23] idem unus et verus Deus, in quem omnis, ut diximus, etsi ex diversis opinionibus secta concurrit, mutans regna, et **366** disponens tempora, peccata quoque puniens, [24] quæ infirma sunt mundi

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. I. — 1. *Cujuslibet vel sectæ, vel vitæ.* Mss. tres ex Lugd. Bat., Coll. Gronov., Meus et Florent. pr. deleto primo *vel*, malunt, *cujuslibet sectæ, vel vitæ, vel patriæ.* Edd. antiquæ transponunt illa, *vel sectæ, vel vitæ.*

2. *Eriguntur.* Coll. Gronov., *exiguntur.* Mox *ut* in Flor. pr. abest.

3. *Illustrata.* Meus male *lustrata* et pro *genuino* mox *gemino* Lugd. Bat. tert.

4. *Scientiam Dei.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. *ad scientiam Dei.*

5. *Deum enim quilibet*, etc. Hinc animam, *naturaliter Christianam* vocavit Tertullian. in Apologetico cap. 17, p. 176, cum antea hæc scripsisset : *Vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus? quæ, licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit*, etc.

6. *In totum.* Lugd. Batt. pr. et quart., *in tantum.* D

7. *Dum in multis Deum credunt.* Edd. quædam vett., *Dum in multis diis credunt, multos indiscreto timore finxerunt.* Sed Orosii verborum hic est sensus: Dum quidam opinantur multis rebus inesse numen, atque ipsos Deos, veluti in familiam distinctos, singulos separata obire munia, non bene discernentes individuam deitatem, multos sibi deos colendos finxerunt.

8. *Sed hinc.* Flor. pr., *Sed hic.*

9. *Quippe cum.* Posteriorem vocem delent cod. Ultr. et edd. quædam vett.

10. *Philosophi.* Vide quæ de Platone et Thalete notavimus ad Apologeticum Tertulliani cap. 46, p. 387.

11. *Sanctis.* Lugd. Bat. pr., *sacris.* Meus autem et C Perizon., *Scis* : unde nata varietas lectionis.

12. *Intento.* Lugd. Bat. sec. et Ultr., *intente.* Mox in Ultr. abest *omnia.*

13. *Repererunt.* Lugd. Bat. quart., *reperimus.*

14. *Referuntur.* Meus *referrentur*, quod prætuli.

15. *Quos.* Lugd. Bat. pr., *quod.*

16. *Convincit.* Lugd. Bat. quart., *convicit.*

17. *Magno.* Abest a Florent. pr.

18. *Confusa dissensio.* Lugd. Bat. quart., *confusa discretio.* Male. Omnes, inquit, in eo consentiunt, unum esse Deum, sed in isto consensu confusæ plures plurium sunt opiniones.

19. *Tametsi cum labore, potuit.* Addidit Fabricius, *deliberare*, non recte. Absolute enim illud verbum eleganter ponitur. Virg. lib. II Æneid. :

Hactenus, Acca soror, potui. LAUT.

Temere certe fecit Fabricius, quod contra omnes mss. omnesque edd. vett. verbum illud de suo inseruerit. Edd. autem veteres pleræque habent *patuit*; sed August., cum mss., *potuit.* Pro *tametsi* mss. et edd. melioris *etsi* præferunt, vel *et sic.*, quod exstat in tribus Lugd. Batt. et Coll. Gronov.

20. *Defecit.* Ed. pr. et illam secutæ, *deficit.*

21. *Subvenit.* Lugd. Batt. tres, *supervenit.*

22. *Intelligemus.* Lugd. Bat. pr. et tert. cum ed. August., *intelligimus.*

23. *Idem unus.* Deleto *idem*, mss. tres Lugd. Batt. et Meus cum Coll. Gron. malunt, *Itaque unus et verus Deus.* At ed. August. hanc suppeditat lectionem, *itaque unus est et verus Deus.* In cod. Perizon. abest vox *Deus.*

24. *Quæ infirma.* Ex Epist. prima Pauli ad Corinth cap. I, 27.

elegit, ut confundat fortia; Romanumque imperium, assumpto [25] pauperrimi status pastore, fundavit. Hoc per reges et consules diu [26] provectum, postquam Asiæ, [27] Africæ atque Europæ potitum est, ad unum imperatorem, [28] eumdemque fortissimum et clementissimum, cuncta sui ordinatione [29] congessit. Sub hoc imperatore, quem omnes fere gentes amore et timore permixto juste honorarent, Deus verus, qui superstitione sollicita ab ignorantibus colebatur, magnum illum [30] intelligentiæ suæ fontem aperuit, promptiusque per hominem docturus homines, Filium suum misit operantem virtutes, quæ præcellerent hominem, [31] coarguentemque dæmonas, quos aliqui deos putavissent, ut [32] qui ipsi, tamquam homini, non [33] credidissent, operibus, [34] tamquam Dei, crederent; deinde ut [35] in magno silentio ac [36] pace latissima inoffensæ et celeriter novi nominis gloria, et annuntiatæ salutis velox fama percurreret, vel etiam, ut discipulis ejus per diversas gentes euntibus, ultroque per cunctos salutis dona offerentibus, [37] obeundi ac disserendi, quippe Romanis civibus inter cives Romanos, esset tuta **367** libertas. Quod ideo commemorandum putavi, quia hic sextus libellus usque ad Cæsarem Augustum, de quo hæc dicuntur, extenditur. [38] Quod si aliqui hanc lucidissimam rationem irritam putant, suisque diis potius assignant, quos primum prudentia [39] elegerint, deinde præcipuo cultu invitarint, ut sibi per eos amplissimum [40] hoc pulcherrimumque imperium [41] conderetur: sic enim jactitant, [42] quia ipsi optimo genere sacrorum [43] emeruerint præcipuum deorum favorem, quibus ademptis vel prætermissis, [44] discesserint omnes,

[45] Adytis arisque relictis,
Dii, quibus imperium hoc steterat:

Unde quamvis reverentia sanctitatis tuæ [46] multa fortissime verissimeque disseruerit, tamen et mihi locus exigit, ut pauca subjiciam. Si Romani colendo deos [47] emeruerunt favorem deorum, et non colendo amiserunt; [48] ut ipse Romulus, parens Romæ, inter tot mala ab **368** ipso ortu suo ingruentia salvus esset, [49] colendo quis meruit? An Amulius avus, [50] qui exposuit ad necem? An pater, [51] qui incertus fuit? An Rhea mater stupri rea? An Albani parentes, [52] ipsa quoque ab initio Romani nominis germina persequentes? An tota Italia, quæ per quadringentos annos, dum audere potuit, excidio ejus inhiavit? Non, inquiunt, sed dii ipsi, quia se colendos sciebant, futuros cu-

HAVERCAMPI NOTÆ.

25. *Pauperrimi status pastore*. Romulo, apud Faustulum, magistrum regii pecoris, educato. Livius lib. I, cap. 4.

26. *Provectum*. Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *profectum*.

27. *Africæ atque Europæ potitum est*. Lugd. Batt. omnes, cum Coll. Gronov., interserunt *imperio*. Ultr. *imperiis*, a manu scribæ imperiti, qui nescivit millies cum secundo casu jungi verbum *potiri*, ut apud Sallustium in Catil. cap. 47, *urbis potiri*, etc. *Europæ atque Africæ* transponit Flor. pr.

28. *Eumdemque*. Lugd. Bat. pr., *eumdem*. Mox *clementissimum* ejiciunt quidam editi.

29. *Congessit*. Lugd. Batt. quatuor, cum Ultr. et Coll. Gronov., *concessit*. Loquitur de Augusto.

30. *Intelligentiæ suæ*. Vox posterior abest a Lugd. Bat. pr. et quarto a Coll. Gron. Pariter in edd. quibusdam vett., *hominem*.

31. *Coarguentemque dæmonas*. Meus, *coarguerint dæmonas*.

32. *Qui*. Flor. pr., *quod* Edd. vett. nonnullæ, *quia*.

33. *Credidissent*. Numero singulari Meus et Perizon. efferunt *credidisset*, et mox *crederet*. Pericope autem hæc in Flor. pr. non invenitur.

34. *Tamquam Dei*. Lugd. Batt. omnes, una cum Ultr. et Coll. Gronov., *tamquam Deo*. Sed contra reliquos et S. S. locum, unde hæc desumpta sunt, in Ev. Joannis cap. x, 37, 38.

35. *In magno silentio*. Flor. pr. *in* delet, et legit, *magno silentio*.

36. *Pace latissima*. Lugd. Batt. tres et Coll. Gronov., *pace largissima*. Tertius in Lugd. Bat. *et celeriter* delet.

37. *Obeundi ac disserendi*. Mss. aliquot et edd., *abeundi et deserendi*. Sed minus recte. Intelligit enim non illam libertatem veniendi et abeundi, qua nihil proficeret religio Christiana, sed circumeundi, disserendi, disputandi, convincendi, etc.

38. *Quod si aliqui*, etc. Transponunt tres Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *Quod si hanc aliqui*, etc. Pro *putant* eadem Coll. habet, *putarint*.

39. *Elegerint*, etc. Ed. August., *eligerent*, *deinde præcipuo cultu invitarent*. In Lugd. Batt. quarto, *invitarunt*.

40. *Hoc*. Abest a Lugd. Batt. pr. et tertio, atque a Coll. Gronov.

41. *Conderetur*. Sic edidit Fabricius, omnesque, quos ego consului, legunt mss., exceptis Florentt., qui cum quibusdam editionibus antiquis exhibent *concederetur*. Verum in prima omnium edit. quoque *conderetur* exstat.

42. *Quia*. Mss. et edd. nonnulli *quod*, prouti passim in hujus auctoris libris impressis et scriptis hæc permutari solent. Argumentum vero hoc præter alios uberius prosequitur Tertullianus in Apologetico cap. 25, p. 243 et seqq.: *Quoniam tamen Romani nominis proprie mentio occurrit, non omittam congressionem, quam provocat illa præsumptio dicentium, Romanos pro merito religiositatis diligentissimæ in tantum sublimitatis elatos, ut Orbem occuparint*, etc.

43. *Emeruerint*. Hæc omnium mss. lectio est, nisi quod in Perizon. sit, *emeruerant*. Vulg. quidam *meruerint*.

44. *Discesserint*. Cod. Perizon. habet, *discesserunt*.

45. *Adytis*. Verba sunt Virg. Æneid. II:

Excessere omnes adytis, arisque relictis,
Dii, quibus imperium hoc steterat. FABR.

46. *Multa fortissime verissimeque disseruerit*. Respicit Augustini libros de Civitate Dei. Edit. August. *verissime* delet, legens *multa fortissimeque*, etc. Verum tota hæc pericope a Florent. pr. abest.

47. *Emeruerunt*. Lugd. Bat. quart., *et meruerunt*; pr. atque tert. cum Periz. et Coll. Gronov., *meruerint*, et mox deinceps, *amiserint*.

48. *Ut ipse*. Prior vox exsulat a Lugd. Batt. tert., quarto et Perizon.

49. *Colendo quis meruit?* In cod. Perizon. abest *colendo*. In Lugd. Bat. pr. legitur, *colendo quos meruit?* quasi ad ipsum Romulum is cultus deorum pertineret. Sed recte legitur *quis*, propter ea quæ sequuntur.

50. *Qui exposuit*. Edd. vett., excepta August., *qui eum exposuit*. Sed contra mss.

51. *Qui incertus fuit*. Perizon., *qui incertus erat?*

52. *Ipsa quoque*. Desunt duo hæc verba in ed. August.

stodiere cultores. Ergo præscii sunt. [53] Si præscii sunt, cur hoc imperium [54] inter tot annorum sæcula eo potissimum tempore ad summam potentiæ arcem perduxerunt, [55] quo ille nasci inter homines atque agnosci ut homo voluit, [56] post cujus nomen et ipsi pro nihilo contempti sunt, et cum universo mundo etiam illi, quos ipsi provexerant, [57] cucurrerunt? Sed humiliter [58] obrepsit, inquiunt, et latenter intravit. Latentis et humilis unde tam celebris fama? tam indubitata fides? tam manifesta potentia? Signis quibusdam et **369** virtutibus mentes hominum superstitione [59] sollicitas cepit et tenuit. At hæc si homo potuit, Dii magis [60] posse debuerunt. An quia ille hanc potentiam a Patre sibi traditam prædicabat, perventum est aliquando ad intelligentiam illius noti et ignoti Dei, quam apprehendere, ut dixi, nemo nisi per ipsum potest? Nec quisquam potest, nisi [61] qui toto se perspecto ac despecto, conversus ad sapientiam Dei [62] omnem quærendi ratiocinationem transtulerit ad credendi fidem. Verumtamen breviter discutio. Dii isti, quos tantos ferunt, ut Romanam rempublicam et propitii provexisse, et [63] aversi afflixisse videantur, eo certe tempore, quod palam constat, quo nasci Christus voluit, et annuntiari [64] gentibus cœpit, [65] devotissime atque intentissime colebantur. Ita illi, consulentes et sibi et cultoribus suis, non potuerunt vel reprimere, vel repellere superstitionem ejus, propter quam spernendos se cultoresque [66] suos destituendos viderent? Quamquam si ab invitis, danda venia, nec [67] deserendi fuerunt; si a voluntariis, servanda præscientia, nec prius fuerant adjuvandi. Hoc factum est, inquiunt: nam excitavimus gentes, accendimus reges, instituimus leges, disposuimus judices, præparavimus pœnas suppliciis et crucibus, orbem totum scrutati sumus, [68] si quo modo Christianum nomen et cultus universo mundo posset abradi. Hoc eatenus factum est, donec fecunda crudelitas eousque inter tormenta ac per tormenta **370** proficeret, quamdiu ipsum regium culmen, per quod solum [69] prohiberi poterat, occuparet. Et quid postea consecutum est? Imperatores, inquiunt, Christiani cessare sacra, et claudi templa jusserunt, atque ideo

Excessere omnes, adytis [70] arisque relictis,
Dii, quibus imperium hoc steterat.

O quanta et quam inoffensa lux veritatis est, si non adversus eam ultro sese offerentem [71] imbecilli infeliciter oculi clauderentur! [72] Si Christiana fides per multa retro [73] tempora, sævientibus undique adversum se gentibus, regibus, legibus, [74] cædibus, crucibus ac mortibus, reprimi nullo modo potuit, immo, ut dixi, inter hæc et per hæc crevit, cultus autem idolorum jam quodammodo ex se deficiens, ac sibi erubescens, ad unam clementissimam jussionem sine ullo pœnali terrore cessavit; cui dubium est, hoc per istius intelligentiæ demonstrationem de

HAVERCAMPI NOTÆ.

53. *Si præscii sunt.* Ed. pr., *si ergo præscii sunt.*

54. *Inter.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *in.*

55. *Quo ille nasci.* Ita exhibent omnes libri mss. et ex edd. vett. prima, Paris. et Venetæ. Verum Bolsuing. et illum deinceps secutæ reliquæ maluerunt edere, *quo se ille nasci*, etc. Quam lectionem, quamvis in August. edit. quoque invenerim, probare tamen nequeo.

56. *Post cujus nomen.* Cum in Fabricii edit. primis irrepsisset *hujus*, reliquæ, et ipsa Scotti, ineptam illam, et ex typographi mendo natam, lectionem servaverant. In codice meo legitur *ejus*, in reliquis omnibus recte *cujus*. Flor., pr. *per cujus nomen*, etc.: quæ lectio videtur significare virtutem et potentiam ejus nominis, id est, ipsius Christi.

57. *Cucurrerunt?* Lectionem sane hanc concoquere vix possum. Quid enim est *currere cum universo mundo?* Florent. secundi tolerabilior est lectio, *concurrerunt*. Sed neque illa mihi satisfacit. Corrigo igitur *corruerunt*. Et ipsi dii (inquit) illi, quos Romani sibi elegerant, et Romani, qui per istos deos sese tanta potentia auctos credebant, domiti sunt virtute Dei inter homines nati et ut homo agniti. Cujus regnum ubi venit, et ipsi illi dii fictitii pro nihilo contempti habitique sunt, et Romanorum imperium corruit; quod una cum universo mundo venit sub ditionem ejus, qui et imperia et imperatores constituit, et cui a Patre suo dudum hæreditas universæ terræ omniumque regnorum regimen erant promissa. Hæc Orosii, ut scriptoris Christiani, mihi videtur esse sententia.

58. *Obrepsit.* Recte, neque mutare malim cum *inrepsit*, quod in meo codice legitur.

59. *Sollicitas.* Editiones vett. omnes (exceptis Hittorp. et Venetis, in quibus mendose *solitas*) ut et mss. sic legunt, præter Lugd. Batt. sec. et primum. In secundo exstat *sollicitatas*, quæ lectio in prima superscribitur. Retineo vulgatam. Mentes hominum *superstitione sollicitas* recte vocat, dum respicit ineptam illam sollicitudinem, quæ ex superstitione oritur.

60. *Posse.* Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov., *potuisse.*

61. *Qui toto se perspecto ac despecto.* Ed. August. simpliciter legit, *qui toto prospectu.*

62. *Omnem.* Abest hæc vox a Florent. pr. Mox pro *transtulerit*, Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. legunt *transtulit*. Vitiose quoque in Scotti ed. legitur *rationem.*

63. *Aversi.* Ita mss.; *adversi* edd. quædam ex vett. Mox *videbantur* quatuor Lugd. Batt. cum Ultr. pro *videantur*; et, pro *eo certe tempore*, Mens et Perizon., *eo certo tempore*, quod et Florentt. sec. et tert. exhibent.

64. *Gentibus.* Inepte in mss. uno aut altero ex Lugd. Batt. adjicitur *Christianis*, vel *Christum.*

65. *Devotissime.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *diutissime.* Ultr. et Lugd. Bat. secund., *quamvis devotissime.*

66. *Suos.* Abest a Lugd. Batt. tert. et quarto atque Coll. Gronov.

67. *Deserendi.* Edd. prima, Paris. et Venetæ *desperandi.* In iis vero quæ præcedunt, notam interrogandi, qua sensus obscuritas tollitur, addidi.

68. *Si quo modo.* Lugd. Batt. tres, Ultr. et Coll. Gronov. cum edd. quibusdam adjiciunt *tandem.*

69. *Prohiberi potuerat.* Perizon., *impediri.* Lugd. Batt. tert. et quart., cum Meo et Perizon. atque Coll. Gronov., *prohiberi poterat.*

70. *Arisque relictis Dii.* Ed. August., *aris relictis diisque.*

71. *Imbecilli.* Lugd. Batt. pr. et sec., *imbecilles.*

72. *Si Christiana fides.* Meæ membranæ, expuncto *si*, legunt *fides Christiana*, etc.

73. *Tempora.* Lugd. Bat. pr., *sæcula.*

74. *Cædibus, crucibus.* Prior vox in Lugd. Batt. pr. desideratur, pro altera in ed. vett. quibusdam legitur *cruciatibus.*

creatore suo tandem innotuisse creaturæ, [75] quod A illa catenus per varias ratiocinationes mentis, intentæ quamlibet, aliis obfuscata quæsierit, ac per hoc statim amori ejus, quem etiam ignorans dilexerat, inhæsisse? Nec igitur mirum est, si in magna familia [76] inveniuntur aliqui servi, qui, consuetudine lasciviaque seductorum assuefacti, patientia domini sui ad contemptum ipsius abutantur, [77] unde et merito Deus vel ingratos, vel incredulos, [78] vel etiam contumaces variis correptionibus arguit: quod semper utique fatendum est, **369** tunc tamen præcipue, [79] quando adhuc per universum mundum nulla erat ecclesia, quæ interventu fidelium precum meritas mundi pœnas justumque judicium Dei, exorata ipsius clementia, temperaret, unde etiam hæc, quæ mala hominibus videntur, qualiacumque [80] sunt, graviora sine dubio B omnia fuerunt, sicut ipso, quo cœpta sunt, ordine probabuntur. Bellum Mithridaticum, vel, ut verius dicam, belli Mithridatici clades, [81] multas simul involvens provincias, [82] tracta et protenta per quadraginta annos fuit. Nam [83] sexcentesimo sexagesimo secundo (ut dixi) anno ab Urbe condita, quo etiam [84] primum civile bellum cœperat, [85] inardescens, consulatu Ciceronis vero et Antonii, ut verbis [86] poetæ optimi loquar,

Barbarico vix consummata veneno est.

[87] Sed in his temporibus, triginta gerendi belli inveniuntur anni. Qualiter autem XL a plerisque [88] dicti sint non facile discernitur.

370 CAPUT II.

Prosequitur hic bellum Mithridaticum, quod Sylla confecit.

Igitur Mithridates [1] rex Ponti atque Armeniæ, [2] postquam Nicomedem, Bithyniæ regem, amicum populi Romani, regno privare molitus est, atque a senatu monitus, si facere tentaret, bellum sibi a populo Romano inferendum fore, iratus Cappadociam continuo [3] pervasit: atque expulso ab eo Ariobarzane rege cunctam provinciam igni ferroque vastavit. Bithyniam deinde pari clade corripuit. Paphlagoniam simili exitu afflixit, pulsis ex ea Pylæmene et Nicomede regibus. Post cum venisset Ephesum, [4] crudeli præcepit edicto, ut per totam Asiam [5] quicumque inventi essent cives Romani, sub una die omnes necarentur. Et factum est. Nec explicari aut comprehendi ullo modo verbis potest, quæ tunc multitudo Romanorum civium cæsa sit, quis mœror plurimarum provinciarum, quis gemitus occidendorum pariter atque occidentium fuerit, cum singuli quique aut prodere innocentes hospites et amicos, aut ipsi periclitari pœna hospitum cogerentur. Archelaus [6] quoque, dux Mithridatis, [7] cum centum viginti millibus peditum atque equitum in Achaiam præmissus, Athenas cunctamque Græciam, partim vi, partim deditione obtinuit. [8] Sylla, cui post consulatum Mithridaticum bellum obvenerat, Archelaum **371** apud Piræeum, Atheniensium portum, [9] septemplici muro [10] communitum, diu obsedit, ipsam C illud bellum Mithridaticum, pro virili, per annales deduximus in Hist. Universali, cujus tertius tomus a regibus Ponti initium facit, ubi plura de hoc Mithridate inveniuntur.

HAVERCAMPI NOTÆ.

75. *Quod.* Male edd. et mss. quidam, *quem*, *quam* vel *quoniam*, ut et mox *statutum* pro *statim* Lugd. Bat. quart.

76. *Inveniuntur.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. et cod. Ultr., *inveniantur.*

77. *Unde et merito.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *unde merito.*

78. *Vel etiam.* Abest prior vox a Meo codice; *utique*, quod sequitur paulo post, in Lugd. Bat. sec. non exstat.

79. *Quando adhuc per*, etc. Transponuntur hæc in Perizon. ita, *quando per universum mundum nulla adhuc erat ecclesia.*

80. *Sunt.* Edd. vett. quædam, *sint.*

81. *Multas simul.* Omnium mss. hæc est lectio, quam reposui. Vulgg., *multas secum*, præter August., quæ cum mss. consentit.

82. *Tracta et protenta.* In Meis membranis legitur, *tracta et protracta.*

83. DCLXII, *ut dixi, anno.* Dictum hoc est libro superiore cap. 19, ubi de spatio belli Mithridatici in D annotationibus scripsimus. FABR.

84. *Primum civile bellum.* Lugd. Bat. sec. *primo*, sed delent Florentini tres, et in tertio *bellum* quoque abest.

85. *Inardescens.* Edd. quædam vett. cum prioribus hoc verbum connectunt, dum legunt *inardescere.* At in tribus Lugd. Batt. et Coll. Gronov. legitur, *inardescens erat, consulatu vero* (in pluribus aliis mss. et edd. *vero* hic non adjicitur) *Ciceronis et Antonii*, etc., *consummata veneno*, deleto *est.*

86. *Poetæ optimi.* Lucanum innuit, apud quem illa exstant lib. I, 537. Nota jam temporibus Orosii et Augustini in magno fuisse pretio Lucanum, in nimio quoque postea.

87. *Sed in his.* Mediam vocem male ejiciunt quædam edd. Quot autem annis duraverit gravissimum

88. *Dicti sint.* Perizon. Meusque, *dicti sunt.* Lugd. Batt. quatuor cum Ultr. et Coll. Gronov., *distincti sint.*

CAP. II. — 1. *Rex Ponti atque Armeniæ.* De Armenia minore id intelligendum. Armeniæ Majoris enim rex erat Tigranes, quem, generum suum, filiæ Cleopatræ nuptis bello Romano implicuit regum callidissimus hic et fortissimus Mithridates.

2. *Postquam Nicomedem.* Eadem Eutr. lib. v. Lege Appiani Mithridaticum, et Justini lib. XXXVIII. FABR.

3. *Pervasit.* Lugd. Bat. quart., *invasit.*

4. *Crudeli præcepit edicto.* De hoc edicto præter Appianum, Liv. lib. LXXVIII, Florus lib. III cap. 5, Eutropius lib. v. Hinc Cicero pro lege Manilia ait: *Mithridatem una die tota Asia, tot in civitatibus, uno nuntio atque una litterarum significatione cives Romanos necandos, trucidandosque denotasse.* FABR.

5. *Quicumque.* Florent. pr., *ut quicumque inventi fuissent.*

6. *Quoque.* Abest ab ed. August.

7. *Cum centum viginti millibus.* In Meo, *viginti* non invenitur.

8. *Sylla, cui post consulatum.* Sylla ad bellum Mithridaticum profectus fuit post consulatum, cum jam Cinna consul ei accusationem per Virginium tribunum pleb. compararet, Plutarchus in Sulla. FABR.

9. *Septemplici muro communitum.* Sic Florus, *Mox subruto Piræei portu, sex quoque et amplius muris munito.* Munierat eum pluribus muris contra Syllæ impetum Archelaus, ut scribit Appianus. FABR.

10. *Communitum.* Perizon., *munitum.*

Atheniensium urbem vi cepit, ac [11] postea [12] justo prælio cum Archelao conflixit. [13] Centum et decem millia de exercitu Archelai interfecta, vix decem millia superfuisse referuntur. Comperta clade Mithridates [14] lectissima [15] septuaginta millia militum Archelao in [16] subsidium misit ex Asia. [17] Secundo prælio quindecim millia ex his interfecta sunt, ibique [18] Diogenes, Archelai filius, trucidatus est. Tertio bello omnes copiæ, quas Archelaus habebat, exstinctæ sunt. Nam viginti millia militum ejus in paludem [19] pulsa, cum Syllæ fidem [20] implorarent, insatiabili victoris ira interfecta sunt, totidemque alia in flumen coacta ac necata, reliqui miserorum [21] passim trucidati sunt. Porro autem Mithridates in Asia nobilissimarum urbium principes occidere, bonaque eorum publicare animo intenderat. [22] Cumque jam **372** B mille et sexcentos [23] ita interfecisset, Ephesii exemplum verentes, [24] excluso præsidio ejus, portas objecerunt. Similiter Smyrnæi, Sardi, Colophonii, Trallianique fecerunt. Perturbatus Mithridates, per Archelaum ducem suum cum Sylla de pace pepigit. [25] Interea Fimbria Marianorum scelerum satelles, homo omnium audacissimus, Flaccum consulem, cui legatus [26] ierat, apud Nicomediam occidit : ac mox arrepto exercitu Mithridatis filium ex Asia [27] ad Miletopolin [28] fugat, stationem regis invadit, ipsumque Pergamo pellit, fugientemque insecutus apud Pitanam obsedit : et profecto cepisset, si L. Lucullus civilibus discordiis curam reipublicæ prætulisset, [29] eumque mari coarctare, objecta classe, voluisset : inde Fimbria, [30] Iliensibus iratus, a quibus pro Syllanæ partis studio objectu portarum repulsus videbatur, ipsam urbem Ilium, antiquam illam Romæ parentem, funditus cæde incendioque delevit. Sed eam Sylla continuo reformavit. [31] Idem Fimbria [32] apud Thyatira, cum ab exercitu Syllæ obsideretur, desperatione [33] ad- **373** actus, in templo Æsculapii manu sua interfectus est. [34] Fannius et Magius, de exercitu Fimbriæ profugi, Mithridati sese [35] adjunxerunt : quorum hortatu Mithridates cum Sertorio, per legatos in Hispaniam

HAVERCAMPI NOTÆ.

11. *Postea justo prælio*. Edd. pleræque legunt, *ac postea*, nimium liberales, contra stantibus mss. omnibus. Pro *justo prælio*, Lugd. Bat. quart., *inito prælio*.

12. *Justo prælio cum Archelao conflixit*. Hoc prælium in Bœotia ad Chæroneam commissum fuit : in quo ex CXX millibus Archelai vix decem millia Chalcidem effugisse Appianus, Plutarchus et Eutropius scribunt. Quare in Liviana epitoma octuagesima secunda, ubi legitur, *cæsis hostium centum millibus*, scribendum puto, CX *millibus*. FABR.

13. *Centum et decem millia*. Lugd. Bat. pr., *Nonaginta millia*.

14. *Lectissima* LXX *millia*. Eumdem numerum habet Eutropius : sed apud Appianum et Plutarchum sunt, ὀκτὼ μυριάδες, id est, LXXX *millia*, quæ Mithridates cum Dorylao ad Archelaum misit. FABR. — Ed. August., *electissima*.

15. *Septuaginta millia*. Perizon., *Octoginta millia*.

16. *In subsidium*. Florent. pr., *in subsidio*.

17. *Secundo prælio* XV *millia*. Cum in omnibus libris Orosii *quinquaginta millia*, legatur, ego tamen non dubitavi, XV *millia*, ex Eutropio meo manuscripto (nam impressi XX *millia* habent) reponere : cum præsertim Appianus scribat, τῶν πολεμίων ἀπώλοντο ἀμφὶ μυρίους καὶ πενταχισχιλίους, et sequentes numeri, si L *millia* legas, constare non possint. Commissum hoc secundum prælium fuit ad Orchomenum. Appianus, Plutarchus, Florus. FABR.

18. *Diogenes, Archelai F.* Ὁ παῖς Ἀρχελάου Διογένης. Appian. Διογένης ὁ τῆς Ἀρχελάου γυναικὸς υἱὸς. Plutarch. FABR.

19. *Pulsa*. Lugd. Batt. quatuor, cum Ultr. et Coll. Gronov., *compulsa*.

20. *Implorarent*. Perizon., *improperarent*.

21. *Passim*. Meus, *sparsim*.

22. *Cumque jam* MDC. Ἀμφὶ τοὺς χιλίους καὶ ἑξακοσίους ἄνδρας habet quoque Appianus, quem hac de re consule. FABR.

23. *Ita interfecisset*. Prior vox non invenitur in Meo, neque in tribus Lugd. Batt. vel Coll. Gronov.

24. *Excluso præsidio ejus*. Edd. quædam vett., *excluso præsidio, ei portas*, etc.

25. *Interea Fimbria*. Cum *L. Valerius Flaccus* in Marii locum consul suffectus, a Cinna, ut Syllæ ad bellum Mithridaticum succederet, missus, in Asiam trajecisset, a C. Flavio Fimbria interfectus est. Appianus in Mithridatico, Plutarchus in Sulla, Strabo libro XIII, Livius LXXXII, Velleius II. Fimbriæ meminit Cicero in Bruto. FABR.

26. *Ierat*. Meus et Perizon., *erat*.

27. *Ad Miletopolim*. Vide Strabonem libro II. FABR.

28. *Fugat*. Edd. nonnullæ *fugans*, et mox *Pergam*, contra mss.

29. *Eumque mari coarctare*. Hic locus verbis supervacaneis depravatus, a nobis e manuscriptis restitutus est. Plutarchus in Lucullo eamdem rem exponens inter cætera sic ait : Εἰ Φιμβρίᾳ τότε πεισθεὶς ὁ Λούκουλλος, οὐ μακρὰν ὤν, περιήγαγεν ἐκεῖσε τὰς ναῦς, καὶ συνέφραξε τὸν λιμένα τῷ στόλῳ, πέρας ἂν εἶχεν ὁ πόλεμος, id est : *Si Lucullus, qui non longe aberat, tum Fimbriæ consilium secutus naves eo circumduxisset, portumque objecta classe obstruxisset, bellum confectum fuisset*. FABR. — Antea male in plerisque edd. legebatur, *cumque eum mari coarctare objecta classe voluisset, ab Iliensibus repulsus est. Inde Fimbria*, etc.

30. *Iliensibus iratus*. De *Ilii excidio* Appianus et Strabo libro decimo tertio. FABR.

31. *Idem Fimbria apud Thyatira*. Lugd. Bat. pr., *Inde Fimbria*, etc. Perizon., *Idem Fimbria, cum apud Thyatiram ab exercitu Sullæ*, etc. Singulari numero urbis nomen quoque exprimunt mss. Lugd. Batt. pr. et quart. cum Meo atque Perizon. et Ultr. exemplo Plinii lib. v, cap. 29 : *Intus et Thyatira alluitur Lyco, Pelopia aliquando et Euhippa cognominata*. Paulo ante pro *antiquam illam*, deleta posteriore voce, *antiquam* tantum exhibent Lugd. Bat. quart. et Perizon.

32. *Apud Thyatira*. Πρὸς Θυατείροις, Plutarch. in Sulla. FABR.

33. *Adactus*. Lugd. Bat. pr., *actus*.

34. *Fannius et Magius*. Ita legitur in omnibus manu descriptis libris, hancque veram lectionem judico : nam etsi impressus liber Appiani habeat Λουκίους Μαγνιόν τε καὶ Φάνιον, ego tamen lego, Μαγιόν τε καὶ Φάνιον, cum præsertim Asconius Verrina tertia hos eosdem *L. Magium, et L. Fannium* appellet, quamvis in Ciceronis lib. corrupte sit, *L. Magio et L. Rabio*. FABR. — In Lugd. Batt. pr. et quart. *Magnus*, in reliquis omnibus, ut et in ed. August. recte *Magius*. Mox *Fimbriæ* nomen a quibusdam mss. exsulat.

35. *Adjunxerunt*. Lugd. Bat. quart., *junxerunt*.

missos, fœdus pepigit. [36] Sertorius ad eum [37] Marcum Marium firmandi fœderis causa misit. Quem rex apud se retentum, brevi ducem fecit in locum Archelai, qui se ad Syllam cum uxore liberisque contulerat. Marius et Eumachus duces a Mithridate adversus Lucullum missi, magno exercitu brevi congregato, [38] cum P. Rutilio [39] apud Chalcedona congressi sunt, eumque cum plurima [40] exercitus ipsius parte cecidérunt. Lucullus Mithridatem Cyzicenos obsidentem, fossa cinxit : eumque quod faciebat, pati compulit : atque ad ipsos Cyzicenos, ut bono animo essent, nuntium misit unum ex militibus nandi peritum : qui duobus utribus [41] suspensus, mediam ipse regulam tenens, plantisque subremigans, septem millia passuum transmeavit : Mithridates inopia laborans, partem copiarum instructam armis domum abire præcepit : quam Lucullus excipiens, universam disperdidit. [42] Nam amplius quam quindecim millia hominum tunc interfecisse narratur. Tunc etiam Fannius, qui se Mithridati junxerat, et Metrophanes, regius prætor, a Mamerco victi, cum duobus millibus equitum **374** in Mœsiam profugerunt : atque inde in Mæoniam [43] digressi, in colles [44] camposque Inarimos inciderunt; ubi non A solum montes usti, vel saxa quasi quadam fuligine obfuscata cernuntur, verum etiam campi ambusto solo squalidi, per quinquaginta millia passuum, sine ullo ignis vel fornacis indicio, et pendulo in profundum cinere putres jacent. Tribus etiam locis torridæ voragines ostenduntur, quas Græci physas vocant : in quibus diu oberrantes, inopinatis tandem periculis exempti sunt, et clam in regis castra venérunt. [45] Deiotarus, rex Gallograeciæ, præfectos regis [46] bello trucidavit. Interea Mithridates apud Cyzicum eadem morâ qua obsidebat, obsessus, in magnam penuriam pestilentiamque exercitum suum coarctavit. Nam [47] plus quam trecenta millia hominum fame et morbo in eadem obsidione amisisse fertur; **375** ipse cum paucis arrepta navi [48] clam fugit B e castris. Lucullus incruento milite spectator cladis alienæ, novum genus victoriæ adeptus est, [49] mox Marium adortus vicit fugavitque. In quo prælio plus quam [50] undecim millia Marianorum militum interfecta referuntur. Lucullus postea cum eodem Mario navali [51] prælio congressus, [52] triginta et duas naves regias, et complures onerarias, aut demersit aut cepit. Multi ibi [53] ex his quos Sulla proscripserat, interempti sunt. Marius postera die de spelunca, ubi

HAVERCAMPI NOTÆ.

36. *Sertorius ad eum.* Edd. quædam vett., *Sertorius vero*, etc.

37. *M. Marium.* Appian. hunc Μάριον Οὐάρον, sive, ut interpres Candid. legit, Οὐάριον appellat. Sed Plutarchus in Lucullo, *Marium* cum Orosio nominat. FABR.

38. *Cum P. Rutilio. Rutilium* M. Cottæ legatum C fuisse arbitror : nam Mithridates Cottam apud Chalcedona terra fudit, mari exuit classe pulcherrima, ut ipse scribit in epistola ad Arsacem, quæ ex lib. IV Histor. Sallustii exstat. Sed de hac re, sicut et de *Cyzicenorum obsidione* lege Appianum et Plutarchum. De *Cyzico* etiam Cicero pro lege Manilia, pro Murena, et pro Archia. FABR.

39. *Apud Chalcedona.* Lugd. Bat. tert., *apud Chalcedonem.*

40. *Exercitus ipsius parte.* Mediam vocem, quæ facile desiderari potest, delet Lugd. Bat. pr., at ed. August. pro ea *sui* exhibet.

41. *Suspensus.* Sic recte ex mss. restituit Fabricius, nam edd. pleræque habebant, *qui duobus utribus suspensis, mediam ipse regulam tenens*, etc.

42. *Nam amplius quam quindecim millia.* Lucullus ad Rhindacum fluvium consecutus eos, qui in Bithyniam a Mithridate mittebantur, magnum eorum numerum interfecit : cepit vero equorum millia VI, virorum millia XV. Ita Plut. et Appian. FABR. — In ed. pr., *amplius quindecim*, deleto *quam*.

43. *Digressi.* Lugd. Bat. pr., *degressi.*

44. *Camposque Inarimos.* Vulgo legitur, *camposque et in eremos.* Ego particulam *et* in nullis vetustis inveni. Sed hi partim, *camposque inheremos*, partim, *camposque inharemos*, habent. Unde adductus sum, ut crederem Orosium, *camposque Inarimos*, scripsisse. Notum est illud Homeri in Catalogo,

Εἰναρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Ubi cum Græci omnes εἰν Ἀρίμοις duabus vocibus legant, et Ἄρυμα vel in Cilicia vel in *Syria* aut *Lydia* collocent, Plinius tamen lib. III, cap. 6, *Ænariam* insulam Homero *Inarimen* dictam scribit. Virgil. quoque, Ovid., Hor., Lucan. cæterique poetæ Latini, *Inarimen* dixerunt. Ita putavi Livium etiam, vel quem alium, a quo historiam Orosius sumpsit, *eum pos Inarimos*, dixisse, cum præsertim Scepsius, ut est apud Strab. lib. XIII, probabiliorem eorum sententiam judicaverit, qui *Arimos* in exusta Mysiæ regione constituunt, et Xanth. tradat, *Arimum* quemdam in iis locis regnasse. FABR.—Ex mss. quos ego consului, Florentt. tres et Lugd. Bat. sec. exhibent, *in colles camposque inaremos.* Meus *inheremo.* Ultr., *Arenios.* Lugd. Batt. pr. et tert., *maritimos*; quart., cum Perizon., *marinos*; Coll. Gronov., *mansimos.* Sed ego Fabricii emendationem probam esse judico. Homericus versus exstat lib. Iliad. II, ibique in Catalogo Navium vers. 290, ad quem locum Eustathius in præstantissima summisque laudibus suo merito digna Edit. Alexandri Politi, tom. II, p. 747, scribit : Γαῖα δ' ὑπεστενάχιζεν, ὅπερ κατωτέρω παθητικῶς λέγει, στεναχίζετο. Ἐστενάχιζε δὲ καὶ πυρὸς νομὴν ἔπασχεν, οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ Διὶ ὡς τερπικεραύνῳ χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωεῖ γαῖαν ἰμάσσει εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς. *Terraque ingemiscebat, quod quidem inferius forma passiva dicit* στεναχίζετο. *Ingemiscebat autem, et ab igne depascebatur, non generatim nec quomodocumque; sed veluti irato Jove Fulminatore, quando circa Typhoea terram in Arimis verberat, ubi Typhoei cubilia esse dicunt.*

45. *Deiotarus, rex Gallogr.* Idem est in Ep. Liv. lib. XCIV. Phrygiam invaserat Eumach. Mithridatis præfectus de quo Appianus. FABR.

46. *Bello.* Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *in bello.*

47. *Plusquam* CCC *millia.* Plutarchus in Lucullo : Λέγονται δὲ ἐκ τοῦ παντὸς ἀκολούθων τε καὶ μαχίμων ὄχλου μυριάδες οὐ πολὺ δὴ τοῦ τριάκοντα λείπουσαι διαφθαρῆναι. FABR.—In Florent. pr. legitur, *plus trecenta*, deleto *quam.*

48. *Clam fugit.* Lugd. Bat. sec. et Coll. Gron., *arrepta navicula fugit.*

49. *Mox Marium.* Copulam *que* contra mss. interserunt edd. pleræque. Quod sequitur *adortus*, abest a Lugd. Batt. quatuor.

50. *Undecim. Duodecim millia* numerat cod. Perizon.

51. *Prælio.* Edd. quædam, *bello.*

52. *Triginta et duas.* Edd. quædam vett., *triginta et quinque.*

53. *Ex his.* Non agnoscit cod. Perizon. et abesse potest.

latebat, extractus, meritas hostilis animi pœnas luit. Eodem vero Lucullus impetu Apamiam vastavit, et [54] sub monte Olympo Prusam, munitissimam civitatem, captam expugnatamque diripuit. Mithridates adversus Byzantium instructa classe navigans, tempestate correptus, [55] octoginta rostratas naves [56] perdidit : ipse, cum [57] quassata jam navi mergeretur, in myoparonem Seleuci piratæ, ipso pirata [58] juvante, transilivit. Inde Sinopem, [59] ac post Amisum cum magna difficultate pervenit.

376 CAPUT III.

De Catilinæ incestu, et Lucullorum adversus Bessos, Mithridatem, et Tigranem, cæterosque bellis.

Eodem anno apud Romam [1] Catilina incesti accusatus, quod cum Fabia virgine Vestali commisisse [2] arguebatur, Catuli gratia fultus evasit. Lucullus Sinopen expugnaturus obsederat. Hanc Seleucus archipirata, et [3] Cleochares spado, qui præsidii [4] causa præerant, [5] expilatam atque incensam reliquerunt. Lucullus miserorum hostium intestina clade permotus, celeri [6] occursu immissum restinxit incendium. Ita misera civitas, versa vice hostium sociorumque, unde defendenda, disperdita, et unde disperdenda, servata est. At vero [7] M. Lucullus, qui Curioni in Macedonia successerat, totam Bessorum gentem bello appetitam, in deditionem recepit. [8] Eodem tempore Metellus, Siciliæ prætor, cum fœdissima illa C. Verris prætura Siciliam afflictam invenisset, maxime [9] Pyrganione archipirata nefariis prædis et cædibus [10] dilacerante, qui pulsa classe Romana, Syracusanum portum obtinuerat, [11] quem mox navali terrestrique prælio comminutum, **377** Sicilia [12] decedere compulit. Præterea Lucullus, transgressus Euphratem et Tigrim, apud [13] Tigranocertam urbem cum Mithridate et Tigrane congressus, parvissima suorum manu magnum hostium numerum occidit. [14] Nam triginta millia hominum in eo bello cæsa referuntur. Tigranes, [15] vix centum et quinquaginta equitibus comitatus, aufugit, diademate et tiara ne agnoscerentur abjectis. Tunc ad Lucullum totius pene Orientis supplices venere legati : [16] is, imminente hieme per Armeniam in Mesopotamiam regressus, Nisibin urbem, [17] illis tunc locis inclytam, expugnavit et cepit.

CAPUT IV.

De bello Piratico et Cretico, deque re cum Mithridate a Pompeio gesta.

[1] Iisdem [2] diebus Piratæ per omnia sparsi maria, [3] et jam non tantum intercipientes navium commeatus, sed etiam insulas provinciasque vastantes, impunitate sceleris et aviditate prædæ vulgo sese [4] associantes, in immensum augebantur, [5] quos Cn.

HAVERCAMPI NOTÆ.

54. *Sub monte Olympo Prusam.* Impressi libri omnes pro *Prusam*, habent, *prius Athan*, sed cum posterior vox a manuscriptis absit, atque in uno *Priusam* legatur, ego *Prusam* scripsi. Plinius libro quinto capite ultimo : *A Cio intus in Bithynia Prusa, ab Annibale sub Olympo condita* ; Appian. : Βάρβας δὲ Προυσιάδα εἶλε τὴν πρὸς τῷ ὄρει. De *Prusiade*, quæ antea *Cius* dicebatur, Strabo libro duodecimo. FABR.

55. LXXX *rostratas naves.* Appianus, ναῦς ἀμφὶ τὰς ἑξήκοντα habet.

56. *Perdidit.* Meus, *amisit.*

57. *Quassata jam navi.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. et Florent. pr., *quassa navi*, vel, *quassa jam navi.* Idem in Florent. sec. invenitur, sed ibi superscribitur *quassata.* Utrumque Latine dicitur et utriusque plura apud Ovidium prostant exempla. Sed *quassata*, ex Virgiliana, ut sæpe, imitatione ab Orosio desumptum videtur. Virg. Æn. IV, 53 :

Quassatæque rates, dum non tractabile cœlum.

58. *Juvante.* Florent. pr., *juvente* pro *jubente*, quod invenitur in Ed. Augustana.

59. *Ac post Amisum.* Ita recte manuscripti : vide Appianum et Plutarchum. FABR.

CAP. III.—1. *Catilina incesti accusatus.* Hujus judicii meminit Asconius in orat. Ciceronis contra competitores, ubi scribit hanc Fabiam virginem Vestalem fuisse sororem Terentiæ Ciceronis. Unde in Plutarchi Catone legendum, ἐν οἷς καὶ Φαβία, Τερεντίας ἀδελφὴ, τῆς Κικέρωνος γυναικὸς ἐκινδύνευσεν. FABR.

2. *Arguebatur.* Meus, *dicebatur.* Post *Vestali* edd. quædam *stuprum* ponunt.

3. *Cleochares.* Lugd. Batt. duo, Coll. Gronov., et ed. pr., *Leochares.*

4. *Causa.* Lugd. Bat. pr., *gratia.*

5. *Expilatam.* Mss. et editi quidam, *exspoliatam.* Sed in ed. August. legitur, *sine apparatu belli, expilatam et incensam reliquerunt.*

6. *Occursu.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *cursu.*

7. *M. Lucullus.* De re a M. Lucullo contra Bessos et Thracas gesta, Eutrop. et Sex. Rufus. FABR.

8. *Eodem tempore Metellus.* Cn. Pompeio, M. Crasso primum coss., an. DCLXXXIII, L. Metellus Verri in Sicilia successit. Res nota est ex Ciceronis Verr. et Asconio. FABR.

9. *Pyrganione.* Duplicem scripturam hujus archipiratæ in nostris manuscriptis invenimus : alii eum *Pergamænonem* in suis lib. nominarunt. FABR. — In mss. omnibus inveni, *Pyrganione* vel *Purganione.* In edd. quib., *Pergamenone* vel *Perganione.*

10. *Dilacerante.* Lugd. Batt. quatuor, *lacerante.*

11. *Quem.* Perizon., *eum.* Delet ed. Aug. ; sed *mox eum* legunt edd. pr. et Venetæ.

12. *Decedere.* Edd. quidam, *discedere.*

13. *Tigranocertam.* Lugd. Bat. pr., *Tigranocerem.*

14. *Nam* XXX *millia.* Legitur et XX *millia.* At Plutarchus peditum C millia cæsa, equitum, quorum millia LV erant, paucos effugisse tradit. FABR.

15. *Vix.* Abest a Flor. pr.

16. *Is, imminente hieme. Nisibis*, quam Græci *Antiochiam Mygdonicam* nominant, capta fuit L. Metello et Q. Marcio coss. auctore Dione lib. XXXV. Vide quoque Appianum et Plutarchum. De *Antiochia* autem Didacus Covarruvias lib. IV Variar. Resol. pertractat. FABR.

17. *Illis tunc locis.* Ita constanter libri mss. omnes scribunt. Frustra igitur *in* inferciunt edd., *illis in locis tunc*, etc., legentes.

Cap. IV. —1. *Iisdem diebus piratæ.* De bello *piratico*, quod et *Maritimum* nominatur, accurate Dio lib. XXXVI, et Plutarchus in Pompeio. De eodem Cicero pro lege Manilia, Livius lib. XCIX, Florus lib. III cap. 6, Velleius et Eutropius. FABR.

2. *Diebus.* Perizon., *temporibus.*

3. *Et jam.* Male, et contra mss., *etiam* edd.

4. *Associantes.* Ita malui edere cum ms. Perizon. atque vetustiss. editt., quam *associantibus*, quod alii præferunt.

5. *Quos Cn. Pompeius.* Præter alios de hoc bello et

Pompeius **378** post multam quidem vastationem, quam terra marique diu egerant, mira tamen celeritate compressit. [6] Eodem tempore Cretam insulam per biennium Metellus evertit, diuturnoque bello domitam in potestatem redegit, legesque Minois Romanis legibus permutavit. [7] Pompeius postea, successor Luculli, in minori Armenia juxta montem Dastracum castra regis obsidione conclusit. Rex cum omnibus copiis, eruptione per noctem facta, insuper etiam [8] persequentem bello repellere statuit. Pompeius fugientes persequi intendit. Itaque [9] bellum nocte commissum est. Luna tunc orta, a tergo Romanis [10] erat. Regii [11] longitudinem umbrarum proximitatem hostium rati, **379** cuncta in irritum tela [12] fuderunt. Romani, veluti inermes postea aggressi, sine labore vicerunt. A Namque de exercitu regio quadraginta millia cæsa vel capta sunt, [13] Romani vulnerati mille, vix autem [14] quadraginta interfecti. [15] Rex inter tumultus belli fuga elapsus, adjutus etiam beneficio sublustris noctis evasit : relictusque ab omnibus amicis, philosophis, scriptoribus rerum vel carminum, ac medicis, solus per devia equum manu trahens, atque ad omnes nocturnos strepitus [16] trepidans, in quoddam castellum [17] devertit, atque inde in Armeniam perrexit. Pompeius regem [18] insecuturus, inter duo flumina, quæ ab uno monte diversis specubus exoriuntur, hoc est, Euphratem et Araxem, urbem Nicopolim, [19] senibus lassis et ægris volentibus, condidit; oranti Tigrani veniam dedit ; exercitum [20] Orodis Albanorum regis, præfectosque ejus ter prælio vicit : post-

HAVERCAMPI NOTÆ.

nova piratarum sede, Lucanus lib. II, 576:

> Qui, cum signa tuli toto fulgentia ponto,
> Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem,
> Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
> Angustaque domum terrarum in sede poposcit.

Concessit enim piratis Pompeius ut Solos, Ciliciæ urbem, habitarent, testibus Dione Cassio lib. XXXVI, p. 18, et Strabone p. 462. Quare nova hæc colonia Pompeiopolin urbem suam vocavit, in qua urbe cusum cum conditoris Pompeii capite nummum insignem produxi in Thesauro Morelliano tom. I, p. 339. Sed et ipse postea ineditum alterum, nec minus raritate atque integritate, immo et nova insuper instauratæ urbis, postquam nomen suum mutaverat, æra conspicuum, sum nactus, quem, ex museo nostro, adjecto nummo Morelliano (uterque vero æreus est) examussim ad archetypon delineatum, subjicio.

6. *Eodem tempore Cretam.* De bello *Cretico* Xiphilinus in Pompeio, Livius lib. XCVIII et seq., Florus lib. III cap. 7, Velleius lib. II. FABR.

7. *Pompeius, successor Luculli.* Pompeio bellum Mithridaticum mandatum fuit lege Manilia, quam Cicero suasit. Appianus, Plutarchus et Diod. FABR.

8. *Persequentem.* Tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. et edd. quibusdam, *persequentes.*

9. *Bellum nocte commissum est.* De hoc prælio nocturno, præter Appianum, Plutarchum et Dionem, Florus lib. III cap. 5, Eutrop. lib. VI, ubi scribit Pompeium, XL millibus occisis, triginta autem de exercitu suo perdidisse, et duos centuriones. FABR.

10. *Erat.* Ed. August., *fuit.*

11. *Longitudinem umbrarum.* Ita reposui ex auctoritate codicis Longob. ; nam vulgo scribitur, *longitudine umbrarum.* At vero regii non conjecerunt proximitatem Romanorum ex longitudine umbrarum, neque enim sic tela in irritum consumpsissent, sed, longitudine umbrarum decepti, et ipsam illam longitudinem, verum credentes exercitum hostilem esse, umbras pro corporibus petiverunt. Ἐς γὰρ τὸ κενὸν οἱ βάρβαροι, ὡς καὶ ἐγγὺς αὐτῶν ὄντων, μάτην ἔπαιον. *In vacuum enim barbari, tamquam si prope adessent hostes, frustra miserunt tela.* Dio Cassius lib. XXXVI, p. 24.

12. *Fuderunt.* Meus, *miserunt.*

13. *Romani vulnerati.* Perizon., *Romani autem vulnerati.*

14. *Quadraginta interfecti.* Imminuto insuper numero XX scribunt Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov.

15. *Rex.* Meus addit *autem.*

16. *Trepidans.*, Perizon. *pavitans.*

17. *Devertit.* Ita antiquo more pro *divertit*, videtur scripsisse Orosius ex imitatione Plauti, Taciti, Quintiliani et aliorum. In Longobardico enim clare exstat *devertit*, ut et in Coll. Gronov. Glossam sapit illud Lugd. Bat. pr. *devenit.*

18. *Insecuturus.* Perizon., *insecutus.* Flor. pr., *persecuturus.*

19. *Senibus lassis et ægris.* In aliis est, *senibus lixis, et ægris.* Ego e Gualtheri libro, *senibus lassis* emendavi. Sic Dio lib. XXXVI : Πόλιν ἐν τῷ χωρίῳ ἐν ᾧ ἐνενικήκει συνῴκισε τοῖς τραυματίαις, καὶ τοῖς ἀφηλικεστέροις τῶν στρατιωτῶν. Id est : *Urbem eo loco, ubi victoriam pepererat, vulneribus et ætate confectis militibus, condidit. Senes lassos :* eodem modo Seneca dixit. FABR. — Lugd. Bat. tert. habet *lexis*, quod et in Coll. Gronov. inveni. An igitur legendum *læsis*? i. e., τοῖς τραυματίαις, *vulneratis*, ut est apud Dionem. Quo modo tria inutilium militum genera enumerantur, *senes*, *læsi* et *ægri*. In Lugd. Bat. secundo scribitur in textu, sicut passim, *lixis*, sed in Marg. *vel lassis.* Senecæ locus, quem Fabricius respexit, invenitur in Agamemn. versu 364 :

> Tibi grandævi lassique senes,
> Compote voto reddunt grates, etc.

20. *Orodis Albanorum regis.* In Gualtheri lib. est, *Hierodis*, in aliis, *Horodis. Orodis* quod erat in impressis reliqui ; nam et Florus *Orodem* nominat, qui ab Appian. Ὀροίζης, a Dione Ὀροίσης dicitur. FABR. — Latini scriptores Oroden solent scribere, ut patet ex Virgil. Æneid. X, 732 :

> Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
> Sternere.

Et versu 737 :

> Pars belli haud temnenda, viri, jacet, altus Orodes.

tca **380** epistolas Orodis et munera, [21] pro pace cum Albanis instauranda, libenter accepit; [22] Artocem regem Iberiæ bello fudit, [23] totamque Iberiam in deditionem accepit. Inde, cum Armeniam, Colchos, Cappadociam et Syriam [24] ordinatis rebus composuisset, promovens de Ponto in Parthiam, [25] ad Ecbatanam urbem caput Parthici regni quinquagesimo die venit.

CAPUT V.

Quod Mithridates filios ac amicos peremerit, ipseque vicissim a filio peremptus sit.

In Bosporo Mithridate Cerealia sacra celebrante, [1] terræmotus adeo gravis [2] repente exortus est, ut magna clades [3] ex eo urbium atque agrorum secuta narretur. Eodem tempore [4] Castor, Mithridatis præfectus, qui Phanagorio præerat, interfectis amicis [5] regiis arcem occupavit, et [6] quatuor Mithridatis filios ad præsidia [7] Romana transmisit. Mithridates, accensus ira, [8] in scelera exarsit. **381** Nam complures tunc amicos suos, et [9] Exipodram filium suum interfecit, cum antea jam alium, [10] Macharem nomine, parricidio trucidasset: Pharnaces, alter filius ejus, exemplo fratrum territus, exercitum, ad persequendum [11] se missum, sibi conciliavit, et mox adversus patrem duxit. Mithridates, diu ex altissimo muro filium [12] frustra precatus, ubi inexorabilem vidit, moriturus exclamasse fertur: *Quoniam Pharnaces*, inquit, [13] *mori jubet, vos, si estis, dii patrii, precor, ut* [14] *quandoque et ipse hanc vocem a liberis suis audiat.* Statimque descendens ad uxores, pellices ac filias suas, venenum omnibus dedit. Quod cum ipse novissimus hausisset, nec tamen, propter remedia, quibus vitalia sua adversus noxios succos sæpe obstruxerat, veneno confici posset, frustraque spatiaretur, si quo tandem modo infusa pestis per venas vegetatione corporis acta discurreret, [15] Gallum quemdam militem, jam fracto muro discurrentem, invitavit, eique jugulum præbuit. [16] Hunc exitum vitæ Mithridates **382** habuit, [17], nobisque sententiæ suæ fortissimum argumentum reliquit, homo omnium, ut ferunt, superstitiosissimus, annos natus [18] septuaginta duos, habens secum semper philosophos, omniumque artium peritissimos. *Si estis*, inquit, *dii patrii*. Ita ille diu colendo, ac diu quærendo persenserat, hos non esse certos deos, qui esse putabantur. Rex multæ experientiæ

HAVERCAMPI NOTÆ.

21. *Pro pace cum Albanis instauranda.* Recepi lectionem cod. Perizoniani, quæ mihi præ reliquis placet. Vulgo legitur, *et munera cum Albanis pace instauranda libenter accepit.* Vocem *pace* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gron. negligunt. Desideratur eadem in multis vett. edd. Sed et aliam lectionem meus codex suppeditat. Legitur in eo: *Postea epistolas Orodis et munera cum Albanis pacis instaurandæ libenter accepit.* Quæ lectio superscribitur quoque in Florent. secundo.

22. *Artocem regem Iberiæ.* Ἀρτώχην hunc quoque Dio lib. XXXVII nominat, qui in Appiani libris mendose Ὦτοκος dicitur; iidem κύρτον mendose habent pro χρύνον, nec aliter Candidus interpres legit. FABR.

23. *Totamque.* Lugd. Bat. sec., *totam quoque.*

24. *Ordinatis.* Meus, *ornatis.*

25. *Ad Ecbatanam.* Lugd. Bat. pr. et Coll. Gronov., *Ecbatanam.*

CAP. V. — 1. *Terræmotus adeo gravis.* De hoc terræmotu Dio lib. XXXVII: Καὶ ὁ σεισμὸς μέγιστος γῆς τῶν πώποτε συνενεχθεὶς αὐτοῖς πολλὰς τῶν πόλεων ἔφθειρεν, i. e.: *Terræmotus major apud illos tum quam umquam alias exstitit, multas urbes evertit.* FABR.

2. *Repente.* Abest a Meo.

3. *Ex eo.* Perizon., *exinde.*

4. *Castor, Mithridatis præfectus.* Κάστωρ Φαναγορεὺς Appiano dicitur, qui Φαναγόρειαν nominat, quæ hic in vetustis libris, *Phanagorium* appellatur. Vide Strabonem lib. VI. FABR.

5. *Regiis.* Lugd. Bat. pr. et quart., *regis.*

6. *Quatuor filios.* Hi fuerunt *Artaphernes, Darius, Xerxes et Oxathres*, auctor Appianus. FABR. — *Xipodorum* legunt codd. Meus et Perizon., quod conjecturam Fabricii, infra, de Xiphare videtur adjuvare.

7. *Romana transmisit.* Meus, *Romanorum misit.*

8. *In scelera.* Lugd. Bat. pr. et quart. *in scelere.*

9. *Exipodram.* De hoc alii quod sciam nihil, nisi forte hic est *Xiphares*, de quo Appianus. FABR.

10. *Macharem.* Hoc nomen, quod in vulgatis libris varie corruptum est, in manuscriptis recte legitur. Græci quoque hunc Μαχάρην vocant. FABR. — Macharem hunc regem Bospori fecerat pater; sed cum res Mithridatis, ipso in Armenia latitante, neque in Tigranis generi conspectum admisso, plane ad incitas viderentur redactæ, Machares filius Romanorum, pro retinendo regno, ambiit amicitiam; quare redeunti in regnum patri frustra se purgare conatus, ad mortem adactus fuit. Vide fusius de hisce omnibus Vitam Mithridatis tom. III Hist. Univ.

11. *Se.* Sic mss. malunt hoc loco quam *sese;* quod in edd. est.

12. *Frustra.* Non exstat in vett. quibusdam edd.

13. *Mori jubet.* Inepte eædem *me* adjungunt.

14. *Quandoque.* Editi *quandoque*: sed *quandocumque* verum est, et ponitur absolute pro *quocumque tempore*, venuste. LAUT. — In mss. Florentt. pr. et sec., in Lugd. Bat. tert. et Coll. Gron. inveni *quandocumque.*

15. *Gallum quemdam militem.* In epitoma CII est, *A milite Gallo, nomine Bithoco.* Auctor de viris illustribus, *Gallum Sithocum* nominat. Verum cum Appianus hunc Βιτοῖτον nominet, vide ne utrobique *Bitoetum* sit scribendum. FABR. — *Bituitus*, nomen est Gallicum, ut patet ex rege Arvernorum, Bituito, qui Romam in triumphum ductus fuit.

16. *Hunc exitum vitæ Mithridates.* Ed. August. *hunc exitum vita Mithridatis habuit.* Multa hujus Mithridatis, maximi et fortissimi regis, argentea exstant numismata; unum vero præ reliquis ex auro quondam in museo Marckiano, præ cæteris insignem vidi, cujus accuratissimam subjicio delineationem.

17. *Nobisque.* Col. Gronov., *nobilisque.*

18. *Septuaginta duos.* Edd. vett. quædam, *septuaginta et quinque.* Florentt. tres, *septuaginta et duo.* Pro *ferunt* edd. eædem *fertur* malunt. Aliquanto post *senserat* pro *persenserat* Perizon.

atque ævo gravis, verum Deum, ad cujus notitiam non nisi auditu per fidem venitur, non intelligebat. Hos autem falsos esse rationis ipsius luce pervideret, aliud consuetudini, aliud menti suæ tribuens : *Si estis*, inquit, *dii*, hoc est dicere, ego sentiens esse super hominem potentiorem ipso homine potestatem, precandi necessitate motus, commendo diligentiam et excuso ignorantiam meam, [19] Invoco qui est, dum convenio qui non est. Quapropter cum dolore et timore considerandum est, qua pœna quove judicio digni erunt, qui, contra interdictum jam propalatæ et publicatæ veritatis eos sectantur et colunt [20] deos, de quibus [21] etiam illi jam tunc dubitare poterant, qui adhuc præter eosdem scire nihil poterant. Verumtamen breviter consulo, qualia tunc toti Orienti tempora videbantur, cum per quadraginta annos miseræ nationes alternis [22] tantorum ducum vastationibus terebantur : **383** cum quæque civitas tantis concursibus [23] media inevitabiliter periclitabatur, inde accensura alterum, unde alterum temperasset : hoc mox habitura supplicii, quod remedii ad tempus habuisset : cum trepidæ diversarum provinciarum legationes inter [24] succedentes Romanorum duces, et truculentiorem [25] notitia Mithridatem, alternis ad utrumque, prout quemque sors belli attollebat, [26] et incertis satisfactionibus transferebantur, augendo pericula quæ [27] sanabant. [28] Nunc quid continuo Pompeius, [29] et quidem Pompeius, homo Romanorum moderatissimus, per plurimas partes Orientis, finito Mithridatico bello, egerit, paucis [30] proferam.

CAPUT VI.

De gestis Pompeii in Syria, Phœnice et Judæa, et conjuratione Catilinæ.

[1] Anno ab urbe condita DCLXXXIX, M. Tullio Cicerone et C. Antonio consulibus, Pompeius, [2] occisi Mithridatis nuntio **384** accepto, Syriam cœlen et Phœnicen bello aggressus. [3] Ituræos primum [4] Arabasque perdomuit, urbemque eorum, [5] quam Petram nominant, cepit. Hinc Judæos, quibus Aristobulus expulso fratre Hyrcano primus ex sacerdote rex præerat, atque ad Hierosolymam, urbem eorum,

HAVERCAMPI NOTÆ.

19. *Invoco qui est.* Sic Colon. plenius paulo quam alii, qui duo prima verba omittunt. LAUT. — Pro *invoco*, Perizon. legit, *in eo*. Sed ed. August. sic locum concipit : *invoco jam eum, qui est, dum convenio eum, qui non est Deus*. Sed mihi utriusque codicis lectio glossam sapere videtur ; rotundior enim est lectio vulgata.

20. *Deos*. Abest a Meo et Perizon. et abesse potest, si supra pro *eos* reponas *deos*.

21. *Etiam*. Non exstat in Meo. Lugd. Batt. pr. et quart. legunt, *de quibus etiam illi tunc dubitare poterant*.

22. *Tantorum*. Perizon., duorum.

23. *Media*. Recte ; duobus enim quæ intermedia hostibus terra est, ab utroque cladem et damnum patitur. Edd. quædam inepte, *inedia*.

24. *Succedentes Romanorum duces*. Sullam, Lucullum, Cottam, Murenam, Pompeium.

25. *Notitia Mithridatem*. Mss. aliquot, ex Lug. Batt., *notitiam Mithridatis*. Vocat Mithridatem truculentiorem notitia, quod ejus videlicet crudelitatem experti erant ; de Romanis vero sperarent fore ut qui ex iis sequeretur magis esset tolerabilis eo qui præcesserat.

26. *Et incertis*. Conjunctionem ex mss. attexui.

27. *Sanabant*. Ed. Aug., *sanabantur*.

28. *Nunc*. Ed. August., cum quatuor Lugd. Batt., Meo, Perizon., Ultr. et Coll. Gron., *Nam quid*, etc. Quod si placet, in fine periodi legendum est, *paucis nunc proferam*.

29. *Et quidem Pompeius*. Non inveniuntur hæc in primis quibusdam edd., ut nec in codd. Meo et Perizon.

30. *Proferam*. Lugd. Batt. pr. et tert., *referam*.

CAP. VI. — 1. *Anno ab U. C.* DCLXXXIX. Aliis est annus ab U. C. DCXC. Cum Orosio facit Eutropius lib. VII. FABR.

2. *Occisi Mithridatis*. Mithridates, fractis viribus, et in Asia debellatus a Pompeio, statuerat, exemplo Agathoclis Syracusani atque Scipionis Romani, bellum in hostilem transferre terram, Italiam turbare, inque ea Romanos, Gallorum viribus adjutus, aggredi : quod audax patris senis consilium cum timeret filius Pharnaces, ne penitus omnem veniæ spem a Romanis sibi intercluderet, defectione et parricidio partem regni paterni a Pompeio meruit. Hinc ad mortem a se coactum fuisse Mithridatem gloriatur Pompeius apud Lucan. II, 580 :

> Idem per Scythici profugum divortia Ponti
> Indomitum regem, Romanaque fata morantem,
> Ad mortem, Sulla felicior, ire coegi.

3. *Ituræos primum*. De *Ituræis* eorumque castellis a Pompeio eversis Strabo lib. XVI. In Ciceronis Philippicis hi *Ithyrei* non satis emendate nominantur. FABR.

4. *Arabasque perdomuit*. Pompeius apud Lucan. II, 590 :

> Me domitus cognovit Arabs ; me, Marte feroces
> Heniochi, notique erepto vellere Colchi.
> Cappadoces mea signa timent, et dedita sacris
> Incerti Judæa Dei, mollisque Sophene.
> Armenios, Cilicasque feros, Taurosque subegi.

5. *Quam Petram*. Arabum rex Aretas, quem Pompeius vicit et cepit, βασιλεὺς τῶν περὶ τὴν Πέτραν Ἀράβων dicitur a Plut. in Pomp. Apud *Petram* vero Aretas regiam suam habebat, Joseph. lib. XIV Ant. c. 2. Lege Dion. lib. XXXVII. FABR. — Est nobis ex ære nummus valde rarus, inscriptus ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΟΥ, qui faciem regis Arabum Aretæ, sive Areti, utroque enim modo nomen id scribitur, exhibet. Alium, cum simili inscriptione et Philellenis insuper cognomine, in egregio suo Specimine edidit Andreas Morellius. Utriusque lubenter, ut puto, picturam aspiciet Lector.



Gabinium cum exercitu [6] mittit. Ipse continuo subsecutus, et a patribus urbe susceptus, sed a plebe muro templi repulsus, [7] oppugnationem ejus intendit. Id non solum natura loci, verum etiam [8] ingenti muro, fossaque maxima munitum, cum alias aliis **385** legiones, dies noctesque succedere sine requie cogeret, [9] vix tertio mense expugnavit. [10] Tredecim ibi millia Judæorum cæsa narrantur, cætera multitudo in fidem venit. Pompeius muros civitatis, everti æquarique solo imperavit : et cum aliquantos [11] principes Judæorum securi percussisset, Hyrcanum sacerdotio restituit, Aristobulum captivum Romam duxit. Hoc bellum Orientis cum viginti et duobus [12] regibus sese gessisse [13] ipse Pompeius pro concione narravit. Interea conjuratio Catilinæ adversus patriam per eosdem dies in Urbe habita ac prodita, in Etruria vero civili bello exstincta est. Romæ conscii conjurationis occisi sunt. Sed hanc historiam [14] agente Cicerone, et describente Sallustio, satis omnibus notam, nunc a nobis breviter fuisse perstrictam sat est. Motus etiam in Peligais ortus a Marcellis patre et filio, [15] per L. Vettium [16] proditus, patefacta Catilinæ conjuratione, quasi succisa radice compressus est : et de utroque per Bibulum in Peligais, per Ciceronem in Brutiis vindicatum e··

CAPUT VII.

Cæsar quas provincias sortitus, quomodo Helvetios et Belgas domuerit.

[1] Anno ab Urbe condita DCXCIII, C. Cæsare et L. Bibulo consulibus, [2] lege Vatinia Cæsari tres provinciæ [3] cum legionibus **386** septem in quinquennium datæ, Gallia Transalpina, et Cisalpina, et Illyricus. Galliam Comatam postea senatus adjecit. [4] Hanc historiam Suetonius Tranquillus plenissime explicuit, cujus nos competentes portiunculas decerpsimus. Helvetiorum animos fortissimæ Gallorum omnium gentis, [5] ea vel maxime causa, quod perpetuo pene cum Germanis bello altercabantur, a quibus Rheno tantum flumine dirimuntur, [6] Orgetorix quidam, princeps gentis, spe totas invadendi Gallias, in arma accenderat. Quo cæteri optimates correpto et ad mortem coacto, cohibere tamen semel animatas in prædam plebes nequiverunt. Qui, conjuratione facta ac die dicta, exustis vicis ac domibus suis, ne quod desiderium [7] ex spe revertendi foret, profecti sunt. [8] Quos cum apud Rhodanum flumen obvios Cæsar habuisset, magno difficilique bello **387** [9] bis vicit, victosque ad deditionem [10] coegit. Horum fuit, cum primum progressa est, omnis multo quennium, cum legionibus quatuor. Nam populus Cæsari Galliam citeriorem et Illyricum in quinquennium cum tribus legionibus dedit : Senatus ulteriorem cum una legione adjecit, auctore Dione libro XXXVIII. FABR.

4. *Hanc historiam Suetonius.* Nos eam ab ipso Cæsare summa diligentia simul et eloquentia expositam non sine fructu libenter et legimus ipsi, et interpretamur. FABR.

5. *Ea vel maxime causa.* Lugd. Batt. duo et Meus, *vel maxima causa.* Mox iidem *ex quibus.* Perizon., *qui Rheno tantum.*

6. *Orgetorix.* Memoria hujus viri, inter suos principis, superesse videtur in argenteo hoc nummo apud Bouterocum.



7. *Ex spe.* Ed. August., *spe revertendi.*

8. *Quos cum,* etc. In Flor. pr. non exstat vox prima, quæ in Florent. secundo quoque superscribitur.

9. *Bis vicit.* Primum pagum Tigurinum in transitu Araris fluminis vicit, deinde cæteros insecutus post variam fortunam superavit, Cæsar et Dio libro XXXVIII. In uno manuscripto est, *bis vix vicit.* FABR. — *Bis et vix* duæ sunt diversæ lectiones, utramque pro more scribarum expresserat iste codex. In Lugd. Bat. sec. quoque legitur *vix*, ut et in edit. August.

10. *Coegit.* Lugd. Bat. sec., *redegit.*

HAVERCAMPI NOTÆ.

6. *Mittit.* Lugd. Bat. pr. *misit.*

7. *Oppugnationem.* Florentt. pr. et sec. cum Lug. Bat. sec., Ultr. et Coll. Gronov., *expugnationem.* Exstat idem in Edd. August. et Venetis. At Meus Codex legit, *oppugnationi intendit.*

8. *Ingenti muro.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. *Ingentibus muris.* Iidem mox cum Ed. Aug. *per dies noctesque.*

9. *Vix tertio mense.* Idem scribit Josephus lib. XIV, cap. 8, quem lege. FABR.

10. *Tredecim millia.* Florent. sec., XIIII *millia.*

11. *Principes.* Abest a quibusdam edd. vett.

12. *Regibus.* Ed. August., *Regulis.*

13. *Ipse Pompeius.* Abest vox prior a Florent. pr.

14. *Agente Cicerone et describente Sallustio.* Supra lib. I, cap. 1, p. 7 : *In quibus se inter actores scriptoresque omnium otia negotiaque triverunt.*

15. *L. Vettium.* Hic est *L. Vettius Judex*, de quo Cic. in Vatin. et ep. 24 lib. II, ad Attic. Eum Dio, lib. XXXVIII, Λούκιον Οὐέττιον nominat. Apud Appian. hoc nomen unico τ non recte scribitur : Plutarchi quoque libri in Lucullo mendose Βρέττιόν τινα pro Βέττιον habent. FABR. — Nomen hoc in mss. varie scribitur, *Vestilium*, *Vectilium*, *Butium*, *Hibitum*, sed Florent. pr. recte *L. Vettium* exprimit.

16. *Proditus.* Cl. P. Wesselingus Probabilium p. 382 legit *proditis*, ut cum *Marcellis* conjungatur.

CAP. VII. — 1. *Anno ab* U. C. DCXCIII. Eutropii libri impressi omnes, etiam is quem Sconhovius edidit, hunc annum Urbis cond. DCXCVIII faciunt; verum noster manuscriptus recte DCXCIII habet. In Fastis Capit. hic annus est DCXCIV. FABR.

2. *Lege Vatinia. P. Vatinius* Tribunus plebis hanc legem ad populum tulit Cæsare et Bibulo coss. de quo Suetonius in Julio. FABR.

3. *Cum legionibus septem.* Eutropius sic : *Decreta est ei Gallia et Illyricum cum legionibus decem.* Plutarchus in Cæsare scribit ipsum Galliam Cisalpinam et Transalpinam, adjuncto Illyrico, accepisse in quin-

titudo Helvetiorum, [11] Tulingorum, **388** [12] Latobrogiorum, Rauracorum et Boiorum, utriusque sexus [13] ad centum quinquaginta et septem millia hominum. [14] Ex his quadraginta et septem millia [14] in bello ceciderunt: cætera in terras proprias remissa sunt. [15] Postea Cæsar Ariovistum regem, **389** excitantem invehentemque secum incredibiles A Germanorum copias, quibus nuper universos Galliarum populos se subegisse jactabat, apud Sequanos vicit; [16] cum diu exercitus Cæsaris, Germanorum multitudine et virtute perterritus, pugnam detrectasset. Ariovistus in Germaniam, arrepta navicula Rhenum transvectus, [17] effugit, uxores ejus duæ totidemque filiæ captæ sunt. Fuerunt autem in exer-

HAVERCAMPI NOTÆ.

11. *Tulingorum*, etc. Variantes scripturæ in codd. mss. hæ sunt, *Tulingiorum*, *Latobrogiorum* vel *Logiboiorum*, vel *Latubogiorum*, vel *Latobogiorum*, vel *Lateboiorum*, *Raviricorum* vel *Racuracorum*. Rauracorum mentio exstare videtur in antiquo nummulo argenteo, qui parte priore Veneris comptum caput exhibet, cum litteris R—RA, ita tamen, ut una aut altera littera V vel AV vestigia pristinæ formæ, utpote detrita, tantum ostendat. Unde Bouteroueus p. 47 existimat vel ad Rauracos posse spectare, vel ad Raraurium sive oppidum Rom dictum prope Pictavienses in Antonini Itinerario. Ab altera parte libero cursu effrenis fertur equus, subtus sunt litteræ IVLIO, quæ idem, vel de principe et duce ejus nominis, vel de Normanniæ Juliobona seu Luliobona interpretatur.



Ariovisti deinde mentionem facit Orosius, multisque ejusdem res gestas persequitur Cæsar in Comm. suis de Bello Gallico. Hujus regis proprium nomen videtur fuisse *Arivus* seu *Arivos*, productum, ut passim in nominibus propriis fieri solet, a Romanis in Ariovistus. Conjecturam hanc firmat insignis nummulus Gallicus, quem vidi Amstelodami apud omnis elegantiæ studiosissimum virum, Gerardum Schaak. C Vulgatum inveni similem a Claudio Bouteroueo, in rarissimo et præstantissimo libro Gallice scripto, et inscripto *Recherches Curieuses des Monnoyes de France*, p. 59. Caput Virtutis, nisi malis Veneris armatæ, more Gallis usitato, ex Romanorum æmulatione, occurrit in parte priore, adscripto ducis seu regis nomen ARIVOS. Ab altera parte ferox equus est, libertatis symbolum; in circuitu legitur SANTONOS, quod scilicet Santones, seu Santoni, unde apud Lucanum I, 422:

Signa movet: gaudetque amoto Santonus hoste,

nummum hunc signaverint.



Nomen autem illud Arivos ad ducem seu regem spectare, non vero ad populum aliquem urbemve aliquam, docet alter nummulus argenteus, ibidem a Bouteroeo publicatus, in quo alterius ducis, Quinti Docii sive Docimi nomen, cum eodem muliebri capite galeato occurrit, quem una cum tertio nummulo, ab eodem populo cuso, subjicimus.





Sed et Sequanorum, apud quos magnum hunc Galliarum et Germaniæ regem, Ariovistum, vicit Cæsar, duo argentei sese mihi obtulerunt nummuli, quorum B prior itidem in Museo Gerardi Schaak servatur, uterque, Gallorum Germanorumque venerabile numen, Mercurium, ejusve caput, ex ala, quæ petaso ejusdem affingi solet, noscendum, exprimit. Insigne populi aper fuit. Ducem Ninnum celebrat prior, a Sequanis cusum utrumque, a Bouteroueo quoque p. 56 et 57 vulgatum, posterior testatur.



12. *Latobrogiorum*. Cæsar hos *Lacobrigos* nominat. FABR.

13. *Ad* CLVII *millia*. Summa omnium, inquit Cæsar, fuerant ad millia CCCLXVIII. *Plutarchus*, τριάκοντα μὲν αἱ πᾶσαι μυριάδες ὄντες, εἴκοσι δὲ αἱ μαχόμεναι, μιᾶς δέουσαι, id est: *Summa omnium fuerunt millia* CCC; *eorum qui arma ferre possent millia* CXC. FABR.

14. *Ex his quadraginta et septem millia*. Strabo lib. IV, de bello Helvetiorum, ἐν ᾧ πολέμῳ, inquit, περὶ τετταράκοντα μυριάδες σωμάτων διεφθάρησαν, id est: *Ad* CCCC *millia hominum perierunt*. In quo numero ego vitium subesse arbitror. FAB. — Mox illa *in bello* absunt a Meo et Lugd. Bat. quarto, qui dein scribunt, *et cætera in terras*.

D 15. *Postea Cæsar Ariovistum*, etc. In omnibus edd. contaminatus male hic locus exstat. Legunt enim, *Postea Cæsar contra Ariovistum*, etc. Quod *contra* male intrusum est, neque convenire potest cum *vicit*, quo periodus clauditur. Unde librarii quidam interseruerunt *congressus*, quod inveni in quatuor mss. Lugd. Batt., Ultr., Coll. Gronov. et edit. August. Sed vox *contra* expungi debet, ut faciunt codd. Perizon. et Lugd. Batt. quart. In iis, quæ sequuntur, voces *nuper* in Lugd. Batt. tert. et Coll. Gronov., *se* in edd. quibusdam vett. desiderantur.

16. *Cum diu*, etc. Editi *autem* inferciunt, contra omnium mss. consensum.

17. *Effugit*. Lugd. Bat. pr. et edd. quædam vett. *aufugit*. Mox *autem* non agnoscunt Lugd. Bat. quart., Meus et Perizon.

citu Ariovisti, [18] Arudes, [19] Marcomani, [20] Triboci, Vangiones, Nemetes, [21] Edures, et Suevi. Pugna maxime gravis ex phalange Germanorum fuit, quam coacto in unum agmine, scutisque supra capita contextis, ad irrumpendam Romanorum aciem tuti undique præstruxerant. Sed postquam aliqui Romanorum militum, agilitate audaciaque insignes, [22] supra [23] obductam [24] saliere testudinem, scutisque singillatim, velut squammis [25] revulsis, desuper nudos [26] deprehensorum detectorumque humeros perfoderunt, territi hostes novo mortis periculo, terribilem dissolvere compagem. Exinde in fugam versi, per quinquaginta millia passuum insatiabiliter cæsi sunt, neque conjici potuit numerus Germanorum, vel quantus pugnæ adfuerit, vel quantus fuerit [27] occisorum. [28] Post hæc Belgarum gens, quæ tertia pars Galliarum est, adversus Cæsarem **390** exarsit. Quorum distributim [29] copia hæc fuit. [30] Bellovaci, qui cæteris numero et virtute præstare [31] viderentur, habuere lectissima [32] sexaginta millia armatorum; [33] Suessiones ex duodecim oppidis quinquaginta millia; Nervii, quorum adeo indomita feritas prædicabatur, ut numquam [34] in id temporis mercatores [35] ad se admiserint vina cæteraque venalia deferre, [36] quibus [37] inducta jucunditas torporem virtutis afferret, habuerunt similiter quinquaginta millia: Atrebates [38] et Ambiani decem millia, Morini viginti quinque millia, [39] Menapii novem millia, [40] Caleti decem millia, [41] Velocasses et [42] Veromandui æque decem millia, [43] Aduatici octodecim millia: [44] Condrusi, [45] Eburones, [46] Cæresi, [47] Cæmani, qui uno **391** nomine Germani vocantur, quadraginta millia. [48] Et ita fuisse referuntur [49] ducenta septuaginta et duo millia armatorum lectissima. Ilis repente silva erumpentibus, exercitus Cæsaris perturbatus atque in fugam actus, plurimis suorum amissis, tandem hortatu ducis restitit, victoresque aggressus, usque ad internecionem pene delevit.

HAVERCAMPI NOTÆ.

18. *Arudes. Arodes* legitur in Lugd. Batt. pr. et tert. ut et in Coll. Gronov.

19. *Marcomani*. Lugd. Bat. pr., *Marcomanni*; sec. et tert., cum Coll. Gron., *Marcomones*; et ita quoque legunt duo Florentt., videlicet pr. et sec.; at tert., *Marcomenes*, quod in Ultr. quoque exstat; denique *Marcomannes* Meus cum Lugd. Bat. quarto et ed. August.

20. *Triboci*. Sic Florentt. pr. et sec.; *Tribocii* Flor. tert. cum Lugd. Bat. tert. et Ultr.; *Triboicii* Lugd. Bat. sec.

21. *Edures*. Legitur et *Eudures*. Apud Cæsarem hi sunt *Sedusii*, de quibus variæ sententiæ feruntur. Fabr.—*Eduses* inveni in omnibus quos consului mss. nisi quod in Meo legatur *et cluses*.

22. *Supra obductam saliere*. De hac re Florus lib. III, c. 10. Fabr.

23. *Obductam*. Lugd. Bat. pr., Ultr. et Coll. Gronov., *ductam*; Lugd. Bat. tert., *dictam*.

24. *Saliere*. Lugd. Batt. omnes, cum Ult. et Coll. Gronov., *solvere*. Male.

25. *Revulsis*. Lugd. Bat. pr. et tert., *devulsis*.

26. *Deprehensorum*. Meus, cum Lugd. Bat. quarto, *depressorum*. Sed malo Vulgatam.

27. *Occisorum*. Ed. August., *occisus*.

28. *Post hæc Belgarum*. Quæ hic usque ad finem capitis sequuntur, ea copiose Cæsar lib. II et Diodorus initio libr. XXXIX persequuntur. Fabr.

29. *Copia hæc fuit*. Cod. Longob., *hæc copia fuit*.

30. *Bellovaci*. Mss. Florentt. sec. et tert., cum Lugd. Batt. sec. et tert., atque Coll. Gronov. et ed. Aug., *Belluagui*. Cod. Long., Lugd. Bat. quart. et Meus et ed. prima, *Bellovagi*. Ultr., *Bellovagnes*.

31. *Viderentur*. Edd. pr. et illam secutæ, *videntur*.

32. *Sexaginta millia armat*. Cæsar Bellovacos polliceri millia armata quinquaginta scribit. Idem Atrebatibus XV millia tribuit. Fabr. — Lugd. Bat. pr., XL, pro LX.

33. *Suessiones*. Mss. plures et fere cuncti *Suessones*. Utramque nominis scripturam apud auctores invenias. Lucanus tamem quoque mavult *Suessones*, I, 423:

Et Biturix, longisque leves Suessones in armis.

34. *In id temporis*. Florent. pr., *in id tempus*.

35. *Ad se*. Ut non necessarias voces delet ed. August.

36. *Quibus*. Cod. Perizon., *a quibus*.

37. *Inducta*. Lugd. Bat. pr., *indicta*. Alibi quoque permutantur hæc verba apud Orosium. Si placet mss. lectio, legi debent hæc, adjuvante cod. Perizon., *a quibus indicta jucunditas*.

38. *Et Ambiani*. Mss. et edd. quidam inferciunt *etiam*.

39. *Menapii novem*. Ita manuscripti; impressi, *decem*. Cæsar *Menapios* VII *millia pollicitos* scribit. Fabr.

40. *Caleti*. Ed. August., *Calecii*.

41. *Velocasses*. Lugd. Bat. quart., ut et Meus, *Volocassi*.

42. *Veromandui*. Florentt. pr. et sec., *Veromandi*; et sic quoque Batt. sec. et tert. cum Ultr. *Viromandi*, Perizon.; *Volomandi*, Lugd. Bat. quart. et Meus; denique, *Velomandi*, Flor. tert.

43. *Aduatici* XVIII. In uno manuscripto est, *Atuati*: Cæsar *Catuacos* cum XIX millibus habet. Fabr. — Ex mss. multi *Atuatici* malunt. Ex numero, mille deminuunt Lugd. Batt. pr. et tert.; mille insuper addunt edd. quædam, inter quas prima et August.

44. *Condrusi*. Mss., *Condurses*, *Conduses*, *Condureses*, quæ cod. Longob. scriptura est, et denique *Dorses*.

45. *Eburones*. In quibusdam mss., *Eborones*, et *Eborrones*.

46. *Cæresi*, *Cæmani*. In nostris manuscriptis omnibus est, *Cærosi*, *Cæmani*. Cæsar illos *Cæresos*, hos *Pæmanos* vocat. In vulgatis Orosii libris, *Cenomanni*, mendose legebatur. Robertus Stephanus, quem honoris causa nomino, hanc epitomen rerum gestarum a Cæsare in Gallia sub Eutropii nomine Commentariis Cæsaris emendatissime diligentissimeque a se impressis adjunxit, ibique ex Cæsare hæc nomina restituit. Fabr. — Inveni in mss. *Cesori*, *Cecosi*; Meus et Perizon., *Cerosi*; et *Cærosi* tres Florentt.

47. *Cæmani*. Ita tres Florentini aliique mss. At Lugd. prima, cum Perizon. et vett. edd., *Cenomanni*.

48. *Et ita*. Non sic scripsit Orosius, si mss. sequamur; delet enim hæc codex Longob. cum ed. Aug., simpliciter legens, *fuisse referuntur*, etc. Lugd. Batt. primus, secundus, tertius, et Ultr. cum Coll. Gron., *Itaque fuisse* scribunt; sed quart. ex iis, cum Meo atque Perizon., astipulantibus duobus Florent., *Ita fuisse referuntur*, etc.

49. *Ducenta septuaginta et duo millia*. Lugd. pr., CCLXXXII; at tert., CCLXXX *vero* pro *duo*, ut arbitror, scriptum.

CAPUT VIII.

Galbæ expeditio in Veragros et Sedunos. De rebus gestis Cæsaris in conjuratos cum Venetis, item Titurii Sabini et P. Crassi expeditionibus.

[1] Igitur Cæsar, magnis in Gallia rebus gestis, cum in Italiam proficisci decrevisset, Galbam cum legione [2] duodecima ad [3] Veragros [4] Sedunosque misit. Qui cum hiemandi causa in vico Veragrorum, cui nomen erat [5] Octodurus, consedisset, mediamque oppidi partem, quæ torrente distinguebatur, accolis [6] concessisset, quadam die eosdem discessisse per noctem ac proximo insedisse [7] colli **392** videt. Quippe illi paucitatem vix mediæ legionis despectui habentes, ultroneam sibi prædam nullo cessuram negotio arbitrabantur, finitimosque suos in hanc cædis ac prædæ societatem [8] vocaverant. Igitur Galba [9] tam præsentibus periculis circumsepto ac trepido, [10] atque inter varias consultationes certi consilii incerto, repente Galli descensu montis effusi, castra imperfecta [11] circumdant, raros per vallum propugnatores saxis telisque onerant. Cumque jam castra irrumperentur, [12] Pactuvii primipilaris et [13] Voluseni tribuni consilio, [14] cuncti Romani portis eruperunt, incautosque subito aggressi hostes, primum perturbaverunt, deinde in fugam versos miserabili strage fuderunt. Nam [15] amplius triginta millia barbarorum tunc cæsa referuntur. Igitur Cæsar, cum jam pacatas universas Galliarum gentes putaret, ad novum et maximum bellum retractus est. Namque dum P. Crassus adolescens cum legione septima Oceano tenus apud Andegavos [16] hiemat, Veneti cæterique confines [17] repente in arma conjurant, legatos Romanorum vinciunt, eosque ita demum [18] se reddituros, si obsides suos recipiant, [19] Romanis indicant. [20] Socios sibi ad id bellum [21] Osismios, [22] Lexovios, [23] Nannetes, [24] Ambivaritos, Morinos, [25] Diablintres, et Menapios adsciscunt; auxilia quoque a **393** Britannia arcessunt. Cæsar per Crassum de rebellione deditarum gentium certior factus, quamvis intelligeret quanta ineundi belli difficultas esset, tamen rem tanti negotii non negligendam [26] ratus est, ne cæteris exemplo ejusmodi audendi licentia laxaretur. [27] Itaque terrestri [28] prælio persequi hostes frustra [29] aggressus; quippe cum hostes per interfusa ex Oceano æstuaria, atque inaccessos recessus, tutis terrarum [30] finibus munirentur, naves longas ædificari in [31] Ligeri fluvio jubet: per quem in Oceanum deductæ, mox ut hostibus visæ sunt, continuo [32] ducentæ viginti naves eorum paratæ, atque omni genere armorum instructissimæ, progressæ portu, ex adverso constiterunt. Bruto [33] circumspicienti imparem longe navium esse conflictum, quia barbarorum naves solido robore intextæ, cavernisque prævalidis obduratæ, saxorum modo adactos [34] rostratarum ictus retundebant, hoc primum [35] auxilio fuit, quod falces acutissimas non pertinaciter contis præfixas, funibus autem subnexas paraverat: quibus cum opus esset apprehensos eminus rudentes, subductis hastilibus per funem falcem retrahendo, succiderent. His celeriter expeditis, [36] dirumpi hosti-

HAVERCAMPI NOTÆ.

Cap. VIII.—1. *Igitur Cæsar.* Quæ hoc capite Orosius comprehendit, ea copiose Cæsar libro III Comm. persequitur, quibus studiosi utriusque linguæ conjungent ea quæ sunt apud Dionem libro XXXIX. Fabr.

2. *Duodecima.* Ed. Aug., *decima.*

3. *Veragros.* Mss. quidam *Beragrados.*

4. *Sedunosque.* mss. quidam *Divosque*, *Durosque*, *Sedimosque.*

5. *Octodurus.* Sic inter alios cod. Longob.; alii ex mss. *Octodorus*, *Otodorus*, *Ortodorus.*

6. *Concessisset.* Lugd. Bat. sec., *cessissel*; edd. vett. quædam, *dividebatur* pro *distinguebatur*, quod in mss. est.

7. *Colli.* Meus cod. cum Lugd. Bat. quarto, *colle.*

8. *Vocaverant.* Mss. et edd. quidam, *vocaverunt.*

9. *Tam.* Codex Longob. mavult *tum*, ed. August. *jam.*

10. *Atque.* Delent Lugd. Bat. pr., Flor. sec. et edd. quædam vett.

11. *Circumdant.* Perizon., *circumdantes.*

12. *Pacuvii primipilaris.* Hic primipili centurio a Cæsare P. Sextius Baculus nominatur. Fabr.— *Paitavii* legitur in Lugd. Bat. quarto et Meo.

13. *Voluseni.* Lugd. Bat. quart., *Volussini.*

14. *Cuncti.* Abest a Lugd. Bat. quarto Meoque; forte *cunctis.*

15. *Amplius.* Perizon., *amplius quam.*

16. *Hiemat.* Perizon., *hiemasset.*

17. *Repente.* Abest ab ed. August.

18. *Se reddituros.* Codex Longob. *se* non agnoscit.

19. *Romanis.* Abest a cod. Perizon. Mox ed. Aug. *inducunt* pro *indicant*; forte voluit *indicunt.*

20. *Socios sibi ad id bellum.* Lugd. Bat. quartus Meusque leguni, *socios suos ad bellum.*

21. *Osismios.* Perizon., *Oxismos*; Florenti. pr. et tert., cum Meo et Lugd. Batt. sec. et quarto, *Osismos*; at pr. cum Flor. sec., *Osissimos.*

22. *Lexovios.* Lugd. Bat. pr., *Luxovios.*

23. *Nannetes.* Florentt. tres et Lugd. Batt. sec. et tert., *Namnetes*; Perizon., *Naninetes.*

24. *Ambivaritos.* Pro his Cæsaris libri, *Ambilates* habent. Fabr. — Mss. quidam *Ambibaritos.*

25. *Diablintres.* Mss. Lugd. Bat. tertius et Meus, *Diabintes*; Florentt. tres, *Diablintes*; et sic quoque scribunt Lugd. Batt. pr. et sec. cum Perizon.

26. *Ratus est.* Edd. vett., *esse ratus*, *ne cæteris*, etc. At mss. Florentt. tres, quatuor Lugd. Bat., Meus, Perizon., Ultr. et Coll. Gron. *esse* vel *est* delent. Ex quorum consensu hæc et quæ sequuntur ita debere constitui judico: *Non negligendam ratus, ne cæteris exemplo ejusmodi audendi licentia laxaretur, terrestri prælio persequi hostes frustra aggressus est.*

27. *Itaque.* Ms. Perizon. et Meus, emendationem nostram adjuvantes, hoc delent.

28. *Prælio.* Meus, *bello.*

29. *Aggressus.* Tres Lugd. Bat. cum Coll. Gron. addunt *est.* In ed. vero Scotti, sive ultima Orosii, turpis quinque verborum omissio hic deprehenditur.

30. *Finibus.* Florentt. tres, *sinibus.*

31. *Ligeri.* Mss. quidam, *Ligero*, et *Ligerio.*

32. *Ducentæ viginti naves.* Lugd. Bat. pr. decem amplius numerat. Rotundo ducentarum numero contentus est Perizon.

33. *Circumspicienti.* Lugd. Bat. quart. et Meus, *circumspiciente.*

34. *Rostratarum.* Lugd. Bat. pr., *rostrorum*, superscripta vera lectione.

35. *Auxilio.* Lugd. Bat. pr., *auxilium.*

36. *Dirumpi.* Mss. aliquot, *disrumpi*; Florent. pr., *rumpi.*

lium antennarum armamenta præcepit. [37] Ita antennis ruentibus, complures illico naves velut captas immobiles reddidit. Alii hoc periculo territi, [38] suspensis velis, qua ventus intenderet fugere conati, cessante mox vento destituti, ludibrio fuere Romanis. Itaque incensis omnibus navibus, interfectisque his qui pugnaverant **394** [39] Gallis, reliqui sese omnes dediderunt. Sed Cæsar maxime [40] ob injuriam legatorum, et ut genti ad omnia [41] consilia mobili terribilis exempli [42] notam inureret, cunctis principibus per tormenta interfectis, reliquos sub corona vendidit. [43] Iisdem diebus Titurius Sabinus Aulercos, Eburonices, Lexoviosque, qui primates suos, [44] cur auctores belli resuscitandi esse nollent, interfecerant, eruptione facta, incredibili cæde delevit. Publius vero Crassus cum [45] in Aquitaniam pervenisset, bello exceptus est. Namque [46] Sontiates magno equitatu pedestribusque copiis prævalidis Romanos adorti, diu graviter turbaverunt : post victi, atque in oppidum Sontiatum coacti obsessique, cum se expugnari viderent, armis traditis in deditionem recepti sunt. Aquitani, [47] clade permoti, undique exercitum contrahunt : [48] de citeriore quoque Hispania auxilia arcessunt : duces bello maxime eos præficiunt, qui [49] cum Sertorio militaverant. Ili omnes dum obsidionem Crasso parant, in castris suis, Crasso obruente, deleti sunt. Nam ex Aquitanis et Cantabris, quorum quinquaginta millia [50] tunc in auxilium venerant, [51] triginta et octo millia cæsa referuntur. Cæsar Germanos, qui Rhenum cum immensis copiis transmiserant, simul et totas Gallias subjicere sibi parabant, bello adortus **395** usque ad internecionem cecidit. Quorum fuisse numerum [52] ad CCCCXL millia [53] ferunt.

CAPUT IX.

Cæsar quomodo Suevos et Britannos subjecerit.

[1] Tunc Cæsar in Germaniam facto ponte [2] transgreditur, [3] Sicambros et Ubios obsidione liberat. Suevos, maximam et ferocissimam gentem, quorum esse centum pagos et populos, multi prodidere, totamque Germaniam adventu suo terret : mox in Galliam, [4] rescisso ponte, [5] concedit. Inde ad Morinos venit, unde [6] in Britanniam proximus et brevissimus transitus est. Navibus circiter onerariis atque actuariis octoginta præparatis, in Britanniam [7] transvehitur. Ubi acerba primum pugna fatigatus, deinde adversa tempestate correptus, plurimam classis partem, et non parvum numerum militum, equitum vero pene omnem disperdidit. [8] Regressus in Galliam, legiones in hiberna dimisit, ac sexcentas naves utriusque commodi fieri imperavit. Quibus iterum in Britanniam primo vere [9] transvectus, dum ipse in hostem cum exercitu pergit, **396** naves in ancoris stantes tempestate correptæ vel collisæ inter se, vel arenis illisæ ac dissolutæ sunt. Ex quibus quadraginta perierunt, cæteræ cum magna difficultate reparatæ sunt. Cæsaris equitatus [10] primo con-

HAVERCAMPI NOTÆ.

37. *Ita.* Abest a Lugd. Bat. pr. et tert. cum Coll. Gronov.

38. *Suspensis velis.* Ita mss.; *expansis* Edd. quædam vett.

39. *Gallis, reliqui.* Codd. Perizon. et Meus, *Galli reliqui sese*, etc., pro qua lectione vett. quoque stant edd.

40. *Ob injuriam.* Meus et Lugd. Bat. quart., *propter injuriam.*

41. *Consilia.* Non invenitur in Lugd. Bat. tert. et quarto cum Coll. Gronov.

42. *Notam inureret.* Ed. August., *notam ineuteret et cunctis principibus, reliquos*, etc., quibusdam omissis in medio.

43. *Iisdem diebus.* Meus, *His diebus.*

44. *Cur auctores.* Edd. vett., *quod auctores.* Sed Fabricius eam expressit lectionem, quam in omnibus invenit mss. Unanimi enim consensu in iis *cur* scribitur, non *quod.* Minore igitur unius litterulæ permutatione arbitror esse legendum *cum auctores*, etc.

45. *Aquitaniam.* Florentt. tres, *Aquitanicam.*

46. *Sontiates.* Cod. Longob., *Sotiates;* reliqui mss. et edd. vet., *Sociates;* et mox ipsum oppidum *Sociatum* vocant.

47. *Clade permoti.* Meus codex cum Lugd. Bat. quarto, *hac clade permoti.*

48. *De citeriore.* Florent. sec., *de interiore Hispania.*

49. *Cum Sertorio.* Lugd. Bat. quart., *sub Sertorio.*

50. *Tunc.* Abest a Lugd. Bat. pr. et tert. atque a Coll. Gronov.

51. *Triginta et octo millia.* Lugd. Bat. pr. mille minus numerat.

52. *Ad* CCCCXL *millia.* Edd. vett. pleræque delent XL *millia*, quæ supra CCCC millia adjiciuntur. Fit idem in Florent. sec.; at Florent tert., cum tribus ex Lugd. Bat., Ultr. et Coll. Gronov., centenarios numeros abjiciunt, XL millibus contenti; quæ certe copiæ *immensæ*, ut fit ab Orosio, dici non possunt. Unde, cum in cod. Longob. legatur, *numerum ad quadringenta quadraginta millia*, sine interjecta copula, suspicor posteriorem minoremque numerum, ex varia lectione adjectum, atque priorem et rotundum ab Orosio scriptum fuisse.

53. *Ferunt.* Florent. sec., *referuntur*, pro *referunt*, vel deleto, quod præcessit, *numerum*, si ea lectio placet.

CAP. IX. — 1. *Tunc Cæsar*, etc. Quæ hoc capite Orosius comprehendit, ea copiose Cæsar lib. IV et V Comm. exposuit. De iisdem Dio lib. XXXIX, et Plutarchus in Cæsare. FABR.

2. *Transgreditur.* Ita mss. Lugd. Bat. quatuor et tres Florent.; *transgrediens* Vulgg.; sed. Aug. editio cum mss. consentit.

3. *Sicambros.* In manuscriptis nostris est, *Sigambros*, Dio Συγγάμβρους nominat. FABR. — In mss. nostris plerisque est *Sugambros.*

4. *Rescisso ponte.* Lugd. Bat. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *scisso ponte.*

5. *Concedit.* Lugd. Bat. quartus *contendit.*

6. *In Britanniam.* Lugd. Batt. tres et Coll. Gronov., *ad Britanniam.*

7. *Transvehitur.* Lugd. Bat. pr. et tert. *transgreditur.*

8. *Regressus.* Lugd. Bat. quart. *reversus.*

9. *Transvectus.* Ita scribunt omnes mss. Florentt. et Lugd. Batt., etc., non *transvectis*, ut vulgo editur.

10. *Primo congressu.* Lugd. Batt. pr. et tert. consentiente Coll. Gronov., *prima congressione.*

gressu a Britannis victus, [11] ibique Labienus tribunus occisus est. Secundo prælio cum magno suorum discrimine victos Britannos in fugam [12] vertit. Inde [13] ad flumen Thamesim profectus est, quem uno tantum loco vadis transmeabilem ferunt. In hujus ulteriore ripa, [14] Cassivellauno duce, immensa hostium multitudo consederat, ripamque fluminis ac pene totum sub aqua vadum acutissimis sudibus præstruxerat. Quod ubi a Romanis deprehensum ac vitatum est, barbari, legionum impetum non ferentes, silvis sese abdidere, unde crebris eruptionibus Romanos graviter ac sæpe lacerabant. Interea Trinobantum firmissima civitas cum [15] Androgorio duce, datis quadraginta obsidibus, Cæsari sese [16] dedidit. Quod exemplum secutæ urbes aliæ complures, in fœdus Romanorum venerunt: iisdemque demonstrantibus, Cæsar oppidum [17] Cassivellauni inter duas paludes situm, obtentu insuper silvarum munitum, omnibusque rebus confertissimum, tandem gravi pugna cepit.

397 CAPUT X.

Cæsarem adversus novam Gallorum conspirationem profectum fuisse, eosque denuo subegisse.

Exin Cæsar [1] a Britannis reversus in Galliam, postquam legiones in hiberna misit, repentinis bellorum tumultibus undique circumventus et conflictatus est. Namque [2] Ambiorix cum Eburonibus et [3] Aduaticis conspirans, animatus [4] Trevirorum consilio, Cottam et Sabinum legatos [5] apud Eburones cum tota [6] funditus legione insidiis circumventos interfecit. Ambiorix hac victoria elatus, Aduaticos et Nervios plurimosque alios raptim in arma contrahit, atque [7] ad Ciceronem legatum, qui similiter tunc legioni in hibernis præerat, contendit. Multitudo hostium ex hoc colligi potuit, [8] quia **398** cum in obsidione castrorum vallum circumdandum esse a captivis Romanis docerentur, et instrumenta ruralia non haberent, gladiis concidendo terram, et sagulis exportando, vix tribus horis [9] vallum pedum decem, et fossam pedum quindecim [10] per millia passuum quindecim in circuitu perfecerunt. Præterea centum viginti turres miræ altitudinis exstruxerunt. Et cum jam septem dies noctesque succidui hostium cunei pugnarent, [11] ac ventus subito plurimus exortus esset, testas ferventes intorsere fundis, [12] flammataque focis tela, ac mox concepto igne rutilantia, [13] intra castra jecerunt. Quo facto [14] per culmina raptim ventus insistens, sparsum animavit incendium. Sed [15] ne sic quidem Romani, cum undique obruerentur, vulneribus, laboribus, vigiliis, jejuniis, incendiisque cesserunt. Tandem Cæsari nuntiatum est, unam deletam esse legionem, alteram jam pene confectam. Adventante [16] cum duabus legionibus

HAVERCAMPI NOTÆ.

11. *Ibique Labienus. Labienus* est in vetustis et Roberti libris. Cæsar lib. v, *Q. Laberium Durum* habet. FABR.

12. *Vertit.* Lugd. Bat. pr., *convertit.*

13. *Ad flumen Thamesin.* In mss. legitur *Tamensim, Tamniensim, Tamesiet, Tanesin.* Delet *flumen* unus et alter ex mss., plures aliquot abjiciunt *est.*

14. *Cassivellauno duce.* In mss., *Cassovellauno;* sic Longob. cod. Alii *Cassibellauno, Cassobellauno, Cassopellauno,* et denique *Cassivellano.*

15. *Androgorio.* In Gualtheri libro est, *Andragio.* Cæsar *Mandubratium* vocat. FABR. — Flor. prim., tert. et tres ex Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *Androgio.* Flor. sec. et sec. Lugd. Bat. cum Ultr., *Andragio.*

16. *Dedidit.* mss. quidam, *dedit.*

17. *Cassivellauni.* Mss., *Cassovellauno, Cassobellauno, Cassibellauno,* et *Cassobellaunum.*

CAP. X.—1. *A Britannis.* Ed. August., *a Britannia.*

2. *Ambiorix cum Eburonibus.* Mss. plures scribunt *Eburonatibus.* Memoriam heroïs hujus, patriæque libertatis propugnatoris acerrimi, servant nummuli argentei antiqui, ab Eburonibus cusi. Exhibent a parte priore, ad Romanorum denariorum similitudinem, caput muliebre, Virtutis, ut puto, galea alata tectum, cum ascripto nomine AMBI., et plenius in altero AMBIORIX. A parte posteriore equitatus gentis celebratur, typo equitis, casside et lancea armati, atque ab Eburonibus cusos fuisse nummulos docent ascriptæ litteræ EBVRO*nes.* Octo hujusmodi nummi unciam Romanam pendunt.



3. *Aduaticis.* In nostris manuscriptis fere omnibus hic et supra cap. 7 *Atuatici* nominantur, quos vulgo *Aduaticos* vocant. Dio quoque illos Ἀτουατικούς appellat. Hos Cæsar lib. v, Cotta et Sabino interfectis, se cum Ambiorige conjunxisse ait. FABR. — *Atuacis* quoque inveni in Florentt. duobus et quatuor Lugd. Batt.

4. *Trevirorum.* Florent. pr. et tert., *Treverorum.*

5. *Apud Eburones.* Lugd. Batt. quatuor, *apud Eburonas.*

6. *Funditus.* Lugd. Bat. quart. *simul.*

7. *Ad Ciceronem. Q. Tullium Ciceronem* Marci fratrem, Cæsaris legatum, Cæsar lib. v, Dio lib. XL. FAB.

8. *Quia.* Ed. pr., *quod.*

9. *Vallum pedum decem.* Cæsar, ped. XI habet. Ex eo quod sequitur, *per millia passuum quindecim,* cognoscitur quomodo sit legendum apud Cæsarem, ubi quidam libri XV, cæteri X, *millia passuum* habent, in qua varietate hæret Glareanus. FABR.

10. *Per millia passuum quindecim.* Absunt ab ed. August.

11. *Ac ventus.* Lugd. Bat. quart., *cum ventus.*

12. *Flammataque.* Lugd. Bat. quart., *inflammataque.*

13. *Intra.* Florent. pr. et tert., cum tribus Lugd. Bat., *intro.*

14. *Per culmina.* Roberti liber habet, *per culmea culmina.* Tu lege Cæsarem. FABR. — Lugd. Bat. tres *per cuncta culmina,* invenitur *cuncta* quoque in Ultr. et Coll. Gronov.

15. *Ne sic quidem.* Lugd. Bat. quart. et edd. quidam malunt *nec sic quidem.*

16. *Cum duabus legionibus.* Plutarch. scribit Cæ-

Cæsare, [17] deserunt hostes obsidionem, atque in eum cuncti, raptis copiis, ruunt. Cæsar parvissimis se castris [18] consulto condidit, equitibusque præmissis, ut fugam fingerent imperavit, ut ad transitum vallis quæ media erat, sibique periculosa videbatur, hostes contemptu sui invitaret. Quibus adventantibus insuper obstrui portas præcepit. Quo viso Galli, quasi jam vicissent, [19] ad obducendum extrinsecus, vallum **399** conversi sunt. Cæsar totis repente portis paratum effudit exercitum, versosque in fugam Gallos vastissima cæde confecit. [20] Nam sexaginta millia tunc fuisse referuntur; e quibus pauci per paludes invias evaserunt. [21] Indutiomarus, Trevirorum princeps, magnas armatorum copias habens, postquam de consensu Galliæ totius certior redditus est, Labieni castra, legionemque, [22] cui is præerat, quod facile factu arbitrabatur, delere statuit: ac deinde Eburonibus Nerviisque conjunctus, ad opprimendum Cæsarem pergere. Labienus, quibus potest artibus, simulat timorem, atque [23] ita Indutiomarum negligentiorem cum insultantibus copiis pro vallo oberrantem, [24] repentina irruptione prostravit. Hac victoria Labieni, reliqui Gallorum conatus repressi sunt, et Cæsar paulo quietior reliqua parte hiemis fuit. [25] Sed intelligens sibi majora belli superesse negotia, maxime quia plurima parte exercitus amissa, aliisque graviter sauciis, ne ad sustinendum quidem sibi idoneus, non dicam ad comprimendum Gallorum impetum videretur, a Cn. Pompeio proconsule conscribi legiones, sibique mitti in auxilium petit. Itaque ante exactam hiemem tres ad eum legiones in castra venerunt. Igitur Cæsar, prius quam in unum hostium copiæ coirent, ineunte vere aggredi trepidos et opprimere sparsos in suis finibus parat. Primum itaque Nerviorum fines diripit: prædam vero, quæ copiosissima erat, exercitui permittit. Deinde Menapios, qui sibi propter immensas paludes atque impeditissimas silvas munitissimi videbantur, tribus agminibus invadit: **400** nimiaque cæde vulgo agitata, residuos supplices in deditionem [26] recepit. Labienus sequenti prælio omnes Trevirorum copias [27] interfecit, [28] arte in bellum provocatas, prius quam Germanis adventantibus jungerentur, et continuo ipsam civitatem [29] capit. Cæsar ulcisci mortem Sabini et Cottæ legatorum volens, [30] Ambiorigem et Eburones, deletæ legionis auctores, [31] postquam in Arduennam silvam [32] refugisse comperit, [33] quæ silva totius Galliæ maxima est, atque a ripis Rheni finibusque Trevirorum ad Nervios usque pertingit, et [34] in longitudine plus quam quingenta millia passuum patet, permetiens rem [35] suis maximi periculi fore, si per [36] obstructas spatiosasque silvas ignoti dividerentur, [37] hostemque locis notissimum quærerent, omnem Galliam per nuntios [38] invitat, ut quique secundum placitum suum reconditas in Arduenna silva prædas quærant diripiantque. Quo facto Gallis utrimque morientibus, maximas Romanorum injurias sine cujusquam Romani discrimine vindicavit. Ita hoc tutissimo [39] vincendi genere securus in Italiam rediit.

HAVERCAMPI NOTÆ.

sarem tum habuisse ἑπτακισχιλίους τοὺς σύμπαντας. FABR.

17. *Deserunt*. Ed. pr., *deseruerunt*, et illam secutæ Venetæ, *deseruere*.

18. *Consulto*. in marg. Lugd. Bat. sec., *vel occulto*.

19. *Ad obducendum extrinsecus vallum*. Cl. Oudendorpius ad Frontin. p. 397 legit ad *abducendum*, quia videlicet ibi lib. III Stratag. cap. 117, in Frontino legitur, *et vallum detrahere cœperunt*. Sed cum omnium mss. constans lectio *obducere* præferat, non de vallo Romanorum loqui existimo Orosium, sed de vallo Gallorum, quo incingere Cæsaris castra voluerunt. Fecerunt scilicet in obsidione castrorum Cæsaris idem, quod fecerant in obsidendis castris Ciceronis, ubi, edocti a captivis, *in obsidione castrorum circumdandum esse*, gladiis effoderunt terram et sagulis exportarunt. Quod cum paulo ante hoc ipso capite præcesserit, similiter de oppugnatione castrorum Cæsaris capi debet; atque sic Gallos ad obducendum extrinsecus vallum (quo castra Cæsaris includerent, ipsique abitum præcluderent) conversos, subita eruptione vicit et delevit Cæsar.

20. *Nam sexaginta millia*. Hunc numerum eorum, qui Q. Ciceronis castra obsederunt, edit etiam Plut. in Cæsare. FABR. — Lugd. Bat. pr. et tert., XL *millia*.

21. *Indutiomarus*. Ἰνδουτιόμαρος, *Dio*. FABR.

22. *Cui is præerat*. Mediam vocem *is* delent tres Lugd. Batt. cum Ultr. et Coll. Gronov.

23. *Ita*. Abest ab edit. August.

24. *Repentina eruptione prostravit*. *Eruptione*, recte quoque Rob. cum vulgo in impressis male, *irruptione*, legatur. FABR.

25. *Sed intelligens*. Quæ deinceps usque ad finem capitis sequuntur, ea sunt apud Cæsarem lib. VI Com., et Dionem lib. XL. FABR.

26. *Recepit*. Lugd. Batt. tres, *recipit*.

27. *Interfecit*. Lugd. Bat. quart., *interficit*.

28. *Arte*. Lugd. Batt. pr. et tert., *ante*.

29. *Capit*. Mss. iidem, *cepit*. Mox *protractus* Lugd. Bat. quart., pro *provocatas*.

30. *Ambiorigem*, etc. Vulgg. legunt, *in Ambiorigem et Eburones*. Sed in nullis mss. illud *in* comparet; repudiavit quoque ed. August. quæ fideliter ex ms. optimo expressa est, quare exsulare jussi.

31. *Postquam*. Non invenitur in Lugd. Batt. pr., tert. et Coll. Gron.

32. *Refugisse*. Lugd. Bat. quart., *transfugisse*; Ed. August., *fugisse*.

33. *Quæ silva*. Posterior vox, ut inutilis, a Lugd. Batt. pr. et tertio atque Coll. Gron., abest.

34. *In longitudine*. Sic mss.; *in longitudinem* edd. quædam.

35. *Suis maximi periculi*. Editi, *sui maxime*, quod nollem. LAUT. — Emendatio hæc mss. omnibus, certe plurimis approbatur.

36. *Obstructas*. Lugd. Bat. quart., *obstrusas*, quod et in ed. Aug. inveni.

37. *Hostemque locis notissimum*. In Roberti lib. est, *hostemque loci gnarissimum*. FABR.

38. *Invitat*. Lugd. Bat. quart., *invitavit*, *uti quique*.

39. *Vincendi genere*. Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *vindicandi genere*.

401 CAPUT XI.

Cæsar item novam Gallorum in arma adversus sese conspirationem multa clade comprimit.

[1] Igitur Cæsare in Italiam reverso, Gallia rursus in arma conjurat, multique simul populi coeunt. Dux his Vercingetorix fuit, cujus consilio statim omnes Galli civitates suas ultro [2] incenderunt; prima [3] a suis incensa Biturigo. Inde ad Cæsarem, qui magnis itineribus per Narbonensem provinciam clam ad exercitum recurrerat, impetum faciunt. Cæsar tunc [4] oppidum nomine Cenapum obsidione concluserat: quod diu oppugnatum, tandem post multas Romanorum clades [5] pluvio die, cum hostilium machinarum amenta nervique [6] languerent; applicitis A turribus captum atque deletum est. Quadraginta ibi millia hominum fuisse referuntur: e quibus vix octoginta per fugam [7] elapsi ad proxima Gallorum castra venerunt. Præterea Arverni cæterique confines sollicitatis etiam ad se Æduis, multis adversus Cæsarem præliis bellaverunt. Qui cum se pugnando fatigati; [8] iii quoddam castellum recepissent, milites prædæ inhiantes, ad expugnationem oppidi animum intenduit, frustra Cæsare de loci iniquitate **402** causante. Itaque ibi Cæsar, erumpentibus desuper hostibus pressus, multa exercitus sui parte perdita, victus aufugit. [9] Dum hæc ad Alesiam geruntur, [10] Vercingetorix; quem omnes consensu pari regem præoptaverant, suadet uti ex tota Gallia omnes qui arma **403** ferre possent, huic bello præsto sint. Hoc

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. XI. — 1. *Igitur Cæsare.* Hoc capite breviter B perstringuntur ea quæ Cæsar lib. VII et Hirtius lib. VIII copiose exposuerunt. FABR.

2 *Incenderunt.* Lugd. Bat. quart., *incendunt.*

3. *A suis.* Non comparet hoc in cod. Longob.

4. *Oppidum nomine Cenapum: Cenapum* est quoque in vetustis, corrupte omnino : Rob. Stephanus, *Genabum* scripsit. Verum cum ea, quæ hujus oppidi obsidioni Orosius tribuit, ad Avaricum evenisse ex Cæsare et Dione constet, mihi dubium non est, quin pro hoc, illud irrepserit. FABR. — *Cenabum* Lugd. Bat. quart., reliqui a Vulgg. non discrepant.

5. *Pluvio die:* In Lugd. Bat. sec. ascribitur, *alii pluviali.* Ed. Aug., *alio die.*

6. *Languerent.* Lugd. Batt. quatuor, Coll. Gron. nov. et edd. quædam, *elanguerant.*

7. *Elapsi.* Mss. iidem, *lapsi.*

8. *In quoddam castellum. Gergoviam* Cæsar nominat, Γεργουΐαν Strabo, Γοργοβιάν Dio. FABR. — Describuntur hæc apud Cæsarem de Bello Gall. lib. VII, cap. 41. Fraude Litavici Ædui, fratrumque ejus, turbæ hæc Cæsari motæ fuerunt. Litavici ejus memoria superesse videtur in tribus hisce denariolis argenteis Cabilloni cusis quod indicat littera C, quæ post capita muliebria, Veneris ut puto, in parte priore cernitur. In altera nummi parte eques signifer, vel arcu et coryto sagittisque armatus invenitur, cum litteris subtus positis LITA *vicus.* Primus et tertius ex Bouteroeo pag. 48 desumpti sunt, medius inter illos, in nostro museo invenitur.







9. *Dum hæc ad Alesiam.* Verba Cæsaris usurpat, quamvis nihil quod ad Alesiam gestum sit, descripserit. Hoc vero oppidum Mandubiorum in manuscriptis Orosii et Cæsaris libris recte *Alesia* nominatur. Nam et Plutarchus in Cæsare Ἀλησίαν vocat, et Diodorus Siculus lib. IV scribit, Herculem hoc oppidum condidisse, atque ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν στρατείαν ἄλης Ἀλησίαν nominasse. Guil. Xylander, qui in Dione convertendo e corruptissimo exemplari egregia ingenii sui documenta dedit, recte vidit ἐς Σαλεσίαν mendose in libro esse pro ἐς Ἀλεσίαν. Apud Strabonem lib. IV legitur, περὶ Ἀλλησίαν πόλιν Μανδιβούλων. FABR.—In quibusdam mss. est *Helestam, Helesiam, Halestam*, unde et ad edd. vett. quasdam fluxit *Chaiestam.* Aliquanto post tres Florentt. et Lugd. Bat. sec. pro *possent* legunt *possint.*

10. *Vercingetorix.* Magni hujus viri conatus et infelicem fortitudinem pluribus descriptam legas apud Cæsarem de Bello Gallico lib. VII, cap. 66 et seqq. C Præcipui, præter magnum hunc regem, in hoc tumultu duces fuerunt Vergasillaunus Arvernus, *Vercingetorigis propinquus* Cæsari et *consobrinus* dictus ibid. cap. 76 et 83, qui post egregiam patriæ navatam operam vivus a Romanis in fuga captus est, ibid. cap. 88. Sedulius, dux et princeps Lemovicum, in pugna occisus, ibid. Commius Atrebas, Viridomarus et Eporedorix Ædui. Plerorumque horum, libertatis defensorum, patriæque amantium virorum memoria perpetuari creditur in denariis Gallorum argenteis, quos hic subjecimus. In primo cernitur caput, ut puto, muliebre, gemmato diademate cinctum, Veneris esse credo. Ab altera parte equus est. Additur capiti inscriptio VERGA, quem ad Vercingetorigem pertinere existimat Claudius Bouteroeus in libro *Recherche Curieuse des monnoyes de France*, p. 64. In secundo muliebre caput galeatum est, cum inscriptione VIRODV; quæ inscriptio ad Viridomarum, cujus ducis nomen varie apud Cæsarem in mss. scribitur, pertinere videtur. Alteram denarii partem eques, dextra hastam D tenens occupat. Viridomari sive Virodumari, tertius quoque denarius esse videtur, ex litteris quæ in eo supersunt. Caput diademate cinctum, ad Venerem refero, licet Vercingetorigis regis esse suspicetur Bouteroeus p. 66. Comii, sive Commii, Atrebatis nomen in quarto clare exprimitur, qui libertatis perpetuum symbolum exhibet, equum libero cursu latum; sine freno. Caput galeatum a parte priore est, cum residuis litteris ARMANO. —



enim esse unum bellum,[11] quo aut perpetua libertas, A aut æterna servitus, aut mors omnium **404** consequatur. Itaque absque eo numero, quem infinitum ante contraxerat, equitum circiter octo millia,[12] peditum ducenta quinquaginta millia contracta sunt. Dehinc[13] duo colles sibi invicem obversos Romani Gallique ceperunt.[14] Unde multis sæpe eruptionibus et variis proventibus præliantes, tandem Romani[15] præcipua Germanorum equitum, quos sibi jamdudum amicos nunc in auxilium[16] acciverant, virtute vicerunt. Vercingetorix alia die congregatis omnibus, qui fuga evaserant, dixit se auctorem bona fide defendendæ libertatis, atque[17] rumpendi fœderis fuisse, et nunc, sive Romanis sese ad mortem omnes offerant, sive [18] se solum pro omnibus dedant, paratum animo fore. Itaque Galli[19] voluntatem, quam pudore aliquandiu texerant, quasi ex consilio regis assumerent, illico sibi veniam precantes, eum solum velut auctorem magni sceleris dediderunt. Bellovaci omnibus Gallorum gentibus ipsorum opinione fortiores habebantur. Ili[20] Correo duce bellum instaurant, sibique in **405** hanc suscepti belli societatem[21] Ambianos, Aulercos, Caletos, Velocasses, Atrebatesque conjungunt, et locum quemdam cinctum atque impeditum undique paludibus capiunt : commissoque prælio magnam Remorum manum, quæ auxilio[22] Romanis erat, trucidant. Deinde cum opportunum[23] ipsi locum insidiis provisum occupassent, atque hoc com-

HAVERCAMPI NOTÆ.

11. *Quo aut*, etc. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. ita transponunt, *aut æterna servitus, aut libertas perpetua*, *aut mors*, etc. Pro *quo* Lugd. Batt. iidem *ut* legunt.

12. *Peditum ducenta quinquaginta millia.* Cæsar peditum circiter CCXL millia habet. FABR.

13. *Duo.* Lugd. Batt. iidem cum Coll. Gron. eadem et duobus Florr. et ed. Aug., *duos.*

14. *Unde.* Ed. August., *inde.*

15. *Præcipua.* Lugd. Bat. quart., *præcipue.*

16. *Acciverant.* Ita rursus hoc potius sequendum duxi e lib. Colon. quam ex impressis, *adsciverant.* LAUT. — Mss. omnes *acciverant*, non *adsciverant*, quamvis posterius maluerint Fabricius et Scottus.

17. *Rumpendi fœderis.* Mss. omnes *inrumpendi* vel *irrumpendi fœderis.*

18. *Se solum.* Edd. quædam vett. et mss. Florent. pr. *sive solum.* In sequentibus autem Lugd. Bat. quart. legit, *paratum se animo fore.*

19. *Voluntatem, quam pudore*, etc. Nimirum :

> Assensere omnes, et, quæ sibi quisque timebat,
> Unius in miseri exitium conversa tulere.

Virgil. Æneid. II, 130. Oratio ejus ad Gallos et populares fuit : *Id se bellum suscepisse, non suarum necessitatum, sed communis libertatis causa, et, quoniam sit fortunæ cedendum, ad utramque rem se illis offerre, seu morte sua Romanis satisfacere, seu vivum transdere velint.* Cæsar de Bello Gall. VII, 89. Neque dediti abjectior ad Cæsarem, teste Floro III, 10, oratio, cum phaleras et arma sua ante Cæsaris genua projiceret : *Habes*, inquit; *fortem virum, vir for-*

B *tissime, vicisti.* Quem Regulo, Mancino et Deciis opponas, fuit Vercingetorix. Clementer a clementi et generoso victore fuisse habitum suspicor; quid enim illi evenerit, legisse non memini.

20. *Correo duce.* Ita scriptum in tribus Florent. reliquisque fere omnibus, nisi quod *Coreo* sit in Lugd. Bat. pr., *Corbeo* in Lugd Bat. quarto Meoque. Diversitas eadem scripturæ apud Cæsarem lib. VIII, cap. 6, p. 454. *Chorreo* edidit Fabricius, quam lectionem in ed. August. quoque inveni. Sed pro *hi Correo duce*, Lugd. Bat. sec. habet *ibi*, etc. Ed. August. neque *hi* neque *ibi* agnoscit.

21. *Ambianos*, etc. Qui post Ambianos occurrunt, eos mss. quidam vocant *Alurcos, Saletos* et *Salutos, Velocarses* vel *Veliocarses*, vel *Velicasos*, et denique *Veliocasses.* Pro *Atrebates* Lugd. Batt. tres malunt *Atrebatas.* Ad Caletos seu Caletes patatur spectare argenteus hic nummulus, qui caput galeatum habet, Romano more, a parte priore; a posteriore equum sine freno, atque libero cursu se efferentem, cum litteris KAAEI . . . . Y. Dubito tamen an ad Caletos vel Caletes referri possit, cum literæ AA, quæ in nummo connectuntur, potius A et M forment, adeoque aliam quoque lectionem suppeditare possint, eam scilicet quæ in secundo nummulo observatur. Sed ecce ipsos denariolos argenteos, primum ex Bouteroeo, p. 52, posteriores duos ex museo nostro.

C



D





22. *Romanis erat.* Cod. Longob., *qui auxilio Romanis erant.* Melius Lugd. Bat. quart., *quæ auxilio Romanis venerat.*

23. *Ipsi.* Edd. quædam, *sibi.*

perto Romani ad insidiarum locum instructi ordinatique venissent, commisso prælio, Romani Gallos fugientes eisdem locorum munitionibus, quibus clausi fuerant, incluserunt, cunctosque ad internecionem ceciderunt. Ibi Correus fugam vel deditionem detrectans, [24] Romanos, ut vivus caperetur instantes, occidendo, ut occideretur, coegit. Igitur cum pacatam esse universam Galliam Cæsar, **406** neque ausuram fore [25] ad aliquos aspirare motus arbitraretur, legiones in hyberna [26] dimisit : [27] ipse autem Ambiorigis fines, qui tot bella excitaverat, horrenda hominum strage vastavit. At vero [28] C. Caninius [29] legatus bellum apud Pictonas invenit : ubi magna hostium multitudo impeditam itinere legionem circumdedit, atque ad extremum discrimen adduxit. Porro autem Fabius legatus, acceptis Caninii litteris, in Pictonas proficiscitur, ibique a captivis de opportunitate locorum certior factus, inopinantes hostes opprimit, magnisque [30] stragibus factis, plurimas prædas agit. Deinde cum Caninio signum adventus sui dedisset, Caninius totis castris subito [31] exsilivit seseque injecit hosti. Ita Fabio ex alia parte, et Caninio [32] ex altera insistente, maximo et diuturno bello innumeræ Gallorum [33] copiæ trucidatæ sunt. Inde Fabius [34] in Carnutes profectus est. Sciebat enim [35] Dumnacum, ducem antiquissimum, rebellionis totius incentorem, ab hoc bello [36] elapsum, si Armoricis gentibus adjunctus esset, maximos iterum in Gallia tumultus esse moturum : [37] sed eas adhuc ipsa novitate trepidantes, mira virtute et celeritate perdomuit. **407** [38] Interea Draptes unaque [39] Lucterius, cum adesse Caninium et legiones in finibus suis viderent, undique collectis copiis, oppidum [40] Uxellodunum occupant. Hoc oppidum in editissima montis arce [41] pendebat, [42] duabusque partibus per abrupta latera non parvo flumine cingebatur : [43] medio deinde descensu largissimo fonte securum, plurimaque introrsum copia frumenti tutum, irritos procul discursus hostium despiciebat : Caninius, quod [44] solum Romana provisione potuit, ambos duces cum parte copiarum plurima in campum evocatos, maximo prælio superavit. [45] Nam uno e ducibus interfecto, [46] alter cum paucissimis fugit, nullus in oppidum rediit,

HAVERCAMPI NOTÆ.

24. *Romanos, ut vivus caperetur.* Roberti lib. habet : *Romanos ut vivus caperetur instantes, occidendo ut occideretur coegit.* Tu lege Hirtium lib. VIII Comment. FABR. — Verba Hirtii cap. 19 pag. ed. Oudendorp. 473, sunt : *Cum interim nulla calamitate victus Correus, excedere prælio, silvasque petere, aut, invitantibus nostris ad deditionem, potuit adduci, quin, fortissime præliando, compluresque vulnerando coge-ret elatos iracundia victores in se tela conjicere.* Neque tamen video cur ex iis verbis majus præsidium Fabricio sit pro vulgata lectione, *ne vivus coperetur, instanter occidendo;* cum pateat ex Hirtii verbis, omnibus modis institisse Romanos, ut vivum caperent Correum, sed illum hostes, ad comprehendendum vel cohortandum ut dederet sese, accedentes propius, ferociter repulisse, plurismosque vulnerasse, adeoque effecisse, ut hostes occiderent cum, quem lubentius, pro gloria victorum, spectandum omnibus, vivum servassent. Revocavi igitur lectionem meliorem ex omnibus quos consului mss., quam insuper confirmat optima ed. Augustana.

25. *Ad aliquos.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov. et ed. Aug., *aut aliquos.*

26. *Dimisit.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *misit.*

27. *Ipse autem.* Ex Lugd. Batt. tres, *ipse tamen.*

28. *C. Caninius.* Ex Lugd. Batt. sec., *G. Caninius;* tres reliqui, cum Coll. Gronov., *Gallus Caninius.* Agnomen illud fuit Caniniorum.

29. *Legatus.* Edd. quædam, *alter legatus.*

30. *Stragibus factis.* Additur in August. *per anticipationem.*

31. *Exsilivit.* Lugd. Bat. quart. et duo Florent., *exsiluit.* Ed. prima et Venetæ, *exsiliens se injecit hosti.*

32. *Ex altera insistente.* Lugd. Bat. quart., *multum insistente.*

33. *Copiæ.* Ms. idem, *gentes.*

34. *In Carnutes.* Flor. pr., *ad Carnutes.*

35. *Dumnacum,* In tribus Florentt. et Lugd. Bat. sec., ut et ed. Aug., inveni *Domnacum;* in reliquis mss., *Dominacum* et *Donacum.*

36. *Elapsum.* Duo ex Lugd. Batt., *lapsum.*

37. *Sed eas.* Ita reposui ex mss. omnibus, depravarant enim edd. in *sed eos,* non attendentes verba, *trepidare* et *perdomare,* ad *gentes* pertinere, non ad *tumultus.*

38. *Interea Draptes.* Parisienses, Bolsuing., Hiltorp., Fabricius et Scottus ediderunt *Drapes,* sed verum nomen videtur fuisse *Draptes,* si mss. iisque melioribus, standum est. Sic enim scribitur in Florentt. pr. sive cod. Longob. et sec., ut et Lugd. Bat. pr. et tert. cum Coll. Gronov. atque edd. prima, Augustana et Venetis. Eamdem scripturam indicant Florent. tert., Lugd. Bat. sec. et Ultr. dum *Adraptes* scribunt redundante priore littera hujus vocis ex duplicatione posterioris quæ præcessit. *Drapes* tamen in meo codice et Perizon. invenitur, eademque diversitas in codd. Cæsaris observatur.

39. *Lucterius.* Florentt. pr. et sec., *Lycterius* seu *Lycteriusque;* tert., *Licterius;* Lugd. Batt. pr. et tert., *Lipterius.* Coll. Gronov., *Lypterius.* In ed. August. legitur *Leptirius vel Lecterius* conjunctim.

40. *Uxellodunum.* In codd. et mss., *Velutudunum, Veludunum, Velutunum, Velucunum, Velludonum.*

41. *Pendebat.* Sic mss.; *pendens* edd. quædam.

42. *Duabusque.* Copulam non agnoscit Lugd. Bat. quart.

43. *Medio deinde.* Lugd. Bat. sec., *medio inde.*

44. *Solum.* Lugd. Bat. sec., *sola.*

45. *Nam uno e ducibus interfecto,* etc. Fugit ex prælio, quod acerrimum fuit, Lucterius, captus autem fuit Draptes. Hirtius de Bello Gall. lib. VIII, cap. 36, p. 490 : *Capitur ipse eo prælio Draptes.* Romanorum autem ludibrio se eripuit. Ibid. cap. 44 : *Draptes* (seu ut apud Hirtium scribitur, *Drappes*) *quem captum esse a Caninio docui, sive indignatione et dolore vinculorum, sive timore gravioris supplicii, paucis diebus se cibo abstinuit, atque ita interiit.* Quid alteri evenerit duci mox persequitur, p. 501, his verbis : *Eodem tempore Lucterius, quem profugisse ex prælio scripsi, cum in potestatem venisset Epasnacti Arverni (crebro enim mutandis locis, multorum fidei se committebat, quod nusquam diutius sine periculo commoraturus videbatur, cum sibi conscius esset, quam inimicum deberet Cæsarem habere), hunc Epasnactus Arvernus, amicissimus populi Romani, sine dubitatione ulla vinctum ad Cæsarem deduxit.*

46. *Alter,* etc. Ed. August., *alterum cum paucissimis fugat.*

sed ad id oppugnandum Cæsare opus fuit. Itaque certior per nuntios [47] factus Cæsar accurrit: circumspectisque omnibus videt, si expugnare vi moliatur, ludo et spectaculo hostium delendum esse exercitum **408** suum: [48] unum solum esse præsidii, [49] si quo modo hostes aqua arceantur. Sed et hoc quoque nisi Cæsar [50] non potuisset: siquidem fons, quo ad potum utebantur, medio devexi montis latere fundebatur. Cæsar ad proximum fontis admoveri vineas, turrimque exstrui jubet. Fit magnus [51] illico concursus ex oppido. Quibus sine periculo prœliantibus, Romani quamvis pertinaciter obsisterent, crebriusque succederent, complures tamen trucidantur. Igitur exstruitur agger, et turris pedum sexaginta, cujus vertex [52] adæquare fontis locum posset, ut vel [53] ex æquo tela conjici queant, vel præcipitata desuper saxorum volumina non timeri. Oppidani autem, ubi exanimari siti non solum pecora sua, verum etiam infirmiores hominum ætates vident, cupas pice, sevo et [54] scandulis repletas, ac deinde inmisso igne, in prona præcipitant, easque ipsi toto oppido effusi subsequuntur. Ardentibus machinis, cum grave prœlium suis Cæsar ac periculosum [55] videret, cohortes [56] in circuitu oppidi ire velociter per occultum imperat, atque undique subito vastum clamorem attollere. Quo facto consternati oppidani, dum recurrere ad muniendum oppidum volunt, ab oppugnatione turris vel demolitione aggeris **409** [57] recesserunt. Illi tamen qui ad incidendas fontis venas sub obtentu aggeris tuti, cuniculos perfodiebant, repertos in abstruso aquarum meatus, per multa dividendo tenuari in semetipsis, consumique fecerunt. Oppidani, fonte siccato, ultima desperatione correpti, deditionem sui faciunt. Cæsar autem, omnibus qui arma tulerant manus sustulit, et vitam reliquit, quo [58] testatior esset etiam posteris pœna improborum. Multum enim ad coercendam audaciam valet propositum punitionis exemplum, cum ipsa miseri præsens forma viventis, et ad recordationem admonet conscios, et ad sciscitationem cogit ignaros.

CAPUT XII.

Miseriam et calamitatem Galliæ acceptam a Cæsare subjicit quasi sub oculos.

[1] Exhaustis atque edomitis Gallis, securus Cæsar cum legionibus in Italiam [2] rediit, nullos post se Gallorum motus pertimescens; [3] certo se sciens minime aliquos qui vel moveri audeant, vel si moveantur, timendi sint, reliquisse. Constitui nunc ante oculos velim exsanguem [4] defectamque Galliam, post illas ardentissimas **410** febres internosque æstus [5] vitalium meliora torrentes, ut sese habeat, quanta ma-

HAVERCAMPI NOTÆ.

47. *Factus*. Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll. Gronov., scribunt *redditus;* et mox *occurrit* pro *accurrit*, ut et *deludendum* pro *delendum*.

48. *Unum solum esse præsidii*. Ed. pr. cum Paris. et Venetis, *hoc solum esse præsidium*. Bolsuing. et Hittorp., *unum solum esse præsidii*, quod et in mss. omnibus et ed. August. inveni. Reposuit autem Fabricius, *unum solum esse præsidium*. Verum, cum vim hanc abnuant mss. Codices, ellipticam puto esse orationem, et subintelligi posse *loco*.

49. *Si quo modo*. Et hic nimis liberales fuerunt edd. duplicando mediam vocem, cum omnes codd. mss., astipulante ed. August., *quo* legant, non *quoquo modo*.

50. *Non potuisset*. Et hæc constans mss. est lectio, quare frustra ante Fabricium legebatur *nemo potuisset*, quam lectionem male revocavit in ed. sua Scottus. Nisi Cæsar fuisset Cæsar, non potuisset, inquit Orosius. Ed. August. hic iterum astipulatur mss.

51. *Illico*. Ed. August., *undique;* et mox, *trucidabantur*.

52. *Adæquare fontis locum posset*. Mss. fere omnes, *æquare ad fontis locum possit*.

53. *Ex æquo*. Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *æque*.

54. *Scandulis repletas*. In manuscriptis est, *scindulis:* nos ex Hirtio, *scandulis*, scripsimus cum Roberto. A *scindendo* autem, ut vult Isidorus, dictæ sunt *scandulæ:* quæ sunt parvæ tabellæ ex robore vel alio ligno assulatim secto. Unde Vitruvius libr. II, cap. 1, quibusdam nationibus ex *scandulis robusteis ædificia constitui* scribit. Cornelius vero Nepos, *scandula contectam* fuisse Romam usque ad bellum Pyrrhi, annis 470, auctor est. Lege Plinium libr. XVI, cap. 10. FABR.

55. *Videret*. Frustra et contra mss. *inminere* quædam edd. adjiciunt.

56. *In circuitu*. Sic jubent legere mss., *non circuitum*.

57. *Recesserunt*. Flor. pr., *decesserunt*. Pro *oppugnatione* Lugd. Bat. sec. et Ultr., *expugnatione*.

58. *Testatior*. Coll. Gronov., *testatura;* Lugd. Bat. tert., *testatum;* mox sec., *ut improborum*.

CAP. XII. — 1. *Exhaustis atque edomitis*. Ed. Aug. legit, *Exhaustis itaque et edomitis Gallis*.

2. *Rediit*. Duo ex Lugd. Batt., *redit*.

3. *Certo se sciens*. Mediam vocem ut inutilem delent Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. recte.

4. *Defectamque Galliam*. Nescio quid moverit editores, ut cum *defectam* in codd. invenissent, et propterea collocassent in margine, tamen *defetam* maluerint edere; Fabricius enim et Scottus vitiosam eamdem lectionem receperunt, quam tamen unanimi consensu repudiant omnes quos consului mss., cum cod. seu edit. Augustana. Neque sanæ mentis quisquam præferre posse videtur, dummodo diligenter attendat; *Defeta* enim idem significare videtur quod *effeta* apud Sallustium in Catilina cap. 53: *Ac, veluti effeta parentum, multis tempestatibus haud sane quisquam Romæ virtute magnus fuit*. Referri igitur alio nequit, nisi ad sterilitatem, et exhaustam annis et crebra sobole fecunditatem. Nequaquam igitur in Orosianis hisce locum tueri potest, in quibus Gallia non comparatur matri effetæ, atque, visceribus lassis, exhaustæ; sed magno corpori quod, morbo correptum validiore, vigorem, vires et sanguinem amisit. *Defecta* igitur Gallia, subintellecto *sanguine* vel *viribus*, hic dicitur ut apud Plinium, Columellam et alios, homo *defectus animo, senio, ætate*, etc.

5. *Vitalium meliora torrentes*. Hæc est scriptura cod. Longob. sive Florent. primi ut et sec., nec non Lugd. Bat. sec. atque Ultraj. *Medullarum* exhibent Florent. tert. et Lugd. Bat. quart., quasi vellent *medullam*, quod in Meo ita exstat, ut littera ultima sive *m*, ad figuram litteræ *v* videatur accedere. In aliis mss. atque edd. vett. omnibus *molliora* invenitur, quod prætulerunt Fabricius et Scottus, Virg. Æneid. IV, 66:

Est mollis flamma medullas
Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus,

cie quantoque pallore [6] sit, quam demissa ac resoluta jaceat, quam ipsos quoque necessarii officii motus, ne eumdem [7] incursum malorum revocent, pertimescat. Irruit enim in eam repentino impetu Romanus exercitus, veluti fortissimo corpori fortior lues; quæ tanto gravius accenditur, quanto impatientius toleratur. Sitiebat misera, cum, instante gladio, profiteri sponsionem servitutis æternæ, avulsis insuper obsidibus, cogeretur. Sitiebat, ut dixi, notam illam omnibusque suavissimam velut aquæ gelidæ dulcedinem libertatis; quantoque eam magis subtrahi intelligebat, tanto avidius desiderabat. Hinc illa tam frequens contra vetita præsumptio invadebatur, [8] et pro defendenda libertate, [9] inopportuna libertas; [10] præreptaque insatiabiliter potiundi licentia, quod male conceptam perniciem restinguere videbatur, augebat. Hinc Romanus ante pugnam insidiator argutior, hinc in pugna hostis infestior, hinc post pugnam victor immitior, hinc omnia ad domandam impatientiam crudescentia, hinc jam nec remediis credebatur; itaque si interrogare possem **411** hanc, de qua loquimur, nationem; Quid tunc, cum hæc ipsa sustinebat, de illis temporibus judicarit, responderet, ut arbitror, dicens: Sic me illa tunc febris [11] exsanguem reddidit, ac frigidam A fecit, [12] ut etiam [13] hæc, quæ omnes pene [14] perstrinxit, fervefacere vel commovere nequiverit: atque ita me Romani inclinaverunt, ut nec ad Gothos surgam. Sed ne ipsa quidem Roma clades quas intulit, evitavit. [15] Exercitæ atque diu actæ sunt per totos mundi cardines potentiæ ducum, viresque legionum; quæ in sese concurrentes, ejus damno vincerent, cujus periculo vincerentur. Nam victorem Cæsarem, de Gallia reversum, civilia bella comitata sunt, aliaque gravissima mala, interfecti apud Parthos Crassi et trucidati exercitus, præcesserunt.

412 CAPUT XIII.

De Crassi avaritia, rebus contra Parthos gestis et interitu.

B [1] Anno ab Urbe condita DCXCVII, Crassus, in consulatu collega Pompeii, provinciam sortitus in Parthos, homo inexplebilis cupiditatis, [2] audita in Hierosolymis templi opulentia, quam Pompeius intactam reliquerat, in Palæstinam [3] divertit, Hierosolymam adit, templum [4] pervadit, opes diripit. Inde per Mesopotamiam tendens in Parthiam quacumque iter habuit, sociis civitatibus auxilia indixit, pretia exegit, moxque ut Euphratem transiit, illico [5] Vagesem, legatum ab Orode rege Parthorum ad se missum,

HAVERCAMPI NOTÆ.

6. *Sit.* Edd. quædam velut, *affecta sit.*

7. *Incursum.* Lugd. Bat. tert. et ed. Aug., *occursum*; Coll. Gronov., *in occursum.*

8. *Et pro defendenda libertate.* Præfigunt hisce conjunctionem *et* plures edd.; sed mss. plerique rejiciunt.

9. *Inopportuna libertas.* Ex iisdem mss. neque video quod opportunior sit vox *importuna*, quam præferunt editi. C

10. *Præreptaque.* Duo ex Lugd. Batt., cum Collat. Gronov., *præceptaque*; at codex Longob. *præruptaque*, ut forte Orosius *præruptam licentiam* vocaverit temerariam, periculosam, a præcipitiis translata similitudine. Vulgatæ lectionis sensus obscurus est. Pro *augebat*, male edd. quædam *angebat.*

11. *Exsanguem reddidit, ac frigidam fecit.* Patet ex his verbis, frustra *defetam* dici Galliam in principio capitis, sanamque esse mss. omnium lectionem *exsanguem defectamque Galliam* vocantium, id est sanguine defectam, ejusque defectu, prout hic vocat, frigidam.

12. *Ut etiam hæc.* Colon. et Materni optime inserunt hanc vocem, *æstas.* LAUT. — Inveni eamdem insertam post voces *etiam hæc*, in cod. Ultr. ut et in Lugd. Bat. sec. atque insuper in ed. August. eamque recepit in ed. sua Scottus. Neque tamen propterea statim recipiendam puto. Primum enim constare deberet, eo anno, quo hæc scripsit Orosius, æstatem præ cæteris fervidam fuisse; dein de æstate loqui et non potius de febri, adeoque non continuare metaphoram, sed novam advocare. Immo valde displicet vox *æstas*, legique potius deberet *æstus hic qui*, etc., quæ vox febri ardenti respondet. Hoc enim dicere vult Orosius, Galliam febri illa, id est, afflictione sub Julio Cæsare, ita penitus fuisse afflictam, ut recuperare vires numquam potuerit, neque *ad ipsos Gothos surgere*, i. e. reparare vires toto intermedio tempore, quo a Romanis sub Cæsare subacta fuit, usque ad cladem illam, quam Romanæ ditiones et ipsa Roma a Gothis passæ fuerunt; quæ clades, per D metaphoræ continuationem vocatur *febris*, *quæ* non modo Gallos, *sed omnes pene perstrinxit.* Hanc, inquit, non sensit Gallia, quasi antiquis cladibus sensu orbata. Retineo igitur lectionem antiquam, ut probam.

13. *Hæc, quæ omnes.* Primam vocem ex tribus damnant codd. Lugd. Bat. quart. et Meus. At Lugd. Bat. pr. abjicit *pene*, quod sequitur.

14. *Perstrinxit.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *constrinxit.*

15. *Exercitæ atque diu actæ sunt.* Plures ex mss. multæque editi, *auctæ* malunt, sed perperam. Nota enim est violentia verbi *agere* et *agi*, quod vel ex *agere* et *rapere*, quæ simul crebro occurrunt, constat. Romana igitur potentia, nimis aucta, vires suas in se vertit, mutuisque eorum, qui per ambitionem, ad summum properabant gradum, cladibus, ipsa tandem fatiscere cœpit et gravi casu concidit.

CAP. XIII. — 1. *Anno ab Urbe condita sexcentesimo* XCVII. Idem numerus est in manuscripto nostro Eutropio, cum in impressis sit annus Urbis conditæ 699. Cæterum ex ratione Capitolinorum Fastorum annus, quo Cn. Pompeius, M. Crassus iterum coss. fuerunt, est DCXCVIII. Crassus vero provinciæ cupidus in ipso consulatu paludatus in Syriam profectus fuit, Plutarchus et Dio. FABR.

2. *Audita in Hierosolymis.* Hanc rem narrat Josephus lib. XIV Antiq. cap. 12, quem lege. FABR.

3. *Divertit.* Videtur et hic debere reponi *devertit*, quod supra cap. 4 ex cod. Longobard. factum fuit, et innuere videtur cod. Ultr. scribens *revertit.*

4. *Pervadit.* Hæc mss. lectio est. Edit. quædam, *invadit.* Ed. Aug., *templumque pervadit.* Pro *adit* codd. Lugd. Batt. quatuor cum Ultr. *adiit.*

5. *Vagesem.* Ita scripsi ex Gualtheri libro. Plutarchus in Crasso, et Appianus in Parthica (si modo liber ille ab Appiano scriptus est) Οὐαγίσην habent. FABR. — Lugd. Batt. duo cum Coll. Gronov. *Bogessen* vel *Bogessem.* Ex Florentt. pr. *Vagensem*, sec. *Bogesen*, tert. *Lugessem.* Edit. August. *Bagessen.*

obvium habuit, a quo vehementer [6] increpitus est, quod contra fœdus [7] Luculli et Pompeii, avaritia inductus, Euphratem transierit. Quamobrem sine mora futurum, ut, pro auro Parthico, Serico ferro oneraretur. Itaque cum prope Carras ventum esset, Parthi **413** subito [8] ingruentes [9] cum Surena et Sillace, præfectis sagittis, oppressere Romanos. Cecidere ibi plurimi senatores, [10] aliquot etiam consulares, et prætorii viri. Crassus quoque filius Crassi, lectissimus juvenis, in acie occisus est. Præterea quatuor cohortes cum Varguntcio, mediis deprehensæ campis et interfectæ sunt. Surenas rapto equitatu Crassum persequi intendit : eumque circumventum ac frustra colloquium ejus petentem interfecit, quamvis vivum auferre maluisset. Pauci noctis beneficio liberati, [11] Carras confugerunt. Cognita clade Romanorum, multæ Orientis provinciæ a societate [12] vel fide populi Romani defecissent, ni Cassius, collectis ex fuga militibus paucis, intumescentem Syriam egregia animi virtute ac moderatione pressisset : qui et Antiochum copiasque ejus ingentes prælio vicit, et interfecit ; [13] Parthos quoque, ab Orode in Syriam missos, jamque ingressos Antiochiam, bello expulit, ducemque eorum [14] Osacen interfecit.

CAPUT XIV.

De mutabilitate Romani imperii, prædictorum velut epilogus.

Igitur Romani status agitur [1] semper alterna mutatio, et velut forma Oceani maris, quæ omni die dispar, nunc succiduis per septem dies attollitur incrementis, nunc insequentibus [2] totidem diebus **414** naturali damno et defectu interiore subducitur. Ut enim de proximis ordiar, Cimbris Tigurinisque vincentibus, cum apud Rhodanum flumen Romanus exercitus periit, arctissimas Roma sensit angustias, refusa continuo clade Cimbrorum, magnis [3] elata [4] proventibus, priorum oblita defectuum est. Hanc deinde recentissimæ prosperitatis jactantiam Italicum bellum et dilaceratio Syllana castigat. Rursus post hanc domesticam intestinamque perniciem, qua usque ad medullas pene eviscerata et exesa est, paribus propemodum spatiis temporum non solum reparata, verum etiam extenta est, cum Lucullus Asiam, Pompeius Hispaniam, Cæsar Galliam perdomuit, Romanumque imperium usque ad extremos propemodum terræ terminos propagatum est. Hanc nunc amplissimam dilatationem vastissima ruina consequitur. Apud Parthos enim consul Romanus occiditur, [5] exercitusque deletur, atrocissimum illud Pompei et Cæsaris bellum civile conseritur, et inter hæc Roma ipsa repentino correpta incendio concrematur. [6] Anno siquidem ab Urbe condita DCC, incertum unde concretus, plurimam Urbis partem ignis invasit, neque umquam antea tanto incendio correptam ac vastatam civitatem ferunt. Nam quatuordecim vicos cum vico jugario consumptos fuisse memoriæ [7] proditum est. Hinc jam bellum civile committitur, quod magnis jamdudum dissensionibus ac molitionibus parabatur.

415 CAPUT XV.

De bello civili quod cruentissimum Cæsar et Pompeius gesserunt.

Nam rediens Cæsar victor ex Gallia, decerni sibi absenti alterum consulatum poposcit. Contradictum est [1] a Marcello consule, adnitente Pompeio, deinde decretum est a senatu, ut in Urbem Cæsar non nisi dimisso exercitu veniret, et ex Marcelli consulis auctoritate ad legiones, quæ apud Luceriam erant, Pompeius cum imperio missus est. Cæsar Ravennam sese contulit. M. Antonius et [2] Q. Cassius, tribuni plebis, pro Cæsare intercedentes, interdicente Lentulo consule, curia foroque prohibiti ad Cæsarem profecti sunt, [3] Curione simul Cœlioque comitanti-

HAVERCAMPI NOTÆ.

6. *Increpitus.* Mss. quidam *increpatus*, et mox fere omnes *cur* pro *quod*.

7. *Luculli et Pompeii.* Contra mss. in quibusdam edd. excidit conjunctio *et*, quam negligere Fabr. et Scottus non debuerant, cum ex illa negligentia longe alius huic loco et ineptus sit sensus. Neque enim Pompeio, quem continentissimum supra appellavit, sed Crasso avaritia competit. Factum vero id fuit a Crasso contra Luculli primum, deinde Pompeii quoque, qui Lucullo in bello Mithridatico successerat, fœdus.

8. *Ingruentes.* Edit. August. *irruentes.*

9. *Cum Surena et Sillace.* Vulgo mendose *Sulacea* legitur : Apud Plutarchum est, Σιλλάκης. FABR.

10. *Aliquot.* Edit. pr. et August. cum Paris. et Venett. *aliqui.*

11. *Carras.* Ed. August., ut et cod. Ultr. ubique, *Charras* exhibet.

12. *Vel fide.* Mss. quidam et edd., *et fide.*

13. *Parthos ab Orode.* De re a Cassio contra Parthos gesta, et Osace duce occiso, Cicero epist. 20, libr. v, ad Attic. : Dio libro quarto. FABR.

14. *Osacen.* Lugd. Batt. omnes, cum Ultr. et Coll. Gronov., *Osagen.*

CAP. XIV. — 1. *Semper.* Abest a Lugd. Bat. pr. et Coll. Gronov.

2. *Insequentibus.* Edd. quædam *consequentibus.* Mss. Lugd. Batt. duo cum Coll. Gronov., *in consequentibus.*

3. *Elata.* Lugd. Batt. tres cum Florent. tert., *elevata.*

4. *Proventibus.* Edd. quædam, *provectibus.* Delent mox mss. aliquot *est.*

5. *Exercitusque.* Copulam non agnoscit Lugd. Bat. secundus.

6. *Anno siquidem ab Urbe condita* DCC. Hoc incendium, quod, maxima urbis parte deleta, prodigii loco est habitum, fuit, L. Paulo, C. Marcello coss., anno DCCIII obsequens. De eodem Livii auctoritatem adducit Orosius lib. VII, c. 2. FABR.

7. *Proditum est.* Mss. quidam et ed. August., *traditum est.*

Cap. XV. — 1. *A Marcello consule.* Roberti liber hoc amplius habet, *a Bibulo, a Catone.* Cæterum de his dissensionibus cum omnes multa scribant, putidum esset, hic velle aliquid annotare. Lege Cæsarem, Appianum, Plutarchum et cæteros. FABR.

2. *Q. Cassius.* Ita omnes hunc nominant, exceptis Orosii libris, in quibus *Publii* prænomen habet.

3. *Curione Cœlioque.* Hic est *M. Cœlius Rufus*, de cujus interitu paulo post. Quod ego annotandum propter Dionem putavi, apud quem initio lib. XLI, Καιχιλίου pro Καιλίου, seu potius Κοιλίου, bis mendose legitur. FABR.

bus. Cæsar, Rubicone flumine [4] transmeato, mox ut Ariminum venit, quinque cohortes, quas tunc solas habebat, cum quibus (ut ait Livius) orbem terrarum adortus est, quid facto opus esset, edocuit. Deplorans injurias suas, causam belli civilis, pro restituendis in patriam tribunis, esse testatus est. Inde per Antonium septem cohortes, quæ apud Sulmonem morabantur, a Lucretio [5] recepit, tres legiones quæ cum Domitio apud Corfinium morabantur, ad partes suas traduxit. Pompeius atque omnis senatus, crescentibus Cæsaris viribus, trepidi, tamquam Italia pulsi, in Græciam transvecti, Dyrrachium gerendi belli sedem delegerunt. Cæsar Romam venit, [6] negatamque sibi ex ærario pecuniam, fractis foribus invadit, protulitque ex eo auri pondo quatuor mille centum triginta quinque, [7] argenti pondo prope nongenta millia. **416** Inde digressus Ariminum ad legiones, mox Alpes transvectus, Massiliam venit, ad quam oppugnandam, [8] cum receptus non esset, Tribonium cum tribus legionibus relinquens, ad Hispanias contendit, quas L. Afranius, et M. Petreius, et M. Varro, Pompeiani duces, cum legionibus obtinebant. Ibi multis prœliis Petreium Afraniumque superatos, [9] composita pactione, dimisit. In ulteriore vero Hispania duas legiones a M. Varrone suscepit. Similiter et duces ejus, [10] hoc est, Curio Catonem Sicilia expulit, Valerius Cottam Sardinia, Tuberonem Africa Varus ejecit. Cæsar Massiliam rediens, obsidione domitam, vita tantum et libertate concessa, cæteris rebus abrasit. [11] At vero Dolabella [12] partium Cæsaris, in Illyrico per Octavium et Libonem victus, copiisque exutus, [13] ad Antonium fugit. [14] Basillus et Sallustius [15] per singulas legiones, quibus præerant, similiter et Antonius, Hortensius quoque ab infimo mari cum classe concurrens, omnes pariter adversus Octavium et Libonem profecti, **417** [16] et victi sunt. Antonius cum se Octavio [17] cum quindecim cohortibus dedisset, omnes ad Pompeium a Libone deducti sunt. [18] Curio ex Sicilia in Africam cum exercitu transgressus est: quem Juba rex continuo exceptum cum omnibus copiis trucidavit. Octavius Salonas [19] oppugnare conatus, omnes pene copias quas duxit amisit. Cœlius descivit a Cæsare, ac se Miloni exsuli junxit. Cumque ambo servorum manu Capuam oppugnare molirentur, occisi sunt. Bibulus apud Corcyram pudore victus, quod custodiæ ejus, quam pelago et oppido prætendebat, hostis illuserat, inedia sese vigiliisque confecit. [20] Appius Claudius Censorinus, qui jussu Pompeii Græciam tuebatur, jam abolitam Pythici oraculi fidem voluit experiri: quippe ab eo adacta vates descendere in specum, respondisse fertur de bello consulenti: *Nihil ad te hoc, Romane, bellum pertinet*, [21] *Euboeæ cœla obtinebis.* Cœla autem vocant Euboicum sinum. Ita Appius perplexa incertus sorte discessit. [22] Admonet nos aliquid obtrectatori-

HAVERCAMPI NOTÆ.

4. *Transmeato.* Flor. tert. *transmisso.*

5. *Recepit.* Mss. quidam, *recipit.* Pro *morabantur*, edd. quædam, *erant.*

6. *Negatamque ex ærario pecuniam.* Interposuit se huic rei L. Metellus tribunus plebis. App. lib. II, Dio lib. XLI, Lucan. lib. III. FABR.

7. *Argenti pondo.* Inquirit in hanc summam Budæus de Asse lib. II, pag. 318, quem vide. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. *pondus* hoc in loco delent.

8. *Cum receptus non esset.* In mss. quibusdam legitur *cur*, quod in omnibus Editis servatur. Sed Lugd. Batt. sec. et quart. scribunt *cum*, quod hic videtur esse reponendum, nisi malimus *quod*, pro qua voce passim in mss. Orosianis *cur* scribi solet.

9. *Composita pactione.* Edd. quædam interserunt *fœderis* contra mss.

10. *Hoc est.* Solet ita loqui Orosius. Quare *post hæc*, quod edd. quidam habent, recte rejiciunt.

11. *At vero Dolabella.* Hunc locum studiosi diligenter legere debent, cum tota hæc res a Cæsare non longe ab initio lib. III de bello civili descripta interciderit. Eadem breviter narratur ab Appiano et Dione, sed a Lucano fusius describitur lib. IV. Vide Florum lib. IV, c. 2. FABR.

12. *Partium Cæsaris.* In quibusdam edd., *ex parte Cæsaris.*

13. *Ad Antonium.* In cod. Flor. pr. *Ad Antonium confugit* legitur.

14. *Basillus.* Lucanus lib. IV: *Et Basilum videre ducem.* Sed de hoc nomine dicemus c. 18. FAER.

15. *Per singulas legiones.* Pessime in Orosio affectus hic locus fuit. Cum in plerisque mss. (ut colligere licet ex tribus Florentt., Lugd. Bat. tertio, Meo, Perizon. atque cod. Aug.) legeretur, *Basillus et Sallustius singulas legiones*, editores viderunt imperfectum hoc modo esse sensum, atque de suo largiti sunt *parantes.* Quod usque ad Fabricium omnes edd. excepta August. occupavit. Fabricius autem, nulla mutationis suæ ratione vel auctoritate addita, reposuit *dividentes.* Is quoque, qui Florent. cod. tertium exaravit, deesse aliquid videns, verbis illis *quibus præerunt*, superscripsit *ducentes.* At ego, cum in tribus codd. mss. Lugd. Batt., præterea in Ultr. et in Coll. Gronov. invenerim *per singulas*, non dubitavi veram hanc esse lectionem, atque ex ea, cum contracte scriberetur *per*, editores primos fecisse *parantes.* Per singulas autem legiones hi victi sunt, quod non conjunctis copiis, sed singuli cum sua legione, cui præerant, manum cum hoste conseruerint.

16. *Et victi sunt.* Meus codex conjunctionem *et* expungit.

17. *Cum quindecim cohortibus.* Ed. Aug., *cum* XII *cohortibus.*

18. *Curio et Sicilia.* Quæ hic de Curionis interitu, et Salonarum oppugnatione, item de M. Cœlino et T. Milone perstringuntur, ea Cæsar copiose narrat. FABR.

19. *Oppugnare.* Mss. quidam *expugnare.*

20. *Appius Claudius.* Hanc rem exponit Valerius lib. I, c. 8. Vide Lucan. lib. V. FABR.

21. *Eubœæ cœla.* In impressis Valerii libris est, *Eubœæ cellam;* in manuscripto, *Eubœæ cœlam*, et deinde, *cœlæ eubœæ.* Lucanus:

. . . . Solusque quietem
Euboici vasta lateris convalle tenebis. FABR.

22. *Admonet nos*, etc. Vulgatam hanc lectionem si retineamus, *consulere aliquid obtrectatoribus*, significabit, proferre aliquid in eorum commodum. Qui an sensus sit hujus loci valde dubito; præsertim cum in tribus mss. Florentt. totidemque Lugd. Batt. atque insuper Ultr. legatur *ab obtrectatoribus nostris consultor iste consulere.* Quomodo, si pro sæculi sui captu scripserit Orosius, significabit idem quod *ob-*

bus nostris consultor iste consulere. Queruntur utique fide Christianorum sibi sacra interdicta, cæremoniasque sublatas, [23] et ob hoc maxime, quod extis vaticiniisque cessantibus futuræ **418** clades, quia sciri [24] nequeunt, non vitantur. Cur ergo longe ante imperium Cæsaris nativitatemque Christi, sicut ipsorum auctores attestantur, abolita fuerat Pythici oraculi fides? Abolita autem ideo, quia contempta. Porro autem quare contempta, nisi quia vel falsa, vel vana, vel dubia? unde prudenter [25] poeta præmonuit:

Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllæ:

Et ne forte parvi id pendant, quod contemptu abolitum atque antiquatum fuit, hoc est, aut numen aut sedem, [26] Apollo ille Pythius erat, quem ferunt magno illo [27] Pythone serpente interfecto, totius vaticinationis auctore et principe, hæredem et sedis et divinationis et numinis exstitisse: ibique eum reddere elegisse responsa, ubi orta cum auctore ipsa divinatio videbatur: præterea quem per alias quoque terrarum partes spumantibus buccis, rabidoque discursu omnis furiatorum ructat insania, ad quem plurimi terrarum reges, quasi [28] ad vivam vocem consulti numinis concurrerunt, cui sæpissime ipsi quoque Romani opulentissima dona miserunt. At si Apollo iste Pythius paulatim discernente experientia contemptus, relictus atque abolitus est, quid vivum de mortua pecude, quid verum de amente muliercula sperari potest? Quid postremo,

[29] Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,

419 expositis opimæ pecudis intestinis, non finget esuriens? Nam [30] sicut ipsi fatentur, vel obscura, vel falsa dicendo, ipse Apollo seducit. Quamobrem æquo animo ferant, [31] etsi imitari interim nolunt, nos id veritatis judicio etiam prohibere, quod potuerunt majores eorum, vel experiendo contemnere. Interea apud Dyrrachium multi Orientis reges ad Pompeium cum auxiliis [32] convenerunt. Quo cum Cæsar venisset, Pompeium obsidione frustra cinxit, [33] ipse terram [34] quindecim millium passuum fossa præstruens, cum illi maria paterent. Pompeius castellum quoddam propinquum mari, [35] quod Marcellinus tuebatur, evertit, præsidiaque Cæsaris quæ ibidem morabantur occidit. Cæsar Torquatum legionemque unam, ut expugnaret, aggressus est. Hoc periculo sociorum Pompeius cognito, omnes eo copias contraxit: in quem se illico Cæsar omissa obsidione convertit. Torquatus autem e vestigio [36] prorumpens, aversum insecutus est. Ita Cæsaris milites ancipiti periculo territi, ipso Cæsare frustra obsistente, fugerunt. Pompeius vero [37] Cæsaris quoque testimonio victor, persequentem revocavit exercitum. [38] Quatuor millia militum Cæsaris, centuriones viginti duo, [39] equitesque Romani complures **420** in eo prælio cæsi sunt. Cæsar inde citato agmine per Epirum in Thessaliam perrexit. Pompeius cum maximis copiis secutus, bellumque commissum est. Itaque [40] instruitur utrimque acies. [41] Pompeius octoginta et octo cohortes triplici ordine locavit. Fuerunt autem peditum quadraginta millia, equites in sinistro cornu sexcenti, in dextro quingenti, cætera reges multi, senatores, equitesque Romani plurimi absque [42] levium armaturarum magna co-

HAVERCAMPI NOTÆ.

trectatores consulere, i. e. interrogare, prout statim facit, in illis, *Cur ergo*, etc.

23. *Et ob hoc maxime*. In mss. Florentt. tribus, Lugd. Batt. quatuor et Coll. Gronov. atque vett. edd. legitur, *et ob hoc ideo maxime*, nisi quod *ob* absit ab edit. Aug. Vulgatam lectionem Meus et Periz. confirmant cum Ultr. eaque satis proba est.

24. *Nequeunt*. Lugd. Batt. pr. et tert., *nequeant*.

25. *Poeta præmonuit*. Virgil. Æneid. III, 452.

26. *Apollo iste Pythius erat*. Edit. August., *Python. Apollo iste erat*. In eodem cod. hæc ex Glossa recepta præcedebant: *Apollo successit hæres serpenti in divinatione Python. Post Apollo successit Sibylla in divinatione*.

27. *Pythone serpente*. De Pythone Callimachus in Apollinem:

Πυθὼ τοι κατιόντι συνήντετο δαιμόνιος θὴρ,
Αἰνὸς ὄφις, τὸν μὲν σὺ κατήναρες, ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ
Βάλλων ὠκὺν ὀϊστόν.

Id est:

Horridus occurrit serpens fera bestia, Pytho:
Quem tu descendens perimis cito fatifero arcu,
Continua volucres dum dirigis arte sagittas.

Dionysius Afer δράκοντα δελφύνην appellat. Tibullus lib. II, *ubi Delphica Pytho?* FABR.

28. *Ad vivam vocem*. Ed. Aug., *ad unam vocem*. Mox mss. et editt. quædam, *concurrerunt*.

29. *Inflavit cum pinguis*. Versus est Virgilii de secundo libro Georg. FABR.

30. *Sicut ipsi fatentur*. Sine modo hæc prius confusa legebantur sic: *Non fingent esuriens? Nam sicut ipsi*. LAUT. — Vulgata recte se habet, nihil immutandum.

31. *Etsi imitari interim nolunt*. Ita, reponendo *etsi* pro *si*, scribere jubent omnes codd. mss.; pro *interim* Lugd. Bat. pr. insuper amat *in tantum*.

32. *Convenerunt*. Flor. pr., *venerunt*.

33. *Ipse terram quindecim millium passuum*. Munitionis spatium Cæsar non expressit, sicut nec Lucanus initio lib. VI. Appian. lib. II, σταδίους διακοσίους καὶ χιλίους edit. Florus scribit Cæsarem Pompeii castra XVI millium vallo obduxisse. FABR.

34. *Quindecim millium*. Mss. aliquot amant, *quindecim millibus*.

35. *Quod Marcellinus*. Lentulus Marcellinus quæstor: Cæsar. FABR.

36. *Prorumpens*. Ed. August., *erumpens*.

37. *Cæsaris quoque testimonio victor*. Hoc prælio commisso ad Dyrrachium victus Cæsar, Pompeio non instante, negavit eum vincere scire: Suetonius in Julio, Plutarch. in Pompeio et Cæsare. FABR.

38. *Quatuor millia militum*. Plutarch. in Pompeio δισχιλίους habet. Centuriones Cæsar lib. III Comm. edit XXXII, non XXII. FABR. — Idem numerus XXXII in editione principe occurrit, ut et Parisina atque Venetis.

39. *Equitesque*. Conjunctionem sive copulam delent mss. et edd. quidam.

40. *Instruitur*. Ita mss. meliores et edd. vett.. non *instituitur*.

41. *Pompeius octoginta et octo cohortes*. De numero copiarum non idem omnes scripserunt, quo de Appianus lib. II. FABR.

42. *Levium armaturarum*. Tres Lugd. Batt. et Coll. Gronov., *levium armatorum*.

pia. Cæsar similiter octoginta cohortes triplici ordine disposuit, cui fuerunt [43] non minus quam triginta millia peditum, equites mille. Videre ibi et gemere erat, contractas Romanorum vires in campis [44] Pharsalicis ad occisionem mutuam constitisse: quas si concordia rexisset, nulli populi, nulli reges ferre potuissent. Prima congressione equitatus Pompeii pulsus, sinistra latera nudavit. Deinde cum diu utrimque dubia sorte cæderentur, atque [45] ex alia parte Pompeius inter hortandum diceret: [46] Parce civibus, nec tamen faceret; ex alia vero Cæsar hoc faceret, quod urgeret, dicens: Miles, faciem feri: tandem universus Pompeii fugit exercitus, castraque direpta sunt. Cæsa sunt in eo prælio Pompeianorum [47] quindecim millia, centuriones triginta et tres. Hic exitus pugnæ ad Palæopharsalum fuit: [48] Pompeius fugiens, in ostio Penei amnis onerariam navem nactus, in Asiam transiit. Inde per Cyprum in Ægyptum venit; ibique mox ut littus attigit, jussu Ptolemæi adolescentis, in gratiam Cæsaris victoris occisus est. Pompeii uxor filiique fugerunt. Cætera Pompeiana classis direpta est, omnibus qui in ea erant crudelissime trucidatis: **421** ibique et [49] Pompeius Bithynicus occisus est. [50] Lentulus vero, [51] vir consularis, apud Pelusium interfectus est. Cæsar, compositis apud Thessaliam rebus, Alexandriam venit, perlatoque ad se ac viso Pompeii capite, annuloque, flevit. Cumque se in regiam recepisset, eludebatur a tutoribus, quo minus pecuniam acciperet, templa sua astu spoliantibus, ut et regios thesauros vacuos esse ostenderent, et in invidiam Cæsaris populum concitarent. Præterea Achillas dux regius, imbutus semel Pompeii sanguine, Cæsaris quoque necem meditabatur. Nam jussus exercitum dimittere, cui præerat, viginti millium armatorum, non modo sprevit imperium, [52] verum et aciem direxit. In ipso prælio regia classis forte subducta, jubetur incendi. [53] Ea flamma [54] cum partem quoque urbis invasisset, quadringenta millia librorum, proximis forte ædibus condita, exussit: singulare profecto monimentum studii, curæque majorum, qui tot tantaque illustrium ingeniorum opera congesserant. Unde quamlibet [55] hodieque in templis exstent, quæ et nos vidimus, armaria librorum; quibus [56] direptis, exinanita ea [57] a nostris hominibus, [58] nostris temporibus [59] memorent, [60] quod quidem verum est; tamen honestius creditur, alios libros fuisse quæsitos, qui pristinas studiorum curas æmularentur, **422** [61] quam aliam ullam tunc fuisse, etc. In mss. Lugd. Batt. tribus et Coll. Gronov. desideratur *ullam*. Orosii autem hæc verba quid sibi velint, vix capio. Innuere videntur, vel exstitisse scriptores, qui affirmaverint, aliam alio in loco Alexandriæ, iisdem temporibus fuisse bibliothecam, quæ non arserit, quod propter librorum, qui incendio perierint, numerum, negat Orosius; vel, præter bibliothecam illam Alexandrinam quadraginta millia librorum, nullam aliam fuisse bibliothecam publicam. Quod sane falsum est: nam fuit in magno honore, et ante hanc cladem litterariam et post, bibliotheca Pergamena, quam Cleopatræ largitus est Antonius, quæque, teste Plutarcho in Antonio p. 943, ducenta voluminum millia continebat, æmulatione Ptolemæorum, a Pergamenis regibus collecta. Secunda igitur hæc Alexandrina fuit bibliotheca. Et prior quidem in loco urbis exstitit; qui Bruchium vocabatur. Epiphan. de Mensuris et Ponderibus cap. 9: *Ptolemæus, cognomento Philadelphus, Alexandriæ rex, egregiam Alexandriæ bibliothecam instituit, in ea urbis regione, quam Bruchium vocant; quæ deserta hoc tempore visitur*. Secunda bibliotheca, quæ ex Pergamena maxime crevit, in Serapio fuit, quod nobilissimum et stupendæ magnitudinis atque artis erat templum, quodque stetit usque ad Theodosii majoris tempora. Jussu enim imperatoris hujus Christiani dirutum fuit, quo tempore quoque videtur altera illa bibliotheca Alexandrina sive Pergamena, a Christianis direpta atque ad alia loca fuisse transportata.

HAVERCAMPI NOTÆ.

43. *Non minus*. Ed. princeps, *minus quam*. Et sic quoque exstat in mss. Florentt. tribus, quorum duo posteriores insuper *quam* delent.

44. *Pharsalicis*. Lugd. Batt. tres, *Thessalicis*. Idem in ed. August. invenitur.

45. *Ex alia parte*. Lugd. Batt. pr., *alia ex parte*.

46. *Parce civibus*. Ita scripsimus ex vetustis, nec aliter est apud Florum. FABR.

47. *Quindecim millia*. Lugd. Batt. pr. et quart., XXII *millia*.

48. *Pompeius fugiens*. De Pompeii fuga et interitu Cæsar lib. III, Plutarchus in Pompeio, Appianus lib. II, Dio XLII, Velleius lib. II. FABR.

49. *Pompeius Bithynicus*. *Q. Pompeius A. F. qui Bithynicus dictus est*. Cicero in Bruto. FABR. — Copulam *et* delent Lugd. Batt. tres cum Collat. Gronov.

50. *Lentulus*. L. Lentulus Crus, qui anno superiore cos. fuerat. Eum Cæsar scribit a rege comprehensum, in custodia necatum esse. FABR.

51. *Vir consularis*. Ed. August., *Lentulus vero consularis*.

52. *Verum et aciem*. Lugd. Batt. duo, *verum etiam et aciem direxit*.

53. *Ea flamma*. Hanc bibliothecam laudans T. Livius, *elegantiæ regum curæque egregium id opus* ait fuisse, ut est apud Senecam de Tranquillitate vitæ. Ubi quadringenta millia librorum Alexandriæ arsisse legitur. Bibliothecæ Alexandrinæ incensæ meminit et Plutarch. in Cæsare, et Dio lib. XLII. De omni re gesta cum Alexand. præter cæteros copiose Hirt. FABR.

54. *Cum partem*. Lugd. Bat. quart. et Coll. Gronov. *cum partes* legunt. Supra quoque *ea* non agnoscit eadem Collatio cum tribus mss. Lugd. Batt.

55. *Hodieque*. Male edd. quædam Vett., *hodie, quæ*.

56. *Direptis*. Lugd. Batt. quatuor, Ultr. et Coll. Gronov., *derelictis*.

57. *A nostris hominibus*. Absunt a Lugd. Bat. quarto.

58. *Nostris temporibus*. Edd. vett. quædam, *nostrisque temporibus*.

59. *Memorent*. Ita codd. et edd. meliores; alii, *memorentur*.

60. *Quod quidem verum est*. Hæc mihi glossam marginalem sapere videntur. Crebri enim bellorum tumultus, captaque per barbaros Gothos Roma, aliaque similia, minime contigisse videntur sine Bibliothecarum aliqua jactura. Invidiam hanc in Christianos derivarunt gentiles, quasi illi sub Imp. Christianis expilassent atque vastassent bibliothecas publicas. Quod sicuti contigit forte circa illos libros, qui superstitiones veteres et inanium atque pudendorum sacrorum ritus continebant, idcirco aliquis jam olim in margine scripsisse videtur, *quod quidem verum est*.

61. *Quam aliam ullam tunc fuisse*, etc. In mss. Lugd. Batt. tribus et Coll. Gronov. desideratur *ullam*. Orosii autem hæc verba quid sibi velint, vix capio. Innuere videntur, vel exstitisse scriptores, qui affirmaverint, aliam alio in loco Alexandriæ, iisdem temporibus fuisse bibliothecam, quæ non arserit, quod propter librorum, qui incendio perierint, numerum, negat Orosius; vel, præter bibliothecam illam Alexandrinam quadraginta millia librorum, nullam aliam fuisse bibliothecam publicam. Quod sane falsum est: nam fuit in magno honore, et ante hanc cladem litterariam et post, bibliotheca Pergamena, quam Cleopatræ largitus est Antonius, quæque, teste Plutarcho in Antonio p. 943, ducenta voluminum millia continebat, æmulatione Ptolemæorum, a Pergamenis regibus collecta. Secunda igitur hæc Alexandrina fuit bibliotheca. Et prior quidem in loco urbis exstitit; qui Bruchium vocabatur. Epiphan. de Mensuris et Ponderibus cap. 9: *Ptolemæus, cognomento Philadelphus, Alexandriæ rex, egregiam Alexandriæ bibliothecam instituit, in ea urbis regione, quam Bruchium vocant; quæ deserta hoc tempore visitur*. Secunda bibliotheca, quæ ex Pergamena maxime crevit, in Serapio fuit, quod nobilissimum et stupendæ magnitudinis atque artis erat templum, quodque stetit usque ad Theodosii majoris tempora. Jussu enim imperatoris hujus Christiani dirutum fuit, quo tempore quoque videtur altera illa bibliotheca Alexandrina sive Pergamena, a Christianis direpta atque ad alia loca fuisse transportata.

lam tunc fuisse bibliothecam, quæ extra [62] quadringenta millia librorum fuisse, ac per hoc evasisse credatur. Cæsar postea insulam ubi Pharus est, cepit. Eo Achillas cum Gabinianis militibus [63] venit. Ingens pugna commissa est : magna ibi Cæsarianorum militum multitudo cecidit, omnes etiam interfectores Pompeii interfecti sunt ; Cæsar vi insistentium hostium pressus, scapham ascendit ; qua mox pondere subsequentium gravata ac mersa, per CC passus ad navem una manu elevata, qua chartas tenebat, [64] natando pervenit, mox navali certamine pulsatus, magna [65] felicitate classem regiam aut depressit aut cepit.

423 CAPUT XVI.

Cæsar Alexandrinis regem reddit, Alexandrinos subigit, civesque multos cædit.

[1] Alexandrinis petentibus regem [2] reddidit, monitum, ut magis amicitiam Romanam, quam arma experiri [3] studeret. Qui tamen [4] illico ut liber fuit, bellum intulit, sed continuo cum toto exercitu suo et ipse deletus est. Nam viginti millia hominum in eo bello cæsa referuntur, duodecim millia cum septuaginta longis navibus dedita, quingenti ex victoribus cecidisse [5] dicuntur. Rex ipse adolescens scapha exceptus ut fugeret, multis insilientibus mersus, necatusque est. [6] Corpus ejus ad littus devolutum, indicio loricæ aureæ cognitum fuit. Qua Cæsar Alexandriam præmissa, Alexandrinos omnes ad deditionem desperatione compulit, regnumque Ægypti Cleopatræ dedit. Inde Syriam pervagatus, [7] Pharnacem in Ponto vicit. Postea vero quam Romam venit, [8] dictator et consul creatus, in Africam transiit, et apud Thapsum cum Juba et Scipione pugnavit, maximamque ibi hominum multitudinem interfecit. Castra utriusque direpta sunt, sexaginta elephanti capti. Cato sese apud Uticam occidit. [9] Juba [10] percussori jugulum [11] pretio dato, præbuit. **424** Petreius eodem se gladio perfodit : Scipio in navi, qua ad Hispanias fugere contendens [12] vento coactus in Africam redierat, [13] semetipse jugulavit. In eadem navi etiam T. Torquatus occisus est. Cæsar Pompeii Magni nepotes, filiamque [14] Pompeiam, simulque cum his Faustum Syllam et Afranium et Petreium filium jussit occidi. Inde quatuor triumphis Urbem ingressus, disposito recuperatæ reip. statu ; [15] continuo [16] in Hispanias contra Pompeios Pompeii filios profectus, [17] septimo decimo quam egressus ab Urbe fuerat die, Saguntum pervenit, statimque adversus Pompeios duos, et Labienum atque [18] Attium Varum, multa bella et varia sorte gessit. Ultimum bellum apud [19] Mundam urbem gestum est, [20] ubi tantis est viribus dimicatum, tantaque cædes acta, ut Cæsar quoque, veteranis etiam suis cedere non erubescentibus, cum cædi cogique aciem suam cerneret, prævenire morte futurum victi dedecus [21] cogitarit, cum subito versus in fugam Pompeiorum

HAVERCAMPI NOTÆ.

62. *Quadringenta millia librorum.* Totidem *Alexandriæ arsisse* legimus ex Testimonio Livii apud Senecam de Tranquill. cap. 9. Gellius septingenta millia numerat lib. VI, cap. 17 : *Ingens postea numerus librorum in Ægypto a Ptolemæis regibus vel conquisitus vel confectus est, ad millia ferme voluminum septingenta : sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non sponte neque opera consulta, sed a militibus forte auxiliariis, incensa sunt.*

63. *Venit.* Mss. et edd. quidam, *postea venit.*

64. *Natando.* Cod. Longob., Meus et tert. Flor., *nando pervenit.*

65. *Felicitate.* Omnes codd. mss. atque edd. vett. legunt, *facilitate.* Vulgatam tamen servat Paulus Diaconus in fine lib. VI Hist. Misc.

CAP. XVI.— 1. *Alexandrinis petentibus.* Ed. Aug., *Alexandrinis regem petentibus, reddidit.*

2. *Reddidit.* Lugd. Batt. tres, *reddit.*

3. *Studeret.* Lugd. Bat. pr. *studeat.*

4. *Illico, ut liber fuit.* Edd. quædam vett., *ut liber fuit, illico bellum*, etc.

5. *Dicuntur.* Malunt hoc verbum mss. omnes ; vulgg., *referuntur.*

6. *Corpus.* Lugd. Bat. pr., *corpusque.*

7. *Pharnacem in Ponto.* De Pharnace et re cum eo gesta, Hirt. de bel. Alex., Dio lib. XLII, et alii. FABR.

8. *Dictator et consul.* Orosius, secutus fortasse Livium, hic aperte Cæsarem an. U. DCCVII dictatorem et consulem III creatum ostendit : quamvis hæc dictatura non omnes Annales suffragantes habeat, qua de re Sigonius in Fastis. *De bello Africo* exstat Hirtii Comm. De eodem omnes alii scriptores ; quare in re aperta nostris verbis minime opus est. FABR.

9. *Juba.* Lugd. Bat. pr. et tert. cum Coll. Gronov., *Juba rex.*

10. *Percussori.* Dio scribit *Jubam* cum Petreio ferro congressum, atque ita utrumque periisse. Florus tradit *Petreium* super mensas Jubam et se interfecisse. De Scipionis interitu præter historicos Seneca lib. III Epist. FABR.

11. *Pretio dato.* Egregia est emendatio Rubenii Elect. I, 10, *Petreio.* Neque dubito, quin Orosius scripserit, *Juba percussori jugulum Petreio præbuit.* Nam, si credidisset Orosius pretio dato, a percussore nescio quo, occisum Jubam, scripsisset in sequentibus, *Petreius suo se gladio perfodit.* Nunc, quoniam dicit *eodem*, necessario intelligi debet de gladio, quo antea Jubam, dein se ipsum confecit. *Ille* enim *et regi suffecit et sibi.* Florus lib. IV, cap. 2.

12. *Vento coactus.* Lugd. Batt. pr., tert. et quart. cum Col. Gronov., *vento actus Africam redierat*, neglecto *in.*

13. *Semetipse.* Edd. August. et Venetæ, *semetipsum.* Assentitur cod. Ultr.

14. *Pompeiam.* Ed. Aug., *Pompeii.*

15. *Continuo in Hispanias. De bello Hispaniensi* exstat Commentarius Hirtii. De eodem Plutarch. et Dio lib. XLIII. FABR.

16. *In Hispanias.* Ed. August., *in Hispaniam.*

17. *Septimo decimo.* Ita Florent. tres ; alii, *decimo septimo.* Pro *quam*, ed. Aug., *qua.*

18. *Attium Varum. Attius* recte in libris vetustis legitur. Nam et Dio Πούπλιον Ἄττιον Οὐάρον nominat. Vulgares libri modo *Actium*, modo *Accium* habent. In Plutarchi Catone mendose Οὐάρος Ἄππιος vocatur. FABR.

19. *Mundam urbem.* Mss. et edd. quidam, *Mundam flumen.*

20. *Ubi tantis est*, etc. Mss. et ed. quidam expungunt *est.* Alii transponunt, *ubi tantis viribus dimicatum est.*

21. *Cogitarit.* Lugd. Batt. tres, Ultr. et Coll. Gronov., *cogitaret.*

cessit exercitus. [22] Et quidem eo die hoc [23] bellum actum est, quo Pompeius pater ab Urbe bellum gesturus aufugerat, quatuorque annis hoc civile bellum **425** indesinenter [24] toto orbe tonuit: T. Labienus et Attius Varus in acie cæsi sunt. [25] Sex. Pompeius [26] cum centesimo equite aufugit. Frater ejus Cn. Pompeius contracta celeriter non parva Lusitanorum manu, [27] cum Cæsonio congressus [28] et victus, fugiensque interfectus est. Munda civitas cum immensa hominum cæde, Cæsare [29] oppugnante, vix capta est.

CAPUT XVII.

De Cæsaris interitu, et ob eum tumultibus et bellis.

Cæsar Romam rediit: [1] ubi dum [2] Reipublicæ statum contra exempla majorum clementer instaurat, auctoribus Bruto et Cassio, **426** conscio etiam plurimo senatu, [3] in curia [4] viginti et tribus vulneribus confossus interiit. [5] In qua conjuratione fuisse [6] amplius sexaginta conscios ferunt. Duo Bruti et Caius Cassius aliique socii, strictis pugionibus in Capitolium [7] secesserunt. Diu deliberatum est, utrum Capitolium cum auctoribus cædis oporteret incendi. Corpus ejus raptum populus, dolore [8] instimulatus, in foro fragmentis tribunalium ac subselliorum cremavit. Percensuit latitudinem regni sui Roma cladibus suis, atque in suam [9] conversa cædem, singulas quasque gentes ibidem, ubi domuit, vindicavit. Asiæ, Europæ, atque Africæ, non dico tribus mundi partibus, sed totis trium partium angulis **427** edidit [10] gladiatores suos: feriatisque inimicis spectaculum miseræ ultionis ingessit. Nec tamen sufficit ipsas quoque cum auctoribus causas fuisse consumptas, recidiva semina in eodem agro [11] germinant, [12] magna continuo metentibus malorum incrementa cum magno sudore factura: victor civilis

HAVERCAMPI NOTÆ.

22. *Et quidem eo die.* Plutarchus in Cæsare de prælio Mundensi: Ταύτην τὴν μάχην ἐνίκησε τῇ τῶν Διονυσίων ἑορτῇ, καθ' ἣν λέγεται καὶ Πομπήϊος Μάγνος ἐπὶ τὸν πόλεμον ἐξελθεῖν· διὰ μέσου δὲ χρόνος ἐνιαυτῶν τεσσάρων διῆλθεν. Id est, *Hoc prælium secundum Cæsar Liberalibus fecit, quo die Pompeius Magnus primum ad hoc bellum profectus dicitur, cum interea quatuor anni effluxissent.* FABR.

23. *Hoc civile bellum actum est.* Una aut altera ex edd. vett. *bellum* neglexit.

24. *Toto orbe tonuit.* Indocti librarii mutarunt in *totum orbem tenuit*, ut factum fuit in tribus Lugd. Batt. et Coll. Gronov. Sed ed. Aug. veræ et vulgatæ lectioni addidit: *Al. totam urbem tenuit.*

25. *Sex. Pompeius.* Hæc nos ex Roberti Stephani lib. sic restituimus, cum in aliis libris e duobus fratribus *Cn. Pompeius aufugisse, Sextus interfectus* contra historiæ veritatem legatur. FABR.

26. *Cum centesimo equite.* Lugd. Bat. pr. *centenario*; reliqui tres, cum Coll. Gronov., *cum centenario equitatu fugit.* Edd. vett. quædam, *cum centum equitibus aufugit.*

27. *Cum Cæsonio. Cæsonio* est etiam in vetustis, sed vide, ne potius legendum sit, *Cesennio.* Nam Dio hunc *Cesennium Lentonem* vocat: cujus mentio est Philippica XII. FABR.

28. *Et victus.* Ed. Aug., *ibi victus.* In ea quoque *Cæsare* pro *Cæsonio.*

29. *Oppugnante.* Lugd. Bat. tert., *pugnante*; prim. autem, *pugnante et cedente.*

CAP. XVII.—1. *Ubi dum.* Edit. Aug. et cod. Ultr., *ibi dum.* Insignem Julii Cæsaris, inter plures, possideo nummum æreum, a Corinthiis, in ejus, ut urbis suæ instauratoris, honorem cusum. In illo, affabre admodum facto, senile et curis atque macie confectum herois Julii caput videre est. Nomina duumvirorum Certi Æricii et C. Julii in posteriore nummi parte scribuntur, in quo antiqui illius Corinthii Bellerophontis Pegaso vecti imago est. Adjecti ex museo nostro alterum Julii Cæsaris æreum itidem nummum, cum capite ejusdem et imagine Jovis, sed pejus a tempore, erosis litteris, habitum.



2. *Reipublicæ statum.* Lugd. Batt. duo cum Coll. Gronov., *repente statum.*

3. *In curia.* Quomodo Cæsar idibus Martiis in curia Pompeii viginti et duobus vulneribus confossus fuerit, Suetonius, et omnes alii scribunt. FABR.

4. *Viginti et tribus.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gron., *viginti et quatuor.*

5. *In qua.* Secundam vocem non agnoscunt Lugd. Batt. pr. et tert.

6. *Amplius sexaginta conscios.* Suetonius: *Conspiratum est in eum a sexaginta amplius*, quorum nonnullos Cicero nominat Philip. II, plures Appianus lib. II. FABR.

7. *Secesserunt.* Mss. et edd. quidam, *recesserunt.*

8. *Instimulatus.* Ed. August., *stimulatus.*

9. *Conversa.* Lugd. Bat. pr. et tert. cum Coll. Gronov. *versa.* Lucanus I, 3:

Populumque potentem
In sua victrici conversum viscera dextra.

Idem ibid. vs. 7:

Quis furor, o cives, quæ tanta licentia ferri,
Gentibus invisis Latium præbere cruorem!

Atque ibid. vs. 38:

Diros Pharsalia campos
Impleat; et Pœni saturentur sanguine manes.

10. *Gladiatores suos.* Captivi sæpe, præsertim qui ejusdem erant nationis, cogebantur depugnare in arena, fiebatque idem sæpius in magnorum virorum funeribus. Sic in funere quasi victarum gentium Romani inter se bellis civilibus certarunt, terrisque a se devictis hoc modo veluti solatium præbuerunt.

11. *Germinant.* Ed. quædam, *germinaverunt.* Aug., *seminavit.*

12. *Magna.* Florent. pr., *mala.*

belli a civibus Cæsar occiditur, in cædem unius trahuntur agmina consciorum. Certum enim erat,[13] quia Cæsar indigne peremptus, plures habere posset ultores. [14] Plurimaque nobilitas una simul catena sceleris copulatur, ne forte [15] tanta malorum materia non belli magnitudine suppleatur, sed vindictæ brevitate tenuetur. [16] Medeam illam fabulæ ferunt [17] dentes quondam occisi sevisse serpentis, e quibus quasi [18] competens semini seges, armati homines terra emerserint, seseque mox invicem pugnando prostraverint. Et quidem hoc poetarum commenta finxerunt, [19] nostra autem Roma, Cæsare occiso, quanta de cineribus ejus agmina armata parturiit? Quanta bella in testimonium miseræ fecunditatis non [20] legenda pueris, sed [21] spectanda populis excitavit? et tamen horum **428** omnium malorum initium superbia est. Inde [22] exarserunt bella civilia, inde iterum [23] pullularunt. Non ergo injusta cædes est eorum, qui eam injuste [24] consectantur, si ambitionis æmulatio per ipsos atque in ipsis et agitur et punitur, donec qui detrectavere collegium, discant ferre dominatum : summaque imperii totius ad unum redacta, longe aliud omnes homines vivendi genus subeant, ut omnes humiliter placere studeant, non insolenter offendere. Sed ad tam salubrem humilitatis doctrinam magistro opus est. Itaque, opportune compositis rebus, Augusti Cæsaris temporibus natus est Dominus Christus : [25] qui, cum in forma Dei esset, formam servi humiliter assumpsit : ut tunc demum aptior fieret humilitatis institutio, quando jam per totum mundum pœna superbiæ omnibus esset exemplo.

CAPUT XVIII.

De Cæsare Octaviano Augusto, rebusque per eum gestis.

Anno ab Urbe condita DCCX, interfecto Julio Cæsare, [1] Octavianus, qui testamento Julii [2] Cæsaris avunculi et hæreditatem **429** et nomen assumpserat, idemque qui postea rerum potitus Augustus est dictus, simul ut Romam adolescens admodum venit, indolem suam bellis civilibus [3] vovit. Nam, ut breviter coacervationem malorum explicem, [4] bella civilia quinque gessit : Muti-

HAVERCAMPI NOTÆ.

13. *Quia Cæsar.* Puto legendum esse, prout in ed. principe exstat, *quod*. In codicibus enim Orosii voces *quod*, *quia*, *cur*, solent permutari. In quibusdam mss. abest *enim*, in pluribus pro *posset* scribitur *possit*.

14. *Plurimaque.* Copulam *que* non agnoscit ed. pr.

15. *Tanta.* Lugd. Bat. duo cum Coll. Gronov., *tandem*.

16. *Medeam illam.* Fabula est in Apollonii Argonauticis lib. III et Ovidii Metamorph. lib. VII. FABR.

17. *Dentes quondam.* Hæc meliorum codd. est lectio; alii, *quosdam*.

18. *Competens semini seges.* Ita in mss. Ex edd. quidam, *competentes semini segetes*.

19. *Nostra autem Roma.* Duo ex Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *nostra hæc Roma*.

20. *Legenda pueris.* In exercitiis scilicet Scholasticis. Juvenal. Sat. x, vs. 167 :

Ut pueris placeas, et declamatio fias!

21. *Spectanda populis.* Quibusdam ex iis non sine voluptate, ut fieri solebat in spectaculo gladiatorum, quibus supra Romanos miseros comparavit.

22. *Exarserunt.* Edd. vett. quædam, *surrexerunt*.

23. *Pullularunt.* Lugd. Batt. duo, *popularium*.

24. *Consectantur.* Edd. quædam vett., *insectantur*. Eædem mox, *et in ipsis*. Dein, *agitur et punitur*, deleto *et*, quod præcesserat, ed. Aug.

25. *Qui, cum,* etc. Ex Epist. Pauli ad Philipp. cap. II, vs. 6.

1 CAP. XVIII. — 1. *Octavianus.* Recte manuscripta exemplaria. Nam *C. Octavius*, Julii Cæsaris testamento adoptatus, more Romanorum dictus fuit *C. Julius Cæsar Octavianus*, Dio lib. XLVII. FABR.

2. *Cæsaris avunculi.* Julium Cæsarem Octaviani *avunculum* nominat etiam infra c. 20, et Suetonius in Augusto ait : *Nihil convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare*, cum tamen *avunculus magnus* fuerit. Nescio autem an Orosius Octavianum ex sorore Cæsaris natum putaverit, quem errorem Jo. Pierius, Carolus Sigonius, ac postremo Guiliel. Xylander (qui in Dionis historia convertenda et emendanda præclara ingenii sui documenta dedit) refutarunt. FABR.

3. *Fovit.* Sic feci ex *novit* et *vovit*. Sic lib. VII, *occulto fœdere vovens*, restitue *fovens*. Forte nihil temere sit mutandum, si *vovendi* variam consideres notionem. LAUT. — Verbum *fovit* loci elegantiam tollit; *novit*, quod contra vett. quæ præcesserant edd. omnes, recepit Fabricius, nauci non est, ut nec *movit*, quod in Lugd. Batt. tribus et Coll. Gronov. inveni. Omnino reponi debet *vovit*, quod mss. reliqui omnes et edd. agnoscunt. Voverat, seu devoverat sese Octavianus bellis civilibus, ad quinque, quæ gessit, juvenis etiamnum initiatus. Genus loquendi, ut apud Lucanum III, 310 :

Accipe devotas externa in prælia dextras.

4. *Bella civilia quinque gessit.* Bellorum horum victoriarumque Cæsaris Octaviani Augusti memoria insignis exstat in nobilissimo, qui penes me est, nummo argenteo; in cujus parte priore, sine ulla inscriptione, agnoscitur Cæsaris Octaviani caput, leoninis exuviis, in morem Herculis exornatum; quasi agnosceret senatus Romanus (cujus jussu, apposita nota S. C. fuit cusus denarius) domita per Herculem hunc Alexicacum, quæ Romanum imperium lacerabant, monstra, Antonium præcipue et Sextum Pompeium. Insignis æque est pars altera nummi, quæ, sine ulla inscriptione, typi superbia, rem absolvit. Spectatur enim ibi globus, terrarum orbem designans, in media area, quatuor cinctus corollis, cum acrostolio et frumenti spica. Cujus emblematis duas possum afferre interpretationes. Per quatuor enim corollas quatuor victoriæ Cæsaris designari possunt, quas hic enumerat Orosius, sic ut quinta victoria duplici typo indicetur, videlicet acrostolio et frumenti spica, quæ Siciliæ et victoriæ Siculæ, sive de Sexto Pompeio, sint symbolum, classibus enim ille et frumenti copia valebat. Altera interpretatio hæc est : Quatuor cernimus corollas, sed ita pictas, ut quæ ex iisdem globo superponitur, reliquas tres, quæ æquali sunt magnitudine, vincat. Hæc igitur in genere victorias Cæsaris, et subactum terrarum orbem significat. Tres corollæ, sibi invicem similes, triplicem triumphum, cujus mentio fit cap. 20, et partas in specie ex Europa, Asia et Africa, tribus orbis terrarum partibus, victorias innuunt. Acrostolium vero potentiam maris, frumenti spica, abundantiam et ubertatem rerum omnium frumentique imprimis curam designant.

nense, Philippense, Perusinum, Siculum, Actiacum: e quibus duo, hoc est, primum et novissimum, adversus Marcum Antonium, secundum adversus Brutum et Cassium, tertium adversus L. Antonium, quartum **430** adversus Sex. Pompeium, Cn. Pompeii filium, confecit. [5] Antonius a senatu hostis [6] pronuntiatus, D. Brutum ad Mutinam obsidione concluserat. Consules Hirtius et Pansa, et cum his Cæsar, ad liberandum Brutum, expugnandumque Antonium missi. [7] Pansa primo veniens, exceptus insidiis, inter suorum clades, ipse quoque pilo graviter vulneratus, ab eodem vulnere interpositis diebus est mortuus. Hirtius, auxilium collegæ ferens, magnas Antonii copias [8] vasta strage delevit. Cæsar eatenus castra custodiit. Secunda adversus Antonium pugna magnæ utrimque strages actæ sunt. Namque tunc ibi Hirtius consul occisus est, [9] victus fugit Antonius, Cæsar victoria potitus est, cui D. Brutus, de conjuratione occisi Julii Cæsaris, confessus; **431** preces pœnitentiæ [10] fudit: [11] Dolabella Trebonium, unum ex interfectoribus Cæsaris, Smyrnæ interfecit. Dolabellam senatus hostem pronuntiavit. Consulum occisorum uterque exercitus Cæsari paruit. [12] Postea D. Brutus in Gallia a Sequaniis captus et occisus est. [13] Basillus autem, æque unus de

Alterum itidem servo nummum, æreum, victoriæ Actiacæ testem, cusum Philippis, Macedoniæ urbe ad Pangæi montis radices. Coloniam eam fecerat Cæsar, novosque eo colonos deduxit Augustus. Signa cohortium prætorianorum, ascripto nomine, a parte altera; ab altera Victoriæ navalis conspicitur typus, cusumque fuisse nummum, cum Octavianus Augusti assumpsisset nomen, docet inscriptio VICtoriâ AVGusti.



5. *Antonius hostis.* Historiam non aliunde commodius adolescentes, quam ex Ciceronis epistolis et Philippicis cognoscent. Legendi sunt etiam Plutarchus, Appianus, Dio, et Paterculus. FABR.

6. *Pronuntiatus.* Mss. aliquot ex Lugd. Bat. cum Coll. Gronov., *pronuntiatur*, *D. enim Brutum*, etc.

7. *Pansa primo veniens. De pugna Mutinensi* exstat epistola Galbæ ad Ciceronem lib. x Epistol. Familiar. FABR.

8. *Vasta strage.* Ultr., sed solus, *una strage.* Mox Lugd. Bat. pr. *clades* pro *strages* habet.

9. *Victus fugit Antonius.* Ita reposui ex mss. consensu, astipulante ed. August. Vulgati reliqui, *victus fuit Antonius.*

percussoribus; manu servorum suorum necatus est. Lepido satisagente, Cæsar Antonium recepit in gratiam: atque ob fidem reconciliatæ gratiæ, filiam ejus matrimonio sortitus est. Inde cum ad Urbem accessissent, ac rumor de futura proscriptione ortus esset, [14] C. Thoranius, vir prætorius, nihil tale metuens, incursu militum domi suæ interfectus est, aliique complures trucidati sunt. Itaque, ne latius atque effrenatius incircumscripta cædes ageretur, [15] centum triginta et duum senatorum nomina in tabula proposita sunt, primum Lepidi præcepto et nomine, deinde Antonii, tertio Cæsaris. Ibi Antonius Tullium Ciceronem inimicum suum, ibi L. Cæsarem avunculum suum, et (quod exaggerando sceleri accessit) viva matre proscripserat; ibi Lepidus L. Paulum fratrem suum [16] in eumdem proscriptorum gregem conjecerat. Adjecti sunt postea **432** ad numerum proscriptorum triginta equites Romani. Multæ diu et variæ cædes actæ, domus proscriptorum, direptis omnibus, dirutæ sunt. At Dolabella in Syria multa cum Cassio bella gessit, a quo victus [17] ipse se interfecit. Brutus et Cassius magnis exercitibus comparatis apud Athenas convenerunt, totamque Græciam [18] depopulati sunt. Rhodios Cassius terra marique oppugnatos ad deditionem coegit, quibus præ-

HAVERCAMPI NOTÆ.

10. *Fudit.* Tres Florentt., *dedit.*

11. *Dolabella Trebonium.* Hæc Dio lib. XLVII, et Appianus III. FABR.

12. *Postea D. Brutus in Gallia.* D. Brutus non a Sequanis, sed a *Capeno Sequano* occisus fuit, ut Livius ait lib. CXX, vel in domo Capeni ab iis quos Anton. miserat, ut Paterculus scribit. FABR.

13. *Basillus.* App. lib. III extremo, Τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ καὶ Μινούκιος Βάσιλλος, σφαγεὺς καὶ ὅδε Καίσαρος, ὑπὸ τῶν θεραπόντων ἀνῃρέθη. Id est: *Eodem tempore Minucius Basillus, unus de percussoribus Cæsaris, a servis suis interfectus est.* Bene igitur gentis *Minuciæ* cognomen *Basillus* in lib. vetust. scribitur. Nec probo quod Hieron. Ferrarius Philippica secunda, unum librum secutus, contra cæterorum fidem, *Basillum* in *Basilium* mutavit. Immo vero non dubito quin lib. III de Off. et apud Cæsarem V de bello Gall. legendum sit, *L. Minucius Basillus.* Nam et Plut. in Sulla Λεύκιον Βάσιλλον habet, et cognomina non in *ius*, sed in *us* desinunt usitate. FABR.—*Basillus* in Lugd. Bat. pr., sed in Florent. pr. *Basilus* scribitur, ut apud Lucanum IV, 416:

Et Basilum videre ducem.

Fuit ex gente Minutia; dictus L. Minutius Basilus vel Basillus, teste, præter Fabricium, Is. Casaubono ad Sueton. Jul. cap. 80. Forte fuit idem, qui antea steterat a partibus Cæsaris contra Pompeium, cujusque, a Pompeianis, cum legione sua victi, meminit Orosius supra cap. 15.

14. *C. Thoranius.* De hoc App. lib. IV, Suet. in Aug., et Valer., ut puto, lib. IX, c. 11. FABR.

15. *Centum triginta et duum.* In Epitoma Liv. lib. CXX est, centum et triginta senatorum nomina. Plut. in Anton. scribit trecentos proscriptos a triumviris occisos fuisse. FABR.

16. *In eumdem proscriptorum gregem.* Vett. quædam edd., *in eodem proscriptorum numero.*

17. *Ipse se interfecit.* Ita, vel, *se ipse interfecit*, omnes exhibent libri mss.; *sese interfecit*, neglecto *ipse*, Vulgg.

18. *Depopulati sunt.* Lugd. Batt. quatuor, cum Coll. Gronov., *pene populati sunt.*

ter vitam nihil reliquit. [19] Igitur Cæsar et Antonius eosdem in Macedoniam magnis bellorum apparatibus persecuti, ad mortem compulerunt: quamvis manifestissime illa tunc pugna non virtute partis Antonii, sed Cæsaris felicitate confecta sit. Cæsar enim tunc æger, cum se in castris capiendæ quietis causa tenere statuisset, [20] hortatu, et precibus medici sui, qui per somnium admonitum sese fatebatur, ut ea die castris Cæsarem salutis ipsius causa educeret, in campum [21] ægre inter copias egressus est, ac mox castra ejus ab hostibus capta sunt: sed rursus Cæsariani milites Cassii castra ceperunt. Quare ad desperationem adacti Brutus et Cassius, immaturam sibi mortem ante belli terminum consciverunt: nam, invitatis percussoribus, Cassius caput, Brutus latus præbuit. [22] At Romæ Fulvia, uxor Antonii, socrus Cæsaris, dominatum ut mulier agitabat: incertum in hac mutatione consularis regiique fastigii, utrum deficientis potentiæ ultima, an incipientis prima [23] numeranda, certe etiam in eos insolens, per quos ut insolesceret, agebatur. Nam et Cæsarem reversum apud Brundusium contumeliis, factionibus, insidiisque [24] petiit. A quo propulsata ad Antonium **433** concessit in Græciam. [25] Sex. Pompeius, postquam se in proscriptorum numerum relatum comperit, conversus in latrocinia, omnem oram Italiæ cædibus rapinisque vastavit. Sicilia prærepta, commeatibusque impeditis, Romam fame affecit. Mox cum eo pacem triumviri, ut non dicam tyranni, id est, Lepidus, Cæsar, Antoniusque fecerunt. Sed continuo cum contra pactum Pompeius fugitivos allegeret, ut hostis habitus est. Mena, libertus Pompeii, cum sexaginta navium classe ad Cæsarem defecit, eidemque classi ipse jussu Cæsaris præfuit. Idemque continuo [26] cum Statilio Tauro adversus Menecratem Pompeianum ducem navale bellum gessit. Deinde ipse Cæsar adversus eosdem Pompeianos cruentissimum bellum navale confecit: sed continuo victricem classem pene universam apud [27] Scyllaceum naufragio amisit. [28] Ventidius Persas et Parthos in Syriam irrumpentes, tribus bellis maximis fudit, regemque eorum Pacorum in acie interfecit, ea scilicet die, qua Crassus a Parthis fuerat occisus. Antonius, uno vix castello expugnato, pacem cum Antiocho fecit, ut ipse tantam rem consummasse videretur. Ventidium Syriæ præfecit, [29] jussitque ut Antigono bellum inferret: qui Judæos tum forte debellaverat, captisque Hierosolymis, templum spoliaverat, [30] regnumque Herodi dempserat: quem continuo victum in deditionem recepit. Mena libertus cum sex navibus ad Pompeium rediit, a quo clementer receptus, Cæsaris classem incendit, quamvis nuper Cæsar alteram secundo naufragio perdidisset. Idemque Mena postea ab Agrippa navali prælio circumventus, cum sex triremibus ad Cæsarem transiit. Sed hunc Cæsar tertio transfugam, indulta tantum vita, **434** [31] segnem reliquit. Deinde Agrippa inter Mylas et Liparas [32] adversus Democharem et Pompeium navale prælium gessit, ac vicit; ibique tunc naves triginta aut [33] demersit, aut cepit, reliquis laceratis. Pompeius Messanam confugit. Cæsar interea Taurominium [34] trajecerat, quem repentino impetu Pompeius afflixit. Unde multis demersis navibus suis, ac magna multitudine suorum militum perdita, in Italiam Cæsar aufugit, [35] nec interveniente mora, in Siciliam rediit: ibique Lepidum ex Africa adventantem obvium habuit, summas sibi partes terrore, minis ac superbia vindicantem. Post dies paucos Agrippa jussu Cæsaris a littore cum acie instructa prospectantis, [36] atrocissimo navali

HAVERCAMPI NOTÆ.

19. *Igitur Cæsar et Antonius. De bello Philippensi* Plut. in Antonio et Bruto, App. lib. IV, Dio XLVII, Livius CXXIV, Florus lib. IV c. 6, Velleius, Eutropius, et alii. FABR.

20. *Hortatu et precibus medici.* De hoc somnio medici Dio. Amicum suum hunc fuisse ipse scripsit, auctore Plutarch. in Antonio. FABR.

21. *Ægre.* Ita mss. et edd. plures et meliores. Alii *æger*, Sueton. in Aug. cap. 91: *Quamvis statuisset, non egredi tabernaculo propter valetudinem.*

22. *At Romæ Fulvia.* De *Fulviæ* insolentia Plut. in Antonio, et Dio lib. XLVIII. FABR.

23. *Numeranda.* Ita mss. quos inspexi, omnes, *nominanda* Fabricius et reliqui editores.

24. *Petiit.* Iidem, *petivit.*

25. *Sex. Pompeius.* De Sex. Pompeio rebusque ab eo et cum eo gestis Livius lib. CXXVII et seqq., Appian. lib. V, Dio XLVIII et XLIX, Flor. lib. IV c. 8. FABR.

26. *Cum Statilio Tauro.* Dio lib. XLVIII, Menam non cum Tauro, sed cum Calvisio Sabino bellum adversus Menecratem gessisse tradit. FABR.

27. *Scyllacæum.* Dio Σκύλλαιον habet. App. Σκυλλάκιον. Virgil. lib. III Æneid. *Navifragum Scylaceum* dicit, quo in loco de hujus nominis ratione Pierius et Erythræus. FABR.

28. *Ventidius Persas.* De re a *P. Ventidio* prospere cum Parthis gesta Plutarchus in Antonio, Dio. lib. XLVIII et XLIX, Flor. lib. IV c. 9, Valerius lib. VI c. 10. FABR.

29. *Jussitque ut Antigono.* Lege Josephum lib. XIV Antiquit. FABR.

30. *Dempserat.* Mss. et vulgg. omnes *dederat*, sed in cod. Lugd. Bat. pr. superscribitur *demserat* esse legendum; qua emendatione nihil certius est. Cum Herode enim et fratribus ejusdem de regno bellum gessit Antigonus, a Ventidio captus, et ab Antonio securi percussus. Herodi autem regnum dedit postea Antonius. Mirum vero est Fabricium advocasse in partes suas Josephum, et nihil annotasse ad insubidam illam lectionem, *regnumque Herodi dederat*, qua ineptior excogitari nequit, cum de Antigono omnino sermo sit, qui regno et potentia ejecit Herodem cum suis, non vero de Antonio, qui Herodem regem constituit, sed postea, victo et capto Antigono.

31. *Segnem reliquit.* Virg. Æneid. X, 699:

Poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit.

32. *Adversus Democharem.* In aliis corrupte est, *Democham*, Δημοχάρην Appianus et Dio nominant. Suetonius quoque *Democharem* bene habet. FABR.

33. *Demersit.* Cod. Longob., *mersit.*

34. *Trajecerat.* Quidam mss., *transierat.*

35. *Nec interveniente mora.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *nec interveniente dilatione.* Edit. August., *nec interveniente ditionis mora.*

36. *Atrocissimo.* Sic mss. edd. meliores et August.; alii, *atrocissime.*

prælio adversus Pompeium conflixit et vicit. Nam A centum sexaginta tres naves aut demersit aut cepit. Pompeius cum decem et septem navibus vix elapsus evasit. [37] Lepidus magna viginti legionum insolentia tumens, cum Messanam militibus permissam diripuisset, ipsum Cæsarem ad se venientem semel atque iterum sprevit, ac potius telis appeti jussit : quæ ille, collecta in lævum brachium lacerna, repellendo vitavit. Mox immisso equo ad suos reversus, instructo exercitu adversus Lepidum veniens, plurimas legiones Lepidi, paucis interfectis, transire in suam partem compulit. Lepidus tandem intelligens, quo vanitas sua tenderet, deposito paludamento, assumptaque [38] veste pulla, supplex **435** Cæsari factus vitam et bona impetravit, perpetuo quidem [39] emendatus exsilio. [40] Taurus, Cæsaris præfectus, totam pene Siciliam ferro pertentatam conterritamque in fidem recepit. Quadraginta quatuor legiones sub unius tunc imperio Cæsaris erant; milites, multitudine [41] ferociores, quosdam pro accipiendis agris tumultus excitaverunt. Sed Cæsar, animo ingens, viginti millia militum exauctoravit, triginta millia servorum dominis [42] restituit, sex millia, quorum domini non exstabant, in crucem egit. [43] Ovans Urbem ingressus, ut in perpetuum tribunitiæ potestatis esset, a senatu decretum est. His diebus trans Tiberim [44] e taberna meritoria fons olei terra exundavit, ac per totum diem largissimo rivo fluxit.

436 CAPUT XIX.

De rebus ab Antonio gestis, et bello Actiaco.

[1] Antonius vero, postquam Araxem transmisit, omnibus undique malis circumventus, [2] vix tandem Antiochiam cum paucis rediit. Nam cum multitudine equitum et [3] sagittarum ab omnibus præliis; quæ plura tentavit, [4] victus semper effugeret, tum præterea incertis et ignotis [5] regionis locis impeditus, gravissima fame ad nefandos cibos coactus est, [6] plurimique militum sese hostibus dediderunt. Inde in Græciam transiit, jussitque Pompeium, qui victus a Cæsare exercitum bellumque reparabat, cum paucis ad se venire. Pompeius fugiens, [7] a Titio et Furnio, Antonianis ducibus, sæpe terrestri navalique [8] bello victus et captus, ac post paululum interfectus B est. Cæsar Illyricum, Pannoniam partemque Italiæ, bellis subegit et domuit, [9] Antonius Artabanem, Armeniæ regem, proditione et dolo cepit; quem argentea catena vinctum ad confessionem thesaurorum regiorum coegit. Expugnatoque oppido, in quo conditos esse prodiderat, magnam vim auri argentique abstulit. Qua elatus pecunia, denuntiari bellum Cæsari, atque Octaviæ, sorori Cæsaris, uxori suæ, repudium indici jussit, et Cleopatram **437** sibi ex Alexandria occurrere imperavit. [10] Ipse Actium, ubi [11] classem constituerat, profectus, cum prope tertiam partem remigum fame [12] assumptam offendisset, nihil motus : Remi, inquit, modo salvi sint; nam remiges non deerunt, [13] quoad

HAVERCAMPI NOTÆ.

37. *Lepidus magna* XV *legionum*. De Lepidi dissen- C sione cum Octaviano, et quomodo coactus fuerit abdicare, copiose Dio lib. XLIX, Appian. V, Velleius I. FABR.

38. *Vesta pulla*. In quibusdam *pura*, mendose legitur. Dio : Καὶ οὕτω καὶ ἐκεῖνος ἠναγκάσθη ἐθελοντὴς ἐν ἐσθῆτι φαιᾷ ἱκέτης αὐτοῦ γενέσθαι. Id est : *Hoc modo Lepidus quoque adactus, assumpta veste pulla ultro supplex Cæsari factus est*. Velleius etiam scribit : *Lepidum pullo velatum amiculo genibus Cæsaris advolutum*. FABR.

39. *Emendatus exsilio*. Venetiis impressus legit *mulctatus*. Bene hercle; sed illud tamen non alienum ab Orosio. LAUT. — Propius ad mss. lectionem venit *mandatus*, quod in ed. Aug. exstat. Retineo autem *emendatus*, quod hæc una Lepido, homini turbulento, fuerit medicina, neque aliter emendari potuerit. De libro suo Martialis lib. IV, 10, 7 :

Non possunt nostros multæ, Faustine, lituræ
Emendare jocos; una litura potest.

40. *Taurus*, etc., *totam pene Siciliam*. Vide ne, *Africam*, potius legendum sit. Nam Tauri virtute Octavianus utramque Africam obtinuit, auctore Dione. Ex Africa eum triumphasse indicant tabulæ Capitolinæ, in quibus est, T. STATILIVS. T. F. TAVRVS. PROCOS. EX AFRICA. A. DCCXIX. PRIDIE K. IVL. FABR.

41. *Ferociores*. Ed. Aug., *feroces*.

42. *Restituit*. Mss. Lugd. Batt. quidam *reddidit*, et mox pro *sex* millibus servorum *septem* numerant.

43. *Ovans Urbem ingressus*. Hinc in Capitolinis triumphis est, IMP. CÆSAR DIVI F. C. N. II. III. VIR. R. P. C. II. OVANS EX SICILIA AN. DCCXVIII. IDIB. NOVEMBR. FABR.

44. *E taberna meritoria*. Mss. Lugd. Batt. duo, *taberna meritoria fontem olei terra exundavit*.

CAP. XIX. — 1. *Antonius vero postquam*. De infelici *bello Antonii cum Parthis* præter Plutarchum lege Velleium. FABR.

2. *Vix tandem*. Primam vocem edd. quædam negligunt.

3. *Sagittarum*. In omnibus mss. ut et ed. Aug. scribitur *sagittarum*, non, ut in vulgg. est, *sagittariorum*. Videlicet ex equis sagittas mittere soliti erant Parthi, adeoque ipsi equites illi fuerunt sagittarii, ut de emendatiore lectione dubitari nequeat.

4. *Victus semper effugeret*. In ed. Aug. legitur *victus* (deleto *semper*) *effugeret*. Al., *effugerit*. Quod ultimum in tribus Florentt. legitur.

5. *Regionis*. In ed. August. ut superfluum, expungitur.

6. *Plurimique*. In omnibus fere mss., ut et ed. Aug., desideratur copula.

7. *A Titio et Furnio*. Ita recte libri antiqui. Vulgo, *Tito, et Formo*, corrupte legitur. Sex. Pompeium a *M. Titio, et Furnio* occisum scribunt quoque Appia- D nus et Dio. *Titii* meminit Velleius. FABR.

8. *Bello*. Ed. August. *prælio*, prout hæc sæpe permutari solent.

9. *Antonius Artabanem*. Hanc historiam lege in Dionis lib. XLIX, et in Epitoma Liviana CXXII. FABR.

10. *Ipse Actium*. De *bello Actiaco*, quo Antonius et Cleopatra victi sunt a Cæsare, Plutarchus in Antonio, Dio. lib. L, Florus lib. IV cap. 11, Eutropius lib. VII, Velleius, et alii. FABR. Ed. Aug., *ipse vero Actium*.

11. *Classem*, Mss. quidam ex Lugd. Batt., *classem suam*.

12. *Assumptam*. Ed. Aug., *ablatam*.

13. *Quoad*. Ed. August. et Flor. sec., *quoadusque*; in Lugd. Batt. tribus excidit *ad*, ut et in Ultr.

Græcia homines habuerit. Cæsar ducentis triginta A rostratis navibus a Brundusio in Epirum profectus est. Agrippa vero præmissus a Cæsare, multas onerarias naves frumento atque armis graves, ab Ægypto, Syria, Asiaque ad subsidium [14] Antonio venientes, cepit; peragratoque Peloponnensium sinu, Methonam urbem, validissimo Antoniano præsidio munitam, expugnavit. Inde Corcyram cepit: fugientes navali prælio persecutus, profligavit; multisque rebus cruentissime gestis, ad Cæsarem venit. Antonius defectu et fame militum suorum permotus bellum maturare instituit, ac repente instructis copiis, ad Cæsaris castra processit, et victus est. Tertio post pugnam die, Antonius castra ad Actium transtulit, navali prælio [15] decernere paratus. Ducentæ et triginta rostratæ fuere Cæsaris naves, et triginta B sine rostris, triremes velocitate Liburnicis pares, et octo legiones classi superpositæ, absque cohortibus quinque prætoriis. Classis Antonii [16] centum septuaginta navium fuit, quantum numero cedens, tantum magnitudine præcellens. Nam decem pedum altitudine a mari aberant. Famosum et magnum hoc bellum apud Actium fuit. Ab hora quinta usque in horam septimam, incerta vincendi spe, gravissimæ utrimque cædes actæ: reliquum diei cum subsequente nocte in victoriam Cæsaris declinavit. Prior regina Cleopatra cum sexaginta velocissimis navibus fugit; [17] Antonius quoque **438** detracto insigni prætoriæ navis, fugientem secutus est uxorem. Illucescente jam die victoriam Cæsar consummavit. Ex victis duodecim millia cecidisse referuntur, [18] sex millia vulnerata sunt, e quibus mille inter curandum defecerunt. Antonius et Cleopatra communes liberos cum parte regiæ gazæ ad Rubrum mare præmittendos censuerunt. **439** Ipsi præsidiis circa duo [19] Ægypti cornua, Pelusium Parætoniumque, dispositis, classem et copias instaurando bello paraverunt. Cæsar [20] sextum imperator appellatus, et quartum ipse cum M. Licinio Crasso consul, Brundusium venit, [21] ibique orbis terrarum præsidia, divisis legionibus, composuit. Inde in Syriam profectus, mox Pelusium adiit; ubi ab Antonianis præsidiis ultro susceptus B est. Interea Cornelius Gallus, præmissus a Cæsare, quatuor legiones, quas Antonius apud Cyrenas præsidii loco constituerat, suscepit in fidem: atque inde Parætonium, [22] primam Ægypti a Libyæ parte civitatem, [23] victo cepit Antonio, ipsumque continuo apud Pharum vicit: Antonius equestre adversus Cæsarem bellum iniit; in eo quoque miserabiliter victus aufugit. Kalendis Sextilibus prima luce Antonius cum ad instruendam classem in portum descenderet, subito universæ naves ad Cæsarem transierunt. Cumque unico præsidio spoliatus esset, trepidus se cum paucis recepit in regiam. Deinde imminente

HAVERCAMPI NOTÆ.

14. *Antonio.* Lugd. Batt. quatuor et Coll. Gronov., *Antonii.*

15. *Decernere.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov., *dimicare.*

16. *Centum et septuaginta navium.* Ed. August. habet, *centum et octoginta navium.* Aliquanto post eadem Ed. Aug. *in horam*, pro *ad horam.*

17. *Antonius quoque.* Sicuti Phœnices eminuerunt classibus suis in potentia navali M. Antonii et Cleopatræ, sic in utriusque gratiam, et felix augurium nummos cuderunt cum victoriæ navalis typo, qualis hic æreus est insignis, a Tripolitanis Phœniciæ cusus, qui a parte prior exhibet jugata M. Antonii triumviri et reginæ Cleopatræ capita; a parte altera Victoria insistens proræ cernitur, dextra corollam præferens. Legitur in circuitu ΤΡΙΠΟΛΙΤΑΝ ΕΤ. ΚΕ, *Tripolitarum anno* XXV. Tripolis, urbs Phœniciæ, ut reliquæ urbes ejus tractus, æra Seleucidarum utebatur. Seleuci deinde posteris inter se de regno dissidentibus, Tripolin occupavit, inque ea dominatus est tyrannus quidam Dionysius. Hunc Pompeius Magnus, Phœniciam ingressus, in potestatem suam redactum, securi percussit. Quare Tripolitani, in Pompeii gratiam, novam introduxerunt æram, a beneficio Pompeii, et redacta ab eodem Phœnice in provinciam (quod factum fuit A. U. C. DCXCI) annos suos numerantes, unde colligitur hic nummus cusus anno U. C. DCCXVI. Verum postea, Augusto gratificantes, rejecto honore Pompeii, pristina Seleucidarum æra in nummis iterum sunt usi. Servatur hic nummus in nobili museo illustr. Lebretii, Aquis Sextiis, ejusdem provinciæ præfecti. Adjunximus alium ex museo nostro, in quo itidem sunt jugata M. Antonii uxorisque ejus capita; muliebre autem non Cleopatræ, sed Octaviæ, sororis Cæsaris Octaviani, esse docent adjecta capitibus nomina M. ANTONIOC OKTABIA, quæ in meis nummis (duos possideo) ærugine consumpta sunt, sed habentur in simili nummo apud Andream Marmoram in Historia Corcyrensi, Italico idiomate vulgata p. 156. Corcyrenses autem sub Philota nummum signarunt, ut docet inscriptio alterius partis. Octaviæ caput rarissime in nummis C antiquis occurrit.

18. *Sex millia.* Constanter servant hunc numerum mss. omnes, nisi quod unus ex Lugd. Batt. *quatuor* habeat. Vulgg. omnes *septem*, excepta ed. Aug., quæ ubique fere cum mss. melioribus consentit.

19. *Ægypti cornua.* Prior vox in ed. August. non exstat.

20. *Sextum*, etc. Mss. fere omnes *sexto* et *quarto* malunt, et ita fere semper scribunt.

21. *Ibique.* Edit. Aug. *ibi.* Mss. Florentt. tres itidem, deleta copula *que.*

22. *Primam.* Florent. pr., *primum.*

23. *Victo cepit Antonio.* Ed. August., *victam cepit, Antonium ipsum continuo*, etc.

Cæsare. turbataque civitate, idem Antonius sese ferro transverberavit, ac semianimis ad Cleopatram in monumentum, [24] in quod se illa mori certa condiderat, perlatus est. Cleopatra postquam se ad triumphum servari intellexit, voluntariam mortem petens, serpentis (ut putatur) morsu [25] in sinistro tacta brachio, exanimis inventa est, frustra Cæsare etiam Psyllos admovente, qui venena serpentum e vulneribus hominum haustu [26] revocare atque exsugere solent. Cæsar Alexandria, urbe omnium longe opulentissima et maxima, victor potitus est. Nam et Roma in tantum opibus ejus aucta est, ut propter abundantiam pecuniarum, duplicia, quam usque ad id fuerant, possessionum aliarumque rerum venalium pretia statuerentur. Occisi sunt jussu Cæsaris, major Antonii filius, et [27] P. Canidius, **440** [28] infestissimus quidem semper Cæsari, sed et Antonio infidus, et [29] Cassius Parmensis, ultima [30] violati patris Cæsaris victima, et Q. Ovinius ob eam maxime notam, quod obscenissime lanificio textrinoque reginæ senator populi Romani præesse non erubuerat. Dehinc Cæsar pedestribus copiis in Syriam venit, deinde in Asiam ad [31] hyberna concessit, ac post per Græciam Brundusium [32] pervectus est.

CAPUT XX.

De triumpho Cæsaris et nomine Augusti, monarchia Rom. et Epiphaniis nostris, deinde fontis olei explicatio.

[1] Anno ab Urbe condita DCCXXV, ipso imperatore Cæsare Augusto quinquies, et L. Apulcio consulibus, Cæsar Victor ab Oriente rediens, [2] octavo idus Januarias urbem triplici triumpho ingressus est; ac tum primum ipse Jani portas, sopitis **441** finitisque omnibus bellis civilibus, clausit. [3] Hoc

HAVERCAMPI NOTÆ.

24. *In quod.* Mss. Florent. tert., Lugd. Batt. omnes et Coll. Gronov., *in quo.*

25. *In sinistro tacta brachio.* Aug. edit. *in* delet. Mss. Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. delent, *tacta.*

26. *Revocare.* Lugd. Bat. sec., *evocare.*

27. *P. Canidius.* Ita recte libri manuscripti, cum vulgo *Caninius* legatur. Vide Plutarchum et Velleium. FABR.

28. *Infestissimus quidem semper.* Deleto *quidem*, mavult *infestus* ed. August.

29. *Cassius Parmensis.* Hujus meminit quoque Velleius. Apud Appianum lib. v, est, Κάσσιος ὁ Παρμήσιος. Hujus forte poemation Orpheus exstat. FABR.

30. *Violati patris.* Hoc feci in locum *violatæ partis*, et quis hoc non præferat, qui intelligit Cassium ex Julii conjuratis fuisse? LAUT. — Mirum id ante Lautium alios non animadvertisse, præsertim cum eam lectionem omnes exhibeant mss. vel integre, vel; ducta per primam litteram linea, scribentes *ptris.* In ed. August. quoque exstat clare *violati patris*, non, ut in reliquis, *violatæ partis.* Veram quoque hujus loci lectionem offendi in Pauli Diaconi Hist. Miscella. lib. VII, p. 50 ed. noviss. in Thes. Ital. Lud. Ant. Muratorii, tom. I.

31. *Ad hyberna.* Mss. aliquot, *in hiberna.*

32. *Pervectus est.* Ita mss.; edd. quædam, *provectus est*, quasi vellent *profectus est.*

CAP. XX.—1. *Anno ab Urbe cond.* DCCXXV. Ita numerat etiam Dio lib. LI. Collega autem Cæsaris in quinto consulatu *Sex. Appuleius*, non *Lucius* ab aliis omnibus appellatur. FABR.

2. *Octavo idus Januarias.* Cæsar, si Macrobium lib. I Saturnal. sequimur, Sextili mense, non Januario, triplici triumpho ingressus est Urbem. FABR.

3. *Hoc die primum Augustus consalutatus est.* Cæsar Octavianus quintum et L. vel Sextus Apuleius consules fuerunt A. U. C. DCCXXV; quo Romæ vota pro reditu Cæsaris soluta sunt; isque Romæ triplicem triumphum egit. Nomen vero Augusti non eo anno, sed biennio post recepit in consulatu septimo, quod cum Agrippa, iterum consule, gessit. Tum quoque tribunitiam potestatem in decem annos accepit. Atque hinc nummi ejus deinceps tribunitiæ potestatis numero, et Augusti inscriptione insigniuntur. Non tamen semper iis Augusti appingitur nomen, cum ex facie satis noscatur is imperator, ut patet ex numismate æreo maximæ formæ, circulo æreo (ut sunt plures ejusmodi) insignito. In eo pulcherrimum Cæsaris Augusti cernitur caput, sine ulla inscriptione. Ab altera parte typus est, spectans ad tempora post assumptum Augusti nomen; nam pontificatum maximum, cujus index, apex, conspicitur, vivo Lepido auferre nunquam sustinuit. Mortuus vero est Lepidus A. U. C. DCCXLI. P. Licinius Stolo ex plurimis nummis aliis cognoscitur fuisse inter triumviros monetales senatus Romani, verum in nullis, prout in hoc III, ascribitur ipsi titulus præfecti Urbis. Unde, quoniam triumviratus monetalis primus erat ad honores gradus, nolo diffiteri suspectum mihi hoc numisma esse. Servatur nunc in museo Cæsareo; Romæ, ubi olim apud Carthusianos exstabat, typum ejus accepi.

die primum Augustus consalutatus est. Quod nomen cunctis antea [4] inviolatum, [5] et usque ad nunc cæteris inausum dominis, tantum orbis licite **442** usurpatum, apicem declarat imperii : atque [6] ex eodem die summa rerum ac potestatum penes unum esse cœpit et mansit, quod Græci monarchiam vocant. Porro autem hunc esse eumdem diem, hoc est, octavum idus Januarias, quo nos Epiphania, hoc est, apparitionem, sive manifestationem Dominici sacramenti observamus, nemo credentium, sive etiam fidei contradicentium, nescit. De quo nostræ istius fidelissimæ observationis sacramento uberius nunc dicere, nec ratio, nec locus flagitat : ut et quærentibus reservasse, et negligentibus non ingessisse videamur. Hoc autem fideliter commemorasse ideo par fuit, ut per omnia venturi Christi gratia præparatum Cæsaris imperium comprobetur. [7] Nam cum primum, Caio Cæsare avunculo suo interfecto, ex Apollonia rediens Urbem ingrederetur, hora circiter tertia [8] repente, liquido ac puro sereno circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambiit, [9] quasi eum unum ac potentissimum in hoc mundo solumque clarissimum in orbe monstraret, cujus tempore venturus esset, qui ipsum solem solus, mundumque totum et fecisset et regeret. Deinde cum secundo, in Sicilia receptis a Pompeio et Lepido legionibus, triginta millia servorum dominis restituisset, et quadraginta quatuor legiones solus imperio suo ad tutamen orbis terrarum distribuisset, ovansque Urbem ingressus, omnia superiora populi Romani debita donanda, litterarum etiam monumentis abolitis [10] censuisset; in diebus ipsius fons olei largissimus, sicut superius expressi, de taberna meritoria per totum diem fluxit. **443** Quo signo quid evidentius, quam in diebus Cæsaris toto orbe regnantis [11] futura Christi nativitas declarata est; Christus enim lingua gentis ejus [12] in qua natus est, unctus interpretatur. Itaque cum eo tempore quo Cæsari perpetua tribunicia potestas decreta est, Romæ fons olei per totum diem fluxit : sub principatu Cæsaris Romanoque imperio per totum diem, hoc est, per omne Romani tempus imperii, Christum et ex eo Christianos, id est, unctum, atque ex eo unctos, de meritoria taberna, hoc est, de hospita largaque Ecclesia affluenter, atque incessabiliter processuros, restituendosque per Cæsarem omnes servos, qui tamen cognoscerent Dominum suum, cæterosque, qui [13] sine domino invenirentur, morti supplicioque dedendos, remittendaque sub Cæsare debita peccatorum in ea Urbe in qua spontaneum [14] fluxisset oleum, evidentissima his, qui prophetarum voces non audiebant, signa in cœlo, et in terra prodigia prodiderunt. Tertio autem, cum Urbem triumphans quintum consul ingressus est, eo scilicet die, quem supra nominavimus, [15] cum et Janum post ducentos annos primum ipse clausit, et clarissimum illud [16] Augusti nomen assumpsit, quid fidelius ac verius credi aut cognosci potest; concurrentibus ad tantam manifestationem, pace, nomine, die, quam hunc occulto quidem gestorum, ordine, ad obsequium præparationis ejus prædestinatum fuisse : qui eo die, quo ille manifestandus mundo [17] post paululum erat, et pacis signum prætulit, et potestatis nomen assumpsit? Quid autem in quarto reditu, cum finito Cantabrico bello, pacatisque omnibus gentibus, Cæsar Urbem repetiit, ad contestationem fidei quam expromimus, actum sit, ipso ordine melius proferetur.

HAVERCAMPI NOTÆ.

4. *Inviolatum.* Nescio quid hoc verbum sibi velit, et quomodo antea, id est, ante Augustum dicatur *inviolatum* id nomen. In Florent. sec. legitur *inolitum*, sed ita ut corrigatur sic abrasis quibusdam quæ antea exstabant, litteris. An scribendum *insolitum?* an vero *violare* hic significat invadere titulum divinum? prout de nomine Augusti Florus extremis libri IV verbis, *ut scilicet jam, dum colit terras, ipso nomine et titulo consecraretur.*

5. *Et usque ad nunc.* Edd. quædam, *et huc usque;* ms. Lugd. Bat. quart., *et usque nunc.*

6. *Ex eodem die.* Mss. Lugd. Batt. quatuor cum Ultr. et Coll. Gronov. atque ed. Aug., *ex ea die.*

7. *Nam cum primum.* Hoc ex Suetonii Augusto descriptum est. Refert idem Julius Obsequens. FABR.

8. *Repente, liquido ac puro sereno.* Editi, *puro serenoque cœlo.* Inconsiderate, præsertim cum cap. 1 ultimi lib. etiam Orosius sic loquatur : *deliciarum sereno assuefacti*, et a mss. etiam absit. Sic Virg. :

Heu nimium cœli confise sereno.

LAUT. — Versus, quem respicit, exstat Æn. lib. V, 870. Sed ibi vulgo legitur :

O nimium cœlo et pelago confise sereno!

Cum vero in omnibus edd. antiquis, consentientibus mss. itidem cunctis, legeretur, *liquido ac puro sereno*, Fabricius temere nimis et audacter lectionem immutavit, reposuitque *puro serenoque die*, tanto certe inconsideratius, quod apud Suetonium in Aug. cap. 95, unde hæc descripta sunt, non aliter quam in Orosii codd. exstet. Ex Velleio et Dione atque Zonara Suetonii hanc narrationem illustravit ibidem Casaubonus.

9. *Quasi eum unum ac potentissimum.* Edd. quædam vett., *quasi eum unum ac potissimum.*

10. *Censuisset fons.* Sic recte liber Materni, inter quæ alicunde hæc irrepserant : *in diebus ipsius*, quæ quod post etiam statim sequantur, relegavi hinc, unde venerant. LAUT. — In omnibus tamen mss. invenimtur, nisi quod pro *ipsius* in plerisque invenerim *ipsis*, in Meo *illis*. Illa quoque, *in diebus Cæsaris*, videntur respondere hisce *in diebus ipsius.*

11. *Futura.* Abest a cod. Longob.

12. *In qua.* Mss. quidam *ex quâ;* alii, *ex qua* et *in qua.*

13. *Sine domino.* Ita restitui ex mss. Male legebatur *sine dominio.*

14. *Fluxisset.* Mss. Lugd. Batt., *fluxit.*

15. *Cum et Janum.* De Jano clauso mentio fuit initio libri primi. Hinc Virgil. Æneid. I, 298, dixit : *Claudentur belli portæ.* FABR.

16. *Augusti nomen.* Cæsarem a senatu, cæterisque civibus sententia Munatii Planci *Augustum* dictum fuisse ante diem XVI kal. Febr., se septimum et M. Vipsanio Agrippa coss., Censorinus scribit. FABR.

17. *Post paulutum.* Cod. Longob., *post paulum,*

444 CAPUT XXI.

Cæsar quomodo Hispanias ingressus, Cantabros Asturesque vicerit. Drusus quos in Germania subegerit, et Cossus in Africa; deque Tiberii, Quintilii Vari, et Agrippæ gestis.

[1] Anno ab Urbe condita DCCXXVI, imperatore Augusto [2] Cæsare sexies, et bis M. Agrippa consulibus, Cæsar parum in Hispania per ducentos annos actum intelligens, si Cantabros atque Astures, duas fortissimas Hispaniæ gentes, suis uti legibus sineret, aperuit Jani portas, atque in Hispanias ipse cum exercitu profectus est. Cantabri et Astures Galleciæ [3] provinciæ portio sunt, qua extentum Pyrenæi jugum haud procul secundo Oceano [4] sub septentrione deducitur. Hi non solum propriam libertatem tueri parati, verumetiam finitimorum præripere ausi, Vaccæos et [5] Turmodigos et Autrigonas assiduis eruptionibus populabantur. Igitur Cæsar apud [6] Segisamam castra posuit, tribus agminibus totam pene amplexus Cantabriam. Diu fatigato frustra atque in periculum sæpe deducto exercitu, tandem ab Aquitanico sinu per Oceanum incautis hostibus [7] admoveri classem atque exponi copias jubet. Tunc demum Cantabri sub mœnibus [8] Belgicæ maximo congressi bello et 445 victi, in [9] Vinnium montem natura tutissimum confugerunt, ubi [10] obsidionis fame ad extremum pene consumpti sunt. [11] Aracillum deinde oppidum magna vi ac diu repugnans, postremo captum et dirutum est. Præterea ulteriores Galleciæ partes, quæ montibus silvisque consitæ Oceano terminantur, Antistius et Firmius legati magnis gravibusque bellis perdomuerunt. Nam et [12] Medullium montem Minio flumini imminentem, in quo se magna multitudo hominum tuebatur, per quindecim millia passuum fossa circumseptum obsidione cinxerunt. Itaque ubi se gens hominum [13] trux natura et ferox, neque tolerandæ [14] obsidioni sufficientem, neque suscipiendo bello parem intelligit, ad voluntariam mortem servitutis timore concurrit. Nam se pene omnes certatim igne, ferro, ac veneno necaverunt. Astures vero A positis castris apud Asturam flumen, Romanos, nisi proditi præventique essent, magnis consiliis viribusque oppressissent. Tres legatos cum legionibus suis [15] in tria castra divisos, tribus æque agminibus obruere repente moliti, suorum proditione detecti sunt. Hos postea Carisius bello exceptos, non parva etiam Romanorum clade superavit. Pars eorum prælio elapsa Lanciam confugit. Cumque milites circumdatam urbem incendio adoriri pararent, dux Carisius et a suis cessationem [16] impetravit incendii, et a barbaris voluntatem deditionis exegit. Studiose enim nitebatur integram atque incolumem civitatem victoriæ suæ testem relinquere. Cantabricæ victoriæ hunc honorem Cæsar detulit, ut tunc quoque [17] belli portas claustro cohiberi juberet. Ita tunc secundo B per Cæsarem, quarto post Urbem conditam clausus est Janus. [18] Post hoc Claudius Drusus, privignus Cæsaris, Galliam Rhetiamque sortitus, maximas fortissimasque gentes Germaniæ, armis subegit. Nam tunc, veluti ad 446 constitutum pacis diem festinarent, ita omnes ad experientiam belli decisionemve fœderis undatim gentes commovebantur : aut susceptura conditiones pacis, si vincerentur, aut usuræ quieta libertate si vincerent. Norici, Illyrii, Pannonii, Dalmatæ, Mœsi, Thraces, Daci, Sarmatæ, plurimique et maximi Germaniæ populi, per diversos duces, vel superati, vel repressi, vel etiam objectu maximorum fluminum, Rheni, Danubiique, seclusi sunt. Drusus in Germania primo Usipetes, deinde Tencteros et Cattos perdomuit. Marcomannos pene C ad internecionem cæcidit. Postea fortissimas nationes, et quibus natura vires, consuetudo experientiam virium dabat, Cheruscos, Suevos et Sicambros pariter uno bello, sed etiam suis aspero, superavit. Quorum ex eo considerari virtus ac feritas potest, quod mulieres quoque eorum, si quando præventu Romanorum inter plaustra sua concludebantur, deficientibus telis, vel qualibet re, qua velut telo uti furor possit, parvos filios collisos humi in hostium ora jaciebant, in singulis filiorum necibus [19] bis parricidæ. Tunc etiam in Africa [20] Musolanos et Getulos

HAVERCAMPI NOTÆ.

[5] *Cap.* XXI. — 1. *Anno ab Urbe condita* DCCXXVI. Confer Casaub. ad Sueton. Aug. cap. 20.

2. *Cæsare sexies, et bis M. Agrippa.* Agrippam hoc anno iterum consulem fuisse Cassiodorus quoque testatur. Recte igitur Guil. Xylander apud Dionem initio lib. quinquagesimi tertii, ubi τὸ γ legitur, scribendum monet τὸ β. *De bello Cantabrico* Dio, et D Florus libro quarto capite ultimo. Iidem de aliis quoque bellis quorum hic mentio, sunt legendi. FABR.

3. *Provinciæ.* Abest a duobus mss. Lugd. Batt.

4. *Sub septentrione.* Ed. Aug., *sub septemtrionem.*

5. *Turmodigos.* Lugd. Batt. quatuor, Meus, Periz., Ultr., Coll. Gronov. et duo Florentt., *Turmogos.* Flor. tert., *Turmogas.*

6. *Segisamam.* Mss. duo Lugd. Batt., *Segessimam.*

7. *Admoveri classem.* Ita tres Florentt. quod et reliqui mss. velle videntur, dum scribunt *amoveri* Vulgo *admovere.*

8. *Belgicæ.* Viri docti ad Florum lib. VI, cap. ult., monuerunt, scribendum esse *Vellicæ.* In mss. passim est *Atticæ*, in Meo, *Acite.*

9. *Vinnium.* Meus, *Vinium;* Lugd. Bat. quart., *Virnium.* Edd. quædam, *Vennium.*

10. *Obsidionis fame.* Melius, *obsidione et fame.*

11. *Aracillum.* Ita Florus; mss. hic passim, *Racilium, Rachilium, Recilium.*

12. *Medullium.* In tribus mss. Lugd. Batt. inveni *Medulium.*

13. *Trux natura.* Aug. ed., *atrox natura.*

14. *Obsidioni.* Ed. eadem, *obsidionis.*

15. *In tria.* Ludg. Batt. tres, *intra.*

16. *Impetravit.* Mss. et edd. quidam *imperavit;* sed male.

17. *Belli.* Mss. quidam, *Jani.*

18. *Post hoc Claudius Drusus.* Bellum cum Rhetis gestum est, Druso et Pisone coss. anno Urbis DCCXXXVIII.

19. *Bis.* Abest a Lugd. Batt. pr. et tert.

20. *Musolanos.* In Lugd. Batt. tribus *Usulanos*, in Ultr. et Coll. Gronov. *Musulanos*, in Florent. sec. *Muselanos* legitur.

latius vagantes [21] Cossus, dux Cæsaris, arctatis finibus coercuit, atque Romanis limitibus abstinere metu compulit. Interea Cæsarem apud Tarraconem citerioris Hispaniæ urbem [22] legati Indorum et Scytharum toto orbe transmisso, tandem ibi invenerunt, [23] ultra quod jam quærere non possent, refuderuntque in Cæsarem Alexandri Magni gloriam : [24] quem sicut Hispanorum Gallorumque legatio in medio Oriente apud Babylonem contemplatione pacis adiit, ita hunc apud Hispaniam in Occidentis ultimo supplex cum gentilitio munere Eous Indus et Scytha Boreus oravit. Cantabrico bello per quinque annos octo, totaque Hispania in æternam pacem cum quadam [25] respiratione lassitudinis reclinata ac reposita, Cæsar Romam rediit. **447** Quibus etiam diebus multa per se, [26] multaque per duces et legatos bella gessit; nam inter cæteros et Piso adversum Vindelicos missus est. Quibus subactis, victor [27] ad Cæsarem Lugdunum venit. Pannonios novo motu intumescentes, Tiberius, privignus Cæsaris, cruentissima cæde delevit ; idemque continuo Germanos bello arripuit; e quibus quadraginta millia captivorum victor abduxit. Quod revera bellum maximum et formidolosissimum quindecim legionibus per triennium gestum est, nec fere ullum majus bellum, sicut Suetonius attestatur, post Punicum fuit. Sub eodem vero tempore Quinctilius Varus cum tribus legionibus a Germanis rebellantibus, mira superbia atque avaritia in subjectos agens, funditus deletus est; quam reipublicæ cladem Cæsar Augustus adeo graviter tulit, ut sæpe per vim doloris caput parieti collidens, clamaret : Quinctili Vare, redde legiones. Bosporanos vero Agrippa superavit, et signis Romanis quæ illi quondam sub Mithridate sustulerant bello recuperatis, victos ad deditionem coegit. Parthi, quasi toto terrarum orbe vel domito vel pacato, omnium oculis signarentur, atque in se solos omnis vigor Romani imperii vertendus esset, quippe quos pristina ulciscendæ Crassianæ cædis conscientia mordebat, ultro signa quæ Crasso interfecto abstulerant, ad Cæsarem remiserunt; regiisque obsidibus traditis, firmum fœdus fideli supplicatione meruerunt.

448 CAPUT XXII.

Octavius Augustus, composita undique pace, Janum ipse tertio clausit et rempubl. composuit, deque censu Cæsaris acto.

[1] Itaque anno ab Urbe condita DCCLII, Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, a Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus una pace compositis, [2] Jani portas tertio ipse tunc clausit. Quas ex eo per duodecim fere annos quietissimo semper obseratas otio ipsa etiam [3] rubigo signavit; nec prius umquam nisi sub extrema senectute Augusti pulsatæ, Atheniensium seditione et Dacorum commotione patuerunt. Clausis igitur Jani portis, rempublicam quam bello quæsiverat, pace enutrire atque amplificare studens, leges plurimas statuit, per quas humanum genus libera reverentia disciplinæ morem gereret, [4] Domini appellationem ut homo declinavit. Nam cum eodem spectante ludos pronuntiatum esset [5] in quodam mimo, *O dominum æquum et bonum!* universique quasi de ipso dictum esset exsultantes approbavissent, [6] statim quidem manu vultuque indecoras adulationes repressit, et insequenti die gravissimo corripuit edicto, dominumque se [7] posthac appellari ne a liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel joco, passus est. Igitur [8] eo tempore, id est eo anno quo firmissimam verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, natus est Christus, cujus adventui pax ista famulata est, in cujus ortu audientibus hominibus exsultantes angeli **449** cecinerunt : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Eodemque tempore hic, ad quem rerum omnium summa concesserat, dominum se hominum appellari non passus est; immo non ausus, quo verus dominus totius generis humani inter homines natus est. Eodem quoque anno tunc primum idem Cæsar, quem his tantis mysteriis [9] prædestinaverat Deus, [10] censum agi singularum ubique provinciarum, et censeri omnes homines jussit, quando et Deus homo videri, et esse dignatus est. Tunc igitur natus est Christus, Romano censui statim ascriptus ut natus est. Hæc est prima illa clarissimaque professio, quæ Cæsarem omnium principem, Romanosque rerum dominos singillatim cunctorum hominum edita ascriptione signavit, in qua se et ipse, qui cum cunctos homines fecit, inveniri hominem, ascribique inter homines voluit. Quod

HAVERCAMPI NOTÆ.

21. *Cossus, dux.* De hoc et rebus ab eo gestis, Dio libro LV. FABR.

22. *Legati Indorum.* Confer notas Casauboni ad Suetonii Aug. cap. 21.

23. *Ultra quod.* Lugd. Batt. tres et Coll. Gronov., *ultra quo.*

24. *Quem sicut*, etc. Supra lib. III, cap. 20.

25. *Respiratione lassitudinis.* Lugd. Batt. pr. et tert., *cum quadam lassitudine.*

26. *Multaque.* Copulam non agnoscit editio Augustana.

27. *Ad Cæsarem.* Ex Lugdun. Batt. aliquot addunt *reversus.*

CAP. XXII.— 1. *Itaqué annò*, etc. In omnibus manuscriptis ut et ed. Aug. invenitur *itaque*, quod reliqui codd. exsilio damnarunt.

2. *Jani portas tertio.* Augustum Janum ter clausisse Suetonius etiam testatur. FABR.

3. *Rubigo signavit.* Nullus ex mss. agnoscit *consignavit*, quod in edd. præterquam in August. invenitur.

4. *Domini appellationem.* Hæc descripta sunt e Tranquilli Augusto. FABR.

5. *In quodam mimo.* Contra omnes scriptos fecit hæc Fabricius *a quodam*, quasi *mimus* non perinde fabulam atque actorem significaret. LAUT.

6. *Statim.* Edit. Aug. *et statim*, nec aliter in mss. tribus Florentinis Meoque.

7. *Posthac.* Lugd. Bat. primus et ed. August. *post hæc.*

8. *Eo tempore.* Mss. aliquot *eodem tempore.*

9. *Prædestinaverat.* Tres Lugd. Batt., *præsignaverat.*

10. *Censum agi.* Census hic e Luca satis notus est. FABR.

numquam penitus ab orbe condito atque ab exordio generis humani in hunc modum, ne Babylonio quidem vel Macedonico, ut non dicam minori cuiquam regno, concessum fuit. Nec dubium, quin omnium cognitioni, fidei, inspectionique pateat, quod Dominus noster Jesus Christus hanc urbem nutu suo auctam defensamque, in hunc rerum apicem provexerit, cujus potissime voluit esse cum venit, dicendus utique civis Romanus, census professione Romani. Quamobrem quia ad id temporis perventum est, quo et Dominus Christus hunc mundum primum adventu suo illustravit, regnumque Cæsari tranquillissimum dedit, hunc quoque sextum libelA lum hoc fine concluserim : ut germinantia tempora Christiana, magisque inter reprimentium manus crescentia, et quæ adhuc in provectu posita, horum ipsorum, quibus hæc respondere cogimur, insectatione mordentur, septimo libello, si tamen adjuvante Domino [11] suffecerim, comprehendam : ut quoniam ab initio et peccare homines, et puniri propter peccata non tacui, nunc quoque, [12] quæ persecutiones Christianorum actæ sint, et quæ ultiones secutæ sint, absque eo quod omnes ad peccandum generaliter proni sunt, atque ideo singillatim corripiuntur, expediam.

HAVERCAMPI NOTÆ.

11. *Suffecerim.* Florent. pr. Lugd. Batt. tert. et quart., cum Coll. Gronov., *suffecero.*

12. *Quæ persecutiones.* Lugd. Batt. duo cum Coll. Gronov. legunt, *quæ persecutione Chr. acta sint.*

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Unum solum verumque Deum, mundi omniumque conditorem, atque adeo potentiam suam ac patientiam per unum, hoc est Christum voluisse hominibus innotescere.

[1] Sufficientia, ut arbitror, documenta collecta sunt, quibus absque ullo arcano, quod paucorum fidelium est, probari de medio queat, unum illum et verum Deum, quem Christiana fides prædicat, et condidisse mundum creaturamque ejus cum voluit, [2] et disposuisse per multa **451** cum per multa ignoraretur, et confirmasse ad unum, cum per unicum declaratus est, simulque potentiam [3] patientiamque ejus multimodis argumentis eluxisse. In quo quidem angustas, dejectasque mentes offendi paulisper intelligo, quod tantæ potentiæ patientia tanta [4] miscetur. Si enim potens erat, inquiunt, creare mundum, componere pacem mundi, [5] insinuare mundo cultum ac notitiam sui, quid opus fuit tanta, vel ut ipsi sentiunt, tam perniB ciosa patientia, ut in ultimo erroribus, cladibus, laboribusque hominum fieret, quod a principio virtute ejus, quem prædicas Dei, sic potius cœpisse [6] potuisset? [7] Quibus quidem veraciter respondere possem, ad hoc ab initio creatum et institutum humanum genus, ut sub religione cum pace sine labore vivens, fructu obedientiæ æternitatem promereretur : sed abusum bonitate creatoris, [8] libertatem indulgentis in contumacem vertisse [9] licentiam, atque ex contemptu in oblivionem [10] deflexisse, [11] justamque nunc esse patientiam Dei, et justam in utramque partem, ut nec contemptus disperdat in totum, cui misereri velit; [12] et affici laboribus, dum velit, sinat contemptus potens. Deinde subsequens esse, juste semper adhibere quamvis ignoranti gubernationem, cui aliquando pie restituturus sit pœnitenti antiquæ gratiæ facultatem. Sed hæc quoniam, etsi verissime fortissimeque [13] dicuntur, fide-

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. I. — 1. *Sufficientia.* Editt. quædam antiquæ, *sufficienter.* Totus autem liber hic septimus desideratur in cod. Longobardico.

2. *Et disposuisse per multa, cum per multa ignoraretur.* Posteriora in Lugd. Batt. pr., tert. et quarto atque Coll. Gronov. ita concipiuntur, *cum a multis ignoraretur.* Editt. quædam vett. itidem sic legunt, et addunt insuper ad priora aliquid, dum edunt, *per multa tempora.* Quoniam vero mox sequitur, *cum per unicum* (Christum videlicet) *declaratus est*, hic quoque *per multa* retineo. Sensus esse videtur, Deum creasse mundum et disposuisse eumdem, *per multa*, i. e. *multifariam*, cum *per multa*, i. e. iterum *multifariam*, a gentilibus ignoraretur.

3. *Patientiamque ejus.* Lugd. Batt. tert. et quart. cum Coll. Gronov. *Sapientiam* malunt. Haud assentior; sequitur enim, *quod tantæ potentiæ tanta patientia miscetur*, et aliquanto post, *quid opus fuit tanta patientia?*

4. *Miscetur.* Lugd. Bat. pr., *misceatur.*

5. *Insinuare mundo cultum*, etc. Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *Insinuare cultum ac patientiam sui, quid opus fuit, vel ut ipsi sentiunt, tam perniciosa patientia?* deletis reliquis. Pro *fuit* iidem *fuerit.*

6. *Potuisset?* Superscribitur in Flor. sec. *forte, debuisset?*

7. *Quibus quidem.* Lugd. Bat. tert., cum Coll. Gronov., *quibus quippe.* Iidem mox *mereretur.*

8. *Libertatem indulgentis.* Lugd. Batt. tres et Coll. Gronov., *indulgentiæ*; mox Ultr. et editt. vett. quædam pro *contumacem* legunt *contumaciam.* Unde legere possis *libertatem indulgentiæ in contumaciam vertisse, licentiamque ex contemptu in oblivionem*, etc.

9. *Licentiam, atque.* Cod. Perizon., *licentiamque*, etc.

10. *Deflexisse.* Ita reposui ex cod. Periz. et editt. August.; antea legebatur *defluxisse.*

11. *Justamque.* Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *istamque.* Nihil muto; disputat enim contra illos, qui injustam atque perniciosam illam Dei calumniabantur esse patientiam.

12. *Et affici laboribus.* Mss. quidam, *et affligi laboribus.* Transponit ultima periodi ed. Aug., *potens contemptus.*

13. *Dicuntur.* Mss. et edd. quidam, *dicantur.*

lem tamen atque **452** obedientem requirunt, mihi autem, [14] videro an aliquando **credituris, certe nunc** cum incredulis actio est, promptius ea proferam, [15] quæ et ipsi, etsi probare noluerint, improbare non possint. Itaque, quantum ad conscientiam humanarum mentium pertinet, [16] utrique sub reverentia religionis, et confessione cultuque supernæ potentiæ vivimus, distante dumtaxat fide : [17] quia nostrum est fateri, ex uno et per unum Deum constare omnia : illorum, tam multos deos putare, quam multa sunt elementa. Si potentiæ Dei, inquiunt, quem prædicatis, fuit, ut Romanum imperium tam amplum, ac tam sublime fieret, cur igitur patientia ejusdem obfuit, ut ante non fieret? Quibus sub eodem verbo respondebitur : Si potentiæ deorum, quos prædicatis fuit, ut Romanum imperium tam amplum ac tam sublime fieret, cur igitur patientia eorumdem obfuit, ut ante non fieret? An ipsi dii nondum erant? an adhuc Roma ipsa non erat? an illi non colebantur? an hæc [18] necdum idonea imperio videbatur? Si nondum erant dii; [19] cessat intentio. [20] Ut quid enim jam ibi eorum discutio moram, ubi ne ipsam quidem invenio naturam? Si autem erant dii; aut potentia eorum, ut ipsi judicant, aut patientia in culpa est : vel patientia, si fuit; vel potentia, si defuit : aut si magis suadibile videtur fuisse tunc quidem deos qui provehere potuissent, sed nondum exstitisse Romanos qui provehi jure possent; nos auctorem rerum potentiam, non artificem scientiam quærimus. De diis quippe (ut putant) magnis, non de fabris vilissimis quæstio est, quibus, nisi materia accedat, ars cessat. Si enim præscisse illis ac voluisse [21] præsto semper fuit, immo etiam **453** subjacente præscientia, quia apud omnipotentiam de operibus dumtaxat suis, hoc est, præscire, quod velle, quodcumque illud præsciebatur, cui voluntas [22] astipularetur, non exspectari oportuit, sed creari : maxime cum et Jovem illum suum acervos formicarum in populos hominum ludo vertere solitum ferant. Porro autem de cura cærimoniarum nec recensendum arbitror : quoniam inter sacra continua incessabilibus cladibus nullus finis ac nulla requies fuit, nisi cum Salvator mundi Christus illuxit : cujus adventui prædestinatam fuisse imperii Romani pacem, etsi jam sufficienter ostendisse me arbitror, paucis tamen adhuc supplere conabor.

CAPUT II.

Babylonem et Romam, regnumque illius et hujus in plerisque omnibus convenire. De quatuor mundi monarchiis, de incendio quodam Romæ, Christi et Abraham sæculis.

[1] Principio secundi libelli cum tempora Romanæ conditionis styli tenore perstringerem, multa convenienter inter Babyloniam urbem Assyriorum, tunc principem gentium, et Romam, nunc æque gentibus dominantem, [2] compacta conscripsi : fuisse illud primum, hoc ultimum imperium : illud paulatim cedens, at istud sensim [3] convalescens : defluxisse illi sub uno tempore novissimum regem, [4] isti primum fuisse : illam deinde tunc invadente Cyro captam velut in mortem concidisse, cum istam fiducialiter assurgentem, post expulsos **454** reges liberis uti cœpisse consiliis : præcipue cum vindicante libertatem suam Roma, tunc quoque Judæorum populus, qui apud Babyloniam sub regibus serviebat, in sanctam Hierusalem recepta libertate redierit, [5] templumque Domini, sicut a prophetis prædictum fuerat, [6] reformarit. Præterea intercessisse dixeram inter Babylonium regnum, quod ab Oriente fuerat, et Romanum, quod ab Occidente consurgens [7] hæreditati Orientis [8] enutriebatur, Macedonicum Africanumque regnum, hoc est, quasi a Meridie ac Septentrione brevibus vicibus partes tutoris curatorisque tenuisse. Orientis et Occi-

HAVERCAMPI NOTÆ.

14. *Videro*, etc. Recte sic Fabric.; et insipienter edd. quædam vett., *si vidéro an aliquando ex credituris.*

15. *Quæ et ipsi etsi probare*, etc. Ita malo legere ex cod. Perizon. quam cum vulg., *quæ ipsi etsi probare noluerint.*

16. *Utrique*. Ita constanter libri mss. et edd. vett. legunt, præter Hitt. et Fabr. atque Scotti, in quibus inlepide, et contra illorum, quæ sequuntur, sensum, *utique.*

17. *Quia nostrum est*. Sic quoque ex mss. Lugd. Batt. tribus et Coll. Gronov. malo, ut ad *fide*, quod præcessit referatur, quam *quia*, prout in edd. legitur.

18. *Necdum idonea*. Id jubent cum ed. August. codd. mss. ut amplectamur pro *nondum.*

19. *Cessat intentio*. Quidam ex mss., *cesset intentio.*

20. *Ut quid*. Puto legendum esse, *Ad quid*, etc. Mox cod. Perizon., *nec ipsam.*

21. *Præsto*. Lugd. Batt. tres, videlicet pr., tert., quart. cum Coll. Gronov., *præstantius;* et mox, *quam puto* pro *quia apud.*

22. *Astipularetur*. Lugd. Bat. pr., *astipulabatur.*

CAP. II. — 1. *Principio secundi*. Lege caput primum, lib. II. FABR.

2. *Compacta*. Forte legendum *comparata.*

3. *Convalescens*. Cod. Perizon., *crescens*, quod ut longe Latinius, recipi mereretur, si assensum alii quoque mss. præberent.

4. *Isti primum fuisse*. Lugd. Bat. sec., Meus, Florentt. duo, et ed. Aug., *cum isti;* Perizon. melius, *tum isti*. Tres reliqui Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *quo isti*, etc. Mox pro *in mortem*, Lugd. Batt. pr. et tert., cum Flor. sec. et Coll. Gronov., *in morte.*

5. *Templumque*. Lugd. Batt. tres, *templum quoque.*

6. *Reformarit*. Lugd. Batt. quatuor, cum Coll. Gronov., *reformaret.*

7. *Hæreditati Orientis*. Pulcherrimam hanc lectionem debemus codd. mss. Lugd. Batt. pr., tert., quarto, Perizon. et Coll. Gronov. Monstrarant quoque ita debere legi, inter edd. prima, et Augustana; sed reliquæ omnes maluerunt *hæreditate Orientis*, qua et omnis tollitur elegantia et vero contrarius efficitur sensus. Non enim hæreditate Orientis Romanum nutriebatur imperium, sed Macedonicum, quod viguit ante Romanum in Asia tum cum ab Occidente consurgeret primum Romanum imperium. At illud imperium Romanum consurgens, ita paulatim nutriebatur hæreditati Orientis, ut quidem primum proxima quæque deglutiens, deinde Orientis quoque possessione satiaretur,

8. *Enutriebatur*. Mss. quidam et edd., *nutriebatur.*

dentis regnum Babylonium et Romanum jure vocitari, neminem umquam dubitasse scio. Macedonicum regnum sub Septentrione [9] esse cum ipsa cœli plaga, tum Alexandri Magni aræ, positæ usque ad nunc sub Riphæis montibus, docent. Carthaginem vero universæ præcelluisse Africæ, et non solum in Siciliam, Sardiniam, cæterasque adjacentes insulas, sed etiam in Hispaniam regni terminos tetendisse, historiarum simul monumenta urbiumque declarant. Dictum est etiam, vastatæ per Medos Babyloniæ, et irruptæ per Gothos Romæ, pares admodum annorum numeros [10] concurrisse. Nunc autem his illud adjicio, quo magis clareat unum esse arbitrum sæculorum, regnorum, locorumque omnium Deum. Regnum Carthaginiense a conditione usque ad eversionem ejus, paulo amplius quam septingentis **455** annis stetit : [11] æque regnum Macedonicum a Carano usque ad Persen paulo minus quam DCC : utrumque tamen septenarius [12] ille numerus, quo [13] judicantur omnia, terminavit. Roma ipsa etiam, quamvis [14] ad adventum Domini nostri Jesu Christi perfecto proveheretur imperio, tamen paululum, et ipsa [15] in occursu numeri hujus offendit. Nam septingentesimo conditionis suæ anno, quatuordecim [16] vicos ejus, incertum unde consurgens, flamma consumpsit, nec umquam, ut ait Livius, majore incendio vastata est; adeo, ut post aliquot annos Cæsar Augustus ad reparationem eorum, quæ tunc exusta erant, magnam vim pecuniæ ex ærario publico largitus sit. Poteram quoque ostendere, eumdem duplicatum numerum mansisse Babyloniæ, quæ post mille quadringentos et quod excurrit annos, ultime a Cyro rege capta est, nisi præsentium contemplatione revocarer. Illud sane libenter adjicio, quia primi illius regum omnium Nini (quamvis et pater ejus Belus obscure [17] primus regnasse referatur), illius ergo Nini anno, postquam regnare cœperat, [18] quadragesimo tertio natus est sanctus ille Abraham, [19] cui dictæ sunt [20] repromissiones, ex cujus semine promissus est Christus : deinde nunc primi istius imperatorum omnium Augusti Cæsaris (quamvis et pater ejus Cæsar [21] metator imperii potius quam imperator **456** exstiterit), istius, [22] inquam, Cæsaris, posteaquam imperare cœpit, [23] emenso propemodum anno quadragesimo secundo, natus est Christus, qui Abrahæ sub Nino primo rege fuerat repromissus. Natus est autem VII kalend. Januarii, quando primum incrementa omnia anni venientis incipiunt. Ita factum est, ut cum Abraham quadragesimo tertio anno natus sit, sub fine quadragesimi secundi nativitas Christi [24] conveniret, ut jam non ipse in parte tertii anni, sed in ipso potius tertius annus [25] oriretur. Qui annus, quantis, [26] quam novis, quamque inusitatis bonis abundaverit, satis etiam me non proferente compertum haberi arbitror; toto terrarum orbe una pax [27] omnium, non cessatione, sed abolitione bellorum, clausæ Jani geminæ portæ, exstirpatis bellorum radicibus, non repressis, census ille primus et maximus [28] fuit, cum in hoc unum Cæsaris nomen [29] universa magnarum gentium creatura juravit, simulque per communionem census, unius societatis effecta est.

457 CAPUT III.

Christus quando ad hominum salutem natus, quomodo statim vexatus, de ingenti Romæ fame, et jugi pace.

Igitur [1] anno ab Urbe condita DCCLII, natus est Christus salutarem mundo afferens fidem, [2] vere petra medio rerum posita; ubi comminueretur qui offenderet, qui crederet salvaretur : vere ignis ardens, quem qui sequitur, illuminatur; qui tentat, exuritur : ipse est Christus, Christianorum caput, salva-

HAVERCAMPI NOTÆ.

9. *Esse.* Abest a plerisque mss. Mox *tum* pro *cum* cod. Perizon. Dein *doceant* pro *docent* mss. duo ex Lugd. Batt. cum Coll. Gronov.

10. *Concurrisse.* Ita tres Lugd. Batt., Perizon., Coll. Gronov. et ex edd. Augustana. Vulgg., *cucurrisse.*

11. *Æque regnum Macedonicum.* Regnum Macedoniæ triginta quinque habuit reges, ex Heraclidis sive Temenidis, ex Cassandri, et ex Antigoni domo; non longius autem duravit quam annis quingentis sexaginta et sex, prout docuimus in fine Hist. Macedonicæ p. 279 tom II Hist. Univ.

12. *Ille.* Abest a mss. Lugd. Batt. sec., tert. et Coll. Gronov.

13. *Judicantur.* Ed. Augustan., *dijudicantur.*

14. *Ad adventum.* Cod. Perizon., *in adventum.* In Flor. sec. corrigitur, *quamvis adventu.*

15. *In occursu.* Mss. et edd. vett. quædam, *in occursum.*

16. *Vicos ejus.* Abest vox secunda a mss. Lugd. Batt. tribus. Incendii hujus mentionem quoque fecit supra lib. VI, cap. 14.

17. *Primus.* Mss. et edd. quidam, *primum.*

18. *Quadragesimo tertio.* Mss. Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov. unum annum demunt.

19. *Cui dictæ sunt.* Ed. August., *cui datæ sunt.*

20. *Repromissiones.* Perizon. hic habet *promissiones;* mox, cum tribus Lugd. Batt. et Coll. Gronov., *repromissus.*

21. *Metator imperii.* Ita loquitur, ut Cæsarem cum Belo comparet, Augustum cum Nino. *Metator* vocabulum castrense est; sic enim dicebatur, qui a duce præmissus, locum castris idoneum circumspiciebat et designabat. Lucan. I, 381 :

> Castra super Tusci si ponere Tibridis undas,
> Hesperias audax veniam metator in agros.

22. *Inquam.* Mss. aliquot, *ergo.*

23. *Emenso propemodum anno* 42. Hic numerus Christi nati est etiam apud Eusebium; sunt tamen qui 41 et alii qui 44 imperii Augusti Christum natum scribunt. FABR.

24. *Conveniret.* Mss. aliquot, *convenerit.*

25. *Oriretur.* Lugd. Batt. tres et Coll. Gronov., *ostenderetur.*

26. *Quam novis.* Idem, *et quam novis.*

27. *Omnium.* Lugd. Batt. pr. et quart., cum Coll. Gronov., *una pax omnibus, et non cessatione, sed,* etc.

28. *Fuit.* Deleri volunt mss. duo Florentt. et cod. Perizon.

29. *Universa magnarum gentium.* Ed. Aug. delet *magnarum.* At cod. Perizon. verbum *juravit* eliminat. In Lugd. Batt., pr., tert. quarto et Coll. Gronov. legitur, *universa gentium magnarum creatura juravit.*

CAP. III. — 1. *Anno ab Urbe condita* DCCLII. Cassiodorus scribit Christum natum Cn. Lentulo, M. Messalla coss. qui cadunt in annum Urbis DCCL. FABR.

2. *Vere petra.* Ed. August., *vera petra.*

tor bonorum, malorum punitor, judex omnium; qui formam [3] subsecuturis verbo et opere statuens, quo magis doceret patientes in [4] persecutionibus, quas pro vita æterna exciperent, esse oportere, mox ut virginis partu editus, mundo apparuit, [5] de passionibus suis cœpit. Namque eum rex Judææ Herodes simul ut natum comperit, necare decrevit, plurimosque tunc parvulos, dum unum insectatur, occidit. [6] Hinc malignis improbe incurrentibus digna punitio est. Hinc in quantum tranquille agitur mundus, credentium gratia, in quantum perniciose inquietatur, blasphemantium pœna est: securis per omnia Christianis fidelibus, quibus aut æternæ vitæ requies in tuto, aut etiam hujus in lucro est: quod promptius cum per ordinem referam, ipsis rebus ostendam. Postquam Redemptor mundi, Dominus Jesus Christus, venit in terras, et Cæsaris censu civis Romanus ascriptus est, dum per duodecim, ut dixi, annos, clausæ belli portæ beatissima pacis tranquillitate cohibentur: Caium, nepotem suum, Cæsar Augustus ad ordinandas Ægypti Syriæque provincias misit, qui præteriens ab Ægypto fines Palæstinæ, apud Hierosolymam **458** in templo Dei tunc sancto et celebri adorare contempsit, [7] sicut Suetonius Tranquillus refert. [8] Quod Augustus, ubi per eum comperit, pravo usus judicio, prudenter fecisse laudavit. Itaque anno imperii Cæsaris quadragesimo octavo, adeo dira Romanos fames consecuta est, ut Cæsar lanistarum familias, omnesque peregrinos, servorum quoque maximas copias, exceptis medicis et præceptoribus, [9] trudi Urbe præceperit. Ita peccante principe in sanctum Dei, et correpto per famem populo, quantitatem offensionis qualitas ultionis ostendit. [10] Deinde, ut verbis Cornelii Taciti [11] loquar, *sene Augusto Janus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novæ gentes sæpe ex usu, et aliquando cum damno quæruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium.* Hucusque Cornelius. Cæterum et tunc [12] capta eversaque urbe Hierosolymorum, sicut prophetæ prænuntiaverunt, exstinctisque Judæis, Titus, qui ad vindicandum Domini nostri Jesu Christi sanguinem judicio Dei fuerat ordinatus, victor triumphans [13] cum Vespasiano patre Janum clausit. Igitur etsi sub extremis Cæsaris temporibus apertus est Janus, tamen per multa ex eo tempora, quamvis in procinctu esset exercitus, nulla bella sonuerunt. Unde etiam Dominus ipse Jesus Christus in Evangeliis, cum temporibus illis [14] in summa tranquillitate universus mundus ageret, cunctasque gentes pax una [15] velaret, et a discipulis suis interrogatus esset, [16] de conclusione temporum subsequentium, inter cætera [17] sic ait: *Audituri autem estis prælia et opiniones prœliorum,* **459** *videte ne turbemini. Oportet enim* [18] *hæc fieri: sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ, et fames et terræmotus, per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos: et eritis odio omnibus* [19] *gentibus propter nomen meum.* Hoc autem divina providentia docens, et credentes præmonendo firmavit, et incredulos prædicendo confudit.

CAPUT IV.

De vita et gestis Tiberii Cæsaris, quomodo Christum amplexus sit, de ejus crudelitate in plurimos.

Anno ab Urbe condita DCCLXVII, post mortem Augusti Cæsaris [1] Tiberius Cæsar imperium adeptus est, mansitque in eo annis viginti et tribus. Hic per semetipsum nulla bella gessit, sed ne per legatos quidem aliqua gravia, nisi quod tantum aliquantis in locis præcogniti cito gentium tumores comprimebantur. Sane quarto imperii ejus anno Germanicus, Drusi filius, Caligulæ pater, de Germanis, ad quos ab Augusto sene missus fuerat, triumphavit. Ipse autem Tiberius plurima imperii sui parte, cum magna et gravi modestia reipublicæ præfuit, adeo ut quibusdam præsidibus augenda provinciis tributa suadentibus scripserit, *Boni pastoris esse tondere pecus,* [2] *non deglubere.* At postquam passus est [3] Dominus Christus, atque a mortuis resurrexit, et discipulos suos ad prædicandum [4] dimisit, [5] Pilatus,

HAVERCAMPI NOTÆ.

3. *Subsecuturis.* Edd. quædam, *secuturis.*

4. *Persecutionibus.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov. *in persecutione, quam,* etc.

5. *De passionibus suis.* Postrema vox in cod. Perizon. non apparet. Quidam mss. et edd., *a passionibus.*

6. *Hinc.* Lugd. Bat. tert. *hic,* ut ad Christum referatur, atque mox iterum in seqq.

7. *Sicut Suetonius.* In Augusto cap. 93. FABR.

8. *Quod Augustus,* etc. Ed. pr. et illam secutæ Venetæ, legunt, *quod ut Augustus comperit.*

9. *Trudi Urbe.* Cod. Perizon., *extrudi Urbe.*

10. *Deinde,* etc. Consule Lipsium II Antiq. Lect. 8.

11. *Loquar.* Cod. Perizon., *utar.*

12. *Capta,* etc. Lege infra cap. 9. FABR.

13. *Cum Vespasiano.* Lugd. Bat. sec., *sub Vespasiano.*

14. *In summa tranquillitate.* Cod. Perizon., *summa tranquillitate.*

15. *Velaret.* Id est, tegeret, ornaret, coronaret.

16. *De conclusione temporum.* Ita mss. et edd. meliores; alii *de conjunctione* vel *conditione temporum.*

17. *Sic ait.* Mss. quidam *inter cætera dixit.* Verba exstant in Evang. Matthæi cap. XXIV.

18. *Hæc fieri.* Quædam edd. interserunt *primum.*

19. *Gentibus.* Abest a Florent. sec.

CAP. IV.—1. *Tiberius Cæsar.* Tiberii vitam et res gestas hic breviter perstrictas copiose habes a Dione, Tacito, Suetonio et Zonara descriptas. FABR.

2. *Non deglubere.* Perizon., *non decoriare,* quæ Glossa est.

3. *Dominus Christus.* Interserunt *Jesus* edd. Aug. aliæque ex primis.

4. *Dimisit.* Mss. et edd. quidam, *misit.*

5. *Pilatus, præses.* De Pontio Pilato Palæstinæ præside, ejusque rebus lege Josephum l. XVIII Antiq. Epistola Pilati ad Tiberium de Resurrectione Christi exstat apud Egesippum. FABR.—Confer, quæ ad similem locum Tertulliani in Apologetico cap. 5, p. 57 et 58, notavimus.

præses Palæstinæ provinciæ, **460** ad Tiberium imperatorem atque ad senatum retulit de passione [6] et resurrectione CHRISTI, consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum [7] palam factæ fuerant, [8] vel per discipulos ipsius in nomine ejus fiebant, et de eo quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad senatum, ut Christus [9] Deus haberetur. Senatus indignatione motus, quod non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit, edictoque constituit, exterminandos esse Urbe Christianos : præcipue cum et [10] Sejanus, præfectus Tiberii, suscipiendæ religioni obstinatissime contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est. Itaque paulatim **461** [11] immutata est illa Tiberii Cæsaris laudatissima modestia, in pœnam contradictoris senatus. Nam regi, quæcunque voluntate faciebat, [12] voluptas erat : atque ex mansuetissimo principe sævissima bestia exarsit. Nam plurimos senatorum proscripsit et ad mortem coegit. Viginti sibi Patricios viros consilii causa [13] legerat; horum vix duos incolumes reliquit, cæteros diversis causis necavit. Sejanum præfectum suum, res novas molientem, interfecit. Filios suos Drusum et Germanicum, quorum Drusus naturalis, Germanicus adoptivus erat, manifestis veneni signis perdidit. Filios Germanici filii sui interfecit. Referre singillatim facta ejus [14] horret animus, pudetque, tanta libidinis et crudelitatis rabie efferbuit, ut qui spreverant Christo rege salvari, rege Cæsare punirentur. Hujus tamen imperii anno duodecimo : nova et incredibilis clades apud Fidenatium urbem accidit. Amphitheatri cavea populo gladiatorium munus spectante collapsa est, et [15] plusquam viginti millia hominum **462** occidit. Dignum sane posteris tantæ correptionis exemplum, tunc ad spectandas hominum mortes avidos homines convenisse, quando pro salute hominum providenda Deus homo esse voluisset. [16] Deinde anno ejusdem decimo

HAVERCAMPI NOTÆ.

6 *Et resurrectione*. Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *et de resurrectione*.

7. *Palam*. Delet idem cod. Lugd. Bat. tert.

8. *Vel per discipulos ipsius*. Transponit cod. Perizon., *vel per discipulos ejus in nomine ipsius*, etc.

9. *Deus haberetur*. Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *inter deos*.

10. *Sejanus*. Quantæ apud Tiberium potentiæ fuerit hic Sejanus nemo ignorat. Municipia quoque, Tiberii judicium secuta, omni honorum genere Sejanum vivum cumularunt; mortuum vero, cum pœnas maleficii in domum Cæsaris, atque perversæ ambitionis dedisset, omnibus modis insectati sunt. Servo duos nummos æreos, duplici nota insignes, quamvis typo nihil inter sese discrepent. Videlicet, cum collegam Sejanum in consulatu quinto adoptasset Tiberius, Bilbilitani in Hispania signarunt nummos cum facie atque inscriptione imperatoris Tiberii; sed ab altera parte conjunxerunt in inscriptione par illud consulum. Legitur ibi memorabilis hæc epigraphe MVNicipium AVGVSTA BIBILIS TIberio CÆSARE V. *Lucio* ÆLIO SEIANO COnSulibus. Alterius nummi eadem est fabrica atque inscriptio et idem typus. Verum in eo Sejani nomen, prænomen atque agnomen scalpro erasum cernitur, excavato aliquantum incisura scalpri fundo, quod ipsis Tiberii temporibus et statim post necem Sejani fuisse factum, docet ærugo nobilis, quæ eodem colore, atque eadem patina (ut antiquarii loquuntur) ibi fundum occupat, qua reliquam et universam nummi partem. Unde memorabili hoc nummo docemur, in Sejani honores et memoriam, non modo sævitum fuisse dejiciendo statuas, confringendo marmora atque positas publice inscriptiones tollendo, verum ad monetam quoque Romanam in municipio Hispaniensi, furorem eumdem sese extendisse. Itaque alter ex hisce nummis fatum abrasi honoris Sejani subiit, alter, sive tunc terra abditus, sive alibi latens, effugit; utramque studiose servo, utriusque delineationem accuratissimam subjeci.



11. *Immutatà*. Coll. Gronov., *imminuta*. In ed. August. nón invenitur *est*.

12. *Voluptas erat*. Lugd. Bat. tert., cum Coll. Gronov., *fiebat voluptas*.

13. *Legerat*. Ita codex meus, ut et Perizon. cum duob. Lugd. Batt. et Coll. Gronov.; atque cod. Ultr. et edd. vett. scribere jubent, *non elegerat*, ut habent edd. Fabricii et Scotti.

14. *Horret animus*. Deleto *animus*, scribunt tres Lugd. Batt., cum Perizon., *horret*, ut et ed. Augustana; *horreo* Florent. sec.

15. *Plus quam viginti millia hominum occidit*. Gravem crudelis spectaculi pœnam recensens Tacitus, ubi graphice hanc cladem describit, majorem refert numerum, additis scilicet vulneratis, Annal. IV, 62 et 63 : *Quinquaginta hominum millia eo casu debilitata vel obtrita sunt*.

16. *Deinde anno ejusdem* 17. Numerum hunc reliquimus, quamvis non sine causa Eusebium sequantur plures, qui passionem *Christi* in Tiberii annum 18 confert. FABR. — Annus 18 invenitur in Lugd. Bat. quarto.

mo septimo cum Dominus Jesus Christus voluntarie A quidem se tradidit passioni, sed impie a Judæis apprehensus, et patibulo suffixus est, maximo terræmotu per orbem facto, saxa in montibus scissa sunt [17], maximarumque urbium plurimæ partes plus solita concussione ceciderunt. Eadem quoque die ad horam diei sextam sol in totum obscuratus [18], tetraque nox subito obducta terris est, et sicut dictum est.

[19] Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

Usque adeo autem neque lunam lumini solis, neque nubes obstitisse manifestum est, [20] ut decimam quartam eadem die [21] lunam, tota cœli regione interjecta, longissime a conspectu solis [22] abfuisse, et stellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte toto cœlo fulsisse referatur. Quod non solum sanctorum Evangeliorum fides, sed etiam aliquanti Græ- B corum libri attestantur. Jam hinc post passionem Domini, quem Judæi, quantum in ipsis fuit, persecuti sunt, continuæ clades Judæorum, donec exinaniti dispersique deficiant, incessabiliter **463** [23] strepunt. Tiberius siquidem juventutem eorum [24] intumescentem [25], per speciem sacramenti, in provincias gravioris cœli relegavit, reliquos gentis ejusdem [26] vel similia sectantes, Urbe submovit sub pœna perpetuæ servitutis, nisi obtemperassent. Sane [27] Asiæ civitates, illo terræmotu dirutas, tributo dimisso, propria etiam libertate donavit. Hic ambiguis signis veneni obiit.

CAPUT V.

C. Caligulæ Cæsaris mores, res gestæ et crudelia facinora.

Anno ab Urbe condita DCCXC, tertius ab Augusto [1] Caius Caligula cœpit regnare, mansitque in imperio annis non plenis quatuor, homo omnium ante se flagitiosissimus, et qui vere dignus Romanis blasphemantibus, et Judæis persecutoribus punitor adhibitus videretur. Hic, ut breviter magnitudinem crudelitatis ejus [2] expromam, exclamasse fertur: [3] *Utinam populus Romanus* **464** *unam cervicem haberet.* Sæpe etiam [4] de conditione temporum suorum conquestus est, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur. O beata germina temporis Christiani, quantum prævaluistis in rebus humanis, ut etiam crudelitas hominis magis potuerit clades desiderare, quam invenire! Ecce de tranquillitate generali feritas jejuna conqueritur:

Furor impius intus
Sæva sedens super arma et centum vinctus aheneis
Post tergum nodis fremit horridus ore cruento.

Servi rebelles et fugitivi gladiatores perterruere Romam, evertere Italiam, Siciliam delevere, jam pene universo humano generi toto orbe metuendi. In diebus autem salutis, hoc est, temporibus Christianis, convellere quietem non potest vel Cæsar infestus. Hic siquidem magno et incredibili apparatu profectus quærere hostem viribus otiosis, Germaniam Galliamque percurrens, in ora Oceani circa prospectum Britanniæ restitit. Cumque ibi [5] Minocynobellinum, Britannorum regis filium, qui a patre pulsus cum paucis oberrabat, in deditionem recepisset; deficiente belli materia, Romam rediit. Iisdem autem diebus Judæi, qui jam tunc ob passionem C Christi meritis ubique cladibus exagitabantur, apud Alexandriam seditione excitata, profligati cæde, [6] atque urbe propulsi, expromendarum querelarum causa

HAVERCAMPI NOTÆ.

17. *Scissa sunt.* Posteriorem vocem aliquot mss. delent.

18. *In totum obscuratus.* Edd. quædam vett. et mss. Lugd. Bat. tert., *toto orbe obscuratus.*

19. *Impiaque.* Versus est Virgilii I Georg. 468:

Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque et aperta tumescere bella.
Ille etiam exstincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

20. *Eadem die lunam cœli interjectu.* Sic optime, pro *ea die lunam tota cœli regione interjecta,* quod nescio a qua philosophia est. LAUT.

21. *Lunam tota cœli.* In Lugd. Bat. tert. legitur, D *luna metata cœli regione.* At editionis Aug. hæc est lectio, *ut* XIV *die luna, tota cœli regione interjecta,* etc.

22. *Abfuisse.* Florent. tert., *aufugisse.*

23. *Strepunt.* Edd. quædam vett., *perstrepunt;* Ed. Aug., *instrepunt.*

24. *Juventute eorum.* Verba sunt Suetonii in Tiberio cap. 36.

25. *Intumescentem.* Hoc vocabulum demiror non alibi quam in Colon. esse. LAUT. — Ego in nullis codd. inveni, neque apud Suetonium, unde hæc desumpta sunt, exstat.

26. *Vel similia sectantes.* Tacitus Annal. II, 85: *Actum et de sacris Ægyptiis Judaicisque pellendis: factumque patrum consultum, ut quatuor millia libertini generis, ea superstitione infecta, quis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniis, et si ob gravitatem cœli interissent, vile damnum: cæteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.*

27. *Asiæ civitates.* Præter Historiarum scriptores, hanc Tiberii liberalitatem testantur nummi veteres, quos, quoniam in vulgus noti sunt, prætereo. Falsum vero est illo terræmotu, qui sub mortem Christi accidit, cladem hanc Asiæ civitates passas fuisse, cum pluribus annis post accidisse constet. Vide Tacitum Annal. II, 47, et alios.

CAP. V. — 1. *Caius Caligula.* De Caligula Suetonius et Dio. item Eutrop. lib. VII, et Euseb. in Hist. Eccl. lib. II. FABR.

2. *Expromam.* Ita restitui ex ed. Aug. astipulantibus mss. omnibus. Vulgg., *exprimam;* verum Orosius infra hoc capite eo verbo rursus utitur, *expromendarum querelarum causa Philonem,* etc.

3. *Utinam,* etc. Vid. Suetonium in vita ejus monstri cap. 30 et 31.

4. *De conditione.* Cod. Perizon. *de conditionibus.*

5. *Minocynobellinum.* Suetonius in Caligula cap. 44. *Adnimocinum Bellini Batavorum regis filium,* habet. FABR. — Casaubonus ad Suetonii locum Orosium scripsisse existimat, *Cumque Adminium* (vel potius *Arminium*) *Cinqbellini Britannorum regis filium,* etc., quæ conjectura valde verosimilis est.

6. *Atque Urbe propulsi.* Edd. quædam vett., *atque ab Urbe propulsi:* mss. Lugd. Batt. tert. et Coll. Gronov., *atque Urbe pulsi;* Perizon., *atque ex Urbe pulsi.*

Philonem quemdam, virum sane in primis eruditum, legatum ad Cæsarem [7] miserunt. Sed Caligula cum omnibus hominibus, tum præcipue Judæis infestissimus, [8] spreta legatione Philonis, omnes Judæorum sacras ædes, atque in primis antiquum illud [9] Hierosolymis sacrarium **465** profanari sacrificiis gentilium, ac repleri statuis simulacrisque imperavit, seque ibi ut Deum coli præcepit. [10] Pilatus autem præses, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, postquam plurimas seditiones in Hierosolymis excepit, ac fecit, tantis irrogante Caio angoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsierit. Caius Caligula libidinibus suis etiam illud sceleris adjecit, [11] ut sorores suas primum stupro pollueret, deinde exsilio damnaret: qui post, [12] omnes simul exsules jussit occidi. Ipse autem a suis protectoribus occisus est. Duo libelli [13] in secretis **466** ejus reperti sunt, quorum alteri pugio, alteri gladius pro signo nomini ascriptum erat: ambo lectissimorum virorum utriusque ordinis senatorii et equestris nomina et notas continebant morti destinatorum. Inventa est et arca ingens variorum [14] venenorum pocula continens, quibus mox, Claudio Cæsare jubente, [15] demersis, infecta maria traduntur non sine magno piscium exitio, quos enecatos per proxima littora passim æstus ejecit. [16] Magnum revera indicium miserantis Dei, propter suffragium gratiæ in populum continuo ex parte crediturum, et propter iræ temperamentum in populum tunc infideliter obstinatum; ut quanta multitudo hominum præparatam mortem evaserit, ex multitudine interfectorum piscium disceretur: omnibusque [17] innotesceret, quid tanta veneni moles arte aucta, agere in misera civitate potuisset: quæ negligenter effusa, etiam maria corrupit.

CAPUT VI.

Claudii Tiberii Cæsaris vita et res gestæ, et gravissima sub eo fames Romæ.

Anno ab Urbe condita DCCXCV, [1] Tiberius Claudius, ab Augusto quartus, regnum adeptus est: mansitque in eo annis quartuordecim. [2] Exordio regni ejus Petrus, apostolus [3] Domini nostri **467** Jesu

HAVERCAMPI NOTÆ.

7. *Miserunt.* Florent. duo, *miserant.*

8. *Spreta legatione Philonis.* De hac legatione Euseb. lib. II, cap. 5; Josephus lib. VIII Antiq. c. 10. FABR.

9. *In Hierosolymis.* Abest vox prior a cod. Florent. sec.

10. *Pilatus autem. Pilatus* anno secundo imperii Caligulæ sibi manus intulit, Cassiodorus, et Eusebius. FABR.

11. *Ut sorores suas.* Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov., *ut et sorores suas.* Mox *polluerit* et *damnarit* edd. quædam vett. Nomina sororum, quæ et in pluribus hodie ejus imperatoris nummis supersunt, fuerunt Drusilla, Julia, Agrippina. Vidi quondam in museo Marckiano Medallionem, pondere insignem, atque arte singulari, in quo pro IVLIA sculptum erat LIVIA. Sed et hoc maxime, et alia non pauca, suspectum, ingens alias magnitudine et densitate numisma fecerunt. Distracto museo in Brabantiam avectum fuit, typum antea exceperam, ejusque pictura et magnitudo hæc est:



12. *Omnes simul exsules jussit occidi.* Rationem in Vita ejus cap. 28 addit Suetonius: *Revocatum quemdam a vetere exsilio sciscitatus, quidnam ibi facere consuesset, respondente eo per adulationem, deos semper oravi, ut, quod evenit, periret Tiberius, et tu imperares: opinans, sibi quoque exsules suos mortem imprecari, misit circum insulas, qui universos contrucidarent.*

13. *In secretis.* Coll. Gron., *in secreto.*

14. *Venenorum pocula continens.* Duo hæc verba posteriora, in uno Veneto lib. erant, desiderantur autem in omnib. LAUT. — Inepte tamen dictum est. Venena enim pura, nondum mixta, erant. Ego in nullis mss. inveni. Sueton. in Calig. cap. 49: *Inventa et arca ingens, variorum venenorum plena:* et sic etiam forte scripsit Orosius.

15. *Demersis.* Cod. Perizon., *mersis.*

16. *Magnum revera.* Ita reposui cum mss. et ed. Aug. atque Scotti.; vulgg. reliqui, *magnum vero.*

17. *Innotesceret.* Sic mss.; *notesceret* in vulgg.

CAP. VI. — 1. *Tiberius Claudius.* De Claudio Cæsare, Suetonius, Dio, Eutropius et Sex. Aurelius. Imperavit annis 13, mensibus 8, diebus 20. Josephus lib. XX Antiq. c. 5. Xiphilin. in Epitoma Dionis. FABR.

2. *Exordio regni.* Anno secundo, Saturnino et Venusto coss. Cassiodorus. Lege Euseb. in Chronic. Ed. Aug., *ab exordio.* FABR.

3. *Domini nostri.* In Perizon. atque Florentt. sec. et tert. deest *nostri.* A Florent. sec. abest quoque *Christi.*

Christi, Romam venit et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbavit. Atque [4] exin Christiani Romæ esse cœperunt. Sensit hoc collatum fidei suæ Roma beneficium. [5] Nam cum interfecto Caligula [6] multa de abrogando imperio, ac republica in antiquum ordinem restituenda [7] evertendaque penitus Cæsarum universa familia senatus et consules decrevissent, Claudius mox, ut confirmavit imperium, magna atque [8] adhuc Romæ incognita usus clementia, ne in tantam nobilium multitudinem ultio, si esset cœpta, sæviret; [9] biduum illud, quo de reipublicæ statu infeliciter consultatum actumque fuerat, memoriæ exemit, omniumque factorum dictorumve in eo veniam et oblivionem [10] in perpetuum sanxit. [11] Ita illam præclaram et famosam Atheniensium amnestiam, quam quidem Romæ inducere Julio Cæsare interfecto senatus, Cicerone suadente, tentaverat, sed Antonio et Octaviano propter ultionem exstincti Cæsaris irrumpentibus, in irritum cesserat: hanc Claudius, quamvis [12] multo truculentiore causa in cædem [13] conspiratorum [14] instimularetur, ultronea clementia nullo expetente firmavit. Accidit etiam eodem tempore præsentis gratiæ Dei grande miraculum, siquidem Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiæ legatus, bellum civile molitus, legiones multas fortissimasque ad sacramenti mutationem pellexerat. Itaque [15] die dicto, ut in unum **468** undique ad novum imperatorem conveniretur, [16] neque aquilæ ornari, neque convelli quoquomodo signa, moverive potuerunt. Exercitus tanta et tam inusitata miraculi fide motus, et conversus in pœnitentiam, Scribonianum quinto statim die destitutum interfecit, seseque sacramento prioris militiæ continuit. Tristius ac perniciosius urbi Romæ nihil umquam fuisse, quam bella civilia, satis notum est. Itaque propter adventum apostoli Petri, et tenera Christianorum germina vixdum adhuc pauca ad sanctæ fidei [17] professionem erumpentia, hanc exorientem tyrannidem, et consurgens istud civile bellum neget quisquam divinitus esse compressum? Qui præteritis temporibus de compressione bellorum civilium simile probarit exemplum. Claudius quarto imperii sui anno, [18] cupiens se utilem reipub. ostentare principem, bellum ubique et victoriam undecumque quæsivit. Itaque expeditionem in Britanniam movit: quæ excitata in tumultum propter non [19] redhibitos transfugas videbatur; transvectusque in insulam est, quam neque ante Julium Cæsarem, neque post eum quisquam adire ausus fuerat. Ibique, [20] ut verbis Suetonii Tranquilli loquar, sine ullo prælio ac sanguine intra paucissimos dies plurimam insulæ partem in deditionem recepit. Orcadas etiam insulas ultra Britanniam in Oceano positas, Romano adjecit imperio, ac sexto quam profectus erat mense Romam rediit. Conferatur nunc, si cuiquam placet, [21] sub una insula, tempus et tempus, bellum et bellum, **469** Cæsar et Cæsar. Nam de fine [22] nihil confero: quoniam hoc felicissima victoria, illud acerbissima clades fuit: et sic demum Roma cognoscat, per ejus latentem providentiam [23] in augendis rebus antea se partem felicitatis habuisse, cujus agnitione suscepta, plenissima felicitate perfruitur, in quantum non tamen blasphemiarum offendiculis depra-

HAVERCAMPI NOTÆ.

4. *Exin.* Mss. Lugd. Batt., *etiam.*

5. *Nam.* Mss. Lugd. Batt. pr., *jam.*

6. *Multa.* Mss. edd. quidam inepte addunt *mala*, quod ex varia lectione et affinitate cum *multa*, provenit.

7. *Evertendaque.* Florent. sec., *verendaque*, quæ corrupta scriptura est verbi *everrendaque*, quod, forsitan haud vane, in cod. Perizoniano inveni.

8. *Adhuc Romæ.* In Florent. sec. superscribitur, *Forte, ad hoc Romæ.*

9. *Biduum illud.* Hic locus ita recte legitur in manuscriptis, ut cognoscitur ex Suetonii Claudio cap. 1. FABR. — *Judicium illud*, etc. Olim, *biduum illud*: sed Venetam hanc restitutionem probant, quæ sequuntur illico: *omniumque factorum, dictorumque in eo veniam et oblivionem sanxit.* LAUT. — In omnibus mss. ut et ed. August. est *biduum*, ut recte restituit Fabricius; judicium merito desideres in iis, qui ex pravis editt. recoquunt *judicium.*

10. *In perpetuum.* Mss. Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. *in posterum*, ex glossa, sicuti in iisdem supra *delevit*, pro *exemit.*

11. *Ita illam.* Mss. quidam, *ita et illam.*

12. *Multo.* Abest a Lugd. Batt. pr. et tert. atque a Coll. Gronov.

13. *Conspiratorum.* Cod. Perizon., *conjuratorum.*

14. *Instimularetur.* Orosii videtur esse verbum, quod ex mss. consensu restitui. Vulgg., *stimularetur.*

15. *Die dicto.* Perizon., *die dato.*

16. *Neque aquilæ ornari.* Apud Sueton. in Claudio cap. 13. *neque aquila ornari* legitur. Ubi aquilas, numero plurali, apud Orosium legi notat Causaub. rogatque an omnes aquilæ in hoc ostento conspiraverint? rogare vicissim possum, an conspiraverint in eodem ostento, seu potius eadem fraude, signa omnia?

17. *Professionem.* Ita in Colon. inveni, et non ambigo, quin Orosius ita scripserit, pro *profectionem.* LAUT.

18. *Cupiens se utilem.* Mss. quidam legunt, *cupiens utilem reipublicæ ostendere principem.*

19. *Redhibitos.* Rectissime Colon. et Maternus, pro *redditos.* At qui hoc verbum non recipiet, illum ad jurisconsultos relego. LAUT. — Idem in mss. melioribus inveni.

20. *Ut verbis Suetonii.* Sueton. in Claudio c. 17. FABR. — Copulam in *transvectusque* mss. plerique delent.

21. *Sub una insula.* In quatuor mss. hanc inveni lectionem, Florent. duobus, Ultr., Meo et Perizoniano. Vulgg. omnes, *insula et insula*, quod prorsus ineptum est. Nam de una agit insula Britannia, in qua primus Cæsar, sed non sine clade, dein Claudius, sed prosperrime bellum gessit. Non igitur de insula, quæ conferri cum insula queat, loquitur Orosius, sed comparat res gestas, et victorias, quibus Cæsari in Britannia palmam eripuisse dicit Claudium.

22. *Nihil confero.* Sic mss. plures et ed. Aug. Alii, *nihil profero.*

23. *In augendis.* Quidam, *agendis.*

vatur. Eodem anno imperii ejus [24] fames gravissima per Syriam facta est, quam etiam prophetæ [25] prænuntiaverant : sed Christianorum necessitatibus apud Hierosolymam, convectis ab Ægypto frumentis, Helena Adiabenorum regina, [26] conversa ad fidem Christi, largissime ministravit. Anno imperii ejus quinto [27] inter Theram et Therasiam insula de profundo emicuit triginta stadiorum spatio extenta. Anno ejus septimo [28], sub procuratore Judææ Cumano in Hierosolymis tanta seditio in diebus azymorum exorta est, ut in portarum exitu populo coarctato, triginta millia Judæorum cæde prostrata et compressione suffocata referantur. Anno ejusdem nono, expulsos per Claudium Urbe Judæos, [29] Josephus refert : [30] sed me magis Suetonius movet, qui ait hoc modo: *Claudius Judæos, impulsore Christo assidue tumultuantes, Roma expulit.* Quod, utrum contra Christum tumultuantes Judæos coerceri et comprimi jusserit, an etiam Christianos simul [31] velut cognatæ religionis homines voluerit expelli, nequaquam discernitur. Verumtamen sequenti anno tanta fames Romæ fuit, ut medio foro imperator correptus a populo, **470** conviciis et fragminibus panis turpissime infestatus, ægre [32] per pseudothyrum in palatium refugiens, furorem excitatæ plebis evaserit. Parvo autem intercedente tempore triginta quinque A senatores et trecentos simul equites Romanos minimis causis interfecit : ipse autem [33] manifestis veneni signis est mortuus.

CAPUT VII.

Neronis Claudii Cæsaris fœdi mores et scelesta facinora.

Anno ab Urbe condita DCCCVIII, [1] Nero Cæsar ab Augusto quintus, principatum adeptus est, mansitque in eo annis non plenis quatuordecim, Caii Caligulæ avunculi sui erga omnia **471** vitia ac scelera sectator, immo transgressor, petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem, nullo non scelere exercuit, siquidem petulantia percitus omnia pene Italiæ ac Græciæ theatra perlustrans, assumpto etiam varii vestitus dedecore, [2] cerices, citharistas, tragœdos, et aurigas sæpe sibi superasse visus est. Libidinibus porro tantis exagitatus est, ut ne a matre quidem vel sorore ullave consanguinitatis reverentia abstinuisse referatur, virum in uxorem duxerit, ipse a viro ut uxor acceptus sit. Luxuriæ vero tam [3] effrenatæ fuit, ut retibus aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur, frigidis et calidis [4] lavaret unguentis. Qui etiam numquam minus mille carrucis confecisse iter traditur. Denique [5] Urbis Romæ incendium voluptatis suæ spectaculum fecit. Per sex enim dies

HAVERCAMPI NOTÆ.

24. *Fames gravissima.* De hac fame Lucas in Actis Apost. c. XI, Josephus Antiq. lib. XX c. 2, Eusebius Hist. Eccl. lib. II c. 8. FABR.

25. *Prænuntiaverant.* Lugd. Batt. tert. *prænuntiaverunt.*

26. *Conversa ad fidem Christi.* Falsum id esse ex Josepho pluribus docuerunt magnus Scaliger in Animadv. ad Eusebium p. 192, et cl. Wesselingus, qui, integro capite, Judaicos ritus amplexam fuisse reginam Helenam cum filiis Izate et Monbazo, Observ. lib. I, cap. 9, p. 28, ostendit.

27. *Inter Theram.* Idem Cassiod. et Euseb. in Chron. De *Thera* et *Therasia* Strab. lib. X. FABR. — Pro *insula* monstruosæ quædam edd. introducunt *bellua.*

28. *Anno ejus septimo.* De hac seditione Josephus Antiq. lib. XX c. 4, Euseb. Eccl. Hist. lib. II c. 19. FABR.

29. *Josephus refert.* Mentiri hoc, quasi apud Josephum exstet, Orosium dicit Spanhemius Oper. p. 558.

30. *Sed me magis Suetonius.* Sueton. in Claudio c. 24. FABR.

31. *Velut cognatæ religionis homines.* Confer, quæ scripsimus ad Tertulliani Apologeticum p. 503.

32. *Per Pseudothyrum.* Latini *posticum* vocant. Sueton. idem hoc referens cap. 18, *ut ægre, nec nisi postico evadere in palatium valuerit.*

33. *Manifestis veneni signis.* De Tiberio, in fine cap. præced. scripsit caute, *hic ambiguis signis veneni obiit.* De Claudio, per fungos venenatos, Agrippinæ et Neronis opera interfecto, tam manifesta res fuit, ut non erubuerit dicere successor Nero, *fungos deorum esse cibum.* Vidi medallionem argenteum, eximiæ pulchritudinis et præstantiæ apud Gerardum Schaakium Amstelodami, in quo celebratur illa per fungos scilicet facta Claudii apotheosis. In honorem patris jam divi cudi jussit Nero, cujus caput ab altera parte cognoscitur. Adjeci et alterum qui in museo nostro est, ex ære nummulum; is in aliqua colonia cusus, capita itidem exhibet Claudii atque Neronis, adeoque, respectu adoptionis, vivo Claudio, ad cujus caput litteræ supersunt, quæ consulatum ejus indicant, cusum





CAP. VII. — 1. *Nero Cæsar.* Neronis vitam et res gestas si vis cognoscere, lege præter Suetonium et Dionis Epitomam, Taciti libr. XIII, XIV, XV, et XVI. FABR.

2. *Cerices.* Editi *cerites*, et *scenicos* : quod ut genuinum sit, ita illud bene repositum est. Græcis enim κήρυκες operæ theatrales sunt. LAUT.—In mss. inveni lectiones has, *ceritas* in Lugd. Bat. tribus (nam quart. habet *scenicos*), Coll. Gronov. et cod. Perizon.; in Florent. secundo *cerriscas*, in tert. ut et in cod. Meo *cericas*, quod proxime accedit ad *cerycas*, prout emendat Beroaldus ad Sueton. p. 671.

3. *Effrenatæ.* Ed. Aug., *ineffrenatæ*, voluit *infrenatæ.*

4. *Lavaret.* Quidam mss., *lavaretur.*

5. *Urbis Romæ incendium.* De hoc incendio Tacitus lib. XV. FABR.

septemque noctes ardens civitas, regios pavit aspectus. Horrea quadro structa lapide, magnæque illæ veterum insulæ, [6] quas discurrens adire flamma non poterat, magnis machinis quondam ad externa bella præparatis, labefactatæ atque inflammatæ sunt, ad monumentorum bustorumque diversoria infelici plebe compulsa. Quod ipse ex altissima illa Mæcenatiana turre prospectans, lætusque flammæ (ut aiebat) pulchritudine, tragico habitu Iliadem decantabat. Avaritiæ autem tam præruptæ exstitit, ut post hoc incendium Urbis, quam se Augustus ex lateritia marmoream [7] reddidisse jactaverat, neminem ad reliquias [8] rerum suarum adire permiserit, cuncta quæ flammæ quoquo modo superfuerant, ipse abstulit. [9] Centies **472** centena millia sestertium annua ad expensas a senatu sibi conferri imperavit. Plurimos senatorum, nulla exstante causa, bonis privavit. Negotiatorum omnium sub una die, tormentis quoque adhibitis, omnem penitus censum abstersit. Crudelitatis autem rabie ita efferatus est, ut plurimam senatus partem interfecerit, equestrem ordinem pene destituerit. Sed ne parricidiis quidem abstinuit, [10] matrem, fratrem, sororem, uxorem, cæterosque omnes cognatos et propinquos, sine hæsitatione prostravit. Auxit hanc molem facinorum ejus temeritas impietatis in Deum. Nam primus Romæ **473** [11] Christianos suppliciis et mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit : ipsumque nomen exstirpare conatus, beatissimos Christi apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Mox acervatim miseram civitatem obortæ undique oppressere clades. Nam subsequente autumno tanta Urbi pestilentia incubuit, ut triginta millia funerum in rationem Libitinæ venirent. Britannica deinde clades e vestigio accidit, qua duo præcipua oppida, magna civium sociorumque clade et cæde direpta sunt. Prætera in Oriente magnis Armeniæ provinciis amissis Romanæ legiones sub jugum Parthicum missæ, ægreque Syria retenta est. In Asia tres urbes, hoc est, Laodicea, Hierapolis et Colossæ terræmotu conciderunt. At vero Nero, postquam [12] Galbam in Hispania impera-

HAVERCAMPI NOTÆ.

6. *Quas discurrens.* Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov. pro *quas* legunt, *qua*, non male.

7. *Reddidisse.* Cod. Perizon., *reliquisse.*

8. *Rerum ustarum.* Sic ex Veneto : aliis omnibus *suarum* scribentibus; quod satius esse clamat Historia. LAUT.—Immo clamat Sueton. non esse sollicitandam veram lectionem. Is, cap. 38, totidem verbis, *nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit.*

9. *Centies centena*, etc. Orosius hoc narrat nescio unde acceptum, inquit Casaub. ad Sueton. Ner. cap. 38.

10. *Matrem, fratrem*, etc. Agrippinam, Britannicum, Octaviam, Poppæam. Numismata singularia omnium subjicere placuit. Nummus primus, ex museo nostro, argenteus et longe pulcherrimus, Agrippinæ et Neronis adversa exhibet capita; secundus, æreus, quem itidem servamus, Britannici exhibet faciem, ut inscriptio Græca testatur. Thyatiris cusum fuisse, pars litterarum reliqua et bipennis, in ejus urbis nummis obvia, docent. Tertium Græcum, infelicis Octaviæ, apposito ab altera parte capite Neronis, Teii cuderunt, vulgavit in Specimine Morellus. Quartum denique in museo quondam Marckiano, sive Domini de Leur, inveni; æreus is quoque, et in Græca urbe cusus, Poppææ et Neronis exhibet effigies, eorumdem ascripto nomine et titulo.





11. *Christianos suppliciis.* Meminit Tacitus lib. XV, Suetonius c. 16. Lege Augustinum de Civit. Dei lib. XVIII c. 52, Egesippum lib. III, Euseb. Hist. Eccl. lib. II c. 25. FABR.

12. *Galbam in Hispania.* Hujus imperatoris nummum, majorem quam solent esse qui primæ dicuntur magnitudinis, possideo, in quo typus est elegans allocutionis Galbæ ad milites a quibus imperator creatus fuerat, cujus hic picturam subjeci.



torem creatum ab exercitu cognovit, totus animo ac spe concidit. Cumque incredibilia perturbandæ, immo subruendæ reipublicæ mala moliretur, hostis a senatu pronuntiatus, et ignominiosissime fugiens, ad quartum ab Urbe lapidem [13] sese ipse interfecit, atque in eo omnis Cæsarum familia [14] consumpta est.

474 CAPUT VIII.

De Galbæ, Othonis et Vitellii imperio, et moribus, et facinoribus.

[1] Anno ab Urbe condita DCCCXXIV, [2] Galba apud Hispanias usurpavit imperium; qui mox ut Neronis mortem comperit, Romam venit. Cumque omnes avaritia, sævitia, segnitiaque offenderet, Pisonem sibi, nobilem industriumque adolescentem, in filium atque in regnum adoptavit: cum quo septimo mense imperii sui ab Othone jugulatus est. Luit Roma cædibus principum excitatisque civilibus bellis, recentes Christianæ religionis injurias: et signa legionum illa, quæ sub adventu in Urbem Petri apostoli divinitus coercita convelli nullo modo ad excitandum civile bellum valuerant, quod per Scribonianum parabatur, Petro [3] in Urbe interfecto, et Christianis pœnarum diversitate laniatis, toto se orbe solverunt. De Hispania siquidem illico Galba surrexerat: quo mox oppresso, Otho Romæ, Vitellius in Germania, Vespasianus in Syria imperia simul atque arma rapuerunt. Probent sane etiam inviti potentiam simul et clementiam Dei, qui Christianis temporibus offenduntur, quanta celeritate tantorum incendia bellorum et excitata sunt et repressa, cum et antea minimis causis magnæ ac diuturnæ clades agitarentur, et nunc maximi undique [4] concrepantes magnorum malorum fragores, minimo negotio [5] sopirentur. Jam enim erat Romæ, quamvis persecutione vexata, Ecclesia, quæ judici omnium Christo etiam **475** pro inimicis et persecutoribus supplicaret. Igitur Otho, cum Galba et Pisone Romæ interfectis inter tumultus cædesque invasisset imperium, ac mox creatum imperatorem, in Gallia per Germanicas legiones Vitellium comperisset, [6] bellum civile molitus, tribus primum levibus prœliis, hoc est, uno apud Alpes, alio circa Placentiam, tertio circa locum, quem [7] Castoris vocant, contra Vitellianos duces congressus victor exstitisset, quarto, apud [8] Bebriacum, prælio, cum animadvertisset suos vinci, [9] mense tertio quam imperare cœperat, sese interfecit. Vitellius victor Romam venit: ubi cum multa crudeliter ac nequiter ageret, incredibili etiam voracitatis appetitu humanam vitam probris aggravaret,

HAVERCAMPI NOTÆ.

13. *Sese ipse interfecit.* In Edd. quibusdam abjicitur *sese.*

14. *Consumpta est.* Florentin. sec. *consummata* est.

CAP. VIII. — 1. *Anno ab Urbe*, etc. Flor. tert. et edd. quædam vett. duos annos minus numerant.

2. *Galba apud Hispanias.* Lege Tacitum lib. XV, et Sueton. Sed Galbæ vita diligenter a Plutarcho scripta imprimis legenda. Idem Othonem descripsit, de quo Xiphilinus, Suetonius, Eutrop. et alii. FABR.

3. *In Urbe.* Mss. Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. addunt *Roma.* Deinde pro *agitarentur*; Florent. sec., *agerentur.*

4. *Concrepantes.* Ed. Aug., *increpantes.* Venetæ, *constrepentes.*

5. *Sopirentur.* Lego, *soporentur.*

6. *Bellum civile molitus.* Cod. Perizon., *Bellum civile molitur; cumque*, etc.

7. *Castoris.* Perizon., *Castores*; et sic quoque duo Florentini. In Suetonio tamen *Castoris* legitur, cap. 9, *et ad Castoris, quod loco nomen est, vicit.*

8. *Bebriacum. Bebriacum* habet etiam Tacitus lib. VIII, Eutrop. lib. VII, Suetonius et Sex. Aurelius. Sed non puto negligendum quod in Gualtheri libro est, *Betriacum*, nam et Plut. in Othone Βητριακὸν habet. FABR.

9. *Mense tertio.* Unde negantur inveniri hujus imperatoris ærei nummi, id est, a triumviris monetalibus Senatus Romani cusi, nam aurei plures, argentei inveniuntur plurimi, Ægyptii quoque ex ære supersunt, qualem quondam in museo Marckiano observavi, et cum cura depingi jussi. Vidi tamen unum æreum secundæ magnitudinis, neque Græcum neque Ægyptium, sed Latinis insignitum litteris, quem merito crucem antiquariorum vocaveris, nam, ut verum fatear, decidere ipse nothus, an genuinus sit, jure non ausim. Servatur Amstelodami in locupletissimo gazophylacio Gosuini Uilenbroekii. Utriusque nummi picturam subjunxi. Servantur, cum alibi, tum Aquis Sextiis in selecta quoque gaza Lebretiana, nummus Othonis Græcus victoriam ejusdem, appo-sito deæ busto ad humeros alato, designans. Servatur in eadem Gaza nummus Claudii, ex eo genere, qui Antiochiæ, cum nota S. C. laureæ inclusa, signati creduntur. Is nummus ad collum impressam habet notam, qua nexus litterarum, quæ Othonis nomen et imperatoris titulum exprimunt, comprehenduntur. Et horum picturam non illubenter adjeci.





476 postquam de Vespasiano comperit, [10] primum deponere molitus est imperium : postea, a quibusdam animatus [11] Sabinum, Vespasiani fratrem, nihil tum mali suspicantem, cum cæteris Flavianis in Capitolium compulit : succensoque templo, et mixta simul flamma ruinaque, omnes in unum pariter interitum [12] ac tumulum dedit. Post deficiente in Vespasiani A nomen exercitu suo destitutus, appropinquantibus [13] jam hostibus trepidus, cum se in quamdam proximam palatio cellulam contrusisset, turpissime inde protractus, cum per viam sacram nudus duceretur, passim [14] cunctis fimum in os ejus jactantibus, in forum deductus, [15] octavo quam regnum præsumpserat **477** mense, apad Gemonias scalas minutissimorum

HAVERCAMPI NOTÆ.







10. *Primum deponere molitus imperium.* Sic exstat in cod. August. et mss., non *deponere est molitus*, ut in vulgg. Florentt. Mox legunt, *post a quibusdam animatus*, non *postea*.

11. *Sabinum Vespasiani fratrem.* Xiphilinus in Vitellio *de Sabino* inquit, συγγενὴς οὗτος Οὐεσπασιανοῦ. Cum Orosio Tacitus, Eutropius, cæterique faciunt. FABR.

12. *Ac tumulum dedit.* Vulgares *tumultum dedit*. Sane illi dederunt. LAUT.— Quod mirum in quibusdam edd. placere potuisse Fabricio, cum Bolsuing. ed. meliorem jam exhibuisset lectionem, quæ et in ed. August. et in mss. melioribus, et denique a Scotto quoque invenitur recepta; unde errore comperto, in quadam ex suis quoque correxit ipse Fabricius.

13. *Jam.* Coll. Gronov., edit. August. et cod. Perizon., *usque jam*.

14. *Cunctis.* Abest a quibusdam mss. et ed. Aug.

15. *Octavo*, etc. Breve Vitellii imperium causa est quod nummi ejus ærei primæ magnitudinis valde rari sint, Græce vero inscripti longe rarissimi. Unde pronuntiat Vaillantius in Numism. imp. Gr. p. 20 : « Nummi Vitellii ex Ægypto tantum visuntur, et Othonianis sunt rariores. » Quæ quidem eo lubentius adduxi, ne curiosos lectores defraudem conspectu duorum rarissimorum præstantissimorumque hujus imperatoris nummorum, quos in secretiore Museo meo studiose asservo. Alter, pulchritudine et integritate conspicuus, exhibet Vitellii caput nudum cum epigaphe hac, Αυλος ΟΥΙΤΕΛλιος ΚΑΙΣαρ ΓΕΡΜανικος. Ab altera parte Victoria cernitur festinans, cum serto et laurea, annus imperii primus signatur per litteras Αυκαβάντος Α. Victoriam de Othone celebrat typus. Alter nummus, itidem Græce inscriptus, eo notabilior est, quod non sit in Ægypto cusus, adeoque ejus generis, cujus conspectus Vaillantium, quo nemo plures vidit in hoc genere, fugit. Caput Vitellii laureatum exhibet, cum inscriptione, Αυλὸς ΟΥΙΤΕΛλιος ΚΑΙσαρ CEB.... Ab altera parte Diana Lucifera, sive Ceres cernitur, utraque manu facem tenens, ex litteris vero injuria temporum detritis, supersunt tres TEA., quæ Telmessum, Cariæ, Lyciæ vel Pisidiæ urbem designare possunt, nisi legamus TEA., ut sit media pars nominis proprii, vel alia urbs sub litteris illis lateat. Uterque nummus indubitatæ fidei est,







ictum crebris compunctionibus excarnificatus, atque inde unco tractus,[16] et in Tiberim **478** mersus, etiam communi caruit sepultura.[17] Multis autem et nefariis modis per complures dies a Vespasiani militibus, adversum senatum populumque Romanum indiscreta cæde sævitum est.

CAPUT IX.

Vespasiani Augusti et Titi imperium quomodo rebellantes Judæos compresserit, adhæc urbem Hierosolymam cum templo solo æquaverit. De cæteris eorum gestis.

Anno ab Urbe condita DCCCXXV, brevi illa quidem, sed turbida tyrannorum tempestate discussa, tranquilla sub Vespasiano duce serenitas rediit. Namque ut [1] paulo altius repetam, Judæi post passionem Christi destituti in totum gratia Dei, cum omnibus undique malis circumvenirentur, [2] quibusdam [3] in Carmelo monte seducti sortibus, quæ portenderent exortos a Judæa ducos rerum potituros fore, [4] prædictumque ad se trahentes, in rebellionem exarserunt. [5] Exstinctisque Romanis præsidiis, legatum quoque Syriæ suppetias ferentem, [6] rapta aquila et cæsis copiis, **479** fugaverunt. Ad hos Vespasianus a Nerone missus, Titum filium suum majorem inter legatos habuit. Nam multas et validas legiones secum in Syriam trajecit. Itaque cum Judæos, multis eorum oppidis captis, [7] in urbem Hierosolymorum, præcipue ob diem festum congregatos, obsidione clausisset, A cognita Neronis morte, hortatu plurimorum regum et ducum, maxime Josephi Judæorum ducis sententia, qui captus, cum in vincula [8] conjiceretur, constantissime dixerat (sicut Suetonius refert) continuo se ab eodem, [9] sed imperatore, solvendum, imperium adeptus est, relictoque in castris [10] ad procurationem obsidionis Hierosolymorum filio Tito, per Alexandriam profectus est Romam. Sed cognita interfectione Vitellii,[11] paulisper Alexandriæ substitit: Titus vero magna ac diuturna obsidione Judæos premens, machinis cunctisque bellicis molibus non sine multo suorum sanguine tandem muros civitatis irrupit. Sed ad expugnandam interiorem templi munitionem, quam [12] reclusa multitudo sacerdotum ac principum tuebatur, majore vi et mora opus fuit. B Quod tamen postquam in potestatem redactum opere atque antiquitate suspexit, diu deliberavit, utrum tamquam incitamentum hostium incenderet, an in testimonium victoriæ reservaret. Sed Ecclesia Dei jam per totum orbem uberrime germinante, hoc tamquam effetum ac vacuum, nullique usui bono commodum, arbitrio Dei auferendum fuit. **480** Itaque Titus imperator ab exercitu pronuntiatus, templum [13] in Hierosolymis incendit ac diruit : quod a die conditionis primæ usque ad diem eversionis [14] ultimæ, manserat annis mille centum et duobus. Muros urbis [15] universos solo [16] adæquavit.[17] Sexcenta millia Judæorum eo bello interfecta, Cornelius

HAVERCAMPI NOTÆ.

Æreos quoque primæ magnitudinis possideo, verum ab aliis jam vulgatos; at inter reliquos, secundæ magnitudinis duos servo, quorum prior eo typo nondum est editus. Celebrat is quoque victoriam de Othone, quam consensui exercituum acceptam fert imperator. Posterior jactat restitutam libertatem, quam bellua vorax, gulæ et ventri dedita, non homo, misere oppresserat.

16. *Et in Tiberim mersus.* Lugd. Batt. tert., cum Coll. Gronov., *et in Tiberim missus.*

17. *Multis autem*, etc. Vide Tacitum lib. IV Historiar. cap. 1 et 2, ubi fusius miseria tum Urbis describitur, et quomodo miles cædibus et rapinis victorem, Domitianus stupris et adulteriis filium principis egerit.

CAP. IX.—1. *Paulo altius.* Florent. sec. *paulo anterius.* Edd. quædam *latius.*

2. *Quibusdam.* Mss. et edd. nonnulli, *per quemdam.*

3. *In Carmelo monte.* Ita recte legitur in manuscriptis. Lege Suet. in Vespas. c. 4; sed de bello Judaico Josephi libri omnia abunde suppeditabunt. FABR. D

4. *Prædictumque.* Perizon., *portentumque.*

5. *Exstinctisque Romanis præsidiis.* Lugd. Bat. quart., *Cunctis exstinctisque*, etc. ed. August., *Cumque exstinctis Romanis*, etc.

6. *Rapta aquila.* Ex Suetonio hæc desumpta sunt, apud quem eadem inveniuntur in Vespas. cap. 4. Suetonii autem verba varie et mutare et explicare viri docti tentarunt. Præterire autem nequeo Christiani Wormii explicationem, quam inveni in lib. II ejusdem de corruptis Antiq. Hebr. apud Tacitum et Martialem Vestigiis. Verba ejus, pag. 4, hæc sunt : « Suppetit mihi, quo id demonstrem, insignis aliquis Suetonii locus, in illis Flavii Vespasiani capite 4, p. 462 : *Judæi ad se trahentes, rebellarunt, cæsoque præposito, legatum insuper Syriæ consularem, suppetias ferentem, rapta aquila, fugaverunt.* Alii quidem hic cæsum Syriæ legatum, utpote Gessium Florum, negant, cum tamen expresse Josephus in Vita sua p. 1009 scribat : Ὁ δ' ἐπελθὼν καὶ συμβαλὼν μάχῃ ἐνικήθη, πολλῶν τῶν μετ' αὐτοῦ πεσόντων, καὶ γίνεται τοῦ Γέσσιου πταῖσμα συμφορὰ τοῦ παντὸς ἡμῶν ἔθνους. *Ille vero reversus in prælio victus est, multis una cum illo cadentibus, et facta est Gessii cædes, omnis nostræ gentis pernicies.* Aquilam vero Romanam raptam esse, gratis dicere Suetonium plerique asserunt, licet, si res probe examinetur, summa ipsi fiat injuria, *rapta aquila suppetias tulisse Florum* asserit, i. e. illo postquam rapta esset aquila eum advenisse. At quomodo raptam vult aquilam Suetonius? An in prælio? minime; sed respicit ad ἀετὸν χρύσεον μέγαν, *aquilam auream magnam*, quam in signum Romani imperii super majorem templi partem suspendi curaverat Herodes. Hanc enim, non sine ingenti tumultu plebs Judaica dejecit, ut memorat Josephus libro Antiq. Judaic. XVII, et de Bell. Jud. I. »

7. *In Urbem.* Ed. Aug., *in urbe.*

8. *Conjiceretur.* Mss. quidam, *coerceretur.*

9. *Sed imperatore.* Quidam mss., *sed ab imperatore.*

10. *Ad procurationem.* Florent. sec. delet *ad* et scribit *procuratione*, superscribitur vero *procuratore.*

11. *Paulisper.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *paululum.*

12. *Reclusa.* Coll. Gronov., *reclusam*; ed. Aug., *inclusam.* Mss. reliqui omnes vulgatam tuentur.

13. *In Hierosolymis.* Priorem vocem delent ed. Aug. et Florent. sec.

14. *Ultimæ.* Florent. sec., *ultimam*, sicut aliquanto ante *prima.*

15. *Universos.* Abest a Lugd. Bat. sec.

16. *Adæquavit.* Lugd. Bat. quart., cod. Aug. et Florent. sec., *æquavit.*

17. *DC millia Judæorum.* Idem numerus est apud Eusebium. Tu præter Josephum lege Egesipp. lib. V. FABR.

et Suetonius referunt. [18] Josephus vero Judæus, qui ei tunc bello præfuit, et apud Vespasianum propter prædictum imperium veniam gratiamque meruerat, [19] scribit undecies centena millia gladio et fame perisse : reliquias vero Judæorum [20] diversis actas conditionibus toto orbe dispersas : quarum numerus ad [21] nonagipta millia hominum fuisse narratur. [22] Vespasianus et Titus imperatores, magnificum agentes de Judæis triumphum, Urbem ingressi sunt. Pulchrum et ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui
481 a conditione Urbis, [23] usque in id tempus acti erant, hoc [24] spectaculum fuit, patrem et filium uno triumphali curru vectos, gloriosissimam ab his qui patrem et filium offenderant, victoriam reportasse. Qui continuo omnibus bellis [25] ac tumultibus domi forisque compressis, pacem totius orbis pronuntiaverunt, et Janum geminum obseratis cohiberi claustris, [26] sexto demum ipsi post Urbem
482 conditam censuerunt. Jure enim idem honos ultioni passionis Domini impensus est, qui etiam nativitati fuerat attributus. Tunc deinde sine ullis bellorum tumultibus in immensum respublica Romana provehitur : [27] siquidem Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samos, Thracia, Cilicia, [28] Commagene, tum primum redactæ in provincias, Romanis judicibus, legibusque paruerunt. Nono autem imperii ejus anno tres civitates Cypri terræmotu corruerunt, et Romæ magna pestilentia fuit. Vespasianus autem in villa propria circa Sabinos nono anno principatus sui profluvio ventris mortuus est. [29] Anno ab Urbe condita octingentesimo vigesimo octavo, Titus segregatis a numero principum Othone et Vitellio, ab Augusto octavus, biennio post Vespasianum regnavit. Cujus tanta tranquillitas in imperio fuit, ut nullius omnino sanguinem in republica administranda fudisse referatur. Et tamen tunc Romæ orto repente incendio, plurimæ ædes publicæ concrematæ

HAVERCAMPI NOTÆ.

18. *Josephus vero*, De bello Judaico lib. VII, c. 17. FABR.

19. *Scribit.* Florent. sec., *scripsit.*

20. *Diversis.* Perizon., *variis.*

21. *Nonaginta.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *nongenta.*

22. *Vespasianus et Titus.* Victoriam hanc atque triumphum plures et diversi generis celebrant nummi, quo refero pulcherrimum, quem servo, inditum, primæ magnitudinis, in quo Victoria imperatori, ex adverso stanti, tropæum in manus tradit, qui typus cui rei inserviat docet apposita inscriptio VICTORIÆ AUGUSTI. Ad concordiam Titi et Domitiani fratrum, sub Tito cusum pulcherrimum refero alterum, qui penes me est, ejusdem magnitudinis, et ineditum, in quo Domitianus et Titus stantes ex adverso togati dextras jungunt, dea Pietate intermedia, ascribitur præclaro huic nummo PIETAS AUGUSTI.





23. *Usque in id tempus.* Ed. Aug. et mss. aliquot, malunt, *usque ad id tempus.*

24. *Spectaculum fuit.* Abest vox ultima ab ed. August.

25. *Ac tumultibus.* Non invenitur in cod. Perizon.

26. *Sexto demum.* Proprie septimo, sed Neronem non computat, quia sine causa clausit, ut ait Casaubonus, quem vide ad Sueton. in Augusto cap. 22.

27. *Siquidem Achaia*, etc. Eadem Eutropius lib. VII, Sueton. in Vespas. cap. 8. FABR.

28. *Commagene.* Confer Spanhemium Orb. Rom. p. 260.

29. *Anno ab u. c.* Titi vitam scribunt copiose Xiphil. et Suetonius, breviter Eutropius et Sex. Aurelius. FABR.

sunt. Abruptum tunc etiam [30] Vesuvii montis verticem magna profudisse incendia [31] ferunt, torrentibusque flammarum [32] vicina regionis cum urbibus hominibusque delesse. Titus cum ingenti omnium luctu in eadem villa, qua pater ejus, morbo absumptus est.

483 CAPUT X.

De Flavii Domitiani Cæsaris imperio, rebus gestis et facinoribus.

Anno ab Urbe condita DCCCXXX, [1] Domitianus Titi frater, ab Augusto nonus, fratri successit in regnum. Qui per annos quindecim [2] ad hoc paulatim per omnes scelerum gradus crevit, ut confirmatissimam toto orbe Christi Ecclesiam, datis ubique crudelissimæ persecutionis edictis, convellere auderet. Is in tantam superbiam prolapsus fuit, ut dominum sese ac deum vocari, scribi, colique jusserit. Nobilissimos e senatu, invidiæ simul ac prædæ causa, alios palam interfecit, alios in exsilium trusit, ibique trucidari imperavit. Libidinis intemperantia quidquid [3] cogitari potest, fecit. [4] Plurimas urbis ædes, destructis populi Romani rebus, exstruxit. Bellum adversum Germanos et Dacos per legatos gessit pari reipublicæ pernicie; cum et in Urbe ipse senatum populumque laniaret, et foris male circumactum exercitum assidua hostes cæde conficerent. Nam quanta fuerint [5] Diurpanei, Dacorum regis, cum Fusco duce prælia, quantæque Romanorum clades, longo textu evolverem, nisi Cornelius Tacitus, qui hanc historiam diligentissime contexuit, de reticendo interfectorum numero, et Sallustium Crispum, et alios auctores quamplurimos sanxisse et seipsum idem potissimum elegisse dixisset. Domitianus tamen pravissima elatus jactantia, sub nomine superatorum hostium de exstinctis legionibus **484** triumphavit; idemque efferatus superbia, qua se deum coli vellet, persecutionem in Christianos agi, [6] secundus a Nerone, imperavit. Quo tempore etiam [7] beatissimus Joannes apostolus in Pathmum insulam relegatus fuit. Inter Judæos quoque acerbitate tormentorum et cruentissimæ quæstionis exquiri genus David atque interfici præceptum est, dum prophetis sanctis et invidetur, et creditur, quasi adhuc futurus esset ex semine David, qui regnum posset adipisci. Continuo tamen Domitianus [8] crudeliter in palatio a suis interfectus est : cujus cadaver populari sandapila per vespillones exportatum, atque ignominiosissime sepultum est.

CAPUT XI.

Coccei Nervæ Cæsaris imperium.

Anno ab Urbe condita DCCCXLVI, [1] quamvis Eutropius quinquagesimum hunc esse annum scripserit, [2] Nerva admodum senex a Petronio, præfecto prætorio, et Parthenio spadone, [3] interfectore Domitiani, imperator decimus ab Augusto creatus, [4] Trajanum in regnum adoptavit, per quem revera **485** [5] afflictæ reipublicæ divina provisione consu-

HAVERCAMPI NOTÆ.

30. *Vesuvii*. Incendium Vesuvii montis lege apud Xiphilinum in Tito, meminit Suetonius in Tito cap. 8, et Plin. in Epist. FABR.

31. *Ferunt*. Ed. August., *fertur*.

32. *Vicina regionis*. Coll. Gronov. *vicinas regiones*.

CAP. X. — 1. *Domitianus*. De Domitiano Xiphilinus, Suetonius, Eutrop., et Aurelius Victor. FABR.

2. *Ad hoc*. In uno ex Lugd. Batt. deletur, in alio legitur *modestus ad hoc*. Aliquanto post, pro *trusit*, ed. Aug. *miserabiliter trusit*.

3. *Cogitari potest*. Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gron. *excogitari*.

4. *Plurimas urbis ædes*. Florentt. duo, *plurima urbis, sed destructis*, etc.

5. *Diurpanei*. In Gualth. libro est *Diurpanis*, Xiphilinus Dacorum regem *Decebalum* nominat. Eum lege, quando Tacitus, cujus Orosius meminit, ad nos non pervenit. FABR.

6. *Secundus a Nerone*. Confer Tertulliani Apolog. et Notas ad eumdem p. 60.

7. *Beatissimus Joannes*. Sophronius scribit, Joannem apostolum in exsilium relegatum anno 13 imperii Domitiani. Idem est in Eusebii Chron. FABR.

8. *Crudeliter*. Cod. Periz., *justissime*.

CAP. XI.—1. *Quamvis Eutropius*. Eutropius initio libri VIII. FABR.

2. *Nerva*. De Nerva lege Xiphilinum, Eutropium et Aurelium. FABR.

3. *Interfectore Domitiani*. Florent. sec., *interfecto Domitiano*.

4. *Trajanum*, etc. Exstant nummi hujus adoptionis testes jam ab antiquariis vulgati. Quare malo inedituin et Græcum (qui inter rariores hujus imperatoris est) hic proferre. Circa caput Nervæ laureatum legitur ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΝΕΡΟΥΑ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣτος: *Imperator Nerva Cæsar Augustus*. Ab altera parte templum cernitur hexastylum cum inscriptione ΚΥΖικήνων ΕΠΙ Τίτου ΠΟΜΠΩΝΙΟΥ ΑΝθυπάτου, *B. Cyzicenorum, sub Tito Pomponio proconsule anno secundo*. Nummus hic, cum alias, tum propter proconsulis titulum nomenque ejusdem appositum, notabilis est. Exstat in museo Hermanni Horstii.

5. *Afflictæ reipublicæ*. Amplius hoc, quod a manu Orosii alienum non videtur, addit præstantissima edit. Augustana, *ad felicitatem afflictæ reipublicæ*, et reliqua legit, *divina provisione consuluit*. Recte autem scribit afflictæ reipublicæ consultum divina provisione per Trajanum principem fuisse. Nervæ enim, ut senis imperatoris, brevi imperio recreata quidem fuit respublica, sed sub Trajano, ejusque longo satis imperio, lacertos movit, barbaros non modo repulit, sed et universum fere Orientem domuit, unde sibi visa fuit Roma ad æternitatem, quo adulationis utebantur titulo, ut ex insigni hoc medallione, qui inter Numismata Pisana exstat, patet, aspirare.

luit. [6] Hic primo edicto suo cunctos exsules revocavit : unde et Joannes apostolus hac generali indulgentia liberatus, Ephesum rediit : emensoque anno imperii sui Nerva, confectus morbo, diem obiit.

486 CAPUT XII.

Ulpii Trajani Cæsaris Augusti imperium et res gestæ.

Anno ab Urbe condita DCCCXLVII, Trajanus, genere Hispanus, undecimus ab Augusto, reipublicæ gubernacula Nerva tradente suscepit, ac [1] per annos decem et novem tenuit. Apud Agrippinam, Galliæ urbem, A insignia sumpsit imperii : mox Germaniam trans Rhenum in pristinum statum reduxit : [2] trans Danubium multas gentes subegit. Regiones autem trans Euphratem et Tigrim sitas provincias fecit. Seleuciam et Ctesiphonten et Babylonem occupavit. In persequendis sane Christianis errore deceptus, tertius a Nerone, cum passim repertos cogi ad sacrificandum idolis, **487** ac detrectantes interfici præcepisset, plurimique interficerentur, [3] Plinii Secundi, qui inter cæteros judices persecutor datus fuerat, relatu admonitus, eos homines præter confessionem Chri-

HAVERCAMPI NOTÆ.

6. *Hic primo edicto suo*, etc. Confer quæ notavimus ad Tertulliani Apologeticum pag. 61.

CAP. XII. — 1. *Per annos* 19. His Xiphilinus ex Dione addit menses 6 (Cassiodorus 4 habet), dies 15 FABR.

2. *Trans Danubium multas gentes subegit.* Ingens omnis generis nummorum est numerus, qui victorias et tropæa Trajani celebrant. Unum tantum ex Num. Pisanis quo adventus in Urbem et reditus ex bello Dacico celebratur appingam, alterum Græcum et ineditum. A nummi Græci parte priore cernitur bustum Trajani, capite laureato; pectus atque humeri lorica et ægide armantur, exsculpto in thorace equestris expeditionis typo, cum inscriptione in ambitu nummi ΑΥτοκράτωρ καίσαρ ΤΡΑΙΑΝος ΣΕΒΑστος ΓΕΡΜάνικος ΔΑΚΙκος. *Imperator Cæsar Trajanus Augustus Germanicus, Dacicus.* Ab altera parte insignis est victoriæ in Oriente typus. Cernitur enim Oriens, ex pallio, sceptro et corona radiata facile cognitus, B citis insistens quadrigis, dextra, ut pingi solet, elevata; advolante supra equorum capita Victoria cum tropæo. Apponitur infra annus imperii ΑυκαβάντοΣ ΙΞ decimus sextus.

3. *Plinii Secundi.* Epistola Plinii ad Trajanum de Christianis exstat lib. X. FABR.

stil honestaque conventicula nihil contrarium Romanis legibus facere, fiducia sane innocentis confessionis nemini mortem gravem ac formidolosam videri, rescriptis illico lenioribus [4] temperavit edictum. Verumtamen continuo Romæ aurea domus a Nerone, [5] totis privatis publicisque rebus impensis, condita, repentino conflagravit incendio, ut intelligeretur missa etiam ab alio persecutio in ipsius potissime monumentis, a quo primum exorta esset, atque in ipso [6] auctore puniri. [7] Terræmotu quatuor urbes Asiæ subversæ, [8] Helea, Myrina, Pitane, Syme, et Græciæ civitates duæ, Opuntiorum et Oritorum. Tres Galatiæ civitates eodem terræmotu dirutæ. Pantheon Romæ fulmine concrematum. Terræmotus [9] Antiochiam pene totam subruit civitatem. Incredibili deinde motu sub uno tempore Judæi, quasi rabie efferati, per diversas terrarum partes exarserunt. Nam et per totam Libyam adversus incolas atrocissima bella gesserunt : quæ adeo tunc interfectis cultoribus desolata **488** est, ut nisi postea Hadrianus imperator collectas aliunde colonias illuc deduxisset, vacua penitus terra, abraso habitatore, mansisset. Ægyptum vero totam et Cyrenem et Thebaida cruentis seditionibus turbaverunt. In Alexandria autem commisso prælio victi et attriti sunt. In Mesopotamia quoque rebellantibus jussu imperatoris bellum illatum est. Itaque multa millia eorum vasta cæde deleta sunt. [10] Sane Salaminam, urbem Cypri, interfectis omnibus accolis deleverunt. Trajanus, ut quidam ferunt, [11] apud Seleuciam Isauriæ urbem profluvio ventris exstinctus est.

CAPUT XIII.

Ælius Hadrianus Cæsar, ejusque imperium.

Anno ab Urbe condita DCCCLXVII, [1] Hadrianus, [2] consobrini Trajani filius, duodecimus ab Augusto principatum adeptus, uno et viginti annis imperavit. [3] Hic per Quadratum discipulum apostolorum, et Aristidem Atheniensem, virum fide sapientiaque plenum, et per Serenum Granium legatum, libris de Christiana religione compositis, instructus atque eruditus, præcepit [4] per epistolam, ad Minucium Fundanum proconsulem Asiæ datam, **489** ut nemini liceret Christianos sine objectu criminis aut probatione damnare. [5] Idem quoque continuo [6] pater patriæ in senatu ultra morem majorum

HAVERCAMPI NOTÆ.

4. *Temperavit edictum.* Vide Notas ad Tertulliani Apologeticum, pag. 59.

5. *Totis privatis.* Edd. vett. quædam, *tot privatis*, etc.

6. *Auctore.* Abest ab ed. August.

7. *Terræmotu.* De hoc terræmotu Eusebius in Chron. De Antiochiæ terræmotu Xiphilinus in Trajano. FABR.

8. *Helea.* Mesopotamiæ oppidum, non longe a Carrhis, Ammiano Marcellino *Hileia*, Ptolemæo *Eleia* aut *Iliia* vocatur.

9. *Antiochiam.* Coll. Gronov., *Antiochiæ.* Sed ed. August., ms. Florent. sec. et Perizon., cum Ultr., *in Antiochia*, quo videtur quoque inclinare Florent. sec. scribens *in Anthioniciam.*

10. *Sane Salaminam.* Abest a quibusdam mss. vox *sane*, et forte ulceris aliquod in ea latet.

11. *Apud Seleuciam.* Sic Eutropius, Eusebius et Cassiodorus. At Xiphilin. ita, καὶ ἐς Σελινοῦντα Κιλικίας ἐλθών, ἣν δὴ καὶ Τραϊανόπολιν καλοῦμεν, ἐξαίφνης ἀπέψυξε. FABR.

CAP. XIII.—1. *Hadrianus.* Hadriani vita ex Dione a Xiphilino et a Spartiano descripta exstat.

2. *Consobrini Trajani filius.* Ita edidi ex mss. Lugd. Batt. et Coll. Gronov. Mirum editores *consobrinæ* reliquisse, ne inspecto quidem Spartiano, cujus verba sunt in Adr. cap. 1 : *Adriano pater Ælius Adrianus, cognomento Afer, fuit consobrinus Trajani imperatoris.*

3. *Hic per Quadratum.* Add. Notas ad Tertull. Apolog. pag. 65.

4. *Per epistolam, ad Minucium.* Hujus epistolæ exemplum legitur in Ecclesiast. Histor. Eusebius lib. IV, capite nono. FABR.

5. *Idem quoque.* Florent. sec. et edd. quædam *idemque.*

6. *Pater patriæ.* Qui titulus in omnibus fere nummis ejusdem ascribitur, et quidem ab utraque parte in hoc medallione, qui inter numismata Pisana invenitur.

Quamvis autem senatus statim patris patriæ nomen novo imperatori detulerit, recusantis tamen specie assumpsisse innuit Spartian. in Vita ejus cap. 6 : *Patris patriæ nomen sibi delatum statim et iterum postea distulit : quod hoc nomen Augustus sero meruisset.*

appellatur, [7] et uxor ejus Augusta. Hadrianus rem-publicam justissimis legibus ordinavit, bellum contra Sauromatas gessit **490** et vicit. [8] Judæos sane, perturbatione scelerum suorum exagitatos, et Palæstinam, provinciam quondam suam, depopulantes, ultima cæde perdomuit : ultusque est Christianos ; quos illi, Cotheba duce, quod sibi adversus Romanos non assentarentur, excruciabant; præcepitque, ne cui Judæo introeundi Hierosolymam esset licentia, Christianis tantum civitate permissa : quam ipse in optimum statum, murorum exstructione reparavit, et Æliam vocari de prænomine suo præcepit.

CAPUT XIV.

Antonini Pii Cæsaris imperium.

Anno ab Urbe condita DCCCLXXXVIII, [1] Antoninus,

HAVERCAMPI NOTÆ.

7. *Et uxor ejus Augusta.* Merito, ejus enim favore ejusdemque per Plotinam factione ad imperium pervenit. Confer Spartian. cap. 2 et 4. Sabinæ Augustæ insignis medallio invenitur inter nummos Cæsareos, in quo capite spicis coronato Cereri, et leone vecta deorum matri assimilatur.



8. *Judæos sane, perturbatione.* De hoc bello Xiphilinus, qui scribit Hadrianum, colonia Hierosolymam deducta, urbem *Æliam Capitolinam* appellasse. FABR.

CAP. XIV. — 1. *Antoninus.* Antonini Pii vita ad Diocletianum scripta a Capitolino exstat. FABR. — Pulcherrimum hujus Antonini vidi Medallionem Græcum, in quo a parte capitis hæc est inscriptio : ΑΥτοκράτωρ ΚΑΙσαρ Τίτος ΑΙλιος ΑΔΡΙάνος ΑΝΤΟΝΕΙΝΟC, *Imperator Cæsar Titus Ælius Adrianus.* Ab altera parte imperator stans in curru bijugo Faustinam uxorem, ut novam nuptam, flammeo velatam, manu dextra tenet, læva hastam. Quo veluti Bacchi et Ariadnes typo, imperatori adulantur Smyrnæi, ut patet ex inscriptione, quæ hæc est..... ΟCCΛΙΑΝΟC puto esse legendum ΑΙΛΙΟC ΑΙΛΙΑΝΟC CΤΡΑτηγος ΑΝΕΘΗΚε CΜΥΡΝΑΙΟC ΝΕΩκόροις. *Ælius Ælianus strategus posuit Smyrnæis neocoris.*

cognomento Pius, tertiusdecimus ab Augusto imperator creatus, **491** [2] cum liberis suis, Aurelio et Lucio, viginti et non plenis tribus annis rempublicam gubernavit, adeo tranquille et sancte, ut merito Pius, et pater patriæ nominatus sit. Ilujus tamen temporibus [3] Valentinus hæresiarches, et Cerdo, magister Marcionis, Romam venerunt. Verum Justinus philosophus [4] librum, pro Christiana religione compositum, Antonino tradidit, benignumque eum [5] erga Christianos fecit. Antoninus, ad duodecimum ab Urbe lapidem morbo correptus, interiit.

492 CAPUT XV.

M. Antoninus Verus quid in imperio suo gesserit.

Anno ab Urbe condita DCCCCXI, [1] Marcus Antoninus Verus, quartus decimus ab Augusto, regnum [2] cum Aurelio Commodo fratre susccpit, mansitque in eo annis decem et novem. [3] Ili primi rempublicam æquo jure tutati sunt, bellum deinde contra Parthos admirabili virtute et felicitate gesserunt. [4] Lucius Antoninus Verus ad id bellum profectus est. Vologæsus enim, rex Parthorum, gravi eruptione Armeniam, Cappadociam, Lyciamque vastabat. Sed Antoninus, per strenuissimos duces magnis rebus gestis, Seleuciam, Assyriæ urbem super Hydaspen fluvium sitam, cum quadringentis millibus hominum cepit, et cum fratre de victoria Parthica triumphavit: ac non multo post, dum cum fratre in vehiculo sedet, casu morbi, quem apoplexiam Græci vocant, suffocatus interiit. Eo defuncto, Marcus Antoninus solus reipublicæ præfuit, sed in diebus Parthici belli persecutiones Christianorum, quarta jam post Neronem vice, in Asia et in Gallia graves præcepto ejus exstiterunt, multique sanctorum martyrio coronati sunt. [5] Secuta est lues plurimis **493** infusa provinciis: totamque Italiam pestilentia tanta vastavit, ut passim villæ, agri atque op-

HAVERCAMPI NOTÆ.

2. *Cum liberis suis, Aurelio et Lucio.* Marcus Aurelius gener fuit Antonini Pii, ut et Lucius Verus; sed Aurelius, jussu Adriani a Pio fuit adoptatus, verum ea lege ut is sibi vicissim Lucium adoptaret. Vide Julium Capitolinum in Vita Marci Antonini cap. 5. Utriusque effigiem ex numismate musei Cæsarei, ante hanc notam poni curavimus.

3. *Valentinus hæresiarches.* Lege Eusebii Hist. lib. IV, c. 16, et deinceps. Justini liber, inter opera ipsius a Roberto Stephano impressus, exstat. FABR.

4. *Librum, pro Christiana religione compositum.* Perizon. et tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. legunt *de Christiana religione.* Primus deinde ex Lugd. Batt. *composuit et Antonino tradidit.*

5. *Erga Christianos.* Addunt Vulgg. *homines*, sed, ut inutile, abjiciunt Perizon. et ed. August. Forte legendum, *erga Christianos omnes fecit.*

CAP. XV.— 1. *M. Antoninus.* Ilujus quoque Antonini vitam Capitolin. descripsit. De eodem Xiphilinus e Dione. FABR.

2. *Cum Aurelio Commodo fratre suscepit.* Marcus Aurelius, puer adhuc, *principio avi sui* (Veri) nomen habuit, *et Catilii Severi, materni proavi. Post excessum vero patris, ab Adriano Annius Verissimus vocatus est: post virilem autem togam, Annius Verus.* Capitolinus in Vita Marci cap. 1. Collegæ ejus in imperio, affinis et filii adoptivi, integrum nomen fuit *L. Ceionius Ælius Commodus Verus Antoninus, qui ex Adriani voluntate Ælius appellatus est: ex Antonini conjunctione, Verus et Antoninus.* Capitol. in Vita Veri cap. 1.

3. *Hi primi rempublicam*, etc. Unde crebro eorumdem facies, ut in hisce nummis maximi moduli ex museo Regio, huic pagellæ pag. sequ. oppositis, conjungi solent.

4. *Lucius Antoninus Verus.* In multis mss. legitur *Annius Antoninus Verus*, quod mendum natum videtur ex mutatione litteræ L, qua Lucius significatur, in litteram A, vel repetitione litterarum quarumdam ex *Antoninus* quod sequitur.

5. *Secuta est lues.* De hac peste Lampridius et Eusebius in Chronico. FABR.



pida sine cultore atque habitatore deserta, [6] in ruinas silvasque concesserint. Exercitum vero Romanorum cunctasque legiones per longinqua late hiberna dispositas ita consumptas ferunt, ut Marcomannicum bellum, quod continuo exortum est, non nisi novo delectu militum, quem triennio jugiter **494** apud [7] Carnuntum Marcus Antoninus habuit, gestum [8] fuisse referatur. Hoc quidem bellum, providentia Dei administratum esse, cum plurimis argumentis, tum præcipue epistola gravissimi ac modestissimi [9] imperatoris apertissime declaratum est. Nam cum insurrexissent gentes [10] immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles, hoc est Marcomanni, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atque omnis pene Germania; et in Quadorum usque fines progressus exercitus, circumventusque ab hostibus, propter aquarum penuriam, [11] præsentius sitis quam hostis periculum sustineret: ad invocationem nominis Christi, quam subito magna fidei constantia [12] quidam milites effusi in preces palam [13] fecerunt, [14] tanta vis pluviæ effusa est, ut Romanos quidem largissime ac sine injuria refecerit, Barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos, præsertim cum plurimi eorum occiderentur, in fugam coegerit. Quorum terga Romani usque ad internecionem cædentes [15] gloriosissimam victoriam, et omnibus pene antiquorum titulis præferendam, rudi parvoque militum numero, sed potentissimo Christi auxilio, reportarunt. Exstare etiam **495** nunc apud plerosque dicuntur litteræ Imperatoris Antonini, ubi invocatione nominis Christi per milites Christianos, et sitim illam depulsam et collatam fatetur fuisse victoriam. Idemque Antoninus Commodum, filium suum, assumpsit in regnum; præteriti etiam temporis per omnes provin-

HAVERCAMPI NOTÆ.



6. *In ruinas silvasque.* Tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. et cod. Ultr., *in spinas silvasque.* Non male. Aliquanto post, pro *exortum est*, quidam mss., *secutum est.*

7. *Apud Carnuntum.* Ita nomen urbis hujus in Pannonia scribi debet. *Carnutum, Carnicium, Carnotum, Carnuntium* male in mss. et edd. legitur. Eutropius lib. VIII, cap. 13, pag. 365: *Cum apud Carnuntum jugi triennio perseverasset.* Spartian. in Severo cap. 5: *Imperator est appellatus apud Carnuntum idibus Augustis.* Unde in inscript. antiqua apud Gruterum p. 1032, num. 2, NATVS CARNVNTO.

8. *Fuisse.* Alii *esse.* Quod sequitur, *argumentis*, in codd. Lugd. Batt. depravatum legitur in *adjumentis.*

9. *Imperatoris.* Perizon., *imperatorum.*

10. *Immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles.* Verba desumpta ex Ciceronis Oratione pro Marcello cap. 3.

11. *Præsentius sitis*, etc. Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov. et cod. Ultr., *tum præsentis*, etc.; sed recte *præsentius periculum* vocatur sitis quam quod ab hoste imminebat.

12. *Quidam milites. Militeni* hi milites erant, de quibus contra Dionem Xiphilinus in Antonino Philosopho. Lege præterea Eusebium Historiæ Ecclesiast. lib. v, cap. 5. FABR.

13. *Fecerunt.* Mss., edd. quidam *fecerant.*

14. *Tanta vis pluviæ effusa est*, etc. Confer Apologeticum Tertulliani cap. 5, ubi pag. 63 promisimus singularem de hac re et Jove Pluvio dissertationem. Fecimus quidem id ante viginti annos, sed, mutata statione, aliæ nos alio (ut fit) curæ avocarunt; tamen,

Bene cogitata si excidunt, non occidunt.

Publii Syri sententia est versu 66, pag. 4, ed. nostræ.

15. *Gloriosissimam victoriam.* Victoriæ hujus memoriam conservat typo, pondere atque præstantia insignis Medallio, qui olim in museo Marckiano, nunc Kronenburgiano, Hagæcomitis asservatur. Delineationem ejus, cum cura factam, sisto.

cias tributa donavit, omniaque simul fiscalium negotiorum calumniosa monumenta congesta in foro jussit incendi, severioresque leges novis constitutionibus temperavit. Postremo, in Pannonia constitutus, repentino morbo diem obiit.

CAPUT XVI.

L. Antonini Commodi, P. Ælii Pertinacis, et Didii Juliani Cæsarum Augustorum imperia.

Anno ab Urbe condita DCCCCXXX, [1] Lucius Antoninus Commodus, quintus decimus ab Augusto, patri successit [2] in regnum : **496** mansitque in eo annis tredecim. [3] Adversus Germanos bellum feliciter gessit. Cæterum per omnia luxuriæ et obscenitatis dedecora depravatus, gladiatoriis quoque armis sæpissime in ludo depugnavit, et in amphitheatro feris sese frequenter objecit : interfecit etiam quamplurimos senatores, maxime quos animadvertit nobilitate industriaque excellere. Flagitia regis pœna Urbis insequitur. Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio bibliothecam illam, majorum cura studioque compositam, ædesque alias juxta sitas, rapaci turbine concremavit. Deinde aliud incendium, postea Romæ exortum, ædem Vestæ et palatium, plurimamque Urbis partem solo coæquavit. Commodus, cunctis incommodus, in domo Vestiliani strangulatus interiisse fertur, hostis generis humani etiam vivus judicatus. **497** Post hunc a senatu creatus est senex [4] Helvius Pertinax, sextusdecimus ab Augusto, qui sexto mense quam regnare cœperat, [5] Juliani juris-

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. XVI. — 1. *L. A. Commodus.* Commodi vitam descripserunt Lampridius, Xiphilinus, et Herodianus lib. 1. FABR.

2. *In regnum.* Lugd. Bat. duo, *in regno.*

3. *Adversus Germanos.* Mortuo patre, bellum Germanicum statim deseruit. Postea tamen per legatos plurima bella feliciter gessit. Lampridius in Vita Commodi cap. 13 : *Victi sunt sub eo tamen, cum ille sic viveret, per legatos, Mauri, victi Daci, Pannoniæ quoque compositæ : in Britannia, in Germania et in Dacia imperium ejus recusantibus provincialibus. Quæ omnia ista per duces sedata sunt.* Hinc cognomen Britannici in eo, qui sequitur, maximi moduli nummo. Fuit olim in Museo Marckiano, nunc invenitur in Kronenburgiano.

4. *Ælius Pertinax.* Pertinacis vitam Capitolinus descripsit. De eodem Herodianus libro secundo. Xiphilinus et Eutropius. FABR. — Miror quod nomen *Ælius* potuerint concoquere editores, cum omnes scriptores, et luculenti ejusmodi rerum testes, inscriptiones atque nummi, Helvium, non Ælium, nuncupent. In mss. Lugd. Batt. pr. et quarto atque Coll. Gronov. non *Ælius*, sed *Elvius* legitur; at in Lugd. Bat. secundo, Ultr. et cod. sed. et edit. Aug. clare *Helvius agnoscitur.* Servo majoris moduli æreum nummum hujus imperatoris, Græce inscriptum et longe rarissimum, pudendo sane pretio coemptum, quem testem nominis advoco. In eo, juxta caput Pertinacis laureatum scribitur : ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣαρ Πούβλιος ΠΕΛΥιος ΠΕΡΤΙΝΑΞ ΣΕΒαστος. *Imperator Cæsar Publius Helvius Pertinax Augustus.* Ab altera parte cernitur imperator stans in quadrigis, dextra tenens corollam, læva hastam et habenas, cum nota anni primi imperii ejusdem Λυκάβαντος A.

5. *Juliani.* De hoc *Juliano* Spartianus, Xiphilinus, Herodianus, et alii. FABR. — Proavus fuerat jurisperitus. Uxorem habuit Manliam Scantillam, quæ maritum, potentiæ cupidine incitavit, ut imperium a militibus pecunia, qua abundabat, licitaretur. Utriusque nummos æreos miræ artis, secundi ut vocant moduli, subjeci. Illum Didii Juliani ipse servo, alterum in museo Marckiano quondam vidi. At propius examinanti, anterior pars ex Julia Severi in Scantillam Juliani corrupta visa fuit.



periti scelere, in palatio occisus est. Julianus, interfecto Pertinace, **498** invasit imperium: sed mox a Severo apud [6] pontem Mulvium bello civili victus, et interfectus est, mense septimo postquam cœperat imperare. Ita inter Pertinacem et Julianum unus annus absumptus est.

CAPUT XVII.

De imperio Septimii Severi Pertinacis Cæsaris Augusti, quomodo Christianos afflixerit.

Anno ab Urbe condita [1] DCCCCXLIV, [2] Severus, genere Afer Tripolitanus, ab oppido Lepti: qui se ex nomine imperatoris, quem occisum ultus fuerat, [3] Pertinacem appellari voluit, septimus decimus ab Augusto, destitutum adeptus imperium, **499** [4] decem et octo annis tenuit. Hic natura sævus, [5] multis semper bellis lacessitus, fortissime quidem rempublicam, sed laboriosissime rexit. [6] Pescennium Nigrum, qui in Ægypto et Syria ad tyrannidem aspiraverat, **500** apud Cyzicum vicit et interfecit. Judæos et Samaritas rebellare **501** conantes ferro

HAVERCAMPI NOTÆ.

6. *Pontem Mulvium.* Sic libri manuscripti hoc nomen infra quoque edunt cap. 28, nec aliter in vetustis Sallustii libris scriptum invenio. FABR.

CAP. XVII. — 1. *Quadragesimo quarto.* Ex mss. Lugd. Bat. alii XLIII, alii XLVI.

2. *Severus, genere Afer.* Severi vitam Spartianus scripsit. De eodem Xiphilinus et Herodianus lib. II et III. FABR.

3. *Pertinacem appellari voluit.* Innumeri ex argento et ære nummi cognomine hoc inscripti occurrunt. Duos tamen præ cæteris memorabiles, quod antiquariis hactenus visi non sint, nec ab iis editi, in lucem producere lubet. Alter ex iis Latinis, alter Græcis litteris inscriptus est. Prior hanc circa Severi laureatum caput habet epigraphen, IMP*erator* CAE*Sar Lucius* SEPTIMIUS SEVERVS PER*tinax* AV*Gustus*. Ab altera parte stans cernitur deus Lunus, ornatu singulari, dextra hastam tenens, læva columnæ innixus, victoriam globo insistentem tenet, victorias toto Orbe terrarum partas imperatori gratulans, adest a tergo gallus gallinaceus, lævum vero pedem bovino capiti imprimit. Colebatur deus Lunus cum alibi in Oriente, tum Antiochiæ, Pisidiæ urbe, in qua, utpote per Augustum facta colonia Romana (quare Latinam epigraphen habet), cusum numisma, in circuitu sculpta docet inscriptio, COL*onia* CAE*Sarea* ANTIOCHEN*sis*.

Numisma Græcum cum alias, tum mole et pondere C suspiciendum, caput Severi laureatum exhibet, cum paludamento ad humeros, et incusa Dianæ Ephesiæ ante mentum nota. In circuitu legitur ΑΥΤοκράτωρ Καισαρ Λούκιος CEΠτιμιος CEOYHPOC ΠΕΡτιναξ. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Ab altera parte prudentia et fortitudo imperatoris, typo Herculis et Minervæ, quæ (ut videtur) dextras, ara intermedia, jungunt, commendatur. Nummum cuderunt Acrasiotæ in Lydia, ut docet inscriptio, quæ hæc est, ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ ΕΠΙ CTPΑτηγου CTPATONEIKIANOΥ Γ. *Acrasiotarum sub Stratego Stratoniciano tertium.* Præclarum hoc numisma, quod inter primos maximi moduli est, servatur in museo *Horstiano*.



4. *Decem et octo annis.* Lugd. Bat. tres, Florentt. D duo, cod. Perizon., Ultr., Coll. Gronov. et ed. Aug. 17 annos numerant.

5. *Semper.* Lugd. Bat. tres, Ultr. et Coll. Gronov., *sæpe*.

6. *Pescennium Nigrum.* De Pescennio Nigro iidem, quos modo nominavi. FABR. — Quam ægre hujus imperatoris inveniantur numismata sciunt harum deliciarum studiosi, qui plerique omnes iisdem carere coguntur. Possideo argenteum integerrimum, sed cujus typus ab aliis est editus. Præ cæteris vero æreus maximi moduli Græce inscriptus, asservatur in Gaza Parmensi, cujus in museo Farnesiano tab. XVIII, num. 1, hic datur typus.

[7] coercuit. Parthos, Arabas Adiabenosque superavit. Quinta, post Neronem, persecutione Christianos excruciavit, plurimique sanctorum per diversas provincias martyrio coronati sunt. Hanc profanam in Christianos et Ecclesiam Dei præsumptionem Severi, A cœlestis ultio e vestigio [8] acta subsequitur. Nam continuo rapitur, vel potius retrahitur in Galliam Severus e Syria, ad tertium civile bellum, unum enim jam Romæ adversus Julianum, aliud in Syria contra Pescennium gesserat, tertium [9] Clodius Albi-

HAVERCAMPI NOTÆ.



Quod numisma eo libentius adduxi, ut, quibus in hisce terris longinquitas regionis invidet conspectum ejusdem, conferant haud dissimilem, qui olim in museo Marckiano exstitit; unde, ut plerosque humanissimi viri nummos rariores, depingendum accepi; nunc autem inspici potest Hagæ Comitis apud Godardum Cronenburgium, cujus Museum plurimis et rarissimis superbit nummis. In utroque numismate caput Pescennii Nigri barbatum et laureatum cerni- B tur, cum paludamento ad humeros, et hac inscriptione ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣαρ Καίος ΠΕΣΚΕΝΝΙΟΣ ΝΙΓΕΡΟΣ (in Cronenburg. ΝΙΓΕΡΩΣ) ΣΕΒαστος. *Imperator Cæsar Caius Pescennius Niger Augustus.* Ab altera parte Ceres stans, dextra demissa spicas, læva tædam ardentem tenet, ante pedes serpens est. Ascribitur ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *Antiochensium Neocororum.* Nummi materia, seu ipsum æs, ad ferream accedit substantiam.



Et hoc quidem numisma, sicuti pleraque, quæ edidi, C et edenda etiamnum magno numero servo, summa arte et perfecta ad archetypos similitudine, in gratiam meam depinxit solertissimus harum rerum artifex et peritissimus pictor Franciscus a Mieris, celebratissimi Francisci nepos.

7. *Coercuit.* Edd. vett. quædam, *compescuit.*

8. *Acta.* Lugd. Bat. pr., *apta.* Forte legendum *aperta.*

9. *C. Albinus.* Numisma ejus maximi moduli, quod olim Romæ servabatur, nunc vero cum aliis ejus generis ad Cæsaream gazam transiit, tale celebratur.

nus, **502** Juliani [10] in occidendo Pertinace socius, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, suscitabat: cujus bello multum utrimque Romani sanguinis fusum est. Albinus tamen apud Lugdunum oppressus et interfectus est. Severus [11] victor in Britannias, defectu pene omnium sociorum trahitur. Ubi magnis gravibusque prœliis sæpe gestis, receptam partem insulæ a cæteris indomitis gentibus vallo distinguendam putavit. Itaque [12] magnam fossam firmissimumque vallum, crebris insuper turribus communitum, [13] per centum triginta et duo millia passuum a mari ad mare duxit. Ibique apud Eboracum oppidum **503** morbo obiit. [14] Reliquit duos filios, [15] Bassianum et Getam: quorum Geta hostis publicus judicatus, interiit. Bassianus, Antonini cognomine assumpto, regno potitus est.

HAVERCAMPI NOTÆ.

In eo Clodii Albini, sine laurea, cernitur facies, pectus et humeros paludamentum exornat. Ascribitur epigraphe *Decimus* CLODIVS SEPTIMIVS ALBINVS CÆSAR. Ab altera parte typus est multis argenteis aliisque Clodii nummis communis, Minerva videlicet, quæ Pacifera esse ex habitu et inscriptione colligitur. Ascribitur enim, MINERvæ. PACIFeræ. COS. II.

10. *In occidendo Pertinace socius.* Immo juxta Capitolinum, in Vita Clodii cap. 1 optimus senex Pertinax *auctore Albino interemptus est.*

11. *Victor in Britannias.* De Severi expeditione in Britannias præter superiores scribit Cassiodorus. FABR.

12. *Magnam fossam.* Lugd. Batt. quatuor, cum cod. Ultr. et Coll. Gronov., *maximam fossam.*

13. *Per centum et triginta duo millia passuum.* In hisce numeris centenarium abundare ex aliorum scriptorum collatione docuit Scottus ad Victorem ed. Arntz., p. 533. Utrum apud descriptores, an ipsum Orosium culpa sit, dubium videtur; neque enim mss. modo omnes, sed et Historia Miscella Pauli Diaconi, qui Orosianis verbis (ut passim) utitur eumdem numerum exhibet, ut in Collect. seu Thesauro Murator. tom. 1, p. 65, patet.

14. *Reliquit duos filios.* Ita mss. et ed. Aug. In reliquis minus recte legebatur, *Relinquens duos filios, Bassianum, etc.*

15. *Bassianum et Getam.* Unde *immoderatissime lætatum* Septimium Severum ex Ælio Mauro, Phlegontis Tralliani liberto, scribit Spartianus in Severo cap. 20, *quod duos Antoninos pari imperio reipublicæ relinqueret, exemplo Pii, qui Verum et Marcum Antoninos, per adoptionem filios, reipublicæ reliquit: hoc melius, quod ille filios per adoptionem, hic per se genitos, rectores Romanæ reipublicæ daret.* Posteriorибus ex his illustrantur verba Orosii supra cap. 14, de M. Aurelio et Lucio Vero, qui ibidem *liberi* vocantur Antonini Pii, cum proprie nepos fuerit Verus, a Marco adoptatus. Adde Capitolin. in Vita Veri cap. 11. Pessima autem inter fratres Antoninos, Severi filios, concordia fuit, licet in inscriptionibus et nummis sæpe conjungantur, ut in hoc nummo Græco Gazæ Cæsareæ, qui maximi moduli est, atque in parte anteriore adversa duo fratrum capita, laureatum Antonini, nudum Getæ ostentat, cum inscriptione Μάρκος ΑΥΡήλιος ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC Πούβλιος CΕΠΤίμιος ΓΕΤΑC. *Marcus Aurelius Antoninus, Publius Septimius Geta.* Ab altera conspicitur typus Apollinis, sive sacerdotis ejus, atque Æsculapii cum hac epigraphe, ΑΡΧιερέως Γαίου ΦΛαΐου ΜΑΞΙΜΟΥ ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ. *Summo sacerdote Caio Flavio Maximo, Halicarnassensium.* Servatur in Gaza Cæsarea.

504 CAPUT XVIII.

De Aurelii Antonini Caracallæ, Opilii Macrini, M. Aurelii Antonini Heliogabali, et Aurelii Alexandri Severi imperiis.

Anno ab Urbe condita DCCCCLXII, Aurelius Antoninus Bassianus, idemque [1] Caracalla, octavus decimus ab Augusto principatum adeptus est, [2] manA sitque in eo annis non plenis septem. [3] Vixit patre asperior, [4] omnibus autem hominibus libidine intemperantior, qui etiam novercam suam [5] Juliam uxorem duxerit. **505** Hic, contra Parthos bellum moliens, inter Edessam et Carras, ab hostibus circumventus, occisus est. Post hunc nonus decimus ab Augusto [6] Opelius **506** Macrinus, qui præfectus prætorio [7] erat, [8] cum filio Diadumeno invasit imperium; sed emen-

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. XVIII. — 1. *Caracalla.* Xiphilinus hujus nominis rationem explicans Καράκαλλον habet. Ejus vitam Spartianus descripsit, de eodem Herodianus lib. IV. FABR.

2. *Creatus mansit annis*, etc. Editi, *mansitque in eo annis*. Quisquiliæ. LAUT. —Vulgatum non temere mutandum esse censeo.

3. *Vixit.* Deleri hoc jubet codex Perizon.

4. *Omnibus autem hominibus.* Invenitur hoc augmentum in mss. et ed. August. Reliquæ, *omnibus libidine*, etc.

5. *Juliam.* Adulteriis sub Severo marito jam ante infamem. In Vita Severi cap. 18 Spartian.: *Domi tamen minus cautus, qui uxorem Juliam, famosam adulteriis, tenuit, etiam conjurationis consciam.* Formam ejus Cleopatræ contulerunt Ægeatæ et Smyrnei in numismate maximi moduli, qui penes me est; pulcherrimo, integerrimo, rarissimo. A parte priori nummi cernitur Juliæ caput cum inscriptione hac, ΙΟΥΛΙΑΝ ΔΟΜΝΑΝ CEβαστην. *Juliam Domnam Augustam*, scilicet colunt. Ab altera parte caput reginæ quondam Ægypti Cleopatræ cernitur, quod ex diademate regio et ad collum apposita aspide cognoscitur. Nomina urbium in circuitu nummi legas, CMυρναίων ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΙΓΕΩΝ ΕΤΟΥC... *Smyrnæorum Adrianeorum, Ægeatarum anno...*



6. *Opelius Macrinus.* De hoc Capitolinus, Xiphilinus et Herodianus lib. IV et V. FABR. — Plures hujus imperatoris nummos nummarumque typos habeo inéditos, duos autem profero, alterum ex museo Lebretiano, alterum ex nostro. Prior in Colonia Julia Beryto cusus, coloniæ ejus consuetum typum, rudiuscule licet, ostentat. Posterior, Romæ signatus, C atque egregie exsculptus est. In parte priore Macrini cernitur caput laureatum, cum paludamento ad humeros, et hac inscriptione, IMPerator CAESar Marcus OPELius SEVerus MAcrinus AUGustus. Ab altera parte stat Jupiter cum fulmine et hasta, in circuitu legitur PONTIFex MA- - - - - - S II. Pater Patriæ.

7. *Prætorio.* Mss. aliquot, *prætorii.*

8. *Cum filio Diadumeno.* Diadumeni sive Diadumeniani pulchritudinem pluribus commendant histo- D rici. Elucet quoque in nummis, ut in hoc Cæsareo, qui in Colonia Julia Augusta Felici Beryto cusus est.



so anno continuo apud [9] Archelaidem militari tumultu occisus est. Anno ab Urbe condita DCCCCLXX, [10] Marcus Aurelius Antoninus, vigesimus ab Augusto, imperium adeptus, tenuit annis quatuor. Hic sacerdos Heliogabali templi, nullam sui nisi stuprorum et flagitiorum totiusque obscenitatis infamem satis memoriam reliquit. Tumultu autem militari **507** exorto, Romæ [11] cum matre interfectus est. Anno ab Urbe condita DCCCCLXXIV, [12] Aurelius Alexander, vigesimus primus ab Augusto, senatus ac militum voluntate imperator creatus, tredecim annis digno æquitatis præconio fuit. [13] Cujus mater Mammea, **508**

HAVERCAMPI NOTÆ.

9. *Archelaidem.* Lugd. Batt. duo, cum Coll. Gronov., *Dulaidem* vel *Dualaidem;* Perizon., *Archeidem.* Male, nam Eusebius quoque et Georgius Syncellus Archelaidem appellant. Bithyniæ fuit vicus, ut apparet ex Capitolino in Macrino cap. 10 : *Fugiens sane Macrinus cum paucis et filio, in vico quodam Bithyniæ occisus est cum Diadumeniano.*

10. *M. Aurelius Antoninus.* De Antonino Heliogabalo Lampridius, et Herodianus lib. v. FABR. — Pervenit ad imperium aviæ Juliæ Mœsæ, vaferrimæ mulieris, artibus, prout scenam hanc describit Capitolinus in Macrino cap. 9 : *Fuit quædam mulier Mœsa, sive Varia, ex Emissena urbe, soror Juliæ, uxoris Severi Pertinacis Afri, quæ post mortem Antonini Bassiani ex aulica domo fuerat expulsa per Macrini superbiam: cui quidem omnia concessit Macrinus, quæ diu illa collegerat. Huic erant duæ filiæ, Semiamira et Mammæa, quarum majori filius erat Heliogabalus, qui et Bassiani, et Antonini nomen accepit. Nam Heliogabalum Phœnices vocant solem. Sed Heliogabalus pulchritudine ac statura et sacerdotio conspicuus erat, ac notus omnibus hominibus qui ad templum veniebant, militibus præcipue. His Mæsa, sive Varia, dixit, Bassianum filium esse Antonini, quod paulatim omnibus militibus innotuit.* Narrat deinde quomodo legiones a Macrino abduxerit, et mira audacia illum subplantaverit. Quæ quidem longiuscule ex Capitolino adducere placuit, ut intelligatur, quare in quodam nummo, ad imitationem Faustinæ, Marci uxoris, *Mater castrorum*, quod hactenus nemini auditum vel cognitum in hac Augusta, vocetur Mœsa. Nummus iste inter rariores nostros merito locum occupat, tum ob insolitam istam inscriptionem, tum quod ex argento sit, majoris moduli. Cernitur in nummi priore parte caput Juliæ Mœsæ, cum hac inscriptione, ΙΟΥΛια ΜΑΙCΑ CΕΒάστη ΜΗΤηρ CΤΡΑτιᾶς. *Julia Mæsa Augusta, Mater Castrorum.* Ab altera parte Isidis est bustum dextra manu ad pectus sublata, caput loto coronatur, et ascribitur L. Γ. sive annus imperii Heliogabali tertius. Ægyptius igitur est nummus, ex argento satis puro, non tamen purissimo.

Apposuimus quoque ipsius Heliogabali nummum æreum, Græcum, ineditum, et conspici dignissimum, utpote a Cyrrhestiis cum Jovis Catæbatæ typo cusum. Delineandum hunc nobis concessit possessor ejus, omnis elegantiæ studiosissimus Gerardus Schaakius, Amstelodamensis. Cernitur in parte anteriore caput laureatum Heliogabali, cum hac epigraphe, ΑΥΤοκράτωρα ΚΑίσαρα Μάρκον ΑΥΡήλιον ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΝ, *Imperatorem Cæsarem Marcum Aurelium Antoninum* scilicet colunt. A posteriore parte suspicitur notus ille eruditis cognomine suo Jupiter, in templo sex columnarum; ascribitur vero ipsum quoque cognomen, quo apud Cyrrhestas colebatur, ut et populi qui colebat, ΚΥΡΡΗCΤΩΝ ΔΙΟC ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΥ, *Cyrrhestarum, Jovis Catæbatæ.*

11. *Cum matre interfectus est.* Julia Soemiade, sive Semiamira, ut Capitolinus eam appellat.

12. *Aurelius Alexander.* Alexandri vitam Lampridius quoque scripsit, de eodem Herodianus lib. VI. FABR.

13. *Cujus mater Mammæa.* Eadem cum filio eodem tumultu interfecta fuit. Multa consilio ejus fecit filius, unde sæpe quoque in nummis junguntur, ut in hoc Cæsareæ gazæ maximi moduli.

Cernuntur in illo adversa Alexandri et Mammææ capita cum hac inscriptione : IM*Perator* SEVERUS ALEXANDER AUG*ustus.* IVLIA MAMMAEA AUG*usta* MATER AUG*usti.* Ab altera parte sedet Roma Victrix, coronante eam Victoria, a dextris ejusdem stat Jupiter. Ipsa vero globo stellato insidet, læva sceptrum tenens, dextra circulo, perpetuitatis symbolo, innixa, per cujus orbem quatuor cernuntur pueruli ludentes, quasi numquam defutura æternæ Urbis sobole, adscribitur TEMPORUM FELICITAS.

Christiana, Origenem presbyterum audire curavit. Nam statim expeditione in Persas facta, [14] Xerxem, regem eorum, maximo bello victor oppressit. Ulpiano usus assessore summam sui moderationem reipublicæ exhibuit : sed militari tumultu apud Moguntiacum interfectus est.

509 CAPUT XIX.

De Julii Maximini et Gordiani junioris imperiis, et Christianorum persecutione.

Anno ab Urbe condita DCCCCLXXXVII, [1] Maximinus vigesimus secundus ab Augusto, nulla senatus voluntate imperator ab exercitu, postquam bellum in Germania [2] prospere gesserat, creatus, persecutionem in B Orientem ad bellum Parthicum profecturus, **511**

A Christianos, sextus a Nerone, exercuit. Sed continuo, hoc est tertio quam regnabat anno, a Pupieno Aquileiæ interfectus, et persecutionis et vitæ finem fecit. Qui maxime propter Christianam Alexandri, cui successerat, et Mammææ matris ejus familiam, persecutionem in sacerdotes et clericos, id est, doctores, vel præcipue propter Origenem presbyterum, miserat. Anno ab Urbe condita DCCCCXCI, Gordianus, vigesimus tertius ab Augusto, imperator creatus est, mansitque in eo annis sex. Nam [3] Pupienus, interfector Maximini, [4] et frater ejus [5] Balbinus, **510** qui usurpaverant imperium, in palatio mox interfecti sunt. Gordianus admodum puer [6] in

HAVERCAMPI NOTÆ.

14. *Xerxem.* Ita nominatur etiam a Cassiodoro, qui Herodiano est, Ἀρταξέρξης ὁ Περσῶν βασιλεύς. FABR.

CAP. XIX. — 1. *Maximinus.* Duorum Maximinorum, C patris et filii, vitam descripsit Capitolinus, de eodem Herodianus lib. VII et VIII. FABR. — Mole membrorum et articulorum firmitate fuit admirabilis, unde Herculi eumdem compararunt Pergæi in maximi moduli, quem servo, numismate. Caput Maximini laureatum, cum paludamento ad humeros, conspicitur a parte priore, ubi hæc est epigraphe, AYTοκράτωρ ΓAIος IOYλιος OYηρος MAΞIMEINOC Cέβαστος, *Imperator Caius Julius Verus Maximus Augustus.* Ab altera parte cernitur Hercules, utraque manu clavam tenens, ascribitur ΠEPΓAIΩN, *Pergæorum.* Nummi typus infra positus est.

2. *Creatus.* Ed. Aug., *factus.*

3. *Pupienus, interfector.* De Pupieno et Albino Eutropius lib. IX. Pro *Pupieno* Capitolinus et Herodianus *Maximum* habent. Idem tres Gordianos uno libro complexus est. FABR.

4. *Et frater ejus.* Male fratres vocat Orosius, qui collegæ fuerunt in imperio, nulla cognatione juncti. Concordia quoque fraterna haud fuerunt ; potuerant enim contra insidias et tumultum militarem sese munire, nisi alter alteri, malis suspicionibus, diffidisset. Fuerunt alias par nobile imperatorum, quos conjunctos vidi in numismate quondam Marckiano pondere et magnitudine insigni, quod, distracta ejus Gaza, in Brabantiam abiit ; quamvis autem merito, ut minus genuinum, suspectum habuerim, delineationem tamen ejus, propter singularem artem, et similitudinem utriusque ad præstantissimos eorum nummos insignem, servavi, neque conspectu indignam judicavi.

5. *Balbinus.* Cum tot nummi hujus imperatoris exstent, et mss. plurimi recte id nomen efferant,

mirum, in omnibus edd. ne Fabricianis quidem, aut D postrema Andreæ Scotti excepta, legi *Albinus.* Sola ed. Augustana *Balbinus* exhibet, cum qua concordant Lugd. Batt. tres, Coll. Gronov., cod. Perizon. et Florentinus uterque, nisi quod in altero ex iis, erasa littera priori, remanserit *Albinus*, quod nomen, propter Cæsarem Clodium Albinum, de quo mentio facta fuit cap. 17, aliquot codices occupasse videtur. Tituli et nomina Balbini, in adducto numismate, hæc habentur, IMP*erator* CAES*ar* D*ecimus* CAEL*ius* BALBINVS AVG*ustus.* Ab altera parte, Pupieni hæc sunt, IMP*erator* CAES*ar Marcus* CLOD*ius* PVPIENVS MAXIMVS AVG*ustus.*

6. *In Orientem ad bellum Parthicum profectur us* Innuitur illa profectio in ornatu clypei, quem dextra gestat Gordianus in nummo maximi moduli Cæsa-

sicut [7] Eutropius scribit, Jani portas aperuit: A quas utrum post Vespasianum et Titum aliquis clauserit, neminem scripsisse memini, cum tamen eas ab ipso Vespasiano post annum apertas, [8] Cornelius Tacitus prodat. Igitur Gordianus, ingentibus prœliis adversum Parthos prospere gestis, suorum fraude haud longe a [9] Circesso super Euphratem interfectus est.

512 CAPUT XX.

Imperium M. Julii Philippi cum filio.

Anno ab Urbe condita DCCCCXCVII, [1] Philippus, vigesimus quartus ab Augusto, imperator creatus, [2] Philippum filium suum consortem regni fecit, mansitque in eo annis septem. Hic primus **513** imperatorum omnium Christianus fuit, ac post tertium

HAVERCAMPI NOTÆ.

reo, in quo bustum cernitur Gordiani, capite laureato, cum paludamento ad humeros, dextra spiculum gerit, læva clypeum. In clypeo depingitur imperator eques, præcedente Victoria et subsequente milite. Inscriptio nummi ab ea parte hæc est, IMP*erator* GORDIANVS PIVS FELIX AVG*ustus*. Ab altera B parte legitur, FIDES EXERCITVS, cujus typus est figura militaris manum cum imperatore jungens adeoque sacramentum præstans, intermediis signis militaribus; post imperatorem stat Victoria cum palma; ad pedes duo fluvii recumbunt, quibus forsitan Tibris et Tigris designantur.

7. *Eutropius.* Lib. IX, cap. 11, pag. 395: *Gordianus, admodum puer, cum Tranquillinam Romæ duxisset uxorem, Janum geminum aperuit, et ad Orientem profectus, Parthis bellum intulit, qui jam moliebantur erumpere; quod quidem mox feliciter gessit, prœliisque ingentibus Persas afflixit.*

8. *Cornelius Tacitus prodat.* Non quidem in illis libris, qui nobis, ex tanto naufragio supersunt, sed quos suo tempore legit Orosius, ut patet ex verbis ejusdem sive Taciti supra cap. 9.

9. *Circesso.* Mesopotamiæ oppido inter Nicephorium et Chaboræ confluentem, in angulo quem Chabora fluvius cum Euphrate facit, ubi infelici juveni tumulus exstructus fuit. Eutropius lib. IX, C cap. 11, pag. 396: *Miles ei tumulum vigesimo milliario a Circesso, quod castrum nunc Romanorum est Euphrati imminens, ædificavit.*

CAP. XX. — 1. *Philippus.* De Philippo patre, et Philippo filio Eutropius et Sex. Aurelius. FABR. — Possideo hujus Philippi numisma Græcum, in quo, a parte priori caput ejus cernitur laureatum, cum paludamento ad humeros; ascribitur, ΑΥΤοκράτωρ Καίσαρ Μάρκος ΙΟΥΛιος ΦΙΛΙΠΠΟC, *Imperator Cæsar Marcus Julius Philippus.* Ab altera parte Fortunam cum modio in capite, signarunt Ancyrani cum hac epigraphe, ΑΓΚΥΡΑΝΩΝ ΕΠΙ ΜΑΡκου ΖΟΙΛΟΥ ΑΡΧιερέως Α. ΤΟ Β, *Ancyranorum sub Marco Zoilo sacerdote summo semel atque iterum.*

2. *Philippum filium*, etc. Unde is quoque cum D titulo Augusti in nummis occurrit, ut in Græco quoque majoris moduli, quem servo, Laodiceæ cuso. Philippo, cujus caput laureatum a parte priore, cum paludamento ad humeros exhibetur; hæc adest inscriptio, ΑΥΤοκράτωρ Καίσαρ Μάρκος ΙΟΥΛιος ΦΙΛΙΠΠΟC ΑΥΓουστος, *Imperator Cæsar Marcus Julius Philippus Augustus.* Ab altera parte stat figura muliebris, capite modium, dextra iconculam, læva cornucopiam ferens. Ascribitur, ΛΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Laodicensium Neocororum.*

imperii **514** ejus annum,[3] millesimus a conditione Romæ annus impletus est. Ita magnificis ludis augustissimus omnium præteritorum hic natalis annus a Christiano imperatore celebratus est. Nec dubium est, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam et honorem ad Christum et Ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse in Capitolium, immolatasque ex more hostias nullus auctor ostendit. **515** Ambo tamen, quamvis diversis locis, tumultu militari et Decii fraude interfecti sunt. A

CAPUT XXI.

Quincti Trajani Decii, et Galli Hostiliani cum Volusiano filio Imperium.

Anno ab Urbe condita MIV,[1] Decius civilis belli incentor et repressor, occisis Philippis, quintus et vigesimus ab Augusto invasit imperium, tenuitque annis tribus. Idem continuo in quo, se etiam ob hoc [2] Philippos interfecisse docuit, ad persequendos interficiendosque Christianos, septimus post Neronem, feralia dispersit edicta, plurimosque sanctorum

HAVERCAMPI NOTÆ.

Servo quoque Maximi, filii Maximini, duos nummos æreos perraros in coloniis Romanis cusos. In priore capiti nudo Cæsaris Maximi ascribitur IVL*ius* VERUS MAXIMUS CÆSAR. A parte posteriore mater ejus, Maximini uxor, habitu deæ Pudicitiæ sedens a colonia Romana effingitur. Ea fuit urbs Macedoniæ, Alexandri Magni quondam patria, nomine Pella, ut ex hac inscriptione patet, COL*onia* IVL*ia* AUG*usta* PELLA. Posterior cusus est in urbe, olim Ilio, postea ex B Alexandri Magni nomine Alexandria dicta, sub Romanis vocabatur Alexandria Troas. Ad Maximi Cæsaris nudum caput hæc exstat inscriptio, IVL*ius* VER*us* MAXIMVS. Ab altera legitur, TRO*as*, COL*onia* AVG*usta*. Solitum in eo Troadis symbolum cernitur, aquila Romana, bovis (qui coloniæ typus est) capiti insistens. Quoniam nondum ab aliis sunt editi, apponere libuit.



3. *Millesimus a conditione.* Millesimus Urbis expletus annus est tertio anno imperii Philippi. Cassiodorus. FABR.—Qui hanc celebritatem et sæculares hos ludos, a Philippis celebratos, testantur, plures supersunt nummi. Inter quos unus maximi moduli, quem, ex eximio sæpius memorati Illustr. Lebretii museo, hic sistimus, valde est memorabilis. Cernuntur in C parte priore jugata Philippi et Otaciliæ capita, ex adverso eorumdem Philippi filii observatur caput. Tribus illis conveniens adest inscriptio, CONCORDIA AVGVSTORVM. Ab altera parte superba Circi est structura, cum quadrigis decurrentibus atque residuis litteris AVGG. Nummi integra inscriptio videtur fuisse SAECVL*a es* AVGG. i. e. *Augustorum.*



CAP. XXI.—1. *Decius.* De Decio, item de Gallo et Volusiano, Eutropius lib. IX et Sex. Aurelius. FABR. D 2. *Philippos.* Plures ex mss. scribunt *Philippum.*

ad coronas Christi de suis [3] cruciatibus misit. Idemque filium suum Cæsarem legit, cum quo simul continuo **516** in medio barbarorum sinu interfectus est. Anno ab Urbe condita MVII, Gallus Hostilianus sextus et vigesimus ab Augusto regnum adeptus, [4] vix duobus annis cum Volusiano filio [5] obtinuit. Exoritur ultio violati nominis Christiani, et usquequo ad profligandas Ecclesias edicta Decii cucurrerunt, eatenus incredibilium [6] morborum pestis extenditur: nulla fere provincia Romana, nulla civitas, nulla domus fuit, quæ non illa generali pestilentia correpta [7] atque vacuata sit. Hac sola pernicie insignes Gallus et Volusianus, dum contra Æmilianum, novis rebus studentem, bellum civile moliuntur, occisi sunt. Æmilianus tamen tertio mense [8] invasæ tyrannidis exstinctus est.

CAPUT XXII.

Valerianus et Gallienus quomodo et quamdiu imperaverint. Interim de persecutione Ecclesiæ, ejusque per varia bella et tyrannorum conspiratione ultionis.

Anno ab Urbe condita MX, duo imperatores vigesimo septimo post Augustum loco creati sunt. [1] Valerianus in Rhetia ab exercitu Augustus est appellatus. [2] Romæ autem a senatu Gallienus. Mansitque Gallienus in regno infeliciter annis quindecim, respirante **517** paulisper ab illa supra solitum jugi et gravi pestilentia genere humano. Provocat pœnam suam obliviosa militia. Impietas enim flagella quidem [3] excruciata sentit, sed a quo flagellatur, obdurata non sentit. Ut de superioribus taceam, facta a Decio Christianorum persecutione, totum Romanum imperium pestilentia magna vexavit. Mentita est iniquitas sibi, pravo in perniciem suam circumventa judicio pestilentiam communis esse casus, [4] accidentemque ex morbis mortem, naturæ finem esse, non pœnam. Rursus igitur atque in brevi iram Dei sceleratis actionibus provocat, exceptura plagam, cujus [5] aliquando meminisse cogatur. Valerianus siquidem, prox ut arripuit imperium, octavus a Nerone, adigi per tormenta Christianos ad idololatriam, abnegantesque interfici jussit, fuso per omnem Romani regni latitudinem sanctorum sanguine. Valerianus illico, nefarii auctor edicti, a Sapore Persarum rege captus, imperator populi Romani, ignominiosissima apud Persas servitute consenuit: [6] hoc infamis officii continua, donec vixit, damnatione sortitus, ut ipse acclinis humi, [7] regem super ascensurum in equum [8] non manu sua, sed dorso attolleret. Et Gallienus quidem tam claro Dei judicio territus, [9] tamque misero collegæ permotus exemplo, pacem Ecclesiis trepida satisfactione restituit. [10] Sed **518** non compensat injuriæ ultionisque mensuram unius impii, quamvis perpetua et supra modum abominanda captivitas, contra tot millia excruciata sanctorum, justorumque sanguis, ad Deum clamans, in eadem sese terra ubi fusus est, vindicari rogat. Non enim de solo constitutore præcepti justo [11] supplicium judicio flagitabatur, sed etiam exsecutores, delatores, accusatores, spectatores ac judices, postremo omnes qui injustissimæ crudelitati vel tacita voluntate [12] assentabantur, quia Deus secretorum cognitor est, et quorum maxima per omnes provincias pars hominum versabatur, eadem ultionis plaga corripi justum erat. Solvuntur repente undique [13] permissu Dei ad hoc circumpositæ relictæque gentes, laxatisque habenis in omnes Romanorum fines invehuntur. Germani Alpibus, Rhetia, totaque Italia penetrata, Ravennam usque perveniunt. [14] Alamanni

HAVERCAMPI NOTÆ.

3. *Cruciatibus.* Ita omnes fere mss. rectius, ut puto, quam *crucibus*, quod in Vulgg. plerisque exstat.

4. *Vix duobus annis.* Ed. August., *duobus* (deleto *vix*) *annis cum Volusiano, filio suo, obtinuit.*

5. *Obtinuit.* Perizon., *tenuit.*

6. *Morborum pestis.* Hujus pestis, inquit Eusebius, testis est Cyprianus de Mortal. lib. FABR.

7. *Atque vacuata sit.* Mss. restitui lectionem, cujus, quod in Vulgg. est, *vastata sit*, glossa esse videtur.

8. *Invasæ.* Abest ab. ed. August.

CAP. XXII. — 1. *Valerianus in Rhetia.* De Valeriano et Gallieno legendus est Trebellius Pollio, qui utriusque vitam scripsit. FABR.

2. *Romæ autem a senatu Gallienus.* Subjungunt aliquot mss. et editi fere omnes *Cæsar creatus, mansitque*, etc. Verum ego delevi istam laciniam vilem, auctoribus mss. Florentt. et ed. August.: duos enim imperatores simul creatos modo dixit Orosius, jam narrat, ubi locorum et a quibus, videlicet patrem in Rhetia ab exercitu, filium Romæ a senatu. Infra quoque *collegam* appellat, Cæsar autem imperatoris collega non erat.

3. *Excruciata.* Mss. Lugd. Batt. tres, cum Collat. Gronov., *exercitata.*

4. *Accidentemque*, etc. Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *communis casus esse accidentis, quæ vel ex morbis mortem, naturæ esse finem, non pœnam, putavit.* Mox in seqq. pro *iram Dei*, etc., habet *Ira Dei*, etc., *provocatu* Florent. sec.

5. *Aliquando.* Ed. August., *aliquamdiu.*

6. *Hoc... damnatione.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *hanc*, etc.: dein, *damnationem.*

7. *Regem super ascensurum.* Lugd. Batt. sec., tert. et quart. commode sic restituunt, nam quod in reliquis ut et editis legitur, *semper ascensurum*, ineptum est. Librarii invenerunt in codd. scriptum *sp.* vel *sup.* cum lineola supra duas litteras prioris scriptionis, vel per postremam litteram secundæ ducta, unde quidam ex iis pro *super* vel *supra* fecerunt *semper.*

8. *Non manu sua.* Florent., *non manu, sed dorso.*

9. *Tamque misero*, etc. Lugd. Batt. tres, *tamquam*, etc.

10. *Sed non compensat.* Vulgg. hic legunt, *sed non compensans*, verum ego prætuli Perizon. et Lugd. Bat. tert. lectionem. Perrei vero ævi locutio est, *compensat contra tot millia*, etc. Potuerat scribere, *justorumque contra sanguis*, etc., et forsitan loco suo motum est illud *contra.*

11. *Supplicium.* Mss. quidam *supplicii*, alii *supplicio*, male. Supplicium, quod lueret impius, non flagitabatur de solo Valeriano, qui edicta cruenta contra Christianos promulgaverat, verum et de ministris ejus, etc.

12. *Assentabantur.* Ita malunt omnes mss. cum melioribus edd. vett. quam *assentiebantur.*

13. *Permissu Dei.* Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov., *jussu Dei.*

14. *Alamanni.* Ita scribendum, non *Alemanni*, patet

Gallias pervagantes, etiam in Italiam transeunt. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia Gothorum inundatione delentur. Nam Dacia trans Danubium in perpetuum aufertur. Quadi et Sarmatæ Pannonias depopulantur. Germani ulteriores abrasa potiuntur Hispania. Parthi Mesopotamiam auferunt, Syriamque [15] corrodunt. Exstant adhuc per diversas provincias in magnarum urbium ruinis parvæ [16] et pauperes sedes, signa miseriarum, et nominum indicia servantes : ex quibus nos quoque in Hispania Tarraconem nostram **519** ad consolationem [17] miseriæ recentis ostendimus. Et ne quid forte Romani corporis ab hac dilaceratione cessaret, [18] conspirant intrinsecus tyranni, consurgunt bella civilia, funditur ubique plurimus sanguis Romanorum, Romanis Barbarisque sævientibus ; sed cito ira Dei in misericordiam vertitur, et cœptæ ultionis major forma quam pœna in mensuram plenitudinis reputatur. Igitur primus [19] Ingenuus, qui purpuram imperii sumpserat, apud Myrsam occiditur. Posthumus in Gallia invasit tyrannidem, multo quidem reipublicæ commodo. Nam per decem annos ingenti virtute ac moderatione usus, et dominantes hostes expulit, et perditas provincias in pristinam faciem reformavit, seditione tamen militum interfectus est. Æmilianus apud Moguntiacum, cum res novas moliretur, oppressus est. Post mortem Posthumi Marius ibidem invasit imperium, sed continuo interfectus est. Deinde Victorinus a Gallis ultro creatus, [20] et post paululum occisus est. Huic successit Tetricus, qui tunc [21] Aquitanicæ præsidatus administrabat officium, [22] multasque seditiones militum pertulit. At vero in Oriente per Odenatum quemdam collecta agresti manu, victi [23] repulsique Persæ, defensa Syria, recepta Mesopotamia est, et usque ad Ctesiphontem rusticani Syriæ cum Odenato suo vincendo venerunt. [24] Gallienus autem cum rempublicam deseruisset, ac Mediolani libidinibus inserviret, occisus est.

520 CAPUT XXIII.

Flavius Claudius, Aurelius Quintillus, et Valerius Aurelianus imperatores.

Anno ab Urbe condita MXXV, [1] Claudius vigesimus

HAVERCAMPI NOTÆ.

ex Constantini nummo, in quo ALAMANNIA GAVDIVM ROMANORUM.

15. *Corrodunt.* Lugd. Batt. quatuor, cum coll. Gronov. et ed. August., *contrahunt*, quasi vellent *contractiorem*, id est minorem possessionem Syriæ Romanis factam fuisse a Parthis. Flor. sec., *conradunt*, tert., *congradiit.*

16. *Pauperes sedes.* Colon. et Matern. *sex.* libri editi, *ædes.* Verum ut Stellioni ilia rumpantur. Orosius probat legendum esse *sedes*, cum dicit : *Ex quibus nos quoque in Hispania Tarraconem nostram.* Tarraconensis itaque ditionis, hoc est Citerioris Hispaniæ fuit Orosius. LAUT.—Ego quoque in Lugd. Batt. quatuor, cod. Ultr. atque coll. Gronov. inveni, *sedes*, ut de emendatione Lautii non sit dubitandum, quam jam olim ex codice optimo Augustana editio expresserat : denique sic legit uterque Florentinus.

17. *Miseriæ recentis.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov. et cod. Ultr., *miseriæ præsentis.*

18. *Conspirant intrinsecus tyranni.* Triginta tyranni eo tempore imperio Romano exstiterunt : de quibus Pollionis liber exstat. FABR.

19. *Ingenuus.* Restitui nomen ex Trebellio Pollione et nummis. Perperam in editis legitur *Genuus.*

20. *Et post paululum.* Ed. Aug., *post paululum.*

21. *Aquitanicæ.* Lugd. Batt. tres et Coll. Gronov., *Aquitaniæ.* Veteres utroque modo scripserunt.

22. *Multasque.* Copula *que* ab omnibus fere mss. abest.

23. *Repulsique.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. malunt *repressique*, quod haud pejus est.

24. *Gallienus autem, cum rempublicam deseruisset.* Nummos tamen reliquit titulis et typis satis magnificis, in quibus etiam quasi tyrannorum et monstrorum domitor Hercules, ut ex adpicto maximi moduli numismate Cæsareo colligere est, celebratur.

Cap. XXIII.—1. *Claudius.* Claudii vitam Trebellius scripsit. Aureliani Vopiscus, qui etiam Quintilli meminit. Lege præterea Eutropium et Aurelium. FABR. — Ad insignem hujus Claudii victoriam de Gothis, cujus mentionem facit Orosius, spectat nummus ejusdem Græcus, in Ægypto, ut creditur, cusus anno imperii ejus secundo, prout inscribitur ad partem nummi illam, in qua Victoriæ est typus. A parte priore caput est Taciti laureatum, cum epigraphe, ΑΥΤοκράτωρ Καίσαρ ΚΛΑΥΔΙΟC CΕΒαστος, *Imperator Cæsar Claudius Augustus.* Inscriptionem eamdem habet alter meus nummus ejusdem Claudii, in quo consuetum in ejusmodi æreis nummis, aquilæ cernitur symbolum.

octavus voluntate senatus sumpsit imperium, statimque **521** Gothos,[2] jam per annos quindecim Illyricum Macedoniamque vastantes bello adortus, incredibili strage delevit, cui a senatu clypeus aureus in curia, et in Capitolio [3] statua æque aurea decreta est, sed continuo apud Sirmium, priusquam biennium in imperio expleret, morbo correptus interiit. Claudio mortuo, Quintillus frater ejus ab exercitu imperator electus, vir quidem unicæ moderationis, et solus fratri præferendus, septimo decimo [4] imperii die interfectus est. Anno ab Urbe condita MXXVII, [5] Aurelianus, vigesimus nonus **522** imperium adeptus, quinque annis et sex mensibus tenuit, vir [6] industria militari excellentissimus. Expeditione in Danubium suscepta Gothos magnis præliis [7] profligavit, ditionemque Romanam antiquis terminis statuit. Inde in Orientem conversus, Zenobiam, quæ occiso Odenato marito suo, Syriam receptam sibi vindicabat, [8] magis prælii terrore quam prælio in potestatem redegit. Tetricum, in Gallia minime sufficientem sustinere seditiones militum suorum, scribentemque etiam,

[9] Eripe me his, invicte, malis,

ac per hoc proditorem exercitus sui, sine labore superavit. Sic Orientis et Aquilonis receptor magna gloria triumphavit : [10] urbem Romam muris firmioribus cinxit. Novissime, cum persecutionem adversus Christianos [11] agi, nonus a Nerone decerneret, fulmen ante eum magno pavore circumstantium ruit, ac non multo post in itinere occisus est.

523 CAPUT XXIV.

Claudius Tacitus, Annius Florianus, Aurelius Valerius Probus, et M. Aurelius Carus imperatores.

Anno ab Urbe condita MXXXII, [1] Tacitus, trigesimus adeptus imperium, sexto mense occisus in Ponto est. Post quem Florianus parem regni sortem ferens, tertio demum mense apud Tarsum interfectus est. Anno ab Urbe condita MXXXIII, Probus, trigesi-

HAVERCAMPI NOTÆ.

2. *Jam per annos.* Vox prima abest ab Aug. edit.

3. *Statua æque aurea.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *statua equestris aurea.* Sed male. Trebellius Pollio in Vita Claudii cap. 3: *Illi clypeus aureus, vel, ut grammatici loquuntur, clypeum aureum senatus totius judicio in Romana curia collocatum est, ut etiam nunc videtur. Expressa thorace vultus ejus imago. Illi* (*quod nulli antea*) *populus Romanus sumptu suo, in Capitolio, ante Jovis Optimi Maximi templum, statuam auream decem pedum collocavit.*

4. *Imperii die. Imperii* delent Periz. et Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov.; *sui* addit ed. Aug.

5. *Aurelianus.* Hunc inter bellicosissimos imperatores Roma numeravit. Possideo hujus principis nummum Græcum maximi moduli plane insignem, nisi labem vetustate et ærugine aliquam passus esset. In parte priore cernitur bustum Aureliani, capite radiato, dextra manu elata, læva globum tenens, paludamento a pectore atque humeris defluente. Ex inscriptione supersunt litteræ..... AIANOC AYΓ., *Aurelianus Augustus.* Pars altera numini haud minus est spectabilis, in ea enim Aurelianus togatus cum uxore dextram, ara intermedia, jungit; in circuitu hæ leguntur litteræ, ΥΠΟ ΤΕΡΤΥΛΛ..... ..... ΩΝ. quæ significant *sub Tertullo* vel *Tertulliano* quodam, in urbe Græca, cujus duæ postremæ litteræ tantum legi possunt, nummum fuisse signatum.

6. *Industria militari excellentissimus.* Lugd. Batt. quatuor et cod. Ultr., cum Coll. Gronov., *industriæ militaris expertissimus.*

7. *Profligavit.* Edd. quædam vett., *prostravit.*

8. *Magis prælii.* Lugd. Batt. quatuor et cod. Ultr., cum Coll. Gronov., *magis præliorum.*

9. *Eripe me his.* Lege Pollionem in Tetrici tyranni vita. FABR. — Ex Virg. Æneid. VI, 365, desumptum.

10. *Urbem Romam.* Perizon., *urbemque Romam.*

11. *Agi.* Abest a Lugd. Batt. quatuor atque Coll. Gronov. et abesse potest.

CAP. XXIV. — 1. *Tacitus.* Taciti, Floriani, Probi, Saturnini, Proculi et Bonosi vitæ a Flavio Vopisco descriptæ exstant : quas lege. FABR.

mus primus regnum sortitus, obtinuit annis sex [3] et mensibus quatuor. Gallias jamdudum a Barbaris occupatas [3] per multa et gravia prælia, deletis tandem hostibus, ad perfectum liberavit. Bella deinde civilia [4] et quidem plurimo sanguine duo gessit: unum in Oriente, quo [5] Saturninum, tyrannide subnixum, oppressit et cepit, aliud, quo Proculum et Bonosum, apud Agrippinam magnis prœliis superatos, interfecit. Ipse autem apud [6] Sirmium in turre ferrata militari tumultu interfectus est. Anno ab Urbe condita MXXXIX, [7] Carus Narbonensis, trigesimus secundus suscepit imperium, ac [8] biennio tenuit. Qui cum filios suos, Carinum et Numerianum, consortes regni [9] fecisset, bello Parthico, postquam duas nobilissimas Parthorum urbes, [10] Cochem et Ctesiphontem, **524** cepit, super Tigridem in castris fulmine ictus interiit. [11] Numerianus, qui cum patre fuerat, rediens, fraude Apri soceri sui interfectus est.

525 CAPUT XXV.

C. Aurelius Valerius Diocletianus quomodo imperaverit, et quid sub eo perque eum gestum sit. Romanum imperium primo dissectum.

Anno ab Urbe condita MXLI, Diocletianus, tertius et trigesimus ab exercitu imperator electus, annis viginti [1] præfuit. Statimque ut potestatis copiam habuit, Aprum, interfectorem Numeriani, [2] manu sua

HAVERCAMPI NOTÆ.

2. *Et mensibus quatuor*. Prior vocula abest ab ed. Aug.

3. *Per multa*, etc. Ed. Aug., *post multa*, etc., quod non displicet.

4. *Et quidem*. Ita Lugd. Bat. secund. et Perizon.; quod malim quam *equidem*, præsertim cum duo Florentt. idem confirment.

5. *Saturninum*. Sic rectius mss. quidam, quam *Saturnium*, quod in aliis et vulg. est.

6. *Sirmium*. Herodiano libro septimo Σίρμιον μεγίστη Παιόνων πόλις est. FABR.

7. *Carus Narbonensis*. De Caro Vopiscus, et Sex. Aurel. Eosdem de Carino et Numeriano consule. FABR.

8. *Biennio*. Lugd. Bat. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *per biennium*.

9. *Fecisset*. Ita malunt Lugd. Bat. quatuor. In vulgg. legitur *effecisset*.

10. *Cochem*. Schonhovii Eutropius, *Corchen*, habet: meus manuscriptus, *Soaenen*. FABR. — Mss. quidam ex nostris habent *Choten*, *Cothem*, *Chocem*; ed. Aug., *Achem*. Verum nomen est *Cochem*. Vide Cellarii Geographiam.

11. *Numerianus*. Insignis fuit princeps, oratione et versu promptus, pietate in patrem commendabilis, tantoque magis desideratus, quanto in pejora omnia abiret frater Carinus. Nummi ejus omnes haud vulgares sunt, in ære tamen minimi moduli plures inveniuntur, sed majoris et maximi moduli imprimis rari sunt. In magno satis numero selectoque ejus generis maximi moduli numismatum (medalliones vulgo vocant) Numeriani hujus possideo numisma pulcherrimum, maximum, optimæ notæ, atque ab omni suspicione νοθείας remotissimum. Neque modo insolita magnitudo et densitas æris illud commendat, verum etiam, nobilissimus, qui in eodem suspicitur typus. A parte priore bustum est Numeriani, capite laureato, trabeatum et imperatoriis signis exornatum; dextra scipionem tenet eburneum, in cujus summo est aquila; læva globum, cui insistit, conversa ad imperatorem, velut eum coronatura, Victoria. In circuitu legitur IMPerator Cæsar NVMERIANVS Pius Felix AVGustus COnSul. Altera pars exhibet duos imperatores, Carum et Numerianum, qui in suggestu stantes cum præfecto prætorii, milites, protensis dextris, alloquuntur. Figuræ militares plures cum aquilis et signis legionum, orationem principum audituræ, astant. Ascribitur ADLOCVTIO AVGG, i. e. *Augustorum*, nam tertiæ litteræ G partem, quæ non integra et subsidens inter reliquas videtur, ad Carinum non refero, sed is (ut fieri solet) dum signatur nummus, moto aliquantum de loco suo ære, figuram eam accepit. Numisma ipsum, inditum, atque a nobis ex Marckiana quondam gaza coemptum, perfecte hujus est magnitudinis atque picturæ.

Cap. XXV.—1. *Præfuit*. Reduxi hoc ex edit. August. Reliquæ, *fuit*.

2. *Manu sua interfecit*. Quare sua id perpetraverit manu Diocletianus, cognoscere possumus ex Vopisco in Numer. cap. 14 et 15. Prædictum illi erat a Druide, fore imperatorem, ubi Aprum occidisset. *Apros* igitur *in venationibus*, ut narrat Vopiscus, *ubi fuit facultas, manu sua semper occidit. Denique, cum Aurelianus imperium accepisset, cum Probus, cum Tacitus, cum ipse Carus, Diocletianus dixit, Ego semper apros occido, sed alter semper utitur pulpamento. Jam illud notum est atque vulgatum, quod, cum occidisset Aprum, præfectum prætorii, dixisse fertur, Tandem Aprum fatalem occidi.* In iis, quæ præcedunt, narrat Vopiscus ejus rei atque dicti conscios fuisse avum suum atque Maximianum. *Idque Maximiano conscio, atque avo meo, cujus hoc dictum a Druide ipse retulerat.* Lege, *quibus hoc dictum*, etc.

interfecit. Carinum deinde, quem Carus Cæsarem in Dalmatia reliquerat, flagitiose viventem, difficillimo bello et maximo labore superavit. Dehinc cum in Gallia Amandus et Ælianus, collecta rusticanorum manu, quos [3] Vacandas vocabant, perniciosos tumultus excitavissent, Maximianum, cognomento Herculeum, Cæsarem fecit, misitque in Gallias: qui facile agrestium hominum imperitam et confusam manum militari virtute [4] compescuit. Deinde **526** Carausius quidam, genere quidem infimus, sed consilio et manu promptus, cum ad observanda Oceani littora, quæ tunc Franci et Saxones infestabant, positus; plus in perniciem, quam in profectum reipublicæ ageret, [5] ereptam prædonibus prædam nulla ex parte restituendo dominis, sed sibi soli vindicando, [6] accendit suspicionem, [7] quod ipsos quoque hostes ad incursandos fines artifici negligentia [8] permitteret: quamobrem a Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, ac [9] Britannias occupavit. Igitur per omnes Romani imperii fines subitarum turbationum fragores concrepuerunt. Carausio rebellante in Britanniis, Achilleo in Ægypto, cum et Africam [10] Quinquegentiani infestarent; Narseus etiam rex Persarum Orientem bello premeret. Hoc periculo Diocletianus permotus, Maximianum Herculeum ex Cæsare fecit Augustum; Constantium vero et Maximianum Galerium, Cæsares legit. Constantius Herculei Maximiani privignam Theodoram accepit uxorem: ex qua sex filios fratres Constantini sustulit. Carausius, Britannia sibi per septem annos fortissime vindicata ac retenta, [11] tandem fraude Allecti socii sui interfectus est. Allectus postea ereptam Carausio insulam per triennium tenuit, quem Asclepiodotus præfectus prætorio oppressit, Britanniamque post decem annos recepit. Constantius vero Cæsar in Gallia, primo prælio ab Alamannis profligato exercitu suo, vix ipse surreptus

HAVERCAMPI NOTÆ.

3. *Vacaudas.* Schonhovii Eutropius habet, *Baucadarum* nomen, meus *Bagaudarum*. Quæ autem hic ab Orosio scribuntur, ea sunt quoque in Eutropio libr. IX, et apud Sex. Aurelium. FABR.—Florent. pr. atque Lugd. Batt. pr. et tert., *Bacaudas;* Flor. tert., *Bacuades*. Lugd. Bat. quart., *Baugaudas;* secund., *Baticadas*. Perizon., *Bangandas;* ed. August., *Bagandas*. Confer Eutropium et Victorem.

4. *Composuit.* Melius hoc quadrat cum *confusa manu* quam prius *compescuit*. LAUT. — Non muto, licet in Perizon. duobus ed. Florent. quoque sit *composuit*.

5. *Ereptam prædonibus prædam.* Lugd. Batt. pr. atque tert., *erepta prædonibus nulla ex parte restituendo dominis*, etc.

6. *Accendit suspicionem.* Ita reposui ex cod. Perizon. pro inepto *accendens*, quod in reliquis et vulgg. invenitur.

7. *Quod ipsos*, etc. Quoniam passim *quia* et *quod* in mss. Orosii confunduntur, patet hic pro *quia* restitui debere *quod*.

8. *Permitteret.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov. *admitteret*.

9. *Britannias.* Singulari numero et hic et infra mss. quidam efferunt.

10. *Quinquegentiani.* De his confer, quæ viri docti notarunt ad Aurelium Victorem pag. 423, et ad Eutropium pag. 436.

11. *Tandem fraude Allecti*, etc. Plures possideo nummos Carausii et Allecti, cum variis typis, verum utriusque unum protulisse suffecerit. Addidi illis Carausii nummum eximium, primæ magnitudinis ex museo Lebretiano. Omnes ærei sunt.







est : secundo autem sceuta est satis secunda victoria. **527**. Nam paucis horis [12] sexaginta millia Alamannorum cæsa referuntur. At Maximianus Augustus Quinquegentianos in Africa domuit. Porro autem Diocletianus Achilleum, obsessum per octo menses, apud Alexandriam cepit et interfecit. Sed immoderata victoria usus Alexandriam direptioni dedit, Ægyptum totam proscriptionibus cædibusque fœdavit. Præterea Galerius Maximianus, cum duobus jam præliis adversus Narseum conflixisset, tertio inter [13] Callinicum et Carras congressus et victus, amissis copiis, ad Diocletianum refugit. A quo arrogantissime exceptus est, ita ut per aliquot milia passuum purpuratus ante vehiculum ejus cucurrisse referatur. Verumtamen hac contumelia quasi cote ad virtutem usus est, per quam detrita regii fastus rubigine, aciem mentis expediit. Itaque mox per Illyricum et Mœsiam undique copias contraxit, [14] raptimque in hostem **528** reversus, Narseum magnis consiliis viribusque superavit. Exstinctis Persarum copiis ipsoque Narseo in fugam acto, castra ejus invasit, uxores, sorores, liberosque cepit, immensam vim gazæ Persicæ diripuit : captivos quamplurimos Persarum nobilium abduxit. Reversus in Mesopotamiam a Diocletiano plurimo honore susceptus est. Postea per eosdem duces strenue adversus Carpos Basternasque pugnatum est. Sarmatas deinde vicerunt : quorum copiosissimam [15] captivam multitudinem per Romanorum finium dispersere præsidia. Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculeus in Occidente vastari ecclesias, affligi interficique Christianos, decimo post Neronem loco, præceperunt, quæ persecutio omnibus fere ante actis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendiis ecclesiarum proscriptionibus innocentum, cædibus martyrum, incessabiliter acta est. Sequitur terræmotus in Syria, ex quo apud Tyrum et Sidonem passim labentibus tectis, multa hominum millia prostrata sunt. Secundo persecutionis anno [16] Diocletianus ab invito exegit Maximiano, ut simul purpuram imperiumque deponerent, ac junioribus in rempublicam substitutis, ipsi in privato otio consenescerent. Itaque sub una die Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus **529** apud Mediolanum potestatem imperii simul cultumque [17] deposuerunt. Galerius et Constantius Augusti, primi Romanum imperium in duas partes [18] determinaverunt : Galerius Maximianus Illyricum, Asiam et Orientem : Constantius Italiam, Africam, Hispaniam, et Gallias obtinuit. Sed Constantius, vir tranquillissimus, Gallia tantum Hispaniaque contentus, Galerio cæteris partibus cessit. Galerius duos Cæsares legit, Maximinum, quem in Oriente constituit : et Severum, cui permisit Italiam ; ipse in Illyrico constitutus. Constantius vero Augustus, summæ mansuetudinis et civilitatis, in Britannia mortem obiit, qui Constantinum filium ex concubina Helena creatum imperatorem Galliarum reliquit.

530 CAPUT XXVI.

Constantinus Magnus imperator Cæsar Augustus. Interim objectiones adversariorum de novissima decennalique Ecclesiæ vastatione pulchre diluit.

Anno ab Urbe condita MLXI, [1] Constantinus, trigesimus quartus ab Augusto, gubernacula imperii [2] a Constantio patre suscepit, quæ uno et triginta annis felicissime tenuit. Occurritur mihi subito, et tripudiis quibusdam insultatur : Eia, inquiunt, tandem in

HAVERCAMPI NOTÆ.

12. *Sexaginta millia Alamannorum.* Lugd. Bat. quatuor, cum Coll. Gronov., LXX millia numerant.

13. *Callinicum.* Oppidum Mesopotamiæ, quod ita esse scribendum, non *Gallinicum*, vel *Gallienicum*, vel *Gallianicum*, ut in mss. et edd. est, patet ex derivatione nominis et geographorum industria. Vide Cellarium.

14. *Raptimque.* Lugd. Bat. pr., *statimque.*

15. *Captivam.* Lugd. Bat. tert., cum Coll. Gronov., *captivorum*, quod melius auribus consulit.

16. *Diocletianus ab invito exegit Maximiano*, etc. Et quidem Diocletianus postea quiete Salonis privatus vixit; Maximianus autem, sicuti invitus deposuerat imperium, postea ad depositam semel dignitatem frustra iterum aspiravit. Nam, dum genero Constantino impias struit fraudes, meritas cogitati sceleris pœnas, in ipso facinore deprehensus, dedit. Utriusque Augusti nummi vulgares sunt, Græcos quoque plures observare licet, sed in Ægypto cusos, quales hi duo, inter alios ejus generis, a nobis servantur, Diocletiani facies in primo est, cum epigraphe, ΔIOKΛHTIANOC CEBαστος, *Diocletianus Augustus.* Ab altera parte Spei figura, quæ florem dextra tenens, vestem læva sublevat. Imperii annus adest Lυκάβαντος ENATOY, *anno nono.* In Maximiano annus imperii quartus Lυκάβαντος Δ. signatur. Typus, Ægyptiacis nummis consuetus, aquila rostro coronam gerens, et ad latus stella, cernuntur. Ad Maximiani caput ascribitur, Αυτοκράτωρ Καίσαρ MAρκος OYAλέριος MAΞIMIANOC CEBαστος, *Imperator Cæsar Marcus Valerius Maximianus Augustus.*





17. *Deposuerunt.* Ita Florent. sec. et quatuor Lugd. Bat., cum Coll. Gronov.; vulgg., *posuerunt*, supra quoque *deponere*, non *ponere* dixit.

18. *Determinaverunt.* Ed. Aug., *diviserunt.* Florent. duo, *dispersere.*

CAP. XXVI. — 1. *Constantinus.* Constantini vitam copiose Eusebius libris quinque descripsit. De eodem Sex. Aurelius et Eutropius. FABR.

2. *A Constantio patre.* Plures ex mss. cum ed. August. addunt *suo.*

foveas nostras diu exspectate venisti, hic te decursurum operiebamur, hic delapsum [3] opprimimus, hic confusum tenemus. Sustinuimus te hactenus, artificiose quodammodo et callide fortuitas temporum mutationes Christianorum ultionibus coaptantem. Et interdum quidem [4] verisimilium specie permoti, utpote homines ignari divinorum secretorum, timore palluimus; [5] sed nunc evacuavit Maximianus noster omnem scenam fabulæ tuæ, nostræque religionis [6] antiquitatem [7] columna inexpugnabilis fulsit. Per annos decem eversæ sunt ecclesiæ vestræ, ut etiam tu fateris : dilacerati cruciatibus, exinaniti mortibus toto orbe Christiani. Tenemus evidens testimonium tuum, nullam superiorem persecutionem adeo vel gravem vel diuturnam fuisse. Et tamen ecce [8] inter tranquillissima **531** temporum bona ipsorum quoque imperatorum, qui ista fecerunt, [9] inusitata felicitas. [10] Nulla domi fames, nulla pestilentia, nullum foris bellum, nisi voluntarium, quo exerceri vires non periclitari, queant. Res præterea humano generi hucusque incognita, multorum simul regum patiens consortium, et magna concordia, potestasque communis, alias numquam, nunc in commune prospiciens. Deinde etiam, quod absque ulla hactenus mortalium notitia est, imperatores illi maximi, quippe et persecutores, honore deposito et assumpta quiete, privati, quod [11] beatissimum homines, et summum bonum [12] vitæ bonæ judicant, et hoc tunc, [13] velut præmii loco, auctores persecutionis adepti sunt, quando accensa persecutio, medio sui tempore toto orbe sæviebat. An etiam hanc beatitudinem illis temporibus pœnaliter accidisse asseris, et nos hinc quoque terrere moliris? Quibus humiliter responderim, me, plurima cura pietatis accinctum, commonere de veris, non terrere de falsis. [14] Decem persecutiones a Nerone usque ad Maximianum Ecclesia Christi [15] passa est. Novem (ut ego dixi) ultiones, ut ipsi non negant, calamitates [16] e vestigio consecutæ sunt. Nec in verbo [17] premor, utrum debitæ ultiones, an fortuitæ permutationes fuisse videantur, quæ tamen meo suoque testimonio clades fuerunt. In decima hæsitatum putant miseri et cæci, non videntes tanto eam ipsis fuisse graviorem, quanto minus [18] intellecta est. [19] Impius enim flagellatur, et non sentit : [20] quod cum expositum fuerit, inviti licet propter ipsam rerum fidem fatebuntur : quia ex illa Maximianæ persecutionis maxima punitione **532** ista sunt vulnera, quibus etiam nunc isti dolent, et in tantum dolent, ut etiam clament, nosque [21] ad reclamandum lacessant, sollicitos fieri, qualiter conticescant.

CAPUT XXVII.

Collatio populi Israelitici et Christiani, Ægyptiaci item et Romani, quomodo illi pro Deo in afflictionibus, hi a Deo in plagis similia fere passi sunt.

[1] In primo libello expositum a nobis est, Pompeium Trogum, et Cornelium Tacitum commemorasse, non plene quidem, nostrum vero Moysen, etiam ipsorum testimonio fidelem, fideliter sufficienterque dixisse, Ægyptios et regem eorum, cum populum Dei, servire intentum et paratum Deo suo, impediendæ devotionis instinctu, ad lutum paleasque revocarent, decem [2] acerbissimis plagis fuisse vexatos. Deinde [3] violentia malorum edomitos, non solum coegisse festinantem, sed etiam propriis [4] suis argenteis et aureis vasis accumulavisse. Post, oblitos plagæ suæ, et cupidos prædæ indebitæ, invidos etiam religionis alienæ, dum innocentes avide persequuntur, mari Rubro ultime receptos omnes funditus interiisse. Quod ego nunc refero ac renun-

HAVERCAMPI NOTÆ.

3. *Opprimimus.* Lugd. Bat. tert. et quart., *oppressimus.*

4. *Verisimilium.* Lugd. Batt. quatuor, cum Coll. Gronov., *verisimillima.*

5. *Sed nunc*, etc. Duo ex iisdem cum Coll. eadem, *sed nonne nunc*, etc.

6. *Antiquitatem.* Edd. quædam vett., *antiquatam.*

7. *Columna inexpugnabilis fulsit.* Codd. Lugd. Bat. tert. et Perizon., *columna inexpugnabili fulsit.* Sed vulg. proba ejusque sensus hic est : Antiquitatem religionis nostræ oppugnatam, sed victricem et constanti tenore permanentem Maximianus, veluti stabilis et firma, suo loco manens, columna fulcivit. Cicero Orat. pro Rabirio Posthumo cap. 16 : *Eum labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit re, fortuna, fide.*

8. *Inter tranquillissima*, etc. Lugd. Bat. pr., *fuerunt tranquillissima*, etc.

9. *Inusitata felicitas.* Lugd. Bat. sec., *inusitatæ felicitatis.*

10. *Nulla domi*, etc. Lugd. Bat. tres, *jam nulla domi fames*, etc.

11. *Beatissimum.* Perizon., *quietissimum.*

12. *Vitæ bonæ.* Posterior vox abest a Lugd. Bat. quarto.

13. *Velut præmii loco.* Lugd. Bat. sec., *velut in præmii loco.*

14. *Decem persecutiones.* Lugd. Bat. sec., *decem persecutores.*

15. *Passa est.* Mss. aliquot, *perpessa est.*

16. *E vestigio.* Quatuor Lugd. Batt., cum Coll. Gronov. et cod. Perizon., *e vestigiis.*

17. *Premor.* Iidem cod. ut et Flor. sec., *premo.* Ed. Aug. *promo.* Sensus est, nolo de eo disceptare, utrum, etc.

18. *Intellecta est.* Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *quanto minus intellectam.*

19. *Impius*, etc. Verba sunt Jerem. v, 3.

20. *Quod cum*, etc. Lugd. Bat. quatuor, Coll. Gronov., Florentt. duo, Perizon. et ed. Aug., *et quod cum.* Repone, *quod et cum*, etc.

21. *Ad reclamandum.* Ed. Aug. sola, *ad se damnandum.* Locus est obscurus, cujus hic mihi videtur esse sensus : sentientes miseri calamitatem suam dum exclamant præ dolore, cogunt nos quoque vicissim ad illos exclamare, sollicitos quomodo sistere illorum clamorem possimus.

Cap. XXVII. — 1. *In primo libello.* Lugd. Batt. pr. et quart., *in primo libro.*

2. *Acerbissimis plagis.* Lugd. Bat. tert., *acerrimis plagis.*

3. *Violentia malorum.* Perizon., *violentia earum.*

4. *Suis.* Abest ab ed. Aug. quæ mox *accumulasse* mavult.

tio, etsi forte fide non acceptatum, exitu tamen probandum, quia hæc [5] in figuram nostri facta sunt. Uterque **533** populus unius Dei est, una populi utriusque causa. Subdita fuit Israelitarum synagoga Ægyptiis, subdita est Christianorum Ecclesia Romanis. Persecuti sunt Ægyptii, persecuti sunt et Romani. Decem ibi contradictiones adversus Moysen, hic decem edicta adversus Christum. Diversæ ibi plagæ Ægyptiorum, diversæ hic calamitates Romanorum. Nam ut etiam ipsas inter se plagas, in quantum tamen figura formæ comparari potest, conferam : ibi prima habuit correptio sanguinem vulgo vel manasse de puteis, vel in fluminibus cucurrisse : hic prima sub Nerone exegit plaga, ut ubique morientium sanguis esset, vel morbis in Urbe corruptus, vel bellis in orbe profusus. Ibi sequens plaga prodidit, perstrepentes persultantesque in penetralibus ranas, inediæ propemodum causam habitatoribus atque exsilii fuisse : hic sequens sub Domitiano pœna, similiter ostendit, satellitum militumque ejus improbis effrenatisque discursibus cruentissimi jussa principis exsequentium, ad inopiam pene omnes cives Romanos adactos exsilioque dispersos. Ibi tertia vexatio habuit cynipes, musculas scilicet parvissimas [6] ac sævissimas, quæ mediis sæpe æstibus per loca squalida coadunatim vibrando densatæ, [7] et tinnulo volatu allabi solent, capillisque hominum ac pecudum setis cum urente morsu [8] interseri : hic itidem tertia sub Trajano plaga Judæos excitavit : qui cum antea ubique dispersi ita jam, quasi non essent, quiescerent, repentino omnes calore permoti, in ipsos, inter quos erant, toto orbe sævierunt, absque [9] magnis multarum urbium ruinis, quas crebri terræmotus iisdem temporibus subruerunt. Ibi in quarta plaga muscæ caninæ fuerunt, [10] sævæ alumnæ putredinis, vermiumque matres : **534** hic itidem quarta sub Marco Antonino plaga, lues plurimis infusa provinciis, Italiam quoque cum urbe Roma universam, exercitumque Romanum per longinquos limites [11] et diversa hiberna dispersum, [12] in mortem dissolutum, putredini simul ac vermibus dedit. Ibi quinta correptio pecorum ac jumentorum repentino interitu expleta est : hic similiter quinta ultione sub Severo persecutore creberrimis civilibus bellis propria viscera et adjumenta reipublicæ, hoc est, plebes provinciarum et legiones militum, comminutæ sunt. Ibi sexta vexatio intulit vesicas effervescentes, ulceraque manantia : hic æque sexta punitio, quæ post Maximini persecutionem fuit, qui specialiter episcopos, et clericos omissa turba populari, hoc est, ecclesiarum primates trucidari imperaverat, intumescens, crebro ira atque invidia, non per vulgi cædem, sed per vulnera, [13] mortesque principum ac potentium [14] exhalata est. Ibi septima plaga numeratur [15] coacto aere grando profusa, quæ hominibus [16] jumentis satisque exitio fuit : hic similiter septima, sub Gallo et Volusiano, qui [17] persecutori Decio mox interfecto successerant, plaga exstitit, corrupto aere pestis [18] infusa : quæ per omnia Romani regni ab Oriente in Occidentem spatia, cum omne propemodum genus hominum et pecudum neci dedit, tum etiam,

[19] Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.

535 Ibi octavam Ægypti contritionem fecere excitatæ undique locustæ, [20] tenentes, terentes, tegentesque omnia : hic octavam æque in subversionem

HAVERCAMPI NOTÆ.

5. *In figuram nostri.* Desumptum ex I ad Corinth. x, 6.

6. *Ac sævissimas.* Mss. Lugd. Batt. et cod. Perizon., *Sævissimasque.*

7. *Et tinnulo volatu allabi solent.* Ineptissima lectio hactenus omnes, una excepta Augustana, occupavit. Legitur enim in cunctis, *et in nullo volatu allabi solent*, quod tamen ulcus sic relictum est cum nihil juvarent mss. Quos enim ego inspexi, omnes habent vel *in nullo* (ut editur) vel *ac et nullo*, ut Florent. tert., vel *et in ullo*, ut Florent. sec., qui proxime accedit ad veram lectionem *tinnulo volatu*, quam non sine præstantissimæ Augustanæ ed. veneratione, cupide in contextum recepi.

8. *Interseri.* Cod. Perizon. habent *inferri*. Mss. Lugd. Batt. tres *interferri*, ut et Coll. Gronov. atque cod. Ultraj. Lugd. Bat. pr., *intus ferri*; Flor. sec., *inseri*.

9. *Magnis.* Multi ex mss., *immanibus.*

10. *Sævæ alumnæ.* Magis hoc placet, quod in tribus Lugd. Batt. atque Coll. Gronov., quam *revera alumnæ putredinis*, quod reliqui et vulg. exhibent.

11. *Et diversa hiberna. In diversa*, etc. Lugd. Bat. duo cum Coll. Gronov.

12. *In mortem dissolutum.* Tres Lugd. Batt., cum Perizon. et Coll. Gronov., *morte dissolutum.*

13. *Mortesque principum.* Mss. aliquot et ed. Aug., *morientium principum.*

14. *Exhalata est.* Colon., *exaltata*, Ex quo Fabricius fabricaverat, *exaltata*, minus fabre. Laut. — Nequaquam editores, quod invenerant in mss. *exalata* vel *exhalata*, mutare debuerunt in *exaltata*. Fabricii tamen id facinus non est, sed is priores edd. quæ omnes malam receperunt lectionem, nimis secure est secutus. Ego in meo codice atque Ultr. inveni *exalata*, ut et in ed. August. quæ codicis sui præstantissimi vitiosas quoque lectiones ubique fideliter exhibet. Quatuor autem Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. *exhalata* recte scribunt. *Exhalata est* enim hoc in loco significat, efferbuit, erupit.

15. *Coacto aere.* Ad quotidianam experientiam nihil attenderunt, qui *coacta aere grando profusa* ediderunt, cum omnes ante Fabricium edd. et mss. nativam lectionem exhibeant, et ipsa ratio doceat cogi nubes in unum et densari solere ingruente pluvia graviori vel grandine.

16. *Jumentis satisque.* Æque insipide editum fuit *jumentisque satis*, quamvis in mss. quibusdam sic legatur.

17. *Persecutori.* Cod. Perizon., *persecutore.*

18. *Infusa : quæ.* Idem codex, *infusa est.*

19. *Corrupitque*, etc. Hæc meliorum mss. lectio est. Copulam alii delent. Desumpti sunt ex Virgil. Georg. III, 480 :

> Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
> Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.

20. *Tenentes, terentes, tegentesque omnia.* In mss. quibusdam intermedium tantum invenitur verbum. Forsitan reliqua ex varia lectione nata sunt, sufficit enim *terentes* omnia, vel *tegentes terentesque omnia.*

Romani orbis excitatæ undique intulere gentes, quæ cædibus atque incendiis cunctas provincias deleverunt. Ibi nona turbatio diuturnas crassas ac [21] pene tractabiles tenebras habuit, plus omnino periculi comminata quam fecit : hic itidem nona correptio fuit, cum Aureliano persecutionem decernenti, diris turbinibus terribile ac triste fulmen sub ipsius pedibus ruit, ostendens quid, cum ultio talis [22] exigeret, tantus posset ultor, nisi et clemens esset et patiens : quamquam intra sex abhinc menses succidui tres imperatores, hoc est, Aurelianus, Tacitus et Florianus, diversis causis interfecti sunt. Ibi postremo decima plaga, quæ et novissima omnium fuit, [23] interfectio filiorum, quos primos quique genuerant : hic nihilo minus decima, id est, novissima pœna est omnium idolorum perditio, quæ primitus facta in primis amabant. Ibi rex potentiam Dei sensit, probavit, et timuit, ac per hoc populum Dei liberum abire permisit : [24] hic rex potentiam Dei sensit, probavit et credidit, ac per hoc populum Dei liberum esse permisit. Ibi numquam postea populus Dei ad servitutem retractus, hic numquam postea populus Dei ad idololatriam coactus est. Ibi Ægyptiorum vasa pretiosa Hebræis tradita sunt : hic in ecclesias **536** Christianorum præcipua paganorum templa cesserunt. Sane illud, ut dixi, denuntiandum puto, quia sicut Ægyptiis post has decem plagas dimissos Hebræos persequi molientibus, irruit [25] per superductum mare æterna perditio : ita et nos quidem libere peregrinantes, superventura quandoque persecutio gentilium manet, donec mare Rubrum, hoc est, ignem judicii, ipso Domino nostro Jesu Christo duce et judice, transeamus. Hi vero in quos Ægyptiorum forma transfunditur, permissa ad tempus potestate [26] sævientes gravissimis quidem permissu Dei [27] Christianos cruciatibus persequentur; verumtamen iidem omnes inimici Christi, cum rege suo Antichristo, accepti stagno ignis æterni, quod magna impediente caligine, dum non videtur, intratur, perpetuam perditionem, immortalibus arsuri suppliciis, sortientur.

CAPUT XXVIII.

De Constantini Magni Augusti, Maxentii, Licinii, et Maximiani imperiis, et rebus gestis. Item de Ario hæretico, ejusque dogmate damnato.

Igitur mortuo, ut dixi, Constantino in Britanniis, Constantinus imperator [1] est creatus, primus [2] imperatorum Christianus, excepto **537** Philippo, qui Christianus annis admodum paucissimis ad hoc tantum constitutus fuisse mihi visus est, ut millesimus Romæ annus Christo potius, quam idolis [3] dicaretur. [4] A Constantino autem semper omnes Christiani imperatores usque [5] in hodiernum diem creati sunt, excepto Juliano, quem impia (ut aiunt) [6] machinantem exitiabilis vita deseruit. Hæc est lenta illa paganorum pœna, sed certa. Hinc sani insaniunt, hinc [7] non vulnerati compunguntur, hinc ridentes gemunt, hinc viventes deficiunt, hinc secreto excruciantur, quos nemo persequitur; hinc jam paucissimi remanserunt, qui numquam aliquo persequente puniti sunt. Verumtamen qualis tunc persecutores illos, de quorum impunitate non solum gloriari, sed etiam insultare conantur, finis mansit, expediam. Constantino in Galliis strenuissime rempublicam procurante, prætoriani milites Romæ Maxentium, filium Herculei, qui privatus in Lucania morabatur, Augustum nuncupaverunt. Maximianus Herculeus, jam ex Augusto privatus, et adhuc publicus persecutor, occasione filii sollicitatus, qui imperium abjecerat, arripuit tyrannidem. Galerius Augustus Severum Cæsarem adversus Maxentium Romam [8] cum exercitu misit. Severus cum Urbem obsideret, militum suorum scelere desertus et proditus, atque ex eo fugiens, Ravennæ interfectus est. Herculeus Maximianus persecutor, [9] et ex Augusto tyrannus, confirmatum jam

HAVERCAMPI NOTÆ.

21. *Pene tractabiles.* Lugd. Bat. duo et Coll. Gron., *penetrabiles.*

22. *Exigeret.* Edd. vett. quædam, *exigeretur.*

23. *Interfectio filiorum.* Ed. Aug., *interfectorum filiorum.*

24. *Hic rex potentiam Dei*, etc. Cod. Aug., *Hic tyranni Ecclesiam Dei a persecutione liberam honoribus ampliaverunt.* Verum auctor de Constantino Magno agit quod patet ex verbo *credidit*, opposito illi quod præcessit *timuit.* Sana igitur est recepta lectio.

25. *Per superinductum.* Florentt. duo, *superductum.*

26. *Sævientes.* Sic ex vestigiis libri Colon. scripsi. Nam illud *servientes* quod hic erat quo pertinet? LAUT.— Unde *servientes* in edd. Fabricianas irrepserit, nescio, edd. vetustiores et mss. habent, ut oportet, *sævientes.*

27. *Christianos cruciatibus persequentur.* Cod. Perizon. ut et ed. Aug. primaque et Venetæ. Lugd. Bat. pr. *persecutionibus excruciant.* Sed Orosius futuras Ecclesiæ persecutiones per alteram Ægyptum, spiritualem videlicet, innuere videtur, prædictas scilicet in Apocalypsi Joannis, unde id, quod loquitur de Antichristi, ejusque et omnium, qui illi sunt similes, pœna, quoque desumptum est.

CAP. XXVIII. — 1. *Est creatus.* Ex plerisque mss. excidit *est.*

2. *Imperatorum.* Florentt. duo *imperator.*

3. *Dicaretur.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., quibus accedunt Ultr. et Perizon., *dedicaretur*, quæ lectio quoque superscribitur in Florent. sec.

4. *A Constantino autem.* Plerique mss. legunt, *A Constantino omnes semper Christiani*, etc., deleto *autem.*

5. *In hodiernum diem.* Lugd. Batt. quatuor, cum Coll. Gronov., *in hunc hodiernum diem.*

6. *Machinantem.* Florent. secundus, *machinatum.*

7. *Non vulnerati.* Cod. Periz., *vulnerati non compunguntur.* Male, ut ex conjunctis apparet.

8. *Cum exercitu misit.* Edd. quædam vett., *mittit cum exercitu.*

9. *Et ex Augusto.* Periz. et Florent. sec., *ex Augusto.*

[10] in imperio filium veste ac potestate regia [11] spoliare conatus, [12] conviciis autem ac tumultibus militum palam conterritus, in Galliam profectus est, ut Constantino genero æque dolis junctus auferret imperium; sed per filiam deprehensus ac proditus, deinde in fugam versus, Massiliæ oppressus et interfectus est. Porro Galerius, occiso Severo, Licinium imperatorem creavit. Cumque persecutionem a Diocletiano et Maximiano [13] missam ipse atrocioribus edictis accumulavisset, ac postquam per annos decem omni genere hominum exhausit provincias, putrefacto introrsum pectore, et vitalibus dissolutis, cum ultra horrorem humanæ miseriæ etiam vermes eructaret, [14] medicique, ultra jam fetorem non ferentes, crebro jussu ejus occiderentur, a quodam medico constantiam ex desperatione sumente increpitus, iram Dei suam esse pœnam atque ideo a medicis non posse curari, edictis late missis, Christianos de exsiliis revocavit. Ipse autem cruciatus non sustinens, vim vitæ suæ attulit. [15] Ita respublica nunc sub novis quatuor principibus fuit, Constantino et Maxentio, filiis Augustorum, Licinio autem et [16] Maximino, hominibus novis. Constantinus pacem Ecclesiis post decem annos quam a persecutoribus vexabantur, indulsit. Deinde inter Constantinum et Maxentium bellum civile [17] exortum est. Maxentius, sæpe multis prœliis [18] fatigatus, ultime ad pontem Mulvium victus et interfectus est. Maximinus, persecutionis Christianorum incentor exsecutorque infestissimus, apud Tarsum, dum civile bellum contra Licinium disponit, interiit. Licinius, repentina rabie suscitatus, omnes Christianos e palatio suo jussit ex- A pelli. Mox bellum inter Licinium ipsum et Constantinum efferbuit. Sed Constantinus Licinium, sororis suæ virum, in Pannonia primum vicit, deinde apud Cibalas oppressit, universaque Græcia potitus, Licinium crebris bellis terra marique assurgentem [19] et repressum, tandem ad **539** deditionem coegit, sed Herculei Maximiani, soceri sui, motus exemplo, ne iterum depositam purpuram in perniciem reipublicæ sumeret, privatum jussit occidi; [20] cum, omnibus jam ministris nefariæ persecutionis exstinctis, hunc quoque, in quantum exserere potuit, persecutorem, digna punitio flagitaret. Constantini filii, Crispus et Constantinus, et Licinius adolescens, Licinii Augusti filius, Constantini autem ex sorore nepos, Cæsares sunt creati. B His diebus [21] Arius, Alexandrinæ urbis presbyter, a veritate fidei catholicæ devians, exitiabile plurimis dogma constituit. Qui simul ut primum Alexandriæ vel notus vel notatus inter confusos vulgo sectatores insectatoresque [22] factus est, ab Alexandro, tunc ejusdem urbis episcopo, pulsus Ecclesia est. Cumque homines [23] quos in errorem seduxerat, etiam in seditionem excitaret, apud Nicæam, urbem Bithyniæ, conventus trecentorum et octodecim episcoporum factus est, per quos Arianum dogma [24] exitiabile et miserum evidentissime deprehensum, palam proditum ac reprobatum est. Sed inter hæc latent causæ, cur vindicem gladium, et destinatam in impios punitionem, Constantinus imperator etiam in proprios egit affectus. Nam Crispum filium suum et [25] Licinium, C sororis filium, interfecit. Præterea multas **540** gentes diversis prœliis subegit. [26] Urbem [27] nominis sui

HAVERCAMPI NOTÆ.

10. *In imperio*. Manuscripti quidam delent *in*.

11. *Spoliare conatus*. Lugd. Batt. quatuor, *spoliare conatus est*, et sic quoque Ultr. et Coll. Gron. atque edd. quædam veteres; at editio August., *exspoliare conatus*.

12. *Conviciis autem ac tumultibus*. Codex Perizon., *Convictus autem*, etc.; sed in duobus Lugd. Batt. *autem* non exstat.

13. *Missam*. Ed. Aug., *passam*.

14. *Medicique*, etc. Sic recte in edd. prima, Venetis et Scotti legitur, et nihil in sequentibus invenitur quo vox *neque*, quæ occurrit in Fabric. et aliis, sese tueri possit.

15. *Ita resp. tunc*. Sic transponunt mss. Nescio quomodo in Fabricianis et Scott. edd. pro *tunc* tolerari potuerit et repeti sæpius, *Ita nunc resp.*

16. *Maximino*. Verum homini nomen restituunt D mss. Inepte in vulg., *Maximiano*.

17. *Exortum est*. Ed. Aug. *ortum est*.

18. *Fatigatus*. Lugd. Batt. quatuor, Ultr. et Coll. Gronov., *agitatus;* ed. Aug. *fugatus*.

19. *Et repressum*. Ed. Aug., *et oppressum*.

20. *Cum, omnibus*, etc. Depravatus in edd. hic locus ita fuit: *Quamvis omnibus jam ministris nefariæ persecutionis exstinctis, hunc quoque in quantum exercere potuit persecutionem, digna punitio flagitaret.* Primo autem reposui *cum* ex edd. omnium principe, Paris. et Venetis; dein, auctoritate codd. Florentt. duorum, atque Perizon., ut et edd. August. et alia omnium prima, pro *persecutionem* feci *persecutorem*. Pro *exercere* in quibusdam mss. *exserere* legi marginales notæ in Hitt. et Bolsuing. edd. testantur. Ne illud quidem damno, dictum enim est ut *exserere principem* et similia. Fuit igitur persecutor, quantum per se potuit Licinius, futurus acrior, si per Constantinum licuisset. Itaque merito illum, qui solus supererat, divina manebat vindicta.

21. *Arius, Alexandrinæ urbis*. De Ario et concilio Niceno tam multa scriptores ecclesiastici, ut mihi tacendum putem. FABR.

22. *Factus est*. Duo ex mss. Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., abjiciunt *est*.

23. *Quos in errorem seduxerat*. Mss. Lugd. Batt. quatuor cum Perizon. Ultr. et Coll. Gronov., *cumque homines in hoc errore seductos*, etc.

24. *Exitiabile et miserum*. Addunt *esse* Lugd. Batt. quatuor, Perizon., Ultr. et Coll. Gronov. et uterque Florentinus.

25. *Licinium, sororis filium*. Nescio unde putida lectio contra omnes mss. et edd. irrepserit in Fabricii et Scott. editiones, *et Licinium filium, sororis filium, interfecit*. Quasi de patre Licinio, jam ante interfecto, aliquis cogitare posset.

26. *Urbem nomine suo. Constantinopolim* intelligit, quæ prius *Byzantium* erat. FABR.

27. *Nominis sui*. Placet hæc lectio mss. omnium, ut et ed. August., præ alia quæ in reliquis vulgg. legitur, *nomine suo*. Et hinc innumeri inveniuntur nummi ex omni modulo, qui conditam a Constantino Magno Constantinopolim celebrant. Et hi quidem passim occurrunt. Rarissimum autem ex argento puro est Constantini Magni, maximi moduli, quod possideo, numisma, cum propter insolitam magnitudinem, tum propter superbissimam inscrip-

Romanorum regum vel primus vel solus instituit. Quæ sola expers idolorum, ad hoc, brevissimo tempore, condita a Christiano imperatore, provecta est, ut sola Romæ, tot sæculis, miseriisque provectæ, [28] forma et potentia merito [29] possit æquari. Tum deinde primus Constantinus justo ordine et pio vicem vertit edicto, siquidem statuit citra ullam hominum cædem paganorum templa claudi. Mox Gothorum fortissimas et copiosissimas gentes in ipso barbarici soli sinu, hoc est in Sarmatarum regione delevit. [30] Calocerum quemdam, **541** in Cypro aspirantem novis rebus, oppressit. Tricennalibus suis Dalmatium Cæsarem legit. Cumque bellum in Persas moliretur, in villa publica juxta Nicomediam, disposita bene rempublicam filiis tradens, diem obiit.

CAPUT XXIX.

Constantinus, Constantius et Constans imperatores. Interim de Magnentio arripiente imperium, et Decentio.

Anno ab Urbe condita MXCII, [1] Constantius tricesimus quintus cum Constantino et Constante [2] fratribus suis adeptus imperium, [3] viginti quatuor annis tenuit. Fuit inter successores Constantini et Dalmatius Cæsar [4] fratris filius, sed continuo militari [5] factione [6] decerptus est. Interea maligna semper adversus Deum verum [7] insectatio diaboli, quæ ab initio mundi usque ad nunc, a sincero fidei religionisque tramite, [8] offusis errorum nebulis, lubrica hominum corda perturbat; postquam Christianis imperatoribus summam regiæ potestatis in meliora vertentibus, ecclesiam Christi zelo idololatriæ persequi destitit, aliud machinamentum, quo per eosdem Christianos imperatores Christi ecclesiam vexaret, invenit. Fit igitur Ario, novi erroris auctori, cæterisque discipulis ipsius ad familiaritatem **542** Constantii imperatoris promptus aditus et facilis via. Suadetur Constantio, ut quosdam in Deo gradus credat: et qui per januam ab errore idololatriæ fuerat egressus, [9] rursus in sinum ejus, dum in Deo deos quærit, tamquam per pseudothyrum inducitur. Perverso igitur zelo potestas armatur illusa, et sub nomine pietatis vis persecutionis agitatur. [10] De nova nominis electione contenditur, ut Arianorum potius ecclesiæ, quam catholicorum sint. Sequitur terræmotus horribilis, qui plurimas Orientis urbes [11] solo

HAVERCAMPI NOTÆ.

tionem. Cæsari enim Augusto, imperii Romani amplificatori, qui marmoream ex lateritia fecerat Romam, primus hic Christianus imperator, et novæ Romæ conditor, æquiparatur. Caput Constantini Magni, corona gemmata (pro qua laurea in numismate non dissimili apud Bandurium cernitur) cinctum, a priori parte est; a posteriori corona laurea ingens, cui Cæsaris inscribitur nomen, apposito ad caput Constantini, non proprio ipsius nomine, sed illius cui sese assimilabat, Augusti. Unde integra nummi, qui Lugduni cusus est, omnibus titulis superbior emergit inscriptio, CÆSAR AVGVSTVS. Magnitudo nummi et pictura hæc est:



28. *Forma et potentia*. Florent. sec., *forma ut potentia;* sec., *et forma et potentia*.

29. *Possit æquari*. Ita legi debere omnes mss., et ipsa clamat ratio. In vulgg. edd. exceptis prima et Paris. inepte legitur *posset*.

30. *Calocerum*. Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *Calotherum;* Florent. duo, cum Ultr., *Calocherum;* Perizon., *Calochareum*.

CAP. XXIX.—1. *Constantius*, etc. Ex mss. et edd. vetustioribus ita reponendum duxi, magis convenienter quam, ut Fabricius aliique ediderunt, *Constantinus tricesimus quintus cum Constantio et Constante*, etc. Reliquis enim supervixit Constantius, Constantinus autem statim periit.

2. *Fratribus suis*. De Constantini tribus filiis, qui illi in imperio successerunt, Eutropius lib. ultimo. FABR.

3. *Viginti quatuor annis*. Male in ed. Aug. *viginti tres*: decessit enim anno imperii vigesimo quinto, itaque integris viginti et quatuor annis imperavit.

4. *Fratris filius*. Lugd. Batt. quatuor, Perizon. et Ultr., *fratris sui filius*.

5. *Factione*. Lugd. Batt. pr. et tert., *seditione*.

6. *Decerptus est*. Id est, immature abreptus est. Scribæ quidam non intelligentes verbum, posuerant *deceptus est*.

7. *Insectatio diaboli*. Florent. sec., *diabolica insectatio;* tert., cum ed. Aug., *diaboli insectatio*.

8. *Offusis*. Mss. codd. Florentt. duo et Perizon., *effusis*.

9. *Rursus in sinum ejus, dum*. Libri plerique: *reversus in sinum ejusdem*, in quibus dum sensum quæro, nec invenio, sic immutavi. Audacter, inquies, audacter sane, sed nec minus commode. LAUT. — Cum sic in omnibus mss. et præterea in ed. August. scribatur, corruptam tamen reliquarum editionum lectionem, quæ minus apte exhibent, *reversus in sinum ejusdem, in Deo deos quærit, et tanquam per pseudothyrum inducitur*, pleræque ex postremis secutæ sunt, excepta Scotti, in qua bene constituitur.

10. *De nova nominis*. Mss. quidam et edd. *de novi nominis*, etc.

11. *Solo stravit*. Priorem vocem mss. quædam delent.

stravit. [12] Constantinus, dum Constantem fratrem bello [13] insectatur, incauta petulantia [14] periculis sese offerens, a ducibus ejus occisus est. [15] Constantius **543** adversus Persas et Saporem, qui Mesopotamiam [16] vastaverant, novem præliis parum prospere decertavit. Novissime, seditione atque intemperantia militum nocte adoriri pugnam coactus, patratam pene victoriam insuper victus amisit. [17] Post cum se Constans intolerandis vitiis dedisset, ac pœna provincialium favorem militum compararet, Magnentii dolis in oppido [18] cui Helena nomen est, in proximo Hispaniæ interfectus est. Magnentius enim apud Augustodunum arripuit imperium, quod continuo per Galliam, Africam Italiamque porrexit. In Illyrico autem [19] Vetranionem, ætate grandævum, imperatorem sibi milites creaverunt, virum natura simplicem, cunctisque jucundum, sed qui ne prima quidem umquam litterarum elementa didicisset. Itaque [20] cum primas litteras, litterarumque syllabas, imperator senex, interdum invitus, meditaretur, a Constantio, qui tunc in Magnentium, ultione fratris accensus, bellum parabat, deponere jussus imperium, abjiciens cum litteris purpuras, contentusque **544** privatis feriis, palatium simul [21] scholamque dimisit. Nepotianus deinde, Romæ, Constantini sororis filius, gladiatorum manu fretus, invasit imperium : qui deinde, cum improbus ac per hoc invisus cunctis esset, a Magnentianis ducibus oppressus est. Sequitur bellum illud horribile inter Constantium Magnentiumque apud Mursam urbem gestum, in quo multa Romanarum virium profligatio etiam in posterum nocuit. Magnentius tamen victus aufugit, ac non multo post apud Lugdunum propria se manu interfecit. Decentius quoque, frater ejusdem, quem Cæsarem Gallis præfecerat, apud Senonas laqueo vitam finivit. Continuo Constantius Gallum, patrui filium, Cæsarem legit : quem rursus crudeliter ac tyrannice agentem, paulo postquam creaverat, occidit. Sylvanum quoque per Gallias rebus novis inhiantem, mature circumveniendum opprimendumque curavit. Igitur Sylvano interfecto, Julianum patruelem suum, Galli fratrem, Cæsarem creatum, misit ad Gallias. Itaque Julianus Cæsar eversas oppressasque [22] ab hoste Gallias strenuissime in integrum restituit. Alamannorum parvis copiis magnam multitudinem fudit. [23] Rheno Germanos revinxit. His elatus successibus, fastigium usurpavit Augusti : et mox Italiam Illyricumque pervadens, Constantium, Parthicis [24] præliis occupatum, regni parte privavit. Constantius, Juliani scelere comperto, dimissa expeditione Parthorum,

HAVERCAMPI NOTÆ.

12. *Constantinus dum*, etc. Epicedium anonymi sophistæ Græcum in Constantinum hunc Juniorem, ex quo militaris illa factio et infelix ejus obitus cognosci potest, exstat ad calcem Eutropii ed. nostræ p. 703. In eo causa mortis refertur ad percussores a fratre Constante subornatos.

13. *Insectatur*. Flor. sec., *insectatus* ; ed. Aug. et cod. Perizon., *insequitur*.

14. *Periculis*. Ed. Aug., *periculo*.

15. *Constantius*. Sic omnino ex mss. Lugd. Batt. sec. et quarto atque Ultr. reponi debet, non *Constans*, ut fuit editum. Constanti enim cum Persis nihil negotii fuit, sed adversus Gothos aliosque barbaros rem gessit, de quibus reportatas victorias insigne ex argento primi moduli testatur numisma, cujus ectypon penes me est. In parte anteriore cernitur cum pectore paludato, caput Constantis, corona gemmata insigne, cum hac inscriptione : FL*avius* IVL*ius* CONSTANS *Pius Felix* AVG*ustus*. Ab altera parte stat imperator thorace et paludamento indutus, læva tenens hastam, dextra signum militare, a cujus summitate dependet labarum monogrammate Christi insignitum, in circuitu scribitur ambitiosus titulus : TRIVMPHATOR GENTIVM BARBARARVM. Numisma Sisciæ in Pannonia cusum fuisse docent litteræ in ima ora positæ SIS*cia*.



16. *Vastaverant*. Lugd. Batt. duo, cum Perizon. et Florent. sec., *vastaverat*.

17. *Post cum se Constans*. Ex iisdem mss. quibus hic Lugd. Batt. duo reliqui cum Coll. Gronov. accedunt, inseritur *Constans*, cujus (ut in editis fit) omisso nomine, ingens Oroslo, ut historiarum ignaro, fit injuria.

18. *Cui Helena*. Eutrop. scribit Constantem perisse haud longe ab Hispaniis in castro cui Helenæ nomen est. Schonhovius non recte *castris*, legit, quod ex Cassiodoro et Hieronymi Chronico perspicitur. FABR.

19. *Vetranionem*. Ita hoc nomen scribitur etiam in meo Eutropio. FABR.

20. *Cum primas*. Perizon. et Lugd. Bat. quart., *cum primum*.

21. *Scholamque*. Perizon., *scholasque*.

22. *Ab hoste*. Sic plerique mss. ; alii, *ab hostibus*.

23. *Rheno*, etc. Perizon., *Rheno Germanos flumine sejunxit*.

24. *Præliis*. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. *bellis*, quod Latinius, sed Orosius promiscue usurpat.

dum ad civile bellum revertitur, in itinere inter Ciliciam Cappadociamque defunctus est. Ita ille qui [25] discissa pace et unitate fidei catholicæ, Christianos adversus Christianos [26] armans, civili (ut ita dicam) bello Ecclesiæ membra dilaceraverat, totum [27] inquietum tempus imperii sui, molestissimumque spatium vitæ suæ, bellis civilibus etiam per propinquos et consanguineos excitatis, exercuit, exegit, expendit.

545 CAPUT XXX.

Fl. Claudius Julianus imperator Cæsar.

Anno ab Urbe condita MCXVI, [1] Julianus, [2] dudum Cæsar, post autem sextus et trigesimus ab Augusto regno potitus, anno uno et mensibus octo imperii summam solus obtinuit, Christianam religionem arte potius quam potestate insectatus, ut negaretur fides Christi [3] et idolorum cultus [4] susciperetur, honoribus magis provocare, quam tormentis cogere studuit. Aperto tamen præcepit edicto, [5] ne quis Christianus docendorum liberalium studiorum professor esset. Sed tamen, sicut a majoribus [6] nostris compertum habemus, **546** omnes ubique propemodum præcepti conditiones amplexati, officium quam fidem deserere maluerunt. Julianus autem bellum adversus Parthos parans, cum Romanas vires contractas undique ad destinatam secum traheret perditionem, Christianorum sanguinem diis suis vovit, palam persecuturus [7] Ecclesias, si victoriam potuisset adipisci. Nam et amphitheatrum Hierosolymis exstrui jussit, in quo reversus a Parthis, episcopos, monachos omnesque ejus loci sanctos, bestiis etiam arte C sævioribus objiceret, spectaretque laniandos. Itaque postquam a Ctesiphonte castra movit, dolo cujusdam transfugæ [8] in deserta perductus, cum vi sitis et ardore solis, atque insuper labore arenarum confectus periret exercitus, imperator tanto rerum periculo anxius, [9] dum per vasta deserti [10] incautius evagatur, ab obvio quodam hostium equite conto ictus interiit. [11] Sic misericors Deus impia consilia impii morte dissolvit.

547 CAPUT XXXI.

Jovianus imperator Cæsar Augustus.

Anno ab Urbe condita MCXVII, [1] Jovianus, septimus et trigesimus imperator, in summo rerum discrimine ab exercitu creatus, cum et locorum iniquitate captus, et hostibus circumseptus, nullam evadendi facultatem nancisceretur, fœdus cum Sapore, Persarum rege, etsi [2] parum, ut putant, dignum, satis tamen necessarium pepigit: quippe ut totum et incolumem Romanum exercitum non solum ab incursu hostium, verum etiam a locorum periculo liberaret, Nisibin oppidum et partem superioris Mesopotamiæ Persis concessit. Inde dum ad Illyricum rediens, per Galatiam iter agit, cum in cubiculum quoddam novum sese cubitum recepisset, calore prunarum et nidore parietum nuper calce illitorum, [3] adgravatus et suffocatus, octavo demum mense quam imperare cœperat, vitam finivit.

548 CAPUT XXXII.

Fla. Valerius Valentinianus imp. Cæs. August. cum Valente fratre. Deque Gratiano jam Cæsare.

[1] Anno ab Urbe condita MCXVIII, Valentinianus, octavus et trigesimus, apud Nicæam consensu militum imperator creatus est, mansitque in eo annis

HAVERCAMPI NOTÆ.

25. *Discissa pace.* Probo magis, quod in Lugd. Bat. tertio invenitur *discussa pace.*

26. *Armans.* Tres Lugd. Bat., cum Perizon. et Coll. Gronoviana, *armaverat.*

27. *Inquietum.* Ed. Aug., *inquieti*, etc. Lugd. Batt. omnes cum Coll. Gronov. *inquieti tempus imperii*, deleto *sui*. Non male.

CAP. XXX. — 1. *Julianus.* De *Juliano* Eutropius et Sex. Aurelius: copiosissime vero Ammianus Marcellinus libr. XXII, et deinceps. FABR.

2. *Dudum Cæsar.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov. et duobus Florentt. et edd. Venetis, *jam dudum Cæsar*; et mox, *rerum potitus*, Flor. sec.

3. *Et idolorum cultus.* Quantopere in iis insanierit Julianus patet ex nummulo ejus æreo, in quo Serapidis cernitur caput, et Isidis in navigio figura, votis publice idolis illis Ægyptiis ab impio homine nuncupatis.



4. *Susciperetur.* Mss. quidam *reciperetur.*

5. *Ne quis*, etc. Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., delent *quis*; sed Perizon. legit, *ne quis Christianorum liberalium studiorum professor esset.*

6. *Nostris.* Delent Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov.

7. *Ecclesias.* Lugd. Batt. tres, Perizon. et Coll. Gronov., *ecclesiam.* Unus ex iisdem mox *posset* pro *potuisset.* Florentin. sec. autem hic legit, *parans persecutionem ecclesiis.*

8. *In deserta.* Ed Aug., *in desertum.*

9. *Dum per vasta deserti.* Lugd. Batt. tres cum Perizon. et Coll. Gronov., *dum vasta per deserta.* Lugd. Bat. sec., *dum vasta per deserti.*

10. *Incautius.* Perizon., *incautus.*

11. *Sic misericors Deus.* Lugd. Bat. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *sicque misericors Deus.*

CAP. XXXI. — 1. *Jovinianus.* De hoc Eutropius extremo lib. X, Ammianus lib. XXV, et Sex. Aurelius. FABR. — *Jovianus* meliores scribunt mss. et ea quoque Nummorum lectio est.

D 2. *Parum, ut putant, dignum.* Contra mss. et ed. August. inepte reliquæ edd. omnes, propagato errore, exhibent, *parum putant dignum.*

3. *Aggravatus.* Lugd. Batt. tres cum Perizon. et Coll. Gronov., *prægravatus.*

CAP. XXXII. — 1. *Anno*, etc. Quæ deinceps Orosius scribit, ea Paulus Diaconus quoque persequitur in sua historia, quam Eutropio adjunxit. Unde qui volet, ea petere potest: nos, qui in iis nihil quod annotatione opus habeat, invenimus, hic finem facimus. FABR.

undecim : qui cum Christianus integra fide sacramentum militiæ gereret, [2] et sub Juliano [3] Augusto tribunus scutariorum, jussus ab imperatore sacrilego aut immolare idolis, aut militia excedere, [4] fideliter sciens [5] et graviora Dei esse judicia, et meliora promissa, sponte discessit. Ita, parva interjecta mora, Juliano interfecto, ac mox Joviano mortuo, qui pro nomine Christi amiserat tribunatum, retribuente Christo, in locum persecutoris sui accepit imperium : qui postea fratrem suum Valentem participem fecit imperii, [6] et Procopium tyrannum pluresque postea satellites ejus occidit. Terræmotus [7] per totum orbem factus, ita turbatum quoque pelagus excussit, ut per vicinas terrarum campestrium partes refuso mari, plurimæ insularum urbes, concussæ et subrutæ, periisse referantur. Valens ab Eudoxio episcopo, [8] Ariani dogmatis assertore, et baptizatus et persuasus, in sævissimam hæresim declinavit : **549** sed malignam insectationem diu [9] texit, nec voluntati potestatem admiscuit, quoad viventis fratris auctoritate compressus est. Contemplabatur enim de eo, quantam vim [10] in ulciscenda fide imperator posset [11] exercere, qui tantam constantiam pro retinenda quondam miles habuisset. Horum anno [12] imperii tertio, Gratianus Valentiniani filius, imperator est factus. Eodem anno apud Atrebatas vera lana de nubibus pluviæ mixta defluxit. Præterea Athanaricus, rex Gothorum, Christianos in gente sua crudelissime persecutus, plurimos [13] barbarorum ob fidem interfectos, ad coronam martyrii sublimavit, quorum tamen plurimi [14] in Romanum solum [15] non trepidi, [16] velut ad hostes, sed certi, quod ad fratres, [17] pro Christi confessione, fugerunt. Valentinianus Saxones, gentem in Oceani littoribus et paludibus inviis sitam, virtute atque agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus, eruptionem [18] magna mole [19] meditantes, in ipsis Francorum finibus oppressit. Burgundionum quoque, novorum hostium, novum nomen, qui plusquam [20] octoginta millia (ut ferunt) armatorum, ripæ [21] Rheni fluminis insederunt. Hos quondam subacta interiore Germania, a Druso et Tiberio, adoptivis filiis [22] Cæsaris, per castra dispositos, [23] in magnam coaluisse gentem : atque ita etiam nomen ex opere præsumpsisse, [24] quia crebra per limitem **550** habitacula constituta, Burgos vulgo vocant : eorumque esse prævalidam et perniciosam manum, [25] Galliæ hodieque testes sunt, in quibus præsumpta possessione consistunt, quamvis providentia Dei omnes [26] Christiani modo facti, catholica fide, nostrisque clericis quibus obedirent receptis, blande, [27] mansuete, innocenterque vivant, non quasi cum subjectis Gallis, sed vere cum fratribus Christianis. Anno autem undecimo imperii sui, Valentinianus, cum [28] Sarmatæ sese per Pannonias diffudissent, easque vastarent, bellum in eos parans, [29] apud Brigitionem oppidum subita effusione sanguinis, [30] quod Græce apoplexis vocatur, suffocatus et mortuus est. Post quem Gratianus, [31] filius ejus, Occidentis imperium tenuit. Valente patruo in Orientis partibus constituto, Valentinianum [32] etiam, fratrem suum, parvum admodum, socium creavit imperii.

CAPUT XXXIII.

Valens imperator, quomodo Christianos punierit, et quæ bella gesserit, deque Gratiani imperio.

Anno ab Urbe condita MCXXVIII, Valens, nonus et trigesimus, imperium quatuor annis Valentiniano mortuo tenuit, [1] cui soli, cum impie age-

HAVERCAMPI NOTÆ.

2. *Et sub Juliano.* Conjunctionem *et* delent Lugd. Bat. pr. cum Coll. Gronov.

3. *Augusto.* Abest a Lugd. Bat. sec. et tertio.

4. *Fideliter.* Abest a Lugd. Bat. sec.

5. *Et graviora.* Lugd. Bat. tert. et quart., cum Coll. Gronov., *graviora.*

6. *Et Procopium.* In omnibus, quos consului, mss. desideratur *et*, ut et in edit. August.

7. *Per totum orbem.* Edd. quædam, *per totum terrarum orbem.*

8. *Ariani.* Florent. sec., *Arianorum.*

9. *Texit.* Edit. Aug., *obtexit.*

10. *In ulciscenda fide.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. legunt, *in ulciscendam fidem fidelis imperator.*

11. *Exercere.* Ed. prima, *exserere.* Confunduntur sæpe hæc verba cum apud alios, tum et apud Orosium.

12. *Imperii.* Cod. Perizon., *imperatorum.*

13. *Barbarorum.* Perizon., *Christianorum ;* Florent. tert., *barbaros.*

14. *In Romanum solum.* Perizon., *ad Romanum solum.*

15. *Non trepidi.* Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov. et Ultr. *intrepide.*

16. *Velut.* Major pars eorumdem mss. *vagi.*

17. *Pro Christi.* Ed Aug. *proximi.*

18. *Magna mole.* Lugd. Bat. pr., *magnam olim.*

19. *Meditantes.* Sic amant mss. omnes ut ad Saxones referatur, non *meditantem*, ut ad gentem, prout in vulgg. est.

20. *Octoginta millia.* Duplicem lectionem invenit ed. August., addit enim insuper *septuaginta millia.*

21. *Rheni.* Florent. sec. *Rhodani.*

22. *Cæsaris.* Addit ed. p. cum Parisina et Venetis, *Augusti*, quod non damno, sed tamen in mss. non inveni.

23. *In magnam coaluisse gentem.* Quasi hæc cohærere non possent cum sequentibus, nisi aliquo tibicine fulcirentur, in omnibus editionibus, sola Augustana excepta, contra omnes mss. intruserunt *aiunt*, edentes *aiunt in magnam*, etc., cum dependeant ab illis, *Galliæ hodieque testes sunt.*

24. *Quia crebra*, etc. Mss. Lugd. Batt. omnes cum Perizon. et Coll. Lugd. Batt. *crebro*, eorumque plures mox *constituunt*, sed lectio vulgata proba est.

25. *Galliæ.* Cod. Perizon., *Galli.*

26. *Christiani.* Abest hoc a cod. Perizon.

27. *Mansuete, innocenterque.* Florent. sec., *mansuete innocentesque ;* Lugd. Bat. pr., *mansueteque et innocenter vivunt.*

28. *Sarmatæ.* Edd. quædam vett., *Sarmatæ gentes.*

29. *Apud Brigitionem.* Ammianus Marcellinus *Bregitionem* vocat, ex quo mortis Valentiniani circumstantias pete lib. XXX, cap. 5.

30. *Quod Græce*, etc. Mss. Lugd. Batt. omnes cum Coll. Gronov., *quod Græci apoplexis vocant.*

31. *Filius ejus.* Lugd. Batt. pr. *filius suus.*

32. *Etiam.* Delent Lugd. Bat. quart. et Coll. Gronov.

CAP. XXXIII. — 1. *Cui soli, cum*, etc. Lugd. Batt. quatuor cum Coll. Gronov. et Ultr., *cui soli cum*

ret, et potuisset erubescere, illico velut effrenata **551** [2] libertatis audacia legem dedit : ut monachi, hoc est, Christiani, qui ad unum fidei opus, dimissa sæcularium rerum multimoda actione, [3] se redigunt, ad militiam cogerentur. Vastas illas tunc Ægypti solitudines, arenasque diffusas, quas propter sitim ac sterilitatem periculosissimamque serpentum abundantiam conversatio humana non nosset, magna habitantium monachorum multitudo compleverat. [4] Huc tribuni et milites missi, qui sanctos [5] ac veros milites Dei [6] alio nomine persecutionis abstraherent. [7] Interfecta sunt ibi agmina multa sanctorum. Quæ autem per diversas ubique provincias, his similibusque jussis, adversus Ecclesias catholicas, et rectæ fidei populos gesta sint, satis significatum ipsa [8] reticendi electione sufficiat. Interea in Africæ partibus [9] Firmus sese, excitatis Maurorum gentibus, regem constituens, Africam Mauritaniamque vastavit. Cæsaream, urbem nobilissimam Mauritaniæ, dolo captam, deinde cædibus incendiisque completam, barbaris in prædam dedit. Igitur comes Theodosius, Theodosii, qui post imperio præfuit, pater, a Valentiniano missus, effusas Maurorum gentes multis prœliis [10] fregit, [11] ipsum Firmum afflictum et oppressum coegit ad mortem. Post cum experientissima providentia totam cum Mauritania Africam [12] meliorem pristinis legibus reddidisset, [13] instimulante [14] et obrepente **552** invidia, [15] jussus interfici, apud Carthaginem baptizari in remissionem peccatorum [16] præoptavit : ac postquam sacramentum Christi, [17] quod quæsierat, assecutus est, post gloriosam sæculi vitam, etiam de vitæ æternitate securus, percussori jugulum ultro præbuit. Gratianus interea imperator, admodum juvenis, cum [18] inæstimabilem multitudinem hostium Romanis infusam finibus cerneret, fretus CHRISTI potentia, [19] longe impari militum numero sese in hostem dedit, et continuo apud Argentariam, oppidum Galliarum, formidolosissimum bellum incredibili felicitate confecit. Nam plus quam triginta millia Alamannorum, minimo Romanorum detrimento in eo prælio interfecta narrantur. Tertio decimo autem anno imperii Valentis, hoc est, parvo tempore postea quam Valens per totum Orientem Ecclesiarum lacerationes, sanctorumque cædes egerat, radix illa miseriarum nostrarum copiosissimos simul frutices germinavit : siquidem [20] gens Hunnorum, diu inaccessis [21] seclusa montibus, repentina rabie percita, exarsit in Gothos : eosque [22] sparsim conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Gothi transito Danubio fugientes, a Valente sine ulla fœderis pactione suscepti, ne arma quidem, quo tutius barbaris crederetur, tradidere Romanis. Deinde propter intolerabilem **553** avaritiam Maximi ducis, fame et injuriis adacti, in arma surgentes, victo Valentis exercitu, per Thraciam sese miscentes, simul omnia cædibus, incendiis, rapinisque fœdarunt. Valens egressus de Antiochia : cum ultima infelicis belli sorte traheretur, sera peccati maximi pœnitentia stimulatus, episcopos [23] cæterosque sanctos revocari de exsiliis

HAVERCAMPI NOTÆ.

impie agere potuisset erubesceret, quæ lectio quoque in Florent. sec. est, sed abrasa ultima littera in *ageret*. Perizon., *qui solus cum impie agens debuisset erubescere.* Sanus erit locus, si, deleto *et*, scribas, *cui soli cum impie ageret. potuisset erubescere.* Vel soli Valentino fratri, viro in fide Christiana maxime orthodoxo, erubescere potuerat Valens, si, eo vivente, a puritate fidei declinasset. Facillime ex *ageret* ultima syllaba duplicata factum fuit *ageret et.*

2. *Libertatis.* Edit. pr. et Parisiensis legunt *liber.* Cod. Florent. sec., *libera audacia.*

3. *Se redigunt.* Edd. quædam vett., *redegerant.*

4. *Huc tribuni* Abest vox prior a Lugd. Bat. tertio et Coll. Gronov.

5. *Ac veros milites Dei.* Ed. August., *ac venerabiles milites Dei.*

6. *Alio nomine.* Cod. Perizon., *alieno nomine persecutionis abstraherent ab his.*

7. *Interfecta sunt ibi agmina multa sanctorum.* Cum hæc constans omnium mss. sit lectio, ne uno quidem excepto, temerarii pronuntiandi sunt editores illi primi, qui suo periculo mutarant *interfecta sunt* in *interfecerunt*, quod a prima traduce dein omnes occupavit editiones, una Augustana excepta, quæ in ms. ipsius exhibendis lectionibus, vitiosis quoque et duplicatis, præstantissimi codicis vicem supplet.

8. *Reticendi.* Superscribitur, sed invito Orosio, in Florent. sec., *Forte dicendi.*

9. *Firmus.* Cod. Perizon., *Firmius.*

10. *Fregit.* Florent. sec., *fregit, fudit.*

11. *Ipsum Firmum.* Cod. Perizon., *et ipsum Firmium.*

12. *Meliorem pristinis legibus reddidisset.* Illud *legibus* nulla nisi editorum auctoritate nititur; in nullis enim mss., ut nec in ed. Aug. invenitur. Sed principem editionem et Parisinam secuti Bolsuingius, Fabricius et alii secure receperunt. Latet igitur ulcus, quamvis primo aspectu non appareat, et quidem in voce *pristinis*, quæ cum in mss. (Meo certe) paucioribus litteris et contractis, sic *pitis*, scribatur, aliud quam *pristinis* videtur innuere. Forte *partibus*, vel *principibus*, Valentiano scilicet, Valenti et Gratiano. Pro *meliorem* Coll. Gronov. exhibet *melioratam.*

13. *Instimulante.* Lugd. Bat. tres, cum Coll. Gronov. et cod. Ultr., *stimulante.* Sed *instimulare* Orosii est verbum. Supra cap. 6, *in cædem conspiratorum instimularetur.*

14. *Et obrepente invidiâ.* Ludg. Bat. tert., Perizon. et Coll. Gronov., *et hortante invidia.*

15. *Jussus interfici.* Superscribitur in Florent. sec., *ab Valente.* Annum, quo hæc immerita Theodosii cædes contigit, ex Hieronymi Chronico notavit Valesius ad Ammian. Marcellinum lib. XXIX, cap. 5, p. 628.

16. *Præoptavit.* Lugd. Bat. tert., cum Coll. Gronov., *preoperavit*, forte legendum *properavit.*

17. *Quod.* Lugd. Batt. quart. *quem*, ut ad Christum referatur.

18. *Inæstimabilem.* Lugd. Bat. tert., Perizon. et Coll. Gronov., *innumerabilem.*

19. *Longe impari militum numero.* Edd. quædam vett., *longe impar*, etc.

20. *Gens Hunnorum.* Edd. quædam vett., *genus Hunnorum.*

21. *Seclusa montibus.* Ed. Aug., *clausa montibus.*

22. *Sparsim conturbatos.* Perizon. *sparsim perturbatos.* Florent. sec., *eosque passim conturbatos.*

23. *Cæterosque sanctos.* Lugd. Bat. tres, *cæterosque sanctorum.* Mox *bellis* Venetæ edd. pro *exsiliis.*

imperavit. Itaque decimo quinto imperii sui anno [24] lacrymabile illud bellum in Thracia cum Gothis, jam tunc exercitatione virium rerumque abundantia instructissimis, gessit. Ubi primo statim impetu Gothorum perturbatæ Romanorum equitum turmæ, nuda peditum deseruere præsidia. Mox legiones peditum undique equitatu hostium cinctæ, [25] ac primum nubibus sagittarum [26] obrutæ, deinde, cum amentes metu sparsim per devia cogerentur, funditus cæsæ, gladiis insequentium contisque perierunt. Ipse imperator, cum sagitta [27] saucius, versusque in fugam, [28] ægre in cujusdam villulæ casam deportatus lateret, ab insequentibus hostibus deprehensus, subjecto igne, consumptus est : et quo magis testimonium punitionis ejus et divinæ indignationis [29] terribili [30] posteris esset exemplo, etiam communi caruit sepultura. Consoletur se, sed in hoc [31] solo pervicacia miseriaque gentilium, quia temporibus et [32] regibus Christianis tantæ simul congestæ clades, pressam reipublicæ oneravere cervicem : eversæ provinciæ, deletus exercitus, imperator incensus. Magnum revera hoc est ad nostrum dolorem magisque miserum, quo magis novum. Sed quid hoc ad consolationem [33] proficit paganorum, qui palam [34] pervident et in his quoque persecutorem **554** Ecclesiarum fuisse punitum ? Unus Deus unam fidem tradidit, unam Ecclesiam toto orbe diffudit, hanc aspicit, hanc [35] diligit, hanc defendit. Quolibet [36] sese quisque nomine tegat, si huic non sociatur, alienus: si hanc impugnat, inimicus est. Consolentur se gentiles, in quantum volunt, Judæorum hæreticorumque suppliciis : tantum et unum Deum esse, [37] et eumdem [personarum acceptorem non esse, vel ex hac potissimum Valentis exstincti probatione fateantur. Gothi antea per legatos supplices poposcerunt, ut illis episcopi, a quibus regulam Christianæ fidei discerent, mitterentur. Valens imperator exitiabili [38] pravitate doctores Ariani dogmatis misit. Gothi primæ fidei [39] rudimentum quod accepere, tenuerunt. [40] Itaque justo Dei judicio ipsi eum vivum incenderunt, qui propter eum etiam mortui, vitio erroris arsuri sunt.

CAPUT XXXIV.

Gratianus imperator quanta prudentia imperium rexerit. Theodosius Orienti et Thraciæ imperat : deque Arcadio et Maximo.

Anno ab Urbe condita MCXXXII, Gratianus, quadragesimus ab Augusto, post mortem Valentis sex annis imperium tenuit, quamvis jamdudum antea cum patruo Valente et cum Valentiniano fratre **555** regnaret : qui cum afflictum ac pene collapsum reipublicæ statum videret, eadem provisione, qua quondam legerat Nerva Hispanum virum Trajanum, per quem respublica reparata est, legit et ipse Theodosium æque Hispanum virum, et restituendæ reipublicæ necessitate apud Sirmium [1] purpura induit, Orientisque et Thraciæ simul præfecit imperio : [2] in hoc usus perfectiore judicio, quia cum in omnibus humanæ vitæ virtutibus [3] iste par fuerit, in fidei sacramento religionisque cultu sine ulla comparatione præcessit. Siquidem ille persecutor, hic propagator Ecclesiæ. Ita illi [4] ne unus quidem proprius filius, quo successore gauderet, indultus est: hujus autem [5] Orienti simul atque Occidenti per succiduas usque ad nunc generationes gloriosa propago dominatur. [6] Itaque ut Theodosius afflictam Rempu-

HAVERCAMPI NOTÆ.

24. *Lacrymabile.* Perizon., *vere lacrymabile.*

25. *Ac primum.* Tres ex Lugd. Bat. cum Coll. Gronov. abjiciunt *ac*, quo hic nihil opus est.

26. *Obrutæ.* Perizon., *obrutæ sunt.*

27. *Saucius.* Tres Lugd. Bat., Perizon., Ultr. et Coll. Gronov., *sauciatus.*

28. *Ægre.* Lugd. Bat. quart., *æger.*

29. *Terribili.* Florent. sec. et ed. August., *terribilis.*

30. *Posteris esset exemplo.* Perizon., Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov., *exstitisset posteris exemplo.* Minus depravata scriptura legas *exsisteret posteris exemplo.*

31. *Solo.* Coll. Gron. *sclo*, supraducta linea pro *sæculo.* Flor. sec., *in hoc loco.*

32. *Regibus.* Lugd. Bat., *legibus.*

33. *Proficit.* Lugd. Bat. tert., *profecit.*

34. *Pervident.* Coll. Gron., *provident.* Perizon., *parvipendent.*

35. *Diligit.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gron., *dirigit.*

36. *Sese quisque.* In quibusdam mss. et ed., *se quisquis.*

37. *Et eumdem.* Lugd. Bat. tert., cum Coll. Gronov., *et unum.*

38. *Pravitate.* Edd. quædam vett., *pravitate detentus.*

39. *Rudimentum.* Florent. sec., *rudimento.*

40. *Itaque justo.* Antecedunt in ed. prima, in Paris. et in Venetis edd. hæc, *Valens catholicæ fidei normam, quam prius habuerat, derelinquens, perverso Arianorum sese dogmati illexit.* Ad ea hæc notavit Lautius : « Miror et demiror, hæc, cum optime in Venetiis expresso libro reperiantur, ab omnibus aliis exsulare. » Verum assero, et plane assero, verba hæc non esse Orosii, sed in margine, tamquam contentum orationis, prout plurima talia in mss. Orosii occurrunt, fuisse, verum primos editores in textum recepisse. Immo affirmo, in nullis inveniri mss., ut nec in ed. August., adeoque recte a Fabricio fuisse præterita, atque a Scotto in ed. sua minus recte fuisse recepta.

CAP. XXXIV. — 1. *Purpura induit.* Sic Coll. Gronov. et cod. Ultr. melius, quam alii, qui *purpuram* (prout vulgo editur) scribunt.

2. *In hoc usus perfectiore judicio.* Sic iidem mss., atque insuper Lugd. Batt. sec. et tert. In vulg. *usus* desideratur.

3. *Iste par fuerit.* Perizon. Cod. mavult *ipse par fuerit*; tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov., *ipse primus fuerit.* Ego malim *ipsi par fuerit.* In omnibus scilicet Trajano par, id est similis fuit Theodosius, sed melior et felicior, quod veri Dei cognitione imbutus fuerit.

4. *Ne unus quidem proprius filius.* In ed. August. desideratur *quidem*; in ms. Perizon., *proprius.* Abjici autem non debet, quia Hadrianus ut filius ejusdem, in designatione successionis tamquam per adoptionem habitus fuit, qui Trajani inde nomen suis nominibus passim ascripsit.

5. *Orienti simul atque Occidenti.* Perizon., *Orienti et Occidenti*; Florent. sec., cum Lugd. Batt. tert., Ultr. et Coll. Gronov., *Orientis simul et Occidentis.*

6. *Itaque ut*, etc. In Perizon., Lugd. Batt. sec. et

blicam ira Dei reparandam credidit misericordia [7] illius, omnem fiduciam sui ad opem Christi conferens, maximas illas Scythicas gentes, formidatasque cunctis majoribus, [8] Alexandro quoque illi Magno, sicut Pompeius Corneliusque testati sunt, evitatas, nunc autem, exstincto Romano exercitu, Romanis equis armisque instructissimas, hoc est, Alanos, Hunnos et Gothos, [9] incunctanter aggressus, magnis multisque **556** prœliis vicit. Urbem Constantinopolim [10] victor intravit : et ne parvam [11] ipsam Romani exercitus manum assidue bellando [12] detereret, fœdus cum Athanarico, rege Gothorum, percussit. Athanaricus autem continuo ut Constantinopolim venit, diem obiit. [13] Universæ Gothorum gentes, rege defuncto, aspicientes virtutem benignitatemque Theodosii, Romano sese imperio dediderunt. [14] In iisdem etiam diebus Persæ, qui, Juliano interfecto, aliisque imperatoribus sæpe victis, [15] nunc etiam Valente in fugam acto, recentissimæ victoriæ saiietatem cruda insultatione [16] ructabant, ultro Constantinopolim ad Theodosium misere legatos, [17] pacemque supplices poposcerunt : [18] ictumque tum fœdus est, quo universus Oriens [19] usque ad nunc tranquillissime fruitur. Interea cum Theodosius, in Oriente subactis barbarorum gentibus, Thracias tandem ab hoste liberas reddidisset, et Arcadium, filium suum, consortem fecisset imperii, Maximus, vir quidem [20] strenuus et probus, atque Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset, in Britannia invitus propemodum ab exercitu imperator creatus, in Galliam transiit : ubi Gratianum Augustum subita incursione perterritum, atque in Italiam transire meditantem, dolis circumventum interfecit, fratremque ejus Valentinianum Augustum Italia expulit. Valentinianus in Orientem [21] refugiens, a Theodosio paterna pietate susceptus, mox etiam imperio restitutus est.

557 CAPUT XXXV.

Theodosius imperator Cæsar Augustus quæ bella gesserit. Interim de Maximi, Andragatii et Valentiniani interitu, deque Arbogaste et Eugenio tyranno, per Theodosium deletis.

Anno ab Urbe condita MCXXXVIII, Theodosius quadragesimus primus, interfecto per Maximum Gratiano, imperium Romani orbis solus obtinuit, mansitque in eo annis undecim, cum jam in Orientis partibus sex annis Gratiano vivente regnasset. Itaque justis necessariisque causis ad bellum civile permotus, cum e duobus Augustis fratribus, et ultionem unius interfecti sanguis [1] exigeret, et restitutionem miseria alterius exsulantis oraret, posuit in Deo spem suam, seseque adversus Maximum tyrannum, sola fide major (nam longe minor [2] erat universa apparatus bellici comparatione) proripuit. Aquileiæ tunc Maximus victoriæ suæ spectator insederat. Andragathius comes ejus summam belli administrabat : qui cum largissimis militum copiis, ipsaque magnarum copiarum fortitudine, præcellente consilio, omnes incredibiliter Alpium ac fluminum aditus communisset, ineffabili judicio Dei, dum navali expeditione incautum hostem prævenire et obruere parat, sponte eadem, quæ obstruxerat, claustra deseruit. [3] Ita Theodosius nemine sentiente, ut non dicam repugnante, [4] vacuas [5] transmisit Alpes, [6] atque Aquileiam improvisus adveniens, **558** hostem illum magnum, Maximum trucem, et ab immanissimis quo-

HAVERCAMPI NOTÆ.

quarto atque Coll. Gronov. desideratur *ut*, quod tamen hic necessario requiritur; sensus enim est, sicuti Theodosius afflictam, etc., ita reparandam credidit, etc. Vel, si *ut* deleri velimus, legendum erit in sequentibus *omnemque fiduciam;* prout invenitur ibi in ed. principe et Venetis. At Parisina plenissime, *Itaque Theodosius*, etc., *omnemque sui fiduciam.*

7. *Illius.* Flor. sec. et tert. atque tres Lugd. Batt. cum Perizon. et Coll. Gronov. *Dei* malunt; ex quibus tert. cum Coll. Gronov. mox pro *sui* iterum *Dei* scribit.

8. *Alexandro quoque illi Magno.* Mss. quidam, *Alexandro illi quoque Magno.* Flor. tert., *Ab Alexandro quoque illo Magno.*

9. *Incunctanter.* Male abest a duobus Lugd. Batt. et Ultr.

10. *Victor intravit.* Perizon., *victor ingressus.*

11. *Ipsam.* Abest a quibusdam edd. vett.

12. *Detereret.* Perversissime in editt. Fabricii et Scotti legitur *deterreret*, a qua corruptela utique deterriti fuissent., si Venetas edd., Parisin. ipsasque Hittorp. et Bolsuing. inspexissent. Illæ enim verbum, hoc loco maxime conveniens, recte receperunt, licet ed. Aug. et quidam ex mss., ut Lugd. Batt. Ultrajectinusque, in vitio cubent; recte autem scribitur in Meo, in Perizon. et duobus Florentt.

13. *Universæ Gothorum.* Ed. August. *universæ autem Gothorum*, etc.

14. *In iisdem etiam diebus Persæ.* Edd. quædam vett., *His etiam diebus Persæ.* Cod. Perizon., *In iisdem etiam temporibus Persæ.*

15. *Nunc etiam.* Lugd. Batt. duo, Ultr. Perizon. et Coll. Gronoviana, *nunc autem.*

16. *Ructabant.* Ed. August., *eructabant.*

17. *Pacemque supplices poposcerunt.* Sic amant meliores mss. cum ed. Aug. et edd. Fabricianis. Aliæ, *pacem suppliciter postulantes.* In Florent. tertio copula *que* desideratur.

18. *Ictumque tum fœdus est.* Ed. Aug. *initumque tum fœdus est.*

19. *Usque ad nunc.* Lugd. Bat. tert., cum Coll. Gronov., *usque nunc.*

20. *Strenuus et probus.* Cod. Perizon. conjunctionem *et* delet. Mox idem scribit, *nisi quod.*

21. *Refugiens.* Perizon., *fugiens.*

CAP. XXXV.—1. *Exigeret.* Nullo prorsus sensu in editt. Fabricianis, ultima Scotti et aliquot vett. legitur *exigeretur*, quod contra omnes mss. est.

2. *Erat.* Abest in Florentt. duobus, Ultr., Perizon. et Lugd. Bat. tert. Scribunt mox *belli* pro *bellici*, tres ex iisdem mss. cum Coll. Gronov.

3. *Ita Theodosius*, etc. Edit. August., *Itaque Theodosius, nemine sciente*, etc.

4. *Vacuas.* Sic omnes amant mss. et ex edd. vett. meliores. Fabricianæ et aliæ quædam, *vacuatas.*

5. *Transmisit.* Lugd. Batt. tres, cum Perizon., *transmeavit.*

6. *Atque Aquileiam.* Ed. August. *atque ad Aquileiam.*

que Germanorum gentibus tributa ac stipendia [7] solo terrore nominis exigentem, sine dolo [8] et sine controversia clausit, [9] cepit, occidit. Valentinianus, recepta Italia, potitus imperio est. Andragatius comes, cognita Maximi nece, præcipitem sese e navi in undas dedit, ac suffocatus est. Theodosius incruentam victoriam Deo procurante suscepit. Ecce regibus et temporibus Christianis qualiter bella civilia cum vitari nequeunt, transiguntur. Ad victoriam perventum est, irrupta est civitas, correptus tyrannus, et hoc parum est. Ecce [10] parte alia victus hostilis exercitus, atque ipso tyranno truculentior comes tyranni ad mortem coactus, tantæ dissolutæ elusæque insidiæ, tanti apparatus exinaniti [11] sunt; et tamen nullus dolos instruxit, nullus aciem disposuit, postremo nullus (si dici licet) gladium de vagina extulit. Formidolosissimum bellum sine sanguine usque ad victoriam, et in victoria duorum morte confectum est. Et ne quisquam hoc casu factum putet, quo magis potentia Dei, qua [12] et dispensantur et judicantur universa, propalato sui testimonio [13] declarata, obstrepentium mentes vel ad confusionem vel ad fidem cogat, dico rem et ignotam omnibus, et omnibus notam. Post hoc bellum, quo Maximus interfectus est, multa utique, sicut omnes recognoscimus, [14] Theodosium, filiumque ejus Honorium, usque ad nunc et externa bella et civilia consecuta sunt : et tamen omnia pene usque in hodiernum diem, et quidem cum fructu simplicis sanctæque victoriæ, vel nullo vel minimo sanguine quieverunt. Igitur Valentinianus junior, regno restitutus, exstincto Maximo, ejusque filio Victore, quem imperatorem Gallis Maximus **559** [15] reliquerat, ipse in Galliam transivit : ubi cum tranquilla republica in pace ageret, apud Viennam dolo Arbogastis, comitis sui, ut ferunt, strangulatus, atque ut voluntariam sibi conscivisse mortem putaretur, laqueo suspensus est. Mortuo Valentiniano Augusto, Arbogastes [16] Eugenium tyrannum mox creare ausus est, legitque hominem, cui titulum imperatoris imponeret, ipse acturus imperium : vir barbarus animo, consilio, manu, audacia, potentiaque nimius contraxit innumeras undique, invictasque copias, vel Romanorum præsidiis vel auxiliis barbarorum, alibi potestate, alibi cognatione subnixus. Historiam notam etiam oculis plurimorum, quam melius qui spectavere noverunt, dilatari verbis non opus est. Potentia Dei, non fiducia hominis, victorem semper exstitisse Theodosium, Arbogastes iste præcipuum in utroque documentum est : qui et tunc, cum Theodosio paruit, tantis instructum præsidiis Maximum ipse [17] minimus cepit : et nunc, cum adversus eumdem Theodosium, collectis Gallorum Francorumque viribus, exundavit, [18] nixus etiam præcipuo cultu idolorum, magna tamen [19] facilitate succubuit. Eugenius atque Arbogastes instructas acies campis expedierant, [20] arta Alpium latera atque inevitabiles transitus, præmissis callide insidiis, occuparant : [21] ut, etiamsi numero ac viribus impares forent, sola tamen belli dispositione victores. At vero Theodosius in summis Alpibus constitutus, expers cibi ac somni, sciens, quod destitutus suis, nesciens quod clausus alienis, Dominum Christum solus solum qui posset omnia, corpore humi fusus, mente cœlo fixus, orabat. **560** Dehinc postquam insomnem noctem precum continuatione transegit, et testes propemodum, quas in pretium præsidii cœlestis appenderat, lacrymarum lacunas reliquit, fiducialiter arma corripuit, solus, sciens se esse non solum. [22] Signo crucis signum prælio dedit, ac se in bellum, etiam si nemo sequeretur, victor futurus immisit. Prima salutis via exstitit [23] Arbitrio, hostilium

HAVERCAMPI NOTÆ.

7. *Solo terrore nominis.* Lugd. Batt. cum Perizon. Ultr. et Coll. Gronov., *magno terrore nominis*; Perizon., *magno terrore ac minis*; sed vulg. significantior est.

8. *Et sine controversia.* Sic in ed. August. et in cod. Perizon. inveni, et sic quoque uterque Florentt. Vulgg. *sine* non habent.

9. *Cepit, occidit.* Edd. vulgg., *et occidit.* Verum lectio quæ in mss. et in ed. August. abjecto *et*, invenitur, rotundior est.

10. *Parte alia.* Sic quoque amant mss., non, ut vulgg., *a parte alia.*

11. *Sunt.* Abest a cod. Perizon.

12. *Et dispensantur.* Abest prior vox a cod. Perizon. et edd. vett. quibusdam.

13. *Declarata.* Lugd. Batt. duo, *et declarato.*

14. *Theodosium . . . . consecuta sunt.* Ita codd. Florentt., Lugd. Batt. tres, cum Perizon. Ultr. et Coll. Gronov. atque edd. Vetustis; sed Lugd. Bat. tert., *per Theodosium . . . . subsecuta sunt.* Fabricius autem et Scottus, *Theodosium . . . . subsecuta sunt.*

15. *Reliquerat.* Mss. quidam, *præfecerat:* Mox pro *transivit* mss. Lugd. Batt. et Coll. Gronov. malunt *transiit.*

16. *Eugenium.* Mss. aliquot, *tum Eugenium;* et cod. Perizon., *elegitque*, pro *legitque.*

17. *Minimus.* Edd. quædam vett., *minimis;* sed est allusio ad vocem *Maximus*, quæ præcessit.

18. *Nixus.* Lugd. Bat. tert., *nisus.*

19. *Facilitate.* Minus rectum, quod in quibusdam mss. legitur, *felicitate.*

20. *Arta Alpium latera.* Mss. Lugd. Batt., cum Perizon. Ultr. et Coll. Gronov., *alta*, quod haud præfero vulgatæ lectioni, quia transitus, ubi erant arcti, occluserat.

21. *Ut, etiamsi.* Lugd. Batt. tres, *etiam si.*

22. *Signo crucis signum prælio dedit.* Ejeci hoc loco ineptissimam glossam, bene longam, quæ omnes edd. excepta Augustana, deturpabat, atque interpunctationem in præcedentibus mutavi. Sic vulgo legebatur : *Fiducialiter arma corripuit solus, sciens se esse non solum signo crucis tuendum, sed et victoriam adepturum, signo crucis se muniens, signum victoriæ dedit, ac signo crucis signum prælio dedit*, etc. Et hæc, invitis libris omnibus mss., quod a Fabricio non fuisse animadversum miror. Neque Fabricio plus vidit Lautius, dum ad hunc locum ita scribit : « Addidit Marcoduranus : *ac signo crucis signum prælio dedit*, quod nec in Colon. erat, nec in Materni codicibus. »

23. *Arbitrio.* Edd. Aug. et aliæ quædam vett. cum mss. Perizon., Lugd. Bat. tert., *Arbitio;* Lugd. Bat. sec., *Arbicio.*

partium comes: qui cum ignarum imperatorem circumpositis excepisset insidiis, conversus ad reverentiam præsentis Augusti, non solum periculo liberavit, verum etiam instruxit auxilio. At ubi [24] ad contigua miscendæ pugnæ spatia perventum est, continuo magnus ille et ineffabilis turbo ventorum in ora hostium ruit. Ferebantur [25] per aera spicula missa [26] nostrorum manu, atque ultra mensuram humani [27] jactus [28] per magnum inane portata, nusquam propemodum cadere, priusquam impingerent, sinebantur. Porro autem turbo continuus ora pectoraque hostium [29] nunc illisis graviter scutis [30] everberabat, **561** nunc impressis pertinaciter [31] obstructa claudebat, [32] nunc avulsis violenter destituta nudabat, [33] nunc oppositis jugiter in terga trudebat: tela etiam, quæ ipsi vehementer intorserant, excepta ventis [34] impetu supinata, ac retrorsum coacta ipsos infeliciter configebant. Prospexit sibi humanæ conscientiæ pavor: nam continuo sese, parva suorum manu fusa, victori Theodosio hostilis prostravit exercitus. Eugenius captus atque interfectus est. Arbogastes [35] sua se manu perculit. Ita et hic duorum sanguine bellum civile [36] restinctum est, absque illis decem millibus Gothorum, quos, præmissos a Theodosio, Arbogastes delesse funditus fertur, quos utique perdidisse lucrum et vinci vincere fuit. Non insulto obtrectatoribus nostris. Unum aliquod ab initio Urbis conditæ bellum proferant, tam pia necessitate susceptum, tam divina felicitate confectum, tam clementi benignitate sopitum, ubi nec pugna gravem cædem, nec victoria cruentam exegerit ultionem: et fortasse concedam, ut non hæc fidei Christiani ducis concessa videantur, quamvis ego hoc testimonio non laborem, quando unus ex ipsis, poeta quidem eximius, sed paganus pervicacissimus, [37] hujusmodi versibus et Deo et homini testimonium tulit, quibus ait:

O nimium dilecte Deo! [38] tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

562 Ita cœlitus judicatum est inter partem, etiam sine præsidio hominum de solo Deo humiliter sperantem, et partem arrogantissime de viribus suis, et de idolis præsumentem. [39] Theodosius autem, composita tranquillataque republica, apud Mediolanum constitutus, diem obiit.

HAVERCAMPI NOTÆ.

24. *Ad contigua miscendæ pugnæ spatia.* Ita Perizon. et Lugd. Bat. tert. cum Coll. Gronov. Vulgg., *inmiscendæ;* Florent. sec., *in continua inmiscenda.*

25. *Per aera.* Sic malunt mss. quam *aerem.*

26. *Nostrorum manu.* Haud inutiliter postrema voce sensum auget cod. Perizon., a vulgg. abest.

27. *Jactus.* Quidam mss., *ictus.*

28. *Per magnum inane portata.* Colon. et editi: *manu in aere reportata*, ex quibus verbis legendum illud collegi: si male, aliorum esto judicium. LAUT. — Editi vett. omnes, omnesque quos consului, mss., *per magnum inane portata* exhibent. Unde miror, unde Fabricius et Scottus habeant *manu in aere* (sic enim apud illos legitur) *portata.*

29. *Nunc illisis graviter scutis.* Ita omnes, quos consului, mss., ut et ed. Aug.; at vulgg., *nunc illis*, quod valde displicet.

30. *Everberabat.* Mss. quidam, *verberabat.*

31. *Obstructa claudebat.* Sensus est, turbine isto nonnullis ex hostium numero scuta tam violenter ad pectora atque ora impressa fuisse, ut vix respirandi dederint facultatem.

32. *Nunc avulsis.* Cum scilicet turbine sævo e manibus eriperentur, vel ita reflecterentur, ut nuda hostes vulneribus ora præberent.

33. *Nunc oppositis.* Quando arcere vim tempestatis a facie vellent, opponendo scuta, eadem vi turbinis in terga prosternebantur iisdem milites, qui gestabant.

34. *Impetu supinata.* Florent. duo, *impetu supinato.*

35. *Sua se manu.* Mss. aliquot, *sua sese manu*, vel *sese sua manu.*

36. *Restinctum est.* Lugd. Bat. pr., *exstinctum* (sed superscribitur *restinctum*) *est.* Edd. quædam vett., *restrictum est.*

37. *Hujusmodi versibus.* Mss. aliquot, *ejusmodi verbis.*

38. *Tibi militat æther.* In edit. Augustana hæc leguntur;

O nimirum dilecte Deo, cui fudit ab astris
Æolus armatas hiemes, tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Et ita quidem leguntur hi versus apud Claudianum de III consulatu Honorii vs. 96, nisi quod ibi pro *fudit* in fine versus primi, sit:

Cui fundit ab antris, etc.

Orosius tamen mihi videtur noluisse admittere propter mentionem Æoli, dei pagani, adeoque contraxisse versus. Sunt mss. in quibus legitur *ad humillima classica venti*, ex quibus vox prior ex varia lectione nata est.

39. *Theodosius autem.* Victoriosissimi hujus et vere Christianissimi imperatoris subjicere lubet nummum aureum, qui quondam exstitit in museo Marckiano. In parte ejus anteriore cernitur imago Theodosii pectore tenus, dextra manus spiculum, læva clypeum, equestris expeditionis typo signatum, tenet; pectus thorace, caput gemmata casside tegitur, scribitur in circuitu: *Dominus Noster* THEODOSIUS *Pius Felix* AVG*ustus*. Ab altera parte sedet Nova Roma: ad pedes, maritimæ potentiæ symbolum, prora ratis cum gubernaculo conspicitur; dextra hastam, læva victoriolam, globo impositam, tenet. Concordia Theodosii et Arcadii hac inscriptione laudatur, CONCORDIA AVG*ustorum*. Nummus, ut ex subscriptione patet, Constantinopoli signatus est.

563 CAPUT XXXVI.

De imperio et rebus gestis Arcadii, Theodosii junioris et Honorii Cæsarum. De Gildonis perfidia ac molitionibus, tamen per Mascezilem compressis.

Anno ab Urbe condita MCXLIX, [1] Arcadius Augustus, cujus nunc filius Theodosius Orientem regit, et Honorius Augustos, frater ejus, cui nunc Respublica innititur, quadragesimo et secundo loco, communo imperium, divisis tantum sedibus tenere cœperunt : [2] vixitque Arcadius post patris excessum annis duodecim, imperiique summam Theodosio [3] filio suo parvo admodum, moriens tradidit. Interea Gildo comes, qui in initio regni eorum Africæ præerat, simul ut defunctum **564** Theodosium comperit, [4] sive, ut quidam ferunt, quadam permotus invidia, [5] Africam Orientalis imperii partibus jungere molitus est : sive, ut alia tradit opinio, minimam in parvulis spem fore arbitratus, præsertim cum absque his non facile antea quisquam pusillus in imperio relictus, ad maturitatem virilis ætatis [6] evaserit : istique propemodum soli inveniantur, quos, ob egregiam patris ac suam fidem, et divisos et destitutos Christi tutela provexerit. [7] Africam, excerptam a societate reipublicæ, sibi usurpare ausus est, gentili magis licentia contentus quam ambitu regiæ affectationis inflatus. Huic [8] Mascezil frater fuit, qui novarum rerum in fratre molitiones perhorrescens, relictis apud Africanam militiam duobus filiis adolescentibus, in Italiam rediit. Gildo, et absentiam fratris et præsentiam filiorum ejus suspectam habens, adolescentes dolo circumventos interfecit. Ad hunc jam, [9] ut hostem, bello insequendum Mascezil frater missus est, quem idoneum procurandæ reipublicæ fore propriæ orbitatis recens dolor pollicebatur. Igitur Mascezil jam inde a Theodosio sciens, quantum in rebus desperatissimis [10] oratio hominis per fidem Christi a Clementia Dei impetraret, [11] Caprariam insulam adiit, unde secum sanctos servos Dei [12] aliquot permotos precibus suis sumpsit : cum his orationibus, jejuniis, psalmis dies [13] et noctes continuans, sine bello victoriam meruit, ac sine cæde vindictam. Ardalio **565** fluminis nomen est, quod fluit inter [14] Thebastem et Metrideram civitates : ubi cum parva manu, hoc est, cum quinque millibus (ut aiunt) militum, [15] contra septuaginta millia hostium castra [16] metatus, cum interjecta mora excedere loco, [17] oppositasque præjacentis vallis angustias transgredi vellet, [18] intercurrente nocte, beatum Ambro-

HAVERCAMPI NOTÆ.

CAP. XXXVI.—1. *Arcadius... et Honorius.* Hi duo Theodosii filii, ex voluntate patris, post Constantini Magni filios, Romanum imperium ejusque partes inter se diviserunt. Neuter eorum sufficientes oneri cervices habuit, miserequo sub iisdem, vafritie et fraude tutorum, barbarorumque invasionibus afflicta fuit res Romana. Utriusque Augusti nummum aureum subjicere placuit. In Arcadii nummo, ex Gaza Marckiana quondam desumpto, Virtus Romanorum laudatur, quæ tamen sub imbelli principe parum enituit; in Honorii nummo diuturnum ejus imperium celebratur, de quo Bandurius, ex cujus Opere Honorii nummus desumptus est, potest inspici.

2. *Vixitque.* Perizon., *vixit.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *vixit itaque.*

3. *Filio suo.* Aliquot ex mss. cum ed. Aug. *suo* non agnoscunt.

4. *Sive, ut quidam ferunt.* Mss. Perizon., Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *sicut quidam ferunt.*

5. *Africam Orientalis imperii partibus*, etc. Ed. Aug. inter *imperii* et *partibus* interserit *sui.* Gildo autem, vel Africæ, cujus obtinebat curam, Orientales quoque adjungere voluit provincias, vel tyrannidem occupare in Africa sola, eamque partem imperii Romani, discerptam a corpore reliquo, sibi vindicare.

6. *Evaserit.* Perizon. et Lugd. Bat. pr., cum Coll. Gronov., *pervenerit.* Mox *et isti* iidem mss. et aliqui Lugd. Batt.

7. *Africam excerptam.* Pro hisce in tribus Lugd. Batt., Perizon. et Coll. Gronov. legitur *exceptam arcem.* Forsitan ita legendum est, *Africam excerptam a societate reipublicæ, arcem sibi usurpare ausus est.* Notum est enim *arcem occupare* et *tenere*, apud Latinos scriptores passim de occupata tyrannide dici. Vide, quæ notavimus ad Tertulliani Apologeticum pag. 48.

8. *Mascezil.* Varie in mss. Orosii et Diaconi quoque, hoc nomen scribitur. *Mascebiel* hic, at infra *Masceibel*, habet Lugd. Bat. pr.; *Mascelzel*, sec.; *Mascezel*, Flor. sec. et ed. Aug.; *Masceibel*, Lug. Bat. tert. et quart.; et denique *Maseczel* Cod. Perizon.

9. *Ut hostem, bello insequendum.* Mss., *in hostem bello insequentem.*

10. *Oratio hominis*, etc. Ed. August. hanc suppeditat lectionem, *oratio per fidem et clementiam Dei impetravit*, quæ haud absurda est.

11. *Caprariam.* Florent. sec., *Capriam.*

12. *Aliquot.* Perizon., *aliquos.*

13. *Et noctis.* Perizon., cum Lugd. Batt. pluribus, *noctisque.*

14. *Inter Thebastem et Metrideram.* Pro *Metrideram* Florentt. duo legunt *Admederam*; Lugd. Bat. sec. et Ultr., *Ammederam*; quart. et Perizon., *Mederam*; Lugd. Bat. pr., *Oomeodoram*; tert. cum Coll. Gronov., *Odmeoderam*; ed. August., *Admeredam.* Sed apud Paulum Diaconum lib. XIII, p. 90, invenio, *quod fluit inter Terestem et Amedarum civitates.*

15. *Contra septuaginta millia hostium.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. XL millia numerant.

16. *Metatus.* Perizon., *metatus est.*

17. *Oppositasque præjacentis vallis angustias.* Cod. Periz. et Coll. Gronov., *oppositusque præjacentes valles angustus*, etc. Apud Diaconum legitur, *appositusque vallis præjacentes angustias transgredi vellet.*

18. *Intercurrente nocte.* Sic quoque legitur apud

sium episcopum, Mediolani paulo ante defunctum, per somnium sibi videre visus est, significantem manu, et impacto ad humum ter baculo dicentem: *Hic, hic, hic.* Quod ille prudenti conjectura intellexit [19] merito annuntiantis fidem victoriæ, verbo locum, numero diem significari. [20] Substitit, ac tertio demum die, post noctem orationibus hymnisque pervigilem, [21] ab ipsis cœlestium sacramentorum mysteriis, in hostem circumfusum [22] processit: [23] et cum ad eos qui primi occurrerant, pia pacis verba jactaret, signiferum quemdam [24] insolenter obsistentem, et jam jamque pugnam excitantem, gladio percussit in brachio; eumque manu debilem, ipso vulnere coegit pronum inclinare vexillum. Quo viso, reliquæ cohortes deditionem jam fieri priorum existimantes, certatim sese ad Mascezilem signis tradidere conversis. Barbari, quorum magnam multitudinem [25] Gildo ad bellum deduxerat, defecto militum **566** destituti, in diversa fugerunt. Gildo et ipse fugam molitus arrepta navi [26] ut in altum provectus, ac deinde revocatus in Africam, post aliquot dies strangulatus, interiit. Periclitaremur sub tantorum miraculorum relatu, præsumpta mentiendi impudentia, nisi adhuc vocem nostram conscientia eorum, qui interfuere, præcurreret. Nullæ aguntur insidiæ, nulla corruptio, septuaginta millia hostium vincuntur pene sine pugna: fugit victus ad tempus, ne plus audeat victor iratus. Transportatur in diversum locum, [27] ut nesciat frater occidi, [28] quo vindicatur occiso. Sane idem Mascezil, elatus rerum secundarum insolentia, posthabito sanctorum consortio, cum quibus antea Deo militans vicerat, etiam ecclesiam temerare ausus est, atque ex ea quosdam non dubitavit extrahere. Secuta est pœna [29] sacrilegum. Nam iisdem superstitibus atque insultantibus, quos ab ecclesia ad pœnam protraxerat, post aliquantum tempus [30] et ipse solus punitus est: [31] probavitque in se uno, ad utrumque [32] semper divinum vigilare judicium: quando et cum speravit, adjutus, et cum contempsit, occisus est.

567 CAPUT XXXVII.

De Rufini et Stiliconis scelere: item Rhadagaisi regis Gothorum; quomodo Romam terruerit et victus sit.

Interea cum a Theodosio imperatore seniore, singulis [1] potissimis infantum cura et disciplina utriusque palatii commissa esset, hoc est, Rufino Orientalis aulæ, Stiliconi Occidentalis imperii, quid uterque egerit; quidve agere conatus sit, exitus utriusque docuit: cum alius sibi, alius filio suo affectans regale fastigium, ut rebus repente turbatis, necessitas reipublicæ scelus ambitus tegeret, barbaras gentes ille immisit, hic fovit. Taceo de Alarico rege cum Gothis suis sæpe victo, sæpe concluso, semperque dimisso. [2] Taceo de infelicibus bellis apud [3] Pollentiam gestis, cum barbaro et pagano [4] duci, hoc est, Sauli, belli summa commissa est: cujus improbitate [5] reverendissimi dies et sanctum Pascha violatum est, cedentique hosti propter religionem, ut pugnaret extortum est: cum quidem ostendente in brevi judicio Dei, et quid favor ejus posset, et quid [6] ultio exigeret, pugnantes vicimus, victores victi sumus. Taceo de ipsorum inter se Barbarorum crebris dilacerationibus, [7] cum se invicem Gothorum cunei duo, deinde Alani atque Hunni variis cædibus populabantur. Rhadagaisus, omnium antiquorum præsentiumque **568** hostium longe immanissimus, repentino impetu

HAVERCAMPI NOTÆ.

Diaconum, sed *incurrente nocte* malunt ed. August. et cod. Lugd. Bat. sec. cum Ultr. Reliqui Lugd. Batt. tres cum Perizon. et Coll. Gronov. legunt *insistente nocte.*

19. *Merito annuntiantis.* Quinti casus videtur istud *merito*, id est, ablativi, non vero adverbium; significat igitur per meritum Ambrosii, jam inter beatos relati. Perizon., *meritoque.*

20. *Subsistit.* Ita in Diacono legitur, et sic quoque habent cod. Ultr. et Coll. Gronov. neque displicet. Vulgg. *substitit.*

21. *Ab ipsis.* Edd. quædam vett., *munitus ipsis.*

22. *Processit.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. et cod. Perizon., *procedit.*

23. *Et cum ad eos.* Ed. Aug., *et cum jam ad eos.*

24. *Insolenter.* Cod. Perizon., *violenter.*

25. *Gildo.* De hujus Gildonis motu ejusque criminibus exstat Q. Aurelii Symmachi epistola ad Stilichonem scripta lib. IV, epist. 4.

26. *Ut in altum provectus.* Vocula *ut* non comparet in tribus Lugd. Batt.

27. *Ut nesciat frater occidi.* Ita recte mss. et edd. Fabr. Pessime in aliis legebatur, *ut nesciatur a fratre occidi.* In Aug. ed. legitur, *ut nesciat frater occidi, frater occidere, quo vindicatur occiso.* Sed sensus Orosii est, propterea in locum a fratre Mascezile diversum ejectum ibidemque occisum fuisse Gildonem, ne frater juberet illam necem, qua sua filiorum orbitas vindicaretur.

28. *Quo vindicatur occiso.* Ita Lugd. Batt. omnes cum Coll. Gronov. *qui*, etc. At mss. Florentt. et edd. vett., *quo vindicantur occisi*, videlicet liberi Mascezilis.

29. *Sacrilegum.* Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov., *sacrilegium.*

30. *Et ipse solus.* Ita transponunt hæc verba mss. pro *solus et ipse.* In Aug. ed. atque cod. Ultr. deletur *et.*

31. *Probavitque.* Recte, non *provocavitque*, prouti in Lugd. Batt. pr. et tert. atque Coll. Gronov. invenitur.

32. *Semper.* Abest a mss. Lugd. tribus, ut et a cod. Perizon. et Coll. Gronov.

CAP. XXXVII. — 1. *Potissimis.* Codex Perizon., *potentissimis.* Male.

2. *Taceo de infelicibus bellis.* Sic scribere jubent codd. Perizon. et Lugd. Batt. pr. et tert. Nam *illis*, quod in vulgg. legitur, ex varia lectione prognatum est, ut docet ed. Augustan. in qua utraque lectio, *bellis illis* conjungitur.

3. *Pollentiam.* Liguriæ urbem, nam et alia ejus nominis in Piceno fuit. Utraque geminata littera *l*, *Pollentia*, ut habent mss. meliores, non, ut ed. vulgg., *Polentia*, scribebatur.

4. *Duci.* Edd. quædam vett., *duce, cui summa belli*, etc.; sed contra mss. et verum sensum.

5. *Reverendissimi dies et sanctum Pascha.* Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. *diei* vel *Dei Pascha.*

6. *Ultio.* Additur in edd. quibusdam vett. ex abundanti *divina.*

7. *Cum se invicem.* Perizon., *cum in se invicem.*

totam [8] inundavit Italiam. Nam fuisse in populo ejus plus quam ducenta millia Gothorum ferunt. Hic supra hanc incredibilem multitudinem indomitamque virtutem paganus et Scytha erat: qui, ut mos est barbaris [9] hujusmodi gentibus, omnem Romani generis sanguinem diis suis propinare devoverat. Hoc igitur Romanis arcibus imminente, fit omnium paganorum [10] in Urbe concursus, [11] Hostem adesse cum utique virium copia, tum maxime præsidio deorum potentem : Urbem autem ideo destitutam et mature perituram, quia deos et sacra [12] perdiderit. Magnis querelis ubique agitur, et continuo [13] de repetendis sacris celebrandisque tractatur. Fervent tota Urbe blasphemiæ, vulgo nomen Christi tamquam lues aliqua præsentium temporum [14] opprobriis gravatur. Itaque ineffabili judicio Dei factum est, uti, quoniam in permixto populo piis gratia, impiis pœna debebatur, [15] oportebatque permitti hostes, qui insuadibilem in plurimis, et contradicentem civitatem severioribus solito flagris coarguerent, [16] non tamen eos qui indiscrete evectos intemperata cæde delerent, duo tunc Gothorum populi cum duobus potentissimis regibus suis per Romanas provincias [17] baccharentur: quorum unus Christianus [18] propiorque Romano, et (ut res **569** docuit) timore Dei mitis [19] in cæde, alius paganus, [20] barbarus, et vere Scytha, qui non tantum gloriam aut prædam quantum inexsaturabili crudelitate ipsam cædem amaret in cæde : et hic jam sinu receptus Italiæ, [21] Romam e proximo trementem terrore quassabat. Itaque si huic ultionis potestas permitteretur, quem Romani ob hoc præcipue timendum arbitrabantur, quia deorum favorem sacrificiorum obsequiis invitaret; et [22] immoderatior cædes sine fructu emendationis arsisset, et error novissimus pejor priore crevisset : quandoquidem in pagani et idololatræ manus [23] incidisse, non solum paganis residuis de instaurando cultu idolorum esset indubitata persuasio, sed etiam Christianis periculosa confusio, cum et hi terrerentur præjudicio, et illi confirmarentur exemplo. Quamobrem [24] justus dispensator humani generis Deus perire paganum hostem voluit, et Christianum prævalere permisit, ut pagani blasphemantesque Romani, et illo confunderentur perdito, et hoc punirentur immisso : maxime cum imperatoris Honorii admiranda in rege continentia, et sanctissima fides [25] non parum divinæ misericordiæ mereretur. Conceduntur quidem adversus immanissimum illum hostem Rhadagaisum, aliorum hostium cum copiis suis inclinati ad auxilium animi. Adsunt [26] Uldin et [27] Sarus, Hunnorum et Gothorum duces, præsidio Romanorum : sed non sinit Deus rem potentiæ suæ, virtutem hominum et maxime hostium videri. Conterritum divinitus Rhadagaisum [28] in Fæsulanos montes cogit : ejusque (secundum eos qui parcissime referunt) [29] ducenta millia hominum, inopum consilii et cibi, in arido et aspero montis jugo, urgente undique **570** timore concludit : agminaque, quibus dudum angusta videbatur Italia, latendi spe [30] in unum ac parvum verticem trudit. Quid multis morer? Non disposita in bellum acies fuit, non furor, timorque incerta pugnæ prætulit, non cædes acta, non sanguis effusus est, [31] non postremo (quod felicitatis loco deputari solet) damna pugnæ [32] eventu compensata victoriæ; eden-

HAVERCAMPI NOTÆ.

8. *Inundavit.* Orosii est verbum, cujus glossa est in ed. August., *invadit.*

9. *Hujusmodi.* Perizon., *eisdem;* Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *ejusdem genti.*

10. *In Urbe.* Ed. Aug., *in Urbem*, quod non recipio.

11. *Hostem adesse.* Blanditur magis hæc lectio cod. Perizon. quam quæ in reliquis mss. et in edd. invenitur, *hostem esse.* In edd. quibusdam vett. præcedit *clamantium*, quasi non significantior esset sensus, sine ficulneo illo fulcro.

12. *Perdiderit.* Perizon. *perdiderat.*

13. *De repetendis.* In textu ms. Lugd. Bat. primi erat, *de repentinis sacris*, ascripta in margine vera lectione.

14. *Opprobriis gravatur.* Sic malo cum mss. Perizon. et tribus Lugd. Batt. atque Coll. Gronov. quam *probris ingravatur*, quod codd. reliqui, ut et edd. habent.

15. *Oportebatque.* Cod Perizon., *oportebat.*

16. *Non tamen eos.* Ed. August. addit *hostes.*

17. *Baccharentur.* Mss. omnes, quos ad hunc locum novem consului, una cum Coll. Gronov. et cod. Aug. habent *bacchabantur.* Hæc lectio, si placet, juxta cod. Perizon. lectionem, *oportebatque*, quod supra legitur, mutari debet, in *oportebat*, et a verbis illis, *duo tunc* novus inchoare sensus, posita distinctione majori post illa, *cæde delerent.*

18. *Propiorque Romano.* Nescio unde in Fabr. et Scotti edd. *propriorque*, quod non magis placet quam *propitiorque Romano*, quod in Perizon. et Aug. codd. legitur. Significat minus barbarum, et propius ad Romanos mores accedentem.

19. *In cæde.* Tres ex Lugd. Batt., cum Coll. Gronov., *in cædes.* Sed nihil mutandum est, quia aliquanto post sequitur de altero, *ipsam cædem amaret in cæde.*

20. *Barbarus.* Excidit hoc ex Lugd. Batt. pr. et tert. cum Coll. Gronov.

21. *Romam e proximo*, etc. Mss. aliquot legunt, *Romam proximo trementem terrore quassabat.*

22. *Immoderatior cædes.* Male editi quidam, *Immoderatior cæde.*

23. *Incidisse.* Perizon. et Coll. Gronov. *incidissent*, nullo sano sensu.

24. *Justus.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *justissimus.*

25. *Non parum divinæ misericordiæ*, etc. Lugd. Bat. pr. scribit, *et sanctissima fides divinæ misericordiæ auxilium mereretur.*

26. *Uldin.* Apud Diaconum legitur *Virdinus*, in edd. Venetis *Uldinus.*

27. *Sarus.* Duo ex Lugd. Batt. cum Coll. Gronov., *Parus.*

28. *In Fæsulanos montes.* In Florent. pr. extrema littera in duabus hisce vocibus erasa apparet.

29. *Ducenta millia.* Lugd. Bat. tert. et Coll. Gronov. DCC *millia.*

30. *In unum ac parvum verticem.* Ed. Augustana legit, *in unum, ac parvum in verticem.*

31. *Non postremo (quod felicitatis loco)* Perizon. tres Lugd. Batt. et Coll. Gronov., *non postremo, quod in felicitatis loco.* Veneti et Aug. ed. deleto *non*, legunt, *quod felicitatis postremo loco deputari solet.*

32. *Eventu compensata victoriæ.* Lugd. Batt. pr.

tibus, bibentibus, ludentibusque nostris, tanti illi tamque immanes hostes, esurientes et sitientes languentesque confecti sunt. Parum hoc est, nisi captum [33] et catenatum ac subjugatum sciant : quem timuere Romani : illumque idololatram suum, cujus sacrificia se magis pertimescere quam arma fingebant, sine prælio victum ac vinctum sub jugo catenisque despiciant. Igitur rex Rhadagaisus, solus spem fugæ sumens, clam suos deseruit, atque in nostros incidit, a quibus [34] captus, ac paulisper retentus, deinde interfectus est. Tanta vero multitudo captivorum Gothorum fuisse fertur, ut, vilissimarum pecudum modo, singulis aureis passim greges hominum venderentur. Sed nihil superesse Deus de eodem populo sinit. Nam illico cunctis qui emebantur morientibus, quod improbi emptores eorum non impenderunt turpiter pretiis, expenderunt misericorditer sepulturis. Igitur ingrata Roma, [35] quæ sicut nunc sensit, non ad remittendam, sed ad reprimendam idololatriæ præsumptionem, judicis Dei obliquam misericordiam, [36] ita continuo propter vivorum mortuorumque [37] sanctorum piam recordationem, Dei iram passura non plenam, **571** si forte confusa pœniteat, et per experientiam fidem discat, ab incursu Alarici regis et hostis, sed Christiani, [38] aliquantulo ad tempus spatio, [39] differtur.

CAPUT XXXVIII.

De molitionibus Stiliconis comitis, ejusque et Eucherii interitu.

Interea comes Stilico, Vandalorum imbellis, avaræ, perfidæ et dolosæ gentis genere editus, parvipendens quod sub imperatore imperabat; Eucherium, filium suum, sicut a plerisque traditur, jam inde Christianorum persecutionem a puero privatoque meditantem, [1] in imperium quoquo modo sustinere nitebatur. Quamobrem Alaricum, cunctamque Gothorum gentem, pro pace optima et quibuscumque sedibus suppliciter ac simpliciter orantem, occulto fœdere fovens, publice autem et belli et pacis copia negata, ad terendam terrendamque rempublicam reservavit. Præterea gentes alias copiis viribusque intolerabiles, quibus nunc Galliarum Hispaniarumque provinciæ premuntur, hoc est, Alanorum, Suevorum, Vandalorum, [2] ipsoque simul motu impulsorum Burgundionum, ultro in arma sollicitans, [3] deterso semel Romani **572** nominis metu, suscitavit. [4] Eas interim ripas Rheni quatere, et pulsare Gallias voluit, sperans miser sub hac necessitatis circumstantia, [5] quod et extorquere imperium [6] genero posset in filium, et barbaræ gentes tam facile comprimi quam commoveri valerent. Itaque ubi imperatori Honorio exercituique Romano hæc tantorum scelerum scena patefacta est, commoto justissime exercitu, occisus est Stilico; qui, ut unum puerum [7] purpura indueret, totius generis humani sanguinem [8] dedidit. Occisus est et Eucherius, qui, ad conciliandum sibi favorem paganorum, restitutione templorum et eversione ecclesiarum imbuturum se regni primordia minabatur, paucique cum iisdem satellites tantarum molitionum puniti sunt. Ita minimo negotio [9] paucorumque pœna, ecclesiæ Christi cum imperatore religioso et liberatæ sunt et vindicatæ. Itaque post hæc [10] tanta augmenta blasphemiarum,

HAVERCAMPI NOTÆ.

et sec. cum Coll. Gronov., *fuerunt eventu compensata victoriæ.*

33. *Et catenatum.* In nullis, quos consului mss., ut nec in ed. Aug. apparet. Respondent tamen hisce illa quæ mox sequentur, *sine prælio victum* (sive, ut Perizon. legit) *captum ac vinctum sub jugo catenisque despiciant.*

34. *Captus, ac paulisper retentus, deinde,* etc. Perizon. codex cum duobus tribusve Lug. Batt. et Coll. Gronov., *captus, paulisper detentus, et deinde interfectus est.*

35. *Quæ sicut nunc sensit.* Pro *nunc* mss. Perizon. cum duob. Lugd. Batt. *non* legunt; at Coll. Gronov., *quoque sicut non sensit.* In Lugd. pr. inveni ita scriptum, *quoque sic non sensit.* Nihil tamen muto, licet sensus aliquantum obscurus sit.

36. *Ita continuo.* Coll. Gronov., *ita continuo sicut propter vivorum*, etc.

37. *Sanctorum.* Ed. August., *avorum.*

38. *Aliquantulo.* Lugd. Bat. pr., *aliquanto.*

39. *Differtur.* Lugd. Bat. quart., *differretur.* Sed in Lugd. Bat. primo in textu quidem legitur *defertur queat*, sed corrigitur *differri queat*, quomodo et in tertio legitur. Verum vulg. lectio sana est. Romam innuit Orosius, quamvis æternæ Urbis superbiat titulo, tamen per iram Dei aliquando perituram, sed differre Deum iram suam, si forte, non perdita a Rhadagaiso, cui id non concessit quia paganus erat, pœnitens, mitius puniatur ab Alarico, homine Christiano, ut ita fidem discat, et per fidem divinis castigationibus cum fructu se submittat. Confer extremum capitis sequentis.

CAP. XXXVIII. — 1. *In imperium.* Ed. Aug. et mss. fere omnes, quos inspexi, ita exhibent, non *in imperio*, ut vulgg.

2. *Ipsoque.* Ed. August., *ipsorumque simul metu*, etc., quod non damno.

3. *Deterso semel*, etc. Male excidit ex cod. Perizon. vox *semel*, nam auget significationem, prouti apud Tertullianum et optimos scriptores Latinos eo sensu occurrere solet.

4. *Eas interim*, etc. Nulla ante hæc verba in prioribus editt. ponebatur distinctio, unde turbatus eorumdem intellectus fuit. Pro *ripas* ed. August. habet *ipsas ripas*, ut et *ipsorumque* pro *ipsorum.*

5. *Quod et extorquere.* Sæpissime in mss. Orosii ponitur *quia* pro *quod*, sicuti etiam hoc in loco in plerisque codd. permutantur; sed nos sequimur illos, qui *quod* scribunt. Perizon. habet *qua.*

6. *Genero posset in filium.* Gener Stiliconis erat Honorius, ducta in uxorem ejusdem filia; sed dum Eucherio filio parat regnum Stilico, extorquere illud genero Honorio studet. Novam vero lectionem suppeditat cod. Perizon., ita scribens, *qua et extorquere imperium tenero posset filio*, etc. Sed Vulg. sana est.

7. *Purpura indueret.* Sic ed. Aug. et mss. meliores; alii, *purpuram indueret.*

8. *Dedidit.* Ita restitui ex mss. Florentt. et ed. Aug., nam *dedit* legitur in aliis.

9. *Paucorumque pœna.* Plures ex mss., *paucorum pœna.*

10. *Tanta augmenta blasphemiarum.* Cod. Perizon. legit, *tanta augmenta et piacula blasphemiarum.*

nullamque pœnitentiam, ultima illa diuque suspensa Urbem pœna consequitur.

573 CAPUT XXXIX.

Quomodo Roma per Gothos irrupta fuerit, deprædata et incensa, solis Christianis tutis et liberis.

Adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, [1] turbat, irrumpit. Dato tamen præcepto [2] prius, ut si qui in sancta loca præcipueque [3] in sanctorum apostolorum Petri et Pauli basilicas [4] confugissent, hos imprimis inviolatos securosque esse sinerent. Tum deinde, in quantum possent prædæ inhiantes, a sanguine temperarent. Accidit quoque, quo magis illa Urbis irruptio indignatione Dei acta, quam hostis fortitudine probaretur, ut beatus Innocentius, [5] Romanæ Ecclesiæ episcopus, tamquam justus Lot, subtractus a Sodomis, occulta providentia Dei apud Ravennam tunc positus, peccatoris populi non videret excidium. Discurrentibus itaque per Urbem Barbaris, forte unus Gothorum, idemque potens et Christianus, sacram Deo virginem [6] jam ætate provectam, in quadam ecclesiastica domo reperit: cumque ab ea aurum argentumque honeste exposceret, [7] illa fideli constantia esse apud se plurimum, et mox proferendum spopondit, ac protulit. [8] Dumque, expositis opibus, attonitum Barbarum magnitudine et pondere ac **574** pulchritudine, ignota etiam vasorum qualitate [9] intelligeret, virgo Christi ad Barbarum ait: *Hæc Petri apostoli sacra ministeria sunt. Præsume, si audes, de facto tu videris.* [10] *Ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo.* Barbarus vero ad reverentiam religionis, timore Dei et fide virginis motus, ad Alaricum per nuntium hæc retulit: qui continuo reportari ad apostoli basilicam [11] universa, ut erant, vasa imperavit; virginem etiam, simulque omnes qui se adjungerent Christianos, eodem cum defensione deduci. Ea domus [12] a sanctis sedibus [13] longe, ut ferunt, et medio interjectu Urbis aberat. Itaque magno spectaculo omnium disposita per singulos singula, et super capita elata palam aurea atque argentea vasa portantur, exsertis undique ad defensionem gladiis pia pompa munitur. [14] Hymnis, Deo Romanis Barbarisque concinentibus, publice canitur. Personat late in excidio Urbis salutis tuba, omnesque etiam in abditis latentes, invitat ac pulsat. Concurrunt undique ad vasa Petri vasa Christi; plurimi etiam pagani Christianis professione, [15] etsi non fide, admiscentur; et per hoc tamen ad tempus, quo magis confundantur, evadunt. Quanto copiosius [16] aggregantur Romani confugientes, tanto avidius circumfunduntur Barbari defensores. O sacra et ineffabilis divini judicii discretio! O sanctum istud et salutare flumen, quod parva exortum domo, dum beato alveo in sanctorum sedes tendit, oberrantes periclitantesque animas in salutis sinum pia rapacitate pervexit! O præclara illa Christianæ militiæ tuba, quæ generaliter cunctos dulcissimo ad vitam modulamine invitans, quos [17] ad salutem inobedientes non suscitavit, **575** [18] inexcusabiles reliquit ad mortem. [19] Mysterium hoc, quod in transferendis vasis, [20] dicendis hymnis, ducendis populis fuit, tamquam magnum cribrum fuisse arbitror, per quod ex congregatione populi Romani, tamquam ex magna massa frumenti, per omnia ex universo ambitu civitatis latebrarum foramina, effluxere grana viva, sive occasione, sive veritate commota, omnia tamen de præsente salute credentia, [21] ex horreo Dominicæ præparationis accepta sunt: reliqua vero, [22] sicut stercora, et velut paleæ, ipsa vel incredulitate vel inobedientia præjudicata, ad exterminium atque incendium remanserunt. Quis hæc [23] perpendere plenis miraculis quis prædicare dignis laudibus queat? Tertia die Barbari, quam ingressi fuerant Urbem, sponte discedunt, [24] facto quidem aliquantarum ædium incendio, sed ne tanto quidem, [25] quantum septingentesimo conditionis ejus anno casus effecerat. Nam si exhibitam

HAVERCAMPI NOTÆ.

Cap. XXXIX. — 1. *Turbat, irrumpit.* Perizon., cum Ultr. et duobus Lugd. Batt., *turbatam* vel *turbatamque irrumpit.*

2. *Prius.* Abest ab ed. August.

3. *In sanctorum.* Cod. Perizon. non habet *in.*

4. *Confugissent.* Perizon. idem, *confugerent.*

5. *Romanæ Ecclesiæ.* Ed. August., *Romanæ urbis.* In eadem *Loth* desideratur, et mox mavult *peccatoris tunc populi*, etc.

6. *Jam ætate provectam.* Edit. August., *etiam ætate provectam.*

7. *Illa.* Perizon., *illi.*

8. *Dumque, expositis opibus*, etc. Aliquot ex mss. et quidem numero plures, legunt, *cumque, expositis opibus, attonitum barbarum magnitudine, pondere, pulchritudine*, etc.

9. *Intelligeret.* Edd. quædam, *videret.*

10. *Ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo.* Ita ex mss. suis restituit Fabricius, cum antea legeretur pro *tenere* (præterquam in edit. Aug.) *contendere.* In Perizon. autem et Lugd. Bat. quarto et Ultr. legitur, *Ego, quia defendere non queo* (vel *nequeo*), *tenere non audeo.*

11. *Universa.* Abest hoc a cod. Perizon., qui mox legit, *eadem cum defensione.*

12. *A sanctis sedibus.* Edd. quædam, *sanctis sedibus.*

13. *Longe, ut ferunt.* Ita scribere jubent ed. August. et mss. meliores. Vulgg., *longo ut ferunt.*

14. *Hymnis.* Ed. August. *Hymnum*, sunt et quæ habent *Hymnus.*

15. *Etsi non fide.* Sic lege ex mss. et ed. Aug., *si non fide* edd. Vulgg.

16. *Adgregantur.* Perizon., *congregantur.*

17. *Ad salutem.* Perizon. et Lugd. Bat. quart., *ad vitam.*

18. *Inexcusabiles.* Lugd. Bat. quart., *intricabiles.*

19. *Mysterium hoc, quod*, etc. In Lugd. Bat. quarto legitur, *mysterium miserabile*, etc.; quod viam sternit ad lectionem cod. Perizon., *Mysterium hoc mirabile, quod*, etc.

20. *Dicendis hymnis.* Cod. Perizon., *dicendisque hymnis.*

21. *Ex horreo.* Florent. duo, *et horreo.*

22. *Sicut stercora.* Ed. Aug. et mss. Florent., *velut stercora.*

23. *Perpendere.* Edit. eadem, *perpendet.*

24. *Facto quidem.* Mss. aliquot, *facto tamen.*

25. *Quantum septingentesimo.* Idem, *quantum in septingentesimo.*

Neronis imperatoris sui spectaculis inflammationem recenseam, proculdubio nulla comparatione æquiparabitur secundum id, quod excitaverat lascivia principis, hoc quod nunc intulerit ira victoris. [26] Neque vero Gallorum meminisse in hujusmodi collatione debeo, qui [27] continuo pene anni spatio incensæ eversæque Urbis attritos cineres possederunt. Et ne quisquam forte dubitaret ad correptionem [28] superbæ lasciviæ, et blasphemæ civitatis hostibus fuisse permissum, eodem tempore clarissima Urbis loca fulminibus [29] diruta sunt, quæ inflammari ab hostibus nequiverunt.

576 CAPUT XL.

De irruptione, vastationeque Alanorum, Suevorum et Vandalorum. Item de Gratiano tyranno et Constantino imperatore apud Britannos; deque Didymi et Veriniani gestis et interitu.

[1] Anno itaque ab Urbe condita MCLXIV, irruptio Urbis per Alaricum facta est: cujus rei quamvis recens memoria [2] sit, tum si quis ipsius populi Romani et multitudinem videat, et vocem audiat, nihil factum, sicut etiam ipsi fatentur, arbitrabitur, nisi aliquantis adhuc [3] exsistentibus ex incendio ruinis forte doceatur. In ea irruptione Placidia, Theodosii principis filia, Arcadii et Honorii [4] imperatorum soror, ab Ataulpho, Alarici propinquo, [5] capta est, atque in uxorem assumpta, quasi [6] eam divino judicio velut speciale pignus obsidem Roma tradiderit, ita juncta [7] potentissimo Barbari regis conjugio, multo reipublicæ commodo fuit. Interea ante biennium Romanæ irruptionis, excitatæ per Stiliconem gentes Alanorum, ut dixi, Suevorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ, Francos proterunt, Rhenum transeunt, Gallias invadunt, directoque impetu Pyrenæum usque perveniunt: cujus obice ad tempus repulsæ, per circumjacentes provincias refunduntur. Ilis per Gallias bacchantibus, apud Britannias Gratianus, municeps ejusdem insulæ, tyrannus creatur et occiditur. Hujus loco Constantinus, ex infima militia, propter solam spem nominis, sine merito virtutis eligitur, **577** qui continuo ut invasit imperium, in Gallias transiit. [8] Ibi sæpe a Barbaris incertis fœderibus illusus, detrimento magis reipublicæ fuit. [9] Misit in Hispanias judices, quos cum provinciæ obedientes [10] accepissent, duo fratres juvenes nobiles et locupletes, Didymus et Verinianus [11] non assumpserunt; ne adversus tyrannum quidem tyrannidem, sed imperatori justo adversus tyrannum et Barbaros tueri sese patriamque suam moliti sunt. Quod ipso rei gestæ ordine patuit. Nam tyrannidem nemo nisi celeriter maturatam [12] secreto invadit, et publice armat, cujus summa est, assumpto diademate [13] ac purpura, videri antequam sciri. Hi vero [14] plurimo tempore servulos tantum suos [15] ex propriis prædiis colligentes ac vernaculis alentes sumptibus, nec dissimulato proposito, absque cujusquam inquietudine ad Pyrenæi claustra tendebant. [16] Adversus hos Constantinus Constantem filium suum, proh dolor! ex monacho Cæsarem factum, cum Barbaris [17] quibusdam, qui quondam in fœdus recepti atque in militiam allecti, [18] Honoriaci vocabantur, in Hispanias misit. Hinc apud Hispanias prima mali [19] labes; nam interfectis illis fratribus, qui tutari privato præsidio Pyrenæi Alpes moliebantur, his Barbaris **578** quasi

HAVERCAMPI NOTÆ.

26. *Neque vero Gallorum*. Perizon. et tres Lugd. Batt., *Ne Gallorum*, etc.

27. *Continuo*. Tres Lugd. Batt., *continui pene anni spatio attritos cineres possederunt*, deletis reliquis. *Per continui pene anni spatium* quædam ed. vett. habent.

28. *Superbæ*. Ed. Aug., *superbiæ*. Lugd. Batt. tres, *superbæ et miseræ civitatis*. Cod. Perizon., *superbæ, lascivæ, blasphemæ, et miseræ civitatis*. Quæ lectio non displicet.

29. *Diruta sunt*. Lugd. Bat. pr. et tert., *dirupta sunt*, quod non est spernendum.

Cap. XL. — 1. *Anno itaque*. Tres ex Lugd. Batt., quibus Perizon., Ultr. et Coll. Gronov. accedunt, secundam vocem non agnoscunt.

2. *Sit*. Ed. August., *est*.

3. *Existentibus ruinis*. Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *exstantibus ruinis*.

4. *Imperatorum soror*. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gronov. legunt, *imperatoris soror ablata*.

5. *Capta est*. Verbum *est* delent tres Lugd. Batt., duo Florentt., Perizon. et Coll. Gronov.

6. *Eam*. Quinque ex iisdem legunt, *eamdem*.

7. *Potentissimo Barbari regis*. Ita ed. Augustana; reliquæ, *potentissimi Barbari regis*, quod displicet auribus. Lugd. Bat. pr. *regis* delet, quod et faciunt duo Florentt.

8. *Ibi sæpe*. Lugd. Batt. primus et tertius, *ubi sæpe*.

9. *Misit in Hispanias*. Multæ editiones legunt, *Misit vero in Hispaniam judices*, sed contra mss.

10. *Accepissent*. Lugd. Batt. tres cum Coll. Gron., *audissent*. Non *Verinianus*, sed *Viridianus*, alter horum vocatur apud Paulum Diaconum.

11. *Non assumpsere*. Omnes fere mss. habent *non assumere*, quod bene et Latine dictum est, sed an ita scripserit Orosius haud liquet. Quæ vero sequuntur, a paucis, ut puto, facile, prout vulgata sunt, intelligentur. Editi habent *non assumpsere, ne adversus tyrannum*, etc. Majori distinctione post *assumpsere* posita, sensus magis erit liquidus, præsertim si pro *ne* reponas *nec*, vel illud *ne* capias ut idem significet quod *nec*. Sensus est: immo hi juvenes ne arma quidem pro tyrannide (sua videlicet, id enim in sequentibus diluit Orosius) contra tyrannum sumpserunt, sed pro imperatore et patria, contra tyrannum et Barbaros. Mss. qui *assumere* habent, delent *ne*, sed immerito, prout quidam ex illis intra *tyrannum* et *quidem* interjiciunt quoque frustra *sese*, atque deinde expungunt *et Barbaros*.

12. *Secreto*. Abest a cod. Aug. et Florentt. duobus *secrete*.

13. *Ac purpura*. Duo ex Lugd. Batt. *aut purpura*.

14. *Plurimo tempore*. Perizon., *primo tempore*.

15. *Ex propriis prædiis*. Lugd. Batt. pr. et tert., *propriis præsidiis*.

16. *Adversus hos*. Periz., *adversus quos*.

17. *Quibusdam*. Abest a mss. Lugd. Batt. et Coll. Gron.

18. *Honoriaci*. In mss. quibusdam *Honoriani*, in aliis *Honoriacti* vocantur: in Periz. dicuntur *Honoraciaci*.

19. *Labes*. Lugd. Bat. cum Periz. et Coll. Gronov. *fuit* addunt.

in pretium victoriæ, primum prædandi [20] in Palatinis campis licentia data; dehinc supradicti montis claustrorumque ejus cura permissa est, remota rusticanorum fideli et utili custodia. Igitur Honoriaci, imbuti præda et [21] illecti abundantia, quo magis scelus impunitum foret, [22] atque ipsi sceleri plus liceret, prodita Pyrenæi custodia claustrisque patefactis, cunctas gentes quæ per Gallias vagabantur, Hispaniarum provinciis immittunt, iisdemque ipsi adjunguntur, ubi actis aliquamdiu magnis cruentisque discursibus, post graves [23] rerum atque hominum vastationes, [24] de quibus ipsos quoquemodo pœnitet, [25] habita sorte et distributa usque ad nunc possessione consistunt.

CAPUT XLI.

Dictorum velut epilogus. Item omnes omnia juste sustinuisse, sive pii sive impii fuerint.

Multa nunc mihi de [1] hujusmodi rebus loquendi foret facultas, si non secundum omnes homines apud uniuscujusque mentem conscientia secreta loqueretur. Irruptæ sunt Hispaniæ, cædes vastationesque passæ sunt. [2] Nihil quidem novum, [3] hoc enim nunc **579** per biennium [4] illud, quo hostilis gladius [5] sæviit, sustinuere a Barbaris, quod per ducentos quondam annos passæ [6] fuerunt a Romanis, quod etiam sub Gallieno imperatore per annos propemodum duodecim, Germanis evertentibus exceperunt. Verumtamen quis non se, qui sui suorumque actuum vel etiam cogitationum conscius, judicia Dei metuit, juste omnia passum, vel etiam parva sustinuisse fateatur? aut qui se non intelligit, Deumque non metuit, quomodo non juste ista et quidem parva sustinuit? [7] Quæ cum ita sint, illud tamen clementia Dei eadem pietate qua dudum prædixerat, procuravit, ut secundum Evangelium suum, quo incessabiliter [8] commonebat, [9] *Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*, [10] quisquis egredi vellet atque abire, ipsis Barbaris mercenariis ministris ac defensoribus uteretur. Hoc tunc ultro ipsi offerebant. Et qui auferre omnia, interfectis omnibus, poterant, particulam stipendii ob mercedem servitii sui et [11] transvecti oneris flagitabant. Et hoc quidem [12] a plurimis factum est. Qui autem non crediderunt Evangelio Dei, quasi contumaces, [13] vel si etiam non audierunt, dupliciter contumaces, [14] non dederunt locum iræ, juste a superveniente ira comprensi et oppressi sunt. Quamquam et post hoc quoque continuo Barbari, exsecrati gladios suos, ad aratra conversi sunt, residuosque Romanos ut socios modo et amicos fovent, ut inveniantur jam inter eos quidam Romani, qui malint inter Barbaros pauperem libertatem, quam inter Romanos tributariam sollicitudinem sustinere. [15] Quamquam **580** si, [16] ob hoc solum Barbari Romanis finibus immissi forent, quod vulgo per Orientem et Occidentem ecclesiæ Christi Hunnis et Suevis, Vandalis et Burgundionibus, diversisque et innumeris credentium populis [17] replentur, laudanda et attollenda Dei misericordia [18] videretur: quandoquidem, etsi cum labefactione nostri, tantæ gentes agnitionem veritatis [19] acciperent, quam invenire utique nisi hac occasione non [20] possent. Quid enim damni est Christiano ad vitam æternam inhianti, huic sæculo quolibet tempore et quoquo pacto abstrahi? Quid autem lucri est pagano in medio Christianorum adversus fidem obdurato, si paulo

HAVERCAMPI NOTÆ.

20. *In Palatinis campis.* Lugd. Batt. quatuor cum Perizon. et Coll. Gronov. et ed. Aug., *in Palæstinis campis.*

21. *Illecti.* ed. Aug., *allecti.*

22. *Atque ipsi sceleri plus liceret.* Emendavi hunc locum ex ed. August., quæ ita exhibet; nam vulgati edunt, *atque ipsis sceleris plus liceret.* Pro quo tres Lugd. Batt. cum Coll. Gronov. atque Ultr., melius, *ipsis sceleribus*; Perizon., *atque ipsos plus sceleri liceret.*

23. *Rerum atque hominum.* Tres ex Lugd. Batt., *servorum hominumque.*

24. *De quibus ipsos*, etc. Cum hæc lectio in omnibus inveniatur mss., ut et in ed. Aug., exsulare jussi illam quam editores suo arbitratu reposuerunt, *quarum ipsos*, etc.

25. *Habita sorte*, etc. Paulus Diaconus in fine lib. XIII: *Itaque, post multas strages, incendia et rapinas, tandem divisis sedibus, Barbari, ad aratra conversi, Romanorum residuos cœperunt ut amicos fovere.*

CAP. XLI. — 1. *De hujusmodi.* Florentini duo, *de hujuscemodi.*

2. *Nihil quidem novum.* Mss. quidam, *nihil novum.*

3. *Hoc enim nunc.* Ultima vox a Lugd. Batt. tribus abest.

4. *Illud.* Non invenitur in iisdem mss., ut nec in ed. August.

5. *Sæviit.* Sic malo cum Perizon. Cod. quam *sævit* quod in reliquis est.

6. *Fuerunt.* Mss. aliquot, *fuerant.*

7. *Quæ cum ita sint.* Edd. Fabr. et Scotti, *quæ cuncta ita sint*, inepte et contra mss. *Quæ justa cum sint*, Perizon.

8. *Commonebat.* Lugd. Batt. tres, cum Perizon. et Coll. Gronov., *præcipit.*

9. *Cum vos*, etc. *Quod si persequantur vos*, etc. Lugd. Bat. pr. et Perizon. Exstat in Evang. Matth. cap. x.

10. *Quisque egredi vellet*, etc. Ed. August. et Florent. pr. et Ultr., *quisquis egredi atque abire vellet.* Aliquot ex Lugd. Batt., *quisque quo abire velit, ipsis Barbaris mercenariis ministris ac defensoribus utebatur.* Florent. tert., *quisque egrediatur quo abire vellet.* Nos lectionem cod. Perizon. reliquis prætulimus.

11. *Transvecti oneris.* Florent. sec., *transvectionis.* Contenti scilicet erant data pecunia pro transvectione illarum rerum, quas in usum egredientium, deducentes eosdem, in alium locum transportabant.

12. *A plurimis.* Abest ab ed. August.

13. *Vel si.* Abest *vel* a duobus Lugd. Batt.

14. *Non dederunt.* Lugd. Bat. pr., *et non dederunt.* Perizon., *et non crediderunt.*

15. *Quamquam.* Ed. August., *tamquam.*

16. *Ob hoc solum.* Mss. Lugd. Batt. aliquot, *ad hoc solum.*

17. *Replentur.* Lugd. Bat. pr., *replerentur.*

18. *Videretur.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *videtur.*

19. *Acciperent.* Iidem mss., *acceperint*; Perizon., *acceperant.*

20. *Possent.* Perizon., *potuissent.*

diutius diem protrahat, [21] quandoquidem morituro desperata conversio est? Et quia ineffabilia sunt judicia Dei, quæ nec scire omnia, nec [22] explicare quæ scimus, possumus, breviter expresserim [23] correptionem judicis Dei, quoquo pacto accidat, juste sustinere qui sciunt, [24] juste sustinere qui nesciunt.

581 CAPUT XLII.

Recitat catalogum quemdam tyrannorum, qui tandem omnes opera Constantii comitis deleti fuerint.

Anno ab Urbe condita MCLXV, Honorius imperator videns, tot oppositis tyrannis, nihil adversum Barbaros agi posse, ipsos prius tyrannos [1] deleri jubet. Constantio comiti hujus belli summa commissa est. Sensit tunc demum respublica et quam utilitatem in Romano tandem duce receperit, et quam eatenus perniciem per longa tempora Barbaris comitibus subjecta tolerarit. Igitur Constantius comes in Galliam cum exercitu profectus, Constantinum imperatorem apud [2] Arelatem civitatem clausit, cepit et occidit. Jam hinc, ut de catalogo tyrannorum quam brevissime loquar, Constantem Constantini filium, Gerontius comes suus, [3] vir nequam ac improbus, apud Viennam interfecit, atque in ejus locum Maximum quemdam [4] substituit. Ipse vero Gerontius a suis militibus occisus est. Maximus, exutus purpura, destitutusque a militibus Gallicanis, qui in Africam trajecti, deinde in Italiam revocati sunt, nunc inter Barbaros [5] in Hispania egens exsulat. Jovinus postea, vir Galliarum nobilissimus, in tyrannidem [6] mox ut assurrexit, cecidit. Sebastianus frater ejusdem, hoc solum, ut tyrannus moreretur, elegit. **582** Nam continuo, [7] ut creatus, occisus est. Quid de infelicissimo Attalo loquar, cui occidi inter tyrannos honor et mori lucrum fuit? [8] In hoc Alaricus imperatore facto, infecto, refecto ac defecto, citius his omnibus actis pene quam dictis, mimum risit, et ludum spectavit imperii, nec mirum, [9] si jure hac pompa miser lusus est, cujus ille umbratilis consul Tertullus ausus est in curia dicere: *Loquar vobis, Patres conscripti, consul et pontifex, quorum alterum tenco,* [10] *alterum spero*, sperans ab eo qui spem non habebat, et maledictus utique [11] quia spem suam posuerat in homine. Attalus itaque tamquam inane imperii simulacrum cum Gothis usque ad Hispanias portatus est; [12] unde discedens navi, incerta moliens, in mari captus et ad Constantium comitem deductus, deinde imperatori Honorio exhibitus, truncata manu, vitæ relictus est. Heraclianus interea Africæ comes missus, cum idem Attalus umbram gestaret imperii, Africam strenue adversum judices ab eo missos tutatus, consulatum [13] assecutus est; quo elatus supercilio, Sabinum [14] domesticum suum, virum ingenio callidum, industriaque solertem et sapientem nominandum, si animi vires tranquillis studiis accommodavisset, generum allegit: cum quo quorumdam periculorum suspiciones dum patitur, fecit, atque aliquamdiu Africana annona extra ordinem [15] detenta,

HAVERCAMPI NOTÆ.

21. *Quandoquidem morituro desperata conversio est?* Lugd. Batt. pr., tert. et quart., cum Coll. Gronov., *quandoque morituro*; sed sec., *quandoquidem morituro*. Deinde iidem omnes, accedente Perizon., *cui desperata conversio est.* Sed vulg. sese satis tueri potest.

22. *Explicare.* Lugd. Batt. pr. et tert., cum Coll. Gronov., habet *explere.*

23. *Correptionem.* Edd. quædam vett., *correctionem.*

24. *Juste sustinere*, etc. Respondent hæc illis, quæ supra præcesserunt: *Verumtamen, quis non se, qui sui suorumque actuum*, etc. Inepte igitur ed. August. legit, *juste sustineri qui sciunt, injuste sustinere qui nesciunt.*

CAP. XLII. — 1. *Deleri jubet.* Ita Florentt. duo, Perizon., Ultr. et Lugd. Bat. tert. Reliqui, ut et edd., *delere jubet.*

2. *Arelatem.* Editi et mss. quidam *Arelatum*, nam utroque modo scribi solet, sed *Arelatem* habet quoque Diaconus, delens *civitatem*, quæ vox in mss. Orosii quoque nonnullis expungitur.

3. *Vir nequam ac improbus.* Lugd. Batt. omnes, cum Perizon. et Coll. Gronov., *nequam magis quam probus.*

4. *Substituit.* Perizon., *constituit.*

5. *In Hispania egens exsulat.* Lugd. Bat. sec. *inter barbaros Hispaniæ egens exsulat.* Paulus Diaconus initio libri XIV: *Is* (Constantius) *mox ut Gallias ingressus est, continuo Constantinum tyrannum apud Arelatem exstinxit. Constans vero, filius ejus, a Gerontio, suo comite, Viennæ interemptus est. In cujus locum Gerontius Maximum substituens, ipse a suis militibus jugulatus est. Maximus deinde purpura exutus, in Hispania exsulans, egens obiit.*

6. *Mox ut assurrexit, cecidit.* Ed. Aug., *et cecidit.* Lugd. pr. et tert., cum Coll. Gronov., *et occidit.* Pro *assurrexit* Perizon., *surrexit.*

7. *Ut creatus, occisus est.* Lugd. Batt. omnes, cum Ultr., Perizon., Meo, Coll. Gronov., adeoque mss. omnibus, delent *est*, quod inserunt (præter August.) editi, legentes, *ut est creatus, occisus est.*

8. *In hoc Alaricus*, etc. Id est, dum Alaricus, Gothorum rex, hunc Attalum imperatorem constituit Romanum, iterum privatum facit, dein rursus imperatorem, atque mox rursus in ordinem redigit, idque brevissimo temporis spatio, quid aliud agit, quam ut in scena vilem inducat homuncionem, qui, deposita persona, futurus sit privatus, atque lubente Alarico rursus imperatorio habitu in scenam sit proditurus, et deposito eodem futurus iterum, ut antea, privatus?

9. *Si jure hac pompa.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov., *si hoc jure ac pompa.*

10. *Alterum spero.* Videlicet pontificatum, restituto idolorum cultu, si perseverasset umbratilis quoque imperator suus in regno. Male Orosii locum excepit Paulus Diaconus, scribens in initio lib. XIV: *Tertullus consul, qui futurum se principem in senatu gloriatus est, pari nihilominus exitu periit.*

11. *Quia.* Lugd. Batt. tres, cum Coll. Gronov. et cod. Periz., legunt *qui.*

12. *Unde discedens navi.* Mss. aliquot, *descendens*, ut et ed. Aug.

13. *Assecutus est.* Ed. Aug., *consecutus est.*

14. *Domesticum suum.* Florent. sec., *Sabinum judicem, comitem suum.*

15. *Detenta.* Ita mss.; *retenta* vulgg.

583 ipse tandem cum immensa,[16] certe temporibus nostris [17] satis incredibili classe navium, Romam contendit. Nam habuisse tunc tria millia septingentas naves dicitur : quem numerum ne apud Xerxem quidem, præclarum illum Persarum regem, nec Alexandrum Magnum, vel quemquam alium fuisse regum, historiæ ferunt. Is simul ut cum agmine militum ad Urbem pergens littore egressus est, occursu comitis Marini territus et in fugam versus, arrepta navi, Carthaginem solus rediit, atque ibi continuo militari manu interfectus est. Sabinus, gener ejus, Constantinopolim fugit, unde [18] post aliquantum temporis retractus, exsilioque damnatus est. Hunc omnem catalogum, ut dixi, vel manifestorum tyrannorum, vel inobedientium ducum optima Honorius imperator religione et felicitate occidi [19] meruit, magna Constantius comes industria et celeritate confecit : merito sane, quia [20] in his diebus præcipiente Honorio, et adjuvante Constantio, pax et unitas per universam Africam Ecclesiæ catholicæ reddita est ; et corpus Christi, quod nos sumus, redintegrata [21] discissione sanatum est ; imposita exsecutione sancti præcepti Marcellino tribuno, [22] viro in primis prudenti et industrio, omniumque bonorum studiorum appetentissimo, quem [23] Marinus comes apud Carthaginem (incertum zelo stimulatus, an auro corruptus) occidit : qui continuo revocatus ex Africa, factusque privatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam conscientiæ suæ dimissus est.

584 CAPUT XLIII.

Quomodo Gothi expulsi ; quid Ataulphus rex eorum instituerit. De Segerico et Vallia regibus Gothorum.

Anno ab Urbe condita MCLXVIII, Constantius comes apud Arelatem, Galliæ urbem, consistens, magna rerum gerendarum industria, Gothos Narbona expulit, atque abire in Hispaniam coegit, interdicto A præcipue, atque intercluso omni commeatu navium, et peregrinorum usu commerciorum. Gothorum tunc populis Ataulphus rex præerat : qui, post irruptionem Urbis ac mortem Alarici, Placidia, ut dixi, captiva, sorore imperatoris, in uxorem assumpta, Alarico in regnum successerat. Is, ut sæpe auditum, atque [1] ultimo exitu ejus probatum est, satis studiose sectator pacis, militare fideliter Honorio imperatori, ac pro defendenda Romana republica impendere vires Gothorum præoptavit. Nam ego quoque ipse virum quemdam Narbonensem, illustris sub Theodosio militiæ, etiam religiosum [2] prudentemque et gravem, apud Bethlehem oppidum Palæstinæ, beatissimo Hieronymo presbytero [3] referentem audivi, se familiarissimum Ataulpho apud B Narbonam fuisse : ac de eo sæpe sub testificatione **585** didicisse, quod ille cum [4] esset animo, viribus, ingenioque nimius, referre solitus esset, se in primis ardenter inhiasse : ut, obliterato Romano nomine, Romanum omne solum, Gothorum imperium et faceret et vocaret : essetque, ut vulgariter loquar, Gothia, [5] quod Romania fuisset ; fieretque nunc Ataulphus, quod quondam Cæsar Augustus. At ubi multa experientia probavisset, neque Gothos ullo modo parere legibus posse propter effrenatam barbariem, neque reipublicæ interdici leges oportere, sine quibus respublica [6] non est respublica ; [7] elegisse se saltem, ut gloriam sibi de restituendo in integrum, augendoque Romano nomine Gothorum viribus quæreret, habereturque apud posteros Ro- C manæ restitutionis auctor, postquam esse non [8] potuerat immutator. Ob hoc abstinere a bello, ob hoc [9] inhiare paci nitebatur, præcipue Placidiæ uxoris suæ, feminæ sane ingenio acerrimæ et religionis [10] satis probæ, ad omnia bonarum ordinationum opera persuasu et consilio temperatus. Cumque eidem paci petendæ atque offerendæ studio-

HAVERCAMPI NOTÆ.

16. *Certe*. Perizon., *satis*.

17. *Satis incredibili*. Editi (præter August.), *et satis incredibili* ; verum mss. illud *et* non agnoscunt, atque etiam sensui officit.

18. *Post aliquantum temporis*. Florent. sec. et Lugd. Bat. tert., cum Coll. Gronov., *tempus* pro *temporis* habent ; sed Lugd. Bat. sec., *post aliquantum temporis*. In fine periodi *est* ex mss. apposui.

19. *Occidi meruit*. Supina admodum negligentia, non modo in cunctis edd., sed et omnibus mss., præterquam Lugd. Batt. primo et tert. atque Coll. Gronov., omissum fuit verbum *occidi*, sine quo ridiculus admodum est sensus. D

20. *In his*. Ed. Aug., *his diebus ;* cod. Periz., *illis diebus ;* uterque deleto *in*.

21. *Discissione*. Lugd. Batt. quatuor, Coll. Gronov. et edd. Venetæ, *discessione*.

22. *Viro in primis prudenti*. Ed. Aug., *bono viro, in primis*, etc.

23. *Marinus comes*. Is qui Heraclianum in Italia copiis suis exuerat, atque deinde cum imperio in Africam missus fuerat.

CAP. XLIII. — 1. *Ultimo exitu ejus*. Lugd. Batt. tres, *in ultimo exitu ejus*.

2. *Prudentemque*. Idem mss., *prudentem*.

3. *Referentem*. Ita tres codd. Lugd. Batt., Coll. Gronov. et ed. August. scribunt, neque aliter scribi debet. Vulgata certe nihil ineptius. Illa sic habet, *Hieronymo presbytero referente, audivi se*, etc., quasi, referente Hieronymo presbytero, Narbonensem illum audivisset Orosius, cum innuat, se interfuisse illi colloquio. Quidam dein mss. ex Lugd. Batt., ut et Coll. Gronov. habent, *audivisse me fateor*, vel *audivisse fateor*, et dein *se fuisse*.

4. *Esset*. Lugd. Bat. pr. *erat*.

5. *Quod Romania fuisset*. De hac appellatione, quæ sollicitari non debet, vide Spanhemium in Orbe Romano p. 166.

6. *Non est respublica*. Ed. August., *non esset respublica*.

7. *Elegisse se saltem*. Edd. vulgg., *salutem*, præter Venetas et August. atque primam omnium, in qua certe lectione nulla salus bono sensui. Mss. quos inspexi omnes habent *saltem*. Florent. tert. scribit, *elegisse saltem*.

8. *Potuerat*. Ex ed. Augustana sumptum, reliquæ habent, *poterat*.

9. *Inhiare paci*. Hoc quoque ex mss. et edd. vett. pro *inhiare pace*.

10. *Satis probæ*. Consensu suo ita quoque eadem exemplaria sic scribi volunt, non *satis probatæ*.

sissime insisteret, apud Barcinonem, Hispaniæ urbem, dolo suorum, ut fertur, occisus est. Post hunc Segericus rex a Gothis creatus, cum itidem judicio Dei ad pacem pronus esset, nihilominus et a suis interfectus est. Deinde Vallia successit in regnum, ad hoc [11] electus a Gothis, ut pacem infringeret; ad hoc ordinatus a Deo, ut pacem confirmaret. Illic igitur territus maxime judicio Dei, quia cum magna superiore abhinc anno Gothorum manus, instructa armis navigiisque, transire in Africam moliretur, in duodecim millibus passuum Gaditani freti **586** tempestate correpta, miserabili exitu [12] perierat: memor etiam illius acceptæ sub Alarico cladis, cum in Siciliam Gothi transire conati, in conspectu suorum miserabiliter arrepti et demersi sunt, pacem optimam cum Honorio imperatore, datis lectissimis obsidibus pepigit. Placidiam, imperatoris sororem, honorifice apud se honesteque habitam, fratri reddidit. [13] Romanæ securitati periculum suum obtulit, ut adversum cæteras gentes, quæ per Hispanias consedissent, sibi pugnaret, [14] et Romanis vinceret: quamvis et cæteri Alanorum, Vandalorum Suevorumque reges, eodem nobiscum placito [15] depacti forent, mandantes imperatori Honorio: Tu cum omnibus pacem habe, [16] omniumque obsides accipe; [17] nos nobis confligimus, nobis perimus, [18] tibi vincimus: [19] immortalis vero quæstus erit reipublicæ tuæ, [20] si utrique pereamus. [21] Quis hæc crederet, nisi res doceret? Itaque nunc quotidie apud Hispanias geri bella gentium, et A agi strages ex alterutro Barbarorum crebris certisque nuntiis discimus, præcipue Valliam Gothorum regem insistere patrandæ paci ferunt. Ex quo [22] utcumque concesserim, [23] ut licenter Christiana tempora reprehendantur, si quid a conditione mundi usque ad nunc simili factum felicitate **587** doceatur. Manifestavimus, ut arbitror, atque ostendimus, non magis verbo pene quam digito innumera bella sopita, plurimos exstinctos tyrannos, compressas, coangustatas, addictas, exinanitasque immanissimas gentes minimo sanguine, nullo certamine, ac pene sine cæde. Superest ut obtrectatores nostros molitionum suarum pœniteat, veritatique erubescant; Deumque verum et solum, qui potest omnia, credant, timeant, diligant, et sequantur: B cujus omnia, et quæ mala putant, bona esse didicerunt. Explicui, adjuvante Christo secundum tuum præceptum, beatissime pater Augustine, ab initio mundi [24] usque in præsentem diem, hoc est, per annos quinque mille sexcentos et septemdecim, cupiditates et punitiones hominum peccatorum, conflictationes sæculi, et judicia Dei, quam brevissime et quam simplicissime [25] potui, Christianis tamen temporibus, propter præsentem magis Christi gratiam, ab illa incredulitatis confusione discretis. [26] Ita jam ego certo et solo quem concupiscere debui, obedientiæ meæ fructu fruor. De qualitate autem opusculorum tu videris, qui præcepisti, tibi [27] adjudicanda, si edas: per te judicata, si deleas.

HAVERCAMPI NOTÆ.

11. *Electus.* Mss. plerique, *ordinatus.*

12. *Perierat.* Misericorditer nimis Lugd. Bat. sec., *pene perierat.*

13. *Romanæ securitati.* Lugd. Bat. quart. et Perizon., *Romanæ societati.*

14. *Et Romanis vinceret.* Lugd. Batt. pr. et quart., *Romanis vinceret.*

15. *Depacti forent.* Edd. quædam, *despecti;* mss. tres Lugd. Batt., *compacti.*

16. *Omnium obsides accipe.* Mss. iidem, *obsidesque accipe nos*, deleto *omnium.*

17. *Nos nobis confligimus, nobis perimus.* Ita scribo cum quatuor Lugd. Batt., Flor. sec., Perizon. aliisque mss. et ed. Aug. Male vulgg., *nos nobiscum confligimus, nobis perimus.*

18. *Tibi vincimus.* Lugd. Bat. quart., *tibi vincemus.*

19. *Immortalis vero quæstus erit reipublicæ tuæ.* In mss. omnibus inveni scriptum, *immortali vero quæstu erit*, etc.: unde patet jubere eosdem, ut legamus, *immortali vero quæstui erit reipublicæ tuæ.* In codd. vero Perizon. et Lugd. Bat. tert. desideratur *erit.*

20. *Si utrique pereamus.* Supra cap. 35: *Ita et hic duorum sanguine bellum civile restinctum est, absque illis decem millibus Gothorum, quos præmissos a Theodosio Arbogastes delesse funditus fertur, quos utique perdidisse lucrum, et vinci vincere fuit.*

21. *Quis hæc crederet.* Ed. August., *qui crederet;* cod. Perizon., *Quis hæc sciret nisi res docerent?*

22. *Utcumque.* Perizon., *utrumque.*

23. *Ut licenter.* In mss. pr. Lugd. Bat. *ut libenter*, sed superscribitur *licenter.* Ed. Aug., *ut decenter.*

24. *Usque in præsentem diem.* Tres Lugd. Batt., *usque ad*, etc.

25. *Potui.* Lugd. Batt. tres, *ut potui.*

26. *Ita jam.* Mss. iidem, *sed jam.*

27. *Adjudicanda.* Ed. August., *dijudicanda.*

PAULI OROSII,

HISPANI PRESBYTERI

LIBER APOLOGETICUS,

CONTRA PELAGIUM,

DE ARBITRII LIBERTATE.

588 1. Possibilitatis non est, neque præsumptio- D pene extremæ, ut ipsi agnoscitis, necessitatis: ut nis meæ, beatissimi sacerdotes, sed arctissimæ ac ego nunc videar. Quod quidem ut facerem, injuria

coactus sum : non solum defensor fidei meæ, sed etiam perfidiæ manifestator alienæ. Sicut enim purgationi propriæ studere debeo, propter conscientiam [a] autem dico non meam, sed alterius : ita et deprehensos in grege ovium lupos ostentare ad digitum cogor, propter fidem et zelum : zelum autem non meum dico, sed Christi : sed neque ego cum sim minimus omnium, aliquid temeritate præsumo. Mihi necessitas est injuriam manifestare quam passus sum : cunctis pateat qui fecerunt. Dei enim et voluntas et ordinatio est, ut malum quod per patientiam tolerabatur, necessarie proderetur, et per contentionem furoris eorum ipsis dignam mercedem **589** quam oportuit erroris sui recipientibus, non solum pessimorum denotatio fieret dogmatum : sed corripiendarum manifestatio personarum. Patres enim et qui jam quieverunt martyres et concordes, Cyprianus, Hilarius et Ambrosius, et quibus etiam nunc permanere adhuc in carne necessarium est, qui sunt columnæ et firmamenta Ecclesiæ catholicæ, Aurelius Augustinus et Hieronymus, multa jam adversus hanc nefariam hæresim, absque designatione nominum hæreticorum, scriptis probatissimis ediderunt : quamquam et hæc venenatissimorum dogmatum abominatio habet etiam nunc vivéntes mortuos, mortuosque viventes. Nam Origenes et Priscillianus, et Jovinianus, olim apud se mortui, in his vivunt : et non solum vivunt, verum etiam loquuntur : nunc vero Pelagius, et Cœlestius, si in his perseveraverint viventes mortui, ecce adversus Ecclesiam, quod miserum est, et quod multo miserius est, in Ecclesia palam sibilant, impiique serpentes vibrantibus infecta linguis ora lambentes, dum sanctam et munitissimam sedem, cui subtiliter irrepsere, obsident, cunctos fideles, ne ad illud firmissimum quondam in Sion refugium convolemus, exterrent.

2. Contra hunc serpentem, suffocantemque halitum, multa utique beatissimi quos supra memoravimus viri, et multifaria suaveolentia Scripturarum unguenta conficiunt : et ad reficienda æstuantium corda populorum, fragrantissimum thymiama cum oblatione orationis incendunt. Sed hoc parum est, incerto propemodum auctore contendere, et contraria substituendo contrariis, infectum pestifero halitu aerem temperare : nisi ipsi in medium protrahantur proteranturque serpentes. Qui, cum tuendi solius capitis causa, reliquum concisioni atque injuriæ corpus exponunt, nihil damni arbitrantes, ea tantum sui parte a periculo libera, quæ multimodas venenatasque in se obtinet linguas, si etiam membris omnibus amputentur, nobis sufficere videtur, temperando saltem putori satisfacere, ipsos autem a penetralibus non movere, quasi ullus exhalationis fetidæ finis sit, nisi auctore finito : et inter hæc illud Salomonis testimonium nunc occurrit : *Unus ædificans, alius destruens, quis eorum proficiet nisi labor* (*Eccli.* xxxiv, 28)? Stat etiam immanissimus superbia Goliath, carnali potentia tumidus, omnia se per se posse confidens : caput, manus, totum insuper corpus plurimo apparatu vestitus, habens **590** post se armigerum suum : qui etsi ipse non dimicat, cuncta tamen æris et ferri suffragia subministrat. Et non mirum est, si competenter hunc locum providens Scriptura pronuntiat : ubi ait, *Philistiim stabant super montem ex hac parte* (I *Reg.* xvii, 3). Ab Ecclesia siquidem, hæreseos impugnator expellitur, et nutriri in sinu Ecclesiæ hæreticus invenitur : et propter hoc per Spiritum sanctum *inde Israel stare pronuntiatur, hinc hostis*. Et hoc sæpe. Nam et rex David usque ad impium filium pius pater ab Hierusalem deposito regis habitu fugatur : ubi protinus Absalon tyrannus ingreditur. Stat ergo Goliath, proh dolor! ex hac parte, id est, in Ecclesia, et non solum stat, verum et provocat : simulque per dies plurimos sanctum Israel manifesti timoris exprobrat.

3. Ne, quæso, beatissimi sacerdotes, quisquam me arbitretur sub prætextu speciei Goliath, David nomine gloriari, vos me participem certaminis vestri esse voluistis, ut auxiliator, non auctor accederem. Latebam siquidem in Bethlehem, ignotus, advena, pauper. Quid miser ego sic loquor, iterum forsitan jactantiæ notandus? Quoniam quidem et ipse David, et talis et inde processit. Latebam ergo in Bethlehem, traditus a patre Augustino, ut timorem Domini discerem, sedens ad pedes Hieronymi : inde Hierusalem vobis accersentibus vocatus adveni. Dehinc in conventum vestrum una vobiscum, Joanne episcopo præcipiente, consedi. Illico a pusillitate mea postulastis universi, ut si quid super hac hæresi, quam Pelagius et Cœlestius seminarunt, in Africa gestum esse cognoscerem, fideliter ac simpliciter indicarem. Exposui coronæ vestræ breviter, ut potui, Cœlestium jam ad honorem presbyteri subrepentem, apud Carthaginem plurimis episcopis judicantibus proditum, auditum, convictum, confessum, detestatumque ab Ecclesia, ex Africa profugisse : contra librum vero Pelagii beatum Augustinum, discipulis ipsius Pelagii prodentibus ac petentibus, plenissime respondere, exstare etiam in manibus meis epistolam supra memorati episcopi, quam nuper ad Siciliam ordinasset, in qua multas quæstiones hæreticorum retulit. Quam etiam ibidem ut legerem, præcepistis : et legi. Ad hæc Joannes episcopus, ut Pelagius coram intromitteretur, expetiit. Cui et propter paternitatis ipsius reverentiam, et propter actionis utilitatem, **591** dum præsentem ab episcopo rectius credere tis confutandum, intromittendi conniventia præstita est.

4. Intromissum Pelagium unanimiter omnes interrogastis : « An hæc quibus Augustinus episcopus respondisset se docuisse cognosceret. » Illico ille respondit : « Et quis est mihi Augustinus? » Cumque universi acclamarent : « blasphemantem in episco-

HAVERCAMPI NOTÆ.

[a] Andrææ Schotti lectionem præferens, Gallandius habet, *propter conscientiam; conscientiam autem dico*, etc.

pum, ex cujus ore Dominus universæ Africæ unitatis indulserit sanitatem, non solum a conventu illo, verum ab omni Ecclesia pellendum ; » episcopus Joannes illico eum, hominem videlicet laicum, in consessu presbyterorum reum hæreseos, manifeste in medio catholicorum sedere præcepit; et deinde ait : « Augustinus ego sum, » ut scilicet persona quasi præsentis assumpta, liberius ex auctoritate ejus qui lædebatur ignosceret, et dolentium animos temperaret. Cui mox a nobis dictum est : « Si Augustini personam sumis, Augustini sententiam sequere. » Tunc idem episcopus nobis omnibus ait : « Hæc quæ leguntur, in alios dicta sunt, aut de Pelagio suggerendum putas? Si in ipsum autem Pelagium quid dicatis expromite. » Ego autem vobis annuentibus dixi : Pelagius mihi dixit, docere se, hominem posse esse sine peccato, et mandata Dei facile custodire, si velit. » Respondit Pelagius, audientibus vobis : « Hoc et dixisse me et dicere, negare non possum. » Ego illico prosecutus sum : « Hoc in Cœlestio Africana synodus detestata est; hoc Augustinus episcopus scriptis suis, sicut audistis, exhorruit; hoc in ipsius nunc Pelagii scriptis sua responsione condemnat; hoc et beatus Hieronymus, cujus eloquium universus Occidens, sicut ros in vellus, exspectat. Multi enim jam hæretici cum dogmatibus suis, ipso oppugnante, supplosi sunt, et in epistola sua, quam nuper ad Ctesiphontem edidit, condemnavit. Similiter et in libro [a], quem nunc scribit, collata in modum dialogi altercatione confutat. Hoc est enim lubricum in Antichristo draconem tenere, ne possit effugere. »

5. Porro autem episcopus Joannes nihil horum audiens, a nobis exigere conabatur, ut accusatores nos, ipso judice, fateremur. Responsum **592** sæpissime est ab universis : « Nos accusatores hujus non sumus, sed quid fratres tui, patres nostri senserint et decreverint super hac hæresi, quam nunc laicus vulgo prædicat, intimamus : ne Ecclesiam tuam præsertim, ad cujus sinum convolavimus, te ignorante, conturbet. » At ille, cum sæpe nos docendi simulatione in aliquam professionis speciem tentaret inducere, dicebat : « Quia ad Abraham dictum esset a Domino : *Ambula coram me et esto sine macula* (*Gen.* XVII, 1); et Zachariam et Elizabeth pronuntiatos esse *justos ambos ante Dominum incedentes in omnibus justificationibus Domini sine querela* (*Luc.* I, 6) : » quod quidem ab Origene dictum, ab eo proferri compluribus nobis notum erat. Cui responsum per me est : « Nos filii Ecclesiæ catholicæ sumus. Non exigas a nobis, pater, ut doctores super doctores esse audeamus, aut judices super judices. Patres quos universa per orbem Ecclesia probat, quorum communioni nos adhærere gaudetis, damnabilia hæc esse dogmata decreverunt. Illis probantibus, nos obedire dignum est. Cur interrogas filios quid sentiant, cum patres audias quid decernant? »

6. At quod ille diu disputans, et nostris, propter imperitiam ignoti nobis interpretis, quem sæpissime viri primarii et religiosi, Posserius et Avitus presbyteri, et Dominus ex Duce, vel prave interpretantem, vel plura supprimentem, vel alia ex aliis suggerentem confutaverunt : nostris, ut dixi, actionibus vel interpolatis plerumque vel tacitis, episcopus Joannes ait : « Si sine adjutorio Dei hoc hominem posse diceret, pessimum et damnabile erat. Nunc autem cum adjiciat, posse hominem esse sine peccato, non sine adjutorio Dei, vos quid dicitis? An forte vos Dei adjutorium denegatis? » Cui respondi ego : « Testibus et testificantibus etiam nunc nobis et supra memoratis viris, anathema ei, qui negat adjutorium Dei. Ego certe non nego : præcipue cum e contrario in hæreticos confutarim. » Deinde cum intellecto judice, et interprete prodito, clamaremus, « Latinum esse hæreticum, nos Latinos, hæresim, Latinis magis partibus notam, Latinis judicibus disserendam, a se pene impudenter adjudicandum, » cum quidem nos accusatores non essemus, et unus, et **593** suspectus ingereret, dici a pluribus necessarium fuit : « Non potest quisquam idem et hæreticus esse et advocatus et judex. » Multisque aliis actitatis, Joannes episcopus novissimam sententiam protulit, confirmans tandem postulationem intentionemque nostram, ut ad beatum Innocentium, papam Romanum, fratres et epistolæ mitterentur, universi quod ille decerneret secuturi; sed ut hæreticus Pelagius imposito sibi catenus silentio conticesceret, et ut nostri ab insultatione convicti Joannis confusique temperarent. Universi in hanc sententiam consensimus : gratiarum actione celebrata, pace facta, et consummata ad pacis testimonium oratione discessimus.

7. Nunc autem post dies quadraginta et septem, cum primo Encæniorum die, ut solitus eram quando aderam, ad obsequium Joannis episcopi cucurrissem, statim ab eo notam falsi criminis pro gratia salutationis accepi. Ait enim mihi : « Quare ad me venis, homo, qui blasphemasti? » Volens, [b] ne, credo, intelligi : *Noli me tangere, quia mundus sum et absque peccato* (*Isai.*, LXV, 5). At ego nihil mihi conscius, interrogavi : « Quando, aut quo audiente, aut cujusmodi illud est dictum, quod blasphemiæ possit ascribi? » Episcopus respondit : « Ego te audivi dixisse : quia nec cum Dei adjutorio possit esse homo sine peccato. » Ego quidem, beatissimi sacerdotes, sicut et vos testes estis, et universa fraternitas, et præterea sancti viri qui huic testimonio amore veritatis assistunt, statim testificatus sum, dicens : « Quia ejusmodi verbum, quod nunc a me dictum episcopus intenderit, numquam de ore meo antea processisset : » quamquam hanc incontinentiam miseræ falsitatis ruminare sæpius crebra expositione,

HAVERCAMPI NOTÆ.

[a] Agit de Dialogo, quem contra Pelagianos conscripsit.

[b] Gallandius corrigit, *næ credo.*

non tam me probasse, quam alium videar prodidisse. Concedo enim ut qualecumque dictum illud est, dixerim, quomodo Latinum expers Latinitatis Græcus audivit? Aut si audivit sacrilegum verbum, cur non statim coarguit blasphemantem, vel, ut levius ageret, quasi incautum filium pius pater de cohibenda licentia periculosi sermonis admonuit? Sed contrario, post plurimam magni temporis oblivionem, ipse per se accusationem intulit, ipse testimonium perhibuit, ipse judicium promulgavit, omnium scelerum officia in suæ personæ auctoritate suscipiens, præsertim Evangelica lectione instructus, Dominum nostrum Jesum nisi testimonio principis non fuisse damnatum. Et alio mihi latere fratres mei assistebant: ex alio falsi fratres. Deinde in consessu eodem, **594** ex una mecum parte consederant Avitus et Vitalis presbyteri, ex alia nescio quis ignotus interpres, et deinde probati et sæculo et Deo viri Passerius presbyter et Dominus ex Duce: qui ambo ut pro experientia ac fide sua adesse interpretes dignarentur, ipso conveniente episcopo Joanne a corona vestra conrogati deductique convenerant. Medius quoque vobis ipse fuit, quem in illa tunc circumstantia non minus audisse, quam vidisse mirandum est, quomodo sermo dimissus [a] tantus adversarios collegas auditoresque præterierit, et inscias aures guari auditoris intraverit.

8. Sed ego calore veritatis impulsus, satis urgeor. Excedo professionis modum. Concedendum est magis, ut interpres errasse dicendo, quam episcopus audiendo finxisse videatur, et nunc ad vicem mercedis quam hæreticis præstitit exigendæ, falsos in adjutorium sui testes quærere: quippe cum mirari jam nemo debeat [b] conquiri et existere falsos testes in Hierusalem a sacerdotibus atque senioribus; hoc sanguis Stephani clamat; hoc Dominicæ crucis vexilla significant; hoc etiam nunc excitata per eos persecutio manifestat. Sed hæc utrum ab episcopo temere credita, an malitiose ficta, an ignare subaudita videantur, Christo judici discutienda commendo. Absit a me unquam, ut ego pauper, peccator, ignotus, episcopum et præcipue Hierosolymæ, audeam ad episcopos provocare. Mea mihi apud eminentissimam Trinitatem omnipotentiæ Dei, et apud universos servos ejus catholicos, simplicitas et probatio, sat est. Testem invoco Deum super animam meam, beatissimi sacerdotes, scribentibus vobis hæc eadem mecumque testantibus, nullam me in illo conventu vestro ore meo protulisse blasphemiam, neque hujuscemodi verba quæ mihi ab episcopo Joanne sunt objecta dixisse: hinc est, « etiam cum Dei adjutorio non posse esse hominem sine peccato. » Satisfactum etiam contentioni opinionis ignaræ a nobis ideo volo, ne forte a vobis quidem non auditum, a me tamen dictum putantes, testimonio laboretis ambiguo: vulgo autem rumorique propterea, ne dum episcopum mentiri posse non crederet, alia innocentem credulitate æstimaret peccare. Et inde quis **595** ignoret auctores, vel in accusatione Susannæ, vel in lapidatione Nabuthæ?

9. Et ne forte quis nesciat, in Hierosolymam numquam ad effundendum sanguinem Christianum, vel argenti suffragia, vel flagella militum defuisse, nunc quoniam ab hoc qualicumque verbo esse me liberum reor, liberum fide vestra, liberum conscientia mea, ipsius verbi ambiguitate discussa conabor exquirere, hi qui ita nos respondisse asserunt, qualiter ipsi interrogasse videantur. Forsitan per modum interrogationis ipsorum arcanum dogmatis denudabitur: ut reciprocis feriendo vulneribus, emissorem suum remissa certius tela castigent. Ait enim a nobis esse responsum, « nec cum Dei adjutorio potest homo esse sine peccato. » Hoc si quisquam hominum ita dicendum putet, ut sub infirmitate hominis Deum non posse confirmet, et omnipotentiæ Dei aliquid impossibile suspicetur, in omni creatura cœlestium et terrestrium et infernorum, hunc non tantum sententia mea dixerim blasphemum, anathema detestandum, sed etiam vel in exemplum Nadab et Abiu divino igne damnandum (*Levit.* x), vel, juxta perditionem Datan et Abyron (*Deut.* xi), hiatu terræ receptum vivum ad inferna mergendum. Utriquæ siquidem præsumptione cordis Dei potentiæ derogarunt, vel illi dum ignem alienum, quasi hoc indigeret Deus, offerunt, vel isti dum resistentes Moysi in terram repromissionis introduci se posse diffidunt. Deus omnia potest, et quæ vult, semper potest. Quam potens in faciendo de nihilo, tam facilis in perficiendo de facto. *Ipsi enim subest, cum velit, posse* (*Sap.* xii). Hoc indulta secundum spiritum gratia confitetur, hoc secundum litteram lex conscripta testatur, hoc in universis lex naturalis intelligit, hoc ordinatissimus mundi motus ostendit. Quis enim gentilium hoc audeat dicere, cui in prospectu semper sunt cœli terræque ac maris elementa distincta? quis Judæorum hoc suspicari queat, ad quem traditæ per Moysen legis scientia quantulacumque pervenerit, cum scriptum et agnoscat et credat, nuda discissis Rubri maris fluctibus profunda patuisse, et tutum iter in pelago peditii præbuisse terreno (*Exod.* xiv, 18); divisumque Jordanem resupinis in fontem refluxisse gurgitibus (*Josue*, iii); **596** vel mortalem, in corpore, Heliam evectum flammei currus igne, nec læsum (IV *Reg.* ii); vel præparatis onustum escis Abacuc, ut jejuno [*Al.* jejunio] inter esurientes feras justo prandium ministraret (*Dan.* xiv), ut vulgata narrat editio, in momento diei a Judæa in Babyloniam translatum fuisse protinus ac relatum? Quis hoc Christianis in cor suum, vel in atomo cogitationis admittat? qui sciat Lazarum quatriduanum mortuum, fetentibus membris, ac liquida jam intra

HAVERCAMPI NOTÆ.

[a] Gallandius malit *tantos*.

[b] Sic quoque vult Gallandius pro, quod erat in mss., *conquiri*.

semet pelle fluitantibus, domini devoto prosiluisse servitio (*Joan.* XI); qui legerit cæcum a nativitate, cumdemque jam ætatem habentem, vel factis subito vel refectis viguisse luminibus (*Joan.* IX); qui probaverit ventos, fluctus ac tempestates, simulque invicem elementa rixantia Dominicæ increpationis audito mansuetasse præcepto (*Matth.* VIII); qui credat Petrum carnali sarcina gravem, et ter dominum continuo negaturum, super tumidos fluctus pendulis incessisse vestigiis (*Matth.* XIV)?

10. Itaque universos homines arbitror, vel qui excellenti fide et sapientia præditi sunt, vel qui se aliter habent, hoc, quod Deus omnia potest, venerari, credere, confiteri. Ideo enim generaliter ab universa creatura dicitur omnipotens, quia omnia potest. Et hoc, est Deus solus, qui ait : *Hæc apud homines impossibilia sunt* (*Luc.* XVIII, 27). Atque alibi docet, dicens : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). Potest ergo omnia in homine : qui utique potest omnia. Porro autem quid superbit terra et cinis, ut dicat, homo potest, cum Deus possit? Clamat Apostolus : *Gratia ejus sum quod sum, et gratia ejus egena in me non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum* (1 *Cor.* XV, 10). Quid, incaute præsumptor aspicis, quia dixerit, *mecum?* Attende quia præmiserit, *non ego.* Quapropter in hæc duo verba, *non ego*, et *mecum*, gratia Dei media est : cujus est vere *et velle et perficere pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 13), et tamen voluntate hominis. Unde et ille confisus est, ut diceret, *mecum :* quia dixerat, *non ego.* In voluntate ergo hominis gratia divinæ virtutis operatur, quæ et hoc ipsum velle donavit. Ita conscientia hominis profitetur ut dicat, *non ego :* gratia Dei largitur, ut *mecum*, **597** clamat Apostolus : *Gratia Dei sum quod sum* (1 *Cor.* XV, 10). Meminerat enim Domini prædicantis : *Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit* (*Joan.* VI, 44). Et rursum alibi : *Ego autem vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Et in alio loco de Spiritu sancto sic ait : *Expedit vobis, ut ego eam : nam si non abiero, non veniet Consolator ille ad vos. Si autem iero, mittam eum ad vos* (*Joan.* XVI, 7).

11. Infelix, o homo, secundum veritatem sententiæ Dei! Pater te attrahit, Filius tecum est, et Spiritus consolatur, et in hac tanta divinæ majestatis circumstantia audes dicere : « Gratia quidem Dei adjuvante, sed mea possibilitate sum quod sum? » Asseris enim nunc post hanc sociam antiquo errori emendationem : « Potest homo sine peccato esse cum Dei adjutorio : » quamquam in libro tuo, quem testimoniorum titulatione signasti, hæc ipsa sententia, hoc modo conscripta sit, « posse hominem sine peccato esse, et facile Dei mandata custodire, si velit. » Nulla ibi gratia Dei, nullum adjutorium nominatum est, quamlibet crebro dicas de gratia Dei, non ideo negavi, quia non dixi, sed ideo dixisse accipiendus sum, quia non negavi. Quasi vero et Susanna ideo de adulterio confessa credenda sit, quia arguentibus aliis non negavit : aut testimonium falsorum testium Dominus Jesus, quia tacuit, approbavit. Quod si apud vos, non negasse, dixisse est : et tacuisse, clamasse est : frustra David postulat : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL, 3); frustra et ego me non dixisse in quo arguor, testibus et testificatione confirmo, si alter audire potuit, quod meus sermo non dixit. Sed concedo, ut quod nequaquam dixeris, pro dicto accipiendum putes. Quid agimus ex eo quod invenientes ex sensu diversitatem sermonis, juncturis discordibus non cohærent, quod ipsa quoque pagina discrepantia in se verba non recipit? Scribis enim : « Posse hominem sine peccato esse : et facile Dei mandata custodire, si velit. » Et quemadmodum beatissimus pater Hieronymus de hac eadem sententia in epistola, quam ad Ctesiphontem scribit, exposuit. Novissime quasi ex gravissimo somno expergiscens adjicis, « Non sine adjutorio **598** Dei? In hoc enim repugnat tibi ipsa veritas, et reclamat. Quid per fastidiosum tumorem, nauseantemque verecundiam non necessarium tibi in ore tuo adjutorium Dei detines, qui facilia tibi cuncta arbitraris? Summis labiis me honoras, cor autem tuum longe est a me (*Isa.* XXIX, 13). Non est opus duobus in operatione, quod uni facile est : frustraque se gratia divinitatis interserit, ubi fatetur se homo quod facile possit, si velit. Tu volenti facilia esse mandata dixisti : at ego etiam illud assero, quod et difficilia dicas compleri. Tamen quoquo modo per hominem posse promittas, dominum exprobras invidiæ, qui adjuncto adjutorio suo tentet ascribere, quod solus per voluntatem homo potuisset implere. Aut tolle homini, *si velit*, et gratiæ ascribe, *quod possit :* aut quia homini tribuis posse cum velit, remove simulatam gratiæ palpatamque, nec cohærentem participationem, et nudam ex abundantia cordis profitere blasphemiam.

12. Sed mearum ista partium non sunt latius indagare : præsertim unde beatissimi patres, Augustinus et Hieronymus, plenissimam convictæ hæreseos probationem occidentalibus provinciis tradiderunt. Ad propositam supra redeam quæstionem, ad quam non fiducia suscitatus ingenii, sed injuria motus accessi. Dicis, posse in hoc sæculo esse hominem sine peccato cum Dei adjutorio. Tu dicis, potest homo : ego dico, potest Deus. Tres in camino pueros æstuans introrsum flamma non læsit (*Dan.* III). Quis eorum quod contra naturam factum est, potuit, utrumne ipsi, an quartus in medio eorum similis filio Dei? Leprosus exclamat : *Domine, si vis, potes me mundare* (*Matth.* VIII, 2), possibilitate voluntatem manifestans, voluntatem possibilitate confirmans. Ipse est enim solus, cui cum velit, posse subsistit. Accesserunt ad eum cæci, ut illuminarentur, orantes : quibus ait Jesus : *Creditis, quod possum hoc facere* (*Ibid.*, 28)? Dominus Christus summo præmio fidei dignum judicat, si quis hæc Filium Dei posse crediderit, et Britannicus noster, mox ut vo-

luerit, se posse confidit? Fideli paralytico Dominus dicit : *Constans esto, fili, dimissa sunt tibi peccata tua* (*Matth.* IX, 20) : et nunc novus magister ministerque mensarum, **599** remissionem peccatorum de sua magis ausus est possibilitate præsumere, nec de Domino exspectat audire? Scribæ non intelligentes veritatem, murmurant et dicunt : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus* (*Marc.* II, 7)? Et hic abolita esse judicat, quæ Deum nesciat dimisisse.

13. Ecce inflatus spiritu carnis tuæ, tamquam super nihil sit, libero superbus arbitrio, gloriaris et dicis : Peccator sum quia volo, pecco dum volo; cum autem rursum voluero, possum esse sine peccato. Quod dicis, pecco cum volo, verum est : quia et quod opere non feceris, cogitatione fecisti : rursus cum volo, non pecco, durum quidem ac difficile, nec per omnia subest, sed tamen aliquando fieri posse non dubium est : at vero posse esse sine peccato, qui aliquando peccaverit, impossibile est absque sola gratia baptismi, ubi ex persona Domini dicitur : *Remissa sunt tibi peccata tua*. Quod suadeor credere : quia permittor audire. Possum ergo esse sine peccato, in hac dumtaxat corruptione qua vivimus, non suscipio, non præsumo, non audio. Si enim David orat ad Dominum : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (*Psal.* L, 6) : et secundum Apocalypsim Joannis, judicandi sunt mortui ex his, quæ coram Deo peccaverunt, ex his quæ scripta sunt in libris, recipientes secundum opera sua (*Apoc.* XX, 2). Cur meum circa me præsumo judicium, si me scio etiam de ipso judicandum? Aut si libri illi sacri numquam nisi in judicio aperiendi, pariter vitæ nostræ bona malaque suscipiunt, examen judicii in pondere præbituri, quomodo sine examine in hac vita et ante mortem abolitos esse cognoscimus, quos non solum post mortem, verum etiam post resurrectionem legimus proferendos? Ego in potestate habui peccare : liberari a peccato in potestate non habeo. Precari meum est, absolvi non meum. Ubi vero peccato me dedi, servus factus sum accusatoris, reus judicis. Possum propter assiduarum precum præmissa suffragia de bono judice spem ferre : innocentem sine timore conscientiam ante promulgationem sententiæ vindicare non possum. Dicit enim Apostolus : *Nolite ante tempus* **600** *quid judicare, donec veniat Dominus, qui et illuminabit occulta tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo* (I *Cor.* IV, 5). Alioquin si in potestate hominis est, ut liberum se ipse faciat a peccato suo : aut non est judex Christus, aut frustra est.

14. Sed dicis : Ego dixi hominem sine peccato, secundum hunc sensum : Peccator cum ingemuerit, tunc salvus erit, hoc est, tunc ad salutem incipiet pertinere : tamen sine peccato statim non erit. Dominus enim, cum intrasset domum Zachæi credentis, ait : *Hodie salus domui huic facta est* (*Luc.* XIX, 9). Numquid si unus credidit, statim universa domus familias sine peccato fuit, cui tunc utique [a] major domus credenti initium salutis intravit? Nam et David cum peccasset ingemuit. Et quamvis meruisset audire dimissum sibi esse delictum, multo tamen postea idipsum exsilio, et plurimo expiavit opprobrio : ut manifeste et pœna in præsenti reddita et remissio in futurum reddenda videatur : et per hoc Deus multum misericordiæ ingemiscenti donaverit peccatori, ut peccatum quod morte dignum erat, temporaria castigatione purgaret. Ananiæ de Paulo dicitur, querelam de persecutione ejus cum timore facienti : *Ego monstrabo illi quanta patietur propter nomen meum* (*Act.* IX, 16) : ut cum Paulus ibi solveretur, ubi ligasset persequendo Christum, mox patiendo pro Christo, tribulatus usque ad mortem in resurrectione glorificatus existeret. Ita fit quia misericordia et veritas præeunt semper faciem Dei (*Psal.* LXXXVIII, 15), ut si in tempore ab ingemiscente voluntarium sacrificium, ut veritas in misericordia fiat, contribulati spiritus et contriti cordis offertur, in fine misericordia judicio præferatur.

15. Dominus Christus venturus in gloria Dei Patris et creditur et speratur, judicaturus vivos et mortuos, *a cujus aspectu*, ut Scriptura testatur, *fugiet cœlum et terra* (*Apoc.* XX, 11) : et existunt homines, qui nec, propter ignorantiam, ut non dicam, propter conscientiam, judicio superventuro subjectos esse se judicent, nec adventum Domini illustrationemque fulgoris ejus, elementis ardentibus, et mundo pereunte, trepident (II *Pet.* III, 10). Quos ex illis fore timeo, de quibus præmonet Dominus : *Multi enim dicent* **601** *in illa die* (homines scilicet de illa carnali arrogantia, qua homines seducebant, et non tam coram Deo, quam adhuc apud semetipsos justi) : *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et tunc ego jurabo illis, et dicam : Non novi vos; discedite a me, operarii iniquitatis* (*Matth.* VII, 22, 23). Dicitur per prophetam David in persona Christi : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte tuo sancto? Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam* (*Psal.* XIV, 1, 2). Hoc est revera dicere : qui potest esse, et est sine peccato. Nam et ipse de se Dominus ait : *Venit princeps mundi hujus, et nihil in me invenit suum* (*Joan.* XIV, 30). Quid enim est diabolus? Haud dubium quin peccatum. *Ab initio* enim *diabolus mendax est* (I *Joan.* III, 8; *Joan.* VIII, 44) : et contra Dominus meus est, *qui loquitur veritatem in corde suo, et non egit dolum in lingua sua* (*Psal.* XIV. 3). Angelus magnus et fortis, Scriptura testante, clamat in cœlo : *Quis est dignus aperire librum, et solvere signa ejus? Nec quisquam poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque sub terra aperire librum, neque perspicere eum* (*Apoc.* V, 2, 3). Flet multum Joannes et luget, quod ex universitate rationalium creaturarum nemo dignus repertus esset, qui aperiret librum, ut videret eum. Flentem Joan-

[a] Schott. legit, *majore*, et mox fortasse, *credente*. GALLAND.

nem unus e senioribus consolatur et dicit: *Noli flere*, Joannes; *Ecce vicit Leo ex tribu Juda, radix David, aperire librum et solvere signa ejus* (*Apoc.*, v, 5). Quis, rogo, iste liber est, quem de manu viventis in sæcula nullus fuit dignus accipere, nisi *qui ingreditur sine macula et operatur justitiam* (*Psal.* XIV, 2)? Parum est quia sine macula, parum quia agnus, nisi et occisus, nisi puritatem vitæ passionis testimonio coronasset, *habens septem cornua et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei* (*Apoc.* v, 6): nec dubium, quin *spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et virtutis, spiritus scientiæ et pietatis, spiritus timoris Domini* (*Isai.* XI, 2, 3). Quis ergo iste est liber? ut credo, judicii. *Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium Filio dedit* (*Joan.* v, 22).

16. Proh dolor! cogor dicere, quod horrui cogitasse. Ecce nunc et Pelagius, qui ausus est profiteri, se esse sine macula atque peccato, consequenter arbitratur **602** dignum se ad accipiendum librum atque judicium: proximumque est ut dicat sibi: Ego potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam, et præparat se in throno Christi futurum esse consortem. Miser homo! qui non potius intelligit præparare se Antichristi adventui præcursorem, *qui, cum fuerit revelatus, extollit se super omne quod dicitur, aut quod colitur Deus* (II *Thess.* II, 3, 4): juxta hunc qui se jam comparat in coæquationem unici Filii Dei. Agnus Dei, Filius Dei, ut accipiat librum de manu Patris, præfert stigmata passionis, non judicans perpetratam nisi in morte atque in surrectione victoriam; et ἀναμάρτητος meus venire sibi posse perfectionem vitæ immaculatæ manducanti, bibenti, dormientique confirmat? Dominum nostrum Jesum post quadraginta dierum jejunium ter diabolus tentans, terque superatus reliquit, et non reliquit in perpetuum, sed *ad tempus* (*Luc.* IV, 13) acrior usque ad mortem crucis Apostolo prævaricante rediturus, et ἀπαθὴς noster, victis sane, ut sibi videtur, cum auctore tentationibus, non posse se ultra tentari, perturbarique confidit? Agnus ille perfectus, ille qui non solum peccatum non habet, sed etiam tollit peccatum mundi, et qui habet cornua septem in capite, non ita ventilare sufficiat tentatorem quin redeat, et noster hic mutilus, lævis in fronte, μονόφθαλμος, non necessarium sibi æstimat munimen in capite, qui possibilitatem præsumit in carne? Miser, qui secundum Evangelium (*Joan.* XV, 22, 24) magis forte si cæcus esset, peccatum non haberet? Sed forsitan, quia septem oculi septem spiritus sunt, abundare se his omnibus jactat, et quasi interiorem hominem suum congestis septiformis gratiæ vigere virtutibus: præsertim qui sibi totidem dogmatum suorum titulis gloriatur. Unde fieri potest, ut judicio suo se arbitretur spiritu sapientiæ refertum, præcipue cum dicat, facilia Dei esse mandata; spiritu intellectus sufficientem maxime, qui prænoscat et prædicat omnes peccatores simul cum impiis in æternum ignem esse damnandos; spiritu consilii divitem, qui moneat malum nec cogitandum; spiritu virtutis potentem, quo affirmet posse esse hominem sine peccato; spiritu scientiæ inflatum, **603** quo sperat, nisi qui scientiam legis habuerit, sine peccato esse non posse: spiritu pietatis exuberantem, quo doceat, inimicum velut amicum diligendum, oblitus quia ipse dixerit: « Inimico omnimodis non credendum: » spiritu timoris Dei cohonestatum, qui post multam crapulam novissime expergefactus adjunxit: « posse hominem sine peccato esse, non sine adjutorio Dei, » et per hos præsumptionem, ut arbitror, gradus non reformidat ascendere, usque in id elatus; ut dicat, quia in similitudinem Christi perfecta sui potentia plenus, in toto super eum descenderit Spiritus sanctus et manserit: cum tamen hoc illi soli a Patre Deo datum sit, *cui etiam dedit nomen, quod est super omne nomen* (*Philipp.* II, 9), qui solus sine peccato est et ingreditur sine macula, apud quem manet ipsum sanctitatis unguentum. Nos autem in odore unguentorum ejus currimus, et interim super nos auræ vitalis afflatu dulcia vitæ spiramina Domino præcedente captamus (*Cant.* I, 3).

17. Sed dicis: Cur tanta me lacessis injuria? Cur tam arrogantibus verbis invidia gravas? Egone me servus comparare audeam Domino meo? Egone terra et cinis conferam Verbo Dei? Egone morti obnoxius, dici debeam victori mortis æqualis? Bene quidem, o condemnata nequitia, dans testimonium Deo, humiliaris in verbis, sed aliter sensus tuus clamat in paganis. Dicis « hominem posse esse sine peccato. » Iterum ac sæpius repeto. Homo, qui hoc potest, Christus est. Aut præsume nomen, aut depone fiduciam. Deus illud uni tantum donavit, et hoc non nisi primogenito in multis fratribus (*Rom.* VIII, 9). Sic catholica fide traditur, sic tenemus. Sane Dominus noster admonuit infideles: *Ego veni in nomine Patris mei, et non me recepistis. Veniet alius in nomine suo: forsitan ipsum recipietis* (*Joan.* V, 43). Aut nobiscum illum, cui credimus peccatores, unum sine peccato eumdemque unigenitum sequere, aut si tu es ille alius, confitere. Ipse est Dominus Jesus; qui, morte devicta et diabolo triumphato, ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII, 19). *De ejus plenitudine nos omnes accepimus* (*Joan.* I, 16), sicut Apostolus docet: *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram* **604** *donationis Christi* (*Ephes.* IV, 7). Et ad Romanos idem magister gentium scribit: *Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei* (*Rom.* XII, 13). Deinde ad Corinthios prædicat: *Divisiones vero gratiarum sunt: idem autem spiritus. Et divisiones operationum sunt: idem autem Dominus. Et divisiones ministrationum sunt* (I *Cor.* XII, 4-6), gratiarum atque virtutum. Subjicit, *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult* (*Ibid.* 11). Deinde per comparationem membrorum in corpore hominis, manifestat corpus unitatis Ecclesiæ disparibus ope-

rum modis, in unam perfectionis convenire concordiam, probans nullum penitus esse membrorum, quod non egeat alterius ope atque compage, ipso Domino capite constituto, *in quo omnes sensus ac thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi* (*Coloss.* II, 3). Unde *et nobis dedit sensum, per quem sciremus*, quod est Verbum in Christo Jesu (I *Joan.* V, 20), *in quo est omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9) : in quem, juxta testimonium Joannis (*Joan.* I, 32), descendens Spiritus sanctus et permanens in ipso, esse Dominum declaravit. Itaque si nemo habet, nisi quia a te petit (*Matth.* V, 42), et nemo nisi secundum divisionem mensuramque accepit, et qui acceptum habet, ad ipsum custodiendum alieno eget auxilio, qua, rogo, amentia sibi de plenitudine promittit, qui in singularitate non sufficit? De Domino Evangelista testatur : *Erat autem lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Dicit vero Dominus apostolis suis : *Vos estis lux hujus mundi* (*Matth.* V, 14). Ibi in solo Domino lux tota, quia vera : hic in cunctis apostolis lux quidem, sed de luce quæ tota est. Et cum hoc in apostolis ita est, in quorum electione universum Ecclesiæ corpus assumptum est, quid nos, nos, inquam, et singuli, quid post eos videri possumus, nisi secundum apostolum Petrum homines ignari, credentes tantum per fidem evangelico propheticoque sermoni, *tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco* (II *Pet.* I, 19)? [a] Quum illustrati, etiam ipsi persuademur : ut præparatæ in operibus bonis sint *lucernæ ardentes in manibus nostris* (*Luc.* XII, 35), quæ multimodis tentationibus fatigatæ, et defectu **605** semper proprio et verbere periclitantur alieno. Unde et Dominus in Evangelio ait : *Et si ipsa lux, quæ in nobis est, tenebræ sunt : ipsæ tenebræ quantæ erunt* (*Matth.* VI, 23)?

18. Sed concedo, ut hoc, quantulumcumque lumen est, indeficienti usque in finem vigore permaneat, id est, donum illud, quod sortitus est specialis gratiæ, non amittat (alioquin plenitudo lucis assistit in toto, caligo non remanet : caliginem autem dico insipientiæ, de peccati sordibus accidentem), quid si competens ratio est, ut quantum de luce defuerit, tantum de caligine supersit? Porro autem difficillimum est, ut offendiculum caligo non habeat. Necesse est homini in quantitate luminis, et in reliquiis caliginis constituto, volenti bonum et non effugienti malum, et subsistere adjutorium, et non deesse peccatum. Quod si cuiquam obscure dictum videtur, accipiat exemplum conversationis humanæ. Duo singuli habent dona diversa : unus ut sit humilis in silentio, alter ut sit suadibilis in docendo. Ille cui silentium cordi est, si forte poscatur rationem de fide reddere, putasne, nullam assumit in humilitate fallaciam? Aut facile arbitraris, ut simplex scurrilitate careat, lætus verbo, sollicitus iracundia, patiens negligentia, mitis pigritia, doctus jactantia, submissus invidia, extra illam quæ est omnium bonorum operum caligo generalis, vanæ gloriæ concupiscentiam. Quod si hoc pie sancteque intelligitur, unusquisque nostrum assumat comparationem, ut magis semetipsum in melioris prælatione condemnet, quam in minoris despectatione justificet. Ita demum invicem membra sociabit, præcipue si, una charitate veluti pelle ossa circumdante, nervisque junctis indigentia sui, conscius homo, hanc ipsam quam habet gratiam, donum intelligat esse, non meritum : et magis ex eo unde accepit glorietur in Domino, quam unde non acceperit irascatur. Nos enim cum essemus naturaliter filii iræ propter delictum nostrum, facti sumus [b] misericordiæ propter clementiam Domini, nihil digni nisi damnatione (*Ephes.* II, 3, 4). Non ingeramus Domino de non accepto querelam, sed de accepto gratiam repensemus, gloriamque soli illi creatori redemptorique nostro Domino Jesu Christo tribuamus, *quem posuit Deus propitiatorem* **606** *in sanguine suo* (*Rom.* III, 25), *ut in nomine ejus omne genu curvetur, cœlestium et terrestrium et infernorum* (*Philipp.* II, 10) : quem in illa prædicta potestate judicantem omnis caro videat, et cui omnis lingua fateatur. Unde et Apostolus ait : *Ideo contendimus sive absentes, sive præsentes, placere ei. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum* (II *Cor.* V, 9, 10). Et alibi : *Omnes enim stabimus ante tribunal Dei* (*Rom.* XIV, 10). Paulus apostolus dixit etiam se staturum ante tribunal Dei, et propria corporis prout gessit cum cæteris redditurum : contra autem Pelagius confidenter audet dicere : Ita consummo universam in carne perfectionem, ut de judicis bonitate nihil sperem. Justi in illa die judicis operum suorum glorias audientes, adhuc tamen velut ignorantes, interrogabunt : *Domine, quando te vidimus, et hæc fecimus tibi* (*Matth.* XXV, 37)? et hic noster scientissimus legis agnoscit, quo die, qua hora, quo momento, ultimam sedem ultra quam non sit alia plenissimæ sanctitatis, intrabit.

19. Aut forsitan reclamat et loquitur : « Recte mihi hæc [c] amentia, ut non dicam, superbiæ ingererentur opprobria, si dicerem, sine adjutorio Dei hominem posse esse sine peccato : nunc autem cum adjutorium adjicio, nihil difficile assero. An tu fortassis Dei adjutorium negas? » Concedo paulisper calumniæ tuæ, ut dum quod in te convincere volo, in me videar detegere, inveniamur simul, et ego in mei defensione purgatior, et tu in tua confusione manifestior. Mea semper hæc est fidelis atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiæ suæ dona largitur, verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longani-

[a] Gallandius ponens *Qua*, subdit in calce : « Ita recte Schotti editio. Male Havercamp. *Quum*. »

[b] Addunt vocem *filii* Schottus eumque secutus Galland.

[c] Gallandius corrigit, *amentiæ*.

meum sui æternam pie clementiam subministrare, non ut tu asseris cum discipulo tuo Cœlestio, cui jam apud Africanam synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono, et in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contribuam : sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per ἄτομας et cunctis et singulis ministrare. Dicit enim Scriptura : *Qui facit solem suum* **607** *oriri super bonos et malos* (*Matth.* v, 45). At tu forte respondes : Ordinem suum composita bene natura custodit, ac per hoc Deus elementariis semel cursibus constitutis, facit inde quæ facit. Quid ergo de illa sententiæ parte, quæ sequitur, opinaris : *Dat pluviam super justos et injustos* (*Ibid.*)? Utique qui dat, cum vult dat, et ubi vult dat : vel dispensando dispositam constitutionem, vel effundendo propriam largitatem. Ac ne secundum amentiam impietatis tuæ etiam hoc evacuare mediteris, audi prophetam super hac veritate testantem : *Qui advocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen est illi* (*Amos* v, 8). Quid vero dicam de spe vera generis humani, quia *omnis qui arat, in spe arat* (I *Cor.* ix, 10). Sperare autem, non est possibilitatis propriæ, sed largitatis alienæ. Cum autem quis seminaverit, jactamque sementem in sinu terræ cultor absconderit, non habet ultra quod faciat, nisi ut oculos tendat ad cœlum, oret non terram cui commisit, sed Deum cui credidit, ut labores ejus vel matutino vel serotino imbre fecundet. Et, ut spiritali testimonio etiam ad communes usus perfruar, *neque qui plantat, neque qui rigat, quidquam sunt; sed, qui incrementum dat, Deus* (I Cor. III, 7). Quantum ergo de Dei adjutorio gaudeam, per id metire, quod ministrari singula etiam gentibus probo : ut manifestum nobis esset, quem usque in finem cavere, et quem sine cessatione invocare debeamus.

20. Diabolus interrogatur a Domino : *Unde ades?* At ille respondit : *Circumiens terram et peragrans quæ sub cœlo sunt, adsum* (*Job.* I, 7). Rogo te, sollicitudo ista diaboli, bonæ voluntatis, an malæ est? Fatearis necesse est, Omnino malæ. Hoc enim et sequens expostulatio ejus ostendit. Manifestatio ista diaboli tempore Job facta est, scilicet tempore Moysi. Certe tunc nulla Judæa, nulla Hierusalem, nulla per orbem Ecclesia erat. Adhuc universa gentilitas Dei notitiam non habebat, et jam tamen diabolus circumiens terram, omnia quæ sub cœlo sunt peragrabat : atque ad seducendum et dispergendum humanum genus incessabili malitiæ suæ sollicitudine ferebatur. Itaque cum videas, hominibus ignaris tantam diaboli incubuisse nequitiam in disperdendum, nullam hinc credis Dei in custodiendo gratiam **608** præfuisse? Aut forte frustra dictum putas : *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in ea* (*Psal.* XXIII, 1)? At vero ut adesse adjutorium Dei, et per[a] singulos manifestius probes : en ipse diabolus, dum testatur de universitate, de uno interrogatur. *Animadvertisti*, inquit Deus, *in puerum meum Job, quia non est quisquam similis illi super terram* (*Job.* I, 8)? Novit speciatim unumquemque Dominus, novit et diabolus. Ille potestate naturæ, iste labore nequitiæ. Iste ut tentet, ille ut probet. Job, contradicente adversario, a creatore laudatur. Vult Dominus opus judicare hominis, quod ipse operatur in eo : at vero de adjutorio etiam diabolus confitetur. Dicit enim : *Nonne tu circumsepivisti quæ sunt extra domum, et intra domum ejus* (*Ibid.* 10)? Expetente inimico, famulum suum Deus spoliat per tentationem, non nudat : aufert substantiam et dat gratiam : *Ecce*, inquit, *omnia quæcumque habet do in manu tua, sed ipsum noli tangere* (*Ibid.*, 12). Parum est. Invidus furit, mortem conatur inducere, sed e contrario dispensatione Dei movetur, gratia non auferetur : expetita prædoni præda[b] premitur, rursus prædæ suæ custos adhibetur. Dicitur enim ad eum : *Ecce trado et cum tibi, tantum animam ejus custodi* (*Job.* II, 6). Nemo ex hoc æstimet diabolum ad seducendam in corpore tantummodo animam laborare, nisi etiam ab ipso corpore vellendam : si non saucium infirmumque hominem miserentis Dei tutela muniret, et obvia cunctis insidiarum ejus conatibus semper occurreret.

21. Habes, ut arbitror, etiam in Gentibus sufficientem cooperantis gratiæ probationem : accipe manifestam quoque significantiam, de illo præcipue dono, quod Ecclesiæ et corpori suo peculiare largitur. Paulus apostolus ad Corinthios scribit : *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu : quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis : ita ut nihil vobis desit in ulla gratia* (I *Cor.* I, 4-7). Et iterum : *Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum : per quem et accessum habemus fidei Dei* **609** *in gratia ista, per quam stamus, et gloriamur* (*Rom.* v, 1, 2). Unde et Petrus apostolus admonet, dicens : *Recipientes finem fidei vestræ, salutem animarum. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in nos gratia Dei prophetaverunt* (I *Pet.* I, 9, 10.) Ex quo evidentissime declaratum est, nemini hominum deesse Dei adjutorium : præsertim cum et seductor insistat, et insit infirmitas. Confusa evacuataque est calumnia cæci arguentis, qui ait : Forte tu Dei adjutorium negas? Sed quoniam de Job fecimus mentionem, dicamus quod et superiori testimonio recensitum est, Domino dicente : *Homo sine crimine, verax Dei cultor, abstinens se ab omni malo* (*Job.* II, 3). Solet enim a vobis sæpissime dictitari, ad probandum hominem sine peccato posse esse, quia fuerit, hoc est, quia et Job, testimonio Dei, homo sine crimine est di-

[a] Habet *singula* Gallandius.

[b] Forte, *promitur* vel *permittitur*, nisi voluerit *premitur*. — Omnino legendum *promitur* dicit Gallandius, ex edit. Schotti; statimque, ante *rursus*, addit conjunctionem *et*, quam exhibuerat quoque Schottus.

ctus et verax. Et Zacharias *sine querela* in Evangelio probatus ostenditur. Dixit Dominus de Job : *Homo sine crimine* (*Luc.* I, 6), numquid dixit sine peccato? Peccatum enim cogitatio concipit, crimen vero non nisi actus ostendit. Esse etiam *sine querela* eorum cognitioni judicioque ascribitur, quibus in promptu est, in facie quidem mansuetudinem aspicere, sed cordis bella nescire. Unde et Paulus confidenter jubet, dicens : *Oportet enim episcopum sine crimine esse* (*Tit.* I, 6). Et alibi generale dat testimonium Corinthiis atque asserit : *Ita ut non indigeatis ulla gratia, exspectantes revelationem Domini nostri Jesu Christi : qui et confirmabit vos usque in finem, sine crimine* (I *Cor.* I, 7, 8). Ecce Paulus quos testimonio suo usque in finem confirmat esse sine crimine, mox eosdem in eadem epistola corripit, scribens : *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habeatis inter vos* (I *Cor.* VI, 7). Sub uno titulo iisdemque personis, ecce *sine crimine*, ecce *delictum* : unde declarat, non statim sine delicto asseri, quem videas sine crimine nominari. Dixit enim et Dominus Jesus : *Venit Joannes non manducans neque bibens* (*Luc.* VII, 33). Et iterum scriptum est : *Esca illius erat locusta, et mel silvestre* (*Math.* III, 4). Numquid ex alterutro aut Joannes non manducasse, aut Dominus fefellisse credendus est? Sed e contrario in utroque veritas est : **610** quia et Joannes in substantiam carnis escæ aliquid sumpserit, et rursum vere dixerit Dominus in Joannem, nec cum cæteris, nec id manducasse, quod cæteros : probans se Scripturasque sanctas, occultata sæpe scientia Dei, hominum manifestare sententias. Quamobrem obsequenter accipitur, quotiescumque Scriptura commemorat, et *justum* et *sine querela* pro captu temporis et secundum illud ultimum judicium Dei, cui universorum conscientia subjicitur, et lingua omnium confitetur.

22. Denique liquido intellige, quia justificatio Job, passionumque ejus in carnem permissio, provido consilio Dei confusionem diaboli arrogantis operata est : ut dum homo de honore creatoris, ipso Domino probante laudatur, infidelitatis notam declinans angelus puniretur. Rursus autem ne famulo suo graviorem plagam faceret, dum sanaret, et per curam carnis, animæ vulnus infligeret, hoc est, ne beatus Job, tanta tentatione superata, duplicatisque omnibus et restitutis, in superbiam elatus, et judicium incideret diaboli, admonetur ab occultis suis, ut etsi a foris de justitia laudaretur, intus tamen ei se sciret subditum esse debere a quo custodiretur. Dicit enim ad eum Dominus : *Quis est hic qui celat me consilium, continens sermones in corde, et me putat latere? Accinge tamquam vir lumbos tuos. Interrogabo : tu autem responde mihi. Ubi eras cum fundarem terram, indica mihi, si nosti scientiam* (*Job.* XXXVIII, 2—4, *sec.* LXX). Et post multam docendi correptionem, vel corripiendi doctrinam : respondens Job Domino dixit : *Quid* [a] *ergo judicor commonitus et increpatus a Domino, audiens talia cum nihil sim* (*Job.* XXXIX, 33, *sec.* LXX). Talis et Zacharias, homo *sine querela*, dignus honore hominum, dignus testimonio Scripturarum, quem aliqua jam, ut arbitror, ex hoc inflatio titillabat, incipiebatque plus credere famæ quam conscientiæ, per corripientem angelum nota infidelitatis arguitur, et temporario silentio castigatur. Unde et Paulus dicit : *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat* (I *Cor.* X, 12). Et quasi forma hominum de se ipse pronuntiat dicens : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo : ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus* **611** *efficiar* (I *Cor.* IX, 27.) Ita *sine crimine* dici quemquam et *sine querela* : non est perfectionis testimonium, sed conversationis exemplum.

23. De immaculato autem ubicumque Scriptura pronuntiat, sicut David ait : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* (*Psal.* CXVIII, 1), sana doctrina traditum reor, quia vere beati sint, qui sunt immaculati in via, hoc est, perfecta fide in veritate gradientes : non declinantes hæretica pravitate, neque in dexteram, neque in sinistram. *Via* Christus est, qui per Spiritum sanctum ducit ad Patrem (*Joan.* XIV, 6). Igitur qui sine macula atque lepra, nec conviolatus ab his *quorum sermo serpit et cancer* (II *Tim.* II, 17), venerandæ gloriam Trinitatis audit, credit, intelligit, beatus in fide immaculatusque consistit. Ex quo etiam dicitur ad Abraham : *Ambula coram me, et esto sine macula* (*Gen.* XVII, 1). Necessario enim Abraham, *qui credidit Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Rom.* IV, 3, 22), ut sit, in eo quod credidit, *vidit et gavisus est* (*Joan.* VIII, 36), perfectus esse ac sine macula commonetur, multarum gentium pater constitutus in fide (*Gen.* XVII, 5 ; *Rom.* IV, 18), et fidelium sinus, in requie ut simus omnes, qui speramus in Deo cum fideli Abraham. *Beati immaculati in via, scriptum est : per fidem enim ambulamus, non per speciem* (*II Cor.* V, 7). At vero si vis de immaculato qualem David orans quærit audire, vanam possibilitatis tuæ depone fiduciam, et prostratus in precibus cum prophcta oratione conjungere, flens pariter ac dicens : *Dilecta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Si enim mihi non fuerint dominati, tunc immaculatus ero* (*Psal.* XVIII, 13, 14). Infelix ego homo, delicta quæ nondum intelligo, quando vitabo? Petrus diligit Christum, nec umquam a dilectione declinat : testimonio dilectionis Domini, nunc *petra* fundamenti Ecclesiæ constituitur (*Matth.* XVI, 18), nunc *Satanæ* vocabulo depravatur (*Ibid.*, 23). Unum atque idem semper operanti, nunc dicitur : *Non revelavit hoc tibi caro et sanguis, sed Pater meus, qui est in cælis* (*Ibid.*, 17) ; nunc rursus ingeritur : *Non sapis quæ Dei sint, sed quæ sunt hominum* (*Ibid.*, 23). Apostolus diligendo electus est, diligendo confusus : habens

[a] Ponit *ego* Gallandius, et in calce subdit : « Editi male, *Quid ergo*. LXX, Τί ἔτι ἐγὼ κρίνομαι ἐλέγχων κύριον ; *Quid adhuc ego judicor ... arguens Dominum?* Verumtamen, quemadmodum hic Orosius, *increpatus a Domino*, ita quoque legit S. Augustinus, ut annotat Nobilius. »

pro nimio amore peccatum. Siquidem annuntianti de passione sua Domino amoris impatientia dixerat: **612** *Propitius tibi esto, Domine, non erit illud tibi* (*Matth.* XVI, 22).

24. O miseriam miserorum! Si Petrus in aliquo Christum amando peccavit, *delicta quis intelligit* (*Psal.* XVIII, 13)? Clamat propheta et clamat in Spiritu sancto: clamat ille, de quo dixerat Dominus: *Manus mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum, et nihil proficiet inimicus in eo* (*Psal.* LXXXVIII, 22, 23): et quid clamet, attende: *Ab occultis meis munda me, Domine* (*Psal.* XVIII, 23). David ille electus *secundum cor* (I *Reg.* XIII, 14), ille quem promisit Deus *facturum omnes voluntates suas* (*Ibid. et Act.* XIII, 22), ille quem unxit in regem, ille quem prophetici spiritus sanctificatione donavit, stupens in obreptione peccaminum, clamat ad Dominum, ut ab occultis suis mundetur implorat, et dicitur ei a Domino, in alio loco: *Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, et sanguinem fuderis* (I *Paral.* XXVIII, 3); quasi vero sordium abolitione cunctarum ita emundare eum nequiverit, ut dignum digno operi præpararet. David usque ad mortem non emundatur, sed prælato in Templi constructione sibi filio se ipse condemnat: et [a] Goliath cum armigero suo calumniatur mihi, cur Dominus non faciat in eo, quod numquam fecit in sæculo? Dicit Ecclesiastes: *Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est, jam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos* (*Eccle.* I, 10): et novorum dogmatum instructor affirmat, potest fieri, quod numquam factum est. Non requiras utrum fuerit, quod posse esse non ambigis. Ædificari voluit Deus templum nomini suo, et hoc, ut non nisi innocens et bene immaculatus exstrueret. Duo ad hoc reges cunctis viribus eliguntur, uterque ad adjutorium: de custodia utrique promittitur. Ad David siquidem dicit Deus: *Veritas mea et misericordia mea cum eo* (*Psal.* LXXXVIII, 25). De Salomone vero testatur: *Ipsum elegi mihi in filium, et ego ero ei in patrem* (I *Paral.* XXVIII, 6). Ex his duobus templum Domini unus præparat, alter ædificat: præparat senex, perficit puer. Dignum est enim ut sanctum Domini templum sanctus ædificet. Præparat, ut dixi, senex, sed quasi postquam peccare cessavit: perficit puer, sed tamen pene cum adhuc peccare non cœpit. Ille ante peccavit: hic postea. Ille multo peccato ædificare non meruit: iste multum peccando quod ædificaverat, dereliquit. Et inter hæc mirabiliter **613** sibi ordinatio sancta disposuit: ut inter duas ætates, quod perpetuum in homine esse non poterat, pro captu temporis inveniret. Uterque aliquando non peccavit, tamen uterque sine peccato esse non potuit: *Ut sit Deus verax, omnis autem homo mendax* (*Rom.* III, 4; *Psal.* CXV, 11), sicut scriptum est: *Vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris* (*Psal.* LXVIII, 10).

25. Habentes utique gratiam et adjutorium Dei, tamen sine peccato esse, nec obtinere David, nec Salomon valuit custodire, et Joviniani filius, ut omnipotens Deus, pro ipso discipulisque ejus tantum rerum ordinem mutet, sperat, quod si factum forte non fuerit, Deum impossibilitatis accuset? « Potest, inquit, homo esse sine peccato: tamen cum Dei adjutorio. » Quid faciam? Tolerabo interim pannum novum vestimento veteri colligatum, donec emendationis miseræ falsitatem pejor scissura patefaciat. Concedo enim, ut contra ducem veritatis loquentis, cum dixerit: *Potest homo, si velit*, dixisse videatur: *potest homo cum adjutorio Dei.* Nunc demum mihi veluti ad exordium propositionis sermo revocandus est: et, paulisper injuriæ dolore seposito, cum reverentia disputandi ad celsitudinem capitis recurrendum. Caput enim nostrum est Christus Jesus, quem, sicut Apostolus ait, *proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentationem Dei et ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus et justificans eum, qui ex fide est Jesu* (*Rom.* III, 25, 26). Itaque propitiator per fidem in sanguine suo positus ad ostensionem formamque justitiæ, ipse est *Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5). De quo Joannes usque ad ipsam pene inaccessibilem lucem introductus exclamat: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1-3). Ac post paululum exposita divini operis veritate subjungit: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus honorem ejus, gloriam tamquam unici nati a Patre, plenum gloria et veritate* (*Ibid.* 14). *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (I *Pet.* II, 22), *qui tamquam agnus coram tondente, sic non aperiens os suum* (*Isai.* LIII, 7), cum flagellatus, crucifixus et mortuus est, **614** qui aculeum mortis edomuit, qui a mortuis resurrexit, *qui captivam ducens captivitatem* (*Psal.* LXVII, 19; *Ephes.* IV, 18), ascendit in cœlos. Hic est unigenitus in Patre, *primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* VIII, 29): *in quo est omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9). Hic ergo Dominus Christus, hic, inquam, Filius Dei, in virtute Patris et gloria: quæ in principio condidit, et redemit in medio, etiam in novissimo judicabit.

26. Itaque post conditionem universæ, quæ secundum voluntatem ejus exstitit creationis, compositionis modum rebus imposuit, ut quod rationale factum fuerat, ratione subsisteret: et quod libero donarat arbitrio, ne in licentiam perditionis excurreret, præcepti lege restrinxit: ut cum creatura creatorem et domini donum agnosceret, et præcepti stabilitatem: in subjectione lapsus libertatem prospiciens, ad hoc tantum ipsa libertate uti vellet, ut per eam servitium quo regeretur eligeret, digno habitus judicio, ut ex prudenti servitute defensio-

[a] Pelagium dicit et Cœlestium. SCHOTT.

nem, ita ex libera voluntate mercedem, confirmante Apostolo, qui ait : *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo* (I *Cor.* IX , 17). Duo luminaria magna omnipotens Deus dixit et facta sunt , præcepitque ut dividant diem ac noctem et sint in signa, et tempora, et dies , et annos (*Gen.* I, 14). Numquid hæc semel decreta distinctio, non usque in præsentem permanet diem? Et tamen hæc ipsa , quæ sic ordinato motu feruntur, creatori mutare cum velit, potentia inerat, si ratio non teneret : quoniam in omnibus potentiæ Dei ratio conjuncta est. Si enim esset apud creatorem mutatio operum, qualiter a creatura exspectari posset observatio mandatorum? Jussum a Deo est , ut germinet terra herbam (*Ibid.* 11) , fenum lignumque fructiferum , hoc etiam nunc annuis vicibus incessabili parturitione custodit. Et tamen iratus sæpissime Deus terræ , fructus, negata imbrium ubertate, diminuit, et quod auferre in totum potuit, maluit castigare , ut et correctionem plaga ostenderet , et ordinem natura servaret. Fecit Deus hominem de limo terræ, et vitalis spiritus insufflatione viventem posuit in paradiso deliciarum (*Ibid.* 17) : libero insuper donavit arbitrio circumdatumque mandato medio immortalitatis et mortis : quamvis asserant tui, qui abundantiora de pectore tuo **615** venena suxerunt, mortalem eum fuisse factum, nihilque eidem damni ex transgressione contigisse præcepti. At vero prævaricante homine, terra maledicitur, laboribus ac doloribus homo ipse coonustatur, ut in sudore faciei panem acquirat jubetur : nota mortis circumscribitur , donec in terram , de qua sumptus est , revertatur (*Gen.* III , 17-19). Ejicitur Adam de paradiso (*Ibid.* 23), generat filios trahentes secum seminis infidelis originale peccatum : peccat humanum genus , Deum quoque pœnituit quod hominem fecisset in terra (*Gen.* VI, 6).

27. O Domine, sustine paulisper stultitiam meam, donec qui sapiens et prudens videtur, erubescat et sentiat imprudentiam! Peccante uno homine, ex quo in universam successionem dira contagia transierunt, regnumque in universos mortis invaluit, pœnitet te , irasceris , doles : et, usquequo Verbum caro factum, passione , cruce, ac morte opus habeat , commoveris. Forte satius fuerat unum deleri illico peccatorem, ut mox alius secunda plasmatione substitueretur, quo ab omni sorde libera et immaculata propago descenderet. At hæc te, Deus omnipotens , quia non fecisse agnoscimus, non potuisse credimus? O Petre ! supra quam petram Christus suam fundavit Ecclesiam (*Matth.* XVI, 18); et, o Paule! qui fundamentum posuisti , præter quod aliud nemo potest ponere, qui est Christus Jesus (I *Cor.* III, 11) ; beati apostoli, columnæ et firmamenta veritatis, vos saltem huic qui consiliarius Deo est et mediator, sacris respondete sermonibus! Ait Petrus : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi , per quem vocati estis in hæreditatem incorruptibilem , et incontaminabilem , conservatam in cœlis , vos , qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo* (I *Pet.* I, 3-5). Deinde Paulus , vas electionis, profert thesauros salutares, et ait : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi , qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo , sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem , ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate, [a] qua prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum , secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ suæ , in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo , in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus , remissionem* **616** *peccatorum , secundum divitias gratiæ ejus , quæ superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia : ut notum nobis faceret sacramentum voluntatis suæ secundum bonum placitum ejus ; quod disposuit in eo , in dispensationem plenitudinis temporum , restaurare omnia in Christo , quæ in cœlis sunt et quæ in terra* (*Ephes.* I , 3-10).

28. Dicit Petrus : *in salutem paratam revelari in tempore novissimo ;* testatur et Paulus , quod *proposuit in eo in dispensationem plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo ;* et nunc nobis nescio quis quasi rana e cœno emergit et personat : « Quid mihi est exspectare tempus, exspectare judicium? Deus si potest, semper potest : si semper potest, personarum acceptor non est. » Potest ergo, et modo potest, et in te vere personarum acceptor probandus, si quod in omnibus potest, et utique acturus in tempore suo est , in te solo ante tempus faceret , quod neque in Moyse fecit , cui unum tantummodo in hac vita peccatum exprobravit, et tamen ante mortem remisit : quem ob hanc culpam mori jussit, ne terram repromissionis intraret. Audiat ergo Salomonem, super ordinatione temporum et Dei constitutione testantem : *Omnia tempus habent et suis spatiis transeunt universa sub cœlo : Tempus nascendi, et tempus moriendi. Tempus plantandi , et tempus evellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, et tempus sanandi* (*Eccle.* III , 1-3). Deinde alio loco dicit : *Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem, et dixi in corde meo : Justum et impium judicabit Deus : et tempus omnis rei tunc erit* (*Ibid.*, 16, 17). Quamobrem, o homo vacue! si quam fiduciam habes, patienter exspecta ordinem Dei, quem dignatus est et ipse Dominus exspectare qui fecit : *factus sub lege* (*Gal.* IV, 4), qui fecerat legem. Audi ipsum tibi dicentem : *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I , 7). Aut si vis apertius accipere testimonium, quia cum utique possit Deus, tamen pro ipsa sui ordinatione non faciat , dicit ad Petrum : *An putas non posse me modo rogare*

[a] Corrigit , *qui*, Gallandius, subjicitque hæc in calce : « Schottus, *quia ;* Hävercamp., *Qua*. Restituimus Vulgatæ lectionem *qui*, Græco textui concinentem, ubi legimus προορίσας. Mox leg., *in laudem gloriæ* GRATIÆ SUÆ, juxta Gr., εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ. Eam vocem quæ librario exciderit apud Orosium contextus Pauli requirit. »

Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum? Sed quomodo complebuntur Scripturæ, **617** *quia sic oportet fieri* (*Matth.* XXVI, 53, 54)? Vides ergo quia operator temporis temperat virtutes : et ratio dispositionis, miscet potentiæ patientiam. Deinde ait Dominus : *Reconde gladium in theca. Fieri enim non potest, ut calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum* (*Joan.* XVIII, 11). Et tamen Deus nihil non potest : nec est quidquam quod non faciat nisi forte quod nolit, non oporteat, non proponat. Loquitur Paulus ad Thessalonicenses, significans de adventu Antichristi : *Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis : ut reveletur in suo tempore* (II *Thess.* I, 5, 6). Tanta vis est decreti Dei, et tam irrevolubilis status constitutorum in suis quibusque causis temporum, ut propter electos suos dies sæculi abbreviari dixerit Dominus (*Matt.* XXIV, 22), non auferri : ut faceret temporum statutorum pro majestate plenitudinem, pro pietate brevitatem : simulque et compendium misericordia caperet, et numerum mundus impleret; et tu vis, jam? (ecce ego cum dolore misericordiæ loquor); tu, inquam, vis, o homo similis mei, ut tibi homines in hoc præsenti tempore, quod numquam antea dictum in sacris voluminibus invenitur, quemquam sine peccato esse respondeant, et si in hoc forte consenserint, de die momentoque subscribant : novam calumniæ machinam instruens, ut quod non fieri dicimus, non posse fieri dixisse videamur, et in quo præcipue operantem in dispositionem quam statuit omnipotentiam prædicamus, ne impatienter infamare impotentiam judicemur? Vanum, quæso te, furorem abjice, quoniam hoc ipsum ad peccatum proficit, de quo abstergendo possibilitatem temporis, non clementiam judicis cogitasse. Hactenus de potentia Dei, quam prædicamus et colimus, et de præfinitione temporum, quæ profundissimo ipsius sunt statuta consilio, dixisse sufficiat, de qua, etsi plura quæ sunt sanctorum scripta non essent, dæmonum saltem responsio sola sufficeret, qui propria damnati conscientia vociferantur ad Dominum : *Quid tibi et nobis, fili Dei? Quid venisti ante tempus perdere nos* (*Matth.* VIII, 29)? Quos cum intelligas de constitutione judicii [a] confidentes, cape certissimum ipsius contra te exemplum. Si illos in oppressione miserit homines comprehensos : **618** ultimo tunc judicio intelligis esse damnatos. Accipe et te ipsum hic imperturbabili [b] emendatione purgandum. Sin autem, ut legitur, patientia Dei adhuc illis liberum indulget arbitrium : adhuc et te crede tentandum.

29. Nunc ad aliam strictim transeo quæstionem, quam tu adversus omnes catholicos vibrare sæpius diceris. Nam etiam in epistola tua illa lucubratissima hæc ipsa intelligere vix potuimus. Ita ista, inquam, ad Demetriadem, puellam (ut audio) sacram et sanctam, homo verecundissimus scribere non erubuisti : docens, ut credo, reverentiam castitatis sub stropha Joseph luxuriantis dominæ suæ, ubi dixisti, « Contempta frequentur domina, propiores adolescenti tendit insidias, secretum ac sine testibus manu impudens apprehendit : » inopportunam historiam obscenissimo sermone contexens : quamquam hoc quod neque apte, neque decore dicitur, tibi imputare non debeamus, cui neque natales dederunt, ut honestioribus studiis erudireris, neque naturaliter provenit, ut saperes, sed illis dictatoribus tuis, qui miserum sensum miserrimo sermone conscribunt, et te legendum cachinnis quasi titulum confusionis exponunt. Inter hæc ergo hujusmodi sensum in eadem epistola indigestis sermonibus eructasti, « quod plerique nostrorum dicerent, Deum malam hominibus condidisse naturam. » Quod etiam ille Phinees tuus pedetentim nobis tentavit intendere : unde breviter primum profiteor, deinde respondeo : Ante tribunal Christi in dextera inter agnos Dei non sit dignus assistere, nec mereatur videre Dominum in regione vivorum, nec in gloria resurrectionis *vita Jesu manifestetur in mortali corpore ejus* (II *Cor.* IV, 11), qui dicit Deum aliquam malam vel hominis vel cujusque rei condidisse naturam, vel qui liberum in aliquo tollit, arbitrium : cum scriptum legerit : *omnia quæcumque fecit Deus, bona valde* (*Gen.* I, 31). Et de libero hominis arbitrio scriptum est : *Deus creavit hominem inexterminabilem* (*Sap.* II, 23) : *et reliquit eum in manu consilii sui* (*Eccli.* XV, 14). Cæce et maligne, aliter enim tibi loqui nequeo, sensum Dominicæ auctoritatis, sensum propriæ fragilitatis, sensum communis intelligentiæ non habenti. Nos naturam hominis infirmam dicimus esse, non malam. Nam si mala esset, bonum omnino non caperet : nunc vero cum genuino affectu concupiscat bonum, **619** et adhæreat bono, malumque omnino fugiat, ubi in ea mala dicenda est esse substantia? Dominus clamat : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI, 43). Clamat Abraham : *Ego autem terra et cinis* (*Gen.* XVIII, 27). Clamat Job : *Homo putredo, et filius hominis vermis* (*Job.* XXV, 6). Clamat Esaias : *O miser ego, quoniam compunctus sum, quia cum sim homo, et immundæ labia habeam, in medio quoque populi immunda labia habentis habito* (*Isai.* VI, 5)! Clamat Hieremias : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te : Vide, Domine, et miserere* (*Baruch.* III, 1, 2). Clamat Abacuc : *Custodivi, et expavit venter meus, a voce orationum intra me turbata est habitudo mea* (*Hab.* III, 1 *sec. LXX*). Clamat David : *Exaudi me in tua justitia, et non intres in judicium cum servo tuo, quia non*

[a] *Confitentes.....miseri hominis.* Ita rescripsimus, præeunte Cotelerio in Monum. Eccles. Gr. tom. III, p. 526. Editi perperam *confidentes.....miserit homines.* Pravam præterea interpunctionem emendavimus. Sic enim antea, *Si illos in oppressione miserit homines comprehensos : ultimo tunc judicio intelligis esse damnatos. Accipe*, etc. GALLAND.

[b] *Emundatione.* Ita Schottus, atque sic legendum suadet vox sequens *purgandum.* Havercamp. tamen maluit *emendatione.* GALLAND.

justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* CXLIII, 1, 2). Clamant omnes apostoli infirmitatis timore turbati : *Domine, libera nos, perimus* (*Matth.* VIII, 23). Clamat Joannes : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* 1, 8). Clamat Jacobus : *In multis enim offendimus omnes* (*Jacob.* III, 2). Clamat Paulus : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 24, 25). Et ut generaliter universorum clamet infirmitas, clamat Spiritus sanctus in sanctis : *Omnis caro fenum et gloria hominis sicut flos feni. Fenum aruit, flos decidit : verbum autem Domini manet in æternum* (*Isai.* XL, 6-8).

30. Contra has tam splendidas, perspicuasque divinorum nubes testimoniorum, audiat laborans in gemitu suo mundus universus Pelagium reclamantem : atque humili veritati non solum verborum impudentia, sed etiam cauteribus resistentem. Ait enim in epistola, quam supra nominavimus : « Verum econtrario remisso ac fastidioso animo ac nequam ore nos Domino reclamamus et dicimus : Durum est, arduum est, non possumus, homines sumus, fragili carne circumdamur. Et, o cæcam insaniam ! et, o profanam temeritatem ! duplicis ignorantiæ accusamus scientiæ Dominum : ut **620** videatur nescire, quod fecit : nescire, quod jussit. Et quasi oblitus fragilitatis humanæ, cujus auctor ipse est, imposuerit homini quod ferre non possit. » Quid rogo hac præsumptione feralius? Quid hac increpatione perversius? Exprobras Ecclesiæ catholicæ, cujus nos viscera sumus, quod quasi dicere desperando videatur, quod Deus, auctor hominis, imposuerit homini, quod ferre non possit : cujus tamen fidelissima est et ore et humilitate professio : Deum et primo omnia possibilia præcepisse, et nemine tamen possibilia complente, propter quod subditus sit omnis mundus Deo, postea pondus præcepti substituta gratiæ indulgentia sublevasse. Verumtamen tu, serve nequam et maligne, qui quod tibi dominus tuus remisit, conservis tuis conaris exigere (*Matth.* XVIII, 29-32) : tuum primum sensum discutio, et meum postea, si videtur, explano. Tu qui non posse ferre onus legis dixisse quosdam arguis, ergo tu ipsum ferre posse confidis? O miser, qui secundum quod scriptum est, dicis in corde tuo : *Dives sum et ditatus, et nullius rei egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis et pauper, et cæcus et nudus* (*Apoc.* III, 17). Numquid ad te locutus est Christus : *Amen dico tibi, non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui est in cœlis* (*Matth.* XVI, 17)? Numquid tibi dixit : *Tu vocaberis Cephas* (*Joan.* I, 42)? Numquid tibi spopondit : *Super hanc petram fundabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18)? Attende enim quid Petrus apostolus, Spiritu sancto docente, commoneat qui ait : *Et nunc ergo vos quid tentatis Deum, imponere jugum collo discentium, quod neque nos ipsi, neque patres nostri potuimus portare? sed gratia Domini nostri Jesu Christi credimus nos posse salvos fieri, sicut et illi* (*Act.* XV, 10, 11). Petrus apostolus dicit : quia ille vere Deum tentet, qui nunc homini onus legis moliatur imponere : contra autem tu objicis et minaris, quod ille criminetur injustitiæ Deum, qui per confessionem propriæ infirmitatis, ad gratiam spiritus a littera occidente confugiat. Samuel, Helias, Helisæus, Esaias, Hieremias, Daniel, Zacharias, omnes sancti, vel judices, vel reges, vel prophetæ, patres sine dubio nostri sunt, et neminem patrum Petrus affirmat, sed **621** neque semetipsos, hoc est, apostolos, cum essent Judæi, onus legis ferre potuisse, sed fide Christi secundum spem gratiæ fuisse salvatos.

31. An forte secundum te omnes isti sancti patres Dei adjutorium non habebant? Ecce Petrus increpat illos, qui grave jugum collo discentium ponere conabantur : tu econtrario in scandalum Petri increpas eos, qui ad fidelem Dei misericordiam confugiunt : et se per semetipsos onus legis ferre diffidunt. Sed tibi specialis inde portandi oneris fortasse fiducia est, quod balneis epulisque nutritus latos humeros gestas robustamque cervicem : præferens etiam in fronte pinguedinem, sicut scriptum est : *Tetendit enim adversus Deum manum suam et contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversum eum erecto collo, et pingui cervice armatus est. Operuit faciem ejus crassitudo, et de lateribus ejus arvina dependet* (*Job.* XV, 25-27). At illi tales esse non possunt, quibus semper in corde loquitur Christus : *Contendite per angustam viam intrare : lata est enim, quæ ducit ad mortem* (*Matth.* VII, 13; *Luc.* XIII, 24). Et Paulus apostolus monet : *Curam carnis ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII, 14). *Est in me veritas Christi* (II *Cor.* XI, 10; *Rom.* IX, 1, 2), quia multum doleo pro vobis. Juxta sententiam enim beati patris mei Augustini, « Non est sani fiducia, sed insani. » De uno præcepto eodemque primo, te, si dignaris, interrogo. In lege Dominus per Moysen jubet, quod et in Evangeliis Christus affirmat : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis : et secundum simile huic : Diliges proximum tuum tamquam te ipsum* (*Deut.* VI, 5; *Matth.* XXII, 37-39). Rogo te, responde non mihi, sed Deo : non voce, sed conscientia, si ita ex toto corde Deum diligis, ut nullam unquam in eo cogitationem, quæ absque timore et dilectione Dei intelligi possit, admittas : si ita in tota anima sequeris, ut suscepta semel cruce in nullam penitus oblectationem habitæ ad tempus jucunditatis succedas : si ita in totis visceribus tuis calore charitatis ardes, ut nulla penitus per augmenta necessitatis infirma concupiscentiis aut desideriis acquiescas. Deinde cum scriptum sit : **622** *Omne quod non sit ex fide peccatum sit* (*Rom.* XIV, 23) : et sive nobilium locorum episcopos videris, sive potentes sæculi viros, sive divites sub religione videas, utrum omnino nihil vel adulationi, vel timori, vel spei acceptione personarum captus indulgeas, nec quidquam in quo te cor tuum reprehendat, et conscientia remordeat, vel si nulla verba

tempori potius quam veritati accommodata respondeas. Illud etiam consulo, utrum æque omnes Christianos sicut te ipsum diligas. Nos enim sub uno capite, quod est Christus : et sub una Ecclesia, quæ est Christus, omnes fratres sumus , et unum corpus in Christo. Utrum ergo sicut te ipsum diligas omnes qui misericordiam Dei sperant, quos tamen noveris, confitere. Non enim te de ignotis consulo : quos ex eo te diligere arbitraris, quod quia non noveris, non odisti. Sed quid ego hæc a confessione tua exigo, cum conversationem tuam vulgus agnoscat? Tu perfectus sine infirmitate, tu omnem legis sarcinam ferre possibilis , tu, inquam , homo inflate, sed vacue : audi , si dignaris Dominum Salvatorem , te , si tamen hoc poteris, ad sancta revocantem : *Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei, velut infans, non intrabit illud* (*Marc.* x , 15). Infans nihil in se habet, nisi quod diligit blandientem, et quod panem suum non in sudore suo, sed in precibus sperans alimoniam vitæ, simplici petitione consequitur, quam fiduciali opere non meretur : qua tu comparatione commonitus, convertere ad infantiam, ut revertaris ad vitam.

32. Et quoniam superius dixeram, de possibilitate oneris sustinendi, tuum primum sensum discutio : et meum postea si videatur, explano. Mea sententia est, quia et in hoc quoque peccamus, qui cum infirmi sumus, de infirmitate conquerimur, [a hanc esse intentionem legis arguentis, ut propter illa, quæ perperam fiunt, confugiatur ad gratiam Domini miserantis, velut pædagogo concludente b in eamdem fidem, quæ postea revelata est : ubi et remittantur quæ male fiunt, et eadem gratia juvante non fiant. c Proficiscentium est enim via, quamvis bene proficiscentes dicantur perfecti viatores : **623** illa est autem perfectio summa, cui nihil addatur, cum id quo tenditur, cœperit possideri.

33. Jam vero illud d quod eis dicitur, « ipse tu sine peccato es? » revera non pertinet ad eam rem, de qua vertitur quæstio : sed quod dicit « negligentiæ suæ potius imputari, quod non est sine peccato, » bene quidem dicit, sed dignetur inde et orare e Dominum, ne illi hæc iniqua negligentia dominetur. Quam rogabat quidam quando dicebat : *Itinera mea dirige secundum verbum tuum, et ne dominetur mihi omnis iniquitas* (*Psal.* cxviii, 133) : ne dum suæ diligentiæ quasi propriis viribus fidit, neque hic ad veram justitiam, neque illic, ubi sine dubio perfecta desideranda est et speranda, perveniat.

34. Et illud quod eis a quibusdam dicitur, nusquam esse scriptum his omnino verbis, posse esse hominem sine peccato, facile refellit : quia non f tibi est quæstio, quibus verbis dicatur quæque sententia. Non tamen fortasse sine causa, cum aliquoties in Scripturis inveniatur, homines dictos esse *sine querela* (*Luc.* i, 6) : non invenitur, qui dictus sit sine peccato : nisi unus solus, de quo aperte dictum est, *eum qui non noverat peccatum* (II *Cor.* v, 20). Et eo loco ubi de sacerdotibus sanctis agebatur. *Etenim expertus est omnia, secundum similitudinem sine peccato* (*Heb.* iv, 15) : in illa scilicet carne, quæ habebat similitudinem carnis peccati, quamvis non esset caro peccati. Jam illud quomodo accipiendum sit : *Omnis qui natus est ex Deo non peccat, et non potest peccare, quia semen ejus in ipso manet* (I *Joan.* iii, 9) : cum ipse apostolus Joannes, quasi non sit natus ex Deo, aut eis loqueretur, qui nondum essent nati ex Deo, aperte posuerit. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* i, 8) : in libris quos g ad Marcellium de hac re scripsi, sicut potui explicare curavi. Et illud quod dictum est, *Non potest peccare*, pro eo dictum est, ac si diceretur, non debet peccare : non improbanda mihi videtur hujus assertio. Quis enim insanus dicat debere peccari, cum ideo sit peccatum, quia non debet fieri?

35. Sane quod apostolus Jacobus ait: *Linguam autem* **624** *nullus hominum domare potest* (*Jacob.* iii, 8) :

[a] Hæc quæ sequuntur, uncinis inclusa, usque ad medium numerum, 46 prætermittit Gallandius, sic de omissione rationem reddens : « Hic, post verba *de infirmitate conquerimur*, intrusum erat longum excerptum ex libro S. Augustini *de Natura et Gratia, contra Pelagium*, ut advertit Schottus : nimirum ab his verbis cap. 12, *hanc esse intentionem legis arguentis*, usque ad ea cap. 19, *Quomodo potuit vitiare animam tuam quod substantia caret?* Quibus rursus subduntur quæ exstant ibidem sub initium cap. 3, *Medico indiget, quia sana non est*, usque ad illa : *Scripturas utique non advertens novi Testamenti, ubi dicimus* (forte *diximus*) *hanc esse intentionem legis arguentis*, modo allata. Haud equidem existimarim hæc Augustiniana, suppresso S. Patris nomine, suis intexisse Orosium; sed ista potius insarserit librarius, dictorum S. Doctoris ordinem fortasse invertens, ne fraus detegeretur. Utcumque sit Schottum secuti, Augustiniana excerpta ex Orosii opusculo avulsa; mox subjicienda curavimus, collata cum edit. BB. tom. X, p. 129 seqq. Secus vero Havercamp., qui Augustiniana minime agnoscens, tamquam Orosiana omnia venditavit. » Ita ille. Extrahens consequenter longum, ut ait, excerptum, id collocat in appendice ad Tractatum. Nobis vero videtur sat admonere de casu lectorem, Gallandii cæterum notas non prætermissuri.

[b] Edit. BB. opp. Aug. tom. X, lib. de Natura et Gratia cap. 13, *in eadem fide*. Sed Orosiana lectio magis accedit ad textum Pauli, Gal. iii, 23. GALLAND.

[c] *Proficientium.... proficientes*. Sic legimus cum BB.; et Schottus quem assectatur Havercampus, *Proficiscientium.... proficiscentes* : mendose ut videtur. GALLAND.

[d] *Quod ei*. Am., Er. et plerique mss. hic et cap. seq., *quod eis*. BENED. —Atque ita sane legunt Schot. et Havercamp. GALLAND.

[e] *Deum*. Sic BB. Schottus vero cum Havercamp., *Dominum*. Mox iidem male, *Quam rogabat..... et ne dominetur*. GALLAND.

[f] *Ibi... quæcumque*. BB. sequimur. Schottus quoque recte habet *ibi*. Male Havercampus, *tibi*. Uterque vero editor *quæque*. GALLAND.

[g] *Ad Marcellinum*. Lib. II de Peccat. Meritis et Remiss. cap. 8. Mendose Schottus *ad Marcellium* : quem errorem facile corrigere poterat Havercampus, simulque advertere non hic Orosium, sed Augustinum loqui. GALLAND.

non mihi videtur ita intelligendum, [a] « quasi per exprobrationem dictum, tamquam diceretur : Ergone linguam nullus hominum domare potest? Tamquam objurgans et dicens : Domare feras potestis, linguam non potestis? Quasi facilius sit linguam domare, quam feras. » Non puto quod iste sit sensus in hoc loco. Si enim id sentiri vellet de facilitate domandæ linguæ, cætera sequerentur in bestiarum comparatione. Nunc vero sequitur : « Inquietum malum, plena veneno mortifero » utique nocentiore, quam bestiarum atque serpentum. Nam illud carnem interficit : hoc vero animam. *Os* enim *quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Non ergo quasi id esset facilius, quam mansuefactio bestiarum sanctus Jacobus illam sententiam pronuntiavit, aut ea voce voluit pronuntiari : sed potius ostendens, quantum sit in homine linguæ malum, ut a nullo homine domari possit, cum ab hominibus domentur et bestiæ. Neque hoc ideo dixit, ut hujus in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur : sed ut ad domandam linguam divinæ gratiæ poscamus auxilium. Non enim ait : Linguam nullus domare potest, sed *nullus hominum :* ut cum domatur, Dei misericordia, Dei adjutorio, Dei gratia, fieri fateamur : conetur ergo anima domare linguam, et dum conatur, poscat auxilium : et oret lingua, ut dometur lingua, donante illo qui dixit ad suos : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 20). Itaque præcepto facere commonemur : quod conantes et nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.

36. Proinde et ipse cum exaggerasset linguæ malum, inter hæc dicens : *Non oportet fratres mei hæc ita fieri* (*Jac.* III, 10) : continuo monuit, consummatis his, quæ hinc dicebat, quo adjutorio ista non fierent, quæ dixit fieri non oportere. *Quis sapiens,* inquit, *et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quod si zelum amarum habetis et contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari et mendaces esse adversum veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et* **625** *contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiæ et fructibus bonis, non judicans, sine* [b] *æmulatione* (*Ibid.*, 13-17). Hæc est sapientia, quæ linguam domat, desursum descendens, non ab humano corde prosiliens. An et istam quisque abrogare audet gratiæ Dei, et [c] tam superba vanitate ponet in hominis potestate? Cur ergo oratur, ut accipiatur, si ab homine est, ut habeatur? An et huic orationi contradicitur, [d] ne fiat injuria libero arbitrio? Quod si sibi sufficit possibilitate naturæ ad implenda omnia præcepta justitiæ, contradicatur ergo et eidem apostolo Jacobo admonenti et dicenti : *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans* (*Jac.* I, 5, 6). Hæc est fides ad quam præcepta compellunt : ut lex imperet, fides impetret, [e] *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). Non enim et hoc iste Apostolus alio modo pronuntiavit, sicut et illud quod ait : « Linguam nullus hominum domare potest. »

37. Nec illud quisquam istis pro impossibilitate non peccandi similiter objecerit quod dictum est : *Sapientia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest : qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt* (*Rom.* VIII, 7, 8). Sapientiam quippe carnis dixit, non sapientiam desursum descendentem : et in carne esse non eos, qui nondum de corpore exierunt, sed eos, qui secundum carnem vivunt, significatos esse, manifestum est. Non autem ibi est quæstio, quæ versatur. Illud est quod exspecto ab isto audire : [f] si qui secundum spiritum vivunt, et ob hoc etiam hic adhuc viventes jam quodammodo in carne non sunt, utrum gratia Dei vivant secundum spiritum; an sibi sufficiant, jam data cum [g] crearentur possibilitate naturæ in sua propria voluntate : *cum plenitudo legis non sit* nisi *charitas* (*Rom.* VIII, 10), et *charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris* (*Rom.* V, 5), non per nosmetipsos, sed *per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Tractat etiam iste de peccatis ignorantiæ, et dicit « hominem prævigilare debere ne ignoret, ideoque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentia sua quod adhibita diligentia **626** scire debuisset : » dum tamen omnia potius disputet, quam ut oret, [h] dicat : *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua* (*Psal.* CXVIII, 75). Aliud enim est non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari : Aliud intelligere velle, nec posse, et facere contra legem, non intelligendo quæ fieri velit : Unde admonemur petere a Deo sapientiam, *qui dat omnibus affluenter* (*Jac.* I, 5) : utique his omnibus, qui sic petunt, et tantum petunt, quomodo et quantum res tanta petenda est.

38. « Divinitus tamen expianda esse peccata commissa, et pro eis Dominum exorandum » fatetur,

[a] Ita Schottus. Gallandius addit, ex ed. BB., *ut exponere voluit.*

[b] BB. et Galland., *simulatione.*

[c] *Et eam superbissima vanitate.* Ita legunt BB. Uterque editor perperam, *et tam superba.* GALLAND.

[d] BB., quibus assentit Galland., sic interpungi volunt, ne fiat injuria libero arbitrio, quod.

[e] Hic Galland. cum BB. addit pericopen, *impetret. Per linguam enim quam nullus hominum domare potest, sed sapientia desursum descendens.* Subditque notam : « Hæc improvide omittunt Schottus et Havercamp. Paulo ante apud ipsos, *fides impetret,* prætermissa conjunctione *et,* minus recte. »

[f] BB. et Galland., *si possim eos qui,* etc.

[g] Ita editor uterque. At BB. *creantur,* quod minus placet. GALLAND.

[h] Hic item omittunt conjunctionem *et* Schottus et Havercamp. Idem paulo post, *quæ fieri velis.* GALLAND.

propter veniam scilicet promerendam : quia id quod factum est, facere infectum multum ab isto laudata potentia illa naturæ et voluntas hominis, etiam ipso fatente, non potest. Quare hac necessitate restat ut oret ignosci : ut autem adjuvetur ne peccet, nusquam dixit, non hic legi. Mirum de hac re omnino silentium, cum oratio Dominica utrumque petendum esse commoneat : et ut dimittantur nobis debita nostra, et ut non [a] inducamur in tentationem (*Matth.* VI, 12, 13). Illud ut præterita expientur : hoc ut futura vitentur. Quod licet non fiat, nisi voluntas adsit : tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit. Ideo pro hac re, nec superflua, nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius, quam orare ut facias, quod in potestate habeas?

39. Jam nunc videte quod ad rem maxime pertinet, quomodo humanam naturam tamquam omnino sine vitio ullo sit, conatur ostendere : et contra apertissimas Scripturas Dei luctetur sapientia verbi, qua evacuatur crux Christi (I *Cor.* I, 17). Sed plane illa non evacuabitur, ista potius sapientia subvertetur. Nam cum hoc ostenderimus, aderit fortasse misericordia Dei, ut et ipsum hæc dixisse pœniteat. « Primo, inquit, de eo disputandum est : quod per peccatum debilitata dicitur et immutata natura. Unde ante omnia quærendum puto, inquit, quid sit peccatum : substantia aliqua, an [b] omni substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur. » Deinde adjungit : « Credo ita est. Et si ita est, inquit, quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod substantia caret? » Videte, quæso, quomodo nesciens nitatur evertere **627** medicinalium eloquiorum saluberrimas voces : *Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5). Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum? Porro si est quod sanetur, unde vitiatum est? Audis confitentem, quid desideras disputantem? *Sana*, inquit, *animam meam*. Ab illo quære unde vitiatum sit, quod sanari rogat : et audi quod sequitur : *quoniam peccavi tibi*. Hunc iste interroget, ab isto quærat, quod quærendum putat, et dicat : O tu, qui clamas, *sana animam meam, quoniam peccavi, quid est peccatum?* Substantia aliqua, an omni substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed tantum perperam facti actus exprimitur? Respondit ille : « Ita est, ut dicis. Non est peccatum aliqua substantia, sed tantum hoc nomine perperam facti actus exprimitur. » Et contra iste. Quid ergo clamas, *sana animam meam quoniam peccavi tibi?* Quomodo potuit vitiari anima tua? [c] Medico indiget : quia sana non est. Omnia quidem bona quæ habet in formatione, vita, [d] sensu, mente, a summo Deo habet, creatore et artifice suo, vitium vero quod ista naturalia bona contenebrat et infirmat, ut illuminatione et curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato quod commissum est libero arbitrio : ac per hoc natura pœnalis ad vindictam justissimam pertinet. [e] *Si* enim jam sumus *in Christo nova creatura* (II *Cor.* V, 17) : tamen *eramus natura filii iræ sicut et cæteri. Deus autem qui dives est in misericordia propter multam dilectionem, qua dilexit nos cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo : cujus gratia sumus salvi facti.* (*Ephes.* II, 2-5).

40. Hæc [f] igitur gratia Christi, sine qua nec infantes nec ætate grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur : propter quod et gratia nominatur : *Justificati*, inquit, *gratis, per sanguinem ipsius* (*Rom.* III, 24). Unde hi qui non per illam liberantur, sive quia audire nondum potuerunt, sive quia obedire noluerunt, sive etiam cum per ætatem audire non possent, lavacrum regenerationis quod accipere possent, per quod salvi fierent, **628** non acceperunt, juste utique damnantur : quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt : vel quod malis moribus addiderunt. *Omnes enim peccaverunt*, sive in Adam, sive in seipsis : *et egent gloria Dei* (*Ibid.*, 23).

41. Universa igitur massa pœnas debet. Et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste proculdubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur : non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur. Cujus misericordiæ? nisi illius *qui Christum Jesum misit in hunc mundum peccatores salvos facere* (I *Tim.* I, 15), *quos præscivit et prædestinavit, et vocavit, et justificavit, et glorificavit* (*Rom.* VIII, 29, 30). Quis igitur usque adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiæ, quos voluit, liberantis, qui recte nullo modo possent culpare justitiam, universos omnino damnantis : Hoc si secundum Scripturas sapiamus, non cogimur contra Christianam gratiam disputare, et ea dicere, quibus demonstrare conemur naturam humanam neque in parvulis medico indigere, quia sana est, et in majoribus sibi ipsam ad justitiam si velit, posse sufficere. Acute ipsi videntur hæc dicere : sed *in sapientia Verbi, qua evacuatur crux Christi* (I *Cor.* I, 17). *Non est ista sapientia desursum descendens* (*Jac.* III, 15). Nolo quod sequitur dicere, ne amicis nostris quorum fortissima et [g] acerrima ingenia, non in perversum, sed in directum currere volumus, facere existimemur injuriam.

[a] BB. et Galland., *inferamur*.
[b] BB. et Galland., *omnino substantia*.
[c] Hæc ex citato Augustini libro cap. 3, quæ ut præcedentibus consociaret excerptor, Augustiniana contraxit. Sic enim S. Doctor sub finem cap. 19, *quomodo potuit vitiare animam tuam, quod substantia caret?* GALLAND.
[d] BB. et Galland., *sensibus*.
[e] BB. legendum *etsi* conjiciunt. GALLAND.
[f] Ita Schottus. BB. et Galland., *Hæc autem*.
[g] *Celerrima*. Sic BB. Quæ quidem lectio concinit cum seq., *currere*. At Schott. et Havercamp., *acerrima*. GALLAND.

42. Quanto igitur [a] majore zelo accensus est libri hujus quem misistis conditor, adversus eos qui peccatis suis patrocinium de natura humanæ infirmitatis perquirunt : tanto et multo ardentiore zelo nos oportet accendi, ne evacuetur crux Christi : Evacuatur autem, si aliquo modo præter illius sacramentum ad justitiam vitamque æternam perveniri posse dicatur, quod in libro isto agitur, nolo dicere ab sciente, ne illum qui eum scripsit, ne Christianum quidem habendum judicem, sed [b] quidem magis credo a nesciente, magnis sane viribus, sed eas sanas volo, non quales phrenetici habere consueverunt. Nam prius distinguit, « aliud esse quærere an possit aliquid esse quod ad solam possibilitatem pertinet : aliud, utrumne sit. » Hanc distinctionem veram esse nemo ambigit : consequens enim est, **629** ut quod est, esse potuerit: non est autem consequens, ut, quod esse potest, etiam sit. Quia enim Dominus Lazarum suscitavit, sine dubio, potuit : [c] quia vero Judam non suscitavit, numquid dicendum est, non potuit? Potuit ergo, sed noluit. Nam si voluisset, etiam hoc eadem potestate fecisset : quia *et Filius, quos vult vivificat* (*Joan.* v, 21). Sed hac distinctione vera atque manifesta quo tendat, et quid efficere conetur, advertite. « Nos, inquit, de sola possibilitate tractamus : de qua nisi quid certum constiterit, transgredi ad aliud gravissimum esse atque extra ordinem [d] dicimus. » Hoc versat multis modis et sermone diuturno : ne quis eum aliud, quam de non peccandi possibilitate quærere existimet. Unde inter multa quibus id agit, etiam hoc dicit. « Idem iterum repeto. Ego dico posse esse hominem sine peccato. Tu quid dicis? Non posse esse hominem sine peccato? De posse, et non posse : non de esse, et non esse contendimus. » Deinde nonnulla eorum, quæ adversus eos de Scripturis proferri solent, ad istam quæstionem non pertinere, in qua quæritur, possitne an non possit homo esse sine peccato, jam commemorat : « Nam *nullus*, inquit, *mundus est a sorde* (*Job.* XIV, 4, *sec. LXX*), et *non est homo, qui non peccet* (III *Reg.* VIII, 46), et *non est justus in terra* (*Eccle.* VII, 21), et *non est, qui faciat bonum* (*Psal.* XIII, 1), et cætera his similia, inquit, ad non esse, non ad non posse proficiunt. Hujusmodi enim exemplis ostenditur, quales homines quidam tempore aliquo fuerint : non quod aliud esse non potuerint. Unde et jure inveniuntur esse culpabiles. Nam si idcirco tales fuerunt, quia aliud esse non potuerunt, culpa carent. »

43. Videte quid dixerit. Ego autem dico parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per [e] baptismum subveniri morte præventum, idcirco talem fuisse, id est, sine lavacro regenerationis exisse, quia esse aliud non potuit. Absolvat ergo eum et aperiat ei contra sententiam Domini regnum cœlorum (*Joan.* III, 1). Sed non eum absolvit Apostolus, qui ait : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12). Recte ergo ea damnatione, **630** quæ per universam massam currit, non admittitur, in regnum cœlorum : quamvis Christianus non solum non fuerit, sed nec esse potuerit.

44. Sed « non damnatur, inquiunt, quia in Adam peccasse omnes, non propter peccatum nascendi origine attractum, sed propter imitationem » dictum est. Si ergo ideo dicitur Adam auctor omnium, qui subsecuti sunt, peccatorum, quia primus in hominibus peccator fuit : cur non potius Abel, quam Christus, ponitur caput hominum justorum, quia primus in hominibus fuit justus? Sed de infante non loquor. Juvenis vel senex in ea regione defunctus est, ubi non potuit Christi nomen audire, potuit fieri justus per naturam et liberum arbitrium, an non potuit? Si potuisse dicunt, ecce quod est crucem Christi evacuare, [f] si sine illa quemquam per naturalem legem et voluntatis arbitrium justificari posse contendere (I *Cor.* I, 17). Dicamus et hic, *ergo Christus gratis mortuus est* (*Gal.* II, 21). Hoc enim omnes possent, etiamsi mortuus ille non esset. Et, si [g] justi essent, quia vellent, essent : non, quia justi esse non possent : Si autem sine Christi gratia justificari omnino non potuit, etiam justum, si audet, absolvat secundum verba sua : « quia idcirco talis fuit, quod alius esse non potuit, culpa caruit.

45. Sed objicit sibi quasi ab alio dictum, et ait : « Potest quidem esse, sed per Dei gratiam. » Deinde, velut respondendo, subjungit : « Ago humanitati tuæ gratias, quod assertionem meam, quam dudum oppugnabas, non modo non oppugnare aut [h] non confiteri solum contentus non es, verum etiam non refugis comprobare. Nam dicere, potest quidem, [i] sed per illum, aut per illud, quid aliud est, quam non solum consentire quod posset esse, verum etiam quomodo vel qualiter posset ostendere? Nullus itaque magis alius rei possibilitatem approbat, quam qui ejus etiam qualitatem fatetur, quia nec absque re qualitas esse potest. » His dictis : iterum sibi objicit. « Sed tu, inquies, hoc in loco Dei gratiam, quandoquidem eam non commemoras, videris abnuere. » Deinde respondet : « Egone abnuo, qui rem

[a] BB. et Galland. omittunt *majore*.
[b] Ita Schottus. BB. et Galland., *sed quod*.
[c] Hunc locum laudatum explicatumque a Petro Lombardo in I Sent., dist., 43, cap. ult., monent BB. GALLAND.
[d] BB. et Galland., *ducimus*.
[e] BB. et Galland. addunt vocem *Christi*. Ut nos Schottus.
[f] Puto scribendum, *scilicet sine illa*, etc. HAVERCAMP. — BB. et Galland., *evacuare sine illa*.
[g] *Injusti*. Ita BB.; sed Schott. et Havercamp., *justi*. Mox, *quia idcirco*, absque *si*. Et paulo post, *sed per Dei gratiam*, omisso *inquies*. Hæc omnia ex BB. edit. restituimus. GALLAND.
[h] Ita Am., Er. et aliquot mss. Sic quoque Schottus. BB. autem et Galland., *aut non confiteri*.
[i] Ita Schottus. BB. et Galland., *sed per illud aut illud*. Mox iidem *quod possit esse.... vel qualiter possit*. Et paulo post, *alicujus rei*.

confitendo, confitear necesse, et per quod effici res potest : an tu, qui rem negando, et quidquid illud est, per quod res efficitur, procul dubio negas? » Oblitus est jam se illi respondere, qui rem non negat, cujus objectionem paulo ante proposuerat, dicentis : « Potest **631** quidem esse, sed per Dei gratiam. » Quomodo ergo illam, pro qua iste multum laborat, possibilitatem negat, qui [a] etiam dicit : « Potest esse, sed per Dei gratiam ? » Verumtamen quia isto dimisso, qui rem jam confitetur, agit adhuc adversus eos, qui negant esse possibile hominem esse sine peccato, quid ad nos ? Contra quos vult agat, dum tamen hoc confiteatur, quod impietate scelleratissima negatur, sine gratia Dei hominem sine peccato esse non posse. Dicit ergo, « Sive per gratiam, sive per adjutorium, sive per misericordiam, et quidquid illud est, per quod esse homo absque peccato potest, confitetur, quisquis rem ipsam fatetur. »

46. Fateor dilectioni vestræ cum ista legerem, lætitia repente perfusus sum, quod Dei gratiam non negaret, per quam solam homo justificari potest, hoc enim in disputationibus talium maxime detestor et horreo, sed pergens legere cætera, primo ex datis similitudinibus cœpi habere suspectum. Ait enim : « [b] Nunc si dixero, homo disputare potest, avis volare, lepus currere, et non etiam per quæ hæc effici possint commemoravero, id est, linguam, alas, pedes : num ego officiorum qualitates negavi, qui officia ipsa confessus sum ? » Videtur certe hæc cum commemorasse, quæ natura valent, creata sunt enim hæc membra hujusmodi naturis, lingua, alæ, pedes, non tale aliquid posuit, quale de gratia intelligi volumus, sine qua homo non justificatur : ubi de sanandis, non de instituendis naturis agitur. Hinc jam [c] ego sollicitus cœpi legere et cætera, et me non falso comperi suspicatum : quo priusquam veniam, videte quid dixerit. Cum tractaret quæstionem de differentia peccatorum, et objiceret sibi, « [d] quod quædam sæpe irruant, non posse cuncta vitari ; » negavit debere « argui, ne levi quidem correptione, si vitari omnino non possunt : » Scripturas utique non advertens novi Testamenti ubi [e] didicimus], sicut Apostolus ait : *Numquid dicet figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic* (*Rom.* IX, 20) ? Infirmitatis ei querela propriæ virtutis ambitio est, quoniam occulte adjutorium Dei fastidit, qui peculiarem fortitudinem quærit. Et hic diabolus est, qui dicit, viribus faciam. Ego autem secundum Apostolum, **632** *gloriabor* semper *in infirmitatibus meis* (II *Cor.* XII, 9) : ut semper dicat cor meum Deo : *In velamento alarum tuarum exsultabo, adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua* (*Psal.* LXII, 8). Unde et scriptum est : *Postulationes vestræ innotescant coram Deo : et pax Dei quæ superat omnem mentem, custodiat corda et corpora vestra in Christo Jesu* (*Philipp.* IV, 6, 7). Habeo itaque infirmitatem : et gaudeo in cognitione infirmitatis meæ. *Cum enim infirmor, tunc potens sum* (II *Cor.* XII, 10) : potentem invocando Deum, qui me exaudit infirmum, qui nobis fidelissime repromisit : *Ego autem vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Peculiare opus infirmitatis est, in omni loco semper orare, ut omnipotens Deus, qui spopondit non deserere, etiam juvare non cesset. Ecce enim Scriptura clamat infirmis : *Quærite Dominum et confirmamini : quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 4). Cui respondet vera et pia confessio : *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri* (*Psal.* CXXII, 2). Magna et certa est de perfectione fiducia, cum omnipotens facit quod optat infirmus. Rursusque magna et certa est de confirmatione securitas, cum omnipotens servat, nec perdit infirmos, sicut scriptum est : *Ei autem qui potest omnia abundantius facere quam petimus et intelligimus, secundum virtutem qua operatur in nobis : ipsi gloria in Christo Jesu* (*Ephes.* III, 20, 21). Quamobrem admonet Apostolus : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram : mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso, in gloria* (*Coloss.* III, 2-4).

47. Vitæ fructus est sanctitas : sanctitas vero est, esse sine peccato. Si ergo incorruptionis gloria abscondita est ab omnibus hominibus in hoc tempore, tu quomodo hoc eodem tempore ipsa incorruptione posse te superindui gloriaris? Sicut enim corruptionis principium fuit homini declinare in peccatum, ita incorruptionis initium erit, non habere peccatum. Quis ergo illud ante judicium Dei abscondit, aut de sinu Christi abstulit, et tibi tradidit? An forte quia non meretur eam **633** in futuro de manu Domini intelligis? Hæc præsummus instruit Paulus, et dicit : *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem : tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est* (I *Cor.* XV, 54-56). Per quod ostendit Apostolus, nullo modo eatenus quemquam insultare posse morti atque peccato, donec mortalitatem immortalitas, et corruptionem incorruptio consequatur : et ubi infirmitate deleta virtus perfecta succedit, ubi non erit masculus et femina, sed erunt omnes similes angelis Dei. Porro autem si quis jam in tantum cumulum sanctitatis excrescit, ut vivens in hac carne, vel masculum se

[a] Ita Schottus. BB. et Galland., *ei jam.*
[b] Ita Schottus. BB. et Galland., *Nam.*
[c] Hic quoque Schotto assentimur. Galland. vero BB. sequens, *ergo.... legere cætera.*
[d] Ed. BB. legit aliter hunc locum, scilicet, quod quidam dicunt, levia quædam peccata ipsa multitudine, *quod sæpe irruant*, etc. Sic quoque habent Schott. et Galland., qui differentiam memorans dicit : « At Havercampus, *quod quædam sæpe irruant*, etc. Scilicet perperam *quædam* pro *quidam*, atque intermedia usque ad *sæpe irruant* oscitanter omissa. »
[e] *Dicimus.* Ita BB., qui tamen conjiciunt legendum *discimus.* Schott. et Havercamp., *didicimus.* Post *dicimus*, statim legimus apud Augustinum, *hanc esse intentionem*, etc., quæ initio hujus excerpti habentur, ut eo loci monuimus. GALLAND.

esse, vel feminam nesciat, si jam plenissima sui puritate percepta, nec habens vestimenta sordida, similis est angelis Dei, et si jam illa quæ promissa est sanctis in speciem solis claritate circumdatur, digne hanc perfectionem non voce, sed habitu profitetur. Verumtamen præsumptio ista perditio est: quin potius hujusmodi homini expedit, ut non suum cor, sed Paulum, magistrum gentium, audiat et sequatur, simulque oret cum eo, cui oranti respondeat Dominus: *Sufficit tibi gratia mea: virtus autem in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 9).

48. Itaque quod solum et in quo solo liberum arbitrium proficit: præbeat se unusquisque nostrum Deo terram voluntariam: *Dei autem agricultura sumus: Dei ædificatio sumus* (I *Cor.* III, 9). Mittat in agrum suum semen verbum, credat in corde, ipse plantet, ipse riget, ipse fecundet, ipse tribuat incrementum, qui est verus agricola. Quod solum tamen in nobis potest voluntaria devotio, ad continendam in se radicem seminis et nutriendos uberes partus fideliter subministret, semperque orationibus suis agricolam suum, ne inimicus zizania superseminare possit, exsuscitet. Hæc sit ejus in opere Dei cooperatio, cum spe non dubia et charitate sincera. Ait enim Dominus Jesus: *Ego sum vitis, vos estis palmites* (*Joan.* XV, 5): quodcumque habet, de vite habet. *Non enim*, inquit Apostolus, *tu radicem portas, sed radix te* (*Rom.* XI, 18). Quid se ergo extollit **634** in fructibus, qui videntur in eo, cum totum pertineat ad vitem, non solum ut possit, verum etiam ut sit? Alioquin *excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III, 10). Non enim palmes, sed vitis potest: et quod vitis potest, palmes ostendit. Sufficit ergo unicuique ut habeat. At vero unde et ubi habeat, et humiliter agnoscat, et patienter expetat: ne dum non habet, et habere se credit, idipsum quod habet auferatur ab eo. Primum hominem peccantem de paradiso ejecit Deus, deinde in cruce credentem primum in paradisum Christus induxit. Merito ergo quamdiu in paradiso non sum, et in terra peregrinationis Adæ maneo, sine peccato me esse non credo. Si autem in paradisum gratia Dei traductus fuero: ibi perfectione mea, et morte superata, peccatoque deleto, æternam in conspectu Dei potentiæ ejus gloriam prædicabo. Hæc ergo ut potui, beatissimi sacerdotes, causa fidei et simplicitatis exposui. Non mihi succenseant, qui læserunt, si in aliquo per comparationes nominum [a] titulantur. De quæstionibus vero æquanimiter ferant, magisque, si timorem Dei habent, gaudeant responsum fuisse quod verum est. Ego, teste Jesu Christo, odisse me fatcor hæresim, non hæreticum: sed, sicut justum est, interim propter hæresim, hæreticum vito: quia et prohibui, et corripui. Detestetur et damnet, ore pariter ac manu, et cunctis fraternitatis vinculo hærebit: quia scriptum est: *Invicem onera vestra portate: et sic adimplebitis legem Christi* (*Matth.* XIII, 12).

[a] Forte *titillantur*. SCHOTT.

OROSII AD AUGUSTINUM

CONSULTATIO SIVE COMMONITORIUM

DE ERRORE PRISCILLIANISTARUM ET ORIGENISTARUM.

(*Non habetur in ed. Havercampi hæc Consultatio, quam excerpsimus cum notis ex Gallandii Biblioth. tom.* IX.)

Beatissimo patri AUGUSTINO episcopo OROSIUS.

1. Jam quidem suggesseram sanctitati tuæ, sed Commonitorium suggestæ rei tunc offerre meditabar, cum te expeditum animo ab aliis dictandi necessitatibus esse sensissem. Sed quoniam domini mei, filii tui, Eutropius et Paulus episcopi, eadem qua et ego [a] puer vester, salutis omnium utilitate permoti, commonitorium jam dederunt de aliquantis hæresibus, nec tamen omnes significarunt; necesse fuit me festinato edere et coacervare in unum omnes perditionum arbores cum radicibus et ramis suis, et offerre ignienti spiritui tuo, ut tu viso agmine perspectaque nequitia, permetiaris [b] quam possis dispositionem adhibere virtutis. Tu tantum, beatissime pater, malignas aliorum plantationes vel insertiones erue atque succide, et veram sparge sementem, nobis de tuis fontibus rigaturis. Ego testem Deum spondeo, et incrementum operis tui spero, quia terra illa quæ nunc ingratos fructus [c] insincere culta exhibet, si eam de manna illo recondito tu apud me mandando et replendo visitaveris, usque in centesimum fructum profusa aliquando liberius ubertate proficiet. Per te Dominus Deus noster, per te, inquam, beate Pater, quos castigavit in gladio emendet in verbo. Ad te per Deum missus sum; de te per eum spero, dum considero qualiter actum est, quod huc venirem. Agnosco cur venerim: sine voluntate, sine necessitate, sine consensu de patria egressus sum, occulta quadam vi actus, donec in istius

[a] Forte, *presbyter*.

[b] Vaticani codices, *qua possis dispositione studium adhibere virtutis*.

[c] Editi, *in sincera cultura exhibet, si eamdem anno illo recondito apud te mandando*. Castigantur subsidio ms. Sigiramnensis, seu S. Cigiranni.

terræ littus allatus sum. Hic demum in eum resipui intellectum, quod ad te venire mandabar. Impudentem non judices, si accipis confitentem. Fac me ad [a] dilectam dominam meam idoneum negotiatorem, inventa margarita (*Matth.* XIII, 46), non fugitivum servum, eversa substantia, reverti. Dilacerati gravius a doctoribus pravis, quam a cruentissimis hostibus sumus. Nos confitemur offensam : tu pervides plagam : quod solum superest, adjuvante Domino, largire medicinam. Breviter ergo et quid ante male plantatum convaluit, et quid postea pejus inserium prævaluit, ostendam.

2. Priscillianus, primum in eo Manichæis miserior, quod ex veteri quoque Testamento hæresim confirmavit, docens animam quæ a Deo nata sit, de quodam promptuario procedere, profiteri ante Deum se pugnaturam, instrui [b] adhortatu angelorum : dehinc descendentem per quosdam circulos a principatibus malignis capi, et secundum voluntatem victoris principis in corpora diversa contrudi, eisque ascribi chirographum. Unde et Mathesim prævalere firmabat, asserens quod hoc chirographum solverit Christus, et affixerit cruci per passionem suam : sicut ipse Priscillianus in quadam epistola sua dicit : « Hæc prima sapientia est, in animarum typis divinarum virtutum intelligere naturas, et corporis dispositionem. In qua obligatum cœlum videtur et terra, omnesque principatus sæculi videntur astricti sanctorum dispositiones superare. Nam primum Dei circulum et mittendarum in carne animarum divinum chirographum, angelorum et Dei et omnium animarum consensibus fabricatum patriarchæ tenent, [c] qui contra formalis militiæ opus possident : » et reliqua. Tradidit autem nomina patriarcharum membra esse animæ, eo quod esset Ruben in capite, Juda in pectore, Levi in corde, Benjamin in femoribus : et similia. Contra autem in membris corporis, cœli signa esse disposita, id est, arietem in capite, taurum in cervice, geminos in brachiis, cancrum in pectore, etc. Volens subintelligi tenebras æternas, et ex his principem mundi processisse. Et hoc ipsum confirmans ex libro quodam, qui inscribitur Memoria apostolorum, ubi Salvator interrogari a discipulis videtur secreto, et ostendere, quia de parabola evangelica quæ habet : *Exiit seminans seminare semen suum* (*Matth.* XIII, 46), non fuerit seminator bonus : asserens, quia si bonus fuisset, non fuisset negligens; non vel secus viam, vel in petrosis, vel in incultis jaceret semen : volens intelligi hunc esse seminantem, qui animas captas spargeret in corpora diversa quæ vellet. Quo etiam in libro de principe humidorum et de principe ignis plurima dicta sunt, volens intelligi, arte, non potentia Dei, omnia bona agi in hoc mundo. Dicit enim esse virginem quamdam lucem, quam Deus, volens dare pluviam hominibus, principi humidorum ostendat : qui dum eam apprehendere cupit, commotus consudet, et pluviam faciat, et destitutus ab ea, mugitu suo tonitrua concitet. Trinitatem autem solo verbo loquebatur : nam unionem absque ulla existentia aut proprietate asserens, sublato [d] et, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, hunc esse unum Christum dicebat.

3. Tunc duo cives mei, Avitus, et alius Avitus, cum jam tam turpem confusionem per se ipsam veritas sola nudaret, peregrina petierunt. Nam unus Hierosolymam, alius Romam profectus est. Reversi, unus retulit Origenem, alius Victorinum : ex his duobus, alter alteri cessit : Priscillianum tamen ambo damnarunt. Victorinum parum novimus : quia adhuc pene ante editiones suas, Victorini sectator cessit Origeni. Cœperunt ergo ex Origene magnifica plura proponi, quæ ex modica occasione veritas ipsa præcederet. Didicimus enim de Trinitate doctrinam satis sanam, omnia quæ facta essent, a Deo facta esse, et omnia bona valde, et facta de nihilo : tunc deinde scripturarum [e] solutiones satis sobrias. Omnia hæc statim a sapientibus fideli pristinorum expurgatione suscepta sunt. Remansit sola offensa de nihilo. Credere enim persuasum erat esse animam : non tamen persuaderi poterat, factam esse de nihilo : argumentantes, [f] quia voluntas de nihilo esse non possit. Hoc pene usque [g] ad nunc manet. Isti vero Aviti duo, et cum his sanctus Basilius Græcus qui hæc beatissime docebant, quædam ex libris ipsius Origenis non recta, ut [h] nuper intelligo, tradiderunt. Primum omnia ante quam facta apparerent, semper in Dei sapientia facta mansisse dicentes, hoc verbo : Deus enim quæcumque fecit, faciendo non cœpit. Deinde dixerunt angelorum, principatuum, potestatum, animarum ac dæmonum, unum principium, et unam esse substantiam : et vel archangelo, vel animæ, vel dæmoni locum pro meritorum qualitate datum esse, utentes hoc verbo : Majorem locum minor culpa promeruit. Mundum novissime ideo esse factum, ut in eo ani-

[a] Editi, *dilectum dominum meum*. At mss., *dilectam dominam meam* : patriam scilicet, ad quam reverti cupit.

[b] Ita Vaticani mss. At editi, *adoratu*.

[c] Sola editio Lov., *quæ*.

[d] In Vaticanis mss., *sublato et Patre, Filium*, etc.

[e] In iisdem codicibus, *solutione satis sobria, omnia hæc*, etc.

[f] Vir doctissimus Franciscus Florius in Dissertatione 1, ad Bachiarium, § 3, pag. 24, hic legendum conjicit, *quia voluntas* DEI NIHIL *esse non possit*. Ad confirmandam lectionis restitutionem observat idem V. C. sanctum Augustinum quæstionem sibi ab Orosio propositam excutientem, acute probare luculenterque, ex eo quod anima dicatur ex nihilo facta, minime consequi, voluntatem Dei qua facta est, nihil esse. Sancti Doctoris verba ejusmodi sunt lib. contra Priscillianistas et Origenistas, cap. 3. *Cui dicitur*, inquit, *Subest enim tibi, cum voles, posse* (*Sap.* XII, 18), *sive adsit unde fiat, sive non adsit*; *sat est voluntas, ubi summa est potestas. Quomodo ergo in eo quod de nihilo creatur*, VOLUNTAS CREANTIS NIHIL ESSE *perhibetur*; *cum propterea de nihilo creari aliquid possit, quia voluntas creantis etiam sine materia sibi sufficit ?*

[g] Vaticani codices, *usque adhuc manet*.

[h] Sic mss. At editi, *ut nunc per intelligunt*.

mæ purgarentur, quæ ante peccaverunt. Ignem sane æternum quo peccatores puniantur, neque esse ignem verum, neque æternum prædicaverunt, dicentes, dictum esse ignem, propriæ conscientiæ punitionem : æternum autem juxta etymologiam Græcam, non esse perpetuum, etiam Latino testimonio adjecto ; quia dictum sit, *in æternum*, et *in sæculum sæculi* (*Psal.* IX, 6, *et* X , 16) postposuerit æterno : ac sic omnes peccatorum animas post purgationem conscientiæ in unitatem corporis Christi esse redituras. Voluerunt etiam de diabolo asserere, sed non prævaluerunt : eo quod cum substantia in eo bona facta perire non possit, exusta in totum malitia, diaboli aliquando salvandam esse substantiam. De corpore vero Domini sic tradiderunt : quia cum usque ad nos veniens Filius Dei post tot millia annorum, otiosus eo usque non fuerit, sed prædicans remissionem angelis, potestatibus atque universis superioribus, cum qualitatem formæ eorum quos visitaret assumeret, usque ad palpabilitatem carnis assumptionis specie [a] transivisse : hoc passione et resurrectione determinans, rursus donec usque ad Patrem veniret ascendendo tenuasse : ita neque depositum [b] umquam fuisse corpus, nec in corpore ullo regnantem circumscribi Deum. Creaturam quoque subjectam corruptioni (*Rom.* VIII , 20), non volentem, [c] intelligendam esse dicebant, solem et lunam et stellas ; et hæc non elementarios esse fulgores, sed rationales potestates : præbere autem servitium corruptioni, propter eum qui subjecit in spe (*Ibid.*).

4. Hoc, sicut retinere potui, breviter expositum est, ut perspectis omnibus morbis medicinam adhibere festines. Est veritas Christi in me (II *Cor.* XI, 10), quia propter venerabilem reverentiam sanctitatis tuæ esse impudens non auderem, nisi evidenti judicio et ordinatione Dei ad illius tanti et talis populi, cui sicut peccanti plaga imposita est, sic post plagam cura debetur, remedia proferenda te electum , me missum esse cognoscerem. Memor mei, beatissime Pater, multorumque qui mecum velut ros eloquium tuum ut super eos descendat exspectant , esse dignare.

[a] Edit. Amerbachii et Erasmi, *specie crassius se hac passione*, etc.

[b] Vaticani mss. cum Ar. et Er. , *usquam fuisse.*
[c] Am. et Er., *intellectam esse.*

ANNO DOMINI CCCCXXVI.

LEPORIUS,

MONACHUS ET PRESBYTER.

(Ex Biblioth. Vett. Patrum Gallandii, t. IX.)

PROLEGOMENA.

1. Leporius natione Gallus monachum Massiliæ ut videtur primum egit; qui cum in eo monastico instituto vitæ probitate morumque innocentia reliquos antecelleret; ratus deinceps *arbitrio tantum et conatu proprio*, *non Dei adjutorio*, se fuisse id assecutum, Pelagianum dogma profiteri cœpit. Ita de eo testatur Gennadius (*a*). His consona tradit Cassianus (*b*). Neque vero unius Pelagii sectatorem se præbuit Leporius; sed ulterius progressus, in impietatem incidit quam postea Nestorius in Oriente latius propagavit: adeo ut, eodem Cassiano teste (*c*), posterioris hujus hæreseos assertor apud Gallias *inter primos aut inter maximos* fuerit recensitus. Eadem præterea memoriæ consignavit Facundus Hermianensis episcopus (*d*). Scribit autem modo laudatus Collationum auctor (*e*), istiusmodi venenosam pestem ætate sua emersisse *et maxime Beligarum urbe*, sive ut alia fert lectio, *ex maxima Veligarum urbe :* ut propterea incertum sit an Belicam ad Rhodanum in Bressia, an vero Augustam Trevirorum designare voluerit. Sirmondus (*f*) et Garnerius (*g*) posteriori lectioni adhærentes, urbem Trevirensem intelligunt : neque abnuit Tillemontius (*h*). Ea in urbe scilicet errores suos hauserit primum docueritve Leporius, quos

(*a*) *Gennad.* lib. de Vir. illustr. cap. 59.
(*b*) *Cassian.* lib. I de Incarn. cap. 4, pag. 908, edit. Paris. 1642.
(*c*) *Id.* ibid.
(*d*) *Facund.* lib. I, cap. 4 , pag. 422 , edit. Paris. tom. II opp. Sirmond.
(*e*) *Cassian.* l. c. cap. 2, pag. 902.
(*f*) *Sirmond.* opp. tom. I, pag. 345, not. *a*.
(*g*) *Garner.* Dissert. 2 ad Mar. Merc. in Append. August. pag. 145.
(*h*) *Tillem.* tom. XIII, pag. 1040, not. 86 sur S. Augustin.

postmodum in Provinciam regressus quadam in epistola evulgavit, quæ *grave scandalum* peperit *et offendiculum charitatis*, ut ipsemet in suo libello Emendationis fatetur (*a*). Qui tamen, licet a Cassiano aliisque Gallicanis doctoribus ut impietatem ejuraret admonitus, salubre consilium insuper habens, pro sui demum erroris præsumptione merito a Proculo et Cyllinio Gallicanis episcopis ex Ecclesia fuit ejectus. Quod quidem liquet ex epistola patrum Africanorum ad eosdem episcopos, quæ Leporii libello subjicitur.

2. Ille vero ab solo patrio extorris, cum aliquot suæ pravitatis sequacibus in Africam transfretavit: ubi gratia Dei aspirante, Africanorum quorumdam præsulum, sed Augustini præsertim, studio errorem agnovit deposuitque, ac sanam doctrinam est professus. Verum cum in Galliis scandalum pluribus intulisset, epistolam dedit suæ fidei testem ad Proculum et Cyllinium aliosque Galliarum episcopos, quam hac subscriptione firmavit (*b*) : *Ego Leporius libellum meo sensu dictatum, in quo fidem meam, Deo volente, in finem usque tenebo, medullitus exprimere volens coram sanctis episcopis in ecclesia Carthaginiensi relatum subscripsi.* Quo de Libello Leporii Cassianus (*c*) : *Ita*, inquit, *male conceptam persuasionem magnifice condemnavit; ut non minus pene admiranda sit correctio illius, quam illæsa multorum fides: quia primum est, errorem penitus non incurrere; secundum, bene repudiare.* Subditque : *Is ergo in se reversus, non solum in Africa, ubi tunc erat et nunc est, tam errorem suum cum dolore, quam sine pudore confessus est; sed etiam ad omnes admodum Galliæ civitates, flebiles confessionis ac planctus sui litteras dedit : scilicet ut ubi deviatio ejus prius cognita erat, illic etiam emendatio nosceretur; et qui testes erroris antea fuerant, iidem postea correctionis essent.*

3. Porro hujusmodi Leporianum libellum ab Augustino fuisse conscriptum, cum ex stylo tum ex loquendi formulis nonnulli viri docti existimarunt, Garnerius (*d*), Quesnellius (*e*), Tillemontius (*f*) atque operum Norisianorum editores (*g*): iis imprimis permoti rationibus, quod inter testimonia epistolæ S. Leonis 165 subjecta (*h*) Leporii libellus Augustini nomine inscribitur. Idem factitatum, inquiunt, in actione II concilii Chalcedonensis (*i*). Neque aliter legitur apud Theodoritum (*j*). At vero hic advertendum, unum eumdemque esse locum ex Leporii libello desumptum (*k*), qui apud laudatos scriptores occurrit : ut propterea ex una Leonis epistola manasse dicenda sit sententia de libelli Leporiani auctore Augustino. Nam quod attinet ad concilium Chalcedonense, eadem Leonina epistola in eo recitatur. Theodoritus autem, cum eadem verba in medium proferat, illa vero ex eadem Leonis epistola exscripsisse intelligitur. Cæterum magnus ille pontifex haud aliam fortasse ob causam opusculum illud Augustino tribuerit, quam quia noverit fuisse ab eo approbatum suaque subscriptione monitum. Constat enim a quatuor episcopis Afris quos inter eminet Augustinus, fuisse subscriptum libellum : qui præterea ea occasione Proculo et Cyllinnio episcopis Gallis communem scribentes epistolam, inter cætera hæc habent maxime animadvertenda (*l*) : *Sicut*, inquiunt, *per suam præsentiam susceptus est a nobis* (Leporius), *sic per suam epistolam suscipiatur a vobis. Cui quidem epistolæ nostra etiam manu subscribendum putavimus*, IPSIUS ESSE TESTANTES. Ejusmodi autem patrum Africanorum epistola, inquit Sirmondus (*m*), etsi quatuor episcoporum nomine scripta est, sic tamen redolet stylum atque ingenium Augustini, ut ab eo dictatam fuisse dubium non videatur. Estque sane inter Augustinianas recensita (*n*). Sed hac de re consulere juverit eruditos Historiæ litterariæ Gallicæ scriptores (*o*), qui Leporii fetum esse opusculum ejus nomine inscriptum acriter adstruunt.

4. Magnam fuisse apud veteres hujus libelli auctoritatem, ipsiusque parentem Leporium habitum inter fidei catholicæ propugnatores adversus Nestorium comperimus. Id vero constat in primis ex Cassiano qui postquam complura ex eodem libello excerpserit loca, suam his verbis sententiam concludit (*p*) : *Hanc ergo ejus* (Leporii) *confessionem, id est, catholicorum omnium fidem, et omnes Africani episcopi unde scribebat, et omnes Gallicani ad quos scribebat, comprobaverunt. Neque ullus adhuc omnino exstitit, cui fides hæc sine infidelitatis crimine displiceret: quia professio impietatis est, probatam negare fidem.* Præterea Joannes II papa ex eodem Leporiano libello testimonium accepit quo fidei dogma firmaret, simulque libellum illum synodo Africanæ comprobatum asseruit; quippe qui videlicet *coram sanctis episcopis in ecclesia Carthaginiensi relectus* fuerit, ut scribit idem Leporius (*q*). Accipe laudati Romani pontificis verba (*r*) : *Leporius*, inquit, *in epistola quam Aurelius episcopus Carthaginiensis et beatus Augustinus et synodus Africana firmavit*, etc. Huc accedit, quod in supplicatione Basilii diaconi et archimandritæ aliorumque monachorum, anno 430 Theodosio imperatori

(*a*) *Lepor.* Libell. Emend. § 2, infra.
(*b*) *Id.* ibid.
(*c*) *Cassian.* l. c. cap. 4, pag. 908.
(*d*) *Garner.* in Append. cit. pag. 145, not. 2
(*e*) *Quesn.* ad epist. S. Leon. 134, tom. II, pag. 508, edit. Lugd. 1700.
(*f*) *Tillem.* tom. XIII, pag. 884.
(*g*) *Baller.* ad Noris. opp. tom IV, pag. 889.
(*h*) *Leon.* opp. tom. I, pag. 1392, edit. Baller.
(*i*) Concil. tom. IV, pag. 1234.
(*j*) *Theodor.* Dial. II, opp. tom. IV, pag. 108, 2.
(*k*) *Lepor.* Libell. Emend, § 3, infra.
(*l*) Epist. episc. Afr. infra col. 1231.
(*m*) *Sirmond.* ad Lepor. in opp. tom. I, pag. 357, not. *a*, edit. Paris. 1696.
(*n*) *Aug.* epist. 219, opp. tom. II, pag. 810.
(*o*) Hist. littér. de la France, tom. II, pag. 173 seq.
(*p*) *Cassian.* de Incarn. lib. I, cap. 6, pag. 912.
(*q*) *Lepor.* Libell. Emend. § 10 infra.
(*r*) *Joan.* II epist. III, in collect. Conc. tom. V, pag. 898, edit. Ven. Labb.

oblata, quæ exstat inter acta concilii Ephesini (*a*), Leporius annumeratur inter sanctos Ecclesiæ patres qui mysterium Incarnationis exponentes docuere, quod Christus verus sit Deus. (Neque enim audiendus Quesnellus, qui frustra sibi persuadet (*b*), Leporium ibi a Basilio laudatum alium esse a nostro Leporio, alicujus nimirum sedis episcopum, eo quod inter episcopos divinitatis Christi defensores recenseatur.) Facundus item ejusdem Leporii libellum ita laudat, ut ad fidem orthodoxam astruendam ipsius testimonium usurpet (*c*). Gennadius denique, ut superius vidimus, inter viros illustres qui scriptis ecclesiasticis claruere, auctorem recenset (*d*).

5. Itaque postquam adeo præclarum doctrinæ ac pietatis suæ specimen in Africa dedisset Leporius, qui olim monachus in Gallia pravos errores adversus fidem docuerat; deinceps in ea regione constitutus Ecclesiæ demum Hipponensis presbyter fuit ordinatus. Id vero ex Cassiano et Gennadio satis compertum. Ille siquidem (*e*): *Leporius*, inquit, *tunc monachus, modo presbyter:* hic autem (*f*): *Leporius*, ait, *adhuc monachus, postea presbyter*. Porro quæstio vertitur inter eruditos, num Leporius noster jam presbyter, idem sit cum eo qui inter Hipponenses Ecclesiæ presbyteros nominatur in actis ecclesiasticis, quibus sanctus Augustinus Heraclium sibi successorem designavit (*g*). Acta illa edita feruntur *Theodosio duodecies et Valentiniano augusto iterum coss. sexto kal. Octobris:* id est, vertente anno 426. Eodem ferme tempore secundum sermonem habuit sanctus doctor *de vita et moribus clericorum*, in quo eumdem Leporium latius laudat his verbis (*h*): *Vobis dico*, inquit, *qui forte nescitis; nam vestrum plurimi sciunt: presbyterum Leporium, quamvis sæculi natalibus clarum, et apud suos honestissimo loco natum; tamen jam Deo servientem, cunctis quæ habebat relictis, inopem suscepi*, etc. Quibus sane verbis hunc presbyterum Hipponensem, cum monachum fuisse, tum, quod rei caput est, alienigenam diserte tradit Augustinus: quod probe advertit Norisius (*i*): ut propterea merito existimandus videatur idem esse Leporius, qui antea ex Galliis in Africam monachus perrexerat, ubi eum *inopem suscepit* sanctus pater. At viros doctos adire præstat quorum paulo ante meminimus, qui modo recitatum Augustinianum locum diligentius excutientes, in hanc ipsam abiere sententiam (*j*). Neque aliter visum Sirmondo (*k*). Secus tamen opinati sunt vv. cll. Baronius (*l*), Garnerius (*m*), Tillemontius (*n*) ac Ballerinii (*o*).

6. Jam vero in Africa Leporius adhuc agebat anno 430. Deeo enim sermonem habens Cassianus (*p*): *Is ergo*, inquit, *in se reversus, non solum in Africa, ubi tunc erat*, ET NUNC EST, etc. Ita ille in suis libris *de Incarnatione*. Quod quidem opus contra Nestorium exaratum, cum Constantinopolitanam sedem etiamnum ille teneret, fuisse ab eo conscriptum constat ante concilium Ephesinum anno 431 celebratum, adeoque circa annum 430, ut post Baronium (*q*) censuere Norisius (*r*) ac Tillemontius (*s*). Porro si ex hactenus disputatis accurate nunc subducantur rationes, prope fuerit ut tempus definiatur quo libellum suum edidit Leporius. Varia quidem circumfertur hac de re virorum eruditorum sententia. Norisius enim Leporii conversionem adeoque illius confessionem haud ultra annum 410 protrahendam, quin et citra hunc ipsum annum collocandam statuit (*t*). Sirmondus id contigisse circa annum 425 censet (*u*): annoque præcedente 424 Garnerius (*v*). Pagius vero ad annum 427 illam refert (*x*), postquam scilicet sanctus Augustinus librum *de Correptione et Gratia* in lucem emisisset. Neque aliter Tillemontius (*y*) ac Ballerinii (*z*). Verum ejusmodi opinionibus vale dicto, aiunt viri doctissimi antea nobis laudati (*aa*), libellum Emendationis fuisse a Leporio conscriptum anno 418 aut ut maxime 419. Nam, inquiunt (*bb*), ultra hos annos non est differenda mors Proculi episcopi Massiliensis, ut agnoscit vel ipsemet Tillemontius (*cc*); cui scilicet præsuli cum Leporii libellus, tum patrum Africanorum epistola de ipsius Leporii conversione inscribuntur: neque vero alius a Massiliensi jure confingi potest Proculus episcopus, quo hujusmodi argumenti vis infirmetur, aliaque supputandi ratio inducatur. Cæteras præterimus, neque leves rationes quibus propositam temporis notationem confirmant viri eruditi. Objectionem præterea diluunt ex tempore desumptam, quo sanctus Augustinus li-

(*a*) Concil. Ephes. part. I, cap. 30, in collect. Concil. tom. III, pag. 974.
(*b*) *Quesn.* l. c. pag. 508.
(*c*) *Facund.* l. c. pag. 422.
(*d*) *Gennad.* de Vir. illust. cap. 59.
(*e*) *Cassian.* l. c. cap. 4, pag. 908.
(*f*) *Gennad.* l. c.
(*g*) *Aug.* epist. 213, opp. tom. II, pag. 788.
(*h*) *Id.* Serm. 356, num. 10, opp. tom. V, pag. 1388.
(*i*) *Noris.* Hist. Pelag. lib. I, cap. 23, op. tom. I, pag. 235.
(*j*) Hist. littér. de la France, tom. II, pag. 168 seqq.
(*k*) *Sirmond.* ad Lepor. in opp. tom. I, pag. 345, not. *a*, sub fin.
(*l*) *Baron.* ad ann. 420, § 14.
(*m*) *Garner.* in Append. cit., pag. 141.
(*n*) *Tillem.* tom. XIII, pag. 1039, not. 85 sur S. Augustin.
(*o*) *Baller.* ad opp. Noris. tom. IV, pag. 889.
(*p*) *Cassian.* de Incarn. lib. I, cap. 4, pag. 908.
(*q*) *Baron.* ad ann. 430, § 90.
(*r*) *Noris.* Hist. Pelag. lib. I, cap. 23, pag. 235, et lib. II, cap. 12, pag. 212, opp. tom. I.
(*s*) *Tillem.* tom. XIV, pag. 189 seq.
(*t*) *Noris.* Hist. Pelag. lib. I, cap. 23, pag. 234, et lib. II, cap. 3, pag. 278.
(*u*) *Sirmond.* ad Lepor. pag. 345, not. *a*, opp. tom. I.
(*v*) *Garner.* in Append. cit., pag. 141.
(*x*) *Pagi.* ad ann. 420, § 13.
(*y*) *Tillem.* tom. XIII, pagg. 879 et 1039, not. 85.
(*z*) *Baller.* ad Noris. opp. tom. IV, pag. 889.
(*aa*) Hist. littér. de la France, tom. II, pag. 167 seq.
(*bb*) Ibid. pag. 95.
(*cc*) *Tillem.* tom. X, pag. 699.

brum *de Correptione et Gratia* vulgavit : simulque ostendunt jam ab anno 421, quo sanctus ille doctor *Enchiridion* suum edidit, Leporii errores eidem fuisse probe cognitos, quos etiam eo in opere aperte perstrinxit (*a*). His ergo rite perpensis, postremæ huic sententiæ fidenter accedimus, quam etiam novimus eo nomine fuisse postea probatam Sirmondo, quod Joannes II papa, ut supra retulimus, Leporii epistolam fuisse a synodo Africana firmatam asseruit. « Quod si, inquit ille (*b*), Africanam eam dixit quam habemus post consulatum Honorii XII et Theodosii VIII anno Christi 419, in eumdem scilicet annum Leporii emendationem incidisse statuendum est.

7. Quod superest, Leporiani libelli fragmenta dumtaxat, ex Cassiani libris *de Incarnatione* descripta, A epistola episcoporum Africæ præmissa, primus omnium anno 1629 inter concilia Galliæ dedit Sirmondus (*c*) : qui sequente anno 1630 inter dogmatica quinque veterum opuscula integrum ex codice ms. Herivallensis monasterii vulgavit. Exinde autem prodiit in Conciliorum editione regia Luparensi (*d*), nec non Labbei (*e*). et Harduini (*f*) Præterea Garnerius idem opusculum mendis pluribus expurgatum una cum epistola præsulum Africanorum suo Mario Mercatori attexuit (*g*). Invectum itidem fuit in bibliothecam Patrum Lugdunensem (*h*). Postremo cum Garnerii emendationibus exstat in collectione operum Sirmondianorum (*i*) : quam quidem editionem reliquis multo nitidiorem typis committendam tradidimus.

(*a*) *Aug.* Enchir. num. 10, pag. 210.
(*b*) *Sirmond.* ad Lepor. epist. opp. tom. I, pag. 345, not. *a*.
(*c*) *Id.* Conc. Gall. tom. I, pag. 52.
(*d*) Conc. reg. tom. IV, pagg. 669-671.
(*e*) *Labb.* conc. tom. II, pag. 1678, edit. Paris.
B (*f*) *Hard.* conc. tom. I, pag. 1265.
(*g*) *Garner.* Mar. Merc. tom. I, pag. 224, et in Append. Aug. pag. 142 seqq.
(*h*) Bibl. PP. Lugd. tom. VII, pag. 14.
(*i*) *Sirmond.* opp. tom. I, pag. 345, edit. Paris.

LEPORII PRESBYTERI

LIBELLUS EMENDATIONIS,

SIVE SATISFACTIONIS,

Confessionem fidei catholicæ continens de mysterio incarnationis Christi, cum erroris pristini detestatione,

AD EPISCOPOS GALLIÆ.

Dominis beatissimis et veneratissimis Dei sacerdotibus Proculo et [a] Quilleno Leporius exiguus.

1. Quid [b] in me primum, o domini mei, venerandi et beatissimi sacerdotes, accusem nescio : quid in me excusem, non invenio. Sic imperitiæ superbia, sic stulta simplicitas cum persuasione noxia, sic fervor cum intemperantia, sic, ut verius dicam, cum sui diminutione debilis fides, simul in me omnia recepta viguerunt, ut tot et tantis simul sit et obedisse confusio, et hæc eadem ab animo potuisse rejicere, mihi stupenda sit gratulatio. Agnosco igitur delictum meum, et ipse mei accusator libenter existo. Sed spero misericordiam, quia ignorans feci : inexcusabilis mihi namque causa peccati, si perfecte sciens studio aliquid intentionis egissem. Testem Deum invoco in animam meam : veritatem credidi C errorem meum, et obscuras tenebras lucem sincerissimam computavi. Æmulatio Dei, sed non secundum scientiam, me fefellit incautum. At nunc, quod beatitudini vestræ fore credidimus gratum, misericordia ejus deviantem in aspera et per dumosa gradientem, ad viam rectam revocavit. Et prava facta sunt ergo mihi in directa, et aspera in vias planas : [c] atque ab omnibus meis consacerdotibus et fratribus vestris, jam abstersa caligine, instructus, intelligo in qua ex parte fuerim cæcitate. Et idcirco supplicem me veritatis ipsius reddit agnitio. Fateor, ignoranter erravi, et regulam veritatis in quibusdam, dum mihi ad integrum tenere videbar, excessi. Palam facta est imperitia mea, et hoc mihi onerosior, quia

[a] Scripserat Sirmondus *Cyllenium* et *Quillenium* : emendari necesse fuit, quia neutrum nomen in Galliis usitatum erat ; frequens vero Cilinii ; nam et Cilinia mater S. Remigii, et Cilinia virgo Meldensis in Martyrologii notis memoratur. Garner. *tom.* I *Marii Mercat.* pag. 230.

[b] Totus hic locus ad ista usque verba ; *Stupenda sit gratulatio*, refertur a Cassiano lib. I de Incarn. cap. 4, ubi nota postremorum verborum variantem D lectionem : *et hæc eadem ab animo potuisse rejicere, mihi stupenda gratulatio.* Garn. *ibid.*

[c] Garnerius legit, *a patribus meis, consacerdotibus et fratribus vestris*, etc. Herivallensis codex, *inquit*, mendose habebat ; *atque ab omnibus meis consacerdotibus et fratribus vestris*, etc. Obvia fuit correctio : cum monachus episcopos alloqueretur, et de episcopis itidem sermonem faceret. Baun.

cum multorum scandalo tueri conatus sum, quod, sicut nunc luce clarius manifestatur, errore humani sensus magis, quam ratione fidei præsumpseram defendendum. [a] Sed quia aliud fieri non poterat, nisi ut propria stultitia in me viveret, quando ego mihi discipulus habueram me magistrum : et utinam præsumptionem meam quam animaverat inscientia, fregisset humilitas. Sed heu mihi, quia in utroque inventus sum, et temerarius, et superbus. At jam ista venia vestra prætervolo, et quod nunc instat, agere non morabor. Festinabo vulnerata curare, qui sana transfodi. Non erit in suscipienda medicina confusio, qui in custodienda valetudine non fuit cauta provisio. Unde nata est discordia, pax inde gignatur.

2. Epistola itaque, auctor scandali et offendiculum charitatis, a me quondam simpliciter scripta quidem, sed in quibusdam, ut agnosco, infideliter ordinata, quæso secundum hujus epistolæ professionem et sanctimoniæ vestræ auctoritatem, ut in ea paginæ parte, vel causa, in abolitione calcanda ducatur, in qua contra veritatem per ignorantiam edita comprobatur : ut cunctis innotescat et pateat, justo judicio illud quod erat æmulum fidei, contrarium veritati, de corpore ejusdem epistolæ cum damnatione esse decisum. [b] Clamo, verum fateor, o domini mei : quidam fratres melius interiora cernentes, sed nos multo exteriora palpavimus ; et in propria caligine constituti, illis qui propius intuebantur reputavimus cæcitatem. At nunc, favente Domino, apertis quandoque oculis, cum illis verum lumen aspicimus, atque in eadem lucis gratia, posito nobis a vero medico sanitatis luto super oculos, revocamus aspectum ; et Jesum Christum Dominum, non ut antea fallebamur, sed sicut est veritas, sincerissimo intuemur obtutu : atque juxta symboli veritatem, id quod secundum priorem definitionem nostram, ubi non impietate aliqua, sed seducebamur errore, dicere verebamur de Maria Deum natum, nunc constantissime confitemur. [c] Tamen quod Christum Filium Dei tunc etiam natum de sancta Maria negaremus, et, sicut et ipsi recordamini, sed minime attendentes ad mysterium fidei, non ipsum Deum hominem natum, sed perfectum cum Deo natum hominem dicebamus : pertimescentes scilicet, ne divinitati conditionem assignaremus humanam : o stulta sapientia ! quasi, si cum homine Deus nasci non aspernaretur, ipse præjudicio status sui nasci homo dedignaretur : aut illud poterat, sed hoc forte non poterat.

3. [d] Credo plane Deum hoc non posse, quod non vult. Si nasci voluit, quæ Deus voluit, certissime credo quia potuit : quoniam status Dei nullum potest periculum sustinere. Nec homo propter nos factus, ut ederetur ex homine indignum habuit : quia nec ipsam hominem facere de qua homo nasceretur, duxit indignum. [e] Si ergo minime percipientes hanc potentiam Dei, sensu nostro et propria ratione sapientes, ne quasi inferiora se Deus agere videatur, ita hominem cum Deo natum esse dicamus, ut seorsum quæ Dei sunt soli Deo demus, et seorsum quæ sunt hominis soli homini reputemus ; quartam manifestissime inducimus in Trinitate personam et de uno filio Dei non unum, sed facere incipimus duos Christos : quod a nobis ipse jam Dominus et Deus Christus avertat. Ergo confitemur Dominum ac Deum nostrum Jesum Christum, unicum Filium Dei, qui ante sæcula natus ex patre est, novissimo tempore de Spiritu sancto et Maria semper virgine factum hominem Deum natum : et confitentes utramque substantiam, Deum atque hominem inseparabilem pia fidei credulitate suscipimus, et ex tempore susceptæ carnis, sic omnia dicimus quæ erant Dei transisse in hominem, ut omnia quæ erant hominis in Deum venirent : et hac intelligentia Verbum factum sit caro, non ut conversione aut mutabilitate aliqua cœperit esse quod non erat, sed ut potentia divinæ dispensationis Verbum patris, numquam a patre discedens, homo proprie fieri dignaretur, incarnatusque sit unigenitus secreto illo mysterio quod ipse novit : nostrum namque est credere, illius nosse. Ac sic ut ipse Deus Verbum, totum suscipiens quod est hominis, homo sit; et assumptus homo, totum accipiendo quod est Dei, aliud quam Deus esse non possit. Non tamen, quia incarnatus dicitur et immixtus, diminutio ejus est accipienda substantiæ. Novit enim Deus sine sui corruptione misceri, et tamen in veritate misceri : novit in se ita suscipere, ut nihil ei crescat augmenti, qui se ipse totum novit infundere, ut nihil accidat detrimenti.

4. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostræ, secundum experimentorum visibilia documenta facientes conjecturam de æqualibus se invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemque commixtum, et tali confusione carnis et Verbi quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere : ut conflatili quodam genere duas naturas in unam arbitremur redactas esse substantiam. Hujusmodi enim commixtio partis utriusque corruptio est. Deus enim, qui capax est non capabilis, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis, qui ubique simul totus et ubique diffusus est per infusionem potentiæ suæ, misericorditer naturæ mixtus est humanæ, non humana natura naturæ est mixta divinæ. Caro igitur

[a] Garnerius legit, *sed quid aliud fieri poterat?* Baun.

[b] Garnerius legit, *Clamaverunt, fateor, o domini mei, quidam fratres*, etc. Id.

[c] Garnerius legit, *Tametsi Christum filium Dei, tunc etiam natum de sancta Maria non negaremus, sicut ipsi recordamini : sed minime*, etc. Id.

[d] Garnerius legit, *Credo plane Deum hoc unum non posse*, etc. Id.

[e] Locum hunc exscripsit Cassianus ad ista usque verba : *Misericorditer naturæ mixtus est humanæ.* Ubi nota variantes lectiones : *quasi in inferiora se Deus agere videatur, et pro uno filio Deo, et qui sibi ante sæcula natus ex Patre est, nobis a tempore*, etc., *semper pro fidei*, etc., *sicut se ipsum totum novit infundere*, etc., *conflatili quodammodo genere.* Garn.

proficit in Verbum, non Verbum profecit in carnem : et tamen verissime Verbum caro factum est. Sed, ut diximus, solum proprie personaliter, non cum patre aut cum Spiritu sancto naturaliter : quia unigenitus Deus, Deus verus, qui cum patre et Spiritu sancto unus est in natura, alter est in persona. Non enim ipsum patrem dicimus esse, quem filium : nec iterum eumdem filium dicimus esse, quem patrem : aut rursus Spiritum sanctum patrem vel filium nuncupamus : sed distinguentes personas in suis proprietatibus, patrem Deum patrem proprie nominamus, et filium Deum filium proprie dicimus, et Spiritum sanctum Deum, Spiritum sanctum proprie confitemur : et cum ter numero dicimus Deum, et Deum, et Deum, non tres credimus Deos, sed unum in omnipotentiæ suæ Trinitate perfectum.

5. [a] Nascitur ergo nobis proprie de Spiritu sancto et Maria semper virgine, Deus homo Jesus Christus filius Dei : ac sic in alterutrum unum fit Verbum et caro, ut manente in sua perfectione naturaliter utraque substantia, sine sui præjudicio, et humanitati divina communicent, et divinitati humana participent : nec alter Deus alter homo ; sed idem ipse Deus qui et homo ; [b] et vicissim homo qui et Deus Jesus Christus, unus Dei filius et nuncupetur et vere sit. Et ideo agendum nobis semper est et credendum, ut Dominum Jesum Christum filium Dei Deum verum, quem cum patre semper et æqualem patri ante sæcula confitemur, eumdem a tempore susceptæ carnis, factum Deum hominem non negemus : nec quasi per gradus et tempora proficientem in Deum, alterius status ante resurrectionem, alterius post resurrectionem eum fuisse credamus ; sed ejusdem semper plenitudinis atque virtutis.

6. Et quia omnes infirmitates nostras, id est naturæ nostræ, portavit, et vere secundum carnem suscipiens in se affectus nostros, ad probationem veri hominis, currente in eodem nihilominus cursu nostræ mortalitatis, potestate scilicet, non necessitate, ætate et sapientia, Evangelista dicente (*Luc.* II, 52) : profecit, esurivit, sitivit, fatigatus est, flagellatus est, crucifixus est, mortuus est, resurrexit. Non ideo a divinitatis natura mutatus est : inconvertibilem enim, et incommutabilem, et impassibilem naturam divinitatis jam superius professi sumus. [c] Sed quia Verbum Deus in hominem dignanter hominem suscipiendo descendit, et per susceptionem Dei homo ascendit in Deum Verbum ; totus Deus Verbum factus est totus homo. Non enim Deus pater homo factus est, nec Spiritus sanctus, sed unigenitus patris. Ideoque una persona accipienda est carnis et Verbi, ut fideliter sine aliqua dubitatione credamus, unum eumdemque Dei filium inseparabilem semper, geminæ substantiæ etiam gigantem nominatum, in diebus carnis suæ, et vere semper gessisse omnia quæ sunt hominis, et vere semper possedisse quæ Dei sunt : quoniam *etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (II *Cor.* XIII, 4). Quapropter jam non [d] pertimescimus dicere, secundum Deum, et ex homine natum Deum, secundum hominem, Deum passum, Deum mortuum, et cætera. Sed gloriamur dicere Deum natum, eumdemque secundum hominem Deum passum. *Non enim erubesco evangelium*, Apostolus dicit : *virtus enim Dei est, in salute omni credenti* (*Rom.* I, 16). Utique Dei virtus est in salute, secundum hominem credere Deum passum. Non credenti autem, Dei existimatur infirmitas, in perditione, Deum secundum carnem non credere crucifixum. Unde iterum idem Apostolus : *Nos autem prædicamus Christum, et hunc crucifixum* : utique *Dei virtutem, et Dei sapientiam ; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I *Cor.* I, 23-25). Quid enim tam stultum et tam infirmum videtur hominibus incredulis, quam cum audiunt Deum Dei filium crucifixum ? Sed *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (*Ibid.*, 21) : quia in hoc maxime fides nostra consistit, ut credamus unicum filium Dei, non adoptivum, sed proprium : non phantasticum, sed verum : non temporarium, sed æternum, pro nobis omnia secundum carnem fuisse perpessum : et non sibi agonizasse, sed nobis ; nec propter se, sed propter nos, quia jacebamus, illum ab excelsis misericorditer ad ima venisse ; quia, sicut Apostolus dicit : *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, et reliqua (*Philipp.* II, 6, etc.).

7. Quid tam apertum, quam ex hoc testimonio mysterium tantæ dispensationis agnoscere ? In forma enim Dei quis nisi Deus est ? Et quomodo, videamus, fons plenitudinis exinanivit semetipsum ? Nonne dum forma Dei formam accepit servi ? dum principaliter Dominus ea quæ sunt famuli dignanter assumit ? dumque pro indulgentia et miseratione nostri, gerendo inferiora se videlicet vel agendo, Verbum caro factum evacuat in persona quod possidet in natura, et in vero humanitatis habitu factus obediens in homine, illud in se per humilitatem et obedientiam naturæ nostræ restituit, quod per inobedientiam perierat in Adam, et in carne mortuus semper vivit, in spiritu vivificans cum patre omnia : jam numquam de cætero moriturus, eadem a patre suscitatus in carne. Et fit nobis *primogenitus ex mortuis* (*Coloss.* I, 18), qui est unigenitus Dei vivi, ac vivens ante sæcula ; propter nos pauper in

[a] Hunc locum laudarunt Cassianus, Joannes secundus in Ep. ad Avienum, Facundus Hermianensis, lib. I, cap. 4, non tamen omnes æque prolixe. Primam tantum sententiam Joannes secundus : Cassianus ad hæc verba, *plenitudinis, atque virtutis* : Facundus ad ista tantum, *nuncupetur, et vere sit*. ID.

[b] Garnerius legit, *vicissim idem ipse homo*. BAUN.

[c] Et hic etiam locus a Cassiano prolatus est ad ista usque verba, *ex virtute Dei*. GARN.

[d] Garnerius legit, *pertimescimus dicere ex homine natum Deum et secundum hominem*, etc. BAUN.

tempore, et indigens in homine, nobis accepit, quod abundans sibi semper habet in patre. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI, 33)! Donatur illi propter nos [a] nomen accepit : largitur autem omnibus, quia largitor omnium Deus Deum se in donando cognoscit, hominem in accipiendo se novit : *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, et terrestrium, et infernorum : et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris* (*Philipp.* II, 10, 11). Hæc fides nostra, et *hæc mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11), in emendatione meliori. Sic credimus, sic tenemus : *et hoc non ex nobis* (*Ephes.* II, 8); *Dei enim donum est* : non ex merito propriæ sapientiæ, ut non gloriemur in nobis : *ipsius enim factura sumus*, jam pridem quidem *creati in Christo* (*Ibid.*, 10) : at nunc iterum parturientibus nos in luce apostolicis viris, in eodem reparati. Ipsi ergo honor semper et gloria.

8. De eo autem quod stultissime in epistola illa proposuimus, sed ignoranter, quodque nunc exsecrabile confitemur, id est aptantes ad Christum laborem, devotionem, meritum, fidem, in tantum inconvenientia hæc Dei filio judicamus, ut reminiscentes dictum a nobis, summam cæcitatem nostræ insipientiæ reputemus, et ex aperto cernamus, quam vera quidam sint adversum nos ratione commoti; qui tamquam unicuique sanctorum, licet hoc numquam habuerimus in corde, pene Christum similem fecerimus, et illi *qui super omnes est Deus* (*Rom.* IX, 5), hæc quæ habet simplex et nuda mortalitas assignantes, inter cæteros quodammodo eum posuerimus in numero. Licet caput corporis dicatur (*Ephes.* V, 23; *Coloss.* I, 18), et vere sit Ecclesiæ corporis caput, atque ex eadem massa qua omne genus hominum descendit secundum carnem, absque peccato venire noscatur : non tamen qui singularis est, inter cæteros computandus est : nec illa ad ipsum referenda sunt, quæ possunt habere mensuram, quia ad ipsum dictum est : *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum* (*Joan.* III, 34). Ubi enim plenitudo deitatis est, illic nec mensura, nec modus est. Nescit labore, devotione, fide, merito, finem apprehendere meritorum, qui infinitus et sine terminis agit omnia potestate. [b] Fide quidem homo, et vere secundum carnem homo nascitur; sed Deus esse non desinit: nutritur, proficit, crescit, adolescit, *et sicut agnus coram tondente mutus* (*Isai.*, LIII, 7), convicia sustinet, et flagellatur, et maledictam mortem auctor vitæ veniens in carnem non respuit. Sed hæc omnia, non ut unus ex nobis necessitate consummat : sed potestatem A habens animam suam ponere, et potestatem habens iterum sumere illam, dignanter suscepit voluntate (*Joan.* X, 18).

9. Illud [c] etiam minime reticendum censeo, quod in eadem epistola simili devians errore subjunxi, Christum Dominum nostrum sic omnia quæ erant passionum implevisse, ut in nullo quasi perfectus homo a divinitatis auxilio juvaretur : volens scilicet ita in Christo hominem assignare perfectum, quo et alienum ab his passionibus Verbum patris asserem; et solum per se hominem egisse hæc omnia possibilitate naturæ mortalis, sine aliquo deitatis adjutorio, probare conabar : vere cæcus, qui susceptum in Deo hominem confitebar, et quæ erant ipsius hominis nolebam in Deo esse suscepta. In hoc B utique haud dubie in se susceperat totum hominem Deus, ut hæc quæ nos tamquam Deo putamus indigna, non per se solus homo ageret judicio naturali, sed Deus per hominem, atque in homine, ipse homo nobis factus, potestate et mysterio divinæ dispensationis impleret. Dehinc, ne quid insipientiæ deesset meæ, doctissimus scriba de non intellectis non intellecta confirmans, hæc ita debere intelligi, quæ supra posuimus arbitrabar, ut testimonio illo quo scriptum est, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 1)? hoc ipsum eniterer assignare : et idcirco Dominum gloriæ in cruce hunc clamoris emisisse sermonem, quod perfecta hominis patientia, minime adjuvante Deitate, in tantis doloribus probaretur. Ergo si causa probandæ humanæ patientiæ hanc vocem in doloribus C constitutus emisit, debuit etiam et tunc ad probationem ejusdem patientiæ eisdem sermonibus hoc clamare, cum cæsus est : debuit et tunc eadem verba proferre, cum illa multiplici vulnerum corona, ubi tot fuere pœnæ, quot spinas illusus accepit. Aut forsitan Christo fuerunt ista leviora, illa graviora. Arbitror quod qui unam ad suscipienda hæc omnia habere dignatus est voluntatem, unam eamdemque habuit ad hæc omnia patienda virtutem. Clamavit ergo, sicut scriptum est, et in ligno crucis pendens hanc vocem primo morti emisit : non ut humanam perfectamque in se patientiam demonstraret, quæ sine testimonio vocis causis ipsis et rebus evidentibus probaretur : sed ut vere manifesteque filius Dei secundum carnem se ostenderet moriturum, et velut D carnis ipsius voce utens, ponens præteritum pro futuro quia per mortem crucis necessario terrenum [d] corpus erat a Deo pro tempore relinquendum, non solum a Deo, verum etiam ab anima sua quæ erat unita cum Deo, hoc ipsum prius quam fieret, nobis

[a] Forte legendum, *omne quod accepit*. BAUN. — Mallem equidem, *nomen quod accepit*. Retinendum enim *nomen* satis innuit Apostoli locus proxime sequens.

[b] Nullus probabilis sensus extundi potest : quocirca legendum haud dubie, *Fit quidem homo*, ut observavit Garnerius. BAUN.

[c] Propter hanc sententiam, atque præcedentem aliam, Leporius accusatus est gratiæ divinæ negatæ, nimiæque liberi arbitrii laudis, atque societatis cum Pelagianis. GARN.

[d] Caute legendus hic locus; quamquam nonnulli patres, et tres quidem magni nominis, relictum a divinitate corpus, triduo quo jacuit in sepulcro, opinati sint, Epiphanius Hæres. 20 et 60. Hilarius can. 33 in Matth. Ambrosius in tractatu de symbolo cap. 13. GARN.

moriens testaretur. Non enim tradito spiritu caro mortua poterat hoc clamare; alioquin mortuum Christum in veritate quis crederet? Deus non in passionibus hominem, qui in homine secundum carnem dignatus est pati, sed corpus in morte, et juxta legem excessus humani, divinitas cum unita sibi anima, non crucifixum hominem reliquit in pœnam, sed exanimem carnem deseruit ad tempus : et tam Christus filius Dei tunc mortuus jacuit in sepulcro, quam idem Christus filius Dei ad inferna descendit; sicut beatus Apostolus dicit : *Quod autem ascendit, quid est nisi etiam quod descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos* (*Ephes.* IV, 9, 10). Ipse utique Dominus ac Deus noster Jesus Christus unicus Dei, qui cum anima ad inferna descendit, ipse cum anima et corpore ascendit ad cœlum; quo et hic et in futuro Deum hominemque perfectum, eumdemque filium Dei, Deum verum in æterna sæcula veneremur.

10. Hunc igitur Dominum Deum meum, secundum magnum pietatis sacramentum, sicut in carne natum, in carne passum, in carne mortuum, in carne suscitatum, in carne elevatum, in carne glorificatum credo atque confiteor : ita ipsum proprie in eadem carne credo esse venturum ad faciendum judicium in vivos et mortuos; atque ab eodem pro merito proprio unumquemque sempiternum habere præmium. Ut autem et hinc nihil cuiquam in suspicione derelinquam, tunc dixi, immo ad objecta respondi, Dominum nostrum Jesum Christum secundum hominem ignorare. Sed nunc non solum dicere non præsumo, verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam : quia dici non licet, etiam secundum hominem ignorasse Dominum prophetarum. Causarum vero cæteras quæstiones, [a] aut intentione, aut exhortatione, aut in fraterna collatione protulimus. Ubi si forte sensu magis quam fide discrepavimus, quia longum est ire per singula, secundum hujus epistolæ fidem, ita nos illas omnes, sicut ordo Ecclesiæ catholicæ tenet, aut suscipere aut reprobare testantes, Dominum Christum non aliud profitentes, et aliud habentes in corde, sincerissime confitemur. Sane ad condemnandam a nobis totius hæresis infamiam, quia catholicos nos ex catholicis semper secundum puram conscientiam novimus, anathema omnibus hæreticis dicimus, Photino, Ario, Sabellio, Eunomio, Valentino, Apollinari, Manichæo, et universis contra sanam doctrinam venientibus : quia etsi lapsi sumus lingua vel sensu, non tamen voluntate vel corde, sicut scriptum est : *Qui labitur lingua, sed non ex corde : quis est enim qui non delinquit in lingua sua* (*Eccli.* XIX, 16, 17)? Equidem, domini mei venerandissimi et beatissimi sacerdotes, prout potui filius pacis secundum Apostolum dicentem : *Qui observaverit totam legem, offendet autem in unum, factus est omnium reus* (*Jac.* II, 10); non in paucis, sed in grandibus offendens, feci me ex toto corde in omnibus reum. Sed in hoc perfectam probavi charitatem eorum qui me persecuti sunt, non tamen gratis; quod tam velociter pleno amore susceptus sim emendatus, quam intentione perfecta et æmulatione insecuti sunt aberrantem. Mihi autem, teste Deo loquor, desiderabilis omnium et optabilis pax est. Quod superest, nunc iterum iterumque deprecamur, date veniam ignoscendo nobis, et impetrate orando pro nobis. Opto vos, patres, in Deum vivere.

Ego Leporius libellum meo sensu dictatum, in quo fidem meam, Deo volente, in finem usque tenebo, medullitus exprimere volens coram sanctis episcopis in Ecclesia Carthaginiensi relectum subscripsi.

Ego Dominus hanc fidem teneo, confiteor, huicque subscripsi.

[b] Ego Bonus hanc fidem teneo, confiteor, huicque subscripsi.

Aurelius episcopus Ecclesiæ Carthaginiensis oblato a Leporio libello ac relecto subscripsi.

Augustinus episcopus [c] Hipponereiensis regionis oblato nobis a Leporio libello subscripsi.

Florentius episcopus [d] Hipponiensium Diarrhitorum oblato nobis a Leporio libello subscripsi.

Secundus episcopus ecclesiæ Aquensis, sive [e] Megarmitanæ, oblato nobis a Leporio libello subscripsi.

[a] Garnerius legit, *aut in lectione, aut in exhortatione*. BAUN.

[b] Hæc subscriptio, quæ omnium postrema erat in editione Sirmondi, rectius posita videtur hoc loco in Supplemento Conciliorum Galliæ. ID.

[c] Victor Vitensis Hist. persec. Vand. lib. I, cap. 3, hanc urbem *Hipporegium* vocat. Hinc Wesselingius in notis ad Vet. Roman. Itiner. pag. 20 suspicatur hic legendum *Hipporeiensis*.

[d] Solinus in Polyhist. cap. 30 : *Hipponem, Regium postea dictum, item* HIPPONEM *alterum, de interfluente freto,* DIARRHITON *nuncupatum nobilissima oppida equites Græci condiderunt.* De hac urbe plura erudite observat Ruinartius ad Notit. Afric. procons. pag. 219.

[e] Garn. legit. *Magarmelitanæ*.

APPENDIX.

[a] EPISTOLA [b] EPISCOPORUM AFRICÆ,

Quam cum supra scripto Leporii libello miserunt ad episcopos Galliæ.

Dilectissimis et honorabilibus fratribus et consacerdotibus Proculo et Cylinnio, Aurelius, Augustinus, Florentius et Secundinus in Domino salutem.

Filium nostrum Leporium apud vestram sanctitatem pro sui erroris præsumptione merito idoneeque correptum, cum ad nos postea quam inde exturbatus est venisset, salubriter perturbatum corrigendum sanandumque suscepimus. Nam sicut vos obedistis Apostolo ut corriperetis inquietos, ita et nos ut consolaremur pusillanimes ac susciperemus infirmos (I *Thess.* v, 14).

Cum enim præoccupatus esset sicut homo in aliquo delicto (*Gal.* vi, 1), eodemque non parvo, ut de unigenito filio Dei, quod *erat in principio Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* i, 1): *Cum autem venit plenitudo temporis* (*Gal.* vi, 4), *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* i, 14), non recta quædam saperet, nec vera sentiret, negans Deum hominem factum, ne videlicet substantiæ divinæ quæ æqualis est Patri, indigna mutatio vel corruptio sequeretur: nec videns quartam se subintroducere in Trinitate personam, quod a sanitate symboli catholicæque veritatis prorsus alienum est: eum sicuti potuimus adjuvante Domino instruximus in spiritu lenitatis, præsertim quia cum hoc admoneret vas electionis, adjecit, *Intendens te ipsum, ne et tu tenteris* (*Gal.* vi, 1): ne ita se quidam ad provectum spiritalem pervenisse gauderent, ut se jam non posse tentari tamquam homines putarent; addiditque salubrem pacificamque sententiam, ut *alter alterius onera portemus, quoniam sic adimplebimus legem Christi. Qui enim putat se esse aliquid, cum sit nihil, se ipsum seducit* (*Ibid.*, 2, 3), dilectissimi et honorabiles fratres. Quam tamen ejus emendationem nequaquam forte implere possemus. nisi vos ante quæ in eo mendosa fuerant damnaretis.

A Idem igitur et Dominus et medicus noster utens vasis ac ministris suis, qui dixit: *Ego percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* xxxii, 33), per vos percussit tumentem, per nos sanavit dolentem. Idem suæ domus administrator atque provisor, per vos destruxit male constructa, per nos bene composita restauravit. Idem diligens agricola possessionis suæ sterilia per vos eradicavit et noxia, utilia per nos et fecunda plantavit. Non itaque nobis, sed ejus misericordiæ demus gloriam, in cujus manu sumus et nos et sermones nostri. Et sicut in supra dicto filio nostro ministerium vestrum humilitas nostra laudavit, sic etiam sanctitas vestra nostro ministerio gratuletur.

Paterno igitur et fraterno corde suscipite a nobis misericordi severitate correctum. Et si enim aliud B per nos, aliud per vos; utrumque tamen fraternæ saluti necessarium una charitas fecit: unus ergo Deus fecit, quoniam *Deus charitas est* (I *Joan.* iv, 1). Proinde sicut per suam præsentiam susceptus est a nobis, sic per suam epistolam suscipiatur a vobis. Cui quidem epistolæ nostra etiam manu subscribendum putavimus, ipsius esse testantes.

Hanc ejus correctionem dilectionem vestram minime dubitamus et gratanter accipere, et eis notam facere quibus ejus error scandalum fuit: quia et illi qui cum eo venerunt ad nos cum illo correcti atque sanati sunt, sicut eorum subscriptionibus quæ coram nobis factæ sunt, tenetur expressum. Superest ut de fraterna salute lætati, rescriptis beatitudinis vestræ nos vicissim lætificare dignemini. Optamus vos, di- C lectissimi et honorabiles fratres, in Domino bene valere memores nostri.

[a] Etsi quatuor episcoporum nomine scripta est, sic tamen redolet stylum atque ingenium Augustini, ut ab eo dictatam fuisse dubium non videatur. Fortasse et ab aliis quoque, vel aliorum certe nutu ac vice, conscripta est. Sirmond.

[b] Huic epistolæ titulus in hæc verba præfixus est in codice Leodiensi: *Epistola Aurelii, Augustini, Florentii et Secundini, ad consacerdotes Proculum et Cylinnium, de quo Leporio, qui pro eo quod non recta quædam saperet, nec vera de fide sentiret, pro hac sui corporis præsumptione a sanctis memoratis patribus Proculo et Cylinnio correptus et de loco suo ejectus, ad sanctum Augustinum et alios præmissos viros pervenit gratia confugii. Unde ab eis salubriter correctus, et ad sanam doctrinam reductus, suo est episcopo per propriam epistolam catholice sentientem cum sociis reconciliatus.*

ANNO DOMINI CCCCXXVIII.

EVODIUS UPSALENSIS EPISCOPUS.

LIBER DE FIDE, CONTRA MANICHÆOS.

Hic liber, cum sæpe S. Augustino fuerit attributus, cumque propinquitas styli et materiæ propinquitatem loci desiderare videatur, referendus est a nobis inter appendices ad opera S. laudati Patris, ubi videsis tom. XLII nostræ Patrol., col. 139.

ANNO DOMINI CCCC — CCCCXXX.

PLURES PATRES S. AUGUSTINO ÆQUALES,

CUMQUE ILLUSTRI DOCTORE COMMERCIO LITTERARUM USI.

Per triginta primos annos quinti sæculi florebant sancti viri plures, quorum scripta, sicut et Evodii, operibus S. Augustini mixta vel annexa sunt, nec immerito. siquidem nihil aliud sint quam epistolæ ad Hipponensem præsulem directæ, quas expedit legere cum responsionibus. Hic igitur solum indicabuntur Auctorum nomina, locaque vel eorum scriptis attributa, vel ad hæc spectantia. Ea sunt, tom. XXXIII Patrol., Augustini vero opp. II : — NEBRIDIUS, *epp.* 5, 6, 8. AUGUSTINUS, 3, 4, 7, 9, 10, 11, 12, 13, 14. — MAXIMUS Madaurensis, *ep.* 16; AUGUSTINUS, 17. — NECTARIUS, *epp.* 90, 103; AUGUSTINUS, 91, 104. — SEVERUS, *ep.* 109; AUGUSTINUS, 62, 63, 110. — DIOSCORUS, *ep.* 117; AUGUSTINUS, 118. — CONSENTIUS, *ep.* 119; AUGUSTINUS, 120. — VOLUSIANUS, *ep.* 135; AUGUSTINUS, 132,137. — MARCELLINUS, *ep.* 136; AUGUSTINUS, 128, 129, 133, 138, 139, 143; HIERONYMUS, 165. — MACEDONIUS, *epp.* 152, 154; AUGUSTINUS, 153, 155. — HILARIUS Syracusanus, *ep.* 156; AUGUSTINUS, 157. — EVODIUS, *epp.* 158, 160, 161, 163; AUGUSTINUS, 159, 162, 164, 169. — TIMASIUS, *ep.* 168. — HESYCHIUS, *ep.* 98; AUGUSTINUS, 197, 199. — VALENTINUS, *ep.* 226; AUGUSTINUS, 224, 225. — QUODVULTDEUS, *epp.* 221, 223; AUGUSTINUS, 222, 224. — PROSPER, *ep.* 225. — DARIUS, *ep.* 230; AUGUSTINUS, 229, 231. — LONGINIANUS, *ep.* 234; AUGUSTINUS, 233, 235. — PASCENTIUS, *ep.* 240; AUGUSTINUS, 238, 239, 241. — AUDAX, *ep.* 260; AUGUSTINUS, 261.

INDICES IN FL. L. DEXTRUM.

INDEX LOCUPLETISSIMUS RERUM

QUÆ

TUM IN CHRONICO DEXTRI, TUM IN COMMENTARIIS

CONTINENTUR,

A col. hujus voluminis 13 *usque ad* 610.

Notulæ quibus In indice utimur hæc sunt : *A. C.*, id est, *Anno Christi* ; — *Dex.*, id est, *Dexter* ; — *Com.*, id est *Commentarius* ; — *Apol.*, id est, *Apologia* ; — I *p. Apol.*, id est, *prima parte Apol.* (quæ præcedit Opus) ; II *p. Apol.*, id est, *secunda parte Apol.* (quæ est ad calcem Operis).

A

Abbates sancti ab anno Domini 300 in Hispania. *Dex. A. C.* 308, *Com. num.* 6.
Abbatis Joachimi defensio. *Vide* Joachimus abbas.
Abdiæ prophetia de Hispanis. *Com. A. C.* 37, *num.* 5.
Ablavius prætorio præfectus cum aliis occisus. *Dex. A. C.* 341.
Abobriga urbs Gallæciæ quæ? *Com. A. C.* 138, *num.* 5, *in Eumelia virgine.*
Absalonius martyr Augustobrigensis cum sociis. *Dex. A. C.* 300, *Com. num.* 22.
Abulensis Julius Carpetaniæ episcopus. *Vide* Julius Abulensis.
Abulensis episcopus S. Secundus. *Vide* S. Secundus.
Abulenses martyres, Vincentius et sorores. *Dex. A. C.* 300, *Com. num* 54.
Abundantius Ursaonensis martyr cum sociis. *Com. A. C.* 115, *num.* 2.
Abundius socius S. Carpophori, martyr Hispalensis. *Dex. et Com. A. C.* 300, *num.* 4. Ubinam passi? *Com. ibid.*

Acatius et decem mille martyres crucifixi. *Dex. A. C.* 134, *num.* 3. Undenam oriundi? et quæ eorum acta germana? *Ibi in Com.*

Accatucci urbs quæ et ubi. *Com. A. C.* 95, *num.* 5.

Acci quæ urbs? *Com. A. C.* 52, *num.* 4. Ejus episcopus S. Torquatus. *Vide* Torquatus. *Vide Com. A. C.* 43, *num.* 1, *et Com. A. C.* 66, *num.* 4.

Accinipi urbs quæ? *Com. A. C.* 300, *n.* 5. Ejus presbyter Leo interfuit Illiberitano conc. *Ibid.*

Achacius, idem atque Acatius. *Vide* Acatius.

Achilleus martyr cum sociis, *Dex. A. C.* 91, *num.* 3.

Achilleus martyr cum sociis, S. Irenæi discipulus. *Dex. A. C.* 255. Ubi occisi? *Ibi et in Com.*

Acindinus martyr Iturissanus cum sociis. *Com. A. C.* 300, *num.* 45.

Acisclus juvenis, martyr, quis? Cordubæ cum Victoria passus. *Com. A. C.* 158, *num.* 6.

Adelphius episcopus exsulat. *Dex. A. C.* 382.

Adelphus rhetor in Hispania. *Dex. A. C.* 380.

Adera urbs quæ? *Com. A. C.* 50, *num.* 4. An ejus episcopus fuerit Epaphroditus? *Ibid.*

Adhea, eadem quæ Adera urbs. *Vide* Adera.

Adingi urbs quæ? *Com. A. C.* 300, *num.* 5. Ejus presbyter Barbatus interfuit Illiberitano conc. *Ibid.*

Adrianus. *Vide* Hadrianus.

Adura urbs quæ? *Com. A. C.* 138, *num.* 6. Ibi Sancta Quiteria cum aliis passa. *Ibid*

Ælia imperatorum progenies Hispana. *Com. A. C.* 388, *num.* 9.

Æmilianus martyr Caracitanus, cum socio Geronio. *Dex. A. C.* 86, *num.* 13.

Africæ cum Hispania frequens communicatio. *Com. A. C.* 248, et *Com. A. C.* 268, *num.* 1.

Africanum concilium, quo Orosius convenit. *Dex. A. C.* 400.

Agatha virgo et martyr Sicula. *Dex. A. C.* 300, *Com. num.* 13.

Agathobolus philosophus. *Dex. A C.* 122.

Agathoclia martyr Octogessæ. *Dex. A. C.* 94.

Agathodorus S. Jacobi discipulus, creatusque ab eo primus Tarraconensis episcopus. *Com. A. C.* 37, *num.* 8. Sacrat altare magistro suo. *Dex. A. C.* 41, *Com. num.* 2. Patitur. *Dex. A. C* 60.

Agathonica Carthaginensis virgo et martyr cum sociabus. *Dex. A. C.* 508. *Com. num.* 5.

Agathoppius diaconus S. Ignatii comes quis? *Com. A. C.* 70, *num.* 6.

Agaunenses in Gallia martyres. *Dex. A. C.* 300, *Com. num.* 1.

Ager Martyrum Agredæ. *Vide* Agredæ martyres.

Agredæ martyres, quorum ager colitur. *Com. A. C.* 300, *num.* 40. Horum duo corpora sunt in cœnobio Huelgensium Virginum apud Burgos. Vocabatur alter illorum S. Ibineus.

Agitatorum factiones quatuor, Albana, Veneta, Prasina, Russata. *Com A. C.* 120.

Alani cum Wandalis et Suevis, quando in Hispaniam venere? *Dex. A. C.* 424. Sunt prima ex quatuor bestiis Danieli cap. VII ostensis. Vide *Appendicem ad A. C.* 430, *in fine hujus libri.*

Alba urbs prope Accim, quæ? *Com. A. C.* 300, *num.* 55. Ejus martyres. *Ibid.*

Albedo in vestibus monachorum unde? *Com. A. C.* 419, *num.* 5.

Albense municipium quod? *Com. A. C.* 300, *n.* 5. Ejus presbyter Eucharius interfuit Illiberitano. *Ibid.*

Alexander martyr Pydnæ, seu Pyocil. *Dex. A. C.* 95.

Alexander martyr socius Antoninæ. *Dex. A. C.* 100, *Com. num.* 14, *ubi habes eorum acta*, et *Dex. A. C.* 285.

Alexander filius Simonis Cyrenensis. Ejus gesta. *Dex. et Com. A. C.* 112, *num.* 10. Patitur Carthagine. *Ibid.*

Alexander martyr socius Victoris et Martini, Flaviobrigæ occisorum. *Com. A. C.* 182, *num.* 3.

Alexander episcopus Hierosolymitanus. *Com. et Dex. A. C.* 206.

Alexander imperator. *Dex. A. C.* 234. Occiditur. *A. C.* 237.

Alexander episcopus Alexandriæ. *Dex. A. C.* 317.

Alone quæ urbs fuerit? *Com. A. C.* 52, *num.* 1. Ejus prædicator evangelicus. *Ibid.*

Alotus Judex Neronis. *Vide* Halotus.

Altare super corpus S. Jacobi a discipulis erigitur. *Dex. A. C.* 42, *Com. num.* 4.

Ambratia urbs quæ? *Com. A. C.* 268, *num.* 7. Ambratianus episcopus et martyr. *Ibid.* Ambratiani Placentiam in Cantabria ædificant. *Dex. A. C.* 384. Ejiciunt Priscillianistas. *Dex. A. C.* 424. Ubi de eorum episcopo Speudonio.

Ambrosius fit episcopus Mediolanensis. *Dex. A. C.* 369. Quo anno? *Ibi in Com. late discutitur.* Scribit Justo Vicensi episcopo. *Dex. A. C.* 382. Et contra Arianos. *Dex. A C.* 381. Vide *Dex. et Com. A. C.* 388, *num.* 3.

Ammonius lector S. Theodori Cæsaraugustani episcopi patitur. *Dex. A. C.* 71.

Ammonius martyr Rhodensis cum socio. *Dex. A. C.* 300, *Com. num.* 44.

Amphilochia urbs, eadem quæ Amphilochium. Vide *eo verbo.*

Amphilochium, quæ urbs, et qualis? *Com. A. C.* 138. *num.* 5, 6 *et* 7. Ejus virgines et martyres. *Ibi et in Dex.*

Amphilochensis Ecclesia erecta a S. Petro Bracarensi. *Com. A. C.* 36, *num.* 2.

Amphilochius dux et martyr Barcinonensis. *Com. A. C.* 138, *num.* 2.

Amphitheatrum Romæ incensum. *Dex. A. C.* 220, *et A. C.* 252.

Amphitria urbs quæ? *Com. A. C.* 66, *num.* 21. Vide *Dex. A. C.* 366.

Anacletus, et Cletus unus idemque Rom. pontifex. *Dex. et Com. A. C.* 86, *num.* 1.

Ananias Christi discipulus ubi et quando passus? *Dex. A. C.* 70, *Com. num.* 5.

Ananias martyr Julobrigensis cum sociis. *Dex. A. C.* 308, *Com. num.* 20.

Anastasia virgo Hispana sanctorum apostolorum corpora curat, cum sorore Basilissa. *Dex. A. C.* 66, *Com. num.* 3.

Anastasius presbyter Mantuanus Olysippone floret, cum sociis. *Dex. A. C.* 308, *Com. num.* 12. Patitur. *Dex. A. C.* 353. Anastasius papa. *Dex. A. C.* 398 *et* 401.

Anatolia virgo et martyr Romana, ubi occisa? *Com. A. C.* 255, *num.* 4.

Anatolius episcopus Laodiciæ. *Dex. A. C.* 280.

Ancyrana synodus quo anno coacta? *Dex. et Com. A. C.* 316.

Andeolus martyr Nivariæ. *Dex. A. C.* 208. In Hispania patitur. *Ibid.*

Andreas apostolus proficiscitur ad prædicandum. *Dex. A. C.* 41, *Com. num.* 3. Ejus discipulæ. *Vide* Polyxena, et Maximilla.

Anglia invisitur a S. Jacobo apostolo. *Dex. A. C.* 41, *Com. num.* 4.

Anicetus Romanus pontifex quot annos sedit? *Com. A. C.* 156, *num.* 1.

Annus Urbis quo Christus natus est? *Com. A. C.* 1, *n.* 2. A quo die, et mense supputandus? *Ibid.*

Ansanus martyr a S. Maxima Cauriensi ad fidem perductus. *Com. A. C.* 360, *num.* 5.

Antigonius martyr Eburensis cum sociis. *Com. A. C.* 300, *num.* 20.

Antima Maximilla. *Vide* Antonia Maximilla.

Antonia Maximilla, B. Andreæ apostoli discipula. *Dex. A. C.* 100, *Com. num.* 23. Patitur. *Dex. ibid. et in Com.*

Antonina socia Alexandri patitur apud Oleades. *Dex. A. C.* 100, *Com. num.* 14, *et Dex. A. C.* 285.

Antonina virgo apud Cæam Gallæciæ occisa. *Dex. et Com. A. C.* 300, *num.* 16.

Antoninus Pius imper. *Dex. A. C.* 139. Moritur. *Dex. A. C.* 162. Orationibus Christianorum obtinet victoriam. *Dex. A. C.* 175.

Antoninus Caracalla imperator. *Dex. A. C.* 217, 218, 219. Occiditur. *Dex. A. C.* 221.

Antoninus martyr Juliobrigensis, cum sociis. *Com. A. C.* 300, *num.* 19.

Antoninus martyr Pameensis. *Dex. A. C.* 308, *Com. num.* 21. In Hispania occubuisse probatur. *Ibi in Com.*

M. Antonius Verus et M. Aurelius imperatores. *Dex. A. C.* 162.

Antonius abbas nascitur. *Dex. A. C.* 252.

Antonius martyr Iturissanus, cum sociis. *Dex. A. C.* 300, *Com. num.* 61. Alias Antoninus. Vide *in Com.*

Anulus, et orarium sanctorum Emitherii et Celedonii volarunt ad cœlum. *Com. A. C.* 299.

Apamea urbs quæ? *Com. A. C.* 382, *num.* 9. *Vide* Pamea, *et* Tela.

Apamus martyr Juliobrigensis, cum sociis. *Com. A. C.* 300, *num.* 19.

Apellius martyr Ispalitanus, cum sociis. *Dex. A. C.* 308, *Com. num.* 16.

Apodemius martyr Cæsaraugustanus, alter ex XVIII sociis. *Com. A. C.* 300, *num.* 50.

Apollinaris episcopus Ravennas. *Com. A. C.* 37. Venit in Hispaniam. *Dex. A. C.* 50.

Apollinaris Hierapolitanus episcopus. *Dex. A. C.* 174.

Apollo martyr Albensis, cum sociis. *Dex. A. C.* 300, *Com. num.* 55.

Apollonius Stoicus. *Dex. A. C.* 150.

Apollonius senator, scriptor, et martyr. *Dex. A. C.* 190.

Apollonius martyr Juliobrigensis, cum sociis. *Com. A. C.* 300, *num.* 19.

Apologiæ Chronici Dextri prior pars. *Quære post Vitam Auctoris.*

Apologiæ ejusdem pars altera. *Quære ad calcem hujus operis.*

Apostoli quo anno et die provincias mundi inter se sortiti sunt? *Dex. A. C.* 34, *Com. num.* 10. Quæ provincia unicuique contigerit? *Ibid. et late in Com. num.* 15. Quando a se invicem divisi? *Ibid. num.* 12. Septem Diaconos ex Græcis creant. *Ibid.* Quanto tempore Hierosolymis et in Judæa morati? *Ibid. num.* 10, et *Com. A. C.* 41, *num.* 5.

Apostolorum Petri et Pauli martyrium quo anno acciderit? *Dex. et Com. A. C.* 68.

Apuleius Diocles. *Vide* Diocles.

Aquæ urbs prope Toletum. *Dex. A. C.* 130. Quæ? *Com. ibid.* In sedem episcopalem evecta. *Ibid.* Aquenses martyres. *Dex. A. C.* 332.

Aquæ-Calidæ urbs quænam fuerit? et ejus martyres. *Dex. A. C.* 300, *Com. num.* 25.

Aquæ-Quintianæ urbs quæ? et ejus martyres. *Dex. et Com. A. C.* 95 *num.* 2.

Aquila Ponticus prædicat in Hispania. *Dex. A. C.* 70. Ejus gesta. *In Com.* Patitur. *Dex. A. C.* 95.

Aquilina martyr Pacis-Augustana cum conjuge et filio. *Com. A. C.* 308 *num.* 24.

Aquilius Severus ad quem scripsit Lactantius, floret. *Dex. A. C.* 370. Alius ejusdem consanguineus. *Ibid.*

Araducta urbs quæ? *Com. A. C.* 95.

Arcadius S Jacobi discipulus, creatus ab eo primus Juliobrigensis episcopus. *Com. A. C.* 37. Sacrat altare magistro suo. *Dex. A. C.* 42, *Com. num.* 4. Patitur. *Dex. A. C.* 60.

Arcadius martyr Ursaonensis. *Dex. A. C.* 110.

Arcadius martyr Iturissanus, cum sociis. *Dex. A. C.* 300, *Com. num.* 45.

Arcadius imperator Theodosii filius. *Com. A. C.* 388 *num.* 9.

Archisynagogus Crispus quis? *Vide* Crispus.

Arelatensis Augustalis, non fuit episcopus Arelatensis, sed Illiberitanus. *Com. A. C.* 382 *num.* 7, *et Dex. A. C.* 388.

Argenteola urbs quæ? *Com. A. C.* 300 *num.* 36. Ejus martyres. *Ibi in Dex.*

Argumenta quæ germanum esse fetum Dextri convincunt. *In Apol.* 1 *p.*, § 1. Nimirum styli puritas, et præstantia, exscriptorum errata, defectus historiæ, ipsa dedicatio, etc. *Ibid.*

Argumenta in contrarium nullam habere vim. *Ibid.* § 2.

Aristides Atheniensis fidei defensor. *Dex. A. C.* 128.

Arlanco Hispaniæ fluvius. *Dex. A. C.* 308, *Com. num.* 21. Ejus martyr. *Ibid.*

Armentarius Romanus, scriptor Actorum SS. Chrysanti et Dariæ. *Dex. A. C.* 285.

Arnobius rhetor Africanus. *Dex. A. C.* 330.

Arrianus philosophus illustris. *Dex. A. C.* 149.

Arsa-Mariana urbs quæ? *Com. A. C.* 95 *num.* 4.

Artemidorus Bæticus martyr cum sociis. *Dex. A. C.* 308, *Com. num.* 15.

Artemisia Judæa Hispana miro modo ad Christum conversa. *Com. A. C.* 424 *num.* 11.

Asclepiades Antiochenus episcopus. *Dex. A. C.* 214.

Asianus Sardicensis episcopus scriptis fidem defendit. *Dex. A. C.* 173.

Asion-Gaber portum maris ad Mediterraneum fuisse. *Com. A. C.* 66, 22, *ubi de Tarsis agitur.*

Assumptio Deiparæ ad Filium quo anno acciderit? *Com. A. C.* 48 *num.* 1 *late disseritur.*

Asta urbs in Hispania quæ? *Com. A. C.* 112 *num.* 3, *et Com. A. C.* 208 *num.* 8. Ubi de Asta Italiæ. Astenses martyres. *Dex. utroque anno et num.*, *et A. C.* 300, *Com. num.* 31.

Astigensis urbs, vel Astigi, ubi? *Com. A. C.* 66 *num.* 5. Ejus episcopus Crispinus martyr. *Ibid.* Ejus presbyter Eumentianus interfuit Illiberitano. *Com. A. C* 300, *num.* 5.

Astorgius episcopus martyr. *Dex. A. C.* 91.

Astures martyres. *Dex. A. C.* 300, *Com. num.* 34 *et* 36.

Asturicensis Ecclesia a S. Jacobo erecta, creato ibi S. Ephrem primo ejus episcopo. *Dex. et Com. A. C.* 37.

Asturius Serranus adolescens floret Toleti. *Dex. A. C.* 370. Fit lector. *Dex. A. C.* 380. Fit Toletanus episcopus. *Dex. A. C.* 396. Interest Toletano concilio. *Com. A. C.* 386 *num.* 1. De eodem *Dex. A. C.* 407. Quatenus vocetur a S. Illefonso nonus Toletanus episcopus? *Com. A. C.* 423 *in fine.* Reperit sepulcra SS. martyrum Complutensium, fundatque templum et sedem Complutensem. *Dex. A. C.* 423. Scribit officium Ecclesiasticum eorumdem martyrum. *Ibid.* Moritur. *Dex. A. C.* 424. Ejus corpus ubi? *Com. ibi.*

Ataulphus Gothorum in Hispania primus rex, Placidiæ Augustæ maritus. *Dex. A. C.* 407. *De eo in Appendice ad Chronicon Dextri.* Ejus mors et epitaphium. *Dex. A. C.* 430, *in fine.*

Athanasius S. Jacobi discipulus, primus Cæsaraugustanus episcopus; missus fuit ab Hispanis ad Petrum, et quare? *Com. A. C.* 35 *num.* 7. De eodem *Dex. et Com. A. C.* 37. Sacrat altare magistro suo. *Dex. A. C.* 42, *Com. num.* 4. Prædicat in Celtiberia et Carpetania. *Dex. Com. A. C.* 50 *num.* 7. Patitur. *Com. A. C.* 60 *num.* 1.

Athanasii de Hosio jam mortuo judicium. *Vide* Hosius. Absolvitur in concilio Cordubensi. *Dex. A. C.* 356. Venit in Hispaniam. *Com. A. C.* 352 *num.* 1.

Athenienses ab Hadriano imper. Hispano leges accipiunt. *Dex. A. C.* 125. Atheniensis Bibliotheca ab eodem imper. fundata. *Dex. A. C.* 134.

Atocha, imago Deiparæ Matritensis, cujus antiquitatis? *Com. A. C.* 50 *num.* 1.

Attuvi et Aruci urbes quæ? *Com. A. C.* 95 *num.* 5.

Atubi urbs quæ? *Com. A. C.* 300 *num.* 5. Ejus presbyter Felicissimus interfuit Illiberitano. *Ibid.*

Audentius Toletanus diaconus. *Dex. A. C.* 360. Fit Toletanus episcopus. *Dex. A. C.* 366. Ejus libri contra hæreticos. *Dex. A. C.* 368. Exstruit collegia juvenum. *Dex. A. C.* 370. Interest Cæsaraugustano concilio. *Dex. A. C.* 384. Scribit contra hæreticos. *Dex. A. C.* 385.

Auditus martyr Blitabri prope Segobiam. *Dex. A. C.* 208.

Augurius martyr Tarraconensis cum sociis. *Dex. et Com. A. C.* 268 *num.* 5.

Augusta-Valeria urbs quæ? *Vide* Setabis.

Augustalis episcopus Illiberitanus obiit Arelate in Gallia. *Dex. et Com. A. C.* 382 *num.* 7. Vide *etiam Dex. A. C.* 388.

Augustinus monachos instituit. *Dex. et Com. A. C.* 406 *num.* 1. Augustinensium monachorum restaurationem quatenus Joachimus abbas prædixerit? Vide *Apologiam quæ est in fine hujus operis.* De eisdem vide *Dex. et Com. A. C.* 429 *num.* 3. De Augustino *Com. A. C.* 400 *num.* 2.

Aulus Altinus Paternus. *Vide* Paternus.

Aulus Cornelius Palma Toletanus nobilis. *Dex. A. C.* 91. Iniit Romæ consulatum cum Caio Sosio Senecione. *Com. ibid.* Ubi de Cornelio Palma ejus consanguineo.

Aulus Victor episcopus Barcinonensis. *Dex. A. C.* 139.

Aurelianus imper. *Dex. A. C.* 273, *et* 276, *et* 277.

Ausonius Burdegalensis avunculus S. Paulini, quid ad illum in Hispaniis detentum scribat? *Com. A. C.* 396 *num.* 1.

Auctor anonymus vetustissimus, quid de filiorum Noe habitationibus dixerit? *Com. A. C.* 66 *num.* 22.

Auctores quot et quales Illustrator evolvit? 1 *p. Apol.* § 3.

Auctoris vita. *Quære initio operis, et in Elogiis.*

Auxentius Mediolanensis episcopus hæreticus. *Com. A C.* 369 *n.* 2. Duo ejus nominis. *Ibid.*

Avitus martyr in Insulis Fortunatis. *Dex. et Com. A. C.* 105 num. 6.

Avitus Barcinonensis episcopus. *Dex. A. C.* 299.

Avitus Bracarensis. *Com. A. C.* 400 *num.* 2.

Avitus Tarraconensis: duo ejus nominis et patriæ. *Com. A. C.* 400 *num.* 2, *et Dex. A. C.* 429.

Aza martyr Tudensis cum CL sociis. *Dex. et Com. A. C.* 300 *num.* 25. Ejus mira acta. *In Com.*

B

Bachillus Asiæ episcopus clarus. *Dex. A. C.* 198.

Bætis urbs, alias Utriculum, quæ? *Com. A. C.* 180 *num.* 2; *et Dex. A. C.* 308, *Com. num.* 15. Bæticæ martyres sub Nerone. *Dex. A. C.* 60. Bæticæ provinciæ episcopi Nicænæ synodo interfuerunt. *Dex. A. C.* 324.

Bætyrus urbs quæ? *Vide* Berela.

Baga civitas quæ? *Com. A. C.* 353 *num.* 2. Ibi natus Gracianus Carthaginensis episcopus. *Ibid.*

Balbinus imper. genere Hispanus. *Dex. et Com. A. C.* 268 *num.* 5.

Balcagia urbs quæ? *Com. A. C.* 138 *num.* 6.

Balconius Bracarensis episcopus. *Com. A. C.* 386.

Baptismus Christi quo anno ejus acciderit? *Com. A. C.* 31. Cornelii centurionis quando? *Dex. A. C.* 40.

Barbatus presbyter interfuit Illiberitano. *Com. A. C.* 300 *num.* 5.

Barbarorum in Hispanias immanis irruptio. *Dex. et Com. A. C.* 423 *num.* 6, *et* 424 *num.* 1.

Barbesola urbs quæ? *Com. A. C.* 300 *num.* 5. Ejus presbyter Januarius interfuit Illiberitano. *Ibid.*

Barca urbs quæ? *Com. A. C.* 300 *num.* 5. Ejus presbyter Emeritus interfuit Illiberitano. *Ibid.*

Barcinonensis urbis laudes. *Quære in Vita Auctoris.* Ejus Ecclesia a S. Jacobo erecta. *Dex. et Com. A. C.* 37 *num.* 8. Episcopi qui? 1 *p. Apol.* § 2. *Vide etiam in verbis,* Theodosius, Lucius, Fulta, Severus, alter Severus (ambo martyres), Avitus, Mademarius, Pacianus, Lampadius, Etherius, Sedis ejus fundator.

Barcinonenses cum Toletanis ineunt amicitias. *Dex. A. C.* 100.

Barcinonenses martyres. *Dex. A. C.* 138, *et verbis,* Etherius episcopus, Severus, Cucuphas, Eulalia, Philetus, Læda.

Barcinonensis episcopus interfuit Nicænæ synodo. *Dex. A. C.* 324.

Bareas fuit Christianus. *Dex. et Com. A. C.* 89 *num.* 9.
Barnabas apostolus venit in Hispaniam. *Dex. A. C.* 50. Patitur. *Dex. A. C.* 61.
Baronius perperam annum Urbis designat sub quo natus est Christus. *Com. A. C.* 1 *num.* 2. Non audiendus dum negat S. Petronillam fuisse vere filiam S. Petri. *Com. A. C.* 34 *num.* 4. Nec recte sentit de adventu S. Jacobi in Hispanias, prædicationis gratia. *Com. A. C.* 36. Nec de antiquitate epistolæ S. Jacobi. *Com. A. C.* 37 *num.* 7. Nec de anno ascensus Pauli Hierosolymam post Conversionem. *Com. A. C.* 38 *num.* 1. Nec de consecratione templi S. Jacobi. *Com. A. C.* 42 *num.* 4. Sibi est contrarius, dum de anno necis Apostolorum agit. *Com. A. C.* 68. Non audiendus dum epistolas Hieronymi ad Chromatium et Heliodorum de edendo Martyrologio carpit. *Com. A. C.* 384 *num.* 3. Nec de legatione Pauli Orosii loquens. *Com. A. C.* 400 *num.* 2.
Bartholomæus apostolus proficiscitur ad prædicandum, quo anno? *Dex. A. C.* 41 *Com.* 2.
Basilides hæresiarcha. *Dex. A. C.* 136.
Basilides philosophus. *Dex. A. C.* 150.
Basilides Asturicensis episcopus depositus. *Dex. et Com. A. C.* 255 *num.* 2.
Basileus discipulus S. Jacobi, fit secundus episcopus Bracarensis. *Dex. et Com. A. C.* 37, *et Dex. A. C.* 110 *num.* 2.
Basilius Carthaginensis in Hispania primus episcopus, S. Jacobi discipulus, ab eo consecratus. *Dex. et Com. A. C.* 37 *num.* 8. Sacrat altare magistro suo. *Dex. A. C.* 42, *Com.* 2 *num.* 4. Patitur. *Dex. A. C.* 60.
Basilius Magnus scribit ad Audentium Toletanum episcopum. Dex. A. C. 368.
Basiliscus martyr Eburensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 20.
Basilissa, alias Basilla virgo et martyr Hispana, ejusque gesta. Com. A. C. 138 num. 5.
Bassa virgo et martyr Carthaginensis cum sociabus. Com. A. C. 308 num. 5.
Bastetana civitas quæ? alias Bassetana. Com. A. C. 300 num. 5. Ejus episcopus Eutychianus interfuit Illiberitano. *Ibid.*
Baudelius martyr Centicensis. Dex. A. C. 356.
Bellum Hierosolymitanum. Dex. A. C. 66. Judaicum et Samaritieum resumitur. Dex. A. C. 200.
Belsinia urbs Carpetaniæ. Dex. et Com. A. C. 255 num. 3.
Benedictus episcopus Hispanus, cui S. Melchiades scripsit. Com. A. C. 299 num. 3.
Benignus diaconus martyr, frater S. Vincentii Mevaniæ episcopi. Com. A. C. 100 num. 21.
Berela civitas ubi? Dex. et Com. A. C. 105 num. 4, et Com. A. C. 50 num. 5.
Berillus episcopus claret. Dex. A. C. 230.
Berosi fragmenta quis ad libros quinque redegerit? Dex. A. C. 300, Com. num. 13.
Besulcum urbs Lusitaniæ quæ? Dex. A. C. 145.
Betulo urbs. Hujus nominis duæ in Hispania. Com. A. C. 66 num. 7.
Bibliothecæ diversæ ab Elucidatore evolutæ, quæ? 1 p. Apol. § 3.
Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ a quo instructa? Dex. A. C. 424.
Bilbilitanorum apostolus S. Paternus. Dex A. C. 94. Bilbilis urbis laudes. Com. *ibid.*
Blanda urbs quæ? Com. A. C. 156 num. 2. Martyres ejus. Dex. *ibid.*
Blitabrum urbs quæ? Com. A. C. 208 num. 3.
Bolanus. *Vide* Florentius Hispalensis.
Bolanus Rusticus, consularis Hispanus, pater Bolani Florentii martyris. Dex. A. C. 116.
Bonifacius Caldeaquensis, an ex ordine Augustiniano fuerit? Dex. et Com. A. C. 429 num. 3.
Bonosus martyr Blandæ passus, cum socio Maximiano. Dex. A. C. 156.
Bonosus imperator Hispanus. Com. A. C. 285 num. 1.
Bonosus martyr Urgabonensis cum socio. Dex. A. C. 308. Com. num. 4.
Bosphorus quid apud Abdiam? Com. A. C. 37 num. 5.
Bracaræ ædicula in honorem Deiparæ a S. Jacobo erecta. *Hugo Portugallensis in Elogiis Auctoris.*
Bracarensis Ecclesia a S. Jacobo erecta, creato ibi S. Petro primo ejus episcopo. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8.
Bracarenses episcopi. *Vide verbis* Petrus, Basilius, Ovidius, Caledonius, Senagris, Pancratianus, Balconius, Paternus.
Bracarenses Martyres. *Vide verbis* Sylvester, Susanna, Victor Catechumenus.
Bracarense concilium sub Pancratiano, ejusque integra acta. Com. A. C. 423 num. 6. Quando celebratum? *Ibi in fine.*
Breviaria propria multarum Ecclesiarum, quam attulerint lucem huic operi? 1 p. Apol. § 3.
Bricius episcopus Eborensis, martyr illustriss. Dex. A. C. 308, Com. num. 1. Ubi passus? *Ibid.* Ejus acta. *Ibid.*
Briena virgo et martyr Securensis. Dex. A. C. 308, Com. num. 13.
Briga, vox vetus Hispanica, significat urbem. Com. A. C. 54.
Britannia a S. Jacobo peragrata. Dex. A. C. 41. Et a S. Petro apostolo. Com. A. C. 66 num. 21.
Burdegalensis synodus contra Priscillianum. Dex. A. C. 388.
Burgensis Martyr Victoria, quænam fuerit? Com. A. C. 300 num. 4. Centolla et Helena Martyres. *Ibid.* num. 13.

C

Cæa Gallæciæ urbs quæ? Com. A. C. 139 num. 4.
Cæenses martyres. *Ibid.* et Com. A. C. 300 num. 3, cum Dex.
Cæcilianus martyr Cæsaraugustanus, cum sociis XVIII. Com. A. C. 300 num. 40.
Cæcilius S. Jacobi discipulus, lectorque ipsius. Com. A. C. 37 num. 8. Ordinatur episcopus Romæ a S. Petro, et in Hispaniam mittitur. Dex. A. C. 43 et 44. Ubi prædicat? Dex. A. C. 54. Ejus libri denuo reperti. Com. *ibid.* Ubi de libro ipsius, idiomate Hispano composito. Patitur, Dex. A. C. 57.
Cæpori Hispaniæ citerioris populi, qui? Com. A. C. 308 num. 2.
Cæsaraugustana Ecclesia a S. Jacobo erecta, creato ibi S. Athanasio I ejus episcopo. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8. Fuit prima omnium Deiparæ dicatarum. Dex. A. C. 38.
Cæsaraugustani episcopi. *Vide verbis* Athanasius, Theodorus, Valerius, Valerianus.
Cæsaraugustani martyres sub Nerone. Dex. A. C. 60. Innumerabiles sub Diacono. Dex. A. C. 300, Com. num. 49. Engracia et XVIII ejus socii. *Ibid.* num. 50. Lambertus. *ibid.* num. 51. Duo alii. *Ibid.* in Com. num. 52.
Cæsaraugustanum concilium contra Priscillianum. Dex. A. C. 384.
Cæsaraugustæ nascitur Prudentius poeta, matre Calagurritana : et quo anno? Dex. et Com. A. C. 580.
Cæsarius martyr Iturissanus, cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 45.
Cæsarobriga urbs quæ? Dex. et Com. A. C. 407. Unde Juvencus poeta. *Ibid.*
Cæsonius Maximus. Dex. A. C. 66, Com. num. 15. Fuit comes Senecæ in exsilio Corsicano. *Ibid.* in Com.
Caius Oppius centurio fuit Hispanus. Dex. A. C. 34, Com. num. 3. Fuit episcopus Mediolanensis. *Ibid.* et A. C. 34, Com. num. 12, *ubi multa de eo*; et A. C. 66, Com. num. 2; et A. C. 70, Com. num. 11 et 12.
Caius Cornelius centurio Capharnaunensis fuit Malacitanus. Com. A. C. 34 num. 3 et 8, et A. C. 52.
Caius martyr Cæsaraugustanus cum Crementio socio. Com. A. C. 300 num. 50.
Calagurris urbs quæ? duæ ejus nominis in Hispania. Com. A. C. 388 num. 11, et Com. A. C. 396 num. 1. Martyres ejus. Com. A. C. 298.
Calagurritanus quatenus Prudentius? Com. A. C. 380 num. 3.
Calagurritanus Vigilantius, ubi natus? Dex. A. C. 388.
Calcedonia urbs quædam, an olim in Hispania fuerit? Com. A. C. 138 num. 5, *in Eumelia virgine.*
Calduba (alias Carula) urbs, cujus presbyter Lamponius interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Caledonius Bracarensis episcopus. Dex. A. C. 268. Ejus acta ex Cypriano. In Com. *ibid.* De eodem Dex. A. C. 430, *et nos in Elogiis Auctoris, ex Hugone Portucallensi.*
Caliabria urbs quæ? Com. A. C. 300 num. 5. Cujus episcop. Januarius interfuit Illiberitano. *Ibid.*
Calinicus martyr Cluniensis, cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Callensis urbs quæ? Com. A. C. 138 num. 5, *in Liberata virgine*; et Dex. A. C. 308, Com. num. 3.
Calocerus S. Jacobi discipulus, lectorque ipsius. Com. A. C. 37. Sequitur S. Apollinarem. *Ibid.* et Dex. A. C. 50. Prædicat in Carpetania. Dex. A. C. 44. Obit. Dex. A. C. 130, Com. num. 2.
Calpe, altera ex columnis Herculis, quis ibi occisus pro Christo? Dex. A. C. 300, Com. num. 35.
Camerinus episcopus Tuccitanus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300.
Canalis urbs quæ? Dex. et Com. A. C. 419, num. 3. Nigri monachi in ea, a quo tempore? *Ibid.*
Candida. *Vide* Claudia Paphensis.
Candida Carthaginensis virgo et martyr cum sociabus. Dex. A. C. 308, Com. num. 7.
Candidus martyr socius Zosimi et Alexandri. Dex. A. C. 112.
Candidus martyr, Piperionis socius, ubi occisus? Com. A. C. 268 num. 10.
Canones apostolorum quando editi? Dex. A. C. 34, Com. num. 10.
Canones Chronicorum qui dicantur? Com. *epistolæ Dextri ad Orosium,* § *Chronicon Omnimodæ.*

Canones Illiberitani concilii defenduntur. Com. A. C. 311 num. 1. Concilii Bracarensis. *Vide* Bracarense concilium.
Cantabri Martyres lapicidæ. Dex. A. C. 300, Com. num. 33.
Cantonius Virgitanus episcopus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Caparra urbs ubi? Com. A. C. 120, et Com. A. C. 308 num. 19. Caparrenses martyres. *Ibi* in Dex., et Dex. A. C. 86 num. 3, et A. C. 360 num. 8.
Capito S. Jacobi discipulus, creatus ab eo primus episcopus Lucensis. Com. A. C. 37. Patitur. Dex. A. C. 60.
Caprasius martyr Agaunensis in Galliis. Com. A. C. 300 num. 1.
Capreolus diaconus Toletanus. Dex. A. C. 429 num. 6.
Caraca urbs in Carpetania, quæ? et ejus martyres. Dex. A. C. 86 num. 13. Perseveranda virgo ejus urbis. Dex. A. C. 360.
Carensis episcopatus et urbs, ubi? Com. A. C. 311 num. 2. Ejus episcopus Licerius. *Ibid.* Carensium rhetor Adelphus. Dex. A. C. 380.
Carilippus et socii martyres in Lusitania. Dex. A. C. 86.
Carinus imper. occiditur. Dex. A. C. 286.
Carithina virgo et martyr Carthaginensis. Dex. A. C. 296. Ejus Acta. In Com.
Carmonia urbs Carpetaniæ quæ? Com. A. C. 285 num. 4. Carmoniensis martyr. *Ibid.* cum Dex.
Carpetania provincia, quæ fuerit? Com. A. C. 50 num. 7. Ejus Judæi in mortem Christi non præbuere assensum. Dex. A. C. 37, Com. num. 9. Ubi de ejus provinciæ finibus. A quibus in fide instructa? Com. A. C. 50 num. 7. Martyres sub Nerone. Dex. A. C. 60. A Gothis vastata. Dex. A. C. 429.
Carpophorus socius S. Abundii ubi passus? Dex. et Com. A. C. 300 num. 4.
Carthago. Ejus nominis duæ urbes in Hispania, vetus et nova, quæ et Spartaria. Com. A. C. 54 num. 6. Carthaginensis Ecclesia Hispana a S. Jacobo erecta, creato ibi Basilio primo ejus episcopo. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8. Martyres. 1 p. Apol. § 2, et Dex. A. C. 160, et A. C. 112, et A. C. 208, et A. C. 268; Com. num. 10, et A. C. 270, et A. C. 296, et A. C. 300; Com. num. 24, 27 et 47, et A. C. 308; Com. num. 5 et 7, et A. C. 360. Ejus presbyter Evexes interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Carthaginensis provincia divisa in duas. Dex. A. C. 419.
Cartheia urbs quæ? et quot ejus nominis? Com. A. C. 52 num. 1.
Cartherius Uxamensis episcopus interfuit Cæsaraugustano concilio. Dex. A. C. 284.
Carthesia eadem urbs quæ Cartheia. *Vide* Cartheia.
Carus imper. Dex. A. C. 285 et 286.
Cassianus martyr Cæsaraugustanus cum sociis XVIII. Com. A. C. 300 num. 29.
Castinus Gothorum dux, quis? Dex. et Com. 429 num. 5.
Castos martyr Cantaber cum sociis. Dex. A. C. 300.
Castra-Lælia urbs quæ? Com. A. C. 138 num. 6, *in Liberata Virgine*; et Dex. A. C. 308, Com. n. 3.
Castris-Cæciliis quis prædicaverit? Dex. A. C. 86.
Castrum-Altum urbs ubi? et a quo in fide edocta? Dex. A. C. 100.
Castulo urbs quæ? Com. A. C. 66 num. 7. De ea. Dex. A. C. 308, Com. num. 1. Ejus martyres. Dex. *utroque anno*. Ejus episcopus Secundinus interfuit Illiberitano, cum Turrino presbytero. Com. A. C. 300 num. 5.
Castus martyr, socius S. Maximi discipuli S. Jacobi. Dex. A. C. 66, Com. num. 6.
Catellius Lusitanorum Regulus, pater S. Liberatæ et sororum. Dex. et Com. A. C. 138 num. 6.
Cathalaunensis Ecclesia a S. Mancio Christi discipulo erecta. Com. A. C. 90.
Catherina virgo et martyr Alexandrina cum XL philosophis passa. Dex. A. C. 300, Com. num. 60. Reliquiarum ejus pars in Hispaniam delata. Dex. A. C. 308, Com. num. 23.
Catomari quid? Com. A. C. 300 num. 52, *in fine*.
Cauca urbs, ubi a quibusdam natus Theodosius imp. dicitur, quæ? Com. A. C. 382 num. 4.
Cauriensis virgo Romæ patitur. Dex. A. C. 360. Maxencia Tridenti floret. Dex. A. C. 419. Cauriensis episcopus Marcellus. *Vide verbo* Marcellus. S. Vincentia martyr. *Vide* Vincentia.
Celerina nobilis Lusitaniæ matrona martyr Sinensis. Dex. et Com. A. C. 263.
Caledonius martyr Calagurritanus cum socio. Com. A. C. 298, *ubi eorum Acta habentur*.
Celsus puer, S. Paulini Nolani ex Tharasia uxore filius, sanctitate clarus. Compluti a parentibus sepultus. Com. A. C. 396 num. 1.
Celtiberiæ provinciæ fines. Com. A. C. 50 num. 7. A quibus in fide edocta? *Ibid.* Celtiberi jaculatores egregii. Dex. A. C. 86, et A. C. 430.
Centolla virgo et martyr Seoriensis in Cantabria cum socia Helena. Dex. A. C. 300, Com. num. 29.
Centullus S. Iscii discipulus patitur Illiberi. Com. A. C. 57.
Censum quibus annis Romani exigebant? Com. A. C. 14.
Centuriones Evangelici tres, ex Hispania. Com. A. C. 34 num. 3.
Cereos in cœmeteriis accendi, quatenus a concilio Illiberitano vetitum? Com. A. C. 311 num. 1.
Cherronensis urbs in Hispania, quæ? Com. A. C. 60 num 2. Martyres ejus sub Nerone. *Ibid.*
Chrisantus martyr, Dariæ socius. Dex. A. C. 286.
Chrisogonus S. Jacobi discipulus, ab eo presbyter ordinatus. Com. A. C. 57 num. 8. Sacrat ejus altare. Dex. A. C. 42, Com. num. 4.
Christeta martyr et virgo Abulensis, cum sociis fratribus. Dex. A. C. 300. Com. num. 54. Ubi nati? *Ibid.* in Com.
Christianus puer Cluniensis et martyr, cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Christophori martyris imago a quo tempore in Hispania? Dex. A. C. 208. Reliquiæ. Com. *ibid.* Cujus staturæ homo? Com. *ibid.* cum Dextro.
Christophorus martyr Iturissanus cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 45. Alias dictus Chrisophorus. In Com.
Christus Dominus quibus consulibus natus? Dex. et Com. A. C. num. 1. Quo anno Urbis conditæ? *Ibid.* Disputat in medio doctorum. Dex. et Com. A. C. 12. Init prædicationem. A. C. 31. Reus ad Pilatum agitur. A. C. 34, Com. num. 1. Crucifigitur. *Ibid.*
Chronicon Dextri quando cœptum? quando finitum? *Quære in Vita Auctoris*, et in 1 p. Apol. § 2, et in Com. *epistolæ nuncupatoriæ Dextri ad Orosium*, et Com. A. C. 430. num. 12.
Chronicon cur non protraxerit Dexter ulterius? *In eisdem locis*.
Chronicorum scriptores qui? quo stylo usi? Com. *epist. ad Orosium*.
Chronicon quid? in quo differat ab historia? *Ibid.*
Chronici Eusebiani Hieronymus tum interpres, tum continuator, et ex parte auctor. *Ibid.*
Chronicon Omnimodæ Historiæ quod? an istud tale sit? *Ibid.*
Chronico Dextri prior pars ab Orbe condito usque ad Christum, non comparet. *Ibid.* Apud quem fuit Toleti non ante multos annos? *Ibid.* § *Ab Orbe condito*.
Chronicon Dextri prius Hieronymo, deinde Orosio dicatum. *Ibid.* § *Sancto Presbytero*.
Chronici Dextri quæ fidem concilient? *Ibid.* § *Postquam domum*.
Chronico hujus Apologia in duas distributa partes. *Exstat prior initio operis, posterior in fine*.
Chronographi omnes plura de rebus patriis scripserunt, quam de aliis. 1 p. Apol. § 2.
Civitatenses martyres. Dex. A. C. 300, Com. num. 1.
Clarus (alias Clerus) diaconus S. Indalecii discipulus patitur cum sociis clericis. Dex. A. C. 54.
Claudia Procula Pilati uxor in Christum credit. Dex. A. C. 34, Com. num. 2.
Claudia Paphensis Candida, Romæ patitur. Dex. A. C. 100, Com. num. 16. Erat uxor Pauli Sergii. *Ibid.* in Com.
Claudianus poeta unde oriundus? Dex. et Com. A. C. 388 num. 9.
Claudius imper. Dex. A. C. 270.
Claudius martyr Legionensis. Com. A. C. 298.
Clemens Romanus prædicat in Hispania. Com. A. C. 42 num. 4. Mittit illuc Philippum Philotheum. *Vide verb.* Philippus Philotheus. Scribit Juliano et Julio Hispanis. Dex. et Com. A. C. 94 num. 1.
Fl. Clementis consulis passio. Dex. et Com. A. C. 86 num. 8.
Clemens Alexandrinus doctor. Dex. A. C. 197.
Clemens martyr Ispalitanus cum sociis. Dex. A. C. 308, Com. num. 16.
Cleonicus martyr Eburensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 20.
Clerus. *Vide*, Clarus diaconus.
Clodius Albinus fit Cæsar, et occiditur. Dex. A. C. 208.
Clunia urbs Celtiberiæ quæ? Com. A. C. 290, n. 6. Martyres ejus. Dex. *Ibid.* et A. C. 300, Com. num. 63.
Codex Dextri Wormaciæ repertus, a bibliotheca Fuldensi suffuratus. 1 p. Apol. § 1. Ejus repertores quales? *Ibid.* Multoties in Hispaniis visus, et a quibus? *Ibid.* Codex Sislensis qualis? *Ibid.*
Cœlestius hæreticus a quibus persecutus. Com. A. C. 400 num. 2.
Cœlestinus Bæticæ consul, martyr. Dex. et Com. A. C. 356 num. 2.
Collegia juvenum in Hispaniis olim erecta. Dex. A. C. 182. Reerecta postmodum. Dex. A. C. 370.
Columba ab ore utriusque Eulaliæ emicat. Com. A. C. 300 num. 52.
Comasius episcopus abjurat hæresim Priscilliani. Com. A. C. 386 num. 1.

Commodus imp. ab A. C. 180 usque ad 193. *Ipsis annis.*
Complutum urbs quæ? Com. A. C. 296 num. 1. Ejus martyres. *Ibid.* et A. C. 290. Eorum inventio. Dex. A. C. 423. Sedis erectio. *Ibid.* S. Celsus puer ibi sepultus. *Vide* Celsus. Complutum a Gothis vastatum. Dex. A. C. 429.
Conceptionis B. Mariæ festum in Hispania a S. Jacobo institutum. Dex. A. C. 308, Com. num. 9. Cæterum non aliud quam Dominicam incarnationem intendit celebrare, ut in Com. late ostenditur. *Vide* 1 p. Apol. § 2.
Concessa martyr Carthaginensis. Dex. A. C. 300, Com. num. 27.
Concilium Apostolicum de legalibus, quo anno acciderit? Com. A. C. 48 num. 1. Illiberitanum celebratum a discipulis S. Jacobi. Dex. A. C. 57. Cherronense ab eisdem. Dex. A. C. 60. Toletanum a S. Eugenio coactum. Dex. A. C. 105. Toletanum ab eodem celebratum. Dex. A. C. 112. Toletanum sub Sixto Papa II. Dex. et Com. A. C. 260 num. 5. Illiberitanum solemne. *Multa de eo.* Com. A. C. 300 num. 5. Toletanum pro Illiberitano. Dex. et Com. A. C. 311 num. 1. Ancyranum. Dex. A. C. 316. Neocæsariense. Dex. *ibid.* Nicænum primum. Dex. A. C. 324. Toletanum sub Natali episcopo. Dex. A. C. 324. Alia Toleti, Variæ, et Tricii celebrata. Dex. A. C. 368. Romanum contra Arianos. Dex. A. C. 369. Mediolanense sub Theodosio imper. Dex. A. C. 384. Emeritense contra Priscillianum. *Ibid.* Lusitanum *Ibid.* Cæsaraugustanum. *Ibid.* Cordubense. Dex. A. C. 336. Toletanum contra Priscillianistas. Dex. A. C. 386. Quinque diversa sub nomine Toletani primi continentur. Com. *ibid.* Toletanum tempore Siricii papæ. Dex. A. C. 388. Tarraconense. Com. A. C. 388 num. 10. Toletanum aliud. Dex. A. C. 400. Toletanum aliud. Dex. A. C. 403. Africanum. Dex. A. C. 400. Telense. Dex. A. C. 424. Bracarense, ejusque acta. Com. A. C. 423 num. 6.
Concordia Lusitaniæ urbs. Dex. A. C. 145. Martyres ejus. *Ibi et* A. C. 418.
Conimbricensis Ecclesia a S. Petro Bracarensi erecta. *Quære inter elogia Auctoris, in Hugone Portucallensi.*
Consules sub quibus Christus natus est. Com. A. C. 1.
Constantinus Magnus imper. Dex. A. C. 308, Com. num. 31, *et* A. C. 311 *et* 312. Ubi de Cruce ei cœlitus ostensa. Ejus obitus. Dex. A. C. 337.
Constantius Cæsar. Dex. A. C. 300, Com. num. 9. Delevit sexaginta millia Germanorum. *Ibid.* De eo item. Dex. A. C. 310.
Constantius imperator, Placidiæ maritus. Dex. A. C. 407. Prædatur in Hispaniis. Dex. A. C. 418.
Cordubenses martyres. Com. A. C. 298 *et* 299 *in fine, et* Dex. A. C. 300, Com. num. 57. Hosius episcopus cum Juliano ejus presbytero interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300, num. 5. S. Parmenæ et sociorum reliquiæ Cordubam adductæ. Dex. A. C. 300, Com. num. 53. Concilium Cordubense in causa Athanasii. Dex. A. C. 356. Vincentius civis Cordubensis. Dex. A. C. 360.
Cornelius centurio cohortis Italicæ, Hispanus. Dex. et Com. A. C. 34 num. 3. Baptizatur a Petro. Dex. A. C. 50.
Cornelius Capharnaunensis centurio. *Vide* C. Cornelius.
Cornelius Papa. Dex. A. C. 255.
Cocheia urbs. Com. A. C. 368 num. 3. Marcus poeta. *Ibid.*
Costus Cæsaraugustanus episcopus. Dex. A. C. 356.
Cotyus martyr Juliobrigensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 19.
Crementius martyr Cæsaraugustanus cum socio Caio, secundo in agone coronatus. Com. A. C. 300 num. 30.
Crescens Pauli discipulus ubinam prædicarit? Com. A. C. 30 num. 4, et Com. A. C. 71 num. 5. Sepelivit S. Theodorum Cæsaraugustanum. *Ibid.*
Crispilus martyr Tarraconensis cum sociis. Dex. A. C. 360.
Crispinus episcopus Astigitanus et martyr. Dex. A. C. 66, Com. num. 5.
Crispus Archisynagogus a S. Paulo conversus, quisnam fuerit? *ibid.*
Crotaton martyr Albensis cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 55.
Crux sæpe pro equuleo recepta. Com. A. C. 138 num. 6, *in Liberata Virgine,* et Com. A. C. 300 num. 52. Crucis signum police, saxo impressum a S. Leocadia. *Ibid.* num. 53. In cœlo Constantino Magno monstratum. Dex. et Com. A. C. 312. Ejus festum S. Sylvester papa instituit. Dex. A. C. 424 num. 12.
Ctesiphon. *Vide* Thesiphon, *seu* Tesiphons.
Cucuphas martyr Iriæ-Flaviæ. Dex. A. C. 300, Com. num. 21.
Cucuphas martyr Barcinonensis. *ibid.*
Cuminaria urbs quæ? Dex. A. C. 255.
Curiales ad episcopatum trahi, reprehendit Innocentius I. Com. A. C. 388 num. 4.
Cymbalorum æneorum, ligneorumve usus Com. A. C. 300 num. 38.
Cynegius Hispanus, prætorio præfectus, quantus vir? *Com. epist. ad Orosium, § Post ex Oriente; in fine.*
Cyprianus Carthaginensis episcopus scribit lib. de Mortalitate. Dex. A. C. 255. Cypriani locus correctus. *Ibid.* num. in Com. Occiditur. Dex. et Com. A. C. 259, *ubi de anno ejus martyrii agitur.* Hispaniarum doctor habetur. Com. A. C. 285 num. 6, cum Dex.
Cyrianus puer Cluniensis, et martyr cum sociis. Com. A. C. 300 num. 10.
Cyricus et Julita martyres, in Carpetania passi. Dex. A. C. 222, Com. num. 2. Ubi de actis eorum. Ipsorum Inventio. Dex. et Com. A. C. 300 num. 6.
Cyrillus Alexandrinus scribit ad Valerianum Cæsaraugustanum. Dex. A. C. 430.
Cyxilla Toletanus episcopus, cui rex Silo scribit. Com. A. C. 286 num. 2, *in S. Tyrso.*

D

Dacianus crudelissimus Christiani nominis hostis, in Galliis et Hispaniis. Dex. A. C. 300, Com. num. 1.
Dadas martyr Octaviolensis, cum socio. Dex. A. C. 290 num. 2.
Damasus Matriti natus, fit pontifex. Dex. et Com. A. C. 366 num. 3. Obiit. Dex. A. C. 388.
Danielis prophetæ de Placidiæ et Ataulphi matrimonio prædictio. Com. A. C. 430, *in fine.* Prophetiæ ejusdem de quatuor animalibus, nova expositio. *Appendix ad* A. C. 430.
Dapimus martyr Juliobrigensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 19.
Daria martyr socia Chrisanti. Dex. A. C. 285.
Dasius episcopus et martyr, Dorostori passus. Com. A. C. 168.
Dativus martyr, Aquis-Quintianis. Dex. A. C. 95.
Decentius episcopus Legionensis interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Decius imper. Dex. A. C. 252. Persequitur Ecclesiam. *Ibid.* Deciorum progenies. *Vide* Laurentius.
Deiobriga urbs quæ? Com. A. C. 285 num. 11. Martyres ejus. Dex. *ibid.*
Delphinus Burdegalensis episcopus interfuit Cæsaraugustano concilio. Dex. et Com. A. C. 384 num. 2.
Demetrius hospitalis vir, de quo Joannes, quis? Dex. A. C. 70.
Demetrius martyr Munobrigensis. Dex. A. C. 300, Com. num. 23.
Dertosanus pontifex primus, quis? Dex. A. C. 100.
Desiderius Hispanus presbyter convenit Hieronymum contra Vigilantium. Com. A. C. 388 num. 11.
Dexter. Ejus progenies, militia, officia, studia, opera, amicitia cum Hieronymo. *Vide in vita ipsius.* Fit Toleti rector. Dex. A. C. 100. Qua ætate scripserit? Dex et Com. A. C. 430 num. 12. Ataulphi Epitaphium composuit. *Ibid. in fine.* Dextri duo falso asseruntur. 1 *p. Apol.* § 2. Multa de eo in utraque parte Apologiæ.
Diaconi septem ab Apostolis, e Græcis omnes, creati. Dex. A. C. 34, Com. num. 11. Diaconi septem in cathedralibus olim ecclesiis fuere. Com. A. C. 300 num. 51, *in S. Vincentio.*
Dictinus, seu Dictinius Asturicensis episcopus, Priscilliani assecla, monitis S. Ambrosii resipiscit. Dex. A. C. 388, et Com. A. C. 386 late de eo. Sanctitatis ejus celebritas. Com. A. C. 388 num. 3. *Vide etiam* Com. A. C. 400 num. 1.
Didymus Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Diocletianus imper. sævit in Ecclesiam. Dex. A. C. 286. *De eo* A. C. 300, Com. num. 1.
Diocles Lusitanus agitator celeberrimus. Dex. A. C. 120. Ejus memoriæ et gesta. *Ibid* in Com.
Diodorus martyr Juliobrigensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 19.
Dionysii vindex Theodorus. 1 *p. Apol.* § 1. An interfuerit virginis funeri? Com. A. C. 48 num. 1. Prædicit Joanni apostolo revocationem ab exsilio. Com. A. C. 91 num. 3. Non dicavit libros suos Timotheo Ephesino episcopo, sed Eugenio Toletano. Dex. A. C. 100, *ubi in Comment. id late probatur.* Prædicat in Hispania. Dex. A. C. 110, Com. num. 1.
Dionysius Corinthiorum episcopus. Dex. A. C. 174.
Dionysius martyr Rhodensis cum socio. Dex. A. C. 300, Com. num. 44.
Dionysius martyr Iturissanus cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num 45.
Dion martyr Juliobrigensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 3.
Diotrephes, cujus Joannes meminit, quis? Dex. Com. A. C. 70 num. 4.
Discipuli S. Jacobi Majoris ex profugis in persecutione orta tempore martyrii S. Stephani. Dex. A. C. 35. Discipuli septem a B. Petro episcopi ordinati, urbes littorales Hispaniæ instruunt, et quare? Com. A. C. 37 num. 8, versus finem; et Dex. A. C. 43, cum Com. Quo anno Romam ad Petrum iverint? Com. A. C. 43. Quæ miracula Acci ediderint? *Ibid.* Non fuere ordinati a Paulo, sed a solo

Petro. Com. A. C. 44. Martyria singulorum. Dex. et Com. A. C. 47. Olim per errorem confessores crediti. *Ibid.* Qua de causa festum illorum agatur die 15 Maii? Com. A. C. 43 num. 1.
Divisio apostolorum ab invicem fuit longe post divisionem provinciarum seu earum sortitionem inter se. Com. A. C. 34 num. 10. Quando accidit? *Ibid.* et Dex. A. C. 41, cum Com. num. 5.
Domitianus Telensis episcopus. Dex. A. C. 424.
Domitilla. *Vide* Fl. Domitilla.
Domitius martyr Tarraconensis cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 26.
Domnina virgo Interamnensis cum sororibus, martyr. Dex. A. C. 160.
Domninus martyr Carthaginensis cum socio. Dex. A. C. 300, Com. num. 24.
Donatus martyr Ursaonensis. Com. A. C. 115 num. 2.
Donatus martyr et socii Concordienses. Dex. A. C. 145.
Donatus martyr Eburensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 20.
Donatus presbyter Emeritensis, S. Eulaliæ magister. Com. A. C. 300, *in Actis S. Eulaliæ.*
Donatus martyr Carthaginensis, ad quem scripsit Lactantius. Dex. A. C. 360.
Dorotensis locus in Hispania, non in Mysia fuit. Com. A. C. 160.
Dracontius episcopus exsulat. Dex. A. C. 382.
Drona quæ urbs? Com. A. C. 300 num. 5. Ejus presbyter Luxurius interfuit Illiberitano. *Ibid.*
Drusia electa femina, cui Joannes apost. scribit. Dex. et Com. A. C. 103 num. 2.
Drusus Cæsar moritur. Dex. A. C. 24, cum Com.
Dynamius rhetor Ilerdæ florens, natione Burdegalensis. Com. A. C. 396 num. 1.

E

Ebora. *Vide*, Ebura, *seu*, Elbora.
Eburensis Ecclesia in Lusitania a S. Mancio episcopo et Christi discipulo erecta. Com. A. C. 90.
Ebura urbs in Carpetania, eadem quæ Talabera. Com. A. C. 130 num. 6, et Com. A. C. 300 num. 54.
Eburenses martyres in Carpetania. Dex. A. C. 300, Com. num. 20 et Com. num. 54, et Dex. A. C. 352.
Eburenses Carpetani Hebræi, ad fidem conversi in Minorica insula. Dex. et Com. A. C. 424 *num.* 11.
Ebredunenses martyres. Dex. A. C. 308, Com. num. 24.
Ecclesiæ a S. Jacobo erectæ. Cæsaraugustana, Bracarensis, Carthaginensis, Hispalensis, Valentina, Tarraconensis, Toletana, Barcinonensis, Lucencis, Asturicensis, Palentina, Juliobrigensis. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8.
Ecclesiæ a S. Petro Bracarensi S. Jacobi discipulo erectæ: Iriensis, Amphilocensis, Eminiensis, Portuensis. Com. A. C. 36 num. 2. Item Conimbricencis, et Ulyxipponensis, et aliæ ultra Nerium promontorium. *Vide, inter Elogia Auctoris, Hugonem Portucalens.* Item Emeritensis, Egitanensis. *Ibid.*
Ecclesiæ a D. Basilio S. Jacobi discipulo erectæ. Tudensis et Placentina, seu Ambraciensis. Com. A. C. 36 num. 2.
Ecclesiæ a S. Mancio Christi discipulo erectæ: Eborensis in Lusitania, et Cathalaunensis in Gallia. Com. A. C. 90.
Ecclesiæ omnes pacem ab ethnicis mercantur. Dex. A. C. 180. Præsertim Hispanæ. *Ibid.*
Ecclesiarum totius Orbis tranquillitas sub Sylvestro et Constantino. Dex. A. C. 312.
Ega attulit in Hispaniam de reliquiis S. Catharinæ. Dex. A. C. 308, Com. num. 23.
Egabro urbs, cujus presbyter Victorius interfuit Illiberitano, quæ? Com. A. C. 300 num. 5.
Egitaniensis Ecclesia a S. Petro Bracarensi erecta *Hugo Portucal. inter Elogia Auctoris.*
Elborensis episcopus Quinctianus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Elborensis episcopus S. Bricius. *Vide* Bricius.
Elbora urbs, alias Ebura in Carpetanis. *Vide* Ebura.
Elepel urbs, dicta Ilipula, cujus presbyter S. Restitutus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Eliocrota urbs, quæ? an Valladolid? Com. A. C. 54. Ejus episcopus Successus et Liberatus presbyter interfuerunt Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Elogia Auctoris. *Quære post vitam ipsius Auctoris.*
Elpidius S. Jacobi discipulus, primus Toletanus episcopus ab eo creatus. Dex. et Com A. C. 37 num. 8. Sacrat altare magistro suo. Dex. A. C. 42, Com. num. 4. Patitur. Dex. A. C. 60. *Vide* de eo Dex. A. C. 419.
Emeritensis Ecclesia a S. Petro Bracarensi erecta *Hugo Portucal. inter Elogia Auctoris.* Martyres. Com. A. C. 298. Episcopus Liberius interfuit Illiberitano Com. A. C. 300 num. 5. Martyres et Virgines, Eulalia et Julia. Com. A. C. 300 num. 52. Et Lucretia. Dex. A. C. 508, Com. num. 22. Episcopus Idacius acerrimus Priscilliani insectator. Dex. A. C. 384. Concilium contra Priscillianum. *Ibid.* Martialis episcopus depositus. Com. A. C. 255 num. 2. Epistola S. Cypriani ad Emeritenses super eadem re. *Ibid.*
Emeritus presbyter de Barea interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Emila Barcinonensis episcopus interest Cæsaraugustano concilio. Dex. A. C. 384. Deponitur. *Ibid.* in Com. et A. C. 388 num. 11, et Com. A. C. 396 num. 1
Eminiensis Ecclesia a S. Petro Bracarensi erecta. Com. A. C. 36 num. 2.
Emitherius et Celedonius martyres Calagurritani. Com. A. C. 298.
Emitherius agricola martyr socius S. Severi Barcinonens. episcopi. Com. A. C. 285 num. 10.
Encratis eadem quæ Engratia. *Vide* Engratia.
Engratia virgo Cæsaraugustæ cum sociis occisa. Dex. A. C. 300, Com. 3 num. 13. Ejus acta. In Com.
Epaphroditus fit a S. Petro apostolo episcopus Tarraconæ, non Tarracinæ. Com. A. C. 50.
Eparchius martyr Tarraconensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 26.
Epenetus fit episcopus in Hispania a S. Petro apostolo. Dex et Com. A. C. 50. Obit. Dex. A. C. 64.
Ephrem S. Jacobi discipulus, primus Asturicensis episcopus ab eo creatus. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8. Patitur. Dex. A. C. 60.
Epictetus S. Petri Bracarensis discipulus, et primus episcopus Tudensis, et Ambracianus, seu Placentinus, in Hispania. Com. A. C. 36 num. 2, et Com. A. C. 37 num. 8, et Dex. A. C. 268, Com. num 7. Fit martyr. *Ibid.* Alias dicitur Epitatius.
Epictetus sive Epitatius Cæsaraugustanus episcopus, interest Toletano concilio. Dex. A. C. 105. *Vide de eo hymnum M. Maximi.* Com. A. C. 71 num. 5.
Episcopi a S. Jacobo in Hispania creati (uno excepto Petro Bracarensi) fuere omnes ex fidelibus profugis ab Hierosolymis, in persecutione sub Stephani nece orta, quos Jacobus in Hispaniis repererat. Dex. A. C. 37, Com. num. 8.
Episcopales Sedes per Hispaniam in melius distribuuntur a S. Eugenio. *Vide* Eugenius Tolet. Iterum ordinantur sub Natali episcopo in concilio Toletano. Dex. A. C. 324.
Episcopi qui Toletano concilio XIX Patrum interfuerunt. Com. A. C. 405.
Epistola nuncupatoria Dextri ad Orosium. *Quære initio Chronici.*
Epistolæ S. Eugenii Toletani ad SS. Nereum et Achilleum, martyres. Com. A. C. 34 num. 4. Alia ipsorum responsiva. Com. A. C. 91 num. 3. Alia item Eugenii ad ipsos. *Ibid.*
Epistola S. Jacobi Canonica, non a Jacobo Minore, sed a Majore scripta late defenditur. Com. A. C. 37 num. 6. Et quod fuit prima scriptura novi Testamenti. *Ibid.* num. 7, cum Dex.
Epistola Pauli ad Hebræos, scripta ad Hispanos. Dex. A. C. 66, *quod late probatur in* Com.
Epistola Joannis ad Caium, ad quem Caium scripta? Dex. A. C. 70, Com. num. 4.
Epistolæ Ignatii ad B. Virginem. Dex. A. C. 116, et C. A. 430.
Epistola B. Virginis ad Ignatium. *Ibid.*
Epistola B. Virginis ad Messanenses. Dex. et Com. A. C. 86 num. 11, et A. C. 430.
Epistola B. Virginis ad Florentinos. Com. A. C. 86 num. 11.
Epistolæ ad M. Marcellum seu Eugenium Toletanum, scriptæ sub nomine Timothei memoria. Dex. A. C. 220.
Epistola Cypriani ad Caledonium Bracarensem. Com. A. C. 268 num. 1. Ejusdem ad Ecclesias Emeritensem, Legionensem et Asturicensem, et locus ipsius correctus. Com. A. C. 255 num. 2.
Epistola Silonis regis Hispani ad Cyxillanem Toletanum episcopum. Com. A. C. 286 num. 2, *in S. Tyrso.*
Epistolæ Hieronymi, Chromatii, et Heliodori de editione Martyrologii germanæ sunt. Com. A. C. 384 num. 3.
Epitatius. *Vide* Epictetus.
Equuleus sæpe crux dictus. Com. A. C. 138 num. 6, *in Liberata virgine.*
Errata codicis Dextriani auctoritatem ipsi conciliant; et quæ præsertim? 1 *p. Apol.* § 1.
Estuciana urbs quæ? Com. A. C. 138 num. 6. Martyres ipsius. *Ibid.*
Etherius S. Jacobi discipulus, I Barcinonensis episcopus ab eo creatus. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8. Patitur. Dex. A. C. 60.
Etherius Ossonobensis episcopus interest concilio Cæsaraugustano. Dex. A. C. 384.
Eucharius presbyter municipii Alben-

sis interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Eucharius Toletanus presbyter in Africa. Dex. A. C. 384. De eo Augustinus. Com *Ibid.*
Eucherius Stiliconis filius qualis? Com. A. C. 417 num. 1.
Eugenius S. Jacobi discipulus, primus Valentinus episcopus ab eo creatus. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8. Patitur. Dex. A. C. 60.
Eugenius Toletanus episcopus, dictus primum M. Marcellus, quis fuerit? Com. A. C. 34 num. 4. Scribit ad SS. Nereum, et Achilleum. *Ibid*, et Com. A. C. 91. Venit in Hispaniam cum Petro cujus erat discipulus. Dex A. C. 50. Ecclesiam Toletanam facit primatem, et cæteras Hispaniæ sedes melius disponit. Dex. A. C. 91. De eo multa. Dex. A. C. 100. Com. num. 1, 3, 7 et 8. Ubi de ejus poematis et Oratoria arte. Dyonisius Areopagita dicat ei libros suos. Com. A. C. 100, num. 11 et 12. Celebrat Toleti concilium. Dex. A. C. 105. Ejus ex fratre nepos qualis? Dex. A. C. 110. Mater, et sorores. *Vide verbo*, Xantippe et Polixena. Cogit aliud concilium. Dex. A. C. 112. Scribit S. Dionysii martyrium egregio poemate. Dex. A. C. 130. In Gallias proficiscitur, et Tolosæ prædicat, ac prope Lutetiam Parisiorum patitur. *Ibid*, et in Com.
Eulalia virgo et martyr Barcinonensis, ejusque acta. Com. A. C. 300 num. 52. Ejus sepulcrum. *Ibid.* num. 53. Templum. Com. A. C. 312.
Eulalia Emeritensis. Dex. A. C. 300, Com. num. 54. Ejus acta. *Ibid.* Quam similes inter se utraque Eulalia? *Ibid.*
Eulogius civis Tarraconensis et martyr, cum sociis. Dex. A. C. 268, Com. num. 4.
Eumantius presbyter Soliensis interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Eumelia eadem quæ Euphemia. *Vide*, Euphemia.
Eumentianus presbyter de Ossigi interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Euphemia virgo et martyr, soror aliarum octo in Gallæcia. Dex. et Com. A. C. 138 num. 7.
Euphrasius S. Jacobi discipulus, Ostiariusque ipsius, sed a S. Petro episcopus factus, remittitur in Hispanias. Dex et Com. A. C. 37, 43 et 44. Ubi prædicat? Dex. A. C. 54 num. 8. Patitur. Com. *Ibid.* Ubi quiescit? *Ibid.* Olim missus ab Hispanis ad Petrum, et quare? Com. A. C. 35. num. 1.
Eusebius Palatinus et socii martyres Metellinenses. Dex. A. C. 134. Eusebius Eburensis et Laodicenus. *Vide infra.*
Euthrandus Chronici Dextri continuator, quis? I *p. Apol.* § I, *et in Elogiis Auctoris. et* II *p. Apol.*
Eutropius Xantonensis episcopus I an fuerit de illis gentilibus, qui accesserunt ad Philippum, ut loquerentur cum Jesu? Com. A. C. 35 num. 9.
Eutropius martyr Eburensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 20.
Eusebius episc. Laodicenus. Dex. A. C. 276.
Eusebius martyr Eburensis in Carpetania cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 20.
Eutychetis Aurigæ Hispani Epitaphium. Com. A. C. 120.
Eutychianus Bastetanus episcopus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300, num. 5.
Eutychius martyr Astensis in Hispania. Dex. A. C. 112.
Eutychius a Paulo apostolo suscitatus. *Ibid.* Telæ patitur. *Ibid.*, et Dex. A. C. 299.
Eutychius Salmanticensis martyr cum sociis. Dex. A. C. 430.
Eutychii martyres in Hispania multi, quot? Com. A. C. 112 num. 5.
Evangelii ostium quando gentibus reseratum? et quem sensum id habeat? Com. A. C. 36 *late.*
Evangelium quo anno Matthæus scripserit? Dex. et Com. A. C. 37 num. 7.
Evangelium dictante Joanne a quo exceptum? Com. A. C. 94 num. 3.
Eventius martyr Cæsaraugustanus, alter e XVIII sociis. Com. A. C. 300 num. 50.
Evexes presbyter Carthaginensis interfuit Illiberitano pro episcopo suo. Com. A. C. 300 num. 5.
Exuperantius Uxamensis translatus Ravennam. Dex. A. C. 385, et A. C. 388, et A. C. 407.

F

Fabianus papa. Dex. A. C. 255.
Fabricianus Abbas et martyr cum socio, Titulciæ. Dex. A. C. 308, Com. num. 6.
Facundus martyr cum fratre Primitivo. Dex. A, C. 139.
Fætadius Toletanus episcopus. Dex. A. C. 424, et A. C. 428.
Favorinus rhetor. Dex. A. C. 135.
Faustina Augusta S. Catharinæ discipula patitur. Dex. A. C. 300, Com. num. 60.
Faustinus nobilis civis Pampilionensis ad fidem conversus. Com. A. C. 110 num. 3.
Faustus martyr cum sociis Januario et Martiale. Com. A. C. 299 in fine.
Faustus martyr Cæsaraugustanus, alter e XVIII sociis. Com. A. C. 300 num. 50.
Faustus martyr Cluniensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Febronia virgo et martyr in Syria. Dex. A. C. 308, Com. num. 1.
Felicianus episcopus Malacitanus, et martyr. Dex. A. C. 308, Com. num. 14.
Felicissima martyr, socia Graciliani, ubi occisa? Dex. et Com. A. C. 230, num. 2.
Felicissimus presbyter de Atubi interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Felicula martyr, socia SS. Vitalis et Zenonis. Dex. A. C. 110.
Felix presbyter Vallatæ-Urbicuæ scribit ad S. Cyprianum. Dex. A. C. 255. Non fuit episcopus Cæsaraugustanus, immo nec episcopus. Com. *ibid.*
Felix martyr B. Irenæi discipulus cum sociis. Dex. A. C. 255.
Felix episcopus cum Sabino ad S. Cyprianum missus. Com. A. C. 255 num. 2.
Felix martyr socius S. Regulæ, Turigii occisus. Dex. A. C. 285.
Felix martyr socius Januarii, Heracleæ occisus. Dex. A. C. 296.
Felix episcopus Accitanus præest concilio Illiberitano. Dex. et Com. A. C. 300 num. 5.
Felix archidiaconus Toletanus canones concilii Illiberitani digessit. Dex. A. C. 300, Com. num. 12. Et tandem Hispali martyrio coronatur. *Ibid.* in Com. et Dex. A. C. 300, Com. num. 48.
Felix Carthaginensis martyr cum sociis. Com. A. C. 270 num. 2.
Felix martyr Eburensis in Carpetania, cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 20. Alter Felix Eburensis. *Ibid.*
Felix martyr Patavoniensis cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 34.
Felix martyr Gerundensis. Com. A. C. 300 num. 21, et præcipue Dex. A. C. 300, Com. num. 43. Felices Gerundenses martyres duo. Com. A. C. 277 num. 2.
Felix episcopus Carthaginensis martyr cum sociis. Dex. A. C. 300 Com. num. 47.
Felix martyr Cæsaraugustanus, alter e XVIII sociis. Com. A. C. 300 num. 50.
Felix martyr Cluniensis cum sociis. Com. A. C. 300, num. 47.
Felix Tarraconensis martyr cum sociis. Com. A. 360, num. 4.
Felix confessor, socius S. Eulaliæ Emeritensis. Com. A. C. 300 num. 52, in hujus vita.
Felix martyr Caparrensis cum socio. Dex. A. C. 360.
Fenarium flumen. Dex. et Com. A. C. 308, n. 6.
Festum S. Jacobi celebre in Hispaniis, et a quo tempore? Com. A. C. 42 num. 4.
Festus Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Fides per Hispanias vehementer dilatatur. Dex. A. C. 100, Com. num. 13.
Fidei professio a Patribus Bracarensis concilii facta. Com. A. C. 423 num. 6, in cap. 2 Actorum ipsius.
Fides virgo et martyr Civitatensis sive Emeritensis, Agauni passa. Dex. et Com. A. C. 300 num. 1.
Firminus episcopus Pompilionensis et Tolosanus. Com. A. C. 76 num. 2. Prædicat per Hispaniam, et patitur. Dex. A. C. 110. Ejus gesta. In Com.
Firmus martyr Mellariæ occisus. Dex. A. C. 300, Com. num. 14.
Firmus Pompilionensis senator ad fidem conversus. Com. A. C. 110, num. 3. Fuit Pater S. Firmini.
Flacilla nobilissima Hispana. Com. A. C. 588 num. 9.
Flavia Domitilla nobilissima, martyr. Dex. A. C. 91. Duæ ejus nominis. Com. *ibid.* Altera patitur cum sociabus. *Ibid.* Altera vero. Dex. A. C. 100, Com. num. 12.
Flaviobriga urbs quæ? Com. A. C. 185 num. 3, et Com. A. C. 270 num. 1. Ejus martyres. *Ibid.* et in Dex.
Flaviarum cognomine multæ olim urbes insignitæ. Com. A. C. 185 num. 3.
Flavium Brigantium, quæ urbs? *Ibid.*
Flavius Lucius Dexter. *Vide* Dexter.
Flavius Illiberitanus episcopus interfuit concilio Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Florentius Hispalensis, dictus M. Bolanus Florentius. Dex. A. C. 110. Alter. Com. *ibid.* Patitur. Dex. A. C. 116.
Florentius episcopus Emeritensis interest concilio Cordubensi. Dex. A. C. 356.
Florianus imperator. Dex. A. C. 277.
Florianus martyr Eburensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 20.
Forcatus episcopus Lucensis sanctitate clarus. Dex. A. C. 385.
Fortunatus martyr, S. Irenæi discipulus cum sociis. Dex. A. C. 255.
Fortunatus martyr Uxamebarcæ, cum sociis. Dex. A. C. 268, Com. num. 6.

Fortunatus civis Pompilionensis ad fidem conversus. Com. A. C. 110, num. 3.
Fortunatus martyr Eburensis in Carpetania cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 20.
Fortunatus martyr Patavoniensis cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 34.
Fortunatus martyr Caparrensis cum socio. Dex. A. C. 360.
Fotinus Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300, num. 63.
Fronto Petragoricus episcopus. Dex. A. C. 66, Com. num. 13.
Fronto martyr Cæsaraugustanus, alter e XVIII sociis. Com. A. C. 300, num. 50.
Fructuosus episcopus Tarraconensis martyr cum sociis. Dex. et Com. A. C. 268, num. 4.
Fulminatricis Legionis milites, multi fuere Hispani. Com. A. C. 175 num. 3.
Fulta Barcinonensis episcopus. Dex. A. C. 212.
Fuscus Agitator factionis Venetæ, Hispanus. Com. A. C. 120.

G

Gabinus imperator. Dex. A. C. 241.
Gabro urbs. *Vide*, Egabro.
Gaditanum Herculis templum, et sepulcrum. Com. A. C. 66, num. 22.
Galba fit imperator in Hispania. Dex. et Com. A. C. 70.
Galenus Medicus. Dex. A. C. 141.
Galerius Maximianus. *Vide*, Maximianus.
Galienus imperator. Dex. A. C. 268, et Com. num. 5, et Dex. A. C. 270.
Galla Placidia Augusta, eadem ac Placidia Theodosii filia. *Vide*, Placidia, et Com. A. C. 423, n. 1.
Gallæci unde dicti? et a quibus orti? Com. A. C. 138, n. 5. A Suevis possessi. Dex. A. C. 423.
Galliis evangelizat S. Jacobus apostolus. Dex. A. C. 41.
Gallus imperator. Dex. A. C. 256.
Gavianus martyr Eburensis cum sociis. Com. A. C. 300 n. 20.
Gelduba urbs non in Thracia, sed in Turdetania fuit. Com. A. C. 94, num. 1. Ejus martyr. *Ibid.*
Gemella urbs. *Vide*, Augusta-Gemella.
Gemianus scriptor nobilis. Dex. A. C. 230.
Gemma-Marina. *Vide*, Marina virgo.
Genesius martyr Mantuanus, Olyssipone floret cum sociis. Dex. A. C. 308, Com. num. 12. Patitur. Dex. A. C. 353.
Genivera virgo et martyr Tudensis cum sororibus. Com. A. C. 138, num. 5.
Geographos quot, et quos Elucidator evolvit. 1 p. Apol. § 3.
Georgius presbyter socius S. Frontonis. Com. A. C. 66 num. 13.
Germana virgo et martyr Hispana cum sororibus. Com. A. C. 138 num. 5.
Germani Gallias et Italiam vastant. Dex. A. C. 268.
Germanus martyr Emeritensis cum fratre Servando. Com. A. C. 298.
Geronius martyr Caracitanus cum socio. Dex. A. C. 86.
Gerontius episcopus Italicensis et martyr. Com. A. C. 86 in fine, ubi exstat Hymnus in ejus laudem.
Gervasii et Protasii corpora quis sepelierit? Dex. A. C. 91.
Gervasius qui in Hispania prædicat, quis? *ibid.* in Com.
Gerundenses martyres. Com. A. C. 277 num. 2. Cucuphas. Com. A. C. 300 num. 21. Felix *Ibid.* Felix et Maximus. Ibid Com. num. 22.
Getulius pater septem fratrum martyrum, S. Joannis apostoli discipulus. Dex. A. C. 100, Com. num. 24.
Glabrio consul Romanus, pro Christo patitur. Dex. A. C. 91.
Gnosticorum origo. Dex. A. C. 136. Pullulant in Hispaniis. Dex. A. C. 380.
Gonciolum urbs, eadem quæ Berella. *Vide* Berella.
Gordianus imperator. Dex. A. C. 241 et 243. Occiditur. A. C. 244.
Gothi per imperium grassantur. Dex. A. C. 300, Com. num. 38. Quando in Hispanias venerunt? Dex. A. C. 424. Vide Com. Vastant Carpetaniam. Dex. A. C. 429. Et Complutum. *Ibid.* num 7. Et Meconem. *Ibid.* num. 10. Sunt quarta Danielis bestia. Vide Appendicem ad A. C. 430. Gothorum reges in Hispania ante Leovigildum, quot? *Ibid.*
Gracilianus martyr socius Felicissimæ, ubinam occisus? Dex. et Com. A. C. 230 num. 2.
Græcorum Menologium. *Vide* Menologium. Græci multas Hispaniæ urbes condiderunt, et quas? Com. A. C. 138, num. 5.
Grannatensis montis cœlestis thesaurus Chronico Dextri respondet. 1 p. Apol. § 1, et Com. A. C. 57. De libris inibi repertis, *ibid.* Quid de Virginis immaculata Conceptione dicant? Com. A. C. 308, num. 9. Quid de libro Hispani idiomatis judicandum? Com. A. C. 54 num. 9. Grannata urbs unde dicta? et a quibus condita? *ibid.* num. 6.
Gratianus Carthaginensis episcopus. Dex. A. C. 353.
Gratianus imper. Dex. A. C. 375, et 382. Vehementer fidei favet. *Ibid.* Occiditur. A. C. 384.
Gratus martyr Tarraconensis cum sociis. Com. A. C. 360 num. 4.
Gregorius Nazianzenus scribit Olympio Toletano episcopo. Dex. A. C. 352. Et contra hæreticos. Dex. A. C. 370.
Gregorius Toletanus episcopus Olympii successor. Dex. A. C. 356. Ejus præclara gesta, *ibid.* Fuit socius S. Luciferi Caralitani; non autem Bæticus, seu Illiberitanus Gregorius. *ibid.* in Com. Communicat Hilario Pictaviensi exsilium passus. Dex. A. C. 360. Obit. Dex. A. C. 366. Refertur inter sanctos. *Ibid.* Fuit Complutensis. Com. A. C. 94 num. 1.
Gregorius episcopus Cordubensis interfuit concilio Mediolanensi. Dex. A. C. 384. Quotidie martyrum nomina in Missa legebat: ex quo Martyrologia confecta sunt. *Ibid.* in Com. Vide etiam Dex. A. C. 424, et Dex. A. C. 430.
Gregorius Illiberitanus episcopus, ex præfecto prætorio Galliæ. Dex. A. C. 388 et 407. Moritur. Dex. A. C. 423. Scripsit librum de fide. *Ibid.*
Gregorius episcopus Cordubensis junior. Dex. A. C. 388.
Gulphilas episcopus Gothorum, Gothicarum litterarum inventor. Dex. A. C. 380.
Gudennes Carthaginensis virgo et martyr. Dex. A. C. 208.

H

Hæresis. *Vide* Manichæi, Gnostici, Priscillianistæ, Vigilantius.
Hadria martyr Castulonensis cum socio. Dex. A. C. 66, Com. num. 7.
Hadrianus imperator. Dex. A. C. 121, et 125, et 128, et 134, et 135, et 139. Fuit Hispanus. Com. A. C. 188 num. 9.
Halotus Neronis judex. *Vide* Alotus.
Hebræi Hierosolymitani mittunt legatos in omnem terram, qui apostolos præveniant et impugnent. Com. A. C. 35 num. 7. Vocabant Christianos Atheistas, *Ibid.* Communicarunt Christi supplicium cum Hebræis Hispanis; sed illi ab eis dissenserunt. *Ibid*; et A. C. 37, Com. num. 9. Adductos fuisse primum in Hispanias a Nabuthzardan Nabuchodonosoris ministro, tempore prioris cladis Hierosolymitanæ, late probatur. Com. A. C. 37 num. 5. Quas urbes inibi erexerint? *Ibid.*
Helena Adebianorum Regina, fit Christiana. Dex. A. C. 66, Com. num. 12. Helena martyr Hispana. Dex. A. C. 300, Com. num. 29.
Helena mater Constantini imper. Dex. A. C. 311. Ipsa instante templa toto Orbe Christo eriguntur. Dex. A. C. 312. Crucis festum institui curat. Com. A. C. 424 num. 12.
Heliopolis urbs in Hispania eadem ac Soliensis. Com. A. C. 308 num. 7. Heliades, *vide infra.*
Helpidius Helpidii filius floret. Dex. A. C. 385. *Vide* Com.
Hemeterius martyr Calagurritanus. *Vide* Emeterius.
Heracleæ urbes quot, et quæ? Com. A. C. 70 num. 2. Martyres Heracleæ Hispaniæ. Dex. A. C. 296; et A. C. 300, Com. num. 35.
Heraclius Carthaginensis martyr cum Zosimo. Dex. A. C. 268, Com. num. 10.
Heraclius martyr Augustodunensis cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 29.
Herculis Ægyptii templum et sepulcrum in Hispania. Com. A. C. 66 num. 22.
Hermenegildus rex Hispaniæ martyr. *Appendix ad* A. C. 430.
Hermogenes S. Jacobi discipulus. Com. A. C. 42 num. 2. Abiit in Hispaniam. *Ibid.* Passus est Syracusis. *Ibid.*
Hermolaus Toletanus antistes et martyr, socius et magister S. Acacii et decem millium martyrum crucifixorum in monte Ararath Armeniæ. Dex. A. C. 134. Ejus reliquiæ Toletum allatæ. Com. *Ibid.*
Herodis regis Infantium interfectoris acerba mors. Dex. et Com. A. C. 6. Quo anno illos occidi jusserit? Dex. et Com. A. C. 3.
Herodis Antipæ et Herodiadis pellicis ejus exsilium et infelix mors. Obiit uterque Ilerdæ in Cathalonia. Dex. A. C. 34.
Herodes martyr Eburensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 20.
Herotes, seu Herodes Dertosanus episcopus, Orosium mittit ad Augustinum. Dex. et Com. A. C. 400 num. 2.
Heliades S. Acacii et decem millium martyrum socius. Com. A. C. 134 num. 3.
Hesichius martyr Dorostorensis. Com. A. C. 168.
Hieronymo Chronicon istud dicatur. *Vide epistolam Dex. ad Orosium.* Quo anno librum de Scriptoribus scripserit? 1 p. Apol. § 2. Ejus epistola ad Chromatium et Heliodorum, et ipsorum ad illum super editione Martyrologii defenduntur. Cum. A. C. 384 n. 3. Fuit presbyter cardinalis. *Ibid. Vide* A. C. 385 n. 2. Scribit contra Vigilantium. Dex. A. C.

388. Quo anno obiit? Dex. et Com. A. C. 426.
Hieronymus de la Higuera codicis hujus promulgator, quantus vir? 1 p. Apol. § 1.
Hierotheus Pauli discipulus ex Hispania oriundus Athenis floruit judex Areopagita, et postea fuit primus episcopus Atheniensis, ac tandem Segobiensis. Dex. et Com. A. C. 71 num. 3. Ejus scripta et spiritus. *Ibid.* in Com. An interfuerit Virginis funeri? Com. A. C. 48. Capitis ipsius recens inventio. Com. A. C. 71.
Hierosolymitanum bellum. Dex. A. C. 66. Excidium. Dex. et Com. A. C. 71.
Higuera. *Vide* Hieronymus de la Higuera.
Higinius Cordubensis episcopus dyscolus. Com. A. C. 560 n. 9. Punitur exsilio. Dex. A. C. 384. Primum persecutus fuerat acriter Priscillianum. Com. *Ibid.* n. 5. Successorem habuit in episcopatu Gregorium. Dex. A. C. 388.
Hilarion martyr Serpensis cum socio. Dex. A. C. 308, Com. n. 2.
Hilarius Pictaviensis. Dex. A. C. 353 et 360.
Himerius Tarraconensis episcopus concilium contrahit Tarracone. Com. A. C. 388 n. 10.
Hippolytus scriptor illustris. Dex. A. C. 230.
Hippolytus martyr Carthaginensis cum sociis. Dex. A. C. 270. Alter ejusdem nominis et urbis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 47.
Hippon Carpetaniæ urbs quæ? Com. A. C. 222 n. 2. Ejus martyres. Dex. *Ibid.* et A. C. 285.
Hiscius. *Vide* Iscius, sive Isicius S. Jacobi discipulus.
Hispalensis Ecclesia a S. Jacobo erecta, creato ibi S. Pio primo ejus episcopo. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8. Ejus præsul ædem Deiparæ sacrat. Dex. A. C. 38 n. 3. Martyres Hispalenses. Dex. A. C. 60, 110, et 115, et Com. 300, n. 4, 28 et 48. Ejus episcopus interfuit Nicænæ synodo 1. Dex. A. C. 324.
Hispani milites fortissimi semper. Com. A. C. 54 num. 3. Multorum imperatorum Prætoriani delecti. *Ibid.* Hispania a quibus primitus nuntium de rebus Christi acceperit? Dex. et Com. A. C. 35. Hispani gentiles interventu Philippi allocuti sunt Christum. Dex. *Ibid.* Com. n. 9. Judæi non consenserunt in necem Christi. *Ibid.* n. 7; et Dex. A. C. 37, Com. n. 9. Mittunt legatos ad Petrum Apostolum, et quare? Dex. A. C. 35, Com. n. 7. Hispania prima provinciarum mundi ad Christum conversa. Dex. A. C. 36. Ab Hebræis dicta Sepharad. Com. A. C. 37 n. 5. Hispani quidam interfuerunt Hierosolymis in die Pentecostes. Com. A. C. 35 n. 3. Hispana lingua divinitus, ac prophetice instructus S. Cæcilius. Com. A. C. 54. Hispani et Galli episcopi in concilio Suessano. Dex. A. C. 300, Com. n. 18. Hispani martyres tempore Diocletiani, quorum nomina non exstant. Dex. A. C. 300, Com. 3. n. 40. Hispani episcopi qui cum Hosio interfuerunt Nicænæ synodo. Dex. A. C. 324. Hispaniæ laudes ex Latino Pacato et aliis. Com. A. C. 382 n. 10, et Com. A. C. 388 n. 9. Hispanorum episcoporum contentio super pœnitentia Priscillianistis præstanda. Dex. A. C. 323. Eorum constantia tempore Gothici incursus, ab Augustino laudata. Com. A. C. 423 n. 6 *in fine*. Hispanorum regum Catholica Monarchia, quando fundata? *Appendix ad* A. C. 430.
Honestus presbyter prædicat Pompeiopoli. Com. A. C. 76 n. 2, et Com. A. C. 110 n. 3.
Honoratus Toletanus episcopus S. Eugenii martyris successor. Dex. A. C. 132. Obit. Com. A. C. 140.
Honorius martyr Astensis. Dex. A. C. 112.
Honorius imper. Theodosii filius. Com. A. C. 388 num. 9.
Honorius monachorum pater. Dex. A. C. 424.
Hormestra quid significet? est libri Orosiani germanus titulus. Com. A. C. 417 n. 1.
Hosius Cordubensis canonum concilii Illiberitani ordinator. Dex. A. C. 300, Com. n. 12. Multa de eo. *Ibid.* n. 5. Ecclesias toto Orbe ædificari curat. Dex. A. C. 312. Constantino et Helenæ charissimus. *Ibid.* et in Com. Præest concilio Nicæno, et Symbolum Missæ componit. Dex. et Com. A. C. 324 n. 1. Absolvitur a concilio Arelatensi. Com. A. C. 311 n. 1. Litteræ ejus sanctissimæ ad Constantium. Com. A. C. 356 n. 1. De eo. Com. A. C. 356 n. 3. Sancte moritur. Dex. et Com. A. C. 360 n. 2. Ejus festa dies, uti de confessore pontifice ab Ecclesia Syriæ celebratur. *Ibid.* in Com.
Hugo Portucalensis episcopus, alter ex auctoribus Historiæ Compostellanæ, Dextri Chronico fruitus est, et quædam ex eo verba citat. *In Elogiis*, et 1 p. Apol. § 1.
Hymnus de S. Torquato et sociis. Com. A. C. 43. De S. Crispinio episcopo. Com. A. C. 66 n. 5. De S. Theodoro Cæsaraugustano et sociis. Com. A. C. 71 n. 5. De S. Eugenio episc. Toletano et Martyre. Com. A. C. 150 n. 3. De Sanctis octo sororibus. Com. A. C. 138 n. 5. De S. Marciana Virgine. Com. A. C. 155. De S. Tyrso. Com. A. C. 286 n. 2. De S. Fausto et sociis. Com. A. C. 299 *in fine*. De S. Cucuphate. Com. A. C. 300 n. 21. De SS. Justa et Regina. *Ibid.* n. 27. De S. Encratide sive Engratia. *Ibid.* n. 29. De SS. decem et octo Cæsaraugustanis. *Ibid.* De S. Vincentio. *Ibid.* n. 30. De S. Leocadia. *Ibid.* n. 31. De utraque Eulalia. *Ibid. in Appendice.* De SS. Vicentio et sororibus. Com. A. C. 300 n. 54. De S. Zoilo. *Ibid.* n. 57. De SS. Justo et Pastore pueris. Com. A. C. 423 n. 8.

I

Ibineus martyr Agredæ. *Vide* Agredæ martyres.
Idacius Emeritensis persequitur Priscillianum. Dex. A. C. 384.
Idacius Bracarensis episcopus interest Cæsaraugustano concilio. *Ibid.* n. 7.
Idacius clarus Hispanus, quantus vir? Com. A. C. 384 num. 5. *Vide* Dex. A. C. 429.
Ignatius flagrat desiderio videndi B. Mariam. Com. A. C. 35. Ejus ad ipsam epistolæ. Dex. A. C. 116. De earum fide. In Com. Et epistola Virginis ad eum. *Ibid.* Quinam Romam ipsum ad martyrium properantem comitati fuerint? Dex. A. C. 70, Com. num. 5.
Ilerdæ Herodes et Herodias misere periere. *Vide* Herodes. Ilerdensis episcopus Licerius. Dex. A. C. 268.
Ili vetus vox Hispana quid? Com. A. C. 54 n. 10.
Iliturgi urbs quæ? Com. A. C. 54 n. 8. Martyres ejus. Dex. A. C. 60. Ejus presbyter Maurus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 n. 5.
Illiberi quæ olim urbs? a quibus condita? unde dicta? Com. A. C. 54 n. 6. Ibi multi S. Jacobi discipuli passi Dex. A. C. 57. Alii ejus martyres. Dex. A. C. 60. Illiberitanum concilium. Dex. A. C. 300, Com. n. 5. Quo anno acciderit? *fuse tractatur in* Com. Fuit omnium quorum acta exstent vetustissimum. *Ibid.* Qui Patres ipsi interfuerint? *Ibid.* Pro ejus defensione Toleti cogitur synodus. Dex. A. C. 311, et Com. *ubi late ejus acta, et auctoritas defenduntur*. Actorum ejus collector quis? *Vide* Hosius, *et* Felix. Fuit aliud Illiberitanum a discipulis S. Jacobi celebratum. Dex. A. C. 60.
Illici et Illicitanus sinus ubi? Com. A. C. 52 num. 1. Illiciana synodus. Dex. A. C. 360.
Hlipula urbs quæ? et quot olim ejus nominis? Com. A. C. 300 num. 53. Martyres Illipulitani. *Ibid.*, et Com. A. C. 57 num. 1. Illipulitanus mons. *Vide* Grannatensis mons.
Ilorci urbs quæ? Com. A. C. 406 n. 2. Ejus martyr. *Ibid. cum Dextro.*
Imago Deiparæ ab ipsa Cæsaraugustæ super columnam relicta. Dex. A. C. 41, Com. n. 1. Imagines a S. Petro in Hispaniam delatæ. Dex. A. C. 50 n. 2. Frequens earum usus. Dex. A. C. 208. Cur prohibitæ aliquando ab Illiberitana synodo in parietibus Ecclesiæ depingi? Com. A. C. 311. Imago S. Christophori statura gigantis a quo tempore in Hispania? Dex. A. C. 208.
Imperatorum ac Summorum pontificum successiones quo pacto Dexter perstrinxerit? 1 p. Apol. § 2.
Indalecius S. Jacobi discipulus, ostiariusque ipsius, sed a S. Petro episcopus factus, et in Hispanias remissus. Com. A. C. 37 num. 8, et Dex. A. C. 43 et 44. Ubi prædicat? Dex. A. C. 54. Olim missus ab Hispanis ad Petrum, et quare? Com. A. C. 35 num. 7.
Innocentius papa scribit ad synodum Toletanam. Com. A. C. 386 num. 1, et Dex. A. C. 405. Init pontificatum. Dex. A. C. 401.
Innocentii Judæi Hispani mira conversio. Dex. et Com. 424 num. 11.
Innumerabiles martyres Cæsaraugustani. Dex. A. C. 300, Com. num. 49, 50, 51.
Interamnis urbs Hispaniæ quæ? et quot? ejusque martyres. Dex. et Com. A. C. 160 num. 2, et A. C. 175.
Inventionis S. Crucis festum a S. Sylvestro institutum. Dex A. C. 424.
Irenæus archidiaconus Cæsaraugustanus patitur cum sociis. Dex. A. C. 71.
Irenæus Lugdunensis episcopus floret. Dex. A. C. 182. Cui libros suos dicaverit? Dex. et Com. A. C. 182 num. 5.
Iriam Flaviam corpus S. Jacobi appulit. *Vide* Jacobus Zebedæi. Iriensis Ecclesia a S. Petro Bracarensi erecta. Com. A. C. 36 num. 2. Irienses martyres. Dex. A. C. 300, Com. num. 15 et 21. *Vide* Com. A. C. 42 num. 3.
Isacius martyr Albensis cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 55.
Isaiæ prædictio de S. Jacobi prædicatione in Hispania. Com. A. C. 66 num. 21.

Iscius S. Jacobi discipulus, lectorque ipsius a S. Petro factus episcopus et in Hispaniam missus. Com. A. C. 37, et Dex. A. C. 43 et 44. Ubi prædicat? Dex. A. C. 52. Patitur. Dex. A. C. 57. Reliquiarum ejus inventio. *Ibid.* in Com.
Isicius Toletanus episcopus. Dex. A. C. 428 et 429.
Isidorus Senior Cordubensis Chronicorum Hieronymi continuator. Dex. A. C. 384.
Isidori scriptores quatuor in Hispania. Com. *Ibid.*
Isidorus Junior Cordubensis scripsit libros Allegoriarum qui Hispalensi ascribuntur. Dex. et Com. A. C. 423 num. 5, et A. C. 430 num. 11.
Isidori Agricolæ Matritensis Elogium. Com. A. C. 248.
Ispalis urbs ad radices Pyrenæorum montium, alia ab Hispali Bætica. Dex. A. C. 308, Com. num. 16. Ejus martyres. *Ibid.*
Istonium urbs Carpetaniæ. Dex. A. C. 300, Com. num. 6. Ejus martyres. *Ibid.*
Italica legio quæ erat tempore mortis Christi Domini in Palæstina, fuit Hispanorum militum. Com. A. C. 34 num. 3. Italicenses martyres. Com. A. C 60 num. 1, et Dex. A. C. 100. Italicæ, an Caucæ in Hispania natus Theodosius imper. Com. A. C. 382 num. 4.
Iturissa urbs quæ? Com. A. C. 300 num. 45. Ejus martyres. *Ibid.*
Izates Adebianorum princeps fuit Christianus. Com. A. C. 66 num. 12.

J

Jacobus Alphæi apostolus, quo tempore in episcopum Hierosolymorum electus fuerit? Dex. et Com. A. C. 34. Patitur. Dex. A. C. 61.
Jacobus Zebedæi sortem prædicationis accipit Hispanias. Dex. et Com. A. C. 34. De ejus adventu in Hispanias late agitur. Dex. et Com. A. C. 36 et 37. Quot et qui doctores id fateantur? *Ibid.* Nihil valere quæ pridem Baronius in contrarium meditatus est. *Ibid.* Multas ibi erigit Ecclesias; Judæis simul et gentilibus prædicat, et multos utrorumque ad fidem perducit; multaque et magna miracula ibi patrat. *Ibid.* Suscitat a mortuis quemdam antiquum Prophetam. *Ibid.* Ecclesias Hispanas instituit. *Ibid.* Liturgiam Missæ illis dat. *Ibid.* Templum S. Mariæ de Columna apud Cæsaraugustam erigit, a B. Virgine præsente admonitus. *Ibid.* Et aliam ædiculam sacrat eidem Virgini, Bracaræ. *Vide Hugonem Portucal. inter Elogia.* Scribit in Hispania epistolam Canonicam. Dex. et Com. A. C. 37 n. 6. Quo anno? Dex. A. C. 41. Prædicat duodecim tribubus quæ erant in dispersione. *Ibid.* Duodecim episcopos in Hispania constituit, et quos? et ubi? Com. A. C. 37 num. 8, *cum Dextro.* Curam Ecclesiæ de Pilari Theodoro committit. Dex. A. C. 41. Ab Hispania recedit, et alibi prædicat. *Ibid.* Revertitur Hierosolymam. *Ibid.* Comitatur Deiparam Ephesum euntem. *Ibid.* Com. num. 5. Cujus Conceptionis festum induxit in Hispaniam. Com. A. C. 308 n. 9. Martyrio coronatur, quo anno? Dex. A. C. 42, *et late in Com.* Ejus translatio. *Ibid.* num. 4. Inventio. *Ibid.* Ejus in Hispania prædicatio ab Isaia prædicta. Com. A. C. 66 num. 21. Ejus memoria semper in Hispania celebris. Dex. A. C. 91.
Januarius martyr Heracleensis, socius S. Felicis. Dex. A. C. 296.
Januarius cum sociis Fausto et Martiale martyr. *Ibid in fine.*
Januarius episcopus de Caliabria interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Januarius martyr Eburensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 20.
Januarius martyr Cæsaraugustanus, alter e XVIII sociis. Com. A. C. 300 num. 50.
Joachimus abbas ex professo defenditur; fuit Cisterciensis monachus, prævidit condemnationem libri sui. II *p. Apol.*
Joannes apostolus angelicis manibus Cæsaraugustam una cum B. Virgine defertur vivus. Dex. A. C. 37, Com. n. 11. Ephesum cum ipsa petit. Dex. A. C. 41, Com. n. 8. Prophetia ipsius de pseudopropheta Machometo a S. Cæcilio exposita. Com. A. C. 54 n. 9. Prædicat in Hispania. Dex. A. C. 70, Com. n. 5. Ab exsilio revocatur. Dex. A. C. 91. Quo anno? *Ibid in* Com. Scribit ad Drusiam feminam electam. Dex. A. C. 105.
Joannes Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Joannes de Vergara canonicus Toletanus habuit apud se Dextri Chronicon. I *p. Apol.* § 1.
Jonas propheta quo tendere cupiebat? Com. A. C. 66 num. 22.
Jonas S. Dionysii discipulus ubi prædicaverit? Dex. A. C. 86, *et* A. C. 130. Invisit Toleti S. Eugenium. Dex. A. C. 112.
Josephi ab Arimathia exsilium. Dex. et Com. A. C. 48.
Jovianus monachorum pater. Dex. A. C. 424.
Jovianus imper. catholicus. Dex. A. C. 364.
Judæ Galilæi defectio. Dex. A. C. 2, et Com. *Ibid.*
Judas Apostolus proficiscitur ad prædicandum. Dex. et Com. A. C. 41. Abiit cum Petro in Hispaniam. Dex. A. C. 50. Ejus testimonium exponitur. I *p. Apol.* § 2.
Judæi. *Vide* Hebræi. Judæorum in Libya rebellio. Dex. A. C. 116. Disperguntur ab Hadriano. Dex. A. C. 121. Ipsorum rebellio in Palæstina. Dex. A. C. 135. Eborensium mira conversio ad fidem. Dex. et Com. A. C. 424 n. 11.
Julia virgo et martyr Emeritensis, socia S. Eulaliæ. Com. A. C. 300 *in fine.*
Julia Olyssiponensis martyr cum fratribus. Dex. A. C. 308, Com. num. 11.
Julia Senticensis martyr. Dex. A. C. 356.
Julia Myrtilis urbs quæ? *Vide,* Myrtilis.
Julianus archipresbyter Toletanus S. Justæ, Chronico Dextri usus. I *p. Apol.* § 1, *et in Elogiis.*
Julianus S. Petri discipulus. Dex. A. C. 86. Est episcopus Carpetaniæ, et patitur. Dex. A. C. 91, *et* A. C. 94.
Julianus martyr Aquis-Quintianis. Dex. A. C. 95.
Julianus martyr Carthaginensis, socius Modesti. Com. A. C. 160 num. 1.
Julianus jurisperitus imp. Dex. A. C. 195.
Julianus adolescens martyr Flaviobrigæ Dex. A. C. 270. Ejus gesta. *In Com.*
Julianus Tuccitanus martyr cum sociis. Dex. A. C. 308, Com. num. 17.
Julianus Apostata imper. Dex. A. C. 364. Multi contra ipsum scribunt. Dex. A. C. 368.
Juliobriga urbs quæ? Com. A. C. 300 num. 19. Ejus Ecclesia a S. Jacobo erecta, creato ibi S. Arcadio primo ejus episcopo. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8. Lucia martyr. Dex. A. C. 300, Com. n. 19. Juliobrigensis portus quis? Com. A. C. 308 num. 20. Ejus martyres. *Ibid.*
Julita martyr cum filio Quirico. Dex. A. C 222. Eorum inventio. Dex. A. C. 300, Com. n. 6.
Julius Abulensis ad quem scripsit S. Clemens. Dex. A. C. 94.
Julius martyr Dorostorensis. Com. A. C. 168.
Julius Ioschus Legionis Fulminatricis Hispanus miles. Com. A. C. 175 num. 3.
Julius Romanus pontifex. Dex. A. C. 335.
Julius martyr Tarraconensis cum sociis. Com. A. C. 360 num. 4.
Justa et Rufina virgines et martyres Hispalenses. Com. A. C. 286 *in fine, et* Com. A. C. 300 num. 48.
Justina virgo et martyr Carmoniæ. Dex. A. C. 285.
Justinus philosophus et martyr librum pro Religione offert Antonino imper. Dex. A. C. 143.
Justus Hispalensis martyr cum sociis Macario et Rufino, alii prorsus a Justa et Rufina. Dex. et Com. A. C. 115 num. 1.
Justus et Pastor martyres Complutenses pueri. Dex. A. C. 296. Eorum pater Vitalis martyr. Dex. A. C. 290. Reliquiarum inventio. Dex. A. C. 423. *Vide etiam* Dex. A. C. 424, et *verbo* Celsus.
Justus Vicensis episcopus sanctitate clarus. Dex. A. C. 300, Com. num. 8.
Juvencus presbyter et poeta insignis interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 8. Quid de pace suo tempore a Constantino Ecclesiis data scribat? Com. A. C. 312. Obiit Salmanticæ. Dex. A. C. 337. De eo iterum Dex. A. C. 407.

L

Lacobriga urbs quæ? Com. A. C. 120.
Laconimurgum urbs quæ? Dex. et Com. A. C. 120. Unde Diocles celebris agitator. *Ibid.*
Lactantius Firmianus unde oriundus? Dex. A. C. 317.
Læda Barcinonensis senatrix martyr cum sociis. Dex A. C. 158.
Lætus martyr Toletanus cum fratre Vincentio. Dex. A. C. 352. Templum eorumdem. Dex. A. C. 353. *Vide,* Epistola Silonis.
Lalætania provincia quæ? Com. epist. nuncupatoria ad Orosium, § Tibi homini Lalætano.
Lamacitanus episcopus Severus, Scriptor nobilis. Dex. et Com. A. C. 388. num. 5.
Lambertus martyr Cæsaraugustanus, qui succisum caput manibus portavit. Dex. A. C. 300, Com. num. 14.
Laminæ Grannatensis montis. Com. A. C. 57. *Vide,* Grannata, *et* Mons Grannatensis.
Laminium urbs quæ? Quosnam ibi Paulus apostolus ad fidem converterit? Dex. et Com. A. C. 64, num. 5.
Lampadius ex præfecto Urbis fit episcopus Oretanus. Dex. A. C. 282.
Lampadius, vel Lampius Barcinonensis episcopus, ordinat S. Paulinum in presbyterum. Dex. A. C. 396.
Lamponius presbyter de Calduba In-

terfuit Illiberitano. Com. A. C. 300, num. 5.
Largus martyr Augustobrigensis cum sociis. Dex. et Com. A. C. 300 num. 22.
Latinus Pacatus dixit Panegyricum Theodosio Magno. Com. A. C. 382, num. 10.
S. Laurentius martyr Hispanus. Com. A. C. 246. Ejus parentes martyres, et patria. Dex. *Ibid.* Patitur. Dex. A. C. 260, et Com. num. 4.
Laurentius de Padilla Cæsareus historiographus, Dextri Chronico in multis usus I. p. Apoll. § 1.
Laureolus a Lentulo per irrisionem Christianorum actus. Dex. A. C. 86. Quis fuerit. Com. *ibid.*
Laurum urbs, cujus presbyter Januarius interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Lazarus comitatur B. Virginem Ephesum euntem. Dex. et Com. A. C. 41. Mittitur in exsilium, et fit episcopus Massiliensis. Com. A. C. 48.
Lazarus Vicensis episcopus Orosium mittit ad Augustinum. Dex. et Com. A. C. 400.
Legionenses martyres. Com. A. C. 298. Ejus episcopus Decentius interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Leo presbyter de Accinipi interfuit Illiberitano. *Ibid.*
Leo presbyter de Augusta Gemella, similiter adfuit. *Ibid.*
Leocadia virgo et martyr Toletana. Dex. A. C. 300, Com. num. 52. Ejus Acta. in Com. Templum. Com. A. C. 312.
Leonas Lucensis episcopus. Com. A. C. 385. num. 2.
Leoncius episcopus Hispanus, cui S. Melchiades scripsit. Com. A. C. 299 num. 3.
Leones centum exhibuit M. Aurelius pop. Romano. Dex. A. C. 182.
Leonides martyr, pater Origenis. Dex. A. C. 204.
Leovigildus Gothorum rex, quatenus cornu undecimum quartæ bestiæ Danielis fuerit? Appendix ad A. C. 430.
Leporii episcopi Uticensis in Bætica lapsus, et resipiscentia; fuit discipulus S. Augustini. Dex. et Com. A. C. 406 num. 1. *Vide* II *p. Apol. ad calcem hujus operis contra G. Pennotum.* Leporius unus dumtaxat, non duo. *Ibid.*
Lero insula in quam Higinius Cordubensis delatus est, qualis? Com. A. C. 384, num. 9, *et* II *p. Apol.*
Lethe fluvius ubi? Dex. A. C. 208. Multi ejus nominis. *Ibid.* in Com. num. 8.
Liberata virgo soror octo aliarum martyrum, alias Wilgefortis. Dex. et Com. A. C. 138 num 6. Ejus gesta. In Com. *vide* Dex. A. C. 308, Com. num. 3.
Liberatus episcopus Illiberitanus. Dex. A. C. 66, Com. num. 20.
Liberatus presbyter de Eliocrota interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Liberius S. Eulaliæ Emeritensis pater. Com. A. C. 300, num. 52, *in Actis illius.*
Liberius papa. Dex. A. C. 353. Jure vocatur a Dextro sanctus. *Ibid.* in Com.
Libora urbs quæ? Com. A. C. 130 num. 6.
Libri multi tempore Sarracenicæ cladis, ab Hispania in Germaniam allati I. *p.* Apol. § 1.
Libri montis Sancti Grannatensis. Com. A. C. 37, n. 2; *Et latissime* Com. A. C. 54, *ubi de libro S. Cæcilii Hispano idiomate scripto.* Fidem Dextro conciliant. Com. A. C. 57. Quid de Conceptione Virginis dicant? Com. A. C. 308, n. 9.
Liber de ortu et obitu Patrum, vere ab Isidoro Hispalensi scriptus. Com. A. C. 37, num. 6.
Librum Natalis martyrum quis primus scripserit? Dex. A. C. 324, et Com. num. 2.
Libros suos Dionysius cui dicaverit? cui Irenæus? *Vide*, Dionysius, *et* Irenæus.
Licerius episcopus Ilerdensis. Dex. A. C. 268 et Com. num. 8. Transfert Carensem Sedem ad Ilerdam. Dex. A. C. 311.
Lini papæ pontificatus. Dex. A. C. 69.
Litteræ Hosii ad Constantium imper. libertate Christiana plenæ. Com. A. C. 356 num. 1.
Loaysa Toletanus antistes perperam concilia Cæsaraugustana multiplicat. Com. A. C. 284, n. 7.
Lucas interfuit Pauli martyrio. Com. A. C. 66, n. 16.
Lucas martyr Ispalitanus cum sociis. Dex. A. C. 308 et Com. num. 16.
Lucani poetæ mors. Dex. A. C. 66.
Lucensis Ecclesia a S. Jacobo erecta, creato ibi primo ejus episcopo S. Capitone. Dex. et Com. A. C. 57 num. 8. Lucensis episcopus S. Forcatus. Dex. A. C. 385.
Lucia Macedonica martyr. Dex. A. C. 100 et Com. num. 17. Eadem ac Lydia Purpuraria. *Ibid in Com.*
Lucia virgo et martyr Juliobrigensis. Dex. A. C. 300 et Com. num. 19.
Lucia martyr Heracleensis. Dex. A. C. 300 et Com. num. 35.
Lucianus Belvacensis episcopus Vicum transfertur. Dex. A. C. 308 et Com. num. 8.
Lucianus episcopus Cæsaraugustanus, scriptor. Dex. A. C. 430.
Luciolus martyr Eburensis cum sociis. Dex. A. C. 300 et Com. num. 20. Lucius. *Vide infra.*
Lucius martyr S. Candidæ maritus. Dex. A. C. 100 et Com. num. 19.
Lucius imperator. Dex. A. C. 165 *usque ad* 172.
Lucius Hispanus floret Romæ. Dex. A. C. 180.
Lucius episc. Barcinonensis. Dex. A. C. 208.
Lucius papa. Dex. A. C. 256.
Lucius Valerius. *Vide* Valerius.
Lucrecia virgo et martyr Emeritensis. Dex. A. C. 308, Com. num. 22.
Luparia Regula Gallæciæ convertitur ad fidem. Com. A. C. 42. num. 3.
Luparia Bætica alterius Lupariæ filia Acci ad fidem conversa. Com. A. C. 43 num. 1. De ea Dex. A. C. 60, Com. num. 5.
Luparius S. Thesiphontis discipulus martyr Grannatensis. Com. A. C. 57.
Lupercus, seu Lupercius Cæsaraugustanus martyr, alter e XVIII sociis. Com. A. C. 300, num. 50.
Lupercius martyr Legionensis cum fratribus. Com. A. C. 298.
Lupus martyr. *Vide* Marcus Lupus.
Lupus martyr Deobrigensis cum socio. Dex. A. C. 285.
Lupus Telensis episcopus interfuit concilio Cæsaraugustano. Dex. A. C. 384.
Lusitani martyres sub Nerone. Dex. A. C. 60.
Luxurius presbyter de Drona interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Lybisosa urbs quæ? Com. A. C. 64 num. 5. Inibi erectum templum SS. Vincentii, et Læti. Dex. A. C. 353.
Lydia Purpuraria. *Vide* Lucia Macedonica.

M

Macedon Barcinonensis martyr. Com. A. C. 138 num. 2.
Macharius martyr Hispalensis cum sociis. Dex. A. C. 115.
Macrinus imper. Dex. A. C. 219.
Mademarius Barcinonensis episcopus. Dex. A. C. 300, Com. num. 3.
Magdalena comitatur B. Virginem Ephesum. Dex. et Com. A. C. 41. Exsulat cum sociis in Galliis. Dex. A. C. 48. Placide migrat. Dex. A. C. 88.
Magdalena, alia ejus nominis, obiit in Hispania. Com. A. C. 42 num. 4.
Magi Christo adorato, postea pro eo patiuntur. Dex. A. C. 70. Ipsorum nomina. *Ibid.* Et gesta. in Com. Ubinam eorum corpora fuerint. *Ibid.*
Maginus Tarraconensis martyr. Dex. A. C. 308 *et* Com. num. 18.
Majorianus Toletanus antistes. Dex. A. C. 429. Alius longe a Martino, sive Marino. *Ibid.* in Com. num. 2.
Malacitanus episcopus Patricius interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5. Felicianus episcopus martyr Dex. A. C. 308, Com. num. 14.
Mammantis martyris reliquiæ ad Gallæciam delatæ. Dex. A. C. 430. Ejus memoria in monte B. Mammetis, qui ad Monasterium Montis Ramorum pertinet. *Ibid.* in Com. num. 3.
Mancius Christi discipulus Eboræ episcopus. Dex. A. C. 90. Prædicat in Galliis. *Ibid.* Idem ac Memmius Cathalaunensis episcopus. Com. *Ibid.*, et Dex. A. C. 430.
Manichæorum origo. Dex. A. C. 280.
Mantua Carpetanorum urbs quæ? Com. A. C. 248. Ejus martyres. Dex. et Com. A. C. 308, num. 12, et A. C. 353. Ibi nati S. Melchiades et S. Damasus Romani pontifices. *Vide iis verbis.* Et S. Isidorus agricola. *Vide in eo verbo.*
Marabaudes cæcus, Barcinonensis, poeta lyricus. Dex. A. C. 423.
Marcella, Magdalenæ et Marthæ pedissequa, mittitur in exsilium. Dex. et Com. A. C. 48, num. 1.
M. Marcellus. *Vide* Eugenius Toletanus.
Marcellus Romanus martyr, S. Eugenii Toletani consanguineus. Dex. A. C. 71.
M. Marcellus Romæ præfectus, quæstor Hispaniæ citerioris, S. Eugenii pater. Dex. A. C. 100.
Marcellus S. Eugenii ex fratre nepos. Dex. A. C. 110.
Marcellus martyr Legionensis. Com. A. C. 268, num. 9. Ejus filii. Com. A. C. 298, *ubi iterum de eo. Vide etiam verbo* Marinus Hispanus.
Marcellus Soliensis martyr et episcopus in Bætica. Dex. A. C. 300, et Com. num. 28.
Marcellus Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300, num. 63.
Marcellus episcopus Castulonensis interest Cordubensi concilio. Dex. A. C. 356.
Marcellus Telensis episcopus. Dex. A. C. 382.
Marcellus, Cauriensis episcopus, ejicit urbe Priscillianistas. Dex. A. C. 424.

Marcellinus Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Marcia martyr Eburensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 20.
Marciana virgo et martyr duæ hujus nominis, earumque gesta. Com. A. C 138 num. 5 et Dex. A. C. 155.
Marciana Cluniensis martyr cum sociis. Dex. A. C. 300 et Com. num. 63.
Marcialis Tolosatium episcopus, Hispanias invisit. Dex. A. C. 52.
Marcialis poeta Bilbilitanus, taxat martyres. Dex. A. C. 60. et Com. num. 7.
Marcialis Emeritensis episcopus depositus. Com. A. C. 255 num. 2.
Marcialis martyr socius SS. Justi et Januarii. Com A. C. 299 *in fine*.
Marcialis Cæsaraugustanus martyr, alter e xviii sociis. Com. A. C. 300 num. 50.
Marcus Marcellus Eugenius. *Vide* Eugenius Toletanus.
Marcus martyr Castulonensis. Dex. et Com. A. 66.
Marcus Mancinus duumvir Barcinonensis. Dex. A. C. 91.
Marcellus Romæ præfectus, pater S. Eugenii. *Vide* Marcellus.
Marcus Lupus martyr. Dex. A. C. 100, Com. num. 19.
Marcus Bolanus. *Vide* Florentius Hispalensis.
Marcus primus ex gentilibus Hierosolymorum patriarcha. Dex. A. C. 138.
Marcus hæreticus gnosticus Hispanias adiit; ejus gesta. Dex. et Com. A. C. 169. Toleto pellitur, Valentiaque. *Ibid.*
Marcus Aurelius Verus Hispaniæ præfectus, Christianorum persecutor. Dex. et Com. A. C. 300 num 14.
Marcus martyr Caparrensis cum sociis. Dex. A. C. 308, Com. num. 19.
Marcus Romanus pontifex. Dex. A. C. 335.
Marcus poeta lyricus, Corcheiensis. Dex. A. C. 368. Forte Matronianus.
Margarita. *Vide* Marina.
Maria Dei genitrix, quo pacto apostolorum caput fuerit, adhuc vivens. Dex. et Com. A. C. 34 num. 10. Dum vixit, a fidelibus undique confluentibus visitata. Dex. A. C. 25. Apparet S. Jacobo Cæsaraugustæ, jubetque erigere sibi ædem. Dex. et Com. A. C. 37. Exercitia ejus post Filii ascensionem. *Ibid.* num. 12. Morata aliquandiu Cæsaraugustæ probatur. Com. A. C. 38 num. 1. Quo anno ad Filium assumpta fuerit? *late disseritur* Com. A. C. 48 num. 1.
Maria Magdalena. *Vide* Magdalena.
Maria Cleophe peragrat Hispaniam. Com. A. C. 42 num. 4.
Maria Salome peregrinatur in Hispania, et obit Verulis in Italia. Com. A. C. 42 num. 4.
Maria virgo et martyr Veroviscensis, cognomine Ancilla. Dex. A. C. 360.
Maria Honorii imper. conjux, Hispana. Com. A. C. 388 num. 9.
Marianus martyr Flaviobrigensis cum sociis. Com. A. C. 182 num. 3.
Marina virgo, alias Gemma-Marina. Dex. A. C. 138. Eadem ac Margarita, quæ Græca falso putatur. Com. *late*. Inventio corporis. Dex. A. C. 300, Com. num. 7.
Marinus Hispanus martyr. Dex. A. C. 268, Com. num. 9.
Marinus Hispanus episcopus ad quem S. Melchiades scripsit. Com. A. C. 299 num. 3.
Maronius S. Iscii discipulus, martyr Grannatensis. Com. A. C. 57.
Martha comitatur B. Virginem Ephesum. Dex. et Com. A. C. 41. Exsulat in Galliis. Dex. A. C. 48.
Martha virgo et martyr Carthaginensis cum sociabus. Dex. A. C. 308, Com. num. 7.
Martinus Turonensis episcopus floret. Dex. A. C. 382. Interest concilio Cæsaraugustano. Dex. A. C. 384.
Martinus (*Alias* Marinus), Toletanus episcopus. Dex. A. C. 424.
Martula urbs quæ? Com. A. C. 308 n. 1. Ejus martyr S. Bricius episcopus. *Ibid.* in Dex.
Martyres a Martiale Poeta taxati. Dex. A. C. 60, Com. num. 7. A Neronè Romæ necati. *Ibid.* In Gallia Hispaniaque tempore M. Aurelii occisi. Dex. et Com. A. C. 170 num. 1. *Vide verbo* Persecutio, *et toto Chronico.*
Martyrologii lectio corrigenda leviter. Com. A. C. 70 num. 7, et Com. A. C. 71 num. 2, et Com. A. C. 95 n. 4, et Com. A. C. 100 n. 14, et Com. A. C. 112 n. 4, et Com. A. C. 138 n. 2, 3, etc. scilicet in Victoria, Quiteria, et Basilla, et Com. A. C. 139 n. 4, et Com. A. C. 175 n. 2, et Com. A. C. 208 n. 4, et Com. A. C. 222 n. 2, et Com. A. C. 230 n. 2, et Com. A. C. 255 num. 4, in Anatholia Virgine, et Com. A. C. 296 n. 2, et Com. A. C. 300 num. 22, 25 et 37, et Com. A. C. 300 n. 44, et Com. A. C. 308 n. 14 et 11, et Com. A. C. 382 n. 9.
Massia Hispaniæ civitas, quot et quos martyres habuerit? Com. A. C. 168.
Massiliæ exsulant Lazarus et sorores. Dex. et Com. A. C 48 n. 1. Massiliensis episcopus Paulus. Dex. A. C. 418.
Mathias apostolus proficiscitur ad prædicandum. Dex. et Com. A. C. 41. Patitur. Dex. et Com. A. C. 66. Ubinam exstet corpus ejus? *Ibid.*
Matronianus poeta celebris, sed Priscilliani collega. Com. A. C. 368 num. 3.
Matthæus quo anno scripserit Evangelium? Dex. et Com. A. C. 41. Proficiscitur ad prædicandum. *Ibid.*
Matutinus martyr Cæsaraugustanus, alter e xviii sociis. Com. A. C. 300 num. 50.
Maurus presbyter de Iliturgi interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 3.
Maxencia Cauriensis floret Tridenti. Dex. A. C. 419. Fuit S. Vigilii episcopi mater. Com. *Ibid.*
Maxima virgo Cauriensis Romæ passa. Dex. A. C. 360.
Maxima martyr, uxor Montani martyris. Dex. A. C. 100.
Maxima virgo et martyr Olyssiponensis cum fratribus. Dex. A. C. 308, Com. num. 11.
Maxencius tyrannus a Constantino imper. devictus. Dex. A. C. 312. *Vide* Com.
Maximianus martyr Blandensis cum socio Bonoso. Dex. A. C 156.
Maximianus, imper. victus a Narseo. Dex. A. C. 300, Com. num. 10. De eo. Dex. A. C. 300; Com. num. 18, 20 et 21.
Maximianus Urgabonensis martyr cum socio. Dex. A. C. 308. Com. n. 4.
Maximianus confessor et episcopus, Vianæ celebratur. Dex. A. C. 424.
Maximinus, Magdalenæ socius, exsulat. Dex. et Com. A. C. 48 num. 1.
Maximinus imper. Dex. A. C. 238, et 239, et 240, quo fuit occisus.
Maximus S. Jacobi discipulus in Hispania, presbyter ab eo ordinatus. Com. A. C. 37. Patitur. Dex. A. C. 66.
Maximus S. Tesiphontis discipulus patitur. Com. A. C. 57.
Maximus Tyrius floret. Dex. A. C. 149.
Maximus, et Dadas martyres ubi occisi? Dex. et Com. A. C. 290 n. 2.
Maximus martyr Gerundensis cum socio. Dex. A. C. 300, Com. num. 45.
Maximus imperator a quibus salutatus? fuit Tyrannus. Dex. A. C. 384. Necatur. Dex. A. C. 388.
Meco urbs a Gothis in Carpetania vastata, quæ? Dex. et Com. A. C. 429 num. 10.
Mediolanensis episcopus Caius quis? Dex. A. C. 70, Com. num. 5. Concilium cui Theodosius imper. interfuit. Dex. A. C. 382. Defenditur. *Ibid.* in Com. Mediolanensis civis Philippus Philotheus. *Vide eo verbo.* Mediolani fuere corpora SS. trium Magorum. Com. A. C. 70 num. 1. Ejus Ecclesia a Barnaba fundata. *Vide* Barnabas, Ambrosius, Gervasius, Auxentius.
Melantius Toletanus episcopus. Dex. A. C. 286. Interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5. Obiit. Dex. A. C. 310.
Melchiades papa, Afer origine, sed natus in Hispania Mantuæ Carpetanorum. Dex. A. C. 248, et in Com. et Dex. A. C. 299 num. 3. Fit pontifex. Dex. A. C. 308, Com. num 25.
Melecius dux Cluniæ passus cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 6. Melecion ejus socius. *Ibi.* in Com.
Melecius Judæus miro modo ad fidem conversus. Com. A. C. 424 num. 11.
Melæ locus correctus. Com. A. C. 53 num. 1.
Mellaria urbs patria ipsius Pomponii Melæ, quæ? Com. A. C. 300 num. 14. Firmus martyr. *Ibid. cum Dex.*
Memmius Catalaunensis episcopus, idem ac Mancius Eburensis. Com. A. C. 90. *Vide* Mancius.
Menologion Græcorum Dextri dictis astipulatur. 1 p. Apol § 1.
Mercurius Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Mesito Grannatensis martyr. Com. A. C. 57.
Messanensibus dat epistolam B. Virgo. Dex. A. C. 86, et A. C. 430.
Metellinensis urbs, quæ? Com. A. C. 134 num. 4. Martyres ejus. Dex. *Ibi.* Confessor. Dex. A. C. 300, Com. num. 46.
Metellus Targeensis scriptor, scite de divisione provinciarum inter apostolos locutus. Com. A. C. 34 num. 10.
Metropoles Hispaniæ olim divisæ. *Vide* Eugenius Toletanus. Iterum sub Constantino imper. cum suis sedibus suffraganeis designatæ. Com. A. C. 324 num. 3.
Mevania, seu Mevitania urbs quæ? et ubi? et quot ejus nominis? Dex. et Com. A. C. 100 num. 21 et 22.
Minervius monachorum pater. Dex. A. C. 424.
Minobriga urbs. *Vide* Munobriga, *Alias* Mirobriga.
Miracula S. Jacobi apostoli prædicantis in Hispaniis. Dex et Com. A. C. 37 num. 4. Discipulorum ejus. Com. A. C. 43 num. 1.
Mirobriga. *Vide* Munobriga.
Modestus martyr Carthaginensis cum socio. Dex. A. C. 160.
Monachi in Hispania a tempore Diocletiani. Dex. et Com. A. C. 308 n. 6. Nigri in Lusitania quando? Dex. A. C. 419.
Monarchia Hispanorum regum, in quo, et quando fundata? *Appendix ad* A. C. 430.

Monasterium monachorum Titulciæ B. Virgini dicatum tempore Diocletiani. Dex. A. C. 308, Com. num. 6.
Monica Augustini mater. Dex. A. C. 300, Com. num. 37.
Montanus martyr cum uxore. Dex. A. C. 100.
Mozarabe Breviarium, et Missale multum contulerunt huic elucidationi. I p. Apol. § 3.
Munda urbs quæ? Com. A. C. 308 n. 24. Ejus martyr. *Ibid*, in Dex.
Mundi distributio inter filios Noe, qualis? Com. A. C. 66 num. 22.
Munobriga urbs quæ? et quot? Com. A. C. 300 num. 23. Ejus martyr. Dex. *Ibid*.
Myrtilis, seu Julia-Myrtilis, urbs quæ? Com. A. C. 308 num. 1.
Mysia prave in multis Martyrologii locis legitur pro Masia. Com. A. C. 168.

N

Narcissus Bracarensis episcopus. Dex. A. C. 268, et A. C. 277. *Vide etiam* Com. *ubi fuse de Narcissis et Felicibus Gerundensibus agitur*
Natales martyrum, cur festi dies ipsorum nuncupentur? Com. A. C. 324 num. 2.
Natalis presbyter de Orsuna interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5. Fit episcopus Toletanus. Dex. et Com. A. C. 310 num. 3. Interfuit Nicænæ synodo. Dex. A. C. 324. Celebrat Toleti concilium. *Ibid*. Misit Constantino librum Natalium SS. martyrum, cujus ipse auctor fuerat. *Ibid*. Obit. Dex. A. C. 352.
Nathanael Christi discipulus ubi quiescat? Dex. et Com. A. C. 103 n. 5.
Nazarethica Deiparæ domus in templum ab apostolis sacratur. Dex. A. C. 42, Com. num. 1.
Neocæsariensis synodus quando coacta? Dex. A. C. 316.
Nereus martyr socius S. Achillei. Dex. A. C. 91.
Neronis imp. res. Dex. ab A. C. 60. Ejus mors quo anno? Dex. et Com. A. C. 69.
Nestor S. Jacobi discipulus, primus Palentinus episcopus ab eo creatus. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8. Patitur. Dex. A. C. 60.
Nertobriga urbs quæ? Com. A. C. 300 n. 59. Ejus martyres. *Ibid*.
Nigredo vestium monachorum, unde? Com. A. C. 419 num. 3.
Nivaria urbs, ubi? Dex. et Com. A. C. 208 num. 4. Ejus martyr Andeolus. *Ibid*.
Nix de cœlo super corpus utriusque Eulaliæ venit. Com. A. C. 300 num. 52.
Nizenum concilium cccxviii Patrum contra Arium, quo anno coactum? Dex. et Com. A. C. 324 num. 1. Num Hosius pro S. Sylvestro in eo præfuerit? Com.
Nizephorus martyr Ursaonensis. Com. A. C. 115 num. 2.
Nonia martyr, uxor S. Marcelli Legionensis, et mater xii martyrum. Com. A. C. 298.
Novem martyres Ursaonenses anonymi. Com. A. C. 115 num. 2.
Novem martyres Metellinenses anonymi. Dex. A. C. 134
Numerus ingens hominum ab Augusto, in censu, Romæ deprehensus. Com. A. C. 14.
Numerus quotidianus martyrum quantus? Com. A. C. 384 num. 3.
Numia-Varia Veneris sacerdos notissima. Dex. et Com. A. C. 255 num. 3.

O

Objecta in codicis hujus germanitatem diluuntur. I *p. Apol.* § 2, *et* II *p. Apol. per totam.*
Oceanus martyr Ispalitanus cum sociis. Dex. A. C. 308, Com. num. 16.
Oceanus martyr Tuccitanus cum sociis. *Ibid*. n. 7.
Octaviola, Vezozabiæ urbs, quæ? Com. A. C. 290 num. 2. Ejus martyres. Dex. *Ibid*.
Octoginta sex martyres anonymi. Concordiæ in Lusitania passi. Com. A. C. 145 num. 2.
Octogessa urbs quæ? Com. A. C. 94 num. 5. Ejus martyr. *Ibid*.
OEnomaus philosophus. Dex. A. C. 122.
Olcades populi qui? Com. A. C. 100 num. 14, et A. C. 285. Ubi de ejus martyribus in Dextro.
Oliva ad tumulum S. Torquati florere solita quotannis. Com. A. C. 66 num. 4.
Oliva urbs, quæ? *Vide* Juvencus poeta.
Olympiadum supputatio annis Domini correspondens, qualis? Com. A. C. 1, et Com. A. C. 34 num. 1.
Olympius Toletanus episcopus, ejus nominis primus, quinam fuerit? Dex. et Com. A. C. 352 num. 1. Fuit celebris inter doctores Ecclesiæ. *Ibid*, *late*. Ejus acta. Dex. A. C. 356. Interfuit Cordubensi concilio. *Ibid*.
Olympius II Toletanus episcopus. Dex. A. C. 424. Obit sanctitate clarus. *Ibid*.
Olyssipponenses martyres. Dex. A. C. 308, Com. num. 11. Florent ibi quoque alii. *Ibid*. num. 22.
Omissiones rerum præcipuarum in hoc codice, culpa transcriptorum. I. *p. Apol.* § 3.
Omnimoda historia, quæ dicatur? jure hoc nomine gaudet Dextri Chronicon I *p. Apol.* § 2. *et Com. epist. ad Orosium*, § *Porro Omnimodam*, *et* § *Chronicon Omnimodæ*.
Onesimi apostolorum discipuli in Hispania prædicatio. Dex. et Com. A. C. 71.
Ophir fuit in regione Bracarensi. Dex. et Com. A. C. 66. num. 22.
Oppius. *Vide* Caius Oppius.
Optatus Cæsaraugustanus martyr, alter e xviii sociis. Com. A. C. 300 num. 50.
Orarium, et annulus SS. martyrum Emitherii et Celedonii volarunt ad cœlum. Com. A. C. 299.
Ordinis Augustiniani quatenus Bonifacius dictus. Com. A. C. 429 num. 3.
Orentius S. Laurentii pater, martyr cum uxore. Dex. et Com. A. C. 246.
Orentius episcopus Auxitanus frater S. Laurentii. *Ibid*.
Oretum urbs quæ? et ubi? Com. A. C. 300 num. 16. Oretanus confessor. *Ibi* in Dex. Episcopus. *Vide* Lampadius.
Origenes floret. Dex. A. C. 211. Abiit Cæsaream. Dex. A. C. 235. Ejus pater martyr. *Vide* Leonides et P. Orosius.
Oronius martyr Julibrigensis cum sociis. Com. A. C. 300 num 19.
Orontius martyr Pacis-Augustanus cum socio. Dex. A. C 308, Com. num. 24.
Orosionum familia qualis? et unde traxerit originem? *Vide in Vita Auctoris*.
Orosius, Pauli Orosii patruus, sanctitate Romæ claret. Dex. A. C. 352 et Com. num. 2. Orosius senior decedit Romæ. Dex. A. C. 366. Orosius ejus filius alter a Paulo Orosio scriptore. Dex. *ibid*. num. 3.
Paulus Orosius scriptor nascitur. Dex. A. C. 375. Ad concilium Africanum proficiscitur. Dex. A. C. 400 Auspicatur Hormestram. Dex. et Com. A. C. 417. Ejus de Conceptione Virginis dictum, quatenus intelligendum. Com. A. C. 308 num. 9. Orosio dicat Isidorus Cordubensis libros Allegoriarum. Dex. A. C. 423. Paulus Orosius persecutus est Origenistas. Com. A. C. 400 num. 2.
Orsuna. *Vide* Ursaona.
Ortigius episcopus restituitur in sedem suam a Patribus Toletanæ synodi. Com. A. C. 400 num. 1.
Osca urbs, quæ? duæ ejus nominis, altera in Bætica, altera in Celtiberia. Com. A. C. 138 num. 3. et Com. A. C. 246. Oscenses martyres. *Utrobique in* Dextro.
Osius Cordubensis. *Vide* Hosius.
Ossonoba urbs, quæ? Ejus episcopus Vincentius interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Ostium Evangelii quando gentibus reseratum. Com. A. C. 36 *late*, et Dex. A. C. 40.
Othonis I imperium. Dex. A. C. 70.
Ovantius martyr Uxamæ-Barchæ. Dex. A. C. 91.
Ovidii Nasonis mors. Dex. et Com. A. C. 19.
Ovidius Cæsonis Maximi amicus, qualis? Com. A. C. 66 num. 15.
Ovidius Bracarensis episcopus. Dex. A. C. 93. Quis? Com. *Ibid*. *Vide* Dex. A. C. 110.

P

Pacianus episcopus Barcinonensis, Dextri pater Dex. et Com. A. C. 373 num. 2, et A. C. 396 num. 1. *Vide* Vitam Auctoris.
Palermo urbs, quæ? Com. A. C. 300 num. 37. Ibi passa S. Sother virgo Romana. Dex. *Ibid*.
Palemon rhetor. Dex. A. C. 135.
Palentina Ecclesia a S. Jacobo erecta, creato ibi S. Nestore primo ejus episcopo. Dex. et Com. A. C. 37. num. 8. *Vide* Tela, et Pamea, et Antoninus martyr.
Palæstinæ termini, quales? Com. A. C. 66 num. 22.
Palladia Cluniensis martyr cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 65.
Palmacius Toletanus antistes scribit contra Vigilantium. Com. A. C. 388 num. 11 *in fine*.
Pamea urbs, quæ? et quot ejus nominis? Com. A. C. 308 num. 21. Ejus martyr. *Ibid*. in Dextro.
Pantenus philosophus Christianus. Dex. A. C. 197.
Pantheon Romæ, a quo exstructum? Com. A. C. 86 num. 4. De cœlo tactum. Dex. A. C. 112.
Panuntius S. Iscii discipulus, martyr. Com. A. C. 57.
Papianus martyr Juliobrigensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 19.
Papius martyr Segisamonensis. Dex. A. C. 300, Com. num. 64.
Parmenæ et sociorum reliquiæ e Perside Cordubam advectæ. Dex. *Ibid*. num. 1.
Partus multorum simul filiorum. Com. A. C. 138 num. 6.
(De) Paschate quæstio gravis orta sub Victore papa. Dex. A. C. 199.
Paschasius martyr Salmantinus cum sociis. Dex. A. C. 430.
Pastor et Justus pueri, martyres Complutenses. Dex. A. C. 296. Reliquiarum inventio. Dex. A. C. 423. *Vide verbo*, Asturius, Hymnus, Celsus.
Pastores qui Christum recens natum

adoraverunt, quot, et quales? Dex. et Com. A. C. num. 3.
Pasycrates vir sanctitate mirabilis. Dex. A. C. 168. Non in Thracia, sed in Hispania vixit. Com. *Ibid.* Ubi de sociis ejus agitur.
Patavonium urbs, quæ? Com. A. C. 300 num 18. Martyres. Dex. *Ibid.*
Paternus Toletanus civis, ad prædicationem S. Saturnini convertitur. Dex. A. C. 76. Prædicat Bilbilitanis. Dex. A. C. 94. Floret. Dex. A. C. 112. Gesta et martyrium. Dex. A. C. 130.
Paternus Bracarensis episcopus in quo deliquerit? Præsidet Toletano concilio. Com. A. C. 386 num. 1. Non fuit Toletanus præsul, ut putavit Loaysa. *Ibid.* et Dex. A. C. 407.
Patientia mater S. Laurentii pro Christo cum conjuge occisa. Dex. A. C. 246.
Patres concilii Cæsaraugustani, qui Priscillianum damnarunt. Com. A. C. 384 num. 7.
Patres concilii Toletani. Com. A. C. 400 num. 1.
Patres concilii Bracarensis. Com. A. C. 423 num. 6.
Patres concilii Illiberitani. Com. A. C. 300 num. 5.
Patriarcha idem quod primas. Com. A. C. 105 num. 6.
Patricius S. Cæcilii discipulus cum eo passus. Com. A. C. 57.
Patricius Malacitanus episcopus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Patruinus Toletanus episcopus Dex. A C. 160, et A C. 208 num. 6.
Paula virgo et martyr Carthaginensis, cum sociabus. Dex. A. C 308, Com. num. 5.
Paulatus. *Vide* Pomponius Paulatus.
Paulillus puer Salmanticensis, socius martyrum. Dex. A. C. 430.
Paulinus Nolanus fit Barcinone presbyter. Dex. A. C. 396. Ejus acta et scripta, uxor et filius. Com. *Ibid.* *Vide* Celsus et Tarasia.
Paulinus Tarraconensis urbis Gubernator. Com. A. C. 396 num. 1. Alii ejus nominis in Hispania. *Ibid.*
Paulus apostolus ad fidem convertitur, quo anno? Dex. A. C. 38, cum Com. num. 1. Quo anno ascenderit Hierosolymam post conversionem? *Ibid.* Succedit in locum Jacobi, et prædicationem illi is suscipit. Com. A. C. 36. Ardentius desiderat proficisci in Hispaniam, quam Romam. *Ibid.* Prædicat in Hispania, et defert secum multos discipulos. Dex. et Com. A. C. 61. Ejus gesta. *Ibid.* Ad quos Hebræos scripserit? Dex. et Com. A. C. 66. Redit Romam. Dex. *Ibid.* Quo anno patitur? Com. A. C. 68. Ejus adventus in Hispaniam late probatur. Com. A. C. 61 num. 4.
Paulus Narbonensis episcopus prædicat in Hispania. Dex. et Com. A. C. 66. Quisnam fuerit? *Ibid.* Iterum prædicat ibidem, et in quibus urbibus. Dex. A. C 76.
Paulus Orosius. *Vide* Orosius.
Paulus Concordiensis senissimus presbyter, ad quem scribit Hieronymus. Dex. A. C. 418.
Paulus Tarraconensis episcopus, quis? Com. A. C. 429 num. 3.
Pax-Augusta, quæ? Com. A. C. 64 num. 6. Martyres. *Ibid.*, et Dex. A. C. 308, Com. num. 24.
Pelagia martyr Tarraconensis cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 10.
Pelagius civis Toletanus convertitur, prædicante S. Saturnino. Dex. A. C. 76. Fit episcopus Toletanus. Dex. A. C. 138.
Pelagius Ovetensis episcopus, scriptor celebris. 1 *p. Apol.* § 1. Consonat Dextro dum de discipulis S. Jacobi agit. Com A. C. 36 et 37.
Peninsula urbs Hispaniæ, olim Græcis Cherronesum, nunc Penniscola. Com. A. C. 60 num. 2.
Peregrinatio fidelium ad B. Mariam adhuc in carne degentem. Dex. A. C. 35. Ad loca sancta Hispaniæ, quam antiqua? Dex. A. C. 70, Com. num. 2.
Peregrinus philosophus Pisis se igni superinducit. Dex. A. C. 167.
Persecutio prima post S. Stephani necem. Dex. A. C. 35. Multi tunc ex profugis in Hispaniam venere. *Ibid.* Persecutio Neronis quando cœpit in Hispania? Dex. A. C. 60. Sub Domitiano. Dex. A. C. 86. Sub Trajano. Com. A. C. 100 num. 13. Sub M. Aurelio Com. A C. 170. Sub Severo Com. A. C 204. Sub Maximino. Com. A C. 239. Sub Decio. Dex. A. C. 252. Eadem sub Valeriano. Com. A. C. 268 num. 1 et 2. Sub Diocletiano. Dex. A. C. 286.
Perseveranda virgo Caracensis. Dex. A. C. 360.
Persii poetæ mors. Dex. et Com. A. C. 66.
Pertinax imper. Dex. A. C. 195.
Pestilentia famosa. Dex. A. C. 175. Alia. Dex. A. C. 255.
Petronilla virgo, filia ex matrimonio S. Petri apostoli. Dex. A. C. 34, Com. num. 4.
Petrus apostolus prædicat in Hispania, Africa et Ægypto. Dex. A. C. 50, cum Com. Ejus peregrinationes. *Ibid.* Redit Romam. Dex. A. C. 66, Com. num. 21. Quo anno passus? Dex. et Com. A. C. 68
Petrus Bracarensis suscitatur a mortuis a B. Jacobo. Com. A. C. 37 num. 2. Fuit primus episcopus Bracarensis. *Ibid.* et num. 8, cum Dextro. Mors ejus et fama. Dex. et Com. A. C. 66. Claret miraculis. Dex. A. C. 110. Item de eo. Dex. A C. 308, Com. num. 1. Ejus reliquiæ custoditæ. Com. A. C 423 num. 6, *cap.* 3. *Actorum concilii Bracarensis.*
Petrus-Megistos, quis? Dex. A. C. 66, Com. num. 16.
Petrus Cæsaraugustanus orator, publicusque grammaticus. Com. A. C. 360 *in fine.*
Petrus presbyter Toletanus celebratur in Africa. Dex. A. C. 424. Obit Cæsaraugustæ. *Ibid.* num. 13.
Phegadius episcopus Agennensis præfuit Concilio Cæsaraugustano et Valentino. Dex. A. C. 384, et Com. num. 7.
Philemon venit cum Paulo in Hispaniam. Dex. A. C. 64. Prædicat. *Ibid.* Com. A. C. 47.
Philemon Carthaginensis martyr cum socio. Dex. A. C. 300, Com. num. 24.
Philetus S. Jacobi discipulus. Com. A. C. 42. Patitur Carthagine veteri, quæ erat inter Tarraconem et Ilerdam. *Ibid.*
Philetus senator Barcinonensis martyr cum sociis. Dex. A C. 138.
Philippa Oscensis martyr. Dex. A. C. 138.
Philippus apostolus proficiscitur ad prædicandum. Dex. et Com. A. C. 41.
Philippus Philothens, civis Mediolanensis, a Paulo in Hispania conversus. Dex. A. C. 64. De eo. Dex. A. C. 91. Prædicat Barcinone, et alibi. *Ibid.* Ejus gesta. Com. A. C 91 num. 6, et A. C. 105 num. 6.
Philippus imper. Dex. A. C. 244. Imperat cum filio Philippo. Com. *Ibid.* Celebrant millenarium annum Urbis conditæ. Fuerunt primi imperatores Christiani. Com. A. C. 249. Occisi. Com. A. C. 252 num. 1.
Philippus Toletanus, S. Hieronymi discipulus. Dex. A. C. 429.
Philibertus abbas et martyr cum socio, apud Titulciam. Dex. A. C. 308, Com. num. 6.
Photina. *Vide* Samaritana.
Pilatus mittitur procurator in Judæam Dex. A. C. 28, cum Com. Uxor ejus in Christum credit. Dex. et Com. A. C. 34 num. 2. Scribit de miraculis Christi ad Tiberium Cæsarem. Com. A C. 34, et Dex. A C. 38. Acerba ejus mors. *Ibid.* Filatorum progenies adhuc durat. *Ibid.*
Pidna urbs (*Alias* Piocium) quæ? Com. A. C 95 num. 1. Ejus martyr. Dex. *Ibid.*
Pimenius Aquensis martyr. Dex. A. C. 130.
Pimenius episcopus Dumiensis confessor. *Ibid.* in Com.
Piocium. *Vide* Pidna.
Pionius martyr in Asia. Dex. A. C. 170. Quisnam fuerit? Com. *Ibid.*
Pius S. Jacobi discipulus, primus Hispalensis episcopus ab eo creatus. Dex. et Com A. C. 37 num. 8. Patitur. Dex. A. C. 60.
Placentia olim Ambracia. *Vide* Ambracia.
Placentia Cantabriæ urbs a Placentinis condita. Dex. A. C. 384.
Placidia Augusta Theodosii filia Dex. A. C. 407, et *Append.* A. C. 430.
Placidus martyr Mantuanus Olysippone floret. Dex. A. C. 308, Com. num. 22. Patitur cum sociis Mantuæ-Carpetanæ. Dex. A. C. 353.
Plagæ quæ Hispanias afflictarunt, ad Gothorum introitum quatenus per Jeremiam et Zachariam prædictæ. Com. A. C. 424 num. 1.
Plautillæ Pauli discipulæ historia. Com. A. C. 66 num. 16.
Plinius secundus junior, Antoniæ Maximillæ, S. Andreæ discipulæ consanguineus. Dex. A. C. 100, Com. num. 23. Conversus ad fidem patitur. Dex. A. C. 220. Claret. Dex. A. C. 112.
Plutarchus philosophus moralis claret. Dex. A. C. 122.
Polycarpus martyr quando Romam venit. Dex. et Com. A. C. 156 num. 1.
Polycarpus martyr in Asia. Dex. et Com. A. C. 170.
Polycrates episcopus in Asia, clarus. Dex. A. C. 198.
Polyxena S. Andreæ discipula. Dex. A. C. 71, et Com. *Ibid.* num. 2. Ejus res gestæ. Com. *Ibid.* Placide obit in Hispania. Dex. A. C. 100, Com. num. 81.
Pompilionenses ad fidem conversi opera S. Saturnini, ad XL millia. Com. A. C. 76 num. 2. Et prædicatione S. Firmini multi alii. Com. A. C. 110 num 3. Ibi prædicat. S. Honestus presbyter. *Ibid.* Martyres. Dex. A. C. 300, Com. num 62.
Pomponii Melæ locus correctus. Com. A. C. 52. Ejus patria. *Vide* Mellaria.
Pomponius Paulatus Toletanus episcopus. Dex. A. C. 245. Nobilissimus genere. Com. *Ibid.* Scribit ad S. Licerium. Dex. A. C 268, Com. num. 8. De eo. Dex. A. C. 285. Obit. Dex. A. C. 286. *Vide* Dex. A. C. 430 num. 10.
Pontius Pilatus. *Vide* Pilatus.
Pontius Paulinus Ebredunensis episcopus, excipit corpora SS. Martry-

rum Vincentii et Orentii. Dex. A. C. 308, Com. num. 24.
Pontius Paulinus Nolanus episcopus. *Vide* Paulinus.
Porphyrius S. Catharinæ discipulus, patitur. Dex. A. C. 300, Com. num. 60.
Porphyrium philosophum et apostatam triginta scriptores catholici scriptis insectantur. Dex. A. C. 310.
Portucallensis, sive Portuensis Ecclesia a S. Petro Bracarensi erecta, creato ibi primo ejus episcopo Basilio, S Jacobi discipulo. Com. A. C. 36 num. 2.
Potamia martyr Tarraconensis cum sociis. Com. A. C. 360 num. 4.
Præfectura prætorii qualis et quanta dignitas? Com. epist. ad Orosium, § *Postquam ex Oriente.*
Præfecturarum genera. *Ibid.*
Præfecti prætorio formula antiqua. *Ibid.* In Josepho patriarcha adumbratus. *Ibid.* Patriarcha et pater imperii dictus. *Ibid.* Quibusdam num major domus imperatoris existimatus. *Ibid.*
Præfecti prætorio, Dexter et Cynegius, ambo Hispani. *Ibid.*
Prætextatus Barcinonensis episcopus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Presbyteri a Paulo apostolo in Hispania relicti. Dex. A. C. 60.
Primas Hispaniarum Ecclesia, quare in Toleto, et quando instituta? Dex. et Com. A. C. 105 num. 6.
Primates Ecclesiæ ubinam secundum Canones apostolicos instituendæ? Com. *ibi.*
Primitivus martyr frater S. Facundi. Dex. A. C. 139. Ejus gesta. Com. *ibid.*
Primitivus martyr Cæsaraugustanus. Com. A. C. 300 num. 50.
Priscilla uxor Aquilæ Pontici, Pauli discipula, patitur. Dex. A. C. 95.
Priscilliani natales, mores, ac ingenii perversitas. Dex. et Com. A. C. 380 num. 2, et A. C. 382. Ejus supplicium. Dex. A. C. 388.
Probus Hispanus a Paulo conversus. Dex. A. C. 64. Sedet Ravennæ pontifex, et obit. Dex. A. C. 100, Com. num. 15.
Probus imper. Dex. A. C. 277.
Probus martyr Salmantinus cum sociis. Dex. A. C. 430.
Procorus S. Joannis apostoli discipulus, gestorumque ejus historiographus. Dex. A. C. 94.
Proculus martyr Interamnensis in Hispania. Com. A. C. 160 num. 2, et Dex. A. C. 175.
Proculus martyr Serpensis cum socio. Dex. A. C. 308, Com. num. 2.
Provinciæ mundi inter apostolos quando in sortem datæ. Com. A. C. 34 num. 10.
Provincia Carthaginensis Hispana in duas divisa. Dex. A. C. 419.
Prudentius poeta Hispanus ubi natus? et quando? Dex. et Com. A. C. 380 num 7. Fit rector Toleti, Cordubæ et Cæsaraugustæ. Fit etiam dux. Floret in poetica et rhetorica. Dex. A. C. 388. Petit Romam. *Ibid.* Floret ibi. Dex. A. C. 396, *ubi de ejus scriptis.* Scribit contra Symmachum, et quare? Com. A. C. 417 num. 1. Redit in Hispaniam, ibique scribit. Com. A. C. 423 num. 2, et A. C. 424. Moritur in æde S. Mariæ de Columna, Cæsaraugustæ. *Ibid.*
Prudentius Ilerdensis episcopus Orosium in Africam mittit. Dex. et Com. A. C. 400 num. 2.
Publius martyr Cæsaraugustanus, alter e xviii sociis. Com. A. C. 300 num. 50.
Pueri tres Pampilionenses cum Valente episcopo passi. Dex. A. C. 300, Com. num. 62.
Pupienus imperator. Dex. A. C. 240 et 241.
Pynetus Cretensis floret. Dex. A. C. 174.
Pyramus Galliæ rex. Dex. A. C. 284.
Pymenius *Vide* Pimenius.
Pyonius. *Vide* Pionius.

Q

Quadraginta philosophi a S. Catharina conversi, patiuntur. Dex. A. C. 300, Com. num. 60.
Quadratus apostolorum discipulus scribit pro fide Apologeticum. Dex. A. C. 128.
Quadratus episcopus Uliensis. Dex. A. C. 139.
Quartus prædicat in Hispania, ibique migrat. Dex. A. C. 50, Com. num. 5. et Dex. A. C. 105.
Quincianus sub quo Agatha agonizavit, ejusque filius Quincianus, Dex. A. C. 300, Com. num. 29.
Quinctius Toletanus episcopus. Com. A. C. 182, num. 5, et Dex. A. C. 208 et 222.
Quintus Quintilius imperator. Dex. A. C. 273.
Quintilianus Calagurritanus, rhetor. Com. A. C. 90 *in fine.*
Quiricus Toletanus episcopus, auctor hymni de Sancta Eulalia Barcinonensi. Com. A. C. 300 num. 52. Monachorum conventum in ejus Ecclesiam induxit. *Ibid.* in hymno.
Quiricus et Julita martyres. *Vide* Julita.
Quiriulus martyr Eburensis cum sociis. Com. A. C. 300, num. 20.
Quiteria virgo et martyr Hispana, ejusque gesta. Com. A. C. 138 num. 5. Ejus socii martyres. *Ibid.*

R

Ragonis Quinctiani filia Centolla virgo et martyr. Dex. A. C. 300, Com. num. 29.
Rebecca (*Alias* Sarra) socia Polyxenæ virginis, S. Andreæ discipula. Dex. et Com. A. C 71, num. 2.
Recaredus Hispaniæ rex, in quo monarchia Hispaniæ fundata. *Vide* Append. ad A. C. 430.
Regula virgo et martyr socia S. Felicis. Dex. A. C. 285.
Regulus in Galæcia ad fidem conversus. Dex. A. C. 60, Com. num. 6.
Reliquiæ S. Stephani inventæ. Com. A. C. 400 n. 2.
Reliquiæ Sanctorum in Hispaniis quatenus a Christianis in incursu Barbarorum custoditæ. Com. A. C. 423 num. 6, in cap. 3 *Actorum Bracarens. concilii.*
Restitutus presbyter Illipulitanus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5. Patitur cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 33.
Revocata martyr Argenteolensis cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 36.
Revocata virgo et martyr Vianensis cum sociis. Dex. A. C. 260.
Rhoda urbs quæ? Com. A. C. 300 num. 44. Ejus martyres. Dex. *Ibid.*
Riparius presbyter Hispanus convenit S. Hieronymum contra Vigilantium. Com. A. C. 388 num. 11.
Rixius-Varus, seu Ricius-Varus præses ad fidem conversus. A quo? Dex. A. C. 300, Com. num. 3.
Romani pontifices multi. Dex. A. C 260 et 296, et A. C. 308, Com. num. 25.
Romanorum nomine etiam Hispani comprehensi. Com. A. C. 35 num. 3 et Com. A. C. 37 num 5.
Romulus martyr, Trajani cubicularius. Dex. et Com. A. C. 100. num. 2.
Romulus martyr Concordiensis. Com. A. C. 145 num. 2.
Rosæ divinitus ad sepulcrum martyrum Cordubensium quotannis ortæ. Com. A. C. 138 n. 5.
Rufina virgo et martyr Hispalensis cum sorore Justa. Com. A. C. 300 num. 48.
Rufinianus martyr Bæticus cum sociis. Dex. A. C. 308, Com. num. 15.
Rufinus martyr Hispalensis cum sociis. Dex. A. C. 115.
Rufinus martyr Bæticus cum sociis. Dex. A. C. 308, Com. num. 15.
Rufinus ex causidico factus episcopus. Com A. C. 388 num. 4 et Dex. A. C. 407.
Rufus apostolorum discipulus, filius Simonis Cyrenensis sedet Dertosæ, seu Tortosæ episcopus. Dex. et Com. A. C. 100 num. 4 et Dex. A. C. 112.
Rufus episcopus mire delusus. Dex. et Com. 424 num. 6.
Rusticus Balanus, Romæ consul, Hispanus. Dex. A. C. 116.
Rusticorum familia nobilis in Hispania. Com. *ibid.*
Rusticus Antistius a Martiale laudatus. *Ibid.*
Rutilius martyr, Afer, Cordubam venit. Dex. A. C. 110. Patitur. Dex. A. C. 116.

S

Sabina virgo et martyr Emeritensis, Agauni passa. Dex. et Com. A. C. 300 num. 1.
Sabina virgo Abulæ cum fratribus passa. Dex. A. C. 300, Com. num. 54.
Sabinus episcopus cum Felice collega ad Cyprianum missus. Com. A. C. 255 num 2.
Sabinus Hispalensis episcopus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5. Duo ejus nominis et sedis præsules. *Ibid.*
Sagunti ad littus S. Vincentius occubuit. Com A. C. 300 num. 51.
Salaria Lusitaniæ urbs, quæ? Com. A. C. 230 num. 2 Ejus martyres. Dex. *Ibid.*
Salazarra gens S. Laurentium consanguineum colit. Com. A. C. 246.
Salia vetus, cujus se oblitum arguit Prudentius, quid? Com. A. C. 380 num. 7.
Salmanticæ obiit S. Juvencus presbyter. Dex. A. C. 337 et 407. Salmanticenses martyres a Wandalis occisi. Dex. A. C. 430.
Salvia terra urbs Cantabriæ, quæ? Com. A. C. 430 num. 8. Illuc reliquiæ S. Theodosiæ adductæ. Dex. *Ibid.*
Samaritanæ Evangelicæ, ac filiorum et sororum ejus nobile certamen. Com. A. C. 60.
Sampyrus Asturicensis episcopus scripsit Hispaniæ historiam. 1 *p. Apol.* § 1.
Sarra virgo S. Andreæ discipula venit in Hispaniam. Dex. et Com. A. C. 71 num. 2.
Saturninus episcopus Tolosanus fuit S. Petri apostoli discipulus. Com. A. C. 76 num. 2. Prædicat Pampilonæ,

et quo fructu? *Ibid.* Prædicat Toleti. Dex. *Ibid.* Iterum Toleti prædicat. Dex. A. C. 112.
Saturninus martyr Vianensis cum sociis. Dex. A. C. 260.
Saturninus martyr Deiobrigensis cum socio. Dex. A. C. 285.
Saturninus martyr Cluniensis cum CCCLV sociis. Dex. A. C. 290.
Saturninus martyr Patavoniensis cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 34.
Saturninus martyr Argenteolensis cum sociis. Dex. *Ibid.*
Saturnini quatuor martyres Cæsaraugustani, quare sic dicti? Com. A. C. 300 num. 50.
Sauromaticum bellum. Dex. A. C. 122.
Saxi-Firmum urbs. *Vide* Sexifirmum.
Saxum divinitus aperitur, ut occulat S. Mariam ancillam. Com. A. C. 360 num. 7.
Satyrus martyr Juliobrigensis cum sociis. Com. A. C. 360 num. 3.
Scalabitana urbs, ejusque cives et martyres. Com. A. C. 277 num. 2.
Scriptores contra Porphyrium. *Vide* Porphyrius. Contra Julianum Apostatam. Dex. A. C. 368.
Sebastianus dux militiæ, Hispanus, martyr sub Nerone. Com. A. C. 60 num. 1.
Sebastianus Mediolanensis martyr celeberrimus; quosnam ad fidem traxerit? Dex. et Com. A. C. 290.
Sebastianus Salmanticensis episcopus scripsit Hispaniæ historiam. 1 *p. Apol.* § 1.
Secundianus martyr Concordiensis. Com. A. C. 145 num. 2.
Secundinus Castulonensis episcopus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Secundinus martyr Cordubensis. Dex. A. C. 300, Com. num. 57.
Secundus, S. Jacobi discipulus, Ostiariusque ipsius, sed a S. Petro episcopus factus, et in Hispanias remissus. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8, et Dex. A. C. 43 et 44. Erat cum Paulo. Com. A. C. 52. Ubinam prædicaverit? Dex. A. C. 100. De passione ac translatione ipsius. Com. *Ibid.*
Secundus martyr Astensis, ubi occisus? Dex. et Com. A. C. 208 num. 8 et Dex. A. C. 300, Com. num. 31.
Secura urbs quæ? Com. A. C. 308 num. 13. Ejus martyr Dex. *Ibid.*
Sedulius celebris poeta, fuit Oretanus episcopus. Dex. A. C. 428.
Segissama-Julia, quæ urbs? Com. A. C. 308 num. 1. Prædicat in ea S. Bricius. Dex. *Ibid.*
Segissamona urbs, quæ? Com. A. C. 300 num. 64. Ejus martyr. Dex. *Ibid.*
Segissamunculum. *Vide* Com. A. C. 308 num. 1.
Segorbiensis episcopus quatenus Chronico isto usus? 1 p. Apol. § 2.
Segobiæ episcopus I. Sanctus Hierotheus. *Vide verbo*, Hierotheus.
Selambina urbs quæ? Com. A. C. 300 num. 5. Cujus presbyter Sylvanus interfuit Illiberitano.
Senagris Bracarensis episcopus ibi quoque interfuit. *Ibid.*
Seneca Christianus obiit Sintriæ: quisnam hic fuerit? Dex. et Com. A. C. 50 num. 6.
Senecæ ad Paulum epistolæ quales? Dex. et Com. A. C. 64. An Christianæ fidei adhæserit? Com. *Ibid.* Moritur. Dex A. C. 66, Com. num. 17.
Senes multi admirandæ planæ ætatis in primitiva Ecclesia. Com. A. C. 66 num. 2.
Sentica urbs, quæ? Com. A. C. 556 num. 4. Ejus martyres. Dex. *Ibid.*
Seoris urbs, quæ? *Alias* Saria. Com. A. C. 300 num. 50. Ejus martyres. Dex. *Ibid.*
Sepharad Hebræis est Hispania. Com. A. C. 37 num. 5 *in fine.*
Septem fratres martyres, filii sanctæ Symphorosæ. Dex. A. C. 100, Com. num. 24.
Septentrius S. Cæcilii discipulus, cum eo Grannatæ passus. Com. A. C. 57.
Serapion lector S. Theodori Cæsaraugustani episcopi, cum eo passus. Dex. A. C. 71.
Serapion Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300, num. 63.
Serena uxor Stiliconis, Hispana, cujus laudes cecinit Claudianus. Com. A. C. 388. num. 9.
Serenus Grannius pro Christianis scribit ad Hadrianum Cæsarem. Dex. A. C. 130.
Sergius Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Serpa urbs in Bætica, ejusque martyres. Dex. A. C. 308, Com. num. 2.
Serranus. *Vide* Asturius Serrenus.
Servandus martyr Emeritensis cum socio. Com. A. C. 298.
Servilia Romana Christiana. Dex. A. C. 86.
Setavis urbs, quæ? Com. A. C. 66 num. 5. Ejus martyres. Dex. *Ibid.*
Severinus martyr Juliobrigensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 19.
Severinus martyr Iturissanus cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 45.
Severus imperator. Dex. A. C. 195, 200, 202 et 208. Moritur. Dex. A. C. 213.
Severus Barcinonensis episcopus et martyr. Dex. A. C. 285. Duo ejus nominis, Com. *Ibid. et* 1 *p. Apol.* § 2. *Vide etiam* Dex. et Com. A. C. 252 num. 3.
Severus martyr Bæticus cum sociis. Dex. A. C. 308, Com. num. 15.
Severa mater sanctorum martyrum Vincentii et Læti. Dex. A. C. 352.
Severus episcopus Lamacitanus, scriptor. Dex. A. C. 388.
Severus Minoricensis episcopus ad fidem Judæos convertit. Com. A. C. 424 num. 11.
Sexifirmum urbs, quæ? Com. A. C. 50 num. 3, et Com. A. C. 100 num. 5.
Sextus philosophus claret. Dex. A. C. 122.
Sidonius (seu Sydonius) Apollinaris scribit contra Vigilantium. Com. A. C. 388 num. 11.
Sigericus Gothorum rex. Com. A. C. 430 *in fine.*
Sihignia urbs, quæ? Com. A. C. 556 num. 2, et Dex. cum Com. A. C. 366 num. 1. Sancti ejus. Dex. *utroque anno.*
Sila nutrix novem virginum ac martyrum. Com. A. C. 138 *in fine.*
Silo rex Hispanus scribit ad Cyxillanem episcopum Toletanum. Com. A. C. 286 num. 2, *in S. Tyrso.*
Simon apostolus proficiscitur ad prædicandum. Dex. et Com. A. C. 41.
Simonis Magi præstigiæ. Com. A. C. 91 num. 5.
Simonis Cyrenensis gesta. Dex. et Com. A. C. 112 num. 10, et filiorum ejus. *Vide, in verbis*, Alexander, et Rufus.
Sinensis portus, et urbs ubi? Com. A. C. 263. Ejus sancti. Dex. *Ibid.*
Sinesius episcopus passus Nertobrigæ cum socio. Dex. A. C. 300, Com. num. 22. Acta ipsorum Com. *Ibid.*
Siricius papa. *Vide* Syricius.
Sirmium urbs, quæ? Com. A. C. 100 num. 5. Ejus martyres. Dex. *Ibid.*
Solia urbs quæ? cujus presbyter Eumantius interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Soliensis martyr. Dex. A. C. 300, Com. num. 28.
Socrates martyr Iturissanus cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 45.
Soles tres in Hispaniis tempore Dominicæ Nativitatis visi. Dex. et Com. A. C. 2. *ubi de aliis similibus apparitionibus.*
Solis defectio in morte Augusti Cæsaris. Dex. A. C. 15. Alia in Christi morte. Dex. A. C. 34, Com. num. 1. Alia initio imperii Neronis. Dex. et Com. A. C. 60. Alia magna etiam. Dex. A. C. 350.
Sother papa. Dex. A. C. 171.
Sother virgo et martyr Romana, ubinam passa? Dex. et Com. A. C. 300 num. 37.
Spiridion Toletanus episcopus, confessor insignis. Dex. A. C. 300, Com. num. 32.
Splendonius episcopus Ambracianus, sive Placentinus, ejicit urbe Priscillianistas. Dex. A. C. 424.
Stacteus *Vide* Getulius.
Statius Papinius cui dicavit IV librum Sylvarum. Dex. et Com. A. C. 110 num. 7.
Stephani Protomartyris nex, et quæ inde orta fuit persecutio. *Vide* Persecutio, Inventio. Com. A. C. 400 num. 2.
Stephanus Astensis martyr cum sociis. Dex. A. C. 112.
Stephanus Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Stiliconis consulis laudes. Com. A. C. 388 num. 9.
Secundus consulatus. Dex. A. C. 405.
Straton martyr Bæticus cum sociis. Dex. A. C. 308, Com. num. 15.
Successus episcopus de Eliocrota interfuit Illiberitano. Com. A. C 300 num. 5.
Successus Cæsaraugustanus martyr, alter e XVIII sociis. Com. A. C. 300 num. 50.
Suellum Hispaniæ oppidum, unde egregii jaculatores. Dex. A. C. 86 et 430.
Suessanum concilium in causa Marcellini papæ. Dex. A. C. 300, Com. num. 18. Quinam Patres ibi interfuerint? *Ibid.*
Suevi possident Gallæciam, vastata Lusitania. Dex. A. C. 423. De eis iterum. Dex. A. C. 424. Sunt tertia Danielis bestia. *Append.* ad A. C. 430. Suevorum reges. *Ibid.*
Sussana virgo et martyr Iriæ-Flaviæ. Dex. et Com. A. C. 300 num. 15.
Sussana virgo et martyr Bracarensis. Dex. A. C. 300, Com. num. 8.
Sussana martyr Cluniensis cum sociis. Dex. *Ibid.* num. 10.
Sussana virgo et martyr Carthaginensis cum sociabus. Dex. et Com. A. C. 308 num. 7.
Sylvanus presbyter de Salambina interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5 et Com. A. C. 308 num. 7.
Sylvester Bracarensis martyr. Dex. A. C. 300, Com. num. 20.
Sylvester papa sub quo refloruit Ecclesia. Dex. A. C. 308, Com. num. 25. Festum Inventionis S. Crucis instituit. Dex. A. C. 424.
Symbolum apostolorum quo anno ab eis compositum? Com. A. C. 41. Symbolum Nicænum Hosius Cordubensis dictavit. *Vide* Hosius.

Symphorosa mater septem Martyrum. Dex. A. C. 100, Com. num. 24. Alter illorum ad vitam beneficio S. Joannis apostoli revocatus. *Ibid.*
Symphronius Carthaginensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300. num. 63, et Com. A. C. 270 num 2.
Syricius papa. Dex. A. C. 388 et 398.

T.

Tacitus imper. Dex. A. C. 277.
Tades urbs, quæ? Dex. A. C. 308, Com. num. 13. Fluvius item ejus nominis. *Ibi* in Com.
Tagonium flumen longe aliud a Tago. Dex. et Com. A. C. 308 num. 6.
Tagora, vel Tagura, urbs Africæ. Com. A. C. 360 num. 4.
Tanagrum flumen ubi? Dex. et Com. A. C. 208 num. 8. Oppidum ejus nominis quod? Dex. et Com A. C. 360 num. 9.
Tarraconensis Ecclesia a S. Jacobo erecta, creato ibi primo ejus episcopo Agathodoro. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8. Qui B. Virgini ædem dicat. Dex. A. C. 38. Epaphroditus episcopus II a S. Petro creatus. *Vide* Epaphroditus. Martyres sub Nerone. Dex. A. C. 60. Sub aliis principibus. Dex. et Com. A. C. 268 num 4, et Com. A. C. 300 num. 26, *et* Com. A. C. 308 num. 18, et Dex. A. C. 360. Ejus provinciæ episcopi Nicænæ Synodo interfuere. Dex. A. C. 324. Concilium sub Himerio episcopo, tempore Syricii papæ. Com. A.C. 388 num. 10. Urbs a Barbaris destructa. Dex. A. C. 424. Civis nobilis Paulus Orosius. *Vide* Orosius.
Tarsis. *Vide* Tharsis.
Tartesia idem quod Tarsis. *Vide* Tharsis.
Tela urbs, quæ? Com. A. C. 290 num. 3. Martyres ejus. Dex. *Ibid.* et A. C. 299. Marcellus episcopus. Dex. A. C. 382. Synodus. Dex. A. C. 424, *ubi de Domitiano episcopo.*
Templum S. Mariæ de Polumna Cæsaraugustæ à S Jacobo erectum, probatur. Com. A. C. 37 num. 3, *etc.* Laxatur. Com. A. C. 312. Ejus celebritas. Dex. A. C. 52. Quatenus fuerit primum Com. A. C. 37 num. 3. S. Mariæ Bracarensis ab eodem erectum. *Hugo Portucallensis inter Elogia Auctoris.* S. Jacobi Venetiis erectum. Com. A. P. 41 num. 4. Compostellanum à quibus? Com. A. C. 42. Herculis Ægyptii in Insula Gaditana celeberrimum apud Gentiles. Com. A. C. 66 num. 22. S. Vincentio Levitæ ad corpus ejus erectum. Com. A. C. 300 num. 51. S. Eulaliæ Barcinonensis. *Ibid.* et Com. A. C. 312. SS. Vincentii, Sabinæ et Cristetæ. Com. A. C. 312. S. Leocadiæ virginis. *Ibid.* SS. Vincentii et Læti. Dex. A. C. 353. S. Tyrsi Toletani a Cyxillane erectum. *Vide* Tyrsus. Toletanum laxatur spatiis ab Olympio II. Dex. A. C. 424.
Templa ubique locorum agente Hosio, jussu Constantini et Helenæ ædificata. Dex. et Com. A. C. 312.
Terasia, sive Tarasia, S. Paulini uxor, Hispana et sanctitate clara. Com. A. C. 396 num. 1.
Terræmotus in morte Christi. Com. A. C. 34. Alius Romæ. Dex. et Com. A. C 60.
Tertullianus floret. Dex. A. C. 208 num. 9. Ejus de S. Rutilio testimonium. *Vide* Rutilius.
Tertullus martyr Eburensis cum socii. Com. A. C. 300 num. 20.
Tetricus in triumphum actus. Dex. et Com. A. C. 276 num. 2.
Tharsis ubinam fuerit, late disseritur. Com A. C. 66 num. 22 Quid in sacris litteris? *Ibid.* Perperam ab aliquibus confunditur cum Ophir. *Ibid.*
Theatrum Pompeii exustum. Dex. et Com. A. C. 23.
Theodoredus rex Gothorum. Dex. A. C. 430 *in fine, et in Append. ad hunc annum.*
Theodoretus scite interpretatur Danielis prædictionem de tempore prædicationis apostolorum Hierosolymis. C. A. C. 36.
Theodorus S. Jacobi discipulus. Dex. et Com. A. C. 37 num 8. Præficitur custodiæ Ecclesiæ de Columna. Dex. A. C. 41. Ubi prædicat? Dex. et Com. A C. 50. Fit episcopus Cæsaraugustanus, et patitur. Dex. et Com. A. C. 71 num. 5.
Theodorus martyr Oscensis cum Philippa. Dex. A. C. 138.
Theodorus admirabilis, cognomento Trichinas, eremita Metellinensis. Dex. et Com. A C. 300 num. 46.
Theodorus Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Theodorus martyr Ispalitanus cum sociis. Dex. A. C. 308, Com. num. 16. Theodoriscus Cluniensis martyr cum sociis. Com. A. C. 300 num. 63.
Theodosia martyr Tarraconensis cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 26.
Theodosiæ virginis ac martyris Cæsariensis reliquiæ in Cantabriam delatæ. Dex. A. C. 430.
Theodosius Barcinonensis episcopus II. Dex. A. C. 94, 100 et A. C. 285.
Theodosius martyr Telensis cum sociis. Dex. A. C. 290.
Theodosius pater Theodosii imper. Dex. A. C. 382. Fit martyr. Dex. A. C. 423.
Theodosius Magnus, Hispanus, imperator. Dex. A. C. 382. Restaurat religionem in Oriente. *Ibid.* num. 10. Interest concilio Mediolanensi. Dex. A. C. 384. A Græcis Catalogo Sanctorum ascriptus. Com. A. C. 382.
Theodosius Junior imper. Dex. A. C. 424.
Theodosii Judæi Hispani mira ad Deum conversio. Dex et Com. A. C. 424 num. 11.
Theonas martyr Iturissanus cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 45.
Theophilus Hispalensis martyr cum sociis. Com. A. C. 115.
Theophilus Vianensis martyr cum sociis. Dex. A. C. 260.
Theophilus Argenteolensis martyr cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 36.
Theopompus martyr Nertobrigensis cum socio. Dex. A. C. 300, Com. num. 59.
Theoprepes filius SS. Phileti et Lædæ, martyr Barcinonensis. Com. A. C. 138 num. 2.
Theresiæ nomen a S. Tyrso martyre ad feminas deductum. Com. A. C. 285, post num. 10. *Alias* Tarasia, seu Terasia.
Thermancia imperatoris Honorii conjux, Hispana. Com. A. C. 417 num. 1.
Thermeda Carpetaniæ urbs, quæ? Com. A. C. 290 num. 1. Martyres ipsius. Dex. *Ibid.* et A. C. 308, Com. num. 6.
Thesiphons S. Jacobi discipulus, lectorque ab eo ordinatus. Dex. et Com. A. C. 37, num. 8. Sed a S. Petro episcopus factus, et in Hispanias remissus. Com. *Ibid* et Dex. A. C. 43 et 44. Ubi prædicat? Dex. A. C. 54 num. 10. Patitur cum S. Cæcilio. *Vide* Cæcilius.
Thiar urbs, quæ? Dex. A. C. 353. Ejus civis Gratianus episcopus. *Ibid.*
Thomas apostolus proficiscitur ad prædicandum. Dex. et Com. A. C. 41.
Thomas de Torralba Societatis Jesu, Chronici hujus repertor. 1 *p. Apol.* § 1.
Thraseas poeta fuit Christianus. Dex. A. C. 86.
Tiberius adoptatur ab Augusto. Dex. et Com. A. C. 2 num. 2. Ejus victoriæ. Dex. et Com. A. C. 9. Init imperium. Dex. A. C. 15. *Vide* Pilatus.
Tile urbs, quæ? Com. A. C. 116 num. 3. Ejus martyr. Dex. *Ibid.*
Timotheus an interfuerit funeri Virginis? Com. A. C. 48. Venit cum Paulo in Hispaniam. Dex. A. C. 64 et Com. A. C. 66.
Titianus præfectus prætorio. Dex. et Com. A. C. 347.
Titulcia urbs, quæ? Com. A. C. 308 num. 6 Ejus martyres abbates. Dex. *Ibid.*
Titus Livius moritur. Dex. et Com. A. C. 19.
Titus Pauli discipulus interfuit ejus martyrio. Com. A. C. 66 num. 16. Ejus acta et prædicatio in Hispania. Dex. A. C. 220 num. 3.
Titus presbyter de Vinch, interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Toletum a quibus constructum. Com. A. C. 37 num. 5. Judæi Toletani non consenserunt in necem Christi, Com. A. C. 35 num. 7. Toletana Ecclesia a S. Jacobo erecta, creato ibi primo ejus episcopo S. Elpidio. Dex. et Com. A. C. 36. Qui Ecclesiam B. Virgini sacrat. Dex. A. C. 38. Toleto pellitur Marcus Gnosticus hæreticus. Dex. A. C. 169. Concilia. *Vide verbo* Concilium. Martyres. Dex. A. C. 300, Com. num. 48, 50, 52, et A. C. 352. Præsules. *Vide verbis*, Elpidius, Julianus, Hermolaus, Honoratus, Eugenius, Pelagius, Patruinus, Turibius, Quinctius, Vincentius, Pomponius, Paulatus, Melantius, Natalis, Olympius I et II, Gregorius, Audentius, Asturius, Majorinus, Fetadius, Isicius, Castinus, Paternus, etc. Catalogus a Loaysa excusus, diminutus valde. Com. A. C. 424 num. 7. Ibi florebat Vincentius Cordubensis. Dex. A. C. 360. Rectores et Duumviri. *Vide verbis*, Aulus Cornelius Palma, P. Turanus, Dexter, Prudentius poeta.
Torisia urbs, eadem quæ Tucci. *Vide* Tucci.
Torpes nobilis martyr Pisanus in Hispaniam divinitus delatus. Dex. et Com. A. C. 265.
Torquatus S. Jacobi discipulus, exorcista ab eo factus, a beato vero Petro episcopus in Hispaniam remissus. Com A. C. 37 et Dex. A. C. 43 et 44. Ubi prædicat? Dex. A. C. 52.
Ejus scripta. Dex. A. C. 66, Com. num. 4. Ejus brachium et cor incorrupta ubi serventur? ubi de miraculo quotannis ad ejus sepulcrum fieri solito. *Ibid.*
Trajanus in Hispania ortus. Com. A. C. 100, n. 2. Imperat. Dex. A. C. 101, Ejus gesta. *Ibid* et A. C. 104, 105 et 115.
Treuga urbs, quæ? Com. A. C. 105 n. 5 cum Dextro.
Treviris punitur Priscillianus cum sociis. Dex. A. C. 388.

Tricium-mellatum, quæ urbs? Com. A. C. 368 num. 1. In ea aliquot concilia celebrata. Dex. *Ibid.*
Tridenti floret Maxentia Cauriensis. Dex. A. C. 419. Fuit mater S. Vigilii episcopi. Com.
Trophimus martyr Uxamæ-Barchæ. Dex. A. C. 91.
Tucci urbs, quæ? Com. A. C. 308 num. 17. Ejus martyres. Dex. *Ibid.*
Tudensis Ecclesia fundata a S. Petro Bracarensi episcopo. *Vide* Petrus Bracarensis. Ejus episcopus I, sanctus Epitacius. *Vide* Epitacius. Martyres. Dex. A. C. 300; Com. num. 25 et A. C. 424.
Tugiensis saltus, quis? a quo evangelizatus? Dex. A. C. 100.
Turanus duumvir Toletanus. Dex. A. C. 105.
Turbula urbs, quæ? Dex. et Com. A. C. 255 num. 4. Ejus martyr. *Ibid.*
Turibius Toletanus episcopus; qualis? Dex. A. C. 182. Huic Irenæus libros suos dicat *Ibid.* et in Com.
Turibius pater SS. martyrum Vincentii et Læti. Dex. A. C. 352.
Turibius Asturicensis episcopus præest Toletano concilio. Com. A. C. 386 num. 1.
Turigium urbs, quæ? Com. A. C. 285 num 7. Ejus martyres. Dex. *ibid.* et in Com.
Turillus discipulus S. Iscii, patitur Grannatæ. Com. A. C. 57.
Turrinus presbyter Castullonensis interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Tynius Rufus Palæstinæ præses. Dex. A. C. 135.
Tyrsus martyr, quod fuerit Toleti natus, licet Apolloniæ occisus, late defenditur post Com. A. C. 286 num. 2.

U

Ulia urbs, quæ? Com. A. C. 139 num. 3. Ejus episcopus S. Quadratus. Dex. *Ibid.* Victor presbyter interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Ulyssiponensis Ecclesia a S. Petro Bracarensi erecta. *Vide* Olyssiponensis.
Ulpianus jurisconsultus floret. Dex. A. C. 228.
Unda, sive Undumenum urbs, quæ? Com. A. C. 105 num. 3. S. Valentinus episcopus. *Ibid* in Dex.
Urbanus Cæsaraugustanus martyr, alter e XVIII sociis. Com. A. C. 300 num. 50.
Urbes a Judæis olim in Hispaniis erectæ. Com. A. C. 37 num. 5. A Græcis. *Vide* Amphilochium in Com. A Phœnicibus. *Verbo* Gades, in Com.
Urci, quæ urbs? Com. A. C. 54 num. 6. Ejus evangelizator. Dex. *Ibid.* Januarius ejus presbyter interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Urena urbs quæ? Com. A. C. 300 n. 2, *ubi de S. Valerio.*
Urgabona urbs, et Urgabonense municipium. Com. A. C. 300 num. 55, et Dex. et Com. A. C. 308 num. 4. Martyres. *Ibid.*
Urias prophetа pater S. Petri Bracarensis. Com. A. C. 57.
Ursaona urbs, nunc Ossuna; ejus martyres. Dex. et Com. A. C. 110 num. 8. Civis S. Natalis. *Vide* Natalis episcopus Toletanus.
Utica urbs in Hispania. Dex. et Com. A. C. 66 num. 6. Ejus martyres. Dex. *Ibid.* Leporius ejus episcopus. *Vide* Leporius.
Urriculum urbs, quæ? Com. A. C. 180 num. 2, cum Dextro, et Dex. et Com. A. C. 308 num. 15. Martyres. *Ibid.*
Uxama-Argela urbs quæ? Com. A. C. 91 num. 1. Ejus episcopus Exuperantius. Dex. A. C. 385.
Uxama-Barcha urbs, quæ? Com. A. C. 91 num. 1. Ejus martyres. Dex. *Ibid.* et Com. A. C. 268 num. 4.

V

Valens Pompilionensis episcopus passus cum tribus pueris. Dex. A. C. 300, Com. num. 62.
Valens imperator incendio perit. Dex. A. C. 382.
Valentina Ecclesia a S. Jacobo erecta, creato ibi S. Eugenio I ejus episcopo. Dex. et Com. A. C. 37 num. 8. Ejus episcopus S. Victorius. *Vide* Victorius.
Valentia Lusitanorum pellitur Marcus hæreticus. Dex. A. C. 169. Martyres. Dex. A. C. 253. Urbes ejus nominis quot? Com *Ibid.*
Valentiniani imper. obitus. Dex. A. C. 375.
Valentinus hæreticus. Dex. A. C. 145.
Valentinus episcopus Vianæ celebris. Dex. A. C. 424.
Valentio martyr fuit socius S. Pasicratis. Com. A. C. 168. Vide *Rom. Martyrologium, die* 25 *Maii.*
Valerianus imper. Dex. A. C. 257. Misere vivit et moritur. Dex. A. C. 260.
Valerius Cæsaraugustanus episcopus multa passus. Dex. et Com. A. C. 300 num. 2. Interfuit Illiberitano cum S. Vincentio Levita et Martyre. Com. *Ibid.* num. 5.
Valerius alter Cæsaraugustanus episcopus, qui interfuit Cæsaraugustano concilio. Dex. et Com A. C. 384 num. 7. Alter ejus nominis et sedis. Dex. A. C. 423. Qui etiam Valerianus dictus reperitur. Com. *ibi* et Dex. A. C. 430.
Valerius Hispanus, qui Berosi fragmenta collegit. Dex. A. C. 300, Com. num. 13.
Vallata urbicua urbs Hispaniæ, quæ? Com. A. C. 255 num. 2. Ejus presbyter Felix scripsit ad S. Cyprianum. *Ibid.* et in Dex.
Varia urbs quæ? Com. A. C. 368 num. 1. In ea Synodi plures coactæ. Dex. *ibid.*
Varinus scriptor Romanus ecclesiasticus. Dex. A. C. 285.
Varro quantum patriæ contulerit, Cicerone teste? 1 *p. Apol.* § 3.
Vates vocati discipuli S. Jacobi. Com. A. C. 54, num. 9.
Venetiis prædicat S. Jacobus apostolus. Dex. A. C. 41. Templum in ejus honorem ibi erigitur Com. *Ibid.*
Verenice (vulgo Veronica) sanctum Domini vultum Romam attulit. Dex. A. C. 48.
Vergi urbs, quæ? Com. A. C. 54 num. 10. Ejus episcopus Cantonius interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Vergilia, quæ urbs? Com. A. C. 54 num. 10.
Verissimus martyr Olyssiponensis cum sororibus. Dex. A. C. 308, Com. num. 11.
Vernulum esse quid significet? Com. A. C. 286 num. 2, *in S. Tyrso.*
Verobisca urbs, quæ? Com. A. C. 360 num. 7. Martyr ejus. *Ibid.*
Veronica. *Vide* Verenice.
Vespasiani imperium. Dex. et Com. A. C 70.
Veturius Christianos persequitur. Dex. A. C. 300, Com. num. 11.
Vezozabia provincia, quæ? Com. A. C. 290 num. 2. Martyres. Dex. *Ibid.*
Viana urbs, quæ? Com. A. C. 260 num. 2. Martyres. Dex. *Ibid.* Confessores Episcopi. Dex. A. C. 424.
Vicensis urbs, quæ? Com. A. C. 300 num 8. Ejus episcopus Justus. Dex. *Ibid.* Alter ejus nominis. Com. *Ibid.* S. Lucianus eo transfertur. Dex. A. C. 308. Com. num. 8.
Victor filius mulieris Samaritanæ, martyr. Com. A. C. 60 num. 1.
Victor martyr Flaviobrigensis cum sociis. Dex. et Com. A. C. 182 num. 3.
Victor presbyter Ulliensis interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Victor martyr Juliobrigensis cum sociis. Com. A. C. 300 num. 19.
Victor martyr Iturissanus cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 45.
Victor martyr Catechumenus Bracarensis. Dex. A. C. 300, Com. num. 61.
Victor Levita et martyr Pacis-Augustanus cum sociis. Com. A. C. 308 num. 24.
Victor Maximi imperatoris filius, cum patre necatur. Dex. A. C. 388.
Victoria virgo et martyr Cordubensis. Com. A. C. 138 num. 6.
Victoria virgo et martyrium Romana, in Hispania passa. Dex. A. C. 255.
Victoria martyr Volucensis cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 30.
Victoria vidua martyr Illorcitana. Dex. A. C. 406.
Victoricus martyr Legionensis cum sociis. Com. A. C. 298.
Victorius episcopus Valentinus. Dex. A. C. 105.
Victorius presbyter de Egabro interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Vigilantius hæreticus, presbyter Calagurritanus, unde? ex Galliane, an ex Hispania? Dex. et Com. A. C. 388 num. 11. Vitiat Barcinonensem Ecclesiam. *Ibid.*
Villasicca urbs quæ? Com. A. C. 370 num. 3. Ejus civis S Asturius Serranus. Dex. *Ibid*
Vinc urbs, quæ? cujus presbyter Titus interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Vincentia virgo et martyr Cauriensis. Dex. A. C. 424.
Vincentius martyr Aquis-Quintianus. Dex. A. C. 95.
Vincentius martyr et episcopus Mevaniæ. Dex. A. C. 200, Com. num. 40. Ubinam passus? Com. *Ibid.* cum Dex.
Vincentius Toletanus episcopus. Dex. A. C. 222 et 245.
Vincentii martyres levitæ Cæsaraugustani duo, Hoscensis et Agennensis. Com. A. C. 300 num. 2, *ubi de Agennensi.* Hoscensis interfuit Illiberitano. *Ibid.* num. 5. Laurentii consanguineus. Com. A. C. 300, *in Append. de eo.*
Vincentius episcopus Ossonobensis interfuit Illiberitano. Com. A. C. 300 num. 5.
Vincentius martyr Abulensis cum sororibus. Dex. A. C. 300, Com. num. 54. Ubi nati? *disquiritur* in Com.
Vincentius martyr Pacis-Augustanus cum socio. Dex. A. C. 308, Com. num. 24.
Vincentius martyr Toletanus cum fratre suo gemello. Dex. A. C. 352

Templum eorumdem. Dex. A. C. 355.
Vincentius Cordubensis vir insignis. Dex. A. C. 360.
Vincentius Cæsaraugustanus episcopus. Dex. A. C. 425.
Vincentius Lirinensis scriptor. Dex. A. C 429.
Vineas habere permisit Gallis Probus imperator. Dex. A. C. 280.
Vitalis archipresbyter Toletanus martyr, interest Toletano concilio. Dex. A C. 105. Patitur. Dex. A. C. 110.
Vitalis martyr, pater SS. martyrum Justi et Pastoris. Dex. et Com. A. C. 290 num. 1.
Vitellii imper. in Christiano sorta persecutio. Dex A. C. 70, Com. num. 1.
Vologesus Parthorum rex. Dex. A. C. 166.
Voluca urbs, quæ? Com. A. C. 300 num. 36. Martyres ejus. Dex. *Ibid.*
Volusianus imperator. Dex. A. C. 256.

W

Waldaredus Cæsaraugustanus episcopus, poeta. Com. A. C. 290 num. 1.
Walia Gothorum rex. Dex. A. C. *in fine, et in Append.*
Wandali. Dex. A. C. 406. Veniunt in Hispanias. Dex. et Com. A. C. 424 num. 1. Profligant viginti millia militum. Dex. A. C. 429. Wandalica persecutio. A. C. 430 Sunt secunda Danielis bestia. *Append. ad* A. C. 430.
Witgefortis eadem ac Liberata. *Vide* Liberata.
Wilphilas Gothorum episcopus. *Vide* Gulphilas.

X

Xantippe uxor Probi, discipula Pauli apostoli, soror S. Eugenii Toletani episcopi. Dex. A. C. 64, cum Com. Obit placide. Dex. A. C. 106, Com. num. 18 et 20, *ubi multa de ea.*
Xantippe mater ipsius qualis? *Ibid.* Quanta? *Ibid.* in Com.
Xistus papa et martyr, cujus levita fuit S. Laurentius. Dex. A. C. 260.

Z

Zamorensis synagogæ Judæi non consenserunt in necem Christi. Com. A. C. 35 num. 7.
Zeno martyr socius Vitalis et Feliculæ. Dex. A. C. 110.
Zeno martyr Celtiber cum MCCII sociis, Romæ passus. Dex. A. C. 290.
Zeno martyr Iturissanus cum sociis. Com. A. C. 300 num. 46.
Zenobia regina Romam adducta. Dex. A. C. 276.
Zoilus martyr Telensis cum sociis. Dex. A. C. 290.
Zoillus (vel Zoellus) martyr Cordubensis cum XIX sociis. Com A. C. 300 num. 57.
Zosimus martyr Carthaginensis cum sociis. Dex. A. C. 112.
Zosimus alter Carthaginensis martyr cum sociis. Dex. A. C. 268, Com. num. 10.
Zosimus papa. Com. A. C. 400 num. 2.
Zoticus martyr Iturissanus cum sociis. Dex. A. C. 300, Com. num. 45.

REMISSIONES GEOGRAPHICÆ

QUARUMDAM VOCUM MODERNARUM URBIUM, ET LOCORUM,

De quibus in Dextri Commentariis mentio fit.

Quære singulas in Indice principali.

Abila, *vide in Indice verb.* Abulensis.
Agreda, *vide in Indice* Agredæ martyres.
Alcala, *vide* Complutum.
Alcaraz, *vide* Tugiensis Saltus.
Alcazar de la Sal, *vide* Salaria.
Aldea-el-Rio, *vide* Iliturgis.
Alhama, *vide* Astigi.
Almaden, *vide* Masia.
Almeria, *vide Com. A. C.* 54, *num.* 10.
Alicante, *vide* Alone.
Almuna, *vide* Nertobriga.
Ambroz, *vide* Ambracia.
Ampurias, *vide Com. A. C.* 138, num. 5.
Auduxar, *vide* Iliturgi.
Annet, *vide* Valerius Cæsaraugustanus.
Arjona, *vide* Urgabona.
Aroche, *vide Com. A. C.* 95, *num.* 5.
Asta seu Lamesa de Asta, *vide* Asta.
Astorga, *vide* Asturicensis.
Aviles, *vide* Argenteola.
Badajoz, *vide* Pax-Augusta.
Baëza, *vide* Bætulo.
Bajona, *vide* Belcagia, et Titulcia.
Barcelona, *vide* Barcinonensis.
Baza, *vide* Bastetana civitas.
Bejar de la Miel, *vide* Melaria.
Beja, *vide* Pax-Augusta.
Belilla, *vide* Cuminaria.
Benavente, *vide* Interamnis.
Berlanga, *vide* Voluca.
Bermeo, *vide* Octaviola, *et Com. A. C.* 384, *n.* 10.
Beselga, *vide* Resulcum.
Betanzos, *vide* Flavium-Brigantium.
Bilbao, *vide* Flavio-Briga.
Blanes, *vide* Blanda.
Burgos, *vide Com.* 2 *A. C.* 300, *num.* 13 *et* 14.
Braga, *vide* Bracarensis.
Calatayud, *vide* Bilbilis.
Calatraba, *vide* Oretum.
Calles de sancta Euphemia, *vide* Abobriga.
Calpe, *vide* Heraclea *et* Calpe.
Campo de Montiel, *vide* Laminium.
Caparra (venta), *vide* Caparra.
Carmena, *vide* Carmonia.
Cartagena, *vide* Carthago.
Castel-Segura, *vide* Secura.
Castro, *vide* Castrum-Altum.
Cazlona, *vide* Castulo.
Cazeres, *vide* Castra-Cæcilia.
Cazorla, *vide* Mentesa.
Cea, *vide* Cæa.
Colibre, *vide* Illiberis.
Cordoba, *vide* Cordubensis.
Coca, *vide* Cauca.
Coria, *vide* Cauria
Corunna, *vide* Clunia.
Cotana (venta), *vide Com.* 3 *A. C.* 100, *num* 1.
S. Cruz de la Zarza, *vide* Cuminaria.
Cuenca, *vide* Conchana.
Ebora, *vide* Eburensis.
Elna, *vide* Helena mater Constantini.
Estrada, *vide Com. A. C.* 300, *num.* 2.
Ezija, *vide* Astigi.
Fregenal, *vide* Nertobriga.
Fregiliana, *vide* Sexifirmum.
Fuente-Obejuna, *vide* Mellaria.
S. Gadea, *vide* Segisamunculum.
Gelbes, *vide* Gelduba.
Girona, *vide* Gerunda.
Granada, *vide* Illiberis *et* Granatensis.
Grao, *vide Com. A. C.* 105, *num.* 2.
Guadalaxara, *vide* Caraca.
Guadix, *vide* Acci.
Helche, *vide* Ilici.
Hiepes, *vide* Hippon.
Hillescas, *vide* Sibigaia.
Hita, *vide* Amphitria.
Huesca, *vide* Osca.
Huercar, *vide ibidem.*
Jaen, *vide* Mentesa.
Lamego, *vide* Lamacitanus.
Lebrilla, *vide Com. A. C.* 100, *num.* 12.
Lerida, *vide* Ilerdensis.
Lezuca, *vide* Libisosa.
Lisboa, *vide* Olyssipponensis.
Leon, *vide* Legionensis.
Logrono, *vide* Juliobriga.
Lora, *vide* Iliturgi *et* Laurum.
Lorca, *vide* Ilorci.
Lucena, *vide Com. A. C.* 52, *num.* 1.
Lugo, *vide* Aquæ-Sextianæ, et Lucensis.
Madrid, *vide* Mantua-Carpetana.
Malaga, *vide* Malacitanus.
Maqueda, *vide Com. A. C.* 37, *num.* 5.
Marquelliza, *vide* Adura.
Martos, *vide* Ilipula.
Medellin, *vide* Metellinensis.
Medina-Sidonia, *vide* Pimenius *et* Aquæ.
Mertola, *vide* Myrtillis.
Monda, *vide* Munda.
Montanges, *vide* Caliabria,
Monte-Mayor, *vide* Ulia.
Motril, *vide* Sexifirmum.
Muniebrega, *vide* Munobriga.
S. Mamed, *vide* Mammantis.
Nobes, *vide Com. A. C.* 37, *num.* 5.
Ocana, *vide* Oleades.
Oliva, *vide* Cæsarobriga.
Orduna, *vide* Uxama-Barca.
Orense, *vide* Amphilochium.
Oreto, *vide* Oretum.
Osma, *vide* Uxama-Argella.
Ossuna, *vide* Ursaona.
Oviedo, *vide* Aquæ-Quintianæ.
Padron, *vide* Iria-Flavia.
Palamos, *vide* Palemo.
Palentia, *vide* Palentina.
Pamplona, *vide* Pompilionensis.
Pena de Martos, *vide* Ilipula.
Pena-Flor, *vide* Ilipula.
Peniscola, *vide* Cherronessum.
Piedra-Hita, *vide* Sexifirmum.
Pios, *vide* Pydna.
Portilla, *vide Com. A. C.* 100, *num.* 21.
Porto, *vide* Callensis.
Priego, *vide* Castulo.
Rossas, *vide* Rhoda.
Rueda, *vide* Rhoda.
Salamanca, *vide* Salmanticensis.
Sanguesa, *vide* Iturissa.
San-Mamed, *vide* Mammantis.
Santaren, *vide* Scalabitana.
Segobia, *vide* Segobiensis.
Segura, *vide* Secura.
Sequia, *vide* Serpa.
Setubal, *vide* Salaria
Sevilla, *vide* Hispalensis.

Sevilla la Vieja, *vide* Italica.
Siero, *vide Com. A. C.* 500, *num.* 50.
Salvatierra, *vide* Salvia-terra.
Sierra de Alcaraz, *vide* Tugiensis Saltus.
Sierra Morena, *vide* Arsa-Mariana.
Siquenza, *vide* Liberata, *et Com. A. C.* 76, *num.* 1.
Simancas, *vide* Segissama-Julia.
Sinis, *vide* Sinensis portus.
Talalla, *vide* Deiobriga.
Talabera, *vide* Ebura *et* Aquæ.
Tarragona, *vide* Tarraconensis.
Teruel, *vide* Turbula.
Toledo, *vide* Toletum.
Tomar, *vide* Concordia.
Tordesillas, *vide Com. A. C.* 356, *num.* 4.
Torrijos, *vide* Turigium.
Tortosa, *vide* Dertosanus.
Trastamara, *vide Com. A. C.* 42, *num.* 2.
Tudela, *vide* Varia.
Tuy, *vide* Tudensis.
Ubeda, *vide* Utica.
Urena, *vide Com.* 1 *A. C.* 500, *num.* 2.
Urgel, *vide Com. A. C.* 382, *num.* 5.
Utrera, *vide* Utriculum, *et* Bæta.
Valencia, *vide* Valentia.
Valladolid, *vide* Eliocrota.
Vaneza, *vide* Patabonium, *et* Vallata-Urbicua.
Venta-Cotana, *vide Com.* 3 *A. C.* 100, *num.* 1.
Ventosa, *vide Com. A. C.* 52, *num.* 1.
Vera, *vide* Urci.
Verja, *vide* Vergi.
Viana, *vide* Viana.
Viche, *vide Com. A. C.* 86, *num.* 6.
Vilche, *vide* Vinc.
Villa de Aroche, *vide Com. A. C.* 95, *num.* 5.
Villa de Espejo, *vide ibid.*
Virbiesca, *vide* Verobisca.
Vizcaya, *vide* Vezcabia.
Xatiba, *vide* Setabis.
Xerez, *vide* Asta.
Zamora, *vide* Sentica.
Zaragoza, *vide* Cæsaraugusta.
Zaramelea, *vide* Ilipula.

SANCTORUM NOMINA,

De quibus in Dextro mentio fit,

IN FORMAM KALENDARII DIGESTA.

Quære ipsa seorsim in Indice principali.

JANUARIUS.

4. S. Titus episcopus Cretensis, prædicator Hispaniæ.
7. S. Julianus episcop. et martyr, discipulus S. Petri apost.
   Et S. Felix episc. cum sociis, passus Heracleæ, martyr.
12. S. Arcadius martyr Ursaonensis.
14. S. Euphrasius episcopus et martyr, discipulus S. Jacobi.
   Et S. Clarus diaconus martyr Carthaginensis cum sociis.
18. Sanctæ novem virgines et martyres, et sorores Belcagiæ.
19. S. Germana virgo et martyr, soror S. Quiteriæ.
21. S. Fructuosus episc. et martyr Tarraconensis, cum sociis.
22. S. Vincentius levita Cæsaraugustanus et martyr.
   SS. Vincentius, et Orentius, et socii, martyres Pacenses.
27. S. Ananias et socii, martyres Juliobrigensis portus.
   Et S. Theodosius II episcopus Barcinonensis.
   Et S. Dativus et socii martyres, Aquis-Quintianis.
28. S. Tyrsus Toletanus, cum sociis, Apolloniæ occisus.
   Et S. Valerius Cæsaraugustanus episcopus.

FEBRUARIUS.

1. S. Cæcilius episcopus Illiberitanus martyr, cum sociis.
2. S. Cornelius centurio cohortis Italicæ, episc. Cæsareæ.
5. S. Hyppolitus episc. Carthaginensis, cum sociis, martyr.
6. S. Saturninus martyr Vianensis, cum sociis.
   Et sancti martyres eorumdem nominum, Arteolæ occisi.
10. S. Sother, virgo et martyr Romana, Palemonæ occisa.
11. S. Calocerus episc. Rabennas, S. Jacobi discipulus.
12. S. Eulalia, virgo et martyr Barcinonensis.
   Et S. Modestus et Julianus martyres Carthaginenses.
14. S. Vitalis archipresbyter Toletanus, cum sociis, martyr.
   Et S. Dionysius cum socio, martyr Rhodensis.
16. S. Onesimus episc. Pauli discipulus, prædicator Hispaniæ.
17. S. Donatus et LXXXVIII socii, martyres Concordienses.
23. S. Florentius Hispalensis confessor.
26. S. Fortunatus cum XXVII sociis, martyr Uxamæ-Barchæ.
28. S. Macharius et socii, martyres Hispalenses.

MARTIUS.

1. S. Donatus, martyr Carthaginensis.
   Et S. Iscius episc. discipulus S. Jacobi, martyr, cum sociis.
   Et S. Leo, et socii, martyres Ursaonenses.
   Et S. Antonina, virgo et martyr Cæensis.
2. S. Absalonius cum sociis, martyr Augustobrigensis.
3. SS. Emetherius et Cheledonius, martyres Calagurritani.
   Et S. Marinus miles Hispanus Cæsareæ occisus.
   Et S. Luciolus et socii, martyres Eburenses.
4. S. Pius et socii, episcopi et martyres apud Peniscolam.
5. S. Eusebius Palatinus et socii, martyres Metellinenses.
8. S. Asturius Serranus, episcopus Toletanus.
9. S. Pacianus, episcopus Barcinonensis.
11. S. Alexander filius Simonis Cyrenens. martyr Carthag. cum sociis.
   Et SS. martyres Carthaginenses, Heraclius et Zosimus.
14. S. Alexander martyr Pylnæ.
15. S. Victoria, virgo et martyr Cauriensis.
17. S. Maria Ancilla, virgo et martyr Verobiscensis.
21. S. Philemon et Domninus, martyres Carthaginenses.
22. S. Paulus Sergius episcopus, prædicator Hispaniæ.
23. S. Domicius, martyr Tarraconensis.
   Et S. Felix cum sociis, martyr Carthag.
26. S. Theodorus episcopus Cæsaraugustanus, martyr, cum sociis.
   Et SS. Montanus et Maxima, martyres Syrmienses.
27. S. Philetus senator Barcinonensis, martyr cum sociis.
28. S. Philetus, S Jacobi discipulus, martyr Carthagiuens. cum sociis.
   Et SS. LV martyres Barcinonenses, socii S. Phileti senatoris.
29. S. Secundus, Astensis martyr.

APRILIS.

1. S. Thesiphon episcopus, discipulus S. Jacobi, martyr cum sociis.
5. S. Isidorus episc. Hispalensis, Hispaniarum Doct.
12. S. Sylvester, martyr Bracarensis, cum Susana sorore, socia.
   Et S. Susana, virgo et martyr Iriensis.
13. S. Quintilianus et fratres, martyres Octaviolenses.
   Et S. Eleutherius, martyr Telensis cum sociis.
14. S. Proculus, martyr Interamni-Flavii.
   Et S. Domnina cum sororibus martyr ibidem.
15. SS. Basilissa et Anastasia, virgines et martyres Setabitanæ.
16. S. Encratis, virgo et martyr, cum sociis XVIII Cæsaraugustæ.
   Et S. Lambertus agricola, et martyr, ibidem.
   Et SS. Caius et Crementius, martyres, ibidem.
18. S. Narcissus Bracarensis, et Gerundensis episcop. martyr.
   Et S. Felix, martyr Gerundensis, ejus diaconus.
19. SS. Socrates et Dionysius, martyres Iturissani.
20. S. Zoticus et socii, martyres Iturissani.
   Et S. Theodorus Trichinas anachoreta Metellinensis.
21. S. Apollo cum sociis, martyr Albensis.
23. S. Felix et socii, martyres Valentini.

25. S. Hermogenes, martyr, cum sociis, fuit S. Jacobi discipulus.
Et S. Præcellius, martyr, civis Hipponensis, Romæ passus.
26. S. Petrus I Bracarensis episc. martyr, S. Jacobi discipulus.
28. S. Carilippus et socii, martyres Caparrenses.
30. S. Indalecius, episc. et martyr, S. Jacobi discipulus.
Et S. Maxentia Cauriensis, mater S. Vigilii Trident. episc.

MAIUS.

1. S. Andeolus, subdiaconus Nivariensis, martyr.
Et SS. Orontius et Patientia martyres, patres S. Laurentii.
Et S. Orentius episcopus Auxitanus filius ipsorum.
2. S. Secundus episc. Abulensis martyr, discipulus S. Jacobi.
Et S. Felix diaconus Toletanus, martyr Hispali occisus.
Et S. Cœlestinus proconsularis Bæticæ, martyr cum sociis.
3. SS. Alexander et Antonina, martyres Olcadenses.
15. S. Torquatus et socii, episcopi et martyres, S Jacobi discipuli.
Et S. Mancius, Christi discipulus, episcopus Eborensis, et martyr.
17. Translatio S. Torpetis martyris, e Tuscia Sinim.
Et S. Celerinæ, qui eum tumulare meruit.
18. S. Euphrasius, episcopus et martyr, S. Jacobi discipulus.
21. S. Valens, episc. Pompilionensis et martyr, cum tribus pueris.
Et S Secundinus, martyr Cordubensis.
Et S. Theoponpus (cum socio), martyr Nertobrigensis.
22. S. Quiteria, virgo et martyr, cum sociis, Marguellicæ.
23. S. Basilius, Bracarensis episcopus II.
Et S. Epitatius, Ambracianus episcopus.
24. S. Melecius, martyr Cluniensis, cum sociis.
25. S. Passicrates et socii, martyres Masiani.
26. S. Theodorus, Cæsaraugustanus episcopus, martyr cum sociis.
27. S. Julius, martyr Masianus.
28. S Justus, episcopus Urgelensis.
30. S. Exuperantius Uxamensis, et Ravennas episcopus.

JUNIUS.

1. S. Firmus, martyr Mellariensis.
3. S. Dictinius, episcopus Asturicensis.
9. S. Vincentius, levita Cæsaraugustanus, martyr Agennensis.
10. S. Crispulus et socii, Cantabri martyres, Ilipulæ occisi.
12. S Olympius, episcopus Toletanus, doctor illustris.
15. S. Brienna, virgo et martyr, Securæ occisa.
16. SS. Quiricus et Julita, martyres Hipponenses.
19. S. Gervasius martyr, frater S. Protasii.
22. S. Paulinus episc. Nolanus, cum Tarasia uxore, et Celso filio.
Et S. Acacius cum XM martyribus crucifixis.
Et S. Hermolaus eorum socius, Toletanus episcopus.
23. S. Julianus, martyr Flaviobrigensis.
26. S. Perseveranda, virgo et martyr Caracitana.
Et S. Vigilius, episcopus Tridentinus, filius S. Maxentiæ Cauriensis.
27. S. Zoilus cum XIX sociis, martyr Cordubensis.
28. S. Papius, martyr Segissamonensis.
29. S. Baudelius cum sociis, martyr Zamorensis.

JULIUS.

2. S. Vitalis martyr, pater SS. martyrum Complutensium.
3. S. Marcianus et socii, martyres Caparrenses.
6. S. Lucia, martyr Juliobrigensis cum sociis.
Et S. Lucia, martyr Heracleensis.
8. SS. Priscilla et Aquila martyres, apostolorum discipuli.
9. S. Anatholia, virgo Romana, in urbe Thyar passa.
Et S. Bricius, episcopus Eborensis, et martyr.
10. S. Marinus cum sociis, in Africa occisus.
12. S. Marciana, virgo et martyr, Toleti.
Et SS. Proculus et Hilarion, martyres Serpenses.
14. S. Forcatus, episcopus Lucensis.
15. S. Esychius, martyr Masianus.
18. S. Marina seu Margarita, virgo et martyr, Amphilochii.
Et S. Gudenis, virgo et martyr Carthaginensis.
19. SS. Justa et Rufina, virgines et martyres Hispalenses.
20. S. Liberata seu Wilgefortis, virgo et martyr Seguntina.
Et iterum festum S. Margaritæ sororis ipsius.
21. S. Felicianus, martyr Cordubensis.
25. S. Christophorus martyr, Hispanorum advocatus.
Et S. Cucuphas, martyr Barcinonensis.
Et S. Cucuphas, martyr Iriensis.
26. S. Euphemia, virgo et martyr Abobrigensis.

AUGUSTUS.

1. S. Felix Gerundensis martyr, frater S. Cucuphatis.
Et S. Maximus ejus socius.
2. S. Rutilius, martyr Africanus, Cordubæ profugus.
5. S. Memmius Mancius, episcopus et martyr.
6. SS. Justus et Pastor pueri, martyres Complutenses.
10. S. Laurentius levita, martyr illustrissimus Oscensis.
Et S. Bassa cum sociabus, martyr Carthaginensis.
12. SS. Gracilianus et Felicissima, martyres Salarienses.
13. SS. Centolla, virgo, et Helena, vidua, martyres Burgenses.
14. S. Orosius, confessor Tarraconensis, Romæ quiescens.
Et S. Marcellus, episcopus Apameæ.
21. S. Quadratus, episcopus Ulienses.
Et SS. Bonosus et Maximianus, martyres Blandenses.
Et alii eorumdem nominum martyres Urgabonenses.
22. SS. Phibertus et Fabricianus, abbates et martyres, Titulciæ.
24. S. Eutychius, martyr Telensis, S. Joannis discipulus.
25. S. Geronius, episcopus et martyr Italicensis.
Et S. Maginus, martyr Tarraconensis.
27. S. Licerius, episcopus Ilerdensis.
29. S. Basilla (seu Basillissa) virgo et martyr Syrmiensis.

SEPTEMBER.

1. SS. Vincentius, et Lætus, martyres Toletani, fratres.
2. S. Hermogenes martyr cum sociis, S. Jacobi discipulus.
4. S. Theodorus et socii, martyres Tuccitani.
Et S. Maximus martyr cum sociis, Casto et Magno.
5. S. Romulus, Italicensis martyr, Trajani a cubiculo.
7. S. Augustalis, episcopus Illiberitanus.
9. S. Strato, martyr Bætensis, cum sociis.
Et SS. Theodorus et Oceanus, martyres Ilipulitani.
10. S. Apellius cum sociis, martyr Ispalitanus.
11. SS Felix et Regula, Turigienses martyres.
13. S. Cornelius Centurio Capharnaunensis, qui Scepsi obiit.
14. S. Cyprianus, episcopus Carthag. et martyr, Doctor Hispan.
17. S. Agatochia, virgo et martyr, Octogessæ.
18. S. Eustorgius, episc. et socii, martyres Uxamæ-Barchæ.
20. SS. Æmilianus et Geronius, martyres Caracitani.
Et S. Theodorus et socii, martyres Oscenses.
Et S. Candida, virgo et martyr Carthaginensis, cum sociabus.
22. S. Jonas martyr, S. Dionysii discipulus, Castris-Cæciliis.
23. S. Xantippa et Polyxena sorores, S. Pauli discipulæ.
Et S. Paternus Bilbilitanus, martyr et episcopus Elusatium.
25. S. Firminus Pompilionensis, martyr, et episcopus Ambianensis.

OCTOBER.

1. S. Verissimus et sorores, martyres Ulyssipponenses.
4. S. Hierotheus, episcopus I Segobiensis, S. Pauli discipulus.
5. S. Carithina, virgo et martyr Carthaginensis.
6. SS. Fides et Sabina, virgines et martyres Emeritenses.
9. S. Dionysius, Galliarum apostolus, prædicator Hispan.
11. S. Anastasius et socii, martyres Mantuæ-Carpetani.
13. SS. Marcus et Hadria, martyres Castulonenses.
14. SS. Saturninus et Lupus, martyres Deobrigenses.
16. S. Saturninus cum sociis, martyr Cluniensis.
17. S. Victor, episcopus et martyr Flaviobrigensis cum sociis.
20. S. Felicianus, episcopus et martyr, Mundæ occisus.
22. S. Philippus Philotheus, Mediolanensis, prædicator Hispan.
27. S. Vincentius, et sorores, martyres Abulenses.
Et S. Florentius, Hispalensis martyr.
29. SS. Maximilianus et Valentinus, martyres Tudenses.
30. S. Marcellus, Centurio, Legionensis martyr.
Et S. Marcellus, episcopus Soliensis.

NOVEMBER.

1. S. Anastasius Cæsaraugustanus I episcopus et martyr.
   Et S. Genivera, virgo et martyr Tudensis.
   Et S. Auditus, martyr Blitabriensis.
   SS. Innumerabiles, martyres Cæsaraugustani.
6. S. Severus, episcopus Barcinonensis cum sociis, ab Arianis occisus.
   Et S Severus II episc. Barcinonensis a Gothis necatus.
9. S. Victorius, episcopus Valentinus.
10. S. Probus, episcopus Rabennas, Laminii a Paulo conversus.
    Et S Victoria, virgo et martyr Volucensis.
13. S. Arcadius et socii, martyres Salmanticenses.
15. S. Eugenius, episcopus Toletanus, martyr.
    Et S. Demetrius, martyr Munobrigensis.
17. SS. Acisclus et Victoria, martyres Cordubenses.
    Et S. Victoria, vidua et martyr Ilorcitana.
19. S. Crispinus, episc. et martyr Astigitanus.
    Et S Aza cum sociis, martyr Auriensis.
20. S. Dasius, episcopus et martyr Masianus.
21. S. Rufus, episcopus Dertosanus martyr, filius Simonis Cyrenens.
    Et S. Honorius et socii, martyres Astenses.
23. S. Lucrecia, virgo et martyr Emeritensis.
27. SS. Facundus et Primitivus, martyres Cæenses.
29. S. Saturninus, episcopus et martyr Tolosanus.
30. S. Nathanael, Christi discipulus, Treugæ quiescens.
    Et S. Justina, virgo et martyr, Carmoniæ.

DECEMBER.

1. S. Euphemia, virgo et martyr Abobrigensis.
   Et S. Maxima, virgo Cauriensis, Romæ occisa.
5. S. Crispilus et socii, martyres Tarraconenses.
10. S. Eulalia, virgo et martyr Emeritensis.
    Et S. Melchiades papa, Mantuæ-Carpetanæ natus.
    Et SS. Carpophorus et Abundius, martyres Hispalenses.
11. S. Eutychius confessor, cujus gesta habentur.
    Et S. Damasus papa, Mantuæ-Carpetanæ natus.
14. S. Spiridion Toletanus episcopus, et confessor illustris.
20. S. Gregorius episcopus Toletanus, confessor.
    Et S. Liberatus, episcopus Illiberitanus.
    Et S. Julius, martyr Geldubensis.
23. S. Victoria, Romana virgo, Turbulæ passa.
29. S. Crescens episcopus, discipulus apostolorum.
31. S. Honoratus, episcopus Toletanus.

Nota. *Sunt et alii multi, quorum nomina ad Kalendarii formam reduci nequiverunt, quod eorum dies festos compertos necdum habeamus; quæ tu, candide lector, in Indice facile reperies, et cum festos (dies) ipsorum inveneris, suis locis annotabis.*

INDICES IN PAULUM OROSIUM.

INDEX RERUM

QUÆ

TUM IN OPERIBUS OROSII, TUM IN COMMENTARIIS

CONTINENTUR.

Numeri crassioribus correspondent characteribus textui insertis a col. hujus voluminis 663 *usque ad* 1216.

A.

Abderitæ propter ranas et mures sedes mutant, 206.
Abegeses legatus Orodis, 412.
Abydus oppidum, 113.
Abraham quando natus, 7, 455.
Abundantia rerum sæpe causa malorum, 41.
Acesines amnis, 190.
Achaia subjecta Romanis, 482.
Achaiæ descriptio, 23.
Achaiæ diluvium ingens, 47.
Achæi victi a Metello, 289, 290.
Achillas dux regius, 421, 422.
Achilleus rebellat in Ægypto. 527. Ejus mors, 527.
Acropatus Mediæ præfectus, 201.
Acroceraunii montes, 19.
Actiacum bellum quando, 429.
Actius Varus a Cæsare bello impetitur, 424.
Adama civitas incendio cœlesti deleta, 41.
Adiabeni a Septimio Severo devicti, 500.
Adherbal Africa expellitur, 321.
Adrestæ populi, 190.
Adriaticus sinus, 24.
Adrumetum oppid., 268.
Aduatici adversus Cæsarem, 390, 397.
Æacides rex Molossorum, 205.
Ædes Salutis fulmine dissoluta, 221.
Ægades insulæ, 243.
Ægeum mare, 32.
Ægyptus superior, 17. Inferior quas provincias habeat, 17. Ex omni fructu quintam partem solvit, 50.
Ægypti fastidienda ubertas, 48. Septennis fames, 48, 50.
Ægyptii ob scabiem suam Moysen expellunt, 49.
Ægyptiorum decem plagæ, 55. Plagæ, cum Roman. calamitatibus collatæ, 533, 534. Exercitus cum rege interfectus, Hebræis salvis, 56.
Ælianus, 525.
Ælia Hierosolyma vocata. 490.
Ælius Pertinax imperator, 497.
Æmilius dictator Fidenas cepit, 123.
Æmilianus post invasam tyrannidem exstinctus, 516.
Æneæ profugi in Italiam adventus, 72.
Æqui populi, 119.
Æquorum bellum in Rom., 119, 156.
Æstus solis insolitus, 57.
Æthiopes Gangines, 31.
Æthiopica pestis dira, 51, 52.
Æthiopicus Oceanus, 31.
Ætnæ flamma, 299. Ætna fumans, 124. Ætna mons ultra solitum exarsit, 518. Ætna flammas evomit, 311. Ætnæ ignis multa vastat, 239.
Africa populatur a Romanis, 240.
Africæ totius descriptio, 29, 38. Termini iidem qui et Europæ, 10, 11. Principium a finibus Ægypti, 11.
Africanum regnum quod, 454.
Afrorum clades, 280.
Agamemnon archipirata, 336.
Agathocles rex Siciliæ, 228. Pœnos superat, 230.
Agesilaus, 148. Thebanos superat, 151.
Agis Lacedæmonius cum Antipatro congressus occubuit, 187.
Agrigentum Siciliæ civitas, 233.
Agrigentini omnes sub corona venditi, 233.
Agrippa contra Democham et Pompeium, 434. Multas onerarias naves Antonii cepit, 437.
Alania regio, 23.
Alani a Stilicone commoti, 567.
Alaricus rex Gothorum, 90.
Alba oppidum, 276.
Albanorum situs, 19. Civitas oppugnata, 354.
Albania ulterior, 22.
Albini imp. interitus, 510.
Alceta frater Perdiccæ, 204.
Alcibiades dux, 128. Interitus, 134.
Alamanni in Italiam irrumpunt, 518. Cæsi a Constantio, 527. Cæsi a Gratiano, 552.
Alexander Magnus quando natus, 162.
Alexander Magnus incerto patre, adultera matre, 184. Cum Dario

pugnat, 182, 183. Achaiæ urbes et Thessaliæ vectigales fecit, 181. Thebanos delevit, 180, 181. Atheniensib. bellum deprecantibus remisit, 180. Post Darium Hyrcanos, Mardos, Parthos, multosque Barbaros subigit, 187, 188, 189. Saxum miræ asperitatis expugnat, 189.
Alexandri temeritas, 191. Interitus apud Babyloniam, 193. Gloria in Cæsarem refusa, 446.
Alexandro mortuo varii bellorum tumultus, 201.
Alexandrum totius orbis principes metuebant, 192, 193, 194, 446.
Alexander rex Epirotarum a Samnitib. victus, 167. Cleopatram filiam Philippi uxorem accipit, 177. A Sabinis prostratus, 177. A Brutiis Lucanisque superatus, 187.
Alexandria in Ægypto condita, 184. Cæsar ea urbe potitus, 439.
Allectus Carausum interficit, 526.
Allia fluvius, 141.
Allobroges Galli a Domitio victi, 318.
Amandus, 525.
Amasis Ægypti rex, 50.
Amazonum regio, 22.
Amazonum et Cimmeriorum in Asiam incursus, 65.
Ambiani populi, 390.
Ambiorix Cottam et Sabinum interficit, 397.
Ambira rex, 192.
Ambivariti, 392.
Ambrosius apparuit Mascelzeli in somnis, 565.
Amilcar dux Pœnorum, 237.
Amilcaris supplicium, 230.
Amilcaris Annibalis patris interitus, 248.
Amilcar cognomento Rhodanus, 228.
Amnestia quid, 137.
Amomum ubi nascatur, 20.
Amphitryon tertius a Cecrope Athenis regnavit, 51.
Amphipolitana arx, 206.
Amulius Romuli avus, 368.
Amulii pater Procas, 87.
Amyntas dux Philippi, 177.
Amyntas consobrinus Alexandri ab eo occisus, 188.
Amyntas dux Alexandri Bactrianos sortitur, 202.
Ancus Martius, 94.
Andegavi, 392.
Andragatius comes Maximi e navi se præcipitat, 557.
Androgynus Romæ visus, 293.
Andro Agathoclis frater, 229.
Androgorius dux, 396.
Anien fluvius, 260.
Annibal Senior imperator Pœnorum, 233. Fugit, 234. Lapidibus obruitur, 235.
Annibal, Amilcaris filius, Saguntum delet, 252. Roman. legatos a se abjecit, *ibid.* Incommoda ab eo in Apennino perpessa, 253. Alterum oculum perdidit, *ibid.* Quando Flaminium circumvenerit, 254. Romanos ad Cannas cædit, 256. Cæditur, 258. Ejus dictum, 261. Caput fratris ei objectum, 266. In Africam redire jussus, 267. A Scipione vincitur, 268. Ad Antiochum migrat, 271. Vincitur, 272. Apud Prusiam regem se veneno necavit, 274.
Anni ab Adam usque ad Ninum, 7. Ab Abraham ad Augustum, 7. A Nino usque quo Babylon cœpta instaurari, 87.
Antigono, Philippi filio, Phrygia major assignatur, 201, 202. Cupiditas in eo dominandi, 207. Ejus mors, 208.
Annulorum tres modii collecti ex occisis Romanorum, 235.
Antigonus, Judææ rex, Judæos debellavit, 433. A Ventidio vincitur, 433.
Antiochia pene tota subruta terræmotu, 487.
Antiochi bellum contra Po. Ro., 270. Clades, 272, 273.
Antiope et Menalippe ab Hercule retentæ sunt, 67.
Antiope et Orithyia regno Amazonum præerant, *ibid.*
Antipater matrem interimit, 207.
Antistius legatus Augusti, 445.
Antium oppidum, 254, 345.
Antoninus Pius imperator creatur, 491.
Antonini (Marci) benignitas erga suos, 494, 493, 494. In Pannonia obitus, 495.
Antonini Veri interitus, 492.
Antonius Cæsari Augusto bellum denuntiari jubet, 436. Gravissima fame pressus, *ibid.* Uxorem Octaviam repudiat, 437. A Cæsare Octaviano vincitur, 437, 438
Antonius a Cæsaris exercitu victus, seipsum interficit, 439.
Apameam Lucullus vastat, 375.
Aper socer Numeriani, 525.
Apis Argivis præfuit, 50.
Apollo Pythius quis, 418.
Apollonia urbs, 206.
Apollonienses populi, 175.
Appius Claudius decemvir, 121
Appius Claudius Censorinus, 417.
Apulia, 24.
Aquitania, 25.
Aquitanicus sinus, *ibid.*
Aquitani cæsi a Crasso, 394.
Arabes Septimius Severus superavit, 501.
Araxis fluvius, 104, 379.
Arachosia regio, 14.
Arbactus præfectus Medorum, 73, 74.
Arbitrio Theodosium a periculis liberat, 560.
Arbis fluvius, 14.
Arbogastes Eugenium tyrannum imperatorem creat, 559.
Arbogastis interitus, 561.
Arcades a Lacedæmoniis infestantur, 153.
Arcadius pius princeps, 156. Theodosio filio suo regnum tradidit, 563.
Arca variorum venenorum Caligulæ, 466.
Archelaus dux Mithridatis, 370, 371.
Archelaus Mesopotamiam sortitur, 203.
Archelais civitas, 506.
Archidamus dux Lacedæmoniorum, 153.
Archimedes Syracusanus, 259.
Ardalio fluminis nomen, 565.
Ardea oppidum, 95.
Arduenna silva, 400.
Arelatum civitas, 581.
Aremorica gens, 406.
Argyraspidas in auxilium rogat Eumenes, 205.
Ariarates Cappadociæ rex, 275.
Aricia oppidum, 345.
Aricium oppidum, *ibid.*
Ariminum colonia, 415.
Arimini lux clara effulsit noctu, 250.
Ariobarzanes Cappadociæ rex, 370.
Ariobarzanes mons, 20.
Ariovistus a Cæsare superatur, 389.
Aristides Atheniensis Christianus, 488.
Aristobulus sacerdos et rex, 384.
Aristonicus Attali frater, 308, 309.
Arius hæreticus; 541, 542.
Armenia vastatur a Vologeso, 492.
Armeniæ pilæ, 19.
Armeniæ aliquot provinciæ amissæ, 473.
Armenes Nabidis filius, 270.
Arpi, 234.
Arrybas rex Molossorum, 169.
Ars contra elephantes, 219.
Arsaces rex Parthorum, 295.
Artabanes Armeniæ rex ab Antonio capitur, 436.
Artaces rex Iberiæ, 380.
Artaxerxes rex Persarum filius Darii, 138. Bella quiescere præcepit in Græcia, 146.
Artemidora regina Halicarnassi, 113.
Arthous Pelasgos sortitur, 203.
Arudes populi Galliæ, 389.
Arusini campi, 219.
Aruns, Superbi filius, bello Veientum Tarquiniensiumque procubuit, 96.
Arzuges populi, 30
Asclepiodotus Allectum interficit, 526.
Asculum oppidum, 337. A Pomp. obsessum, 337.
Asia quousque extendatur, 13, 14, 15.
Asiæ Minoris descriptio, 16.
Asiæ Septentrionalis descriptio, 19.
Asiæ civitatibus terræmotu dirutis quid Tiberius præstiterit, 463.
Asia Gothorum inundatione deletur, 518.
Astyages Medorum rex, 76. Capitur, 77.
Assyria regio, 14.
Assyriorum regnum per 1160 annos per 50 reges actum, 60. In Medos transfertur, 75. Diu stetit, 87.
Astra, quædam hominum facta fugerunt, 62.
Astrixis mons, 31.
Astura flumen, 445.
Astures populus Hispaniæ, 26, 444.
Atalante civitas, 139.
Ataulphus Alarico successit, 584.
Ataulphi decretum, 584.
Attalus præfectus Arbacti, 9
Attalus dux Philippi, 177.
Attalus, rex Pergami, populum Romanum hæredem scripsit, 305.
Attalus tyrannus. 582.
Athanaricus Gothorum rex, 549. Ejus interitus, 556.
Athan munitissimam civitatem Lucullus diripuit, 375.
Atheas, rex Scythiæ, 175.
Athenæ civitas, 24. Totaque Græcia capitur ab Archelao duce Mithridatis, 370.
Athenienses vincuntur, 126. Apud Siciliam conflictati, 127. Consumpti magis in bello quam victi, 128. In Lacedæmoniorum potestatem cessere, 133.
Atheniensesbellum cum Antipatro gerunt, 203.
Atheniensium præclara amnestia, 467.
Attilii interitus, 241.
Attilius Regulus Liparam Melitamque evertit, 236. Romam mittitur, 241.
Attyrus, alias Antyrus, rex Scytharum, 107.
Atlas mons finis Africæ, 12, 31.
Atlanticus oceanus, 31.
Atrebates populi, 390.
Atrei et Thyestis odia, 62.
Augusti vocabulum primo Cæsari inditum, 441.
Augusto regnante natus est Christus, 448.
Augusto Cæsare imperante pax per Christum universo orbi illuxit, 164.
Augustus dominus dici noluit, *ibid.*
Aulus Saturnini competitor, 333.
Aulerci populi, 394.
Auloles seu Autoles populi, 31.
Aulon mare Cilicum, 32.
Aurelius Commodus Antonini filius, 492.
Aurelius Antoninus Caracalla novercam suam Juliam duxit uxorem, 505.
Aurelius Alexander imperator, 507.

Aurelianus imperator, vir industria militari excellentissimus, 521, 522. Romam antiquis terminis statuit, 521. Perit, *ibid.*
Aurea domus Romæ a Nerone condita, conflagrat, 487.
Auri et argenti multitudo, 326.
Auctores cæteri tam Græci quam Latini a Nino, Orosius ab Adam scribere incipit, 6.
Autrigones, 444.
Avasitarum fines, 12.
Aventinus mons, 122.
Averni in Cæsarem, 401.
Axiarches Parapamenos fines Caucasi montis accipit, 202.

B

Babylonem Cyrus evertit, 103.
Babylonia a Nemrod condita, a Semiramide reparata, 102, 103.
Babylonis destructio fuit Romæ ædificatio, 89.
Babylonis descriptio, 102.
Babylonis et Romæ collatio, 453.
Babylonium regnum, 454.
Bactriana ulterior et Indiæ regiones tenuerunt suos præfectos, 202.
Bactriani populi, 20.
Baccia oppidum, 293.
Balæus Assyrios regebat, 50.
Baleares insulæ, 25. Insulæ duæ, 34.
Baleares insulæ a quo subactæ, 318.
Barcilona, 34.
Barcinon Hispan. urbs, 585.
Basilus, alias Basillus, 116, 431.
Bassianus Severi Sept. filius regnum adipiscitur, 503.
Basternæ aquis deleti, 275.
Basternarum cum Romanis pugna, 528.
Batavi, 27.
Bebriacum, 475.
Belgæ adversus Cæsarem, 391.
Belgida urbs nobilis, 557.
Bellovaci cum LXX millibus armatorum adversus Cæsarem, 390.
Bella civilia quinque Octav. Cæs. gessit, 429.
Bella civilia consurgunt tempore Valeriani, 518.
Bellua triginta stadiorum, 469.
Bellum sociale totam commovit Italiam, 355.
Bellum in aditu Capitolii horridum, 333.
Bellum robore, non numero confici, 152.
Bellum inter Atheuienses et Cretenses, 62.
Bellum inter Lapithas et Thessalos, 62.
Bellum inter Peloponnenses et Atheuienses maximum, 79.
Bellum Lacedæm. contra Messenios, 80, 83.
Bellum Atheniensium in Lacedæmonios, 82, 83.
Bellum Peloponnensium et Bœotiorum in Athenienses, 84.
Bellum inter Sabinos et Rom., 93.
Bellum Tarquiniensium adversus Rom. 96.
Bellum exsulum et fugitivorum, 119.
Bellum civile apud Persas, 138.
Bellum Rom. adversus Samnites, 162.
Bellum Punicum post Pyrrhi secutum, 163.
Bellum Rom. adversus Latinos, 164, 165.
Bellum Philippi cum Athenien., 176.
Bellum Alexand. cum variis gentibus, 180 *et deinceps.*
Bellum commilitonum Alexand., 207.
Bellum Tarentinorum adversus Rom., 214.
Bellum Pyrrhi contra Rom., 215.
Bellum Punicum primum, etc, quando, 224.
Bellum inter Annibalem et Scipionem, 268.
Bellum Macedonum cum Rom., 270.
Bellum Achaicum, 389, 390.
Bellum servile in Sicilia, 500.
Bellum Jugurthinum, 321.
Bellum civile Marianum et Mithridaticum, 341.
Bellum Macedonicum, 353.
Bellum fugitivorum seu gladiatorum, 360.
Bellum Mithridaticum, 370.
Bellum Cimbricum, 327.
Bellum civile Pompeii quamdiu duraverit, 415.
Bellum Antonii cum Augusto Cæsare, 426.
Bellum M. Antonii contra Parthos, 433.
Bellum civile inter Maxentium et Constantinum, 537.
Bibliotheca Romana incensa, 496.
Bibulus quis, 385.
Bithynia a Mithridate corripitur, 370.
Bituitus rex Avernorum, 319.
Biturigum civitas, 401.
Bocchus Jugurthæ socius, 322. Maurorum rex, 322.
Bœotii vincuntur a Metello Rom. præt., 290.
Boii a Roman. præfecto superati, 270.
Bogud Bocchi Maurorum regis filius, 331.
Boiorix, 331.
Bonosus apud Agrippinam interfectus, 523.
Boreum promontorium et flumen, 22.
Boreus Scytha, 446.
Bosporani ab Agrippa superantur, 447.
Brennus dux Senonum, 140.
Brigantia Galleciæ civitas, 26.
Brigitio, alias Bergentio oppidum, 550.
Britannia, 27.
Britannia vallo distincta, 502.
Britanniam invadit Cæsar, 395.
Britannica clades, 475.
Brundusium, 24.
Brutii, 34. Pugnant contra Romanos, 200.
Brutus Cæsaris adversarius, 426, 429.
Brutus et Cassius sibi mortem consciverunt, 432.
Bucephala urbs, 190.
Bulla oppidum, 352.
Bura, in Achaia terræmotu et diluvio perit, 155.
Burgundiones qui, 349. Unde dicti, 349. A Stilicone commoti, 572.
Busiris impiissimus immolator, 287.
Busiridis crudelis hospitalitas, 52.
Byrsa arx, 280.
Byzantium oppidum, 30. A Philippo obsessum, 174. A Pausania condita urbs, post a Constantino aucta, Constantinopolis dicta est, 174. Quo tempore Rom. paruit, 482.

C

Cæcilius prætor interiit, 200.
Cæcilius a Cæsare descivit, 417.
Cæpio a Vestinis et Marsis occisus, 337.
Cæræsi populi, 391.
Cæsarea Barbaris in prædam data, 551.
Cæsariensis Mauritania, 31.
Cæsar (Caius Julius) ærarium publicum spoliavit, 415. Galbam in Veragros mittit, 391.
Cæsar Helvetios, Tulingos, Latobroges, Rauracos, Boios aggreditur, 388. Tres illi provinciæ cum legionibus septem datæ, 386. Sicambros et Ubios ab obsidione liberat, 395. Britannos et Suevos sibi subjecit, 395. In Italiam reverso eo Gallia in arma conjurat, 401. Strage horrenda Ambiorigis fines vastat, 406. Pacata Gallia, legiones in hyberna dimisit, 405, 406. Uxellodunum expugnat, 407, 408. Galliam expugnat, 406, 407, 408. Poscenti alterum consulatum, Marcellus obstitit, 415. Acies contra Pompeium, 420. Viso Pompeii capite annuloque flevit, 421. Militum ejus Alexandriæ strages, 422. In scapha ægre discedit, 422. Alexandrinis regem reddidit, 423. Alexandriam sibi subjecit, 423. Pompeii nepotes filiamque Pompeiam cum multis aliis jubet occidi, 424. Ejus desperatio, 424. Viginti et tribus vulneribus confossus interiit, 426. Eo occiso multa bella oriuntur, 426, 427.
Cæsar Julius metator imperii, non imp., 452.
Cæsar Octavius, qui postea August. dictus, 429. Ejus animadversio in milites, 435. Illyricum et Pannoniam partemque Italiæ subegit, 447. Classis quanta contra Antonium, 437. Victoria ab Antonio, 437, 438. Sextum imperator, et quartum cons., 430. Quos occidi jusserit, 439, 440. Profectio in Syriam, 440. Illi urbem ingredienti quid acciderit, 442. Beneficentia, 442. Janum primum clausit, 441. Iterum aperuit, 444. Secundo clausit, 445. Tertium clausit, 448. In Hispanias proficiscitur, 444. Post bellum Cantabricum Ro. rediit, 446. Graviter ferens reip. cladem, quid clamaverit, 447. Suis plurimas leges statuit, 448.
Cæsonius, 425.
Caninius (Caius) hosti se offert, 406.
Caius Vetilius prætor, 292.
C. Servius prætor, 336.
C. Gabinius legatus, 339.
C. Cassius Cæsaris interfector, 426.
C. Julius Cæsar quo tempore consul, 386.
C. Toranius, 431.
Caius nepos Augusti, 458.
C. Caligula Cæs. quando regnare cœpit, 463. Ut deum se coli præcepit, 465. Sororibus stupratis etiam exsilium imposuit, 465.
Ca. Caligulæ hominis ante se omnium flagitiosissimi dictum, 463, 464. Interitus, 465.
C. Sulpitius dictator Gallos superat, 160.
Calagurris oppidum, 357.
Calama urbs, 321.
Calcartium, alias Alearsum, vel Chalearsum lacus, 12.
Calenus ager, 221.
Caleti populi, 390.
Calligicum alias Caligardamana promontorium, 12.
Callisthenem philosophum Alexander quod se non adoraverit, occidit, 188, 189.
Calocerus a Constantino opprimitur, 540.
Calpe promontorium, 31.
Calpurnius Flamma, 235.
Calpurnius Fornix, 306.
Calypso insula, 30.
Cambyses, Cyri filius, cunctam Ægypti religionem abjecit, 106.
Camerina urbs Siciliæ, 235.
Campani et Sidicini a Romanis defenduntur, 162.
Campanorum exercitus adversus Gallos, 249.
Cantabri ubi, 26. Cæsi a Crasso, 394. Victi a Cæsare fuerunt, 444, 445.
Cappadocia et Paphlagonia Eumeni data, 202.
Cappadocia a Vologeso vastatur, 492.
Capparonia, virgo Vestalis, laqueo se perimit, 224.

Capene, 254.
Capsa urbs ab Hercule Phœnice condita, 322.
Capraria insula, 564.
Capua Campaniæ civitas capta, 262.
Capuanorum principes mortem sibi veneno consciverunt, 262.
Capuæ oppugnatio per Milonem, 417.
Caralitani populi, 33.
Carausius rebellat in Britannia, 526. A Maximiano occidi jubetur, 526.
Carræ oppidum, 412, 505.
Carinus Carini imperatoris filius, 523.
Carisius Rom. legatos superavit, 415.
Carnuntum, 494.
Carnutes populi, 406.
Carpathium mare, 32.
Carpathii contra Phoronæum regem Argivorum et Parapaseos, 46.
Carporum invasio, 528.
Carus Narbonensis imperator, 523.
Carpathos insula, 33.
Cartalo sacerdos Herculis a patre suspenditur, 226.
Carthaginiensium perfidia, 222.
Carthaginis descriptio, 279, 280. Deletio, 280.
Carthago condita ante Romam septuaginta annis, 225. A Romanis restitui jussa, 315. Nova capta, 265.
Carthaginienses, inter cætera mala, etiam pestilentia laborabant, 225. Exercitus peste confectus, 226. Deletus exercitus apud Siciliam, 256. A Pyrrho rege superati sunt, 230. Pacem a Regulo poscunt, 238. Pacem a Romanis exorant, 243. Pensionem annuam Romanis pendunt, 243, 244. Tradiderunt Romanis arma, 279.
Cassander filius Antipatri stipatoribus regis satellitibusque præficitur, 202. Cariam possidet, 202. Dux Menandri, 205.
Cassii magnanimitas, 413.
Cassiopa insula, 24.
Cassivellaunus dux, 396.
Caspium mare, 22.
Caspius mons, 22.
Castoris locus, 475.
Castor Mithridatis præfectus, 380.
Catabathmos locus non procul a castris Alexandri Magni, 12, 30.
Cathippi oppidum, 20.
Catilina incesti accusatur, 376.
Catilinæ conjuratio, 385.
Catanenses fœdus cum Syracusanis ineunt, 124.
Catanensium legati lugubres eunt Athenas, 124.
Catana urbs igne oppressa, 318.
Catti a Druso devicti, 446.
Cato redditum Metelli promulgavit, 334.
Cato apud Uticam se occidit, 423.
Catulus Catilinam incesti reum protegit, 376.
Caucasus mons, 13, 21.
Celtiberi, 26.
Cenapum oppidum, 401.
Centenius Penula, 258.
Cenomanni adversum Cæsarem castra metantur, 390. A Lucio Fulvio victi, 270.
Cephalenia insula, 24.
Cerdo magister Marcionis, 491.
Cesena Piceni civitas, 265.
Cesorix, 331.
Chajesta urbs, 402.
Chalcedon oppidum, 373.
Charoeades dux exercitus, 125.
Carrinatis copias Q. Metel. cecidit, 348.
Carrinatem prætorem Romanum Sulla jugulavit, 351.
Cherusoi populi, 446.
Chorasmii populi, 188.
Christus quando natus, 428, 457.
Christo crucifixo maximus terræmotus factus, 462.
Christianis permittitur Hierosolymas inhabitare, 490.
Christianis parsum tempore irruptionis Gothorum in Romam, 574.
Christianorum persecutiones, 492, 493. Prima persecutio sub Nerone, 472, 473. Persecutio secunda sub Flavio Domitiano, 483. Persecutio tertia sub Ulpio Trajano, 486, 487. Persecutio quarta sub M. Antonio et Vero, 492. Persecutio quinta sub Severo, 501. Persecutio sexta per Maximinum, 509. Septima persecutio sub Decio, 515, 516. Octava persecutio sub Valeriano, 517. Nona persecutio sub Aureliano, 522. Decima persecutio sub Diocletiano omnium inmanissima, 528.
Chrysorrheas flumen, 21.
Crixi et Spartaci bellum Gladiatorium, 360, 361.
Cibala, 538.
Cilicia, 32 Romanis legibus paruit, 482. A Pub. Servilio pene deleta, 358.
Cilicinus sinus, 32.
Cimbri a Mario victi, 330.
Cimbricarum mulierum pugna, 332.
Cimmericum mare, 22.
Cimmerii et Amazones invadunt Asiam, 79.
Cinna cum Mario Urbem ingreditur, 345. Interfectus, 345.
Circum requirunt Romani, 44.
Cirta oppidum, 267, 322.
Claudius Marcellus, Syracusas capit, 259.
Claudius scriptor historiarum, 270.
Claodicus Cimbrorum rex captus, 331.
Claudii, Romani ducis in Macedonia, interitus, 358.
Claudius Cæsar venenum Caligulæ jussit in mare demergi, 466. Ab Augusto quartus, 466, 467. Expeditio in Britanniam, 468. Judæos Urbe expulit, 469. Fugiens furorem plebis, per pseudothyrum intravit in palatium, 470. Veneno interiit, 470.
Claudius Drusus bellum gerit contra Germanos, 446.
Cleochares Spado, 376.
Cleopatra regnum Ægypti a Cæsare accipit, 423. Et Alex. occurrit Antonio, 437. Fuga ejus, 437. Serpentis mors ei, quem adhibuit interiit, 439.
Cleophadis reginæ regna, 190.
Climax mons, 16.
Clivus Publicius, 317.
Clipeus aureus in curia, in capitolio statua aurea, Claudio decreta est, 521.
Clitus ab Alex. venabulo transfossus, 188.
Clodius Albinus Juliani socius, 502.
Cloeliæ virginis audacia, 97.
Clupea Romanis dedita, 336.
Clusia oppidum, 140.
Cottiæ Alpes, 25.
Cochem Parthiæ urbem Carus capit, 523
Cœla quid, 417.
Cœlum ardet apud Thuscos, 259.
Collatio populi Israelici et Christiani, item Ægyptiaci et Romani, 532.
Collina porta, 260.
Colophonii populi, 372.
Colossæ terræmotu conciderunt, 473.
Comagene redacta in provinciam Romanis paruit, 482.
Commodus suscipitur ab Antonino patre in regnum, 495 Ejus interitus, 496.
Condrusi populi, 390.
Conjuratio servorum navaliumque sociorum, 234.
Conjuratio Claudiana, 121.
Conon dux Atheniensium, 131. Ab exsilio in ducem electus, 131. Ejus sollicitudo et fides, 132. Ab Lacedæmoniis victus ad Evagoram, Cypri regem, confugit, 132.
Consentia oppidum, 360.
Constantinopolis dedicatur, 540.
Constantinopolitana prodigia, 155, 156.
Constantius a Diocletiano Cæsar legitur, 526. Et Galerius Romanum imperium primi diviserunt, 329. In Britannia mortem obiit, 529. Constantinus Magnus gubernacula imperii a patre Constantio suscipit, 530. Primus imperator Christianus excepto Philippo, 537. Omnes post se imperatores habuit Christianos excepto Juliano, 537. Filii ejus Cæsares sunt creati, 539. Bene dispositis rebus moritur, 541.
Constantinus, Constantius, Constans imperatores, 541.
Constantinus dum fratrem Constantem bello insectatur, occisus est, 542.
Constantinus imperator Britannorum, 576.
Constans ex monacho imperator, 581. Occiditur à Gerontio, 581.
Constantius Ario adest, 542. Interitus ejus, 543.
Constantius comes Constantinum imperatorem occidit, 581.
Consules quando creati, 95.
CONSULES ROMANI. — Man. Acilius Capito, 310. Man. Acilius Glabrio, 272. P. Ælius Pætus, 268, 289. M. Æmilius, 311. M. Æmilius, 371. L. Æmilius Catulus, 249. M. Æmilius Lepidus, 275, 295. L. Æmilius Papus, 249. L. Æmilius Paulus, 239, 256, 276. C Antonius, 383. L. Apuleius, 440. C. Aquillius Florus, 234. Manius Aquillius, 310. C. Attilius Bulbus, 245. Attilius Calatinus, 235. Attilius Regulus, 236, 241, 249. C. Attilius Regulus, 249 Aurelius Cotta, 240. L. Aurelius Orestes, 311. — L. Cæcilius Metellus, 240, 293. L. Cæcilius Metellus, 315. Q. Cæcilius Metellus, 293. L. Calpurnius Bestia, 321. L. Calpurnius Piso, 307. Q. Calpurnius Piso, 299. Cassius, 359. C. Cassius Longinus, 275. L. Cassius, 326. Appius Claudius, 232, 293, 294, 352. M. Claudius Marcellus, 165, 251, 262, 264, 271, 273, 415. Claudius Nero, 264. Claudius Pulcher, 242. Appius Claudius Pulcher. 293. Cornelius Cinna, 345. Cn. Cornelius Asina, 233. Cornelius Dolabella, 99, 199. Cn. Cornelius Lentulus, 268, 281, 289. Cornelius Lentulus, 360. L. Cornelius Scipio, 234. P. Cornelius Scipio, 251, 252. P. Cornelius Scipio Africanus, 253, 266, 272, 300. P. Cornelius Scipio Nasica, 321. L. Cornelius Sulla, 339, 340. Curius, 199. Curius Dentatus, 219.—Decius Murena, 164, 196. Decius Mus, 164, 196. Domitius, 99, 199. Cn. Duillius, 253. — Ebutius, 119. — Fabius. 41, 76. M. Fabius, 98. Q Fabius, 232. Fabius Gurges, 199, 218. Q. Fabius Labeo, 273. Fabius Maximus, 196, 199. Q. Fabius Maximus, 257, 264. Q. Fabius Maximus Servilianus, 293. Flaminius, 251, 255, 269. Fulvius, 248. C. Fulvius, 307. Cn. Fulvius, 260. Fulvius Flaccus, 248, 250. M. Fulvius Flaccus, 311. Sex. Fulvius Flaccus, 299. M. Fulvius Nobilior, 273. Q. Fulvius Nobilior, 239. C. Furius Pacilus, 240. — Geganius, 98. Gellius, 360. C.

Genutius Clepsina, 218. L. Genutius, 157. — A. Hirtius, 430. C. Hostilius Mancinus, 292, 295, 296. — C. Julius Cæsar, 385. C. Julius Cæsar Octavianus imp. quinquies cos., 440. Sex. Julius Cæsar, 335. C. Junius, 242. M. Junius Brutus, 96, 97. — M. Licinius Crassus, 412. P. Licinius Crassus Dives, 266. P. Licinius Crassus, 275, 308. L. Licinius Lucullus, 276, 360. M. Livius Salinator, 264. Q. Lutatius Catulus, 243, 144 Lutatius Catulus, 330. — Aulus Manlius, 244. M. Manilius, 279, 280. C. Manlius, 327. Cn. Manlius, 98 M. Manlius, 98. T. Manlius Torquatus, 164, 245, 250. Manlius Vulso. 241. C. Marcius Censorinus, 279. L. Marcius Censorinus, 279. Q. Marcius, 320. L. Marcius Philippus, 335. Q. Marcius Philippus, 273. C. Marius, 322, 328, 332. C. Marius C. Marii F, 348, 351. P. Minucius, 78, 98, 272. Minucius Rufus, 251. P. Mucius Scævola, 275. L. Mummius, 281, 289. — Opimius, 316. — Papirius, 179, 196. Perpenna, 309. M. Plautius Hypseus, 311. Cn. Pompeius Magnus, 412. C. Pompeius Strabo, 337 Postumius, 248. Aulus Postumius Albinus, 179, 276. L. Porcius Cato, 337. M. Porcius Cento, 271. — Titus Quinctius Flamininus, 269, 315. — P. Rupilius, 307. Rutilius, 256. — Sempronius, 222. Sempronius Blæsus, 240. T. Sempronius Gracchus, 245, 257. P. Sempronius Longus, 253. T. Sempronius Longus, 252, 271. C. Sempronius Tuditanus, 310 Servilius, 119. Servilius Cæpio, 240. P. Servilius, 352. Q. Servilius, 119, 157. P. Sulpicius, 260.—C. Terentius Varro, 256, 296. M. Terentius Varro Lucullus, 359. Tertullus, 582. M. Tullius Cicero, 383. — P. Valerius Falto, 245. Valerius Flaccus, 165, L Valerius Flaccus, 271. P. Valerius Lævinus, 215, 262. Veturius, 179.
Correus dux Bellovacorum, 98.
Corcyra, 417. Capta. 437.
Corinthi eversio, 291.
Corinthius sinus, 24.
Cornelia mater Gracchi, 317.
Corsica insula angulosa, 34.
Cosyra insula, 351.
Cossus dux Cæsaris, 446.
Cotta, legatus Cæsaris, a Gallis cæsus, 398.
Cothonem ingreditur Scipio, 281.
Cothebas dux Judæorum, 490.
Crassus (M. Licinius) templum Hierosolymorum spoliat, 412.
Crassi (P. Licinii) interitus, 309.
Cremera fluvius, 141.
Cremona oppidum, 270.
Crœsus capitur, 105.
Creta insula ubi, 32.
Cretæ longitudo et latitudo, 32.
Cretenses filios Atheniensium Minotauro objecerunt, 62.
Creticum mare, 24, 32.
Crispus a patre Constantino interficitur, 539.
Ctesiphon urbs Parthorum nobilissima, 519.
Cumanus procurator Judææ, 469.
Curio Catonem Sicilia expulit, 416.
Cyclades insulæ, 33. Numero quinquaginta tres, 33.
Cyclopum patria, 123.
Cydnus amnis, 182.
Cypros insula, 32.
Cyrus Astyagem armis infestat, 76. Totum Orientem populatur, 100, 101. Assyrios Babyloniosque invadit, 100. Lydiam invadit, 103. Scythis bellum intulit, 104. Ejus astutia, 104, 105. Occiditur, 105.
Cyrus junior, filius Darii, Joniæ Lydiæque præpositus, 131. In prælio contra fratrem oppressus finem certamini dedit, 138.
Cythera insula, 32.

D

Dacia, 23.
Daci populi, 188, 446.
Daci a legatis Domitiani bello appetiti, 483.
Dædali montes, 190.
Dagusa aliis Dascusa civitas, 5.
Dalmatæ, 446.
Dalmatia 23.
Dalmatius Cæsar, 541. Ejus interitus, 541.
Damasippi crudelitas, 347, 348.
Danai parricidium, 58.
Danaus regno pulsus Argos concessit, 58.
Danubius fluvius, 24. Qui et Ister dicitur, 275.
Dara fluvius, 18.
Dardania, 24.
Darius Hystaspis Cambysi succedit et rex eligitur, 106, 107. Scythas bello aggreditur, 108. Asiam et Macedoniam domuit, Jonas superavit, Atheniensis aggreditur, 108. Moritur, 109.
Darius Nothus cum Lacedæmoniis fœdus paciscitur, 128.
Darius Codomannus, rex Persarum, Alexandrum aggreditur, 181. Multa millia militum Alexandro opponit et vincitur, 182, 183, 185. Ejus interitus, 186.
Dascusa, alias Dagusa civitas, 15.
Dastracus mons, 378.
Decentii et Magnentii interitus, 544.
Decem plagæ Ægyptiorum cum calamitatibus Romanorum collatæ, 533, 534 *et seqq.*
Decius cum filio Cæsare interficitur, 515, 516.
Decius civilis belli incentor et repressor occisis Philippis imperium invasit, 515.
Decius Junius dictator, 257.
Decii interitus, 196.
Decius Brutus, 430.
Dejotarus rex Gallogræciæ, 374.
Deletio humani generis sub Noe, 36.
Demaratus Lacædemonius, 109.
Demetrius Philippi Macedonum regis filius obses Romam missus, 270.
Demetrius, rex Syriæ, capitur a Mithridate, 295.
Demosthenes dux, 295.
Demosthenes orator, 180.
Demochas ab Agrippa victus, 434.
Deucalionis regis fabula, 51.
Diablintres, 292.
Diadumenus filius Opilii Macrini, 506.
Dianæ Tauricæ littora, 287.
Diapolites Amasis rex Ægyptiorum, 50.
Dictator Romæ creatur, 97.
Didymus et Verinianus fratres, 576.
Dieus dux Achæorum, 290.
Diocletianus contra Alexandrinos usus immoderate victoria. 527. Ab exercitu electus imp., 525. Deposuit potestatem imperii, 528, 529.
Diocles, Medorum rex, vir armis experientissimus, 76.
Diogenes Archelai filius occisus, 371.
Diurpaneus Dacorum rex, 483.
Dolobella in Illyrico vincitur, 416. A senatu hostis pronuntiatur, 431, 432.
Domitianus Titi frater fit imperator. 483. Se dominum ac deum vocari, coli, scribique jussit, 483. Libidinis intemperantiaquæcumque facile perpetravit, 483. Triumphat falso, 483. Genus David exquiri atque interfici jussit, 484. Persequitur Christianos, 484. Interitus ejus et sepultura ignominiosissima, 484.
Drangæ populi, 187.
Drepanum civitas, 242.
Dumnacus dux, 406.
Dyrrachium, 415.

E

Eboracum oppidum, 502, 503.
Eburones populi, 394.
Eburonices, 394.
Ebusus insula, 34.
Ecbatana caput Parthici regni, 380.
Ecclesia Christianorum subdita Romanis, 533.
Edessa oppidum, 505.
Edures, 389.
Elephanti numero viginti a Pyrrho in Italiam invecti, 215. Multi interfecti Hasdrubale contra Romanos pugnante, 240, 241. Quomodo necati, 265.
Elis Græciæ civitas, 92.
Elissa Carthaginem condidit, 225.
Emodi montes, 13.
Eous Indus, 446.
Epaminondas Philippi præceptor, 150, 168. Lacedæmoniorum victor, 151, 152, 153.
Epaminonda mortuo, gravis perditio subsecuta est Thebarum, 154.
Epi taurius coluber cum Æsculapii lapide Romam advehitur, 198.
Epiphania quando observabatur, 442.
Ephesii excluserunt Mithridatem, 572.
Esernia oppidum, 337.
Eteocles, 62.
Eucherius filius Stiliconis, 571. Ejus cædes, 572.
Eudoxus Arianus, 548.
Eugenius tyrannus, 559. Captus atque interfectus, 561.
Eumachus dux Mithridatis, 373.
Eumenes rex Asiæ sive Pergami, 275.
Eumenes dux quondam Alexandri victus ad Antig. pertrahitur, 204.
Euphrates fossarum opera meabilis, 101. Fluvius, 102,
Euphratis ortus, 19.
Europa a flumine Tanai incipit, 11.
Europæ descriptio, 23, 24, 25.
Eurucha rex Molossorum, 169.
Eurydice Aridei regis Maced. uxor, 205.
Eurydice mater Philippi, 168.
Eurylochus, 188.
Eurylochus dux Athenien. in Sicilia occiditur, 127.
Eurymedon, 126.
Evagoras, 132.
Evergetæ populi, 187.

F

Fabiorum familiæ occasus, 99.
Fabii Maximi egregium factum, 199.
Fabius historicus, 249.
Fabius Maximus dictator, 255.
Fabius Adrianus, 346.
Fabia virgo Vestalis, 376.
Fabula de Jove, 453.
Falisci bellum cum Romanis gerunt, 156. Eorum XV millia interfecta, 245. Et pestilentia Romæ, 98.
Fames pestilentiaque arma Rom. compescuerunt, 120. Gravissima per Syriam, 469. Apud Romam, 470.
Fannius deficit a Fimbria ad Mithrid. 373.
Fesulani montes, 569.
Fidenates Romanorum hostes, 123.
Fimbria, 346.
Firmus legatus, 445.
Firmus seipsum in Africa regem facit, 551.

Flaminius circumventus ab Annibale, 254.
Flavius Claudius voluntate senatus sumpsit imperium, 520.
Florianus imperator apud Tarsum interfectus, 525.
Flumen in Piceno sanguine fluit, 250.
Fons olei trans Tiberim terra exundavit, 435.
Fonti olei typus, 443.
Formiæ oppidum, 221.
Fortunatæ insulæ, 12.
Francus Marsorum imperator, 537.
Fruges in arboribus nasci, 299.
Fugitivorum cædes, 346.
Fulvia uxor Antonii, 432.
Furius bona Gracchi publicanda decrevit, 333.
Furius Camillus Scribonianus legatus, 467.
Furnius dux Antonii, 436.
Fuscus dux, 483.

G

Gabinius ad Hierosolymam mittitur, 384.
Gades insulæ, 12, 26.
Gaditanum fretum, 31.
Galba apud Hispanias usurpavit imperium, 473.
Gallia Belgica, 25.
Gallia Lugdunensis, 25.
Galerius Maximianus a Diocletiano suscipitur honorifice, 528.
Galerius et Constantius Augusti Romanum imperium diviserunt, 529.
Galerius duos Cæsares legit, 529.
Galerius Augustus Severum Cæsarem adversum Maxentium mittit, 537.
Galleciorum cædes per Brutum, 298.
Gallecie civitates tres terræmotu dirutæ, 487.
Galli Urbem penetrant, senatores trucidant, 140, 141. Exstincto populo nomen Romæ persequuntur, 140, 141.
Galli Senones bellum contra Romanos gerunt, 199, 200.
Galli Cisalpini a Romanis cæduntur, 249.
Galli cæduntur a Cæsare, 397, 405.
Gallia Transalpina, Cisalpina, 386. Comata, 386.
Gallorum multitudo ingens juxta fluvium Anienem cæditur, 159. Irruptio tertia per loca maritima, 160. Cædes, 251. Et Romanorum cædes, 271. A Mario occisorum numerus, 329.
Gallorum deditio, 394.
Gallis devictis, Cæsar in Italiam rediit, 409, 412.
Galliam sortitus Drusus, 445.
Gallicum mare, 34.
Gallienus Romæ imperator a senatu creatus, 516.
Gallogræcia nunc Galatia, 273.
Gallus Hostilianus imperator, 516.
Gallus et Volusianus interfecti, 516.
Gallus Cæsar occiditur, 544.
Gandarides populi, 21.
Gangaridas (*vide an* Gandaridas) Macedones expugnavere, 192.
Ganges fluvius, 21.
Gangines Æthiopes ubi, 31.
Ganimedes Trois Dardaniorum regis filius, 61.
Garamantes populi, 32.
Gaulales populi, 30.
Gemoniæ scalæ, 477.
Germanici, Drusi filii, Caligulæ patris, triumphus, 459.
Germani, Alpibus penetratis, Ravennam perveniant, 518.
Germani a Domitiano invasi, 483.
Germani ulteriore potiuntur Hispania, 518.
Germanorum cædes, 389.
Gerontius Constantem filium Constantini interficit, 581.
Gesati Galli qui, 249.
Gessonas Alexander oppressit, 190.
Geta, Septimii filius, hostis publicus judicatus, 503.
Getæ, qui nunc Gothi, societatem Romanorum optarunt, 68.
Getuli populi, 30.
Gildo comes Africam sibi usurpat, 564. Ejus exitus, 566.
Gladius, quidam Caii Caligulæ liber ita inscriptus, 466.
Glaucia (Caius) prætor, 333.
Gomorrha igne cœli incensa, 41.
Gordie, i. e. Sardis, Phrygiæ civitas, 182.
Gordianus imperator ad Cyrcessum super Euphratem interfectus, 509.
Gothi Urbem invadunt, 142.
Gortynium, 415.
Gylippus Lacedæmonius, 126.
Gothi poscunt sibi mitti doctores Christianos, 554.
Gothi demersi, 585.
Gothi cujusdam Christiani factum, 574.
Gothia, 23. Quod Romania, 585.
Gothorum deletio per Constantinum Magnum, 510.
Gothorum captivorum vilitas, 570.
Gracchi interitus, 306.
Gracchorum seditiones Romæ, 304.
Gracchus reipublicæ pernicies, 315.
Græcia tota a Philippo domita, 169. Perdit libertatem, 174. Depopulata a Bruto et Cassio, 432. Inundatione Gothorum deletur, 518.
Grotianus imperator Valentiniani filius, 549. Imperator fretus Christi potentia hostes superavit, 552. Theodosium legit imperatorem, 555. Maximi dolo occiditur, 557.
Gratiani tyranni interitus, 576.
Gyndes fluvius secundæ post Euphratem magnitudinis, 101.

H

Hadrianus imperator restaurat aliquot civitates, 488. Consobrinæ Trajani filius, 488. Pater patriæ appellatur, 489. Remp̃ublicam justissimis legibus ordinavit, 489. Christianos incolumes servari voluit, 489, 490. Per Quadratum, discipulum apostolorum, instructus, 488. Sauromatas vicit, 488. Judæos ultima cæde perdomuit, 490.
Hadrumetum civitas, 31.
Hanno vir quidam Carthaginiensis, 227. Quibus cruciatibus affectus, 218.
Hanno imperator Carthaginien., 253.
Hanno a Carthaginiensibus in locum Annibalis subrogatus, 236.
Hannones duo imperatores Pœnorum, 239.
Hannonis fuga, 243.
Hanno Amilcaris filius interficitur, 266.
Harpalo summa belli committitur, 76.
Hasdrubal novus Carthaginiensis imperator, 240.
Hasdrubal cum paucis elephantis aufugit, 241.
Hasdrubal rex ultro se dedit Roman., 281.
Hasdrubalis uxor in medium incendium se jecit, 281.
Hebræorum fugientium numerus, 56. Transitus per mare Rubrum, 56.
Hedui populi, 401.
Helena Adiabenorum regina, 469.
Helena concubina Constantii, 529.
Helenæ raptus causa excidii Trojani, 70.
Helena nomen *oppidi*, 545.
Hellespontus, 54.
Heraclianus alias Heraclius consulatum adeptus est. 582.
Heracliana navium multitudo et interitus, 585.
Heraclea urbs Campaniæ, 215.
Herculis columnæ, 11.
Hercules Menalippe reddita arma Reginæ pretium redemptionis accipit, 67.
Hercules Alexandri filius, 205, 206.
Hercynio rex Ægyptiorum, 148.
Herdonius dux exsulum, 119.
Herodes rex Judææ Christum necare decrevit, 457.
Herodes Albanorum rex, 379, 380.
Hesperii montes, 31.
Hetrusci, Umbri, Samnites, Galli, conspirarunt contra Romanos, 196.
Hetrusci iterum cum aliis contra Romanos conspirant, 199.
Hierapolis terræmotu periit, 473.
Hiero rex Syracusanus, 232, 233.
Hierosolyma reparatur ab Ælio Hadriano, 490.
Hierta Numidiæ rex, 351.
Hippolyte a Theseo matrimonio poscitur, 67.
Hippo Regius civitas, 31.
Hircilides dux Atheniensium, 147.
Hirtulei cum Metello congressus, 356.
Hispania trigona universa, 25, 26.
Homeri laus in describenda Trojana obsidione, 70.
Homo post peccatum juste punitur, 36.
Honorius Augustus frater Arcadii, 563.
Honoriaci qui, 139.
Honorius imperator omnes tyrannos exstingui jubet, 140.
Humana omnia vetustate consumuntur, 104.
Hunni ubi, 21.
Hunnorum gens adversus Gothos, 552.
Hibernia insula, 25.
Hydaspes fluvius, 14, 295.
Hydaspii populi, 187.
Hymera urbs, 127.
Hyrcani populi, 20. Ab Alexandro Mag. subjugati, 187.
Hyrcanus sacerdos Judæorum, 384.

I

Ibericum pelagus, 34.
Icarium mare, 32.
Ignis incertæ originis, 244.
Ilerda oppidum, 356.
Ilium a Fimbria deletum, 372.
Ilienses Fimbriam repulerant, 372.
Illyrii Roman. legatos interficiunt, 248.
Illyrici, 446.
Illyricus, 386.
Imaus mons, 21.
Imilco rex Carthaginiensium, 226. Mortem sibi conscivit, 227.
Imperatores duo creati, 516.
Incendium aliquantarum ædium Romæ, 575. Romæ, Tito Vespasiano imperante, 482. Capitolii, sub Lucio Antonino Commodo, 496. Aliud ædem Vestæ et palatium plurimamque urbis partem concremavit, 496.
Indiæ fines et gentes, 13, 14.
Indicus oceanus qua parte, 15.
Indis intulit bellum Semiramis, 38.
India ab Alexandro domita, 189, 190.
Indus fluvius, 13.
Induciomarus Trevirorum princeps, 399.
Innocentius Romæ episcopus tempore obsidionis Gothorum a Roma abfuit, 573.
Insubres Galli a coss. Rom. Torquato et Flacco victi, 250.

Iosubres a L. Fulvio superati sunt, 270.
Intemperantiæ dandum quod misere vivimus, 90.
Invidia rectum non videt, 231.
Iones a Persis deficiunt, 113.
Ionium mare, 24.
Iphicrates dux Atheniensium, 151.
Isauria, 16.
Isauri a Servilio subacti, 359.
Issicus sinus, 32.
Israelitarum synagoga subdita Ægyptiis, 533.
Isthmos locus, ubi Corinthus est, 24.
Istria regio, 24.
Istriani populi, 175.
Istri populi, 251.
Italiæ descriptio, 24, 25.
Italica Bæticæ urbs, 356.
Ituræi perdomiti a Pompeio, 384.

J

Jani portæ clausæ quando, 7. Jani portæ observantur, 263.
Janium tamquam arcem occupavit Flaccus, 316.
Jani portæ apertæ sunt per Augustum, 444.
Jani portæ tertio a Cæsare clausæ, 448.
Jani portæ apertæ per Gordianum, 511.
Janus secundo clausus a Cæsare quarto post Urbem conditam, 445. Patefactus Augusto sene, 456. Sexto clausus a Vespasiano et Tito imperatoribus, 431.
Joannes apostolus in Patmo exsulat, 484. Ab exsilio liberatus Ephesum rediit, 485.
Joseph quo tempore in Ægypto, 48. Magicas artes pulchre calluit, 48. Ejus solertia, 48, 49.
Jovianus Cæsar fœdus cum Sapore pepigit, 547. Joviani interitus, 547.
Jovis fabula, 453.
Jovinus occubuit, 581.
Juba percussori jugulum præbuit, 423.
Judacillus dux Picentum, 338.
Judæi a Pompeio domiti, 384. Diversas terrarum partes bello aggrediuntur, 490. Eorum cædes in Alexandria et Mesopotamia, 490. Ab Hadriano ultima cæde affecti 490. Compescuit eos Septimius Severus, 500. In Hyrcania ad Caspium mare habitantes, 162. Roma expelluntur, 469. In Carmelo monte, 478.
Judæorum persecutio, 464. Cædes in Hierosolymis, 480. Clades post Christi passionem ortæ, 262.
Jugurthæ bellum cum Romanis, 321, 322, 323, *etc.* De Roma elogium, 321.
Julianus jurisperitus, 497. Interfecto Pertinace invasit imperium, 497.
Julianus Cæsar juratus hostis Christianorum, 546. Ejus perfidia, 546. Ejus interitus, 546. Impius imperator, 545.
Junius dictator sceleratos homines militiæ mancipavit adversus Annibalem, 257.
Justinus philosophus, 491.
Juventius prætor, 281.

L.

Labienus, dux Cæsaris, Gallos comprimit, 399.
Labienus tribunus occiditur, 396.
Lacedæmoniorum dominandi libido, 154.
Lacedæmonii Arcades invadunt, 153. Ne proles deficeret, promiscue omnium feminarum concubitus permittunt, 81. Opibus exhaustis vincuntur, 84. Eorum ambitio, 147. Eorum status inclinatus, 150.
Laches Atheniensum dux, 125.
Lamachus dux exercitus Athen. in Sicilia, 126. Occiditur. 126.
Lampedo regina Amazonum, 65.
Lana de nubibus pluvia defluxit, 549.
Lancia oppidum, 445.
Laodicea terræmotu concidit, 473.
Laomedon Mitylinæus Syriam per sortem obtinuit, 201.
Larissa urbs, 168.
Laser ubi nascatur, 21.
Latus clavus quando Romæ receptus iterum, 337.
Lentulus apud Pelusium interficitur, 421.
Leonatus minorem Phrygiam accipit, 202. Interficitur, 203.
Leonides Xerxi obsistit, 110. Ejus consilium, 110. Ejus dictum, 111.
Leosthenes occiditur, 203.
Lepidus civilia bella resuscitat, 554.
Leptis magna civitas, 30. Oppidum. 268. Patria Septimii Severi, 498.
Lexovii, 392.
Lex Oppia quid, 271.
Lex triumphandi, 293.
Liber pater Indos populatur, 52.
Libo Dolabellam vincit. 416.
Librorum exustio, 421.
Liburnicæ insulæ, 24.
Libyæthiopes populi, 30.
Libya Cyrenaica et Pentapolis, 29.
Libycum mare quod Hadriaticum vocant, 31.
Licinius imperator a Galerio allectus, 538. A Constantino interficitur, 539.
Licinius Junior Cæsar creatus, 539. A Constantino patruo interficitur; 540.
Ligeris fluvius, 393.
Ligusticus sinus, 34.
Lilybæum venit Hasdrubal, 241.
Liuternum oppidum, 274.
Lipara insula, 236.
Liparæ insulæ adustio, 311.
Liparam Attilius evertit, 236.
Litteræ Antonini quibus fatetur victoriam a Christo sibi concessam, 495.
Livius Drusus tribunus plebis, 335.
Locustarum immensa multitudo, 312.
Lollii cædes, 350.
Lucani contra Romanos moliuntur bellum, 199, 336.
Luceni populi, 28.
Luceria urbs, 415.
Lucius Julius Cæsar, 337.
Lucius Geganius, 334.
Lucius Apuleius Saturninus auctor seditionis, 332.
Lucius Fursidius primipilaris, 394.
Lucius Vectius, 385.
Lucius Cæsar ab Antonio avunculo suo proscribitur, 431.
Lucius Afranius dux Pompeii, 416.
Lucius Antoninus Commodus patri successit, ejus gesta et interitus, 496.
Luculli in Sinopem clementia, 376.
Lucullus Asiam perdomuit, 414.
Lucullus (Marcus) totam Bessorum gentem bello appetiit, 376.
Ludis scenicis dii utcumque reconciliati, 157.
Lugius rex Gallorum in acie occisus, 331.
Lunæ tres distantibus cœli regionibus quando visæ, 250.
Lusitanorum cum Romanis congressus et cædes, 292.
Lusitanos devicit Fabius, 294.
Lutatiorum sepulcrum, 350.
Lycia et urbes ejus captæ, 358.
Lydiam Menander sortitur, 202.
Lyris fluvius, 215.
Lysander a Lacedæmoniis classi bellique præficitur, 131. Athenas capit, 132, 133. Vincitur atque occiditur, 150.
Lysias Syracusanus orator, 133.
Lysimachus Thraciam et regiones Pontici maris sortitur, 202. Contra Demetrium bellum gerit, 208.
Lysimachia civitas terræmotu periit, 209.

M

Macedoniæ descriptio, 23.
Macedonia inundatione Gothorum deletur, 518.
Macedonicum bellum inter maxima referendum, 275.
Macedonicum regnum, 454.
Magnentii et Decentii interitus, 544.
Magius de exercitu Fimbriæ profugus, 373.
Magorum ausus, 106.
Mago frater Annibalis à Scipione capitur, 263.
Mamea Aurelii Alexandri mater Origenem audire solebat, 528, 529.
Mamertinis auxilio venere Romani, 232.
Mamertium oppidum, 307.
Mancinus, 296.
Manlius Torquatus Latinos vincit, 164, 165. Ejus crudelitas in filium, 164.
Manlius ex Africa victor decedit, 236.
Marcellus restitit Cæsari Julio, 415.
Marcellinus, dux Cæsaris, 419.
Marcelli motus in Pelignis, 385..
Marcelli cum Annibale pugna victoriaque, 264.
Marcomanni populi, 389, 447.
Marcomannicum bellum, 494.
Marcus Curtius se præcipitem dedit propter Romanos, 159.
Marcus Valerius cur Corvinus dictus, 160.
Marcus Valerius dictator, 97.
Marcus Petreius, 416.
Marcus Varro, dux Pompeianus, 416.
Mareotis palus, 11, 22.
Marcus Marius, dux exercitus Mithridatis, 373.
Marcus Antoninus Verus cum Aurelio Commodo imperium suscipit, 492.
Marcus Antoninus solus reipublicæ præfuit, 492.
Marcus Aurelius Antoninus Elagabalus imperator, 507. Sacerdos Heliogabali templi obscenissimus, 507. Ejus interitus, 507.
Mardi subacti ab Alexandro Magno, 183, 191.
Mardonii consilium, 113.
Mardonius Xerxis præfectus Olynthum expugnat, 116. Fugere compellitur, *ibid.*
Maris Caspii ortus, 22.
Marii scelera, 344.
Marii fratris supplicium, 350.
Marius et Cinna invadunt rempublicam, 342, 343.
Marius moritur, 345.
Marius tyrannus invasit imperium, 519.
Marinus comes Marcellinum occidit, 583.
Marsi populi, 336.
Marsorum octo millia interfecti, 337.
Marrucini populi, 336.
Mascezel Christianorum orationibus vincit, 564.
Mascezelis animus pius in impium mutatus, 566.
Masinissa rex Numidiæ, 280.
Massagetæ populi, 19.
Massiliam venit Cæsar, 416.
Maurinus Hispanus, 194.
Mauritania ab Amilcare infestatur, 239.
Mauritania Tingitana, 31.
Mauritania Sitiphensis, 31.
Mauritanicum pelagus, 34.

Maximianus Herculeus Cæsar, 525. Ex Cæsare factus Augustus, 526. Imperium resignavit, 528. Ex Augusto privatus tyrannidem arripuit, 537. Ejus interitus Massiliæ, 538.
Maximianus Galerius Cæsar legitur, 526.
Maximinus parti Orientali præficitur a Galerio, 529.
Maxentium, filium Herculii, prætoriani milites Augustum vocaverunt, 537.
Maxentii obitus, 537.
Maximus, imperator ab exercitu creatus, 509.
Maximus vir probus et strenuus et Augusto dignus, nisi per tyrannidem emersisset, 556. Gratianum perimit, 557. Germanorum terror, 558. Occisus, 558, 559.
Maximus tyrannus in Hispania exsulat, 581.
Mazeus dux exsulum, 226.
Medea Colchorum regina, 62.
Medeam dentes serpentis sævisse dicunt, 427.
Media regio, 427.
Mediolanum capitur, 251.
Medorum imperii finis, 77.
Medullium mons, 445.
Melitam Attilius evertit, 256.
Memamneli mons, 19.
Memmius quæstor Pompeii, 357.
Menapii ubi, 27. Bellum gerunt contra Cæsarem, 390, 392. Vincuntur a Cæsare, 399.
Menecrates dux Pompeii, 433.
Meroe insula, 17.
Mesopotamia ubi, 14.
Messana nobilis Siciliæ civitas, 252, 434.
Metapontum oppidum, 360.
Metaurus flumen, 265
Metelli pietas in deos, 245.
Metellus in exsilium missus, 332.
Metellus, prætor Siciliæ, Cretam evertit, 378.
Metius Tusculanus, 165.
Metii Suffetii supplicium, 94.
Methona urbs, 169. Eam expugnavit Agrippa, 438.
Metridera civitas, 565.
Metrophanes regius prætor, 373.
Mevania insula, 28.
Micipsa Numidarum rex, 321.
Milvius pons, 538.
Miletopolis civitas, 372.
Milæ insulæ, 434.
Minius fluvius, 445.
Minutia virgo Vestalis, 165.
Minutius quartæ legionis primus hastatus, 216.
Minutius Fundanus proconsul, 488.
Minocynobellinus, 464.
Minturnæ oppidum, 306, 342.
Mithridates, Parthorum rex, Babyloniam confinesque regiones subegit, 295.
Mithridates, Ponti rex, Cappadociam invadit, 370.
Mithridatem proprius filius persequitur, 381.
Mithridaticæ cladis spatium, 371.
Mithridatis dictum in filium, 381. Exercitus pars cæsa, 373. Filii occiduntur, 381. Exitus, 382.
Mœna libertus Pompeii, 433. Ab Agrippa circumventus, 434.
Mœsiæ descriptio, 23.
Mœsii, 446.
Moguntiacum, 508.
Monachi Ægyptiaci interfecti, 551.
Monarchia quid, 442.
Monstrosus puer Romæ natus, 299.
Morini populi, 27.
Morini contra Cæsarem bellum gerunt, 390, 392.
Mos veterum scriptorum in reticendo cæsorum apud victores numero, 216.
Moses filius Joseph, 48. Dux exsulum sacra Ægyptiorum abstulisse fertur, 49.
Mossylon emporium, 17.
Mulieres Sycambrorum, filios collisos in ora hostium jaciebant, 446.
Mulieres, patria profugæ, multas civitates deleverunt, 68.
Munda urbs, 424.
Mundi divisio in tres partes, 10.
Mursa urbs, 544.
Musolani populi, 446.
Mutina urbs, 430.
Mutinense bellum, 429.
Mutius Scævola, 97.
Myrtoum mare, 24.
Myrina civitas, 487.
Myson urbs, 375.

N

Nabathæi, 16.
Nabis dux Lacedæmoniorum, 270.
Nabuchodonosor, 88.
Narbonensis provincia, 25.
Narseus rex Persarum orientales bello premit, 527, 528.
Nathabres (alias Nasabres), 30.
Nemetes populi, 389.
Neoptolemus et Eumenes inter se digladiantur, 204.
Nepotianus Cæsar a Magnentianis ducibus oppressus, 544.
Nero Cæsar ab Aug. quintus, Caligulæ sectator, 471. Primus Christianos suppliciis affecit, 472.
Neroni incendium Romæ voluptati fuit, 471. Neronis interitus, 473.
Nerva a Petronio et Parthenio imperator creatus, 484. Omnes exsules revocavit, 485. Ejus obitus, 485.
Nervii a Cæsare vincuntur, 399. Indomita feritate populi, 390.
Nicanor Parthos acquisivit, 202, 203.
Nicænum concilium, 559.
Nicias dux Atheniensium, 126, 127.
Nicopolis condita a Pompeio, 380.
Nicomedes Bithyniæ rex. 308, 370.
Nicomedia civitas, 372.
Ninus Beli filius regis Assyriorum, 6. Magnus rex dicitur, 7.
Nisibis oppidum, 547.
Nisibin urbem Lucullus cepit, 377.
Noe quo tempore vixerit, 36.
Norici, 446.
Noricus, 24.
Nuchal fluvius, 18.
Numa Pompilius, 246.
Numantiæ obsidio et situs, 302.
Numantini rogati facere fœdus cum Mancino, 276.
Numantinorum et Romanorum fugiendi vicissitudo, 298, 301.
Numerianus Cari imperatoris filius, 524.
Numitoris pater Procas, 87.
Numidiam Amilcar invadit, 239.
Numidicus sinus, 34.
Nysam urbem adiit Alexander, 189.

O

Obsidius imperator Italicus, 340.
Oceanus Indicus, 13. Sericus, 13.
Ochus qui et Artaxerxes dictus est, 162.
Ocriculum oppidum, 95.
Octavia soror Cæsaris Augusti, 436.
Octavius et Libo Dolabellam vicerunt, 416.
Octavius Salonas oppugnare aggreditur, 417.
Octavius (qui postea Augustus dictus est) Cæsar, 428.
Octodorus vicus, 391.
Odenatus Persas devicit, Syriam defendit, Mesopotamiam recepit, etc., 519.
OEdipus interfector patris, 61.
OEnomaus præficitur exercitui Phocensium, 170.
Ogyges Eleusinæ conditor, 47.
Olympias Alexandri Magni mater, 167. Uxor Philippi, 168. Crudelitatis suæ pœnas luit, 206.
Olympus mons, 273.
Olynthus oppidum, 172. Illud expugnat Philippus, 172.
Omnia præsentia sordent humanæ mutabilitati, 155.
Omnis potestas et ordinatio a Deo, 86.
Ophellas rex Cyrenarum, 230.
Opilius Macrinus imperator, 506. Ejus interitus, 506.
Opuntiorum civitas subversa terræmotu, 487.
Orbem terræ totius veteres limbo Oceani circumdatum statueruut triquadrum, 10.
Orcades insulæ, 28. A Claudio Tiberio imp. Rom. subactæ, 468.
Orgetorix Germanorum princeps, 386.
Oritorum civitas terræmotu subversa, 487.
Orithyia, filia Marpesiæ reginæ, in regno Amazonum successit, 66.
Orithyiam ob singularem virtutis bellicæ gloriam Hercules timuit, *ibid.*
Osages dux Parthorum interfectus 413.
Oscobares mons, 20.
Ossibus humanis qui loco poculorum utebantur, 358.
Osismii populi, 95.
Otho Galbam cum Pisone jugulavit, 474. Romæ imperium simul atque arma rapuit, 475. Sibi mortem intulit, 475.
Otium discordias nutrit, 130.
Ottorogorra flumen, 13, 21.
Ottorogorra civitas, 21.

P

Pacorus rex Persarum et Parthorum occiditur, 433.
Pacuvius primipilaris, 392.
Padus, 250.
Palæphatus scriptor, 61.
Palæpharsalus, 420.
Palinuri promontorium, 240.
Pamphylia a Publio Servilio expugnata et pene deleta, 358.
Pamphylicum mare, 32.
Pandionis fuga, 61.
Panhormus oppidum Siciliæ, 240.
Pannonia, 24.
Pannonii, 447. A Tiberio privigno Cæsaris deleti, 447.
Pantheon Romæ fulmine concrematum, 487.
Paphlagonia a Mithridate vastatur, 370.
Papius Mutilus imperator, 336.
Papyrius, bellicosissimus Romanorum, destinatur dux contra Alexandrum Magnum, 180. Bellum adversum Samnitas gessit, 179, 180.
Parapasii (alias Paraphasii), 45.
Parchoatras mons Armeniæ, 19.
Parætonium civitas, 11, 439.
Parmenio dux Philippi, 177. Trucidatus, 188.
Paropamisadæ populi, 21.
Paropameni populi, 188.
Parthau mons, 20.
Parthia regio, 14.
Parthi, 19. Augusto supplices, 447. Superati a Septimio Severo, 501. Mesopotamiam auferunt, Syriamque corrodunt, 518.
Parthorum pax cum Romanis, 7.
Parthyene regio, 21.
Parimæ populi, 188.

Pasiadræ gentes, 21.
Passidæ (alias Passalæ), 190.
Pausanias dux Lacedæmoniorum, 150.
Pax per totum orbem, 7. Ecclesiæ reddita, 583.
Peligni populi, 337, 385.
Pelopis, filii Tantali, fabula, 61. Contra Dardanum atque Trojanos certamen, 61.
Peneus amnis, 420.
Pentapolis et Libya Cyrenaica, 29.
Pentapolis regio igne cœlesti combusta, 40.
Penthesileæ in Trojano bello virtus, 67.
Perdiccas Ariarathi Cappadocum regi bellum intulit, 203 Contra Antigonum digladiatur, 204.
Perdiccæ socer Mediæ præponitur, 201.
Pergamus oppidum, 310.
Perganio pirata, 376.
Pericles et Sophocles duces electi ab Atheniensibus, 83
Perillus taurum æneum suo malo fecit, 78.
Persæ apud campos Marathonios vincuntur, 108, 109. A Perseo vocati sunt, 60. Constantinopolim miserunt legatos ad Theodosium pro pace impetranda, 556.
Persarum clades, 181, 183, 186. Regnum Macedonibus cessit, 186.
Perseus e Græcia veniens Asiam vastat, 60.
Persis regio, 14.
Persicum aurum prima virtutis Græcæ corruptio, 116.
Persepolis capitur, 185.
Personarum acceptor non est Deus, 554.
Perusinum bellum, 429.
Pescennius Niger, 499.
Pestilentia generalis post persecutionem Decii, 516.
Petra, Arabum urbs, a Pompeio capta, 384.
Petrus apostolus quando Romam venerit, 466, 467.
Petri et Pauli supplicium, 473.
Petreius seipsum interfecit, 424.
Peucestes Babylonios accipit, 203.
Phaetontis fabula, 57.
Phasis oppidum, 358.
Phalaris Siculus tyrannide Agrigentinos depopulatur, 77.
Pharnabazus, 148.
Pharnaces a Cæsare vincitur, 423.
Pharus ubi, 422.
Philenorum aræ, 30.
Philippus Amyntæ filius Macedoniæ rex, 167. Ab Epaminonda institutur, 168. Bellum cum Atheniensib. gessit, 168. Dolus ejusdem, 171.
Philippus Cappadociam sibi subdit, 171. Perfidia ejusdem, 172. Perfidia in Phocenses, 173. Crudelitas in suos, 173. Piraticam aggreditur, 175. Scythiam aggressus vicit, 175. A Triballis vulneratus, 175. Atheniensibus bellum infert, 176. Thebanos et Lacedæmonios vincit, 176. Sævitia in superatos, 176. Interitus ejusdem, 177.
Philippus Alex. dux, Hyrcanos sortitur, 203.
Philippense bellum Cæsaris Octaviani, 429.
Philippus ex imperatoribus primus Christianus, 513.
Philippus imp. cum filio Philippo Decii fraude interfectus, 515.
Philomelus dux exercitus Phocensis, 170.
Philomela soror Prognes, 60.
Philo dux Alex. Illyrios accipit, 201.
Philotas trucidatur, 188.
Philotas dux Alex. Ciliciam tenuit, 201.
Philopœmenes dux Achivorum, 274.
Pithon Agenoris filius in colonias mittitur, 204.
Phocensium pugna cum Thebanis, 170.
Phœnice a Pompeio aggressa, 384.
Phraortes Medorum rex, 75.
Phrataphernes Armenios adipiscitur, 203.
Picentes a Romanis vincuntur, 222. Iterum contra Romanos insurgunt, 336.
Picenum regio, 250.
Pictones populi, 406.
Pilatus Tiberio de miraculis Christi scripsit, 460.
Pilati interitus, 465.
Piratæ a Pompeio oppressi, 378.
Pitane civitas, 487.
Piso adversus Vindelicos missus, 447.
Piso nobilis adolescens a Galba adoptatur, 474.
Placentia oppidum, 270, 275.
Placidia Theodosii filia Ataulpho nupsit, 576.
Placidiæ probitas, 585.
Plagæ Ægyptiorum decem, 553, 554.
Plotius legatus Porcii, 337.
Plynos et Scolopithus regii juvenes, 64.
Pœni vincuntur a Romanis in Sicilia, 232.
Polenta oppidum, 556.
Polybius auctor, 270.
Polynices, 62.
Polyperchon occiditur, 204.
Pometia oppidum, 95.
Pomp. a Numantinis profligatur, 295.
Pompeius Strabo cum Sertorio conflixit, 343. Fulmine tactus interiit, 344.
Pompeius Magnus a Sertorio fugatus, 357. Metelli reditum promulgat, 354. In Africam transgreditur, 351. Exercitus ejus quantus, 356 Bellum contra Cæsarem gerit, 419, 420. Muros Hierosolymorum evertit, 384. Hispaniam devicit, 414. Exercitus quantus contra Cæsarem, 420. Fuga et interitus, 420.
Pompeius Bithynicus occisus, 421.
Pontius dux Samnitium, 179.
Pontus inundatione Gothorum deletur, 518.
Popedius Italicus imperator, 340.
Popilia virgo viva defossa, 109.
Populus ad mortem Cæsaris multum commotus, 426.
Populor. Italicor. conjuratio in Romanos, 336.
Porca cæsa solent iniri fœdera, 210.
Porcius Cato prætor, 337, 339.
Porsenna rex Hetruscorum, 96.
Porus Indorum rex, 189.
Postumius Albinus consularis, 339.
Postumius in Gallia invasit tyrannidem, 519.
Probus imperator, 523.
Procas Amulii et Numitoris pater, 87.
Procopius tyrannus occiditur, 548.
Proculus a Probo interfectus, 523.
Prodigia quædam obscena Romæ visa, 221. Iterum Romæ visa, 222. Dira Romæ, 259. Tempore Annibalis Romæ, 254. Perterruerunt Romanos, 335.
Prodigium infamissimum, 336. Visum ante restitutam Carthaginem, 315. Obscenum, 325.
Prognes facinus, 60.
Proletarii qui, 214.
Proscriptorum a triumviris numerus, 431.
Proscriptionis tabulam quis primum induxerit, 349.
Pseudothyrus, 470.
Psylli adhibiti Cleopatræ, 439.
Ptolemæus Lagi Ægyptum et Africæ Arabiæque partem sorte accipit, 201. Perdiccæ occurrere parat, 204. Et Cassander ineunt cum Lysimacho et Seleuco societatem, 207. A Demetrio victus, 207.
Ptolemæus regno pulsus, 310.
Ptolemæus ultimus, Ægypti rex, perit, 423.
Publius Annius Tacitus adeptus imp., 523.
Pub. Metius satelles Marii, 332.
Pub. Lætorius senator, 350.
Pub. Digitius prætor, 272.
Publicius Malleolus matrem interfecit, 331.
Pugio inscriptus liber C. Caligulæ, 466.
Punica classis Italiam vastat, 242.
Pupienus Maximini interfector, interfectus, 510.
Pydna urbs, 205.
Pylæmenes rex Paphlagoniæ, 370.
Pyrenæi montes, 252.
Pyrrhus maximus Ro. nominis hostis, 162. Regnum Macedoniæ affectat, 209. Tarentinis auxilio venit, 215 Cum Rom. consulibus pugnat, 217, 218. Vulneratus cessit e prælio, 218. Apud Argos interiit, 219.

Q

Quadi et Sarmatæ Pannonias depopulantur, 518.
Quadratus discip. apostolorum instituit Hadrianum imperatorem, 488.
Quinquegentiani infestant Africam, 526. A Maximiano Augusto perdomiti, 526.
Quintius Cincinnatus dictator, 121.
Quintus Metellus Numidicus, 332.
Qu. Fabii Max. parricidium, 328.
Quintilius Varus cum tribus legionibus deletus, 448.
Quintillus Clodio mortuo imperator electus, 521.

R

Racilium, 445.
Ravenna urbs, 415.
Regna partium mundi quatuor, 454.
Regulus Carthag. bello oppressit, 236.
Reliquiæ vestigiaque curruum in Rubro mari, 56.
Respub. quando sub quatuor principib. fuerit, 538.
Rhadagaisus Gothorum rex immanissimus, 567, 568. Captus atque interfectus, 570.
Rhea Sylvia mater Romuli et Remi, 368.
Rhegium urbs, 355.
Rhegini nefarie a præsidio Romano oppressi, 124.
Rhenus fluvius, 23.
Rhetia, 24.
Rhetiam sortitus Claud. Drusus, 445.
Rhodii ad deditionem coacti a Cassio, 432.
Rhodus insula, 32. Ante Ophiusa, 47. Provincia Romana fit, 482.
Rhoxane nurus Olympiadis, 205.
Rhutubi portus, civitas, 27.
Riphæi montes, 11.
Roma spoliata a Gothis et Alarico rege, 90. Quo tempore condita, 92. Peste intolerabili corripitur, 119, 198 Pestilentia ibi ingens, 223. Divinitus contra Annibalem conservata, 260, 261. Afflicta ob Christianos persecutos, 474. Igne incerto fere absumpta, 414. Christi nutu aucta et perfecta, 449. Deprædata per Alaricum regem Gothorum, 573, 574.
Romæ pestis inaudita, 157. Aliquot loca fulmine diruta sunt, 139.
Romana clades apud Cannas, 157.
Romanarum matronarum facinus, 166.

Romania quod Gothia, 585.
Romani post Jani portas clausas affliguntur, 163. Fidem Samnitibus datam infringunt, 179. Conterriti, tutius rati pluribus se bellis implicare quam gravibus, 196. A Samnitibus bello victi, 197. Horrenda peste corripiuntur, 21. Contra Pyrrhum pugnant, 217, 219. Consultant de relinquenda Italia, 257. Destituti quatuor gravissima bella sustinuerunt, 227. Metu Annibalis consternati, 260. Plus damni passi quam commodi, 285. Injuste Mancinum dediderunt Numantinis, 297. Adversum Cimbros, Teutones, etc., pugnant, 328, 329. Opitulantibus Germanis vicerunt, 404.
Romanis sitientibus pluvia insperata subvenit, 324.
Romanorum clades et victoriæ, 156. Fœdus cum Carthaginiensibus, 161. Ignominia, 179. Multi oborta cœli tempestate periclitantur, 217. Ad Camerinam urbem periculum, 255. Naufragium circa Palinuri promontorium, 239. Scelesta sacrificia, 248. Fuga turpis, 280. Exigua victoria, 303. Extrema inopia, 340. Consternatio in pugna fugitivorum, 360. Quot vulnerati et cæsi in bello piratarum, 379. In adversitatibus tolerantia, 398. Apud Carras clades, 413. Imperium ad extremos terminos terræ dilatatum, 414.
Romanorum legiones sub jugum missæ, 473. Siti subventum a Christianis, 494. Decem calamitates, 533, 534.
Romanum regnum cum Babylonio collatum, 454.
Romanus exercitus ad Rhodanum periit, 414.
Romuli mater, 87.
Romuli facinora, 92.
Romulus parens Romæ, 367.
Roxolani, alias Rhobasci, 11.
Rubico fluvius, 415.
Rufini et Stiliconis molitiones, 567.
Rusicada civitas, 31.
Rutilii integritas, 334.

S

Sabinorum innumeri capti et cæsi, 199.
Sabinum, Vespasiani fratrem, cum multis aliis Vitellius in interitum dedit, 476.
Sabinus domesticus Heracliani, 582.
Sabinus, legatus Cæsaris, ab Ambiorige occisus, 196.
Sadrocottus dux, 207.
Saguntum Hispaniæ civitas, 252.
Saguntum pervenit Cæsar, 424.
Salassos Gallos quis vicerit, 293.
Salaminam, urbem Cypri, deleverunt Judæi, 488.
Sallustius, 416.
Sasinarum lacus, 31.
Samara promontorium, 13.
Samaritas Severus Sept. perdomuit, 500.
Samnites apud Caudinas furculas Romanos capiunt, 178, 179. Victores turpiter tractarunt Romanos, 179. Cum Senonibus Gallis, etc., contra Roman., 198, 336. A Pompeio obsidionem passi, 338.
Samothracia Rom. subjecta imperio, 482.
Saphris vicus, 20.
Sardanapalus ultimus Assyriorum rex, 73. Ab Arbacto præfecto superatur, 73, 74.
Sardi populi, 34.
Sardinia insula, 34. Rebellis opprimitur, 245.
Sardum mare, 34.
Sarmatæ, 446. Pannonias depopulantur, 518.
Sarmaticus oceanus, 11.
Sarnus fluvius, 254.
Sarus et Uldin Hunnorum et Gothorum duces, 569.
Satricum Papyrius expugnat, 180.
Saturninus Aulum Numium occidit, 532.
Saturninus a Probo oppressus, 523.
Saufeius occiditur, 353.
Sauli pagano duci summa belli commissa est, 567.
Saxones a Valentiniano oppressi, 549.
Scenæ fluminis ostium, 28.
Scipio Annibali primus in Hispania occurrit, 253.
Scipiones Hasdrubalem opprimunt, 257. Ambo a fratre Hasdrubalis interfecti sunt, 262.
Scipio adolescens in Hispania proconsule mittitur, 263.
Scipio Nasica theatri structuram impedit, 277. Scipio semet jugulavit, 424.
Scyllaceum, 433.
Scynus Susianam gentem accipit, 201.
Scythæ populi, 21. Vesore superato, totam pene Ægyptum populati sunt, 63. Asiam perdomitam vectigalem fecere, 64. Quindecim annis immorati Asiæ, revocantur per uxores, 64.
Scythicæ gentes a Theodosio vincuntur 555.
Scythicum mare, 22.
Scordisci populi, 358.
Scribonius successor Claudii, 558.
Sebastianus tyrannus, 581.
Seboim divinitus exusta, 41.
Seditio orta Romæ, 352.
Seduni populi, 391.
Segisama, 443.
Segericus Gothorum rex, 585.
Segor quare exstincta, 41.
Sejanus præfectus Tiberii, 460.
Seleucia ab Marco Antonino capitur, 492.
Seleuciæ, Assyriæ urbis, situs, 492.
Seleucus archipirata, 375.
Seleuchus et Lysimachus Antigoni hostes, 207. Jam senes inter se digladiantur, 209.
Seleuco Antiochi filio cessit summa castrorum, 202.
Semiramis, uxor Nini, regnum administravit, 38. 59. Æthiopiam suo regno adjecit, 38. Babyloniam condidit, 89.
Semiramidis lex scelesta et libido, 39.
Sempronia uxor Scipionis, 311.
Senatus Rom. Christianos exterminari præcepit, 460.
Senones Galli bellum gerunt contra Rom., 200, 336.
Septimius Severus Pertinax imperator, 498.
Septimium Severum ultio divina insequitur, 501.
Septimii Severi interitus, 503.
Serenus Granius legatus, 488.
Sericus oceanus, 22.
Sergius Galba a Lusitanis victus, 277.
Serpens miræ magnitudinis, 236.
Serpens quomodo ingrediatur, 237.
Sertorius belli civilis incentor, 343.
Sertorius cum Pompeio digladiatur, *Ibid.* Hispaniam invadit, 355.
Servius Tullius, 94.
Severus Cæsar Italiæ præficitur, 529. Gesta ejus et obitus, 537.
Sextilia viva defossa, 219.
Sextus Pompeius omnem oram Italiæ vastavit, 433. Occiditur, 436.
Sibyllini libri consuluntur, 198.
Sicilia insula quot habeat promontoria, 33.
Sicilia tyrannorum nutrix, 123.
Siculum bellum, 433.
Sidicini et Campani a Romanis tutantur, 162.
Sidicinum castellum, 260.
Sidon Phœnicis provinciæ urbs deleta, 162.
Signa in cœlo et terra nativitatis Christi, 443.
Signa diversarum urbium dirutarum, 518.
Silaris fluvius, 361.
Sillaces Parthorum præfectus, 413.
Sinope urbs, 565.
Sinuessa oppidum, 95, 306.
Sinuessanus ager, 260
Siphax dux Cathaginiensium capitur, 267.
Sitiphensis Mauritania 31.
Smyrnæi contra Mithridatem, 572.
Socrates veneno interemptus, 157.
Sodoma exusta, 41.
Sontiates populi, 394.
Sophocles tragœdiarum scriptor, 85.
Sothimus rex a Caio Sentio superatus, 340.
Spartacus Thrax, 560.
Spartani destituti ab omnibus tabuerunt, 151.
Spartanorum virtus in hoste oppugnando, 111.
Stasanor Drangas et Argæos sortitur, 202.
Statilius Taurus, 433.
Sthenelus, pulsus a Danao, 59.
Stœchades insulæ, 25.
Stilico comes sub imperatore, Honorio imperabat, 571. Filium Eucherium substituere in imperium nitebatur, 571, 572.
Stiliconis et Rufini molitiones, 567.
Stiliconis interitus, 272.
Stratonice urbs, 509.
Subagræ, alias Subarcæ, populi, 191 quinquaginta.
Subventana, quæ et Tripolitana, provincia, 30.
Suessiones L. millia armatorum adversus Cæsarem educunt, 390.
Suevi populi, 389. A Claud. Druso superati, 446. A Stilicone commoti, 571.
Suevorum quinquaginta quatuor gentes, 23.
Sulcanum oppidum, 275.
Surena Parthorum dux, 413.
Sybyrtio decernuntur Arachosii Gedrosiique, 202.
Sybos Alexander superavit, 189.
Sycambri, 446.
Sylla Eserniam mittitur, 337. Marium fugat, 342. Dictaturam deponit, 352, Periclitanti patriæ succurrit, 346. A senatoribus revocatus, 346.
Syllæ et Marii filii conflictus, 348.
Syllana cædes, 349.
Sylvanum Constantius oppressit, 544.
Syracusana civitas, 33.
Syracusani a Romanis superati, 233, 234.
Syria quas provincias habeat, 14. Ægre a Rom. retenta, 473. A Vologese rege Parthorum vastatur, 492.
Syriacœle a Pompeio petitur, 384.
Syriæ et Phœnices pelago Cypros cingitur, 32.
Syrnium 523.
Syrtes majores, 30.
Syrtes minores, 30.

T

Tagus fluvius, 278.
Tanais amnis, 22, 188.
Tantali regis Phrygii facta turpia, 61.
Taprobane insula, 14.
Tarentini Rom. classem invadunt, 214, Mortuo Pyrrho Romam sollicitan armis, 220.
Tarquinius Priscus, 94.

Tarquinius Superbus, 94.
Tarraco citerioris Hispan. urbs, 446.
Taurominitani, 52.
Tauromínium captum, 307, 434.
Taurus mons, 186, 358.
Taurus Cæsaris præfectus, 435.
Taxiles Seras habuit, 202.
Telchises et Carpathii adversus Phoronæum bella gerunt, 45.
Telesinus, 351.
Templum Tarentini Jovis, 217.
Tencteri populi, 446.
Tenedos insula, 32.
Terentius comicus, 269.
Tereus proprium filium comedit, 60.
Terræmotus in Achaia, 155. In Sicilia, 139. In Syria, 529. Per totum terrarum orbem factus, 518. In Caria et Rhodo, 230. Ingens in Italia, 253. In Bosphoro, 380. Quatuor urb. Asiæ subvertit, 487. Sub Ario Hæretico, 542.
Terræ præruptæ hiatus Romæ, 158.
Terzaga urbs, 280.
Tetricus Aquitaniæ præses, 519.
Teutobodus occisus, 329.
Thalestris sive Minothæa, 182.
Thapsus oppidum, 423.
Theanum flumen, 340.
Thebani Spartanos bello excipiunt, 150. Victoria potiti Spartam contendunt, 152. Cum Epaminonda Lacedæmoniam invadunt, 152.
Thebaste civitas, 565.
Themistocles dux Atheniensium Xerxem vicit, 112, 113.
Themistocles Iones revocat a ferendo auxilio Xerxi, 113.
Themiscyrii campi, 16.
Theodora ducitur a Constantio, 526.
Theodosia urbs, 11.
Theodosius comes pater Theodosii imp. 551.
Theodosius Hispanus imperator, 551, 555. Constantinopolim victor intravit, 556. Arcadium filium adsciscit in regnum, 556. Fide magis quam copiis vicit, 557.
Theodosii felix victoria, 559, 560. Fiducia in Christum, 560. Mors 562.
Theramenes trucidatur, 134.
Thessalonice mater Antipatri, 208.
Thessaliæ major pars assumpta illuvie aquarum, 51.
Thessaliam Philippus invadit, 168.
Tissaphernes præfectus Lydiæ, 129, 147.
Thracia in Propontide, 23.
Thraciæ sacra crudelia, 287.
Thrasybuli adhortatio, 135.
Thrasybulus exsul, 134.
Thule insula, 27.
Thuscorum pugna sub C. Martio, 160.
Thyatira, 372.
Thyestis et Atrei parricidia, 61.
Tiberis inundatio insolita, 244.
Tiberius Cæsar quando imp. adeptus, 459. Gravi molestia reipublicæ præfuit, 459. Sævitia ejus in Christianorum persecutores, 460. Sejanum præfectum interfecit, 461. Filios suos veneno perdidit, 461. Juventutem Judæorum in gravioris cœli provincias relegavit, 463. Ejus interitus, 463.
Tigranes Mithridatis socius, 377.
Tigranocerta urbs, 377.
Tigris flumen, 19.
Tigurinorum cædes, 328.
Tiresus Celticus princeps, 304.
Titus Tatius, 93.
Titus Quintius Prænestinos vincit, 156.
Titus Quintius dictator, 160.
Titus dux Antonii, 436.
Titus eversa Hierusalem Janum claudit, 455. A patre relictus in obsidione Hierosolymorum templum oppugnat, 477. Imp. ab exercitu pronuntiatus templum incendit, 480. Imperii ejus anno nono tres civitates perierunt, 482. Tranquillitas ejus in imperio administrando, 484. Interiit in eadem villa qua pater, 482.
Titus Labienus, 425.
Titurius Sabinus quos vicerit, 394.
Tolenus flumen, 376.
Tolosa urbs Galliæ, 326.
Tomyris regina, 104, 105.
Torquatus (Titus) a Cæsare infestatur, 419. Occiditur, 424.
Trajanus apud Seleuciam exstinctus, 488. Eum in regnum adoptat Nerva, 484. Ejus imperium et res gestæ, 486.
Tralliani populi, 372.
Trasimenus lacus, 255.
Trebia fluvius, 253.
Treboci populi, 389.
Trebonius præfectus exercitus Cæsaris, 416.
Trebonius unus ex interfectoribus Cæsaris, 431.
Trevirorum copiæ a Labieno interficiuntur, 400.
Triballi contra Philippum, 175.
Tributum pretium pacis, 286.
Triginta tres duces Alexandri exstincti, 209.
Triginta equites Roman. proscripti, 431.
Trinobantum civitas, 96.
Tripolitana provincia, 30.
Troglodytæ populi, 30.
Tuba Christianæ militiæ, 574.
Tullius proscribitur ab Antonio, 431.
Tullo Hostilio imperante rara pax Romæ, 247.
Tullus Hostilius, 93.
Tumultus variorum bellorum, 526.
Turbo ventorum magnus Romanis auxiliatur, 560, 561.
Turmodi, 444.
Tyrannidis natura, 577.
Tyrrhenicum mare, 33.
Thyrreni, maris insulæ, 32.
Tyrtæus poeta Atheniensis a Lacedæmoniis bello præficitur, 82.
Tyrus auctor originis Carthaginis, 228. Capta ab Alexandro, 184.

U

Uldin et Sarus Hunnorum et Gothorum duces, 569.
Ulpianus assessor Aurelii Alexan., 508.
Ultio violati nominis Christiani, 516.
Umbri contra Rom. pugnam ineunt, 196, 197.
Unum esse Deum nemo negat, 364.
Unus solusque Deus omnia condidit, 450.
Usipetes populi, 446.
Utica, 351.
Uxama civitas, 357.
Uxellodunum oppidum, 407.
Uxorum Persarum facinus, 77.
Uzaræ montes, 31.

V

Vacandæ populi, 525.
Vaccei populi, 26, 300, 744.
Valentinus hæresiarches, 491.
Valens, frater Valentiniani, particeps regni, 548. Ab Eudoxo hæretico baptizatus, 548. Ejus crudelitas in Christianos, 551. Episcopos cæterosque sanctos ab exsilio revocavit, 551, 552. Ejus obitus, 553. Hæreticus, 554.
Valentiniani constantia in fide, 549.
Valentinianus consensu militum imperator creatus, 548.
Valentinianus junior Augustus Italia expellitur, 556.
Valeriani interitus, 517.
Valerianus in Rhetia Augustus appellatus, 516.
Valerius Antias historiographus, 270, 290.
Valerius Cottam Sardinia expulit, 416.
Vallia rex Gothorum, 585. Pacem cum Honorio pepigit, 585, 586.
Vangiones populi, 389.
Varguntejus legatus, 413.
Varus Tuberonem Africa ejecit, 416.
Varus Quintilius cum suis occisus, 447.
Veientes et Hetrusci Romanorum hostes, 98.
Veiorum obsidio decem annis, 140.
Velabri populi, 28.
Velites milites a volitando dicti, 265.
Velocasses populi, 390.
Venetorum in Roman. conjuratio, 392.
Ventidius Persas et Parthos fugat, 433.
Venuleius triumvir, 351.
Veragri populi, 391.
Vercingetorix dux Gallorum, 401, 403, 404.
Verinianus et Didymus fratres, 576.
Veromandui populi, 390.
Vesores Scythis bellum primus indixit, 63.
Vespasianus in Syria imperium rapuit, 476. A Nerone mittitur contra Judæos, 479. Nerone mortuo imperium adipiscitur, 478. Eo Romam profecto, Titus relinquitur ante Hierosolym. urbem, 479. Et Titus imperatores Urbem ingressi, 480.
Vespasiani interitus, 482.
Vestæ ædes corripitur incendio, 245.
Vestilianus, 496.
Vestini populi, 336.
Vesuvii montis vertex abruptus, 482.
Vetranio imperator, 443.
Victor, filius Maximi, exstinctus cum patre, 558.
Victorinus occisus, 519.
Vienna urbs, 559.
Vindalium oppidum, 318.
Vindelici populi, 447.
Vinnius mons, 445.
Virgilii sententia in primo Æneid., 212.
Virgines Vestales stupratæ, 326.
Virginiæ virgini stuprum inferre conatur Appius Claudius, 121.
Virginius pater Virginiæ pius parricida, 120.
Viriatus Lusitanus, 291. Suorum dolis interfectus, 357.
Viridomari interitus, 251.
Vitellius in Germania imperium arripuit, 473.
Vitellii grave supplicium, 476.
Vologesus rex Parthorum, 492.
Volsci contra Romanos, 120, 156.
Volsciniensium libertini conspirant adversus dominos, 222, 223.
Volusenus tribunus, 392
Volusianus Galli Hostiliani filius, 516.
Vulcani insula, 274.

X

Xanthippus Lacedæmon. rex, 258.
Xerxes Dario succedit, 109. Fuga ejus, et adversa fortuna, 113, 114. Eum Artabanus occidit, 117.

Z

Zenobia Odenati uxor, 522.
Zeugis civitas, 30.
Zopyrion præfectus Ponti, 187.
Zoroastres, Bactrianorum rex, magicæ artis repertor, 38.

INDEX RERUM ET LOCUTIONUM QUARUMDAM QUÆ IN NOTIS CONTINENTUR.

Abscisus et *Abscissus*, 139.
Achillis et Penthesileæ pugna in Nummo Contorniato, 67.
Actores scriptoresque rerum, 7.
Accumulare vitam dedecore, 127.
Adminius vel Arminius Britanni regis filius, 464.
Adversis diis, 225.
Æthici Cosmographia Orosii Historiis posterior, 12.
Agere de gerentibus res, *scribere* de Historicis, 385.
Agrippinæ, Neronis matris, nummus, 472.
Alamanni, 518.
Albini numisma, 502.
Alexander Magnus an venenum biberit, 193. An legati Romanorum Babylonem ad eum missi fuerint, 192, 193. Morini et Hispani legati ad eumdem miserunt, 194.
Alexandri Severi et Juliæ Mammææ Numisma, 508.
Allecti nummus, 527.
Amazonis et Herculis pugna in Nummis, 66.
Amnestia a Thrasybulo introducta, 136.
Antalcidæ pax, 152.
Antonii et Cleopatræ atque Octaviæ nummi, 438.
Antonini Pii numisma, 490.
Angi et *agi* quomodo differant, 266.
Appendere magnitudinem laudis ex magnitudine sceleris, 344.
Aquilæ raptæ locus apud Suetonium a Wormio explicatus, 478, 479.
Arcadii et Honorii nummus, 563.
Aretæ, Arabum regis, nummi, 384.
Ariarathis, Cappadociæ regis, nummus, 309.
Ariovisti, Gallici regis, forte nummus, 337.
Arubas, qui et Arybbas et Arymbas, et frater patruelis et patruus Olympiadis dicitur, 168, 169.
Aster Olynthius, sagittæ ictu Philippum oculo privavit, 169.
Aureliani numisma, in quo cum uxore cernitur, 521, 522.
Augustini suasu hæc scripsit Orosius, 3.
Auxiliatarum et Cassandri historia, 206.
Balbini et Pupieni numisma, 509, 510.
Bibliotheca Alexandrina et Pergamena 422.
Bituiti, Arvernorum regis, nummi, 319.
Britannici nummulus, 472.
Bura et helice aquis absorptæ, 156.
Cæsaris Octaviani nummuli cum victoriæ signis, 430.
Caletes in Gallia, et eorum nummuli, 405.
Caligulæ nummus, 465.
Canes secum deducebant Galli, sive Celtæ, in prælia, 319.
Cappadociam falso Justinus et Orosius scribunt a Philippo Macedone subactam fuisse, 171.
Caracallæ et Getæ numisma, 503.
Carausii nummismata, 526, 527.
Carnasium, et Carnasium nemus, Messeniæ pars, OEchalia quoque dicta, 45.
Carnuntum, 494.
Carpasia, Cypri urbs, ejusque nummi, 43, 46.
Carræ, urbisque ejus nummi, 19, 20.
Cassius Parmensis, ultima violati Cæsaris victima, 440.
Celiæ seu Cerevisiæ coctio apud Numantinos, 308.
Celtæ olim inter legatos ad Alexandrum Magnum, 194.
Cerises, quales, 471.
Circensium Ludorum temporibus Orosii insania, 44.
Claudii et Neronis nummi, 470.
Claudii Gothici numisma, 521.
Cleopatræ caput in Juliæ Domnæ numismate, 504, 505.
Collata rostris capita proscriptorum, 345.
Comii Atrebatis nummulus, 403.
Commodi numisma, 496
Concedere ad aliquem, 132.
Concertationes insanæ, 169.
Concordia invicta, discordia Numantiuis exitio fuit, 304.
Confusio crudelis incepti, 343.
Congregasset, pro *congregaverit*, 64.
Connivere et *cohibere* confusa in mss., 284.
Constantini Magni numisma magnificentissimum, 536.
Constantis insigne numisma, 542.
Consulare imperium Romæ ad decemviros translatum, 121.
Defecta et exsanguis Gallia, 409.
Dercyllidas, Lacedæmoniorum dux, 147.
Devertere et *divertere*, 412.
Diadumeni numisma, 506.
Disciplinatus timor, 2.
Dimissi alrinsecus montes, 41.
Diocletiani et Maximiani nummi, 528, 529.
Docii (Q.) nummulus, 388.
Domitiani et Titi nummus, 480, 481.
Dotatæ cruore parentum et maritorum nuptiæ, 96.
Draptes, dux Gallicus, et ejus fortuna, 407.
Duxerunt i. e. existimarunt, se evasisse, 309.
Eburonum, in Gallia, nummuli, 397.
Epidaurius coluber et lapis Romam devectus, ejusque rei in nummo antiquo memoria, 198.
Escendere murum primus, 191.
Everrere universam familiam, 467.
Eurydice, Philippi Macedonis mater, injuste apud Justinum infamatur, 168.
Exhalata est, pro efferbuit, 534.
Fabii Adriani notitia et nummus, 346, 347.
Fletus pro *defletus*, 166.
Fuvere viri invicti, Ennianum, 217.
Galbæ nummus, 473.
Gallieni numisma, 520.
Getæ et Caracallæ numisma, 503.
Getæ et Gothi dicti, 68.
Gordiani Pii numisma, 510, 511.
Gothi etiam Getæ dicti, 68.
Hadriani et Sabinæ numisma, 489.
Helena Adiabenorum regina, Judaicos ritus, non Christianos amplexa fuit, 469.
Helice et Bura aquis haustæ, 156.
Helinandi, Medii Ævi scriptoris, ætas, 233.
Herculis et Amazonis pugna in nummis, 66.
Herodes ab Antonio Judæorum rex constitutus, 434.
Hispani legatos Babylonem ad Alexandrum Magnum miserunt, 194.
Honorii et Arcadii nummus, 563.
Hyacinthina, festum apud Lacedæmonios, 81.
Inarimi campi, 374.
Incentores civilis belli Sertorius et Marius, 347.
Infletus pro *indefletus*, 165.
Inhumatæ strages, 240.
Inoffensæ pelagi viæ, 56.
Insaturabilis sanguinis humani, 188.
Inscendere Capitolium, 191.
Intendere virtutem socordiam, etc., 282.
Intensio rebellis, 285.
Inviolatum cunctis antea nomen Augusti, 441.
Jactus sagittarum, 65.
Jactus (ultra) humani mensuram, 63.
Juliæ Domnæ numisma insigne, 505.
Juliæ Mæsæ insignis nummus, in quo μήτηρ στρατιᾶς appellatur, 507.
Juliani et Scantillæ numismata, 497.
Juliani Apostatæ nummus, 545.
Julii Cæsaris nummus Corinthi cusus, 425.
Lacedæmonia, 153.
Lituiti, ducis Gallici, memoria in nummis antiquis, 401, 402.
Lugubribus indui, 125.
Lunus deus singulari cultu in nummo Severi, 498.
Macrini numisma, 505.
Marathoniorum nummus, 108.
Marci Aurelii et Lucii Veri numismata, 491, 459.
Maximiani et Diocletiani nummi, 528, 495.
Maximini numisma, in quo Herculi comparatur, 508, 509.
Meliora vel *molliora vitalium*, 410.
Metator imperii Cæsar Julius potius quam imperator, 455.
Mithridatis Evergetæ, Ponlici an Bosporani regis, nummus, 309.
Mithridatis Eupatoris numisma aureum, 382.
Modius (Franciscus) a Curtii editione laudatus, 226.
Momen et *momentum*, 93.
Morini legatos ad Alexandrum Magnum miserunt, 194.
Moritur provisio et *oritur contentio* opponuntur, 304.
Neronis et Claudii nummi, 470.
Neronis, Agrippinæ, Octaviæ et Poppææ nummi, 472.
Nervæ nummus, 485.
Nicomedis, Bithyniæ regis, nummus, 309.
Nili fontes incogniti olim et varie quæsiti, 16.
Ninnorum in Gallia, nummus, 388.
Nomen Sejani in nummis Bilbilitanis erasum, 460, 461.
Numeriani præclarum numisma maximi moduli, 524.
Obducere extrinsecus vallum, 398.
Obsidius, vel L. Obidius, 340.
Octaviæ, et Antonii conjugis nummus, 438.
Octaviæ, Neronis conjugis, nummus, 472.
OEchalia vel Carnasium, 45.
Olenus in Achaia aquarum eluvie periit, 156.
Olynthiorum numismata, 115.
Olynthus, a Philippo Macedone deleta, restituta postea, 115.
Omnimodis et *omnimode*, 197.
Orgetorigis, principis Galliæ, nummus, 386.
Ornari de aquilis legionariis, 468.
Orosius presbyter Hispanus, 1. Scripsit, jussu Augustini, 3. Quo tempore scripserit, 4. Cosmographia Æthici prior, 13. Ejus credulitas in fabula de vestigiis curruum in littore Rubri maris, 56, 57. Ejus error in lectione Justini, 184, 185. Erroris alterius absolvitur, 265. Videtur errasse in Q. Terentio Culleone cum Terentio poeta comico confundendo, 269. Error ejus de Helena, Adiabenorum regina, 469. Eutropium

citat, 511. Palæphatum citat, 63.
Othonis nummi, 475, 476.
Papii (Andrææ) laus, 114.
Parrhasii in Arcadia, 46.
Parricidio pœna cur a Salone non constituta, 331.
Pecua et *pecora*, 173.
Penthesileæ et Achillis pugna in nummo Contorniato, 67.
Pertinacis nummus singularis, 497.
Pescennii Nigri numisma singulare, 500, 501.
Philippi, patris et filii, et Otaciliæ Severæ numismata, 512, 514.
Philippus Macedo an bis obses Thebis fuerit, 167, 168.
Pluvia divina tutela de cœlo Romanis contra Annibalem missa, 261.
Pomesia dicta quæ et Pometia, 95.
Pompeii Magni et Pompeiopoleos nummi, 378.
Poppææ Sabinæ nummus, 472.
Potiri Africæ et *Europæ*, 366.
Potiti Atheniensium Lacedæmoni, 147.
Præruptus, κρημνώδης, 158.
Præsentes miseriæ, 54.
Publicius clivus unde dictus, 316.
Pugnare adv. Gothos missus, 257.
Pupieni et Balbini numisma, 509, 510.
Pylemenis, Paphlagoniæ regis, nummus singularis, 309.
Quassa vel *quassata navi mergi*, 375.
Quotquot annis et *quotquot kalendis*, pro quotannis et quot calendis, 124.
Rauracorum in Gallia nummus, 387.
Referri in sepulcra majorum, 186.
Regio cineris, 42.
Rigere et *obrigere morte miserabili*, inter frigora scilicet et nives, 338.
Romani an legatos Babylonem ad Alexandrum M. miserint, 192, 193.
Romania, 194, 585.
Sabinæ et Hadriani numis., 489.
Santonum in Gallia nummus, 387, 388.
Sardanapali monumentum ad Anchiali mœnia, et in Tarsensium nummis, 47, 75.
Sejani et Tiberii nummi singulares, 460, 461.
Sequanorum, in Gallia, nummus, 388.
Serapeum Alexandriæ et bibliotheca ibidem, 422.
Scævus aliquis, 231.
Severi numismata, 498, 499.
Sinope Amazon, 65, 66.
Speculari absentiam alicujus, 153.
Struere bellum, 271. Viam mortibus, 293.
Subscævum i. e. subinfelix, 231.
Subsisirum, πάρεργον, 231.
Subveniret, pro *subvenerit*, 64.
Suessiones et Suessones, 390.
Suffragia pro auxiliis, ope, etc., 125, 129, 324.
Sullæ dictatoris nummus, 347.
Supplicta, ἱκεσίαι, pro supplicationibus, 265.
Suspensus meditata proditione, 94.
Terentius Culleo, non comicus, triumphalem Scipionis currum secutus est, 269.
Tinnulus muscularum parvissimarum volatus, 533.
Theodosii nummus, 562.
Tiberii et Sejani numni notabiles, 460, 461.
Titi et Vespasiani nummus, 480, 481.
Titi et Domitiani nummus, 480, 481.
Trajani nummi, 485, 486, 487.
Vacare in quantum sufficere, 9.
Vercingetorigis nummulus, 403.
Vergasillauni Arverni, ducis Gallici, nummulus, 403.
Veri et Aurelii numismata, 491, 493.
Vespasiani et Titi nummus, 480, 481.
Viridomari nummulus, 403.
Vitellii nummi Græci valde rari, 477.
Vovit civilibus bellis indolem suam Augustus, 429.

INDEX AUCTORUM VETERUM QUI IN NOTIS CITANTUR, ILLUSTRANTUR ET EMENDANTUR.

Ælianus, 114.
Æthicus, 11, 12, 14, 17, 20 *et seqq.*
Ammianus Marcellinus, 18, 27.
Arnobius, 231.
Antonini Itinerarium, 15.
Apollodorus, 59.
Apollonius Rhodius, 66.
Appianus, 160, 224, 225, 241, 266, 272, 281, 282, 292, 295, 311, 317, 338, 339, 347, 351, 352, 358, 360, 371, 419, 431. Ejus error, 273. Error interpretis, 280. Emend., 373, 380.
Aristophanes, 134.
Augustinus, 47, 50, 51, 59, 223, 277, 349, 367.
Ausonius, 49.
Cæsar, 404, 407, 417, 419.
Callimachus, 418.
Capitolinus, 492, 506.
Cicero, 78, 103, 106, 110, 111, 121, 156, 157, 154, 188, 215, 262, 290, 294, 305, 307, 310, 326, 333, 337, 347, 359, 370, 530.
Claudianus, 561, 562.
Columella, 294
Curtius, 102, 185. Emend., 189, 190, 191.
Demosthenes emend., 169, 180.
Dio Cassius, 26, 64, 347, 379, 380, 434. Emend., 415.
Diodorus Siculus, 23, 26, 37, 45, 65, 66, 76, 80, 105, 109, 110, 111, 132, 154, 139, 154, 156, 183, 185, 191, 202, 204, 205, 226, 229, 237, 192, 306. Suppletus, 135. Emend., 149, 153, 190, 191, 292.
Dionysius Afer, 47, 290, 359, 418.
Dionys. Halicarnass., 46, 95, 97, 185.
Ennius, 62, 215, 217, 255.
Euripides 62, 70.
Eusebius, 162.
Eustathius, Homeri interpres, 374.
Eutropius, 159, 178, 179, 216, 217, 238, 241, 249, 251, 253, 260, 355, 386, 511. Ejus error, 308. Emend., 92, 324, 355, 371, 385, 522.
Ex hoc Eutropio multa, atque e Justino itidem Orosius sumpsit: et ex Orosio multa adsuit Eutropio Paulus Diaconus. Eutropii nomine Epitomen belli Gallici edidit Robertus Stephanus, quod tamen est Pauli Orosii fragmentum, 390, 391.
Florus, 95, 221, 301, 329, 355, 371, 441. Emend., 164, 305, 349.
Frontinus, 219, 253, 457, 398.
Gellius, 213.
Hegesippus, 41.
Herodotus, 100, 101, 102, 108, 112, 116, 117.
Herodianus, 523.
Hieronymus, 234.
Hirtius, 405, 457.
Homerus, 374.
Horatius, 303, 325.
Hyginus, 47.
Inscriptio antiqua, 122.
Isocrates, 109, 110, 134.
Justinus, 37, 38, 48, 79, 92, 103, 106, 107, 114, 124, 128, 133, 136, 149, 152, 168, 175, 183, 206, 207, 224, 229, 305. Emend., 51, 77, 184, 185, 191.
Juvenalis, 110, 139, 209, 427.
Lampridius, 496.
Livius, 24, 149, 165, 215, 246, 252, 254, 260, 265, 267, 292, 298. 311, 349.
Liviana Epitome emend., 220, 325, 327.
Lucanus, 4, 69, 110, 114, 135, 138, 158, 163, 322, 343, 369, 378, 381, 416, 417, 426, 429, 431, 455.
Lucianus, 108, 256.
Lucretius, 93.
Lycophron, 67.
Manilius, 160.
Martialis, 139, 435.
Mela, 11, 31.
Messalla emend., 95.
Nummi antiqui urbis quæ Carræ dicebatur, 29, 30. Qui ad Ludos Circenses spectant, 44. Qui Herculis cum Amazone pugnam depingunt, 66. Qui Achillis cum Penthesilea pugnam exprimunt, 67. Tarsensium cum Sardanapali monumento, 74, 75. Urbis Pometiæ vel Pomesiæ, 95. Marathonis, 108. Olynthiorum, 115. Memoriam Epidaurii colubri et lapidis Romam advecti, renovantes in Appiæ familiæ nummo, 198. Pylæmenis, Ariarathis, Nicomedis, et Mithridatis Evergetæ, 309. Bituiti, Arvernorum regis, nisi potius ad Thraciæ quemdam regem, de quo in fine tomi II Hist. Univ. egimus, pertinet, 319 Fabii Adriani, Pompeii Rufi et Sullæ dictatoris, 347. Pompeii Magni et urbis Pompeiopolis, 378. Mithridatis Eupatoris, regis Ponti, 382. Aretæ Arabum regis, 384. Orgetorigis Galli, 386. Rauracorum et Santonum in Gallia, atque Ariovisti, 387, 388. Q. Docii, Ninnorum et Sequanorum, 388. Ambiorigis et Eburonum, 397. Litavici, ducis Gallici, 402. Vergasillauni, Viridomari, Vercingetorigis et Conii Atrebatis, ducum Gallicorum, 403. Caletum in Gallia, 405. Julii Cæsaris, 426 Cæsaris Octaviani, postea Augusti, 430, 441. Antonii et Cleopatræ, ejusdem et Octaviæ, 438, 441. Tiberii et Sejani. In altero horum, Sejani nomen olim scalpro erasum fuit, 460, 461. Caii Caligulæ, 465. Claudii, Agrippinæ, Britannici, et Neronis, 470, 471. Octaviæ et Poppææ Sabinæ, 471. Galbæ, 473. Othonis, 476. Vitellii, Græci et valde rari, ut et Latini, 477 Vespasiani et Titi, 481. Nervæ et Trajani, 485, 486, 487. Hadriani et Sabinæ, 489. Antonini Pii, 490. Marci Aurelii et Lucii Veri, 491, 493, 495. Commodi, 496. Pertinacis, Didii Juliani, et Manliæ Scantillæ, 497. Septimii Severi, 498, 499. Pescennii Nigri, 500, 501. Clodii Albini, 502. Caracallæ et Getæ, 505. Juliæ Domnæ, 505. Macrini et Diadumeniani, 505, 506. Juliæ Mæsæ, 507. Alexandri Severi et Mammææ, 508. Maximini, 508. Balbini et Pupieni, 510. Gordiani Pii, 513. Maximi, 515. Philippi patris, filii et Otaciliæ Severæ, 512, 514, 515. Gallieni, 520. Claudii Gothici, 521. Aureliani, 522. Numeriani, 524. Diocletiani et Maximiani, 529. Constantini Magni, 536. Constantis, 543. Juliani Apostatæ, 545. Theodosii, 562. Arcadii et Honorii, 565.
Obsequens emend., 325

Ovidius 22, 72, 73, 121, 125, 139, 158, 166, 179, 316, 534.
Pausanias, 45, 46, 47, 51, 58, 59, 79, 80, 82, 127, 908.
Plato, 107. 108.
Plautus, 72, 101.
Plinius, 15, 17, 18, 31, 102, 106, 158, 192, 235, 260, 303, 339, 372, 375.
Plutarchus, 66, 107, 112, 116, 127, 129, 136, 142, 185, 204, 215, 219, 246, 248, 250, 272, 275, 276, 306, 307, 311, 317, 328, 329, 347, 349, 350, 372, 374, 388, 419, 424. Emend. 151, 255, 316, 332, 440, 355.
Polybius. 146, 200, 220, 235, 238. 239, 242, 248, 249, 260, 263, 270.
Pomponius, 359.
Procopius, 21.
Propertius, 251.
Quintilianus, 226, 248.
Sallustius, 7, 265, 303, 322, 354, 355, 357, 359, 366.
Seneca Philosophus, 356.
Seneca Tragicus, 125. 379.
Silius Italicus, 239, 242, 260.
Spartianus, 489, 494, 503, 504.
Stephanus Byzantinus, 21, 47, 95, 115.
Strabo, 45, 47, 79, 80, 81, 82, 95, 207, 208, 281, 322, 388.
Suetonius, 37, 42. Explicatus, 478, 479.
Tacitus, 40, 282, 463.
Tatianus, 47.
Tertullianus, 5, 40, 41, 59, 71, 260, 277, 364.
Tibullus, 100.
Thucydides, 126, 127, 128, 129.
Trebellius Pollio, 521.
Valerius Maximus, 136, 154, 166, 213, 277, 329, 350.
Varro, 311.
Velleius Paterculus, 306, 307, 311.
Victor, 317.
Vincentius Bellovacensis, 12, 13, 39, 101, 103, 104, 110, 121, 140, 161, 199, 233, 244, 254, 255, 257, 267, 273.
Vopiscus, 136, 524.
Virgilius. 58, 59, 73, 92, 94, 96, 104, 105, 138, 141, 144, 150, 166, 211, 212, 228, 247, 249, 292, 297, 322, 361, 365 367, 375, 379, 404, 410, 434, 442, 462, 522, 535.
Xenophon, 101, 132, 133, 134, 153.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FLAVIUS LUCIUS DEXTER.

Epistola dedicatoria Bivarii editoris. 9
Epistola Cardinalis de Treio ad Bivarium. 11
Epistola altera ad Bivarium. 13
Auctoris vita ex suis et aliorum scriptis collecta. *Ibid.*
Vetérum testimonia de Dextro. 19
Chronici Dextri Apologia, ad lectorem, qua ipso in limine admonitus inoffenso cuncta postmodum percurrat pede. 25 — § I. Quæ et quanta omnimodam hanc historiam germanum Dextri fetum esse convincant? *Ibid.* — § II. Nihil esse quod hujus Chronici auctoritatem enervare queat. 34.
Epistola Dextri ad Orosium, presb. Tarracon. 49
CHRONICON. 55
Appendix. — *In prophetiam Danielis de quatuor animalibus.* 573.—§ I. Exordium. *Ibid.* — § II. Danielis prophetiæ cap. VII. 575. — § III. Quæ in vulgata et communi expositione hujus prophetiæ verbis ipsius repugnare videantur. 576.— § IV. Nova et exacta ejusdem prophetiæ expositio de Alanis, Vandalis, Suevis et Gothis in Hispanias irruentibus deque catholica monarchia proponitur. 580
Apologeticus pro Lucio Dextro, contra recentem impugnatorem. 591. — *Epistola dedicatoria. Ibid.* — Incipit liber Apologeticus. *Ibid.* — § I. Apologiæ causa aperitur. *Ibid.*— § II. Quot et quanta ad retundendam Chronici hujus auctoritatem Pennottus meditatus fuerit. 595 — § III. Tripartitam Pennotti eisdem irretiri nodis, quibus omnimodam Dextri Historiam vincire conatur. 600. —§ IV. Nonnullæ Pennotti inconsequentiæ. 604. — § V. Jura Cisterciensis ordinis a Pennotto læsa defenduntur. 609. — § VI. Defenditur B. abbas Joachimus a calumniis Pennotti et aliorum. 614. — § VII. Objectis a Pennotto contra Dextri et Maximi Chronica fit satis. 627

PAULUS OROSIUS.

Epistola dedicatoria Sig. Havercampi. 635
Præfatio Sig. Havercampi. 637
Variæ dedicationes et præfationes. 643
Notitia Gallandi in Paulum Orosium. 653
Ratio orthographiæ in Orosii codice Longobardico. 661
HISTORIARUM LIBRI SEPTEM. 663
Præfatio ad Aurelium Augustinum. *Ibid.*
LIBER PRIMUS. 669
Caput primum. — Unde cæteri historias exorsi sint, et unde ipse eam exordiri quatenusque persequi velit. *Ibid.*
Cap. II.— Majores mundum in tres partes divisisse. 672
Cap. III. — De diluvio sub Noe. 697
Cap. IV. — De Nino et Semiramide. 699
Cap. V. — Pentapolim regionem ob nefanda libidinis scelera cœlo tactam et exustam fuisse. 702
Cap. VI. — Comparatio cladis Sodom. et Rom. 704
Cap. VII. — De prælio inter Telchines et Carpathios et Phoroneum regem. Item de diluvio Achaiæ. 706
Cap. VIII. — De sterilitate et fame Ægypti, cui Joseph consuluit, et de vanitate Ægyptiorum sacerdotum. 709
Cap. IX. — De inundatione sub Amphictyone et Deucalione regibus, peste Æthiopica, Libero patre Indiam vastante. 712
Cap. X. — De populo Dei in Ægypto afflicto, decem plagis Ægyptiorum et transitu sinus Arabici, ac reliquiis ejusdem; de solis ardore quodam infesto. 713
Cap. XI. — De Parricidio Danaidum, de Busiridis crudelitate, de Tereo, Progne et Philomela, et Perseo Asiam populante. 718
Cap. XII. — Congeries multorum facinorum per prætéritionem. 721
Cap. XIII. — Certamen inter Cretenses et Athenienses, Lapithos et Thessalos. 722
Cap. XIV. — Vesores, rex Ægypti, Scythas bello infestans, vincitur. Scythæ Asiam sibi subjiciunt. 723
Cap. XV. — Amazonum origo, mores et facinora. 724
Cap. XVI. — Epilogus historiæ Amazonum, in quo præsentem Romanorum cæcitatem insectatur. 728
Cap. XVII. — De raptu Helenæ et Trojæ excidio, cum admonitione ad lectorem. 730
Cap. XVIII. — Æneæ in Italiam adventus, et variæ clades ejusdem temporis. 731
Cap. XIX. — De Sardanapalo rege Assyriorum; de Phraorte, Diocle et Astyage regibus Medorum; de Cyro rege Persarum. 733
Cap. XX. — De Phalaridis tyrannide et Aremuli Latinorum regis flagitiis. 736
Cap. XXI. — Bellum inter Peloponnenses et Athenienses, de Amazonum et Cimmeriorum in Asiam incursu; de diutina obsidione, et expugnatione Messenæ. Bellum Athenensium contra Lacedæmonios; Peloponnensium et Bœotiorum contra Athenienses. 738
LIBER SECUNDUS. 743
Caput primum.—De regnorum mutatione Dei providentia facta. *Ibid.*
Cap. II.—Supradictorum quasi epilogus, diversorumque regnorum ac temporum collatio, deque vicissitudine regnorum. 745
Cap III.—Simile pene initium, conditio et status regni Babylonii et Romani, sed exitus diversus. 747
Cap. IV.—De Roma condita, et tempore quo regum imperio paruit. 749
Cap. V.—Bruti, primi consulis, facinora. Tarquiniensium et Sabinorum bellum. Discessio plebis. Fames et pestilentia Romæ. Veientum et Etruscorum bellum, quo familia illa Fabiorum interiit. 753
Cap. VI.—Cyrus Orientem populatur, Babylonem capit, Crœsum vincit. 757
Cap. VII.—Cyrus Scythis bellum intulit, et a Tomyri victus et occisus est. 761
Cap. VIII.—Darius a Scythis fugatur; Asiam, Macedoniam et Ionas vincit. Athenienses cum vitæ suæ multorumque discrimine aggreditur. 762
Cap. IX.—Xerces a Spartanis, duce Leonida, vincitur. 765
Cap. X.—Xercem Themistocles, Ionibus ab eo alienatis, fugat. 768
Cap. XI.—Mardonius, dum reliqua belli assequitur, copiis amissis, aufugit. Xerces occiditur. 770
Cap. XII.—Roma gravi pestilentia, bellis intermissis, divexata. De bello exulum et fugitivorum, item Æquorum et Volscorum. 774
Cap. XIII.—Fames et pestilentia Romæ. Potestas consulum in decemviros translata, perniciosa reipublicæ. Crebri in Italia terræmotus. Fidenatium bellum. 775
Cap. XIV.—De Siciliæ imperio rebusque in ea gestis. 777
Cap. XV.—Athenienses bello Lacedæmoniorum, adhortante Alcibiade, excipiuntur. 781
Cap. XVI.—Atheniensium adversus Lacedæmonios prælia gravia horrendæque calamitates, et strages utrinque acceptæ. 783
Cap. XVII.—Atheniensibus certis legibus ac conditionibus pax datur, triginta que rectores constituuntur, qui Trasybuli industria ejecti sunt. 786
Cap. XVIII.—De bello civili inter Artaxercem et Cyrum

filios Darii, quod parricidio finitum fuit. De terræmotu Siciliæ et Atalante insula facta. 790
Cap. XIX.—Romanorum parum honesta ad Veios obsidia. Urbs a Gallis capta et vastata. Collatio istius excidii cum præsenti Gothorum invasione. 792
LIBER TERTIUS. 795
Præfatio. *Ibid.*
Caput primum.—De pace jussu Artaxercis regis per Græciam facta, deque variis bellis ante illam pacem a Lacedæmoniis cum rege et Thebanis gestis, ubi de Conone. 797
Cap. II.—De Lacedæmoniorum offensione in Arcadia, victoria Thebanorum, Epaminondæ morte, cum epilogo dictorum 803
Cap. III.—Terræmotus Achaiæ collatus cum Constantinopolitano. Romani civitates aliquot capiunt. 806
Cap. IV.—De pestilentia gravissima, ejusque expiatione. 807
Cap. V.—Ingens terræ hiatus medio Romæ apparuit. 808
Cap. VI.—Gallorum ingentem multitudinem Romani sternunt ac fugant, Tusci superantur, Galli tertio irruentes trucidantur. *Ibid.*
Cap. VII.—Fœdus Romanorum cum Carthaginiensibus complurium malorum causa. Veris lapidibus pluit. Alexander M. nascitur. Rex Persar. captivos Judæos abducit. 810
Cap. VIII.—Breviter comprehendit sequentium bellorum a Romanis gestorum clades. De Jani portis clausis. 811
Cap. IX.—Romani Latinis bellum inferunt. Manlius Torquatus filium occidit. Minucia, Vestalis virgo, incesti damnata. 813
Cap. X.—Permultæ matronæ Romanæ veneficii accusatæ et damnatæ sunt. 814
Cap. XI.—Alexander, rex Epirotarum, a Samnitibus victus et occisus est. 815
Cap. XII.—Philippi, regis Macedoniæ, res gestæ, et quas gentes seu urbes subegerit. *Ibid.*
Cap. XIII.—Byzantium Philippus frustra obsidet. Scythiam bello aggreditur et vincit. Triballi prædam ei eripiunt. 822
Cap. XIV.—Philippi crudelitas in Thebanos, et interitus. 823
Cap. XV.—Samnites Romanorum copias capiunt. Romani ictum fœdus rumpunt, Satricum expugnant. 825
Cap. XVI.—Alexander Philippo succedens Thebanos, Illyrios, Thracas, urbesque alias perdomuit, Darium vincit. 827
Cap. XVII.—Darii ultimum cum Alexandro prælium, ejusque interitus. 830
Cap. XVIII. — De bellis Agidis regis Spartanorum, Alexandri Epiri, Zopyrionis præfecti; de populis post Darii mortem ab Alexandro subactis, ejusque in suos crudelitate. 832
Cap. XIX. — Alexander Indiam domat; Porum regem superat, urbes gentesque subigit. 835
Cap. XX. — Omnes provinciæ ad Alexandrum legatos mittunt, pacem petentes. Alexander veneno necatur. Apostrophe ad lectores. 838
Cap. XXI. — Etruscorum, Umbrorum, Samnitium et Gallorum contra Romanos conjuratio et clades. 841
Cap. XXII. — Romani a Samnitibus victi eosdem vincunt; intolerabilis Romanos pestilentia affligit. Rursum Samnites superant, et cadunt Bellum in Sabinos. Romani a Gallis victi. 842
Cap. XXIII.—Alexandro mortuo duces ejus orbem inter se diviserunt, seseque mutuis bellis consumpserunt. 845
LIBER QUARTUS. 853
Præfatio. *Ibid.*
Cap. primum. — De bello Tarentinorum, quibus Pyrrhus auxilio fuit adversus Romanos. 857
Cap. II. — Romani horrenda peste corripiuntur. Cum Pyrrho tertium bellum geritur: fugatur et interit. 861
Cap. III. — Romani Tarentinos cum auxiliis Carthaginiensium vincunt, et in octavam legionem animadvertunt. 862
Cap. IV. — De horrendis quibusdam prodigiis, et de bello Picenti. 863
Cap. V.— Rursum prodigia visa. Vulsiniensium libertini conspirant adversus dominos, quibus Romani subvenerunt. Roma iterum peste corripitur. 864
Cap. VI. — De Carthaginiensium origine variaque fortuna qua ante bellum Punicum primum sunt usi. 866
Cap. VII. — Romanorum adversus Syracusanos et Pœnos res gestæ, bellorumque variorum successus. Servorum sociorumque conjuratio. 873
Cap. VIII. — Romani, Camerinam urbem petentes, in insidias incurrunt. Annibal senior a suis lapidatur. Regulus Liparum Melitamque vastat. Clypea se Romanis dedit. Regulus, ingentis magnitudinis serpente confecto, de Carthaginiensibus victoriam refert. 875
Cap. IX. — Carthaginienses, negata sibi pace, auxilia undique contraxisse, ac Xanthippo duce Romanos stravisse, Regulum cepisse, eamque injuriam Æmilium et Fulvium ultos fuisse. 878
Cap. X. — Quod Pœni, pace sibi negata, Regulum crudeliter interemerint. Romanos parum feliciter in Siciliam semel atque iterum pugnantes, tandem vicisse. 881
Cap. XI. — Carthaginienses conditionibus pretioque pacem impetrasse: calamitosam Tiberis inundationem, ignisque cujusdam vastationem Romæ fuisse. De bello in Faliscos. 883
Cap. XII. — Gallos Cisalpinos, Romanis novos infestosque hostes, cæsos: Sardiniam rebellantem subactam; Pœnos ægre pacem impetrasse; Jani portas uno anno fuisse clausas. 885
Cap. XIII. — De interitu Amilcaris, et bello Romanorum in Illyrios ejusque causa. De bello in Gallos Cisalpinos: item in Insubres Gallos. De prodigiis variis. De nova Gallorum clade, belloque in Istros. 887
Cap. XIV. — De bello Punico secundo. Annibal ingentes strages in Romanos edidit, per Gallos viam aperiens. 890
Cap. XV. — Multa miraque tum prodigia passim apparuisse, et quod Annibal astu ad internecionem pene Flaminii consulis exercitum ceciderit. 892
Cap. XVI. — De miseranda Romanorum clade ad Cannas. De consilio relinquendi Italiam; quomodo Romani respirarint exercitumque reparaverint. Item de variis prœliis. 893
Cap. XVII. — Claudius Marcellus Syracusas capit. Annibal ad Anienem Romanos terret, nec obruendi copia datur. 896
Cap. XVIII. — De variis cladibus inter Romanos et Pœnos utrinque acceptis. 899
Cap. XIX. — Annibalem in Africam revocatum, a Scipione superatum fugatumque fuisse; et Carthaginiensibus pacem concessisse Romanos. 903
Cap. XX. — De bello Macedonico, in quo cum variis ac diversis Romani, præcipue adversus Macedones et Antiochum Syriæ regem varie pugnaverunt. 905
Cap. XXI. — Scipionem Africanum Hispaniam vastasse; Scipionem Nasicam theatri ædificationem dissuasisse; Galbam parum honeste Lusitanis imposuisse. 911
Cap. XXII. — De tertio bello Punico. Consules ad delendam Carthaginem profectos, fugatos fuisse. Interim de situ ejusdem. 914
Cap. XXIII. — De Carthaginis miseranda dejectione ac deletione. 915
LIBER QUINTUS. 917
Cap. primum. — Romanorum per aliorum clades felicitatem plus damni quam commodi secum traxisse; item sua tempora prioribus potiora. *Ibid.*
Cap. II. — Orosio, utpote Christiano homini, ubique patria et quovis securus accessus. 921
Cap. III. — De bello Achaico et Corinthi eversione. 922
Cap. IV — De bello in Hispania cum Viriatho, deque Lusitanorum et Salassorum Gallorum cruento conflictu, et ingenti Romæ pestilentia, aliisque bellis Romanorum cum Numantinis, item Mithridatis. 924
Cap. V. — Quam injuste Romani Mancinum Numantinis dediderunt. De Bruti in Gallæcos strage, Lepidi a Vaccæis clade. 928
Cap. VI. — De monstroso puero Romæ nato, de Ætnæ eructatione, et bello servili in Sicilia. 930
Cap. VII. — De Numantia, ejusque per Scipionem Africanum deletione. 932
Cap VIII. — De Gracchorum seditione Attalique regis Pergami hæreditate. 934
Cap. IX. — De interitu Gracchi, et bello servili in Sicilia, apud Athenienses et Delum. 936
Cap. X. — De bello Aristonici. De Ptolemæi regis Alexandrinorum flagitiis, et Antiocho a Phraate icto, deque Ætnæ et Liparæ incendiis. 938
Cap. XI. — De ingenti et perniciosa vi locustarum in Africa, quarum interitu infectioneque horrenda ac inaudita pestis orta. 941
Cap. XII. — De Carthagine restituta. De C. Gracchi seditione et interitu. 942
Cap. XIII. — Baleares insulas a Metello subactas, Allobroges a Domitio victos fuisse, Ætnamque rursus exarsisse. 945
Cap. XIV. — Fabius consul Bituitum, regem Arvernorum, magnis copiis instructum, cum paucis fudit; Q. Marcius alios Gallos fudit. 946
Cap. XV. — De bello Jugurthino. 947
Cap. XVI. — De bello Romanorum adversus Cimbros, Teutones aliasque gentes gesto. 952
Cap. XVII — De ingenti Romæ seditione, auctoribus

L. Appuleio Saturnino, C. Mario, cæterisque orta. 957
Cap. XVIII. — De bello sociali, quo Italici populi a Romanis deficientes rebellarunt. Item de prodigiis variis. 959
Cap XIX. — De bello civili Mariano et Mithridatico, in quo Sulla et Marius maximos tumultus calamitatesque reipublicæ invexerunt. 965.
Cap. XX. — Quomodo Sulla a senatoribus revocatus fuerit ad subveniendum perditæ patriæ, quosque ipse cum suis subegerit. 970
Cap. XXI. — De proscriptione Sullana aliisque crudelibus facinoribus. 972
Cap. XXII. — Dictorum velut epilogum recitat auctor. De novo tumultu per Lepidum excitato. 975
Cap. XXIII.— De quatuor novis bellis a Romanis susceptis, Hispanico, Pamphilico, Macedonico et Dalmatico. 977
Cap. XXIV. — De bello fugitivorum seu gladiatorum, et cladibus ejus. 981
LIBER SEXTUS. 985
Caput primum — Unum Deum, tam Gentilium quam Christianorum judicio. *Ibid.*
Cap. II. — Prosequitur hic bellum Mithridaticum, quod Sulla confecit. 992
Cap. III.—De Catilinæ incestu, et Lucullorum adversus Bessos, Mithridatem, Tigranem, cæterosque bellis. 997
Cap. IV.—De bello Piratico et Cretico, deque re cum Mithridate a Pompeio gesta. 998
Cap. V.—Quod Mithridates filios ac amicos peremerit, ipseque vicissim a filio peremptus sit. 1001
Cap. VI.—De gestis Pompeii in Syria, Phœnice et Judæa, et conjuratione Catilinæ. 1004
Cap. VII.—Cæsar quas provincias sortitus, quomodo Helvetios et Belgas domuerit. 1006
Cap. VIII. — Galbæ expeditio in Veragros et Sedunos. De rebus gestis Cæsaris in conjuratos cum Venetis. 1011
Cap. IX.—Cæsar quomodo Suevos et Britannos subjecerit. 1014
Cap. X.—Cæsarem adversus novam Gallorum conspirationem profectum fuisse eosque denuo subegisse. 1015
Cap. XI.—Cæsar item novam Gallorum in arma adversus sese conspirationem multa clade comprimit. 1019
Cap. XII.—Miseriam et calamitatem Galliæ acceptam a Cæsare subjicit quasi sub oculos. 1026
Cap. XIII.—De Crassi avaritia, rebus contra Parthos gestis et interitu. 1028
Cap. XIV.—De mutabilitate Romani imperii, prædictorum velut epilogus. 1029
Cap. XV.—De bello civili auctoribus Cæsare et Pompeio. 1030
Cap. XVI.—Cæsar Alexandrinis regem reddit, Alexandrinos subigit, civesque multos cædit. 1037
Cap. XVII.—De Cæsaris interitu, et ob eum tumultibus et bellis 1039
Cap. XVIII.—De Cæsare Octaviano Augusto, rebusque per eum gestis. 1042
Cap. XIX.—De rebus ab Antonio gestis, et bello Actiaco. 1048
Cap. XX —De triumpho Cæsaris et nomine Augusti. 1052
Cap. XXI.—Cæsar quomodo Hispanias ingressus Cantabros Asturesque vicerit. Drusus quos in Germania subegerit. De Tiberii, Quintili Vari et Agrippæ gestis. 1055
Cap. XXII.—Octavius Augustus, composita undique pace, Janum ipse tertio clausit et rempublicam composuit, deque censu Cæsaris acto. 1058
LIBER SEPTIMUS. 1059
Caput primum.—Unum solum verumque Deum, mundi omniumque conditorem, atque adeo potentiam suam ac patientiam per unum, hoc est Christum, voluisse hominibus innotescere. 1059
Cap. II.—Babylonem et Romam, regnumque illius et hujus in plerisque omnibus convenire. De quatuor mundi monarchiis, Christi et Abraham sæculis. 1062
Cap. III.—Christus quando ad hominum salutem natus, quomodo statim vexatus, de ingenti Romæ fame et jugi pace. 1064
Cap. IV.—De vita et gestis Tiberii Cæsaris, quomodo Christum amplexus sit, de ejus crudelitate in plurimos. 1066
Cap. V.—C. Caligulæ Cæsaris mores, res gestæ et crudelia facinora. 1069
Cap. VI.—Claudii Tiberii Cæsaris vita et res gestæ, et gravissima sub eo fames Romæ. 1072
Cap. VII.—Neronis Claudii Cæsaris fœdi mores et scelesta facinora. 1076
Cap. VIII.—De Galbæ, Othonis et Vitellii imperio, moribus et facinoribus. 1079
Cap. IX.—Vespasiani Augusti et Titi imperium quomodo rebellantes Judæos compresserit, adhæc urbem Hierosolymam cum templo solo æquaverit. De cæteris eorum gestis. 1083
Cap X.—De Flavii Domitiani Cæsaris imperio et rebus gestis. 1087
Cap. XI. — Coccei Nervæ Cæsaris imperium. 1088
Cap. XII. Trajani imperium et res gestæ. 1089
Cap XIII. — Hadriani imperium. 1092
Cap. XIV. — Antonini Pii imperium. 1094
Cap. XV. — M. Antoninus Verus quid in imperio suo gesserit. 1095
Cap. XVI. — Commodi, Pertinacis et Didii Juliani imperia. 1099
Cap. XVII —De imperio Septimii Severi Pertinacis. 1101
Cap. XVIII. — De Caracallæ, Macrini, Heliogabali et Alexandri Severi imperiis. 1107
Cap. XIX. — De Junii Maximini et Gordiani Junioris imperiis, et Christianorum persecutione. 1111
Cap. XX. — Imperium Julii Philippi cum Filio. 1114
Cap. XXI. — Trajani Decii et Galli Hostiliani cum Volusiano filio imperium. 1116
Cap XXII. — Valerianus et Gallianus quomodo et quamdiu imperaverint; interim de persecut. Ecclesiæ. 1117
Cap XXIII. — Flavius Claudius, Aurelius Quintillus et Valerius Aurelianus imperatores. 1120
Cap. XXIV. — Claudius Tacitus, Annius Florianus, Aurelius Valerius Probus et Aurelius Carus impp. 1122
Cap. XXV. — Diocletianus quomodo imperaverit, et quid sub eo perque eum gestum sit. 1124
Cap. XXVI. — De Constantino Magno. 1128
Cap XXVII. — Collatio populi Israelitici et Christiani, Ægyptiaci item et Romani; quomodo illi pro Deo in afflictionibus, hi a Deo in plagis similia fere passi sunt. 1130
Cap XXVIII. — De Constantini Magni, Maxentii, Licinii et Maximiani imperiis et rebus gestis. De Ario. 1134
Cap. XXIX. — Constantinus, Constantius et Constans imperatores. Interim de Magnentio arripiente imperium, et Decentio. 1137
Cap. XXX. — Julianus imperator. 1141
Cap. XXXI. — Jovianus imperator. 1142
Cap. XXXII. — Valerius Valentinianus cum Valente fratre. Deque Gratiano jam Cæsares. *Ibid.*
Cap. XXXIII. — Valens imperator quomodo Christianos punierit, et quæ bella gesserit, deque Gratiani imp. 1144
Cap. XXXIV. — Gratiani prudentia. Theodosius Orienti et Thraciæ imperat; deque Arcadio et Maximo. 1148
Cap. XXXV.—Theodosius imperator quæ bella gesserit. De Maximi, Andragatii et Valentiniani interitu, deque Arbogaste et Eugenio per Theodosium deletis. 1150
Cap. XXXVI. — De imperio Arcadii, Theodosii Junioris et Honorii. De Gildonis perfidia. 1155
Cap. XXXVII. — Rufini et Stiliconis scelus. Rhadagaisus, rex Gothorum, Romam terruit et victus est. 1158
Cap. XXXVIII. — De Molitionibus Stiliconis comitis, ejusque et Eucherii interitu. 1161
Cap. XXXIX.—Quomodo Roma per Gothos irrupta fuerit, deprædata et incensa, solis Christianis tutis et liberis. 1163
Cap. XL.—De irruptione vastationeque Alanorum, Suevorum et Vandalorum. Item de Gratiano tyranno et Constantino imperatore apud Britannos; deque Didymi et Veriniani gestis et interitu. 1165
Cap. XLI. — Epilogus. Omnes omnia juste sustinuisse, sive pii, sive impii fuerint. 1167
Cap. XLII. — Catalogus tyrannorum qui opera Constantii comitis deleti fuerunt. 1169
Cap. XLIII. — Gothorum expulsio; quid Ataulphus rex eorum instituerit. De Segerico et Vallia regibus Gothorum. 1171
LIBER DE ARBITRII LIBERTATE. 1173
OROSII AD AUGUSTINUM COMMONITORIUM, de errore Priscillianistarum et Origenistarum. 1211

LEPORIUS.

Prolegomena. 1215
LIBELLUS EMENDATIONIS. 1221
Epistola episcoporum Africæ quos [illegible] libello miserunt ad episcopos Galliæ. 1231

EVODIUS.

Liber de fide contra Manichæos. 1233

NONNULLI PATRES

S. Augustino æquales, cumque illustri doctore commercio litterarum usi. *Ibid.*

ARCHIGYMN

FINIS TOMI TRIGESIMI PRIMI.

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FL. L. DEXTER.
Chronicon omnimodae historiae.
PAULUS OROSIUS.
Historiarum libri septem.
LEPORIUS PRESBYTER.
Libellus emendationis.
EVODIUS.
Liber de Fide, contra Manichaeos.
NONNULLI PATRES S. AUGUSTINO AEQUALES.
Epistolae inter illos Patres et S. Augustinum amoebaeae.

ORDO RERUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FLAVIUS LUCIUS DEXTER.
Epistola dedicatoria Bivarii editoris.
Epistola Cardinalis de Treio ad Bivarium.
Epistola altera ad Rivarium.
Auctoris vita ex suis et aliorum scriptis collecta.
Veterum testimonia de Dextro.
Chronici Dextri APOLOGIA, ad lectorem, qua ipso in limine admonitus inoffenso cuncta postmodum percurrat pede.
- § I. Quae et quanta omnimodam hanc historiam germanum Dextri fetum esse convincant?
- § II. Nihil esse quod hujus Chronici auctoritatem enervare queat.
Epistola Dextri ad Orosium, presb. Tarracon.
CHRONICON.
APPENDIX. - *In prophetiam Danietis de quatuor animatibus.*
- § I. Exordium.
- § II. Danielis prophetiae cap. VII.
- § III. Quae in vulgata et communi expositione hujos prophetiae verbis ipsius repugnare videantur.
- § IV. Nova et exacta ejusdem prophetiae expositio de Alanis, Vandalis, Suevis et Gothis in Hispanias irruentibus deque catholica monarchia proponitur.
APOLOGETICUS pro Lucio Dextro, contra recentem impugnatorem.
- *Epistola dedicatoria.*
- Incipit liber Apologeticus.
- § I. Apologiae causa aperitur.
- § II. Quot et quanta ad retundendam Chronici hujus auctoritatem Pennottus meditatus fuerit.
- § III. Tripartitam Pennotti eisdem irretiri nodis, quibus omnimodam Dextri Historiam vincire conatur.
- § IV. Nonnullae Pennotti inconsequentiae.
- § V. Jura Cisterciensis ordinis a Pennotto laesa defenduntur.
- § VI. Defenditur B. abbas Joachimus a calumniis Pennotti et aliorum.
- § VII. Objectis a Pennotto contra Dextri et Maximi Chronica fit satis.
PAULUS OROSIUS.
Epistola dedicatoria Sig. Havercampi.
Praefatio Sig. Havercampi.
Variae dedicationes et praefationes.
Notilla Gallandi in Paulum Orosium.
Ratio orthographiae in Orosii codice Longobardico.
HISTORIARUM LIBRI SEPTEM.
Praefatio ad Aurelium Augustinum.
LIBER PRIMUS.
CAPUT PRIMUM. - Unde caeteri historias exorsi sint, et unde ipse eam exordiri quatenusque persequi velit.
CAP. II. - Majores mundum in tres partes divisisse.
CAP. III. - De diluvio sub Noe.
CAP. IV. - De Nino et Semiramide.
CAP. V. - Pentapolim regionem ob nefauda libidinis scelera coelo tactam et exustam fuisse.
CAP. VI. - Comparatio cladis Sodom. et Rom.
CAP. VII. - De praelio inter Telchines et Carpathios et Phoroneum regem. Item de diluvio Achaiae.
CAP. VIII. - De sterilitate et fame AEgypti, cui Joseph consuluit, et de vanitate AEgyptiorum sacerdotum.
CAP. IX. - De inundatione sub Amphictyone et Deucalione regibus, peste AEthiopica, Libero patre Indiam vastante.
CAP. X. - De populo Dei in AEgypto afficto, decem plagis AEgyptiorum et transitu sinus Arabici, ac reliquiis ejusdem; de solis ardore quodam infesto.
CAP. XI. - De Parricidio Danaidum, de Busiridis crudelitate, de Tereo, Progne et Philomela, et Perseo Asiam populante.
CAP. XII. - Congeries multorum facinorum per praeteritionem.
CAP. XIII. - Certamen inter Cretenses et Athenienses, Lapisthos et Thessalos.
CAP. XIV. - Vesores, rex AEgypti, Scythas bello in festans, vincitur. Scythae Asiam sibi subjiciunt.
CAP. XV. - Amazonum origo, mores et facinora.
CAP. XVI. - Epilogus historiae Amazonum, in quo praesentem Romanorum caecitatem insectatur.
CAP. XVII. - De raptu Helenae et Trojae excidio, cum admonitione ad lectorem.
CAP. XVIII. - AEneae in Italiam adventus, et variae clades ejusdem temporis.
CAP. XIX. - De Sardanapalo rege Assyriorum; de Phraorte, Diocle et Astyage regibus Medorum; de Cyro rege Persarum.
CAP. XX. - De Phalaridis tyrannide et Aremuli Latinorum regis flagitiis.
CAP. XXI. - Bellum inter Peloponnenses et Athenienses, de Amazonum et Cimmeriorum in Asiam incursu; de dintina obsidione, et expugnatione Messenae. Bellum Athentensium contra Lacedaemonios; Peloponnensium et Boeotiorum contra Athenienses.
LIBER SECUNDUS.
CAPUT PRIMUM. - De regnorum mutatione Dei providentia facta.
CAP. II. - Supradictorum quasi epilogus, diversorunique regnorum actemporum collatio, deque vicissitudine regnerum.
CAP III. - Simile pene initium, conditio et status regni Babylonii et Romani, sed exitus diversus.
CAP. IV. - De Roma condita, et tempore quo regum imperio paruit.
CAP. V. - Bruti, primi consulis, facinora. Tarquiniensium et Sabinorum bellum. Discessio plebis. Fames et pestilentia Romae. Veientum et Etrusocum bellum, quo familia illa Fabiorum interiit.
CAP. VI. - Cyrus Orientem populatur, Babylonem capit, Croesum vincit.
CAP. VII. - Cyrus Scythis bellum intulit, et a Tomyri victus et occisus est.
CAP. VIII. - Darius a Scythis fugatur; Asiam, Macedoniam et Jonas vincit. Athentenses cum vitae suae multerumque discrimine aggreditur.
CAP. IX. - Xerces a Spartanis, duce Leonida, vincitur.
CAP. X. - Xercem Themistocles, Ionibus ab eo alienatis, fugat.
CAP. XI. - Mardonius, dum reliqua belli assequitur, copiis amissis, autugit. Xerces occiditur.
CAP. XII. - Roma gravi pestilentia, bellis intermissis, divexata. De bello exulum et fugitivorum, item AEquorum et Volscorum.
CAP. XIII. - Fames et pestilentia Romae. Potestas consulum in decemviros translata, perniciosa reipublicae. Crebri in Italia terraemotus. Fidenatium bellum.
CAP. XIV. - De Siciliae imperio rebusque in ea gestis.
CAP. XV. - Athenienses bello Lacedaemoniorum, adhortante Alcibiade, excipiuntur.
CAP. XVI. - Atheniensium adversus Lacedaemonios praelia gravia horrendaeque calamitates, et strages utrinque acceptae.
CAP. XVII. - Atheniensibus certis legibus ae conditionibus pax datur, trigintaque rectores constituuntur, qui Trasybuli industria ejecti sunt.
CAP. XVIII. - De betto ci ili inter Artaxercem et Cyrum filios Darii, quod parricidio finitum fuit. De terraemotu Siciliae et Atalante insula facta.
CAP. XIX. - Romanorum parum honesta ad Veios obsidia. Uibs a Gallis capta et vastata. Collatio istius excidii cum praesenti Gothorum invasione.

LIBER TERTIUS.
Prafatio.
CAPUT PRIMUM. - De pace jussu Artaxercis regis per Graeciam facta, deque variis bellis ante illam pacem a Lacedaemoniis cum rege et Thebanis gestis, ubi de Conone.
CAP. II. - De Lacedaemoniorum offensione in Arcadia, victoria Thebanorum, Epaminondae morte, cum epilogo dictorum
CAP. III. - Terraemotus Achaiae collatus cum Constantinopol tano. Romani civitates aliquot capiunt.
CAP. IV. - De pestilentia gravissima, ejusque expiatione.
CAP. V. - Ingens terrae hiatus medio Romae apparuit.
CAP. VI. - Gallorum ingentem multitudinem Romani sternunt ae fugant, Tusci superantur, Galli tertio irruentes trucidantur.
CAP. VII. - Foedus Romanorum cum Carthaginiensibus complurium malurum causa. Veris lapidibus pluit. Alexander M. nascitur. Rex Persar. captivos Judaeos abducit.
CAP. VIII. - Breviter comprehendit sequentium bellorum 3 Romanis gestorum clades. De Jani portis clausis.
CAP. IX. - Romani Latinis bellum inferunt. Manlius Torquatus filium occidit. Miaucia, Vestalis virgo, incestidamnata.
CAP. X. - Permultae matronae Romanae veneficii accusatae et damnatae sunt.
CAP. XI. - Alexander, rex Epirotarum, a Samnitibus viclus et occisus est.
CAP. XII. - Philippi, regis Macedoniae, res gestae, et quas gentes seu urbes subegerit.
CAP. XIII. - Byzantium Philippus frustra obsidet. Scythiam betto aggreditur et vincit. Triballi praedum ei eripiunt.
CAP. XIV. - Philippi crudelitas in Thebanos, et interitus.
CAP. XV - Samnites Romanorum copias capiunt. Romani ictum ferdus rumpunt, Satricum expugnant.
CAP. XVI. - Alexander Philippo succedens Thebanos, Illyrios, Thracas, urbesque alias perdomuit, Dartum vincit.
CAP. XVII. - Darii ultimum cum Alexandro praelium, ejusque interitus.
CAP. XVIII. - De bellis Agidis regis Spartanorum, Alexandri Epiri, Zo [...] yrionis praefecti; de populis post Darii mortem ab Alexandro subactis, ejusque in suos crudelitate.
CAP. XIX. - Alexander Indiam domat; Porum regem superat, urbes gentesque subigit.
CAP. XX. - Omnes provinciae ad Alexandrum legatos mittunt, pacem petentes. Alexander veneno necatur. Apostrophe ad lectores.
CAP. XXI. - Etruscorum, Umbrorum, Samnitium et Gallerum contra Romanos conjuratio et clades.
CAP. XXII. - Romani a Samnitibus victi eosdem vincunt; intolerabilis Romanes pestilentia affligit. Rursum Samnites superant, et cadunt Bellum in Sabinos. Romani a Gallis vieti.
CAP. XXIII. - Alexandro mortuo duces ejus orbem inter se diviserunt, seseque mutuis bellis consumpserunt.
LIBER QUARTUS.
Praefatio.
CAP. PRIMUM. - De bello Tarentmorum, quibus Pyrrbus auxilio fuit adversus Romanes.
CAP. II. - Romani horrenda peste corripiuntur. Cum Pyrrho tertium bellum geritur: lugatur et interit.
CAP. III. - Romani Tarentinos cum auxiliis Carthaginiensium vincunt, et in octavam legionem animadvertunt.
CAP. IV. - De horrendis quibusdam prodigiis, et de bello Picenli.
CAP. V. - Rursum prodigia visa. Vulsiniensium libertini couspirant adversus dominos, quibus Romani subvenerunt. Roma iterum peste corripitur.
CAP. VI. - De Carthaginiensium origine variaque tortuna qua ante bellum Panicum primum sunt usi.
CAP. VII. - Romanorum adversus Syracusanos et Poenos res gestae, ballorumque variorum successus. Servorum sociorumque conjuratio.
CAP. VIII. - Romani, Camerinam urbem petentes, in insidias incurrunt. Annibal seniora suis lapidatur. Regulus Liparum Melitamque vastat. Clypea se Romanis dedit. Regulus, ingentis magnitudinis serpente confecto, de Carthagini osibuss victoriam refert.
CAP. IX. - Carthaginienses, negata sibi pace, auxilia nudique contraxisse, ac Xanthippo duce Romanos stravisse. Regulum cepisse, camque injuriam Aemilium et Fulvium ultos fuisse.
CAP. X. - Quod Poeni, pace sibi negata, Regulum crudeliter inter [...] merint. Romanos param feliciter in Siciliam semel atque iterum pugnantes, tandem vicisse.
CAP. XI. - Carthaginienses conditionibus pretioque pacem impetrasse: calamitosam Tiberis inundationem, ignisque cujusdam vastationem Romae fuisse. De bello in Faliscos.
CAP. XII. - Gallos Cisalpinos, Romanis novos infestosque hostes, caesos: Sardiniam rebellantem subactam; Poenos aegre pacem impetrasse; Jani portas uno anno fuisse clausas.
CAP. XIII. - De interitu Amilcaris, et bello Romanorum in Illyrios ejusque causa. De bello in Gallos Cisalpinos: item in Insubres Gallos. De prodigiis variis. De nova Gallorum clade, belloque in Istros.
CAP. XIV. - De bello Punico secundo. Annibal ingentes strages in Romanos edidit, per Gallos viam aperiens.
CAP. XV. - Multa miraque tum prodigia passim apparuisse, et quod Annibal astu ad internecionem pene Flaminii consulis exercitum ceciderit.
CAP. XVI. - De miseranda Romanorum clade ad Cannas. De consilio relinquendi Italiam; quomodo Romani respirarint exercitumque repara [...] nt. Item de variis praeliis.
CAP. XVII. - Claudius Marcellus Syracusas capit. Annibal ad Anienem Romanos terret, nec obruendi copia datur.
CAP. XVIII. - De variis cladibus inter Romanos et Poenos utrinque acceptis.
CAP. XIX. - Annibalem in Africam revocatum, a Scipione superatum fugatumque fuisse; et Carthaginiensibus pacem concessisse Romanos.
CAP. XX. - De bello Macedonico, in quo cum variis ae diversis Romani, praecique adversus Macedones et Antiochum Syriae regem varie pugnaverunt.
CAP. XXI. - Scipionem Africanum Hispaniam vastasse; Scipionem Nasicam theatri aedificationem dissuasisse; Galbam parum honeste Lusitanis imposuisse.
CAP. XXII. - De tertio bello Punico. Consules ad delendam Carthaginem profectos, fugatos fuisse. Interim de situ ejusdem.
CAP. XXIII. - De Carthaginis miseranda dejectione ac deletione.
LIBER QUINTUS.
CAP. PRIMUM. - Romanorum per aliorum clades felicitatem plus damni quam commodi secum traxisse; item sua tempora prioribus potiora.
CAP. II. - Orosio, utpote Christiano homini, ubique patria et quovis securus accessus.
CAP. III. - De bello Achaico et Corinthi eversione.
CAP. IV - De bello in Hispania cum Viriatho, deque Lusitanorum et Salassorum Gallorum cruento conflictu, et ingenti Romae pestilentia, aliisque bellis Romanorum cum Numantinis, item Mithridatis.
CAP. V. - Quam injuste Romani Mancinum Numantinis dediderunt. De Bruti in Gallaecos strage, Lepidi a Vaccaeis clade.
CAP. VI. - De monstroso puero Romae nato, de AEtnae eructatione, et bello servili in Sicilia.
CAP. VII. - De Numantia, ejusque per Scipionem Africanum deletione.
CAP VIII. - De Gracchorum seditione Attalique regis Pergami haereditate.
CAP. IX. - De interitu Gracchi, et bello servili in Sicilia, apud Athenienses et Delum.
CAP. X. - De bello Aristonici. De Ptolemaei regis Alexandrinorum flagitiis, et Autiocho a Phraate icto, deque AEtnae et Li [...] arae incendiis.
CAP. XI. - De ingenti et perniciosa vi locustarum in Africa, quarum interitu infectioneque horrenda ac inaudita pestis orta.
CAP. XII. - De Carthagine restituta. De C. Gracchi seditione et interitu.
CAP. XIII. - Baleares insulas a Metello subactas, Allobroges a Domitio victos fuisse, Aetnamque rursus exarsisse.
CAP. XIV. - Fabius consul Bituitum, regem Arvernorum, magnis copiis instructum, cum paucis fudit; Q. Marcius alios Gallos fudit.
CAP. XV. - De bello Jugurthino.
CAP. XVI. - De bello Romanorum adversus Cimbros. Teutones aliasque gentes gesto.
CAP. XVII - De ingenti Romae seditione, auctorihus L. Appuleio Saturnino, C. Mario, caeterisque orta.
CAP. XVIII. - De bello sociali, quo Italici populi a Romanis deficientes rebellarunt. I [...] em de prodigiis variis.
CAP XIX. - De bello civili Mariano et Mithridatico, in quo Sulla et Marius maximos tumultus calamitatesque reipublicae invexerunt.
CAP. XX. - Quomodo Sulla a senatoribus revocatus fuerit ad subveniendum perditae patriae, quosque ipse cum suis subegerit.
CAP. XXI. - De proscriptione Sullana aliisque crudelibus facinoribus.
CAP. XXII. - Dictorum velut epilogum recitat auctor. De novo lumultu per Lepidum excitato.
CAP. XXIII. - De quatuor novis bellis a Romanis susceptis, Hispanico, Pamphilico, Macedonico et Dalmatico.
CAP. XXIV. - De bello fugitivorum seu gladiatorum, et cladihus ejus.
LIBER SEXTUS.
CAPUT PRIMUM - Unum Deum, tam Gentilium quam Christianorum judicio.
CAP. II. - Prosequitur hic bellum Mithridaticum, quod Sulla confecit.
CAP. III. - De Catilinae incestu, et Lucullorum adversus Ressos, Mithridatem, Tigranem, caeterosque bellis.
CAP. IV. - De bello Piratico et Cretico, deque re cum Mithridate a Pompeio gesta.
CAP. V. - Quod Mithridates filios ac amicos perement, ipseque vicissim a filio peremptus sit.
CAP. VI. - De gestis Pompeii in Syria, Phoenice et Judaea, et conjuratione Catilinae.
CAP. VII. - Caesar quas provincias sortitus, quomodo Helvetios et Belgas domuerit.

CAP. VIII. - Galbae expeditio in Veragros et Sedunos. De rebus gestis Caesaris in conjuratos cum Venetis.
CAP. IX. - Caesar quomodo Suevos et Britannos subjecerit.
CAP. X. - Caesarem adversus novam Gallorum conspirationem profectum fuisse eosque denuo subegisse.
CAP. XI. - Caesar item novam Gallorum in arma adversus sese conspirationem multa clade comprimit.
CAP. XII. - Miseriam et calamitatem Galliae acceptam a Caesare subji [...] it quasi sub oculos.
CAP. XIII. - De Crassi avaritia, rebus contra Parthos gestis et interitu.
CAP. XIV. - De mutabilitate Romani imperii, praedictorum velut epilogus.
CAP. XV. - De bello civili auctoribus Caesare et Pompeio.
CAP. XVI. - Caesar Alexandrinis regem reddit, Alexandrinos subigit, civesque multos caedit.
CAP. XVII. - De Caesaris interitu, et ob eum tumultibus et bellis
CAP. XVIII. - De Caesare Octaviano Augusto, rebusque per eum gestis.
CAP. XIX. - De rebus ab Antonio gestis, et bello Actia [...] o.
CAP. XX - De triumpho Caesaris et nomine Augusti.
CAP. XXI. - Caesar quomodo Hispanias ingressus Cantabros Asturesque vicerit. Drusus quos in Germania subegerit. De Tiberii, Quiatibi Vari et Agrippae gestis.
CAP. XXII. - Octavius Augustus, composita undique pace, Janum ipsetertio clausit et rempublicam composuit, deque censu Caesaris acto.
LIBER SEPTIMUS.
CAPUT PRIMUM. - Unum solum verumque Deum, mundi omniumque conditorem, atque adeo potentiam suam ac patientiam perunum, hoc est Christum, voluisse hominibus innotescere.
CAP. II. - Babylonem et Romam, regnumque illius et hujus in plerisque omnibus convenire. De quatuor mundi monarchiis, Christi et Abraham saeculis.
CAP. III. - Christus quando ad hominum salutem natus, quomodo statim vexatus, de ingenti Romae fame et jugi pace.
CAP. IV. - De vita et gestis Tiberii Caesaris, quomodo Christum amplexus sit, de ejus crudelitate in plurimos.
CAP. V. - C. Caligulae Caesaris mores, res gestae et crudelia facinora.
CAP. VI. - Claudii Tiberii Caesaris vita et res gestae, et gravissima sub eo fames Romae.
CAP. VII. - Neronis Claudii Caesaris foedi mores et scelesta facinora.
CAP. VIII. - De Galbae, Othonis et Vitellii imperio, moribus et facinoribus.
CAP. IX. - Vespasiani Augusti et Titi imperium quomodo rebellantes Judaeos compresserit, adhaec urbem Hierosolymam cum templo solo aequaverit. De caeteris eorum gestis.
CAP X. - De Flavii Domitiani Caesaris imperio et rebus gestis.
CAP. XI. - Coccei Nervae Caesaris imperium.
CAP. XII. Trajani imperium et res gestae.
CAP XIII. - Hadriani imperium.
CAP. XIV. - Antonini Pii imperium.
CAP. XV. - M. Antoninus Verus quid in imperio suo gesserit.
CAP. XVI. - Commodi, Pertinacis et Didii Juliani imperia.
CAP. XVII - De imperio Septimii Severi Pertinacis.
CAP. XVIII. - De Caracallae, Macrini, Heliogabali et Alexandri Severi imperiis.
CAP. XIX. - De Junii Maximini et Gordiani Junioris imperiis, et Christianorum persecutione.
CAP. XX. - Imperium Julii Philippi cum Filio.
CAP. XXI. - Trajani Decii et Galli Hostiliani cum Volusiano filio imperium.
CAP XXII. - Veterianus et Gallianus quomodo et quamdiu imperaverint: interim de persecut. Ecclesiae.
CAP XXIII. - Flavius Claudius, Aurelius Quintillus et Valerius Aurelianus imperatores.
CAP. XXIV. - Claudius Tacitus, Annius Florianus, Aurelius Valerius Probus et Aurelius Carus impp.
CAP. XXV. - Diocletianus quomodo imperaverit, et quid sub eo perque eum gestum sit.
CAP. XXVI. - De Constantino Magno.
CAP XXVII. - Collatio populi Israelitici et Christian., AEgyptiaci item et Romani; quomodo illi pro Deo in afflictionibus, hi a Deo in plagis similia fere passi sunt.
CAP XXVIII. - De Constantini Magni, Maxentii, Licinii et Maximiani imperiis et rebus gestis. De Ario.
CAP. XXIX. - Constantinus, Constantius et Constans imperatores. Interim de Magnentio arripiente imperium, et Decentio.
CAP. XXX. - Julianus imperator.
CAP. XXXI. - Jovianus imperator.
CAP. XXXII. - Valerius Valentinianus cum Valente fratre. Deque Gratiano jam Caesares.
CAP. XXXIII. - Valens imperator quomodo Christianos punierit. et quae bella gesserit, deque Gratiani imp.
CAP. XXXIV. - Gratiani prudentia. Theodosius Orienti et Thraciae imperat; deque Arcadio et Maximo.
CAP. XXXV. - Theodosius imperator quae bella gesserit. De Maximi, Andragatit et Valentiniani interitu, deque Arbogaste et Eugenio per Theodosium deletis.
CAP. XXXVI. - De imperio Arcadii, Theodosii Junioris et Honorii. De Gildonis pertidia.
CAP. XXXVII. - Rufini et Stiliconis scelus. Rhadagaisus, rex Golborum, Romam terruit et victus est.
CAP. XXXVIII. - De Molitionibus Stiliconis comitis, ejusque et Eucherii interitu.
CAP. XXXIX. - Quomodo Roma per Gothos irrupta fuerit, depraedata et incensa, solis Christianis tutis et liberis.
CAP. XL. - De irruptione vastatione que Alanorum, Suevorum et Vandalorum. Item de Gratiano tyranno et Constantino imperatore apud Britaunos; deque Didymi et Veriniani gestis et interitu.
CAP. XLI. - Epilogus. Omnes omnia juste sustinuisse, sive pii, sive impii fuerint.
CAP. XLII. - Catalogus tyrannorum qui opera Constantii comitis deleti fuerunt.
CAP. XLIII. - Gothorum expulsio; quid Ataulphus rex eorum instituerit. De Segerico et Vallia regibus Gothorum.
LIBER DE ARBITRII LIBERTATE.
OROSH AD AUGUSTINUM COMMONITORIUM, de errore Priscillianistarum et Origenistarum.
LEPORIUS.
Prolegomena.
LIBELLUS EMENDATIONIS.
Epistola episcoporum Africae qu [...] ii libello miserunt ad episcopos Galliae.
EVODIU [...]
Liber de fide contra Manichaeo
NONNULLI PATRES
S. AUGUSTINO AEQUALES, CUMQUE ILLUSTR [...] COMMERCIO LITTERARUM USI.
FINIS TOMI TRIGESIMI PRIMI.